Sum
Abbatis F. H. Præneſtinij V. I. D. & Sac. Theol.
Magiſt. Protonot. Apoſt. Archidiac. Nicoteren̄

TRIVMPHVS POENITENTIAE

SIVE

SELECTÆ POENITENTIVM MORTES


TRIVMPHVS POENITEN
TIÆ
exultatione metent psal.125
Seminant in lacrymis

TRIVMPHVS POENITENTIAE

SIVE

SELECTÆ POENITENTIVM MORTES

Ex varijs, probatisque Historiarum Monumentis.

OPERA, ET STVDIO

PAVLI ARINGHI ROMANI
Congregationis Oratorij Presbyteri,

Et Sacra, prophanaque eruditione, ad commodiorem Studiosorum,
Maximè vero Concionantium vsum.

QVATVOR LIBRIS DISTINCTAE,

Suisque aptè locis distributæ.

CVM DVPLICI INDICE CAPITVM, ET RERVM LOCVPLETISSIMO.

ROMAE,
Typis Philippi Mariæ Mancini. M. DC. LXX.

SVPERIORVM PERMISSV.

SANCTISSIMO,

AC BEATISSIMO PATRI,

ET DOMINO NOSTRO,

CLEMENTI X.

PONTIFICI MAXIMO

PAVLVS ARINGHVS ROMANVS Congregationis Oratorij Presbyter sempiternam Felicitatem.

POST solemnia (PATER BEATISSIME) ac triumphalia exultantis Ecclesiæ, totiusque Christiani Orbis gaudia, ob Te in Petri Throno Dei nutu locatum, ego quoque, vnà cum cœteris venerabundus, ac publicæ daturus signa lætitiæ, tuis supplex pedibus accido, & nè in tui conspectu, qui Dei geris in terris vices, diuino edoctus oraculo vacuus adorator appaream, Opus Apicularum instar ex historiarum Flosculis collectum, & priuato meo primum vsui destinatum, quod communi vtilitati haud otiosum nonnullis visum est, quod, & nobili insuper, ac specioso titulo prænotatur: (Triumphus videlicet Pœnitentiæ) in quo Selectas Pœnitentium

Exodi c.23. num. 15.

Mor-

Mortes, abſconditos vtpotè theſauros, velut ſub luto aurum, & pretioſas latentes ſub vitro prompta, ac facili manu paſsim inuenire eſt margaritas; Opus inquam eiuſmodi quaſi iure debitum tibi munus, nec tua item, qui dignus Petri es, tùm fidei, tùm regni hæres, Maieſtate indignum, deuotus nunc Pontificatus tui primordijs tributum, ac tibi quaſi de induſtria reſeruatum cenſui deferendum. Et congruè quidem Romano Pontifici, qui ſupremam in terris ſoluendi poteſtatem diuinitus obtines, & Regni Cœlorum claues hæreditario poſt Petrum iure, vti ipſius Petri Succeſſor poſsides, ac nonniſi per Te pœnitentibus in Chriſti Regnum aditus patet, Pœnitentiæ Triumphus iuſtiſsimè debetur: *Per Te enim gentes* (vt Cyrilli hic verbis vtar) *ad pœnitentiam veniunt*, & nonniſi per Petrum denique intrando, ad Chriſti Regnum perueniunt.

Cyrillus Alexandr. hom. contra Neſtorium.

Multiplicibus verò titulis, vt tuas hinc obiter, & è proximo laudes quoquo modo attingam (de Te mihi enim ad Te ſermo eſt) quidquid hoc eſt tenuitatis meæ Sanctitati Tuæ in præſens humiliter defertur, qui non alio, quàm Clementis, Tuum æmulando Prædeceſſorem, dici nomine voluiſti; *Roboratur quippè* (vt Salomon inquit) *Clementia thronus Regis*, & *Ornamentum inſuper* (vt alter docet) *Imperiorum eſt ſimul certiſſima ſalus*. Ex quo ſanè non parua Tibi laus accreſcit, *Qui* (vt Caſsiodorus ait) *geris nomine, quam meritis poſſides dignitatem*. Tu enim es (vt Bernardi te verbis alloquar) *Princeps Epiſcoporum, hæres Apoſtolorum, poteſtate Petrus, unctione Chriſtus*. Eoquè magis ſupremi Apoſtolatus, ac muneris dignitate Chriſtiano Te Orbi dignum oſtendis, quia præcelſi indignum Te honore apicis, pio humilitatis conatu reputans, nonniſi in nouiſsimo inter conuiuantes loco recumbere in Dei domo decreueras, adeoq; Tibi à Chriſto Domino ipſis vel factis dictum eſt: *Amice aſcende ſuperius*. In Te namque diuinum ipſius oraculum ſub omnium oculis veraciſsimè occinit: *Et erit Tibi* (in-

Prouer. c. 20 num. 28.

Seneca l. 4. de Clementia.

Caſſiod. de Eugenio.

S Bernardus lib. 2. ad Eugenium PP. de Conſideratione.

Lucæ c. 14 n. 10. 12.

(inquit) *gloria coram simul discumbentibus, quia omnis, qui se exaltat, humiliabitur, & qui se humiliat, exaltabitur*, & illud item in Te vno ad purpuram prouecto adimpleri contigit. *Et erunt nouissimi primi*. Vix enim purpuram nouisimè attigeras, cum celeri in Petri solium gradu peruenisti, ac tuis, & si tardisimè, Dei tamen mirificè nutu, tùm annis, tùm meritis celerrimè suprema dignitas Pontificatus accesit. Quàm verò & si dignus, alienus tamen ab honoribus animo semper fores, sublimis ista tergeminæ inter coronæ repudia mens sibi firmiter in bono constans declarauit; De Te enim iustisimè dici potest, quod de Cornelio Romano Pontifice olim, & martyre, ac Tuo item Prædecessore Cyprianus dixit: *Episcopatum ipsum nec postulauit, nec voluit. Non vt quidàm vim fecit; Vt Episcopus fieret, sed ipse vim passus est, vt Episcopatum coactus acciperet*; Post longam siquidem in Comitijs moram, & Ecclesiæ viduitatem, Te tandem pastore diuinitus donari nos contigit, vt de Cornelio dicitur. *Cum Fabiani* (inquit) *locus, idest cum locus Petri, & gradus Cathedræ Sacerdotalis vacaret*. Per annum quippe tunc Pastor Ecclesiæ, (vt Baronius habet) desideratus est. *Iam non ferenda* (inquit) *ampliùs videbatur tanta, non solùm Romanæ, sed totius Orbis Ecclesiæ viduitas, &c.* Quod sanè post Clementis Prædecessoris Tui obitum Romana item, & per multos menses iterum passa est Ecclesia; post festiuos autem Paschæ dies, & paschali adhuc recurrente tempore Cornelius renuntiatus est Pontifex, Aprili mense, vt ipsi Tu paribus tùm rebus, tùm exemplis fieres omninò consors; ille enim, quod in Te nuper affulsit, diù ad Sacerdotium dilatus est. *Non iste* (ait) *ad Episcopatum subitò peruenit, sed per omnia Ecclesiastica officia promotus, & in diuinis administrationibus promeritus, ad Sacerdotij sublime fastigium cunctis Religionis gradibus ascendit*; Quod sanè, & Tibi, qui cunctis diù perfunctus honorum gradibus, & octogenarius iam ætate ad Petri Cathedram es prouectus, egregiè consonat

Matth. c. 20 n. 16.

Baron. anno 254. n. 41.

Cyprian. ep. 52. ad Antonianum.

Baron. n. 41. vbi supra.

Baron. n. 45. vbi supra.

Cyprian. ep. 52. vbi sup.

ſonat; qui maturus æquè annis, & cumulo meritorum in Petri throno præſides, & qui Patrum nedum ſuffragio præs, *Sed* (vt de Cornelio Cyprianus habet) *Domini iudicio, qui Epiſcopum fecit*. Dignum Te ſiquidem tunc ſpectaculum Roma ſuſpexit, dum ſuo ſingulis Tibi calculo arridentibus, cuncti certatim populi plauderent, at Tù ſolus ingemiſceres, datoque nobili Pontificijs infulis repudio à purpuratis vltrò, conſtanterq; ad Summi Sacerdotij apicem rapereris inuitus: ac ſi Tuum ipſius Nazianzeni verbis repudium comprobaretur: *Vale Cathedra inuidioſum hoc, & periculoſum faſtigium*. Obſtupuit tunc ſanè Vrbs noſtra ſpectandis alioqui aſſueta triumphis, dum Purpuratorum Patrum tergeminam Tibi Senatus Regni coronam deferendo geſtiret, Tuq; ſuſpirijs, ac lacrymis interim oblatam vehementiùs recuſando contenderes, & vt in Te ipſo ſolemne quiſque Chryſoſtomi verbum recoleret. *Quia honor fugientem ſe deſiderat, deſiderantem ſe fugit*, Plura dicerem, nì tua modeſtia me à dicendo prohiberet.

Cyprianus vbi ſupra.

Gregorius Nazianz. ad 150. Epiſc.

Chryſoſtomus in Homil.

Nec verò perfunctoriè, ac obiter reſpuendo; ſed toto animi ſtudio res agebatur; Virtus quippè, ac pietas à maioribus tuis hæreditario Tibi iure, & quaſi per manus accepta prouenit. Quot enim in Tuo nobili ſtipite præceſſere, amplam de ſe cunctis narrandi materiam reliquerunt; & vt cœteros taceam, Martius Alterius in primis Tuus digniſſimus Patruus, ac inter primos item Sancti Philippi Nerij, Congregationis Oratorij Fundatoris diſcipulos (cuius, & grata item in noſtris hiſce paginis mentio eſt) tantum ſub Beati viri magiſterio profecit, vt præ feruore ſpiritus, ac diuini amoris, quo æſtuabat, ardore, alter velut Moyſes de Deo haud loqui poſſet, eaque in Chriſti pauperes charitate diteſceret, vt ſe ipſo ob Chriſti amorem, ac cunctis exui rebus cupiens, quò Chriſtum in pauperibus tegeret, culcitra ſe ipſum in ſtrato iacentem intempeſta ſurgens nocte nudaret, ac per feneſtras

Petr. Iacob. Baccius vit. S. Philippi Nerij lib. 1. c. 11. n. 8.

Antonius Gallonius vit. B. Philippi ann. 1558. c. 36. pag. 61.

ege-

egenis expectantibus libenter largiendo proijciens, vel hoc ſatis amplam ſe à Deo in Cœlis expectare mercedem factis teſtaretur, cuius ſanè piarum in Te nuper è Cœlo merita virtutum, ac eleemoſynarum in terris diuinitus remunerata cernimus.

Congruè igitur à Tuis, tuorumque laudibus, ſplendidiſq; virtutum meritis noſter in præſens Operis labor, ſuamque Triumphus Pœnitentiæ lucem, pariter auſpicatur. Prætereo item ſilentio, quod Tu, qui in gentilitio Tuorum ſtemmate ipſam pro laude lucem præfers, amplam quoque dicendi de Te, admirandique materiam ſuperas, dum clarus licet meritis, Chriſtianæ tamen humilitatis ſtudio hominum cautè oculos, latere in angulo cupiens ſubterfugeris; *Deus verò, qui dixit de tenebris lucem ſplendeſcere,* Te vel inuitum præ cunctis ſuprà candelabrum Eccleſiæ collocauit, vt digniſſimè diuinum Tibi Oraculum occinat. *Ecce dedi te in lucem gentium, vt ſis ſalus mea vſque ad extremum terræ.* Cunctis ſiquidem rebus beneficio lucis ſplendor accreſcit, ipſiuſque Dei, qui cuncta initio condidit, lux imperio ſimul, ac præconio fuerat illuſtranda, & nonniſi ipſo euocante à ſecretioribus in publicum latebris educenda. Quod ſanè in Te iuxtà propheticum verbum adimpletum vidimus: *Qui emittit lumen,* (inquit) *& vadit, & vocauit illud, & obediuit illi in tremore.* Atqui Deo latentem meritorum lucem prodire iubenti, acquieſcendum Tibi proculdubio fuit, vt qui latebas, tantum cunctis exaltatus prodeſſes, quantum cupiebas. Sic quippè in Chriſti regno, quod eſt Eccleſia, poſt longum, qui præceſsit, Comitiorum tractum nonniſi virtutum, ac meritorum luci in tam magna rerum caligine, Dei ipſius calculo ſupremus fuerat deferendus imperij principatus: *Stellæ* (inquit) *dederunt lumen in cuſtodijs ſuis, & lætatæ ſunt, vocatæ ſunt, & dixerunt adſumus, & luxerunt ei cum iucunditate, qui fecit illas.* Deus ergò, qui mirabilia iſthæc in Te vno, ſub

2. Chorint. 4. 6.

Iſaiæ [illegible]

Baruch c. 3. n. 33.

Baruch vbi ſupra n. 34.

om-

omnium oculis fecit, Te nobis, ac suæ pariter Ecclesiæ sospitem cunctorum bono diutissimè seruet, dùm beatissimis
Tuis ego interim
pedibus humillimè deuotus
procumbo.

***

PIO,

PIO, AC STVDIOSO
LECTORI.

POENITENTIAE TRIVMPHVS, post ritè, salubriterque expiatas lachrymis animi culpas, & post tristes, funestasque Impiorum Mortes in iam edito à nobis Opere recensitas, specioso nunc prænotatus titulo Mortalium auribus insonat. Quis enim est, qui tragicis, tristibusque reiectis, non demum sibi læta succedere præoptans, & post bella victoriam, suisque condignos, ac nobiles post pericula, agonesque laboribus, non immeritò triumphos exambiat? quorum nedum gratus maximè cuiuis aspectus, sed vel sola alioquì per se iucunda, immò gratissima semper accidit recordatio. Quapropter Selectas Poenitentium Mortes narraturi, attenta illud mente recolimus, quod cum *Oppositorum* (vt maximo Philosophorum placet) *eadem sit disciplina*: quemadmodum suo Pessimæ Peccatorum Mortes horrore iustum iure meritò mortalium animis metum ingerunt; ita pariter è contra piæ Poenitentium Mortes, quarum in præsens Tractatum instituimus, ingenti procul dubio animarum lucro, salutis spem haud paruam legentibus afferunt: Nam iuxta solemne Prophetæ verbum Poenitentia salutarem in primis fiduciam, vbi peccatum ex aduerso timorem iustissimè hominibus Dei nutu cōciliat: *Si impius* (inquit) *egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, & custodierit præcepta mea, & fecerit iudicium, & iustitiam vita viuet, & non morietur*. Peccatum quippè iusta semper à tergo, vel hic, vel in altero sęculo poena consequitur, ac proinde *grauia* (vt Augustinus ait) *peccata grauissimis lamentis indigent*. Poenitentia vero post culpæ lapsum nonnisi certam obtinendæ diuinitus indulgentiæ spem

Lib. 5. Topicorum cap. 1.

Ezechielis c. 18.

Augustin. in cap. 3. Matthæi.

delinquentibus affert. Pœnitentia etenim (vt idem Augustinus docet) *medicamentum vulneris est, spes salutis, per quam Deus ad miserandum prouocatur*.

Augustin. vbi supra.

Congruè igitur post infelices, funestasque hominum Mortes, quæ nonnisi absterrendis mortalibus sunt destinatæ: *Stimulus enim mortis* (vt Apostolus inquit) *peccatum est*, Selectas modo Pœnitentium, quę Peccatores ad resipiscendum efficaciter prouocāt, ac mirificè in bono mentis proposito, ac virtutum studio cōfirmant, exponere haud omninò à re futurum duximus. Festiua namq; ipsos Pœnitētiæ cultores gaudia, & ampla satis apud Altissimum merces, bonorumque cœlestium emolumenta sub finem denique expetunt. *Quid enim* (Tertulliano teste) *iucundius, quàm Dei Patris, ac Domini reconciliatio, quàm veritatis reuelatio, quàm erroris cognitio, quàm tantorum retrò criminum venia*. Id sanè Christianissimus olim, ac verè magnus ille, omnique maior laude Romanos inter Imperatores Constātinus, non absque ingenti aliorum prouentu egregiè per se, ac laudabiliter præstitit; Quippè qui probè sciens quantum vita piè ab hominibus inter homines acta, eorumdemque felix subindè exitus ob oculos positus ad virtutem proficiat, & quantum pariter spei audientibus ingerat; E contra verò vita improbè, ac per summam socordiam in vitijs traducta quantum iustè, salubriterque recolentibus metum incutiat, id in suis ille sermonibus sæpe, ac sæpius summa dicendi ex argumento opportunè auctoritate desumpta, (vt ipse testis est Eusebius) inculcare non destitit; Hęc enim ille. *Iam* (inquit) *illud dignum sanè sempiterna memoria est, quòd cum eius extremus propè dies vitæ adesset, recitabat funestam quandam orationem eo ipso loco, quo dicere consueuerat; In qua etiam multa disputabat perpetua oratione de animarum immortalitate, deque his, qui vitam piè, sanctèque egissent, & de præmijs, quæ bonis, & gratis, acceptisque Deo hominibus apud ipsum Deum reposita essent*. Sed & alterum quoque ad terrendos impios appositum dicendi genus haud omnino pręterijt, tristem improborum hominum, vt ipsos à malis retraheret, finem ob oculos cunctis proponendo: *Ad hæc etiam* (inquit) *quem finem habituri essent, qui contrariam partem sequerentur, copiosa, & longa oratione demonstrabat, Impiorum euersionem, & interitum præsentium auribus obiter inculcans*. At quo fructu sapientissimo Principi pro salute suorum isthæc procederent, appositis quidem Eusebius verbis innuit: *Hæc ille cum constanter, & grauiter contestaretur, &c. visus est genere hoc sermonis viam suis paulò ad meliorem vitam mollem, atque æquabilem præstruere*. Metu quippè à vitijs abstrahendo, & amore simul pigritantes ad virtutem acriter incitando, gemino velut stimulo vsus, mirum est, quantum hic vnus inter Principes Optimus tum dicendo, tum exhortando profecerit; Quod & nos quoque in præsens in suscepti argumenti proposito versantes exequi contendimus, à tragicis ad lætos Pęnitentiæ triumphos stylum deriuan-

Apost. ad Corinthios 15.

Tertullianus lib. de Spectaculis cap. 29.

Baronius an. 347. n. 4. 5.

Eusebius in vita Constātini lib. 4. c. 55.

Eusebius vbi supra.

deriuando. Meritò itaque nunc noster à perditis, reprobisque sermo ad pios, electosq; conuertitur, vt variã in vtrisq; ac longè disparem sortis vicem pro se curiosus quisque in Operis vtriusque vestibulo, ac titulo pariter recognoscens, post metum, fiduciam quoque ad immensæ thronum pietatis accedens, sperandæ proculdubio salutis concipiat, dum Diuina Scripturæ verba recolit, quæ diligendum, ac timendum pariter homini Deum inculcant: *Diligendum* (vt Tertullianus ait) *qui malit misericordiam peccatoris, quàm mortem, & timendum, quia nolit peccatores sui iam non pœnitentes; ideo lex vtrumque definit, Diliges Deum, & timebis Deum, &c.* Ita plane cum Deo res hominum ipsa se habet.

Tertullianus de Dei misericordia, & iustitia.

Verùm, vt nostri probè consilij rationem teneas; cum plerique sub ipso Pœnitentium titulo Viri Sanctitate præcipui, ac meritis clari recenseantur, qui mortalem hanc multiplicibus vitam pœnis, non secus ac delicijs excolendo, se ipsos ad perfectioris, ac suis absolutã numeris vitæ normam efformarunt; quorum in sacris passim historiarũ tabulis mentio agitur, & immortalis adhuc in Dei Ecclesia præcelsarum fama virtutum perseuerat; qui austeram scilicet Pœnitentium toto mentis robore viam aggressi, dignum sibi nomen peperere; quos, & suo aptè, eleganterque stylo Bernardus aliquando adumbrans: *Post passionem* (inquit) *Domini calente adhuc in cordibus fidelium effusi eius sanguinis recenti memoria solitariam hanc vitam eligentibus, paupertatem spiritus sectantibus, & in spiritualibus exercitijs, & in contemplatione Dei pingue otium, altero in alterum zelantibus, deserta repleta sunt.* Hos certè Apostolus recolens, ac suo quasi digito demonstrans: *Circuierunt* (inquit) *in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus: in solitudinibus errantes, in montibus, & speluncis, & in cauernis terræ, &c.* Si quis enim ad Aegypti Regiones, ac deserta ibidem loca mente recurrat, testatissimos illic propositæ nobis rei, ac numero haud paucos testes recensendo comperiet: *Legimus* (inquit Bernardus) *Paulum, Macarium, Antonium, Arsenium, & alios quamplures in Sanctæ huius conuersationis Republica consulares viros, egregia nomina in Ciuitate Dei, nobiles, & triumphales titulos habentes de victoria huius seculi, & Principis huius mundi, & corporis sui, de cultu animi, & Domini Dei sui, &c.* Quorum subindè palmas, ac mira laudum præconia retexens, his appositè verbis prosequitur: *Quos* (inquit) *quo nomine dignius appellem nescio; homines Cœlestes, an Angelos terrestres, degentes in terris, sed conuersationem habentes in Cœlis.* Hi profectò, ac nobiliori item titulo, ipsius Apostoli ore *Ciues Sanctorum*, & *Domestici Dei* nuncupantur, quos consultò alijs pro meritò celebrandos, eorumque præsertim in selectis Sanctorum Patrum vitis mira prorsus repetenda gesta relinquimus, ne videlicet nos actum agere videamur.

Bernard. ser. ad fratres de Monte Dei de vit. solitaria.

Ad Hebræos cap. 11. n. 37.

Bernard. vbi supra.

Bernard. vbi supra.

Apost. ad Ephesios c. 10.

At nec Virorum, qui Christianis item virtutibus diuites, ac meritis clari, amplam de se narrandi posteris præbuere materiam, & quo-

rum glorioſa in Sacris paſsim hiſtoriarum paginis acta leguntur, opportunus à nobis hic ſermo inſtituitur; Id enim Seueranus noſter ſpecioſo olim ſub titulo *Pretioſas Iuſtorum Mortes* recenſendo per ſe laudabiliter pręſtitit. Quis enim neſciat, vel ipſum inter Pęnitentes Regem in primis Dauidem adnumerandum. *Qui*(vt Chryſoſtomus habet) *in Regali culmine Monachi vitam imitabatur*; & de quo item affirmat, *quod in Purpura, & Diademate Monachorum vitam tranſcendebat*. Nec ingrato inſuper ſilentio Theodoſius magnus ille Romanorum Princeps prętereundus videtur, qui ætate non minus, quàm pietate profecit; & quamuis vti homo grauiter aliquando deliquit, magnum tamen, vel in Solio poſitus pœnitendo ſubindè virtutum ſpecimen dedit, & cunctos Religione antecellens: *Palatium* (vt Socrates ait) *ſic diſpoſuit, vt haud alienum eſſet à Monaſterio*. Horum igitur nos quoque opportunè in noſtro hoc Opere interdum meminimus. Nobis quippè illud maximè in arrepti propoſito conſilium fuit, in quo Scribentium labor, & opera deſiderari quoquo modo poſſe videbatur, vt ex ſingulis videlicet hominum generibus, ac eorum præcipuè, qui poſt anteactæ vitæ culpas, Deo tandem aſpirante compuncti, pęnas ſuis condignas culpis arripuere, vel ſaltem vitæ finem, ſupremamque horam ſingulari propitiantis Dei beneficio præuenti pœnitendo illuſtrarunt, hìc cunctorum ob oculos exempla proponerentur. Magna ſiquidem his potiſsimum ſpes conciliatur, qui ſuum, vel ſerò agnoſcentes errorem, & è peccatorum fouea emergentes, ſeriò ad Pœnitentiæ aſylum conuolant, & dum ipſis tempus vitæ ſuppetit, Deum placare, boniſque promereri actibus haud negligunt, cùm ſerò alioqui pœnitentibus veniæ ſpes obtinendæ, vix vlla ferè ſuperſit, eorumque ſaluti inter ſocordiam, atque contemptum minime ſit (Hieronymo teſte) credendum. Is namque, vel iam moriturus ad abſterrendos mortalium animos ſuprema iſthæc, vt Euſebius tradit, fulmina potius, quàm verba eiaculando intorſit: *Vix* (inquit) *de centum millibus hominum, quorum mala fuit ſemper vita, meretur à Deo habere indulgentiam vnus*. Et terribilis quidem, ac ſupremis labris in impios fatidico diuinitus ore prolata ſententia, quæ Sacrarum inſuper Scripturarum aptè, appoſitèque monumentis conſonans, vti iuſtum peccantibus metum, ita non modicam pœnitentibus fiduciam præbet: *Hoc* (inquit Hieronymus) *teneo, hoc multiplici experientia didici, quod ei non bonus eſt finis, cui mala fuit ſemper vita*. Pœnitentium itaque Mortes, hic velut in tabula tibi Lector contemplandas offerimus, & quibus præſertim modis, cuiuſuis conditionis, & tum antiquæ, tùm recentis memoriæ homines à peccando reſilire, & quo potiſsimum auxiliaris adminiculi impulſu ad ſalutis eoſdem portum pertingere feliciter contigit, prolatis in medium exemplis oſtenditur, vt quiſque ſedulò iſthæc perlegendo, haud temere, ad benignam Dei ſe ad pęnitendum euocantis vocem obſurdeſcat, ſed fiducialiter ad ipſum confugiens, ac ſalubriter

Ioannes Seueranus lib. pretioſ. mort. Iuſtor.

Chryſoſ. hom. in pſal. 50 & hom. 20. in Geneſim.

Socrates vit. Teodoſy.

Euſebius in epiſt. ad Damaſum.

Euſebius vbi ſupra.

pœni-

pęnitentia suffultus, solemne Chrysostomi verbum meminerit: *Quia, ipse est* (inquit) *qui consolatur flentes, curat dolentes, informat pœnitentes*; adeoque tunc maximè cum finem dolens peccando facit, spem de immensa Dei Bonitate concipiat.

Chrisostom. in sermon.

Nostrum hoc igitur Opus, quod Selectas Pœnitentium velut in Scena, ac totius Orbis Theatro, triumphantium instar contemplandas exhibet Mortes, tãtum legentibus fiduciæ, quãtum pessimæ Peccatorum Mortes timori sunt; futurum procul dubio existimauimus, vt probè Augustinus aliquando expertus, ac publicæ omnium vtilitati consulens, sic aptè, disertèque in rem præsentem inculcat: *Nouimus* (inquit) *aliquos à iuuentute sua in omni scelere, & damnabilitate vsque ad ætatem decrepitam perdurasse, & repentè cœlitus inspirata salute, raptos esse ad Regna Cœlorum; Nouimus etiam aliquos perfectos ex labore multorum annorum prolapsos in vltimo vitę suę, & periisse*. Arcano quippè Dei consilio agitur, vt Pœnitentiæ virtus hominibus benè sperandi, & ingratæ mentis præuaricatio, sub ipsum vitæ finem iusta sit timendi semper occasio; quia nonnisi in finem vsque, ac iuncta denique morti pœnitentia ad salutem prodest, ipsaque Augustini vnumquemque verba iugiter meminisse oportet: *Viuite benè, ne moriamini male*. Mors etenim, quæ malè agentibus nil prodest, quin immò maximè obest; attamen si benè viuentibus, ac pœnitentia munitis, expiatisque accidat, mala esse non potest: *Mala* (inquit) *putanda non est, quàm bona vita præcessit*. Illud verò hic sub finem iam supra memoratis addimus, quòd cum nonnulla videlicet in hoc Opere exempla (vbi suo opportunè loco mentio incidit) repeti contigerit, id haud casu, sed prudenti piorum, doctorumque hominum consilio haud labori parcendo, sed Lectoris potius commodo, atque vtilitati consulendo præstitum est. Demum quidquid in nostris paginis expurgatione dignum offendes, tuę potissimùm patientiæ, ac benignitati excusandum, nec nõ vbi Typographi, & Corrigentium opera, ac industria in Opere defuit, tuo sapienti corrigendum iudicio relinquitur. Nos itaque vel hoc vno duntaxat contenti erimus, si quis legendo aliquem ex nostro labore fructum percipiat, ac totum Deo bonorum Largitori acceptum referat, cui nos & quidquid nostrum est, deuoto (vt par est) mentis obsequio dicatum volumus. Viue interim felix tu quis es, & nos tuis Deo item commendatos precibus habeas. Et hęc sunt, quæ in ipsius Operis vestibulo præmisisse voluimus.

Augustinus to 3. in sentent.

Augustinus vbi supra.

Imprimatur,

Si videbitur Reuerendissimo, Patri Sacri Palatij Apostolici Magistro.

I. de Angelis Archiepiscopus Vrbinaten. Vicesgerens.

VOlumen Inscriptum, *Triumphus Pænitentiæ*, siue, *Selectæ Pænitentium Mortes*, ab Adm. Reu. P. Paulo Aringho Congregationis Oratorij de Vrbe Presbytero compilatum, iussu Reuerendiss. Patris Hyacinthi Libelli, Sacri Palatij Apostolici Magistri vidi, & perlegi; nihilque in eo offendi, quod Fidei, aut Catholicæ Religioni dissentaneum sit, aut bonis moribus aduersetur. Immò egregium certè opus esse animaduerti, vtpotè Sacræ Scripturæ authoritatibus, doctrinæ sanæ dogmatibus, Patrum testimonijs ac exemplis refertum, eorum scilicet, qui in vltima vitæ periodo, Pœnitentiæ tabulæ innixi, in Christi charitate decedentes, ad æternæ Beatitudinis portum peruenerunt. Ideoque si typis committatur, & euulgatum fuerit, Ecclesiæ toti fore profuturum existimo. Datum in Monasterio S. Pudentianæ de Vrbe hac die 15. Maij 1670.

D. Iulius Bartoloccius Abbas Congreg. S. Bernardi Ordinis Cisterciensis.

Imprimatur,

Fr. Hyacinthus Libellus Sacri Palatij Apost. Magister Ord. Prædic.

POENI-

POENITENTIA TRIVMPHANS
O D E
LEONARDI GERARDI.

QVi currus auro fulget iam binis
Lucens, Eoę, quas pariunt aquę
Gemmis, Idumęisque palmis
Et Tyrio redimitus ostro?
Clarus ne sacris Cęsar adoreis,
Letos equino sanguine concanos
Deleuit, audacesque Parthos
Fregit. Hyperboreosque Cymbros?
Superba scandit nunc Capitolia
Victis triumphans hostibus! an Duces
Trahit reuinctos, fœminamque
Actiaca monumenta pugnę?
At mœsta Regum turba gementium
Non antecedit, fictaque ahenis
Castella muris, nec fluenta
Dædaleis simulata dextris.
Nec luctuosa tristibus ingemunt,
Dahæ capillis, nec popularibus
Inflatus auris, laureatos
Cęsar equos agit, impeditus
Decora sertis tempora. Thessalam
Relinque Cyrram nunc Polyhimnia:
Age insititis cum coronis
Pindaricos agitare Buxos.
Iò triumphe! Ter resonabilis
Valles Olympi, ter iuga Tracij
Aemi resultarunt, vagusque
Argolicis Achelous vndis.
Mauortiorum fama Quiritium
Sile triumphos, et Capitolia
Dilecta Victori: triumphat
Cęsareo Methanæa fastu.
Iò triumphe! vicit et aureo
Inuecta curru, cinctaque Delphicis
Micat corollis, et superbos
Romulidum dominata fasces.
Videtis? An me ludit amabilis
Imago pompa? iam video graui
Curru triumphantem, horridosque
Iam video stupefactus hostes.
Tuis refulgens Cęsar hic omnibus
Prestas triumphus, quo peperit sibi,
Venata, victricemque palmam, &
Belligeras Methanæa laurus.
Tu cede victor, dum noua laureis
Victrix triumphat: tu superabiles
Inuictus hostes, et Phalangas
Diruis armigera procella:
Hęc vulneratum funerea trahit
Cum morte Tempus: non lachrymabiles
Atrata Victores potentum
Edomuit peracuta belli:
Inuicta vicit numina, numina
Regum superbas pręcipitantia
Moles, & altas sueta palmas
Vertere funerea Cupressu.
Videtis? Hastę non supereminent,
Ensesque: cerno ferrea verbera,
Et flagra, et grauas catenas,
Queis trepidos Dea vinxit hostes.
Et tu triumphas Romulidum decus
Purus Latina fons opulentia
O Paule, dum non fabulosis
Viuidus exanimata lactas.
Sermonibus corda, et noua nescios
Doces, refuso non sine sanguine
Trophea mercari: ferinas
Siue colant homines cauernas,
Seù pallida arctent membra rubentibus
Vinclis, et acri corpora saucient
Flagello, & immensis catenis,
Seù precibus iaculentur astra.
Sublimiorem tu sapientiam
Calles, et alis ingeni Olympicas
Metiris oras, et renidens
Per liquidas equitare nubes
Gaudes: Volucrum ceu quatit aera
Regina pennis, et vaga fulminis
Ministra, Phœbeamque lucem
Luminibus bibit irretortis.
Tu sic Olympi Paule latentia
Arcana lustras, aurea pectore
Sic lumina hauris, dum Tonantem
Siderio sequeris volatu.

ANO-

ANONYMI

In Pęnitentiæ Triumphum.

CErnis, vt inuehitur claro Methanæa triumpho
Triste supercilium, pallidaque ora gerens.
Cum tamen ad celsi tendat fastigia Olympi,
Præpetibus linquens regna caduca rotis.
Nempè per ærumnas iter est, sæuosque dolores
Ad Superos, alia nec licet ire via.

Eiusdem in Librum.

HAec tibi felices obitus dat pagina, quorum
Pectora peccatis ingemuere suis.
O quantum in lacrymis medicamen ; nulla salubres
Tam generat succos India, nullus Arabs.
Corporibus siquidem medicantur cætera viuis,
Hæc vitam extinctis pharmaca dant animis.

Aliud in Pęnitentiæ laudem.

CErnimus è spinis blandos in cespite flores
Gignier, ac pulchris lilia mixta rosis.
Sic praua in luctum vertuntur gaudia, & ipsa
Post lacrymas facies læta redire solet.
Blanda est, si nescis, peccati pœna voluptas;
Ast ipsa innocuos pœna dolore iuuat.

INDEX
CAPITVM,
Quæ in hoc volumine continentur.

CAPITA LIBRI I.

CAPITA LIBRI II.

CA-

CAP. II.

CAP. III.

CAP. IV.

CAP. V.

CAP. VI.

CAP. VII.

CAP. VIII.

CAP. IX.

CAP. X.

CAP. XI.

CAP. XII.

CAP. XIII.

CAP. XIV.

CAPITA LIBRI III.

CAPVT I.

CAP. II.

CAP. III.

CAP. IV.

CAP. V.

CAP. VI.

CAP. VII.

CAPITVM.

CAPITA LIBRI IV.

CAP. IV.

INDEX

SELECTÆ POENITENTIVM MORTES

LIBER PRIMVS.

1. IN alio edito pridē à nobis Opere, ſatis actū eſt de Mortibus Peccatorum Peſſimis, quę ſua homines fœditate à peccando deterrent, ac metu exempli, nec non periculi magnitudine ad bonam mentem adducendi vim habent; ſed quia malorum omnium extremum deſperatio eſt, à cuius abyſſo nullus receptui locus datur, operæ pretium duximus, ne ſuus noſtro huic labori non cōſtaret fructus, & maxime cum *Pænitentia* (vt Ambroſius inquit) *peccati remedium ſit*, conſultò deinceps agere de Peccatorum exitu, qui ſalutare ſuis quibuſque malis Pœnitentiæ pharmacum benigno præpotentis Dei nutu adhibuere, vt cum ea, quæ in primis fugienda ſunt, pro noſtri tenuitate ingenij, ſimus hactenus exequuti, ne id quidem, quod ſequi oporteat, per ſegnitiem, atque imprudētiam omittamus. Haud enim excedendum ſibi quiſque ità facilè arbitratur à loco, quem tenet, niſi & quò tendat, ante prouideat. Imitatu igitur, ac profectū faciliora noſtra hìc exempla futura iudicauimus, ſi finem non modo eorum hominum, qui cœleſtes poſt obitū honores adepti ſunt, exequamur, ſed de vniuerſo Chriſti fidelium genere, quorum fœdam, reſperſam

Auctoris in Opere compilando conſilium.

Ambroſ. ſer. de Pœnitentia cap. 9.

Cur potiſſimū hic præfixus Operi titulus.

Selectæ Pœnitentium Mortes mortales ad pœnitentiā prouocant.

què culpis, ac ſceleribus vitam, vitiatoſque turpiter mores, pari miſerentis Dei beneficio felix tandē in Domino mors eſt conſequuta, quò præcellentis doni, & efficaciſſimi huius remedij euidentiùs vis contemplantibus pateat; adeòque eo libentiùs, & maiore tum animi ſtudio, tum fiducia mortales ad ſalutem, ac perennis vitę præmia ſalutari oblato Pœnitentiæ ſubſidio prouocentur.

Quid boni è pœnitentia, & quibus itē modis tutus è vita exitus pœnitentibus contigit.

2. Verùm priuſquam ſingillatim Pœnitentium Mortes, vt inſcriptus Libro præſefert titulus, in medium proferantur, Quibuſnam potiſſimum, & quorum impulſu, adhibitiſquè modis felix, fauſtuſquè ipſis è vita exitus contigit, hic haud incongrue à nobis videtur præmittendum. Vt ſingula igitur, de quibus hic ſermo nobis eſt, ſuis diſtincta capitibus innoteſcant, hęc Lector ſummatim accipe. Pœnitentia magnam ſub vitæ finem fiduciam præſtat. Pœnitentes duram ineuntes vitæ rationem, à Deo veniam obtinent. Peccatores magna Dei Bonitate ad Pœnitentiam adducti. Pœnitentiæ cauſa ſęculo ſe abdicantes, religioſę vitæ inſtitutis deuouent. Pœnitentes mortis metu, ac memoria compuncti, pœnitentię opera amplectuntur. Pœnitentes Iudicij, quod poſt mortem remanet, timore abſterriti, anteactæ vitæ errores corrigunt. Pœnitentes præoſtenſis ſibi Inferorum pœnis à malo reſipiſcunt. Peccatores aliorum perditione territi, pœnitentiam arripiunt. Pœnitentes cœleſtis ſpe gloriæ illecti, ac roborati, Pœnitentiæ operibus intendunt: Pœnitentes, nè iterum peccent, viuere diutiùs renuunt. Pœnitentes, morte interdum ſalubriter pro leuioribus culpis plectuntur. Pœnitentiam denique, aliaquè pietatis opera negligenter obeuntes, Pœnitentiæ tamen beneficio æternas poſt obitum pœnas euadunt, luſtrales exoluunt.

Catalogus rerum in Opere pertractandarū.

Multiplex mortalibus, per pœnitentiam ad Dei ſinum, & ad vitā aditus.

CAPVT

CAPVT PRIMVM.

Pęnitentia magnam ſub vitæ finem fiduciam præſtat.

Pęnitentia ſecunda poſt naufragiū tabula.

Hieronym. in cap. 3. Iſaiæ proph.

S Tho. 3 par. quæſt. 84 art. 6

I. POENITENTIA, quæ *ſecunda* (Hieronymo teſte) *poſt naufragium tabula eſt*, adeò poſt triſtem, funeſtumque Adæ lapſum, ac totius deperditam innocentiæ prærogatiuam, ac repromiſſæ immortalitatis dotem neceſſaria eſt, vt nulla, ſi hæc vna deſit, à cunctis emergendi målorum incommodis ſpes homini reliqua ſit, nec ad peroptatum ſalutis portum pertingendi fiducia. Quapropter iuſtè, ſapienterquè Chriſtus, noſtræ auctor ſalutis, poſt innocentiæ, totiuſquè in terreſtri olim Paradiſo felicitatis iacturam, nonniſi pœnitentiæ ſubſidium, ac ſaluberrimum hoc poſt mortifera antiqui ſerpentis venena pharmacum mortalibus delibandum proponens: *Si pœnitentiam* (inquit) *non egeritis, omnes ſimiliter peribitis*. Enim verò ſic noſtra Dei conſilio res agitur, & ſic humanæ præuaricationis noxa ſe habet, vt cunctis poſt Adam præuaricantibus, quemadmodùm & primùm ipſi, abſque pœnitentiæ merito refundi ſalus nequeat: *Sine te fecit te Deus* (inquit Auguſtinus) *ſed qui fecit te ſine te, non iuſtificat te ſine te, ergo fecit neſcientem, iuſtificat volentem*. Intimus quippè cordis dolor, quem pœnitentia ingerit, omnem admiſſæ culpæ atrocitatem abolens, pœnitenti quidquid pridem peccando amiſerat, extemplo reſtituit, & in promiſſæ, tum felicitatis, tum veniæ diuinitùs obtinendæ ſpem, iuxtà ſolemne illud Prophetæ dictum erigit: *Si impius* (inquit) *egerit pœnitentiam, ab omnibus peccatis, quæ operatus eſt, &c. vita viuet, & non morietur, omnium iniquitatum eius, quas operatus eſt non recordabor*. Pœnitentia etenim nedum ipſum homini Deum conciliat, eiquè ipſum ex offenſo, iratoquè gratum, atque amicum facit, ſed in ſupernæ inſuper, quam peccando amiſerat, gratiæ munus, ac dignitatem redintegrat. Quapropter aptè in

Luce cap. 13. num. 5.

Eius neceſſitas cunctis poſt culpam ipſius Dei ore oſtenditur.

Auguſtin. tom. 10. ſer. 15 de verb. Domini cap. 11.

Ezechiel. cap. 18. num. 21.

Pœnitentia, quę peccata delet, mortē quoque animi efficaciter abolet.

rem noſtram Tertullianus naufragum poſt patratas in Deum culpas hominem prouidè, ſapienterquè demulcens, nec non tutelari pœnitentiæ ſubſidio muniens: *Pœnitentiam* (inquit) *peccator ità inuade, ità amplexare, vt naufragus alicuius tabulæ fidem. Hæc te peccatorum fluctibus merſum ſaluabit, & in portum diuinæ clementię protelabit.* Opportuna quippè noſtris Altiſſimus malis remedia deeſſe haud paſſus, ne quis temere ſalutem aliquando deſperet, promptam, expeditamquè à periculis emergendi, & quaſi digito viam demonſtrans, ad tutum pœnitentiæ ſinum inuitat, ex qua proculdubio totidem hominibus bona, quot ſunt ipſius laudum præconia, Chryſoſtomo teſte proueniunt: *Pœnitentia* (inquit) *eſt delictorum medicina, iniquitatum conſumptio, lacrymarum impenſa, fiducia ad Deum, aduerſus Diabolum arma, gladius eius præcidens, & caput amputans, ſalutis ſpes, deſperationis occaſus. Ipſa cęlum aperit, ipſa Diabolum ſuperat: ipſa ducit in Paradiſum. Ipſa eſt vtique vis, ac virtus pœnitentię.* Quin vt cunctas eius ad viuum in tabula laudes coloribus exprimat, ſic certam pœnitentibus veniæ fiduciam, verborum vſus compendio, repromittens: *O pœnitentia* (inquit) *quę peccatum remittis, & Paradiſum reſeras, quę ægrum ſanas hominem, & triſtem exhilaras, vitam de interitu reuocas, ſtatum reſtauras, horrorem remoues, fiduciam præbes, reformas vires, gratiam abundantiorem refundis.* Certa itaquè propitio, ac benigno Dei nutu, mortalium animis ſalutis ſpes refunditur, vbi quis ad pœnitentiæ ſinum feſtinus, deuotuſquè recurrit, ac ſuas peccator, vel ſub vitæ finem lacrymas, doloremquè contriti cordis amarulentus, bonaque ſuffultus ſpe, ac fiducia portendit. Quapropter cū Deus ſe ipſo miſericors adeò ſit, vt mox atrociores quaſque pœnitentibus culpas dimittat, vel hinc olim

Tertullianus lib. de pœnit. cap. 4.

A naufragio liber, qui pœnitentiæ tabulā arripit.

Chryſoſt. hom. de pœnitentia.

Chryſoſt. vbi ſupra.

Pœnitentiæ virtutes, ac præconia ex Chryſoſtomo

Ex Dei elementia mortalibus peccandi anſa obrepit.

Selectæ Pœnitentium Mortes mortales ad pœnitentiã prouocant.

què culpis, ac sceleribus vitam, viatosque turpiter mores, pari miserentis Dei beneficio felix tandē in Domino mors est consequuta, quò præcellentis doni, & efficacissimi huius remedij euidentiùs vis contemplantibus pateat; adeòque eo libentiùs, & maiore tum animi studio, tum fiducia mortales ad salutem, ac perennis vitę præmia salutari oblato Poenitentiæ subsidio prouocentur.

Quid boni è pœnitentia, & quibus itē modis tutus è vita exitus pœnitentibus contigit.

2. Verùm priusquam singillatim Poenitentium Mortes, vt inscriptus Libro præsefert titulus, in medium proferantur, Quibusnam potissimum, & quorum impulsu, adhibitisqué modis felix, faustusquè ipsis è vita exitus contigit, hic haud incongrue à nobis videtur præmittendum. Vt singula igitur, de quibus hic sermo nobis est, suis distincta capitibus innotescant, hęc Lector summatim accipe. Poenitentia magnam sub vitæ finem fiduciam præstat. Poenitentes duram ineuntes vitæ rationem, à Deo veniam obtinent. Peccatores magna Dei Bonitate ad Poenitentiam adducti. Poenitentiæ causa sęculo se abdicantes, religiosę vitæ institutis deuouent. Poenitentes mortis metu, ac memoria compuncti, poenitentię opera amplectuntur. Poenitentes Iudicij, quod post mortem remanet, timore absterriti, anteactæ vitæ errores corrigunt. Poenitentes præostensis sibi Inferorum poenis à malo resipiscunt. Peccatores aliorum perditione territi, poenitentiam arripiunt. Poenitentes cœlestis spe gloriæ illecti, ac roborati, Pœnitentiæ operibus intendunt: Pœnitentes, nè iterum peccent, viuere diutiùs renuunt. Poenitentes, morte interdum salubriter pro leuioribus culpis plectuntur. Poenitentiam denique, aliaquè pietatis opera negligenter obeuntes, Poenitentiæ tamen beneficio æternas post obitum poenas euadunt, lustrales exoluunt.

Catalogus rerum in Opere pertractandarũ.

Multiplex mortalibus, per pœnitentiam ad Dei sinum, & ad vitã aditus.

CAPVT

CAPVT PRIMVM.

Pęnitentia magnam ſub vitæ finem fiduciam præſtat.

Pęnitentia ſecunda poſt naufragiũ tabula.

Hieronym. in cap. 3. Iſaiæ proph.

S Tho. 3. par. quæſt.84 art.6

1. POENITENTIA, quæ *ſecunda* (Hieronymo teſte) *poſt naufragium tabula eſt*, adeò poſt triſtem, funeſtumque Adæ lapſum, ac totius deperditam innocentiæ prærogatiuam, ac repromiſſæ immortalitatis dotem neceſſaria eſt, vt nulla, ſi hæc vna deſit, à cunctis emergendi malorum incommodis ſpes homini reliqua ſit, nec ad peroptatum ſalutis portum pertingendi fiducia. Quapropter iuſtè, ſapienterquè Chriſtus, noſtræ auctor ſalutis, poſt innocentiæ, totiuſquè in terreſtri olim Paradiſo felicitatis iacturam, nonniſi pœnitentiæ ſubſidium, ac ſaluberrimum hoc poſt mortifera antiqui ſerpentis venena pharmacum mortalibus delibandum proponens: *Si pœnitentiam* (inquit) *non egeritis, omnes ſimiliter peribitis*. Enim verò ſic noſtra Dei conſilio res agitur, & ſic humanæ præuaricationis noxa ſe habet, vt cunctis poſt Adam præuaricantibus, quemadmodùm & primùm ipſi, abſque pœnitenriæ merito refundi ſalus nequeat: *Sine te fecit te Deus* (inquit Auguſtinus) *ſed qui fecit te ſine te, non iuſtificat te ſine te, ergo fecit neſcientem, iuſtificat volentem*. Intimus quippè cordis dolor, quem pœnitentia ingerit, omnem admiſſæ culpæ atrocitatem abolens, pœnitenti quidquid pridem peccando amiſerat, extemplo reſtituit, & in promiſſæ, tum felicitatis, tum veniæ diuinitùs obtinendæ ſpem, iuxtà ſolemne illud Prophetæ dictum erigit: *Si impius* (inquit) *egerit pœnitentiam, ab omnibus peccatis, quæ operatus eſt, &c. vita viuet, & non morietur, omnium iniquitatum eius, quas operatus eſt non recordabor*. Pœnitentia etenim nedum ipſum homini Deum conciliat, eiquè ipſum ex offenſo, iratoquè gratum, atque amicum facit, ſed in ſupernæ inſuper, quam peccando amiſerat, gratiæ munus, ac dignitatem redintegrat. Quapropter aptè in rem noſtram Tertullianus naufragum poſt pattatas in Deum culpas hominem prouidè, ſapienterquè demulcens, nec non tutelari pœnitentiæ ſubſidio muniens: *Pœnitentiam* (inquit) *peccator ità inuade, ità amplexare, vt naufragus alicuius tabulæ fidem. Hæc te peccatorum fluctibus merſum ſaluabit, & in portum diuinæ clementię protelabit.* Opportuna quippè noſtris Altiſſimus malis remedia deeſſe haud paſſus, ne quis temere ſalutem aliquando deſperet, promptam, expeditamquè à periculis emergendi, & quaſi digito viam demonſtrans, ad tutum pœnitentiæ ſinum inuitat, ex qua proculdubio totidem hominibus bona, quot ſunt ipſius laudum præconia, Chryſoſtomo teſte proueniunt: *Pœnitentia* (inquit) *eſt delictorum medicina, iniquitatum conſumptio, lacrymarum impenſa, fiducia ad Deum, aduerſus Diabolum arma, gladius eius præcidens, & caput amputans, ſalutis ſpes, deſperationis occaſus. Ipſa cęlum aperit, ipſa Diabolum ſuperat: ipſa ducit in Paradiſum. Ipſa eſt vtique vis, ac virtus pœnitentię.* Quin vt cunctas eius ad viuum in tabula laudes coloribus exprimat, ſic certam pœnitentibus veniæ fiduciam, verborum vſus compendio, repromittens: *O pœnitentia* (inquit) *quę peccatum remittis, & Paradiſum reſeras, quę ægrum ſanas hominem, & triſtem exhilaras, vitam de interitu reuocas, ſtatum reſtauras, horrorem remoues, fiduciam præbes, reformas vires, gratiam abundantiorem refundis.* Certa itaquè propitio, ac benigno Dei nutu, mortalium animis ſalutis ſpes refunditur, vbi quis ad pœnitentiæ ſinum feſtinus, deuotuſquè recurrit, ac ſuas peccator, vel ſub vitæ finem lacrymas, doloremquè contriti cordis amarulentus, bonaque ſuffultus ſpe, ac fiducia portendit. Quapropter cũ Deus ſe ipſo miſericors adeò ſit, vt mox atrociores quaſque pœnitentibus culpas dimittat, vel hinc olim

Lucæ cap. 13. num. 5.

Eius neceſſitas cunctis poſt culpam ipſius Dei ore oſtenditur.

Auguſtin. tom. 10. ſer. 15 de verb. Domini cap. 11.

Ezechiel. cap. 18. num. 21.

Pœnitentia, quę peccata delet, mortẽ quoque animi efficaciter abolet.

Tertullianus lib. de pœnit. cap. 4.

A naufragiò liber, qui pœnitentiæ tabulã arripit.

Chryſoſt. hom. de pœnitentia.

Chryſoſt. vbi ſupra.

Pœnitentiæ virtutes, ac præconia ex Chryſoſtomo

Ex Dei clementia mortalibus peccandi anſa obrepit.

Pagani aduersus Deum oblatrandi occasionem nacti; ex pœnitentia videlicet, & prompto, expeditoquè ad thronum gratiæ aditu, nonnisi peccandi, ac delinquendi aditum hominibus vltrò suppetere affirmarunt. In quos subinde meritò insurgens, ac aptè stylū Augustinus intorquens: *Ne desperando* (inquit) *augeamus peccata, propositus est pœnitentiæ portus; nè sperando augeamus, datus est dies mortis incertus*. Ac si vel vnico mortis metu totius indulgentię à Deo impetrãdæ spes adeo alioqui obtentu facilis temperetur.

August. hom. 27. & 50.

Pœnitentiæ virtus ad spē excitandam, mortis verò pœna ad abolenda peccata mortalibus à Deo proposita.

2. Magna igitur (vt hinc narrandi initium sit) pœnitentiæ virtus, quæ suo tantum cœteras virtutes meritò antecellit, vt vel sola ipsius salubris mentio magno hominis sub vitæ finem emolumento diuinitus fiduciam præbeat. Quemadmodum enim admissæ sub id tempus culpæ metum maximè ingerunt, sic pariter susceptæ pro culpis pœnæ animum summoperè releuãt, vt illius potissimùm, cuius disertè Climacus meminit, exemplo innotescit, de quo isthæc: *Stephanus quidem* (inquit) *in hoc loco habitans, solitariam, & quietam vitam adamauerat. Hic cum annos plurimos in monastico certamine egisset, ieiunijsquè maximè, & lacrymis esset ornatus, alijsquè præterea virtutum priuilegijs floreret, cellulam ad radicem montis, in quo sacram illam, diuinamquè visionem speculatus olim fuerat Helias, sibi construxerat. Hic igitur tam venerandus moribus, intentione maioris, laboriosiorisquè pœnitentiæ profectus est ad Anachoretarum locū, cui Fides nomen erat. Quo in loco cum annos aliquot arctissimo vitæ instituto peregisset (erat enim is locus ab omni consolatione mortali penitus remotus, omnibusquè ferè omnibus inuius (septuaginta enim ferè millibus passuum ab omni humana habitatione disiunctus erat) rursus extremo vitæ tempore redijt, cupiens in cellula sua priore sancti illius montis habitare, Erant autem ibi duo ex Palæstina discipuli admodùm religiosi, qui etiam pridiè obseruabant cellulā senis. In qua cum paucos egisset dies, languorem incurrit, ex quo & mortuus est. Igitur ante vnum exitus sui diem repensè animo obstupuit, apertisquè oculis ad dexteram, atque ad sinistram partem lectuli circumspiciebat, & quasi rationem quidam à se exigerent, cunctis, qui adstabant, audientibus, aiebat aliquandò quidem: Ita sanè, sic re vera est, sed pro hoc tot annis ieiunaui; Aliquandò verò: Non certè, sed mentimini, hoc non feci: Deinde rursus: Ita verè est, hoc ità est, sed fleui, sed ministraui; At rursus: Verè me accusatis. In quibusdam etiam aliquandò aiebat: Ita sanè; & quidem ad hæc quid dicam, non habeo; ideo misericordia est*. Hæc Climacus pœnitentiæ sub vitæ finem ad releuandos mortalium animos vim suis maximè verbis inculcans, cœterisque apprimè commendans.

Io: Climacus lib. de 30 gradibus grad. 6.

Ex culpis sub vitæ finē metus, & ex pœnitentia homini maximè fiducia contingit.

Stephanus monacus dū anteactæ vitæ ac pęnitentię operū meminit moriturus respirat.

Quam seuera operum exactio, & quæ morituri ob pœnitētię austeritatem ad Deum spes.

3. Augustinus verò *vera*(vt pius ille ait) *gaudia auspicatus à gemitu* quanti sub vitæ finem momenti pœnitentia sit, probè intelligens, cunctis, etsi hactenus illibatè vixerint, sollicitè adhibendam præmonet, vt Possidonius his planè verbis testatur: *Dicere autem* (inquit) *nobis inter familiaria colloquia consueuerat post perceptum Baptismum etiam laudatos Christianos, & Sacerdotes absque digna, & competenti pœnitentia exire de corpore non debere; quod etiam ipse fecit vltima, qua defunctus est, ægritudine; Nam sibi iusseras Psalmos Dauidicos, qui sunt paucissimi, de pœnitentia scribi; ipsosquè autem quaterniones iacens in lecto contrà parietem positos diebus suę infirmitatis intuebatur, & legebat, & iugiter ac vbertim flebat. Et ne intentio eius à quoquam impediretur, antè dies fermè decem, quàm exiret de corpore, à nobis postulauit pręsentibus, ne quis ad eum ingrederetur, nisi ijs tantùm horis, quibus medici ad inspiciendum intrarent, vel cum eius inferretur refectio, & ità obseruatum, factumquè est, & omni illo tempore orationi vacabat*. Hæc ille; Quibus certè olim Augustinus suum pœnitentiæ lacrymis nedum præuenire, sed & pręmunire aliorū documento exitum voluit. Cum igitur Hipponem à Vvandalis obsideri quatuordecim iam annis contigisset, ac vir Dei multas passim in obsidione cædes, cladesque fieri animaduerteret, in illa planè suos humiliter in mensa alloquens; verba prorupit: *Noueritis*(inquit)*in hoc tempore nostræ calamitatis id Deum rogare, vt aut hanc Ciuitatem ab hostibus circundatam liberare dignetur, aut si aliud ei videtur, suos seruos ad perferendam eius voluntatem fortes faciat, aut certè, vt me de hoc sæculo accipiat*. Qui demum acerbam temporum illorum procellam, & tum animarū

Aloysius Inglaris elogio de S. August.

Augustinus à pœnitētiæ gemitu salutis gaudia auspicatus.

Possidonius in vita S. Augustin. cap. 29.

Dauidicos pœnitentiæ psalmos exiturus è vita attentè perlegit.

Aegrotans vt seriò rē pœnitēdo agat, amicorū colloquia sub finem reijcit.

Baronius ann. 430. num. 84. 85.

Intentus soli Deo, sibi ac pœnitentiæ, vacat.

Possidon. vbi supra c. 29.

Quid obsidionis tempore pro anima duntaxat solicitus agat.

tum

tum corporum calamitates vberrimè deflens, isthæc in suo nouissimo ad populũ sermone habet: *Quis* (inquit)*ista audiens videnſquè non doleat? Vnde cum Propheta dicere possumus: quis dabit capiti meo aquã, aut oculis meis fontem lachrymarum, & plorabo die, ac nocte interfectos filię populi mei? non solùm mortem corporis, verùm etiam animarum,&c. Nos verò fratres charissimi, quibus Dominus non pro nostris meritis parcere, sed adhuc ad pænitentiam reservare dignatur, non sine grandi timore debemus cõsiderare, quod hæc omnibus nobis prębeantur exempla; & ideò illorum mors proficiat ad nostram salutem, illorum tribulatio sit nostra correctio, de aliorum plagis faciamus medicamenta vulneribus nostris, & semper timeamus, quod Dominus in Euangelio dixit: Putatis, quod hi Galilęi prę omnibus peccatores fuerint, quoniam talia passi sunt? non dico vobis, sed nisi pænitentiã egeritis, omnes simul peribitis; & ideò qui solebat esse luxuriosus, sit castus, qui superbus, sit humilis, qui erat inuidus, sit benignus, &c.* His, alijſquè salubriter dictis bonus, prouidusque Pastor suos inter funestas obsidionis angustias efficaciter ad pœnitendum prouocans, adhortanſquè, & vltima correptus ægritudine, ac lecto decumbens, extrema ijſdem piæ, ac paternæ charitatis officia exsoluit, vt his item Possidonius verbis tradit: *Et ecce* (inquit) *tertio illius obsidionis mense decubuit lecto febribus defatigatus, & illa vltima exercebatur ęgritudine.* Sciebat quippè plures inter illa emergentium malorũ discrimina, haud Baptismi Sacramento expiatos, vt idem Augustinus docet, demum infeliciter vitam clausisse: *Multos* (inquit) *cognouimus in ista visitatione sine Sacramento Baptismi ex hac vita fuisse ereptos, atque inter vasa iræ relictos,&c.* Cum igitur nulla eiuſcemodi homines pœnitentia præueniens, Deo conciliasset, nullam sub vitæ finem salutis spem sibi certam repromittere infelices procul dubio poterant.

Augustin. ser. ad pop.

Inter mortis pericula opportunus illi ad suos sermo de pęnitentia.

Sermo opportunus, sermo optimus iuxta Sapientis oraculum.

Possidonius in vit. Augustin. cap.29.

Quamplures mortalium nihil aduersis ad resipiscendũ proficiũt.

Augustin. ser. 15. de tempore.

4. Suam igitur Augustinus tum vitam, tum mortem pœnitentiæ subsidio mirificè illustrauit, profusiſque lacrymis maculam omnẽ sic immortalitatis lucẽ pœnitendo adeptus, abstersit, vt suo aptè, eleganterquè stylo doctissimus ille inter modernos sic ipsum pœnitentiæ lacrymis initiantem describit.

Aloysius Inglaris è Soci. Iesu lib. elog. 8 Sancti August. pag. 159.

Dignũ Aug. ad pœnitentiam conuolantis elogiũ.

Primam ætatis partem ne quęras:
In cæno perdidit.
Felix, qui demum scierit amissa redimere,
Felicior qui potuerit.
Vera gaudia auspicatus à gemitu,
Initiandus sublimioris doctrinæ magister,
Librum è cælo iubetur accipere.
Sordes suas speculatus in pagina,
Vt eas vel obrueret, vel elueret.
E matris oculis lacrymas transtulit in suos,
Sibi, matri, & Patrię redditus.
Tenebras suas, dũ in lucẽ edidit, illustrauit.
Nunquam videlicet Solem puduit.
E tenebris erupisse.

Futurus Ecclesiæ doctor suum ab Apostoli epistolarũ libro magisterium inchoat.

Pœnitentiæ lachrymas, à Matris propter ipsũ dolentis ploratu ediscit, & velut dignus pro lacte filius fletũ sugit.

His planè vir cœlo dignus, qui adeò pœnitentiam dilexit, suis meritò inter pœnitendum plus quàm literis, plus quàm triumphis, lacrymis decoratur.

Errorum suorum tenebras prodens clarius se ipsum illustrat.

5. Nec secus verò, qui pijs vitam operibus, ac suas vel sub finem lacrymis culpas diluunt, propitium sibi è cœlo numen ad miserendum inflectunt; & vt dictis fides adsit: Valentinianus iunior Imperator, Valentiniani senioris filius, haud immeritò inter pręcipuos pœnitẽtiæ cultores recenſendus hic est, qui egregia de se pœnitentis animi tam viuens, quam sub mortem exempla præbuit. Etsi enim ad Baptismi lauacrum morte præuentus peruenire non potuit, animo tamen peruenit, dignam pro orthodoxa fide aduerſus Gentilium turbas, impiorumque conatus confessionem pręmittens, fiducia plenus, suam denique pio vitam exitu illustrauit. Valentinianus igitur, etsi fastu potentiæ aliquando abductus plura in Deum, in Ecclesiam, & Christi insuper Sacerdotes, ac præsertim in Ambrosium sanctitate conspicuum, ac dignum Mediolanensium Præsulem, impijs vltrò suadentibus, ac ipsum in præceps ad malum instigantibus deliquit, ob quæ iustas Dei in se iras visus est prouocasse, tamen pœnitentia postmodum, pijſquè pro Dei honore, ac illibato orthodoxæ religionis cultu, ipsiuſquè Ecclesiæ tuendæ, ac propagandæ studio laboribus, quidquid antea incautè deliquerat, egregiè, summiſquè dignus ob id laudibus reparauit, exoptatam proindè culparum à Deo veniam, sibiquè immortalem apud homines famam sortitus. Enimverò vnus hic inter Romanorum Principes, etsi aliàs iure meritò culpandus in hoc tamen maxi-

Baronius ann. 392. nu. 5.6.7.

Valẽtinianus Iunior Imperator insignis pœnitentiæ cultor.

Aduersus gẽtiles ortodoxum confessus fidem cęlo & Christo se dignũ exhibet.

Et si aliquando in Clerũ, eiusq; Ecclesiã peccauit, postmodũ pęnitentia ita se ipsum expiauit.

Baronius vbi supra;

Impiorũ hominũ postulatis haud animum atque aures præbuit.

mè

Baronius ann. 391. num. 1.

Suprema vitę dies aditum ipsi pro religione pugnāti ad immortalitatem fecit.

mè laudandus est, quod cum missis Senatores ethnici pro restituẽdis inanium Deorum aris, & sacrificijs, ad ipsum legatis ob id vnum apud ipsum contenderent, iste contrà ingentes pro orthodoxa religione animos præseferens, ac se ipso in dies robustior, ipsomet, qui eius è vita exitum antecessit, die suas audacter, constanterquè aures à postulantibus amouit, nouissimo hoc fidelis in Deum animi, illibatæquè simul, quam mente gerebat, fidei testimonio supremum diem, ac totius vitæ periòdum dignè concludens, adeò vt egregio Princeps pijssimus edito pœnitentiæ signo, & quantùm à prauis alienus esset erroribus, ostendens, nobili cunctas anteactæ vitæ res gestas facto, veluti certo virtutum stabilire argumento videretur; quod disertis Ambrosius verbis in funebri oratione, quam in eius laudem habuit, sic meminit: *Solue ergo* (inquit) *seruo tuo munus tuę gratię, quam ille nunquam negauit: qui ante diem mortis templorum priuilegia negauit insurgentibus, quos revereri posset. Adstabat virorum caterua gentilium, supplicabat Senatus. Non metuebat hominibus displicere in Christo.* Hæc Ambrosius, dum quàm constans, ac stabilis in bono esset post pœnitentiam Principis animus, inculcat.

Baronius vbi supra num. 4.

Ambrosius nebri oratione Valentinianum celebrat.

Ambros. orat. in fun. Valentiniani.

Vt placeret Christo non timuit Imperator Romano Senatui, ac hominibus displicere.

6. Porrò Valentinianus Cathecumenus adhuc, & paulò ante quàm diem obiret, vna cum validis aduersùs barbaros in Italiam irrumpentes armatorum copijs profecturus, ac sacro ante belli conflictū baptismo initiari cupiens, Viennæ, cum in Gallia Ambrosium, quem patris loco tunc habuit, ad pœnitentiæ salutaris arma confugiens, & iam in agni sanguine dealbandus, vt ad cunctas diluendas vitæ culpas baptismalibus ab eo aquis expiaretur, Mediolano sollicitè accersendum curauit. Sed ipso adhuc in itinere constituto, proditorum appetitus insidijs per summum scelus, ac fraudem occisus est, vt rem planè tragicam Ambrosius non absque lacrymis meminit. Verùm quæ eius interitus causa præcesserit, si quæ apud Zosimum fides est, rem ille hunc in modum edisserendo describit: *Visus* (inquit) *Arbogastes subditis sibi militibus idoneus ob fortitudinem, reiquè bellicæ scientiam, & pecuniæ contemptum, magnam ad potentiam peruenit, adeoquè tantas erat, vt etiam aduersus Principem liberior esset, & quæcunque non rectè, nec vti par erat, fieri putabat, prohiberet. Ea Valentinianus permolestè ferens, reluctabatur quidem sæpius, sed nihil proficiebat; Nam Arbogastes omnium militum beneuolentia munitus erat. Tandem Valentinianus haud ferens amplius, vt huic subiectus esset, cum augusto in solio sedens accedentem videret Arbogastem, acerbiùs hominem limis aspiciens, literas porrigit, quibus imperium ipsi abrogabat. Iis ille perlectis, nec imperium mihi dedisti, ait, nec auferre poteris. Quibus prolatis, discerptoquè libello, & in terrā abiecto discedebat. Ex eo tempore non clanculum suspiciones alebantur, sed omnibus eorum inimicitiæ patebant,* donec Valentinianus gladio confossus (vt subdit) cum ageret militibus ludos, non ferro (vt ait) sed laqueo strangulatus obit. Id pariter Socrates testatur; perperā verò Sozomenus spontaneo ipsum laqueo vitam abrupisse affirmat, sed quia hoc eius cubicularij leui fama sparsissent, ad quod S. Hieronymus allusisse visus est, cum ait:

Baronius ann. 392. num. 3.

Ambrosium pius Imperator patris loco semper coluit.

Viennā Ambrosium accersit baptismi aquis ibi initiandus.

Ambrosius vbi supra in fun. Valentiniani.

Insidijs præuentus cathecumenus decedit.

Zozimus lib. 4.

Quæ Valentiniani principes præcipuæ dotes.

Arbogasten infensum hostem nactus.

Variæ de ipsius morte Scriptorum sententiæ.

Baronius vbi supra num. 6.

Socrates lib. 5. cap. 24.

Sozomen. lib. 7. cap. 22.

7. *Adolescens Valentinianus, & penè puer post fugam, post exilia, post recuperatum multo sanguine Imperium, haud procul ab Vrbe fraternæ mortis conscia necatus est, & cadauer exanime suspendio infamatum.* Ambrosius verò, qui rerum Optimi Principis vel secretò gestarum probè cōscius fuit, in hoc longè dissentit, vt regius adolescens sibi manus consciuerit, probè vtique sciens id Arbogastis Comitis dolo factum, quem sua placare, si adesse illic contigisset, præsentia se potuisse affirmat; Ambrosiū quippè ob eius sanctitatis famam ab ipso impensissimè obseruatum liquet; quem insuper ab eodem Ambrosio frequenter conuiuio exceptū; qua item de re illum inter suæ gentis Reges sæpe ac sæpius gloriari solitum tradit de eo enim isthæc Paulinus: *Per idem* (inquit) *tempus Arbogastes Comes aduersus gentem suam, hoc est Francorum bellum parauit, atque pugnando non paruam multitudinem manu fudit; cum residuis verò pacem firmauit. Sed cum in conuiuio à Regibus gentis suæ interrogaretur, vtrum sciret Ambrosium, et respondisset nosse se virum, et diligi ab eo, atque frequenter cum illo conuiuari solitum audiuit*: Ideo vincis omnes, quia

Quid Ambrosius, ac Hieronymus sentiant.

S. Hieronymus epist. 3.

Ruffinus lib. 2. cap. 31.

Ambrosius ob sanctitatis meritum est Valentiniano charus.

Paulinus in vita S. Ambrosij Episc.

Arbogastes Comes eundem impensè diligit, & cū ipso conuiuari solitus.

quia ab illo viro diligeris, qui dicit Soli: sta, & stat. Hæc Paulinus in ipsius quidem Arbogastis gratiam, qui Ambrosio amicitia coniunctissimus fuerat, cui profectò ante immane perpetratum facinus cuncta prosperè cõtigisse liquet, adeò vt innumeris planè sit auctus, Deo aspirante victoriarum palmis, sed post illatam optimo Principi per dolos necem, *iusto* (vt Baronius ait) *sanguine in eum clamã-te vindictam, semper in deteriora prolapsus est.*

Baronius vbi supra nu. 9.

Ideo cūctos armis vincere creditus, quia ab Ambrosio diligebatur.

8. Verùm enim verò quod ad recolendos, ac benè compositos Valentiniani mores attinet, suis eũ Ambrosius, dignisque laudibus celebrat, delicta, quæ primum admisit, & maximè cum à matre deceptus Arianis faueret, silentio penitus obuoluens. Vir namque sapientissimus probè sciebat haud puerulo, sed Iustinæ Augustæ Arianę fœminæ, cuius tunc nutu cuncta peragebantur, eiuscemodi adscribenda piacula. Sed vt mores, qui Christianum decent Principẽ, & quibus is probè, ac laudabiliter excultus fuit, hic meminerimus, certissimè quidẽ constat, virum hunc sic sectandæ Pœnitentiæ addictum, vt quæ sibi in alijs displicerent, hæc totis in se ipso animi viribus sedulo emendare studuerit, vt idẽ Ambrosius his verbis testatur: *Ferebatur primò* (inquit) *ludis Circensibus delectari; sic istud abstersit, vt nè solemnibus quidem Principum natalibus, vel Imperialis honoris gratia Circenses putaret esse celebrãdos. Aiebant aliqui ferarum eum venationibus occupari, atque ab actibus publicis intentionem eius abduci; omnes feras vno momento iussit interfici.* Hæc de ipso Ambrosius constanter affirmat; Sanctissimum verò Præsulem *vel leuis mendacij* (vt Baronius ait) *folium eius coronæ laudum attexuisse, nefas est opinari; ac proinde quæ dixit, omni fide digna habenda sunt;* sed quæ insuper præco dignissimus iam recensitis in eius laudem addit, excipiamus.

Baronius vbi supra n. 7.

Valẽtiniani, si quæ puerulus admisit scelera, Iustinæ vipo tẽ Arianæ ipsius matre instigãte patrata Ambrosius silẽtio prætерit.

Ambros. orat. in funere Valentiniani.

Quæ Valentinianus pœnitentiæ vir tute conspicuus se digna laudabiliter præstitit.

Pristinos vitæ mores in virtutis obsequium cõmutat.

Baronius vbi supra.

9. *Audire* (inquit) *in Consistorio negotia, & Danielis spiritu, in quibus dubitarent senes, vel personę alicuius contuitu ducerentur, congruam verò adolescentem videres ferre sententiam. Iactabant inuidi, quia præmaturè prandium peteret, capit itã frequentare ieiuniũ, vt plerumque ipse impransus conuiuium solemne suis comitibus exhiberet, quo & Religioni sanctæ satisfaceret, & Principis humanitati.* Hæc profectò admirandæ ipsius, solideq; pietatis, quę modũ vtpotè facere delicijs, ac seuerum diligere censorem, argumenta haud obscura sunt animi à vitijs omninò abhorrentis, ac viri, qui sua Pœnitentiæ iugo colla vltrò, libenterquè submittens, quæ quoquo modo corrigi postulabant, seriò apud se retractare, seueraque expẽdere trutina didicisset, quęitẽ Ambrosius posteris clara laudum ipsius monimenta reliquit. Sed quæ de recolenda in primis castitate omni in viro principe admiratione digna subtexit, videamus: *Scenica* (inquit) *cuiusdam forma, ac decore deperire Romæ adolescentes nobiles nunciabãtur: Iussit eam ad Comitatum venire. Missus pretio deprauatus, sine mãdati effectu redyt. Alterum misit, ne voluisse emendare vitia adolescentum, & non potuisse videretur. Datus est obtrectandi aliquibus locus. Deductam tamen nunquam aut spectauit, aut vidit. Postea redire præcepit, vt omnes agnoscerent irritum eius non esse mandatum, & adolescentes doceret ab amore mulieris temperare, quam ipse, qui potuit habere in potestate, despexerat. Et hæc fecit, cum adhuc non haberet vxorem, & tamen exhiberet sui tanquam vinctus coniugio castitatem. Quis tam dominus serui, quàm ille sui corporis fuit? quis tam aliorum arbiter, quàm ille suæ censor ætatis? quid de pietate eius loquar? qui cum homines nobili ortos genere, & locupleti prosapia, quæ citò mouere inuidiam solet regia cupiditatis, accusator vrgeret, Præfectus insisteret: respondit, vt nihil cruẽtum sanctis præsertim diebus statueretur. Et cum post aliquot dies accusatoris legeretur libellus, calumniam pronunciaturus, accusatum liberè, donec Præfectus cognosceret, obseruari iussit; neque anteà, aut postea quisquam tanti criminis sub adolescente Imperatore formidauit inuidiam.* Hæc, & alia plura Ambrosius, qui in eo præcipuè totus est, vt pijssimi Imperatoris exemplum cunctis ob oculos suspiciendum, ęmulandumque proponat; Imperatoris, inquam, qui in ipso ætatis flore è vita præreptus, annum videlicet vigesimum circiter septimum ætatis agens (vt Baronius adnotat) & qui nonnisi annos sexdecim, menses sex, octo minùs diebus Imperium tenuit.

Quæ ipsi cri dem crimini dabãtur, virtutis studio per pœnitentiã laudi ad scribuntur.

Ambros. vbi supra.

Iustitia causas expendit ieiunio diem transigit.

Seuerum sui censorem diligit.

Ambros. orat. in funere Valentiniani.

Insignis ipsius castitas.

Scenicã mulierem, quæ adolescentibus ruinæ erat occasio, à theatro amouet.

Nullus tam serui, quam sui ipse corporis dominus.

Pius princeps nil funestum sanctis diebus vult statuendum.

In ætatis flore decedens virtute, præuenit ætatẽ.

Baronius vbi supra nu. 9

10. Va-

Ipsius corpus post cędem Mediolanum defertur.

10. Valentiniani igitur laudabiliter, & vt Christiano homine par est, vita functi corpus Mediolanum delatum est; Qui enim suas in eum manus exeruerant, regium cadauer, nè seipsis sceleris reos proderent, liberè euehi permiserè, vt his Zosimus verbis: *Vniuersis hisce* (inquit) *Theodosio Principi eodem tempore renunciatis, vxor eius Galla fratrem deplorans, regiam vniuersam cõturbabat simul & ipse Princeps magno mærore, curaquè conficiebatur*. Hæc ille. Sed Theodosius, quod vnum supererat, pietatis officium, perhonorifica defunctum sepultura donãdum curauit, vt scriptis ad Ambrosium literis testatur, qui ad eũ subindè ita rescripsit: *Silentium* (inquit) *meum rupit sermo Clementiæ tuæ. Nihil enim in tam tristibus rebus melius facere in animum induxeram, quam si fieri posset, me ipsum abdere; sed quia in secessu aliquo delitescere, & Sacerdotio exire non poteram, vel silentio intrà me latebam. Doleo enim, fateor, dolore acerbo, non solùm, quod immatura ætate Valentinianus Augustus decesserit, sed etiam, quod informatus fide, ac tuis institutis, tantã deuotionem erga Deum nostrũ induerat, atq; tanto in me incubuerat affectu, vt quem antè persequebatur, nunc diligeret, quem ante vt Aduersarium repellebat, nunc vel parẽtem putaret; quod ego non pro recordatione iniuriæ veteris exprompsi, sed pro testimonio conuersionis. Illud enim alienum, hoc suum; quod à te infusum sibi ita tenuit, vt matris persuasionem excluderet. Ille se à me nutritum præseferebat, ille vt sedulum patrem desiderabat: ille simulato à quibusdam aduentus mei nuncio, impatienter prçstolabatur; quin etiam illis ipsis publici doloris diebus, cum Sanctos, & Summos Sacerdotes Domini in Gallia haberet, vt à me tantum Sacramentis baptismatis initiaretur, scribendum arbitratus. Quod etiam ipse rationabiliter, amicabiliter, tum erga me suum studium testificatus est*. Hæc Ambrosius in ipsius laudem disertè meminit.

Zosimus vbi supra.

Galla ipsius soror defunctum amarulenter plorat.

Ambros. epist. 34.

Theodosius pro ipsius celebrando funere sollicitus.

Ambrosius Theodosij literis ad pia officia mortuo exhibenda requisitus.

Quantum Valentinianus Ambrosio deferret.

11. Quam verò sollicitè, quam cautè, & quàm impensè vnus iste Pœnitentiam dilexerit, suosquè corrigendos iuxtà christianæ pietatis normã mores voluerit, & quàm exactè ad perfectæ regulam probitatis vitam suam omnem instituerit, sic idem Ambrosius testatur: *Hunc ergo* (inquit) *non intimo anhelem spiritu; secretisquè mentis, atque animi visceribus amplectar? hunc mihi mortuum putem? immò mihi magis viuum. Quas ego Domino deferebam gratias, quod ita in me cõuersus esset, quod ita emendatus, quasi senioris cuiusdam ætatis mores induisset, quas Clementiæ tuæ, quod eum non solùm regno reddidisses, sed etiam (quod est amplius) instituisses fidei, & pietatis tuæ disciplinis? hunc ergò non doleam, qui integrum, antequam Sacramentorum, quæ desiderauit, adipisceretur gratiam, repentina obijsse morte? refrigerasti animum, quod etiam ipse dignatus es ferre testimonium dolori. Te Imperator arbitrum teneo affectus mei, te meæ mentis interpretem. Sed flendi tempora aliàs nõ deerunt: nunc de sepultura, quoniam scripsit Clementia tua, hic procurandum. Sed exors recessit baptismatis: quid cognouerim non repressi. Est hic porphyreticum labrum pulcherrimum, & in vsus huiusmodi aptissimũ; Nam & Maximianus Diocletiani socius ità humatus est. Sunt tabulę porphyreticæ pretiosissimæ, quibus vestiatur operculum, quo regales exuuiæ claudantur. Hoc fuerat præparatum, sed expectabatur rescriptum Clementię tuæ, cuius perceptione recreatæ sunt sanctæ filiæ tuæ, filij tui Valentiniani sorores quæ se grauibus afficiunt modis, & amplius exagitabantur, quod nihil diu scriberetur sibi. Vnde ijs non parum accessit solatij; sed dum inhumatæ sunt reliquiæ, nequaquam sibi parcunt; videntur enim sibi germani sui quotidianũ funus tenere; & re vera cum sine fletu magno, ac sine dolore graui nunquã sint, tamen quotiescumque eò accedunt, exangues reuertuntur; & ipsis consuletur, & charissimis exuuijs, si acceleretur sepultura, ne æstiuo penitus soluantur calore; vix enim superiorem æstatem transegimus. Mandatum tuum seruo, & commendo Domino. Diligat te Dominus, quia tu Domini seruos diligis*. Hucusque Ambrosius in sua ad Theodosium epistola. Sanctissimus igitur Præsul Theodosij iussu funus curauit, & ipso insuper die, quo corpus tumulo conditum fuit, panegyricam se, ac illo, & tam laudato, quàm laudatore dignissimam orationẽ habuit, in qua inter cœtera isthæc tradit:

Ambros. epist. 34.

Eumdẽ Ambrosius sibi nõ mortuum putat, sed magis viuum.

Quã impensè baptismi aquas expetierit.

Porphyreticum nobile ipsius corpori labrum ab Ambrosio statuitur.

Dominus eos diligit qui Christi seruos diligunt.

Ambros. orat. in funer. Valentiniani.

Quo Ambrosius erga Valentinianum amoris, ac doloris sensu teneretur.

12. *Sed iam* (inquit) *chara mihi complectar viscera, & debita quondã sepulchro, prius tamen singula membra perspiciam*. Verùm ne ex eo, quod Valentinianus Ca-

the-

thecumenus decessit, æterna proinde vita haud ipsum fuisse participem inficiari quis audeat, cum quidem in fide Sacramentum suscepisse baptismatis, quod impia perditorum manus anteuertit, his ille verbis inculcat: *Ne nos quidem dubitemus de meritis Valentiniani, sed iam credamus vel testimonio Angelorum, quod detersa labe peccati, ablutus ascendit, quem sua fides lauit, & petitio consecrauit. Credamus, quia ascendit à deserto, hoc est ex hoc arido, & inculto loco ad illas florulentas delectationes, vbi cum fratre coniunctus æterna vitæ fruitur voluptate. Beati ambo, si quid meæ orationes valebunt, nulla dies, vos silentio præteribit: nulla inhonoratos vos mea transibit oratio: nulla nox non donatos aliqua precum mearum contextione transcurret: omnibus vos oblationibus frequentabo*. Hæc Ambrosius in Valentiniani Principis optimi laudem, quibus pium eiusdem è vita decessum suo satis, superquè testimonio commendans, posteris celebrandum reliquit. Etsi enim ipsum haud salutari initiatum baptismo diem clausisse affirmet, tamen cum constans baptismi votum, deuotamque illius pro suscipiendo baptismo petitionem eius verbis præcessisse liquidò constet, quis de viri præferuido salutaris pœnitentiæ voto, et si nondum baptismi aquis abluti salute ambigat? imò quod magis, magisquè assertionis propositum euincit, præter Sacramenti huius desiderium, mortc ipsius, Christianæ fidei fortis, firma, ac generosa confessio præuenit, cum (vt ex Ambrosio compertum est) Gentilium caterua vrgeret, ac Senatus pro antiquis superstitionum ritibus restituendis instaret, quod cum ante diem obitus eius factum sit, vehemens (vt Baronius adnotat) suspicio fuit, mortem illi non nisi Gentilium dolis illatam, adeò vt non pœnitens duntaxat, sed vir tantus confessor, ac ob necem sibi per scelus illatam penè martyr ex hac vita decesserit. Ex his enim, quæ eius consecuta sunt obitum, satis argui, quę præcessere, ac ipsa rerum probè conijci veritas videtur; Siquidem Eugenius, qui post eius obitum sibi Imperium arripuit, homo videlicet ferus, ac barbarus, tyrannusq; Gentilibus inanium Deorum cultoribus apprimè fauens, antiqua, prophanaque templorum iura restituit, ac intermissa execranda Idolorum Sacrificia in pristinum reuocans, ethnicis hominibus, quæcunque petere ausi sunt, vltrò, libenterquè indusit, adeò vt totum id planè subdola Gentilium arte, ac proditione factum non leuis coniectura euincat; nam de Eugenio isthæc Sozomenus: *Porrò Eugenius* (inquit) *ergà Christianorum Religionem non sincerè affectus, Principatum inuasit, & Imperij insignia assumpsit*. Hæc ille. Ex his igitur Valentinianum pœnitentia suffultum pio vitam exitu conclusisse, bonisque operibus, moribusq; Christo, & Christiano Principe dignis, mortem magna salutis spe Deo afflatum præuenisse intelligimus; etsi enim baptismali fonte, quem ardenter optabat, petebatque initiatus non sit, pœnitentia tamen, quam vnicè semper dilexit, ac Sacramenti voto, desuper aspirante Numine, præuentus, anteactæ vitæ culpas diluit, ac veniam à Deo consequutus, beatorum inseri cœtibus meruit, & certam cunctis de se bene sperandi, quia verè sub vitæ finem pœnitens, fiduciam reliquit.

13 Porrò vt quanti insuper momenti sit, & qualem pęnitentia sub extremam vitæ periodum decedentibus fiduciam præstet; quantum denique in supremo discrimine constitutis præsidij afferat, magnus ille olim inter Ecclesiæ lumina Fulgentius, Ruspensis Episcopus suo cunctis palam exemplo demonstrauit, qui non nisi pænitens *post innumera*, (vt Baronius ait,) *pro Catholica fide certamina, post iteratas sæpe confessiones, post exilia, aliasque passus ærumnas, post denique plurimorum scriptorum egregijs monimentis, tum hęreses profligatas, tum orthodoxam pietatē, & disciplinam Ecclesiasticam, custoditā sartamque, tectam relictam, optatum diu vitę finem lętus imposuit*. Quod verò omnem excedit fidem, vel sub extrema vitæ tempora se arctiori vitæ deuouens, totum Pœnitentiæ operibus addixit, vt sic bene prouidus suum pœnitentiæ clypeo non tam præuenire, quam præmunire exitum videretur; Antè enim, quam decederet, cordis compunctione adductus, ecclesiasticis se munijs abdicans, suoque clanculum è Monasterio secedens, et citò iam soluens iter in Insulam quandam arripuit, vbi in quodam scopulo orationi, lectioni, ieiunijs totus, incessanterque insistit.

Valentinianus fide, & si nō re baptismi sacramē tum suscepit.

Amb. vbi sup.

Baronius vbi supra num. 14.

Ambrosius vtrumque sibi Imperatorem precū suffragiis honorandum proponit.

Baronius vbi supra.

Gentilium dolis Valentiniano mors intentatur.

Baronius vbi supra.

Adeoq; occisus in odium fidei, nedum Confessor, sed & martyr habendus.

Eugenius tyrannus post ipsius cædem imperium arripit.

Sozomenus lib. 7. cap. 22.

Pœnitentia suffultus Valentinianus diē claudit.

Baronius an 529. num. 1.

Fulgentius Ruspensis Episcopus pęnitentiæ vim apprimè cūctis commēdat.

Non nisi pęnitentum in morem vult mori.

In gestis S. Fulgentij Episcopi.

In insulam sibi vacaturus suâ ante mortem secedit.

stitit. Sed hic quę in eius gestis scriptor tradit, excipiamus. *Vbi* (inquit) *in quodam breui scopulo, cui nomen dedit Chilni, vbi iam Monasterium fabricari mandauerat, lectioni, & orationi, at ieiunijs vacans, veluti sciret appropinquare sibi nouissimum diem, sic ex toto corde suo pœnitentiam gessit; & quamuis tota vita ex quo Monachorum professionem conuersus ex toto corde susceperit, pœnitentiæ fuerit tempus: in hac tamen insula multò amplius, & multò diligentius inchoanti similis membra sua mortificauit, & in conspectu solius Dei fleuit.* His planè vir Dei decessurum se longè antè sciens, præferuidis extrema vitæ tempora pœnitentiæ operibus pro se sollicitus munire satègit, sed quomodo vir apprimè austerus, omne sub vitæ finem sibi indulgere solatium detrectans, suæ vel minimum carni leuamentum interdixit, ex his, quæ idem auctor tradit, repetendum hic nobis est.

Ac si mors sibi instaret ad vitę exitũ separat.

Auctor vbi supra in S. Fulgentij gest.

14 *Incidit repentè* (inquit) *in corporalis infirmitatis acerrimas passiones, vbi septuaginta prope diebus ęgritudine fatigatus, hoc solum frequenter dicebat: Domine da modò hic patientiam, & postea indulgentiam. Nec ab isto sermone aliquandò cessauit, siue dolor affligeret, siue febris incenderet, siuè lassitudo dissolueret. Persuadentibus autem medicis, vt lauacris balnearibus vteretur: Nunquid balnea* (inquit) *facere poterunt, nè homo mortalis expleto vitę suę tempore moriatur? Si verò proximam mortem nec aquarum calidarum possunt fomenta repellere, cur mihi obsecro persuadetis, vt rigorem diù seruatum professionis in fine dissoluamus? Sic salutem suam supernę voluntati fideliter credens: postquam se sensit sine aliqua dubitatione dissoluendum, vocans vniuersos Clericos suos, præsentibus monachis, alloquutus est eos dicens: ego, fratres, animarum vestrarum saluti prospiciens, molestus apud vos forsitan, & difficilis extiti: & ideò obsecro vos, vt ignoscatis mihi, quisquis aliquid dolet; & si forsitan seueritas nostra modum transgressa est debitum: orate, nè mihi hoc Dominus imputet ad peccatum. Cumquè talia Beato Fulgentio lacrymosis singultibus exponente, cuncti simul super genua eius caderent, semper bonum, semper affabilem, pro omnium salute, sicut decuit, inuigilasse clamantes. Prouideat ergo, ait, vobis Dominus Deus meus pastorem dignum se. Tunc imperato silentio paululum requieuit, &c. Orans iugiter, & intrantes singulos benedicens, vsque ad extremam horam sana mente permansit. Postremo die Kal. Ianuarias post peractam vesperam, beatum spiritum feliciter in manibus Domini tradidit, &c.* His ille præmissis, antequam decederet, sibi à suis, si quà eos offendisset, veniam donari exposcens, vir tandem beatissimus, in omne patientiæ, ac pœnitentiæ studium, & obsequium effusus, benignus cunctis, ac facilis, sibi duntaxat rigidus, atque austerus, ad æternitatem properans, diem feliciter clausit.

Illa ipsi frequens oratio: Domine da modo patientiam & postea indulgētiā

Quid medicis balnea ipsi suadentibus respōdit.

Iam moriturus veniam à fratribus humiliter poscit.

Suorum curam gerens Deo ipsos commendat.

Atquè Dei patientia, ac pœnitentia fulget.

15 Et tantum siquidem Christiani olim pœnitentiæ subsidio præfidentes, in humili peccatorum confessione spem habuere, vt nihil ipsis sub vitæ finem cordi magis, ac vsui solemne fuerit, quā sua humiliter in confessione sacerdoti reuelare peccata, quo exoptatam à Deo veniam consequerentur. Quod Dacco præsertim, Childeberti Regis Francorum, an. 3. & 17. Guntherani regis, ipsius patrui egregiè præstitit, qui per dolos insidijs ad mortem appetitus, sacramentali mortem confessione præuenire sategit, de quo isthæc Turonensis: *Dacco* (inquit) *nobilis Dux insidijs Dracceleni Ducis captus, cum occidendus esset, vocato presbytero, ab eodem pœnitentiam petijt, qua accepta interfectus est.* Nec quispiam mirabitur in homine vel sub ipsius mortis conspectũ tantam pro culparũ exemologesi instituenda sollicitudinem, si antiquorũ probè Christianorum, piamq. consuetudinem probe ex historiarum tabulis meminerit: *Vigebat quippe* (ait Baronius) *pius vsus, vt absque peccatorum remissione à Deo per Sacerdotem accepta nemo ex hac vita migraret.*) Congruè autem ipsius animæ saluti cum iam de vita corporis actum est, opportunè cōsultum volebant.

Baronius an. 581. n. 14.

Humilis peccatorum confessio sāctis hominibus sub vitæ exitum frequens.

Gregorius Turonensis hist. Franc.

Dacco Frācorum Regis patruus interficiendus sacerdoti culpas in confessione aperit.

Baronius vbi supra n. 14.

Pius apud Christianos sacramentaliter confitendi vsus.

16 Pœnitentia quippè Peccatoribus ad iustā Dei iram placandam pernecessaria, magnam quoq; ad ipsius impetrandā misericordiam homini spem affert, vt ex eo satis, superquè ostenditur, quod Deus nimirū lacrymis plerumquè victus, emollitusq; dum cordis compunctionem respicit, ad superna nobis exhibenda pietatis dona, propulsandaquè longiùs indignationis iacula flecti non dedignatur. Quapropter ab ipsius Dei flagella, si

quæ

Cordis cōpunctio gra. ta in primis Deo.

quæ imminent, manu protinus cadunt, vbi contrito corde ab homine diuina implotatur clementia. Hinc Sanctissimus ille, ac verè magnus Romanos inter Pontifices Gregorius, dum acerba olim Romæ lues grassaretur, supremam Vrbi vastitatem intentans, ac mors vbiquè cuncta depascens quotidiè inualesceret, suis peccatores ad cordis compunctionem verbis inducere, eorundemquè ad dolendum pervtiliter animos excitare contendens, cunctos ad arripienda salubriter pœnitentiæ arma, vel inter crebra morientium funera exhortari non destitit, quò miseri citam, atque exoptatam à Deo veniam consequerentur. Sed ipsius hìc saluberrima, vtpotè pœnitentibus ad cœlum expugnandum verba repetamus; hæc enim habet: *Oportet (inquit) fratres charissimi, vt flagella Dei, quæ metuere ventura debuimus, saltem præsentia, & experta timeamus. Conuersionis nobis aditum dolor aperiat, & cordis nostri duritiem ipsa iam, quam patimur, pœna dissoluat, vt enim Propheta teste prædictum est: Peruenit gladius vsquè ad animam. Ecce enim cuncta plebs cœlestis iræ mucrone percutitur, & repentina singuli cade vastantur; nec languor mortem præuenit, sed languoris moras (vt cernitis) mors præcurrit. Percussus quisque ante rapitur, quàm ad lamenta Pœnitentiæ conuertatur. Pensate ergo, qualis ad conspectum districti Iudicis perueniit, cui non vacat flere, quod fecit, habitatores quippè non ex parte subtrahuntur, sed pariter corruentes domus vacuæ relinquuntur, filiorum funera parentes aspiciunt, & sui eos ad interitum heredes præcedunt. Vnusquisque ergò nostrum ad pœnitentiæ lamenta confugiat, dum flere ante percussionem vacat. Reuocemus antè oculos mentis, quod errando commisimus, & quod nequitèr egimus, flendo puniamus. Præueniamus faciem eius in confessione, & sicut Propheta admonet: leuentur corda nostra cum manibus ad Dominum; ad eum quippè corda cum manibus leuare, est orationis nostræ studium cum merito bonæ operationis erigere. Dat profectò, dat tremori nostro fiduciam, qui per Prophetam clamat: nolo mortem peccatoris, sed vt conuertatur, & viuat. Veternosas namque Niniuitarum culpas triduana pœnitentia aspersit, & conuersus latro vitæ præmia in ipsa sententia suæ mortis emeruit.* Niniuitarum itaquè, ipsiusquè latronis exemplo, quibus opportunè post peccata pœnitentiæ subsidium è cœlo præsto fuit, peccantes ad Dei fiduciam validè, ac efficaciter excitat, sed quæ in rem præsentem aptè Sanctissimus vir prosequitur, excipiamus: *Leuemus (inquit) corda, & præsumamus nos iam percepisse, quod petimus. Citiùs ad precem Iudex flectitur, si à prauitate sua petitor corrigatur. Imminente ergò tanta animaduersionis gladio nos importunis fletibus insistamus. Ea namque, quæ ingrata esse hominibus importunitas solet, Iudici veritatis placet; quia pius, & misericors Deus à se vult veniam precibus exigi, qui quantum meremur, non vult irasci. Hinc etenim per Psalmistam dicitur: Inuoca me in die tribulationis tuę, & eripiam te, & magnificabis me. Ipse ergò sibi testis est, quia inuocantibus misereri desiderat, qui monet, vt inuocetur. Proindè fratres charissimi contrito corde, et correctis operibus crastina die primo diluculo ad septiformem litaniam iuxta distributionem inferiùs conueniamus, &c.* His planè exertum, ac impendentem ceruicibus diuinæ animaduersionis gladium, non nisi pœnitentiæ, lacrymis, precibusquè, ac intimo cordis sensu à reorum procul capite auertendũ, & ad experiendum propitium sibi numen inculcat, si homines videlicèt pœnitentiæ armis suffulti, Deum, quem suis pridem culpis, malisquè actibus exacerbarunt, flentes, ac toto dolentes corde requirant.

Baron. ann. 590. nu. 11.

Cōpunctos à periculis releuat, ei, que sua dona largitur.

Gregorius in regest. lib. 11. cap. 2.

Oportet iuxta Magni Gregorii dictũ præsentia Dei flagella metuere.

Manifestum irati numinis signum, si quis peccata, quæ ad misit moriturus flere non potest.

Threnorũ cap. 3.

Non vult Deus flagellando mortem peccatoris, sed vt cōuertatur, & viuat.

Ezechie cap. 18.

Matth. c. 17.

Niniuitarũ & latronis exemplo ostenditur.

Gregor. vbi supra.

Ingrata hominibus esse importunitas solet, at Deo accepta.

Psalm. 49.

Deus ideo monet, vt ab hominibus inuocetur.

Gregorius lue in vrbe laborantes ad pœnitẽtiã inuitat.

17. Enim verò quod sua vnicuique in finem vsquè vitæ peccata seriò lugẽda, ac pensanda amarulenter sint, cum magnam tunc potissimùm temporis pœnitentiæ luctus spem homini afferat, idem Gregorius Gregoriam Augustæ cubicularium, fœminam piam æquè, ac nobilẽ, suis ipsum litteris de salutis negotio percontantem admonens, his planè verbis, ac sapienter pro responso edocuit: *Quod (inquit) dulcedo tua in tuis epistolis subiunxit, importunam se mihi existere, quà ad vsque scribam mihi esse reuelatum, quia peccata tua dimissa sunt; rem & difficilem etiã, & inutilem postulasti: difficilem quidem, quia indignus sum, cui reuelatio fieri debeat; inutilem verò, quia secura de peccatis tuis fieri non debes, nisi cum iam in die vitę tuæ vltimo plãgere eadem peccata minimè valebis. Quę dies quousquè veniat, semper suspecta,*

Baron. ann. 597. nu. 12.

Inter flagella hominibus lugentibus spes veniæ Dei munere subest.

Gregor. lib. 6 epist. 22. indic. 15.

Gregorius Gregoriæ, quæ apud Augustum cubicularia munus gerebat quid de salutis negotio percontãti respondeat.

spectas, semper trepida metuere culpas debes, atque eas quotidianis fletibus lauare, &c. Quod paribus item Augustinus aliquandò verbis inculcans: *Semper* (inquit) *doleat pœnitens, & de dolore gaudeat.*

Nemo iuxta Gregorij dictum de dimissis culpis securus debet fieri.

18. Tanti siquidem ad releuandum cot hominis inter ipsas mortis angustias Pœnitentiæ virtus momenti est, vt viri sanctitate præcipui, qui Deo fidelitèr inseruiebāt, bonisquè diù se operibus laudabiliter exercuerant, cum proximus iam sibi è vita instaret exitus, nil antiquiùs, magisquè in votis habuerint, quàm pio Pœnitentium more, ac ritu, Deo ianuam pulsanti, obuiam ire, eidemque vocanti occurrere. Quapropter Henricus Bauariorum Dux, ac primus huius nominis Romanorum subindè Imperator, qui ab Ottone Tertio Germaniç regno donatus, & à S. Volphango Ratisponensi Episcopo educatus fuerat, cum aliquandò per visum eodem sibi apparente, anceps quoddam accepisset oraculum, quo propinquam sibi mortem prænunciatam credidit, vt magna suffultus spe, ac fiducia se ad impendentem è vita exitum probè compararet, totus pœnitentiæ operibus incumbens supremum præuenire diem, & sic mortis ipsius lenire angustias curauit. Hoc igitur præstito, dum Princeps Deo totus intendit, sibiquè impensiùs vacat, haud mortem, vt credebat, imò sortem planè optatissimam incurrit, ac Imperij sceptrum designato postmodùm tempore diuinitùs accepit, vt in S. Vvolphangi gestis hunc in modum traditur: *Enrico Regi, antequam esset Imperator S. Vuolphangus apparuit dormienti. Videbatur illi sibi in S. Emmerani Ecclesia esse, atque orandi causa Beati Vuolphanghi adire sepulchrum, ibi verò Deum, & S. Vuolphangum orans, visus est sibi videre eum adstare, & hunc in modum ipsum appellare: Aspice diligenter characteres in muro, qui est apud tumulum meum, exaratos: Vidit ille, nec aliud legit, quàm:* Post sex. *Expergefactus verò summoperè incumbebat ad earum dictionum apprehendendam significationem. Primùm igitur suspicatus se post sex dies moriturum, multa largitus est pauperibus. At sex euolutis diebus, cum nihil in corpore sentiret molestiæ, ad sex menses attinere arbitrabatur, tumquè se obiturum credebat. Sed neque tum male se valere sentiens, ad sex annos earum dictionum significationem retulit. Porrò sex annis iam expletis, septimo anno à Pontifice Maximo Imperator vnctus est. Atque tum demum animaduertens, quid sibi ea verba vellent, gratias egit Deo, & Beato Vuolphango, quod sibi reuelare dignatus esset ea se dignitate potiturum.* Hæc ibi. Ita planè Princeps Sanctissimus longè contrarijs votis, dum responsum se mortis è cœlo habuisse existimat non nisi certam è proximo venturæ felicitatis spem, ac certum vnà simul è cœlo tum omen, tum oraculum accepit, & dum pœnitentiæ operibus mortem sollicitus præuenire curat, Romani pro mercede Imperij sceptrum meruit obtinere.

Baron. ann. 1007, nu. 1.

Peccator semper de peccato doleat, & de dolore gaudeat.

Hēricus Bauariorū dux & postea Romanorū princeps quā pro die mortis, & hora sollicitus.

A S. Vuolphango ad eius sepulchrum orans ambiguis verbis admonitus, mortem pœnitēdo præuenit.

In gestis S. Vuolphāghi apud Suriū 31. Octobris tom. 5.

Expergefactus è somno duo in pariete verba, *post sex*, legens, post sex dies se moriturum credidit.

Numerum deinde dierum ad heb domadas, subinde ad menses, demum ad annos interpretādo protendit.

Seruatus à Deo, & à morte liber post sex annos Romano Inperio diuinitùs præficitur.

19. Porrò ne ingrato ipsius hìc Henrici incunabula, & vitæ dignè, ac laudabiliter institutæ primordia silentio prætereamus, Rupertus Abbas, ipsum à Sancto Vvolphango Ratisponensi Episcopo educatum his versibus tradit.

> —— *Nutrit præclarum Vuolphangus alumnum,*
> *Qui sequitur Dominum toto conamine Christum.*

Sanctissimus quippè Præsul, qui inter cętera charismatum dona prophetiæ spiritu pollebat, hæc illi de consequendo regno longè antè prædixit, vt præmemoratus his auctor verbis meminit: *Cum ad eum* (inquit) *ob impertiendam benedictionem (vt crebrò solebat) adductus esset, speciosissimam eius prolem Henricum, qui postea Dei nutu factus est Imperator, Regem appellauit, fratrem eius Brunonem vocauit Antistitem, sororem eius natu maiorem Reginam, minorem, quam ipse baptizauit, & de sacro Fonte suscepit, Abbatissam.* Quæ quidem omnia (vt Baronius docet) sicut prædixit, & re ipsa patuit, suis deindè temporibus euenere. Henricus itaquè è mortis potissimùm impendentis obiectu, per visum præsagiendo coniectans, ingentem sibi pœnitentiæ operibus insistendo meritorum cumulum & penes Deum fiduciam lucratus, ad Sanctitatis vsque apicem throno postmodùm euectus, & si adhuc in sæculo degens peruenit.

Quid Rupertus Abbas de Hērico, qui sanctitatis, & Imperij apicem attigit.

Rupert. Abbas cap. 10. apud Suriū die 16. Martij tom. 2.

Multiplices ipsi honores ac gētilibus suis prædicit.

Baron. ann. 1003. nu. 8.

Summa Hērico bona cum mortis metu veuere.

20. Idem planè Ferdinando item Castellæ Regi ante obitum, dum pœnitentiæ addictus operibus se ad exitum sollicitus parat, contigisse Lucas Tuden-sis

Baron. ann. 1065. n. 61. & 62.

Ferdinando Castellæ Regi salubris quidē maximè mortis memoria extitit.

fis, his quidem verbis tradit: *Ferdinandus* (inquit) *Castellæ Rex, & Legionis, qui catholicè Regnum gubernauit, & se ipsum pressum pudicitiæ freno funditus eruditum reddidit, illucescente Natiuitatis die filij Dei, se artubus deficere prospiciens, Missam cantari petijt, & percepta Corporis, & Sanguinis Christi participatione, ad lectum manibus deducitur sustentantium. In crastinū verò luce adueniente sciens, quod futurum erat, vocauit ad se Episcopos, & Abbates quoscunque Religiosos viros, vt exitum suū confirmarent. Vnà cum eis ad Ecclesiam defertur ornatus cultu regio, & corona aurea imposita capiti. Deindè fixis genibus ad altare S. Ioannis, & coram SS. corporibus, scilicet Isidori Cōfessoris, & Vincentij Martyris clara voce ad Dominum dixit: Tua est potestas, tuum est Regnum, tu es super omnes Reges, tuo Imperio omnia Regna cælestia, & terrestria subduntur; Regnum, quod à te dominante accepi, & quandiù tuę liberæ voluntati placuit, rexi, ecce reddo tibi: tantùm animam meam de voragine ipsius mundi ereptam, vt ipsam ad te suscipias deprecor. Et hæc dicens exuit regalem clamydem, qua induebatur corpus, deposuit, & gemmatam coronam, qua caput ambiebatur, atque cum lacrymis solo prostratus, pro delictorum venia Dominum attentiùs exorabat. Tunc ab Episcopis accepta pœnitentia, extrema vnctionis Sacramento perunctus induitur cilicio pro ornamēto regali, & aspergitur cinere pro aureo diademate, cui vitali pœnitentia permanenti coram prædicto Altari duobus diebus à Deo viuere datur. Sequenti autem die, quæ est feria tertia, hora diei sexta, in qua S. Ioannis Euangelistę festum celebratur, inter manus Pontificum cœlo, vt credimus tradidit spiritum.* Hæc auctor. Vir itaquè clarissimus non tam regali pompa, regia videlicet clamyde, ac sceptro ornatus, quam cilicio (quod pœnitentes decet) indutus, ac lacrymis largè perfusus, aduentanti festinus morti occurrerę voluit, vt Deum sibi sub rudi, austeroquè pœnitentiæ cultu propitium redderet.

Lucas Tudensis Diac. in Ferdinādi gestis.

Natalitio Christi die ad Ecclesiā suorum manibus sustentatus pergit.

Sacrosancto Christi corpore ad subeundam è proximo mortē, præmunitur.

Humi procumbēs regiam clamydem regno se abdicās exuit.

Veniā pro delictis exposcit.

Duobus diebus viuit ante Sacrum Altare.

Festo S. Ioānis Euangelistæ die Deo spiritū reddit.

21. Pœnitentia igitur decedentium singulare subsidium, præteritorum illicò laborum obliuionem inducit. Homo quippè, dum repromissam sibi præmiorū à Deo mercedem cogitat, actūū quidquid in terris laborando sustinet, Cœlum suspiciendo obliuiscitur, vt Petrus Damiani de viro Regijs olim infulis claro his planè verbis meminit: *Scotigenarum Rex* (inquit ille) *primæuo adolescentię flore pubescens, quia pater obijt, ei mox in regalis fastigij solio successit, sed cum sollicitè consideraret, quàm fragile sit, quidquid in hoc sæculo tumet, quàm labile, quod supereminet, quàm velociter extinguibile sit omne, quod splendet, cum coniugatus iam esset, decreuit regales infulas Regni cęlestis amore deponere, coronam caputio, purpuram cuculllo mutare. Quid plura? simulat orationis studium, aggreditur expectationis humanæ principium; Apostolicorum itaquè liminum deuotione completa, & ignorante clientium comitatu, monasticum habitum latentèr induit, & sic à se mundum cum regno, benè semetipsum furatus, abiecit. Qui mox languore percussus ad extrema peruenit, & vsque ad obitum hoc tanquam fœderatę contentionis elogium inclamare non destitit: Domine feci, quod præcepisti, imple, quod promisisti. Quidquid aliud ei ab alio diceretur; ab hac voce velut exactione dabiti non cessabat. Nimirùm in vinea constitutus reposcebat vnum, quia patris familias se nouit implesse præceptum. Et licèt in vndecima hora fuisset conductus, exigebat requiem post laborem, & expleta operatione reposcebat mercedem.* Spes quippè prœmij (vt Sanctus ille aiebat) *vim laboris minuit*, ac satis rigidum pœnitentiæ iugum, omnisque susceptarum pro culpis pœnarum amaritudo, mercedis, ac prœmiorum magnitudine nedum grata fit, sed & suauiter vnicuique præ manibus dulcescit.

Pœnitentia laborum obliuionem suis inducit, & leuamen to est.

Petrus Damiani in epist. vt in spec. magno exemplorum distinct. 1. exem. 103.

Scotigenarum Rex mortis memor ad pœnitentiam conuolans, coronā caputio, purpuram cucullo permutat.

Ad Apostolorum limina profectus, Apostolorū exēpla sectatus.

Gregorius in moral.

Haud multo post languore perculsus inter moriendum verba illa præfidenter Deo repetit *Domine* (inquit) *feci quod iussisti, redde quod promisisti*, & sic lętus decessit.

22. Quod vt aliorum quoque virorum Principum, & Imperiali præsertim culmine præcellentium, qui pœnitentiæ laudabiliter operibus inhæserunt, exemplo comprobetur. Otho Imperator ab Innocentio Papa III. iustissimè anathematis iaculo perculsus; sed vir misericordiæ exercendæ apprimè deditus antequā decederet, illud Dei munere obtinuit, vt se ipsum agnoscens, ac seriò quæ admiserat, deflens, ad matris Ecclesiæ sinum conuolaret. Enimverò sub vitæ finem compunctus, suasquè (vt par est) execratus vitæ culpas, eum in modum indoluit, ac se abiecit, vt cunctorum se pedibus proculcandum, non secus ac vilissimam pulue-

Rainald. an. 1218. nu. 37.

Otho Imperator se ipsum deflens veniā moriturus consequitur.

puluerem, probrisquè cunctis dignum offerret; caverò moriturus contriti cordis signa exhibuit, vt peccatorum exoptatam à Deo veniam accipere tandem meruerit; de quo isthæc summatim Vuspergensis narrat: *Anno* (inquit) *Domini M. CC. VIII. Otho Imperator obijt*; cui & Albertus Stadensis in hæc verba adstipulatur: *Anno Domini M. CC. XIII. Otho Imperator anno Regni sui XX. in Castro Harterſburg ineffabili contritione compunctus, ità vt coquinarijs suis præciperet, vt collum suũ conculcarent XIIII. Kalendas Iunij obijt, à Sifrido Hildensemensi Episcopo absolutus. Hanc absolutionem Papa Honorius confirmauit; sepultus autem est in Brunsuuich. Castrum Vuorda à Bremensis Ecclesiæ ministerialibus occupatur. Rex Fridericus Herefordiæ celebrata curia in Imperio confirmauit.* Hæc Scriptor de Othone, qui pœnitentiæ subsidio, dum vitæ finis instaret, Deo, ac Ecclesiæ reconciliatus, de se haud dubiam cunctis spem salutis reliquit. Rei verò eiusmodi fidem ostensa postmodùm visa satis superquè confirmant, Insequenti enim eius obitum anno pijssimæ Christi famulæ, Othonis videlicèt materteræ visum cœlitùs obiectũ est, à qua Imperatoris anima primùm suffragia exposcere, dein purgatorij pœnis soluta maximas rependere gratias visa est. Quod sanè visum à Thoma Cantipratensi his verbis describitur.

Vuspergens. in Chronic. Stad.

Mira Othonis in se deprimẽdo cõpunctionis exempla.

Albert. Stadensis.

Magna pœnitentiæ vi Deo, ac Ecclesiæ conciliatus.

Apparens eius anima precum suffragia à Matertera poscens purgatorij pœnis absolutur.

23. *Othone* (inquit) *Imperatore mortuo, quedam cognata eius in monasterio Virginum præerat, quæ zelo castimoniæ circà subditas mirè feruebat. Obseruans ergò die quodam fenestram locutorij, summo manè quendam leuiter pulsantem audiuit, qua aperta, ecce Imperator apparens matertera dixit: Defunctus ego sum, & in purgatorio pœnis excrucior. Dirigas ergò nuncios ad diuersa, & deuota cænobia, & decies mille psalteria pro me legi facias, itavt ad singulos psalmos decem ictuum disciplinæ, & ad vnumquemque versum addatur salutatio Angelica Aue Maria, & Oratio Dominica Pater noster; Psalmus verò De profundis, quando accipitur disciplina, dicatur. Talibus remedijs post mortem viuens meruit liberari. Et nota, quod idem Otho benignissimus Imperator anno precedente mortem suam, infinitam annonam tempore caristię diuersis Monasterijs, & pauperibus diuiserat larga manu.* Quæ quidem misericordiæ ab ipso in famelicos pauperes exhibitæ opera in causa procul dubio fuere, vt Deum sibi in morte propitium sortiretur, vti opportunè scriptor lectori ob oculos ponit. His autem illud Psalmistæ oraculum appositè consonat: *Beatus qui intelligit super egenum, & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus.* Qui ergò misericordiam in hoc sæculo ergà miseros, ac pauperes præstitit, sibi quoque hanc in altero sæculo impẽdi promeruit. Sed interim reliqua, quæ à Cantipratensi narrantur, opportunè hìc à nobis subtexenda videntur.

Thomas Cantiprat lib. 2. cap. 53. n. 19

Quãtę sanctitatis fœminæ, cui animarũ status patebat.

Quali pius Rex à fœminapto sui expiatione exposcit.

Misericordięoperibus tutum vitæ finem meruit.

Psal. 40.

24. *Nec mora* (inquit) *missis nuncijs, vt præcepit materterę, negotium eius ab omnibus summa cum deuotione susceptum est, & perfectum. Apparens ergò dicta materterę ad eundem locum fenestrę, quem diximus, in aurora tanta claritate circumdatus est, vt illa nullo modo eum cerneret, sed audiuit: Gratias reddo tibi, & pro me misericordiosissimo Domino gratias age, quia iam à pœnis ereptus ad gloriam transeo sempiternã. Nec mireris lector, quia ab illis audiui, qui interfuerunt diutino languori eius, & morti, quod omni die Sacerdotibus Christi dorsum suum tradidit flagellandum, & eius contritio tanta fuit, vt ille, cuius superiùs fecimus mentionem, verè dignus Conradus Hildesemensis Episcopus testaretur vix se posse credere, quod Otho Imperator post tantam contritionis pœnitentiam, vel ad horam post mortem Purgatorium sustineret.* Hæc auctor de recolendo Imperatoris exitu, qui christiano ritu, ac pœnitentis in morem, magnisquè expiatus lacrymis è vita decessit, in suis scriptis paginis testata reliquit.

Cãtipratan. vbi supra.

Iterum materteræ ipsius anima apparens di gnas ipsi gratias pro precibus exoluit.

Splendore circundatus haud oculis videri potuit.

Quid Cantipratanus de ipso referat.

Decumbens Imperator, ac vehemẽter compunctus singulis diebus suũ Christi Sacerdotibus dorsum flagellandum præbet.

25. Huic Vuilhelmus Comes Saresberiensis iure meritò sociandus est, qui arridentibus prosperis, sæculari fretus potentia (quod humanæ vitæ, ac imbecillitatis conditio est) in Dei legem peccauerat, sed tandẽ sub vitæ finẽ, Deo miserante, ad bonam traductus frugem, mirum compuncti, ac pœnitentis animi de se cunctis exemplum præbuit. Auito enim Episcopo sollicitè per nuncium euocato, & se coram eo valdè peccatis obnoxium contestatus, ac Sacramentis Ecclesiæ, quibus tunc præmuniri cupiebat, omninò indignũ, lacrymis ora perfusus, ac fin-

Rainald. an. 1226. n. 48

Vuilhelmus Comes Saresberiensis peccata sub vitę finem digno deflet

ac singultibus iugiter vacans, felicem mortali è vita discessum, miraculorum insuper portentis à Deo insignitus obtinuit, vt Anonymus vitæ Ludouici Fræcorum Regis Scriptor his verbis narrat. *Inualescente demum (inquit) ægritudine, cum certissima suæ necis indicia cognouisset, fecit Episcopum Ciuitatis ad se venire, vt ea, quæ Christiani sunt, in confessione, & viatico susciperet, & legitimum de rebus habitis conficeret testamentum. Intrante autem Episcopo thalamum, in quo iacebat Comes nudus omninò præter femoralia, contrà eum Corpus Domini ferentem, ex lecto prosiliens, asperrimumquè laqueum circà collum connectens, cum ingi lacrymarum effusione se prostrauit in pauimentum, Summi Regis se esse proditorem contestans, nec de loco moueri voluit, nisi facta confessione, & viuifici Sacramenti percepta communione, vt se sui seruum ostenderet Creatoris; & sic per dies aliquot in suprema perseuerans pœnitentia, spiritum suo reddidit Redemptori; Contigit autem, quod dum de castello ad nouam Ecclesiam per vnum milliare corpus eius ad tumulandum portaretur, cerei, qui cum cruce, & thuribulo de more portabantur, accensi inter pluuiarum effusiones, & ventorum turbines lumen continuum in itinere ministrarent, vt apertè ostenderent, Comitem tã arduè pœnitentem ad lucis filios pertinere.* Sic profectò pœnitentiæ salutaris, quæ Christianos decet, argumentũ haud vulgare spectantibus, ac exhibitæ sibi insuper à Deo pietatis haud obscurum signũ accensis persistentibus inter pluuiarum, ventorumquè turbines cereis, è cœlo diuinitùs affulsit, vt verum, ac constans illud Sapientis comprobaretur oraculum, quo ad diluendas grauiores quasque animi labes vis charitatis extollitur: *Nec flumina (inquit) obruent illam.*

Honor. PP. III. ep. 327.

Nedũ peccatorum venia, sed miraculorum gratia donatus.

E lecto pro filit Christi corporis Sacramento suscepturus.

Se summi Regis proditorem testatur.

Corpus ipsius dũ per milliare ad tumulandũ portatur, cerei inter ventos, & pluuias non extinguuntur.

Cant. cap. 3.

26. Congruè autem vir tantus sub ipsum vitæ finem eiusmodi contritionis vi, Deo largiente, donatus est, vt potè, qui B. Virg. obsequio apprimè addictus, dum adhuc viueret, diuinitùs quondam nec magno absquè portento medijs è fluctibus liber euaserat, vt Parisius his verbis ait: *Per idem tempus Vuilhelmus Comes Saresberiensis, qui cum Comite Richardo intrauerat in partibus transmarinis, ad Angliam transiturus, naues intrauit. Sed cum longo maris periculo, & ventorum turbinibus per dies plurimos, & noctes in partes diuersas iactaretur cum ipsis nautis, & alijs omnibus, qui in naui erant, de vita desperatus, annulos pretiosos, & quæcunque in auro, vel argento, aut pretiosis vestibus possidebat, fluctibus pelagi commisit, vt sicut ad vitam nudus intrauit temporalem, ità ab omni honore terreno spoliatus ad patriam transiret æternam. Et cum in suprema fuisset desperatione constitutus, visus est cereus ingens, & magno splendore coruscans ab omnibus, qui in naui periclitabãtur, in summitate mali. Et iuxtà cereum stantem viderunt puellam quandam nimia pulchritudine decoratam, quæ lumen cerei, quod nocturnas tenebras illustrabat, à ventorum, pluuiarumquè irruentium robore conseruaret præclarum. Ex hac quoque cœlestis visione claritatis, tam Comes ipse, quàm nautæ omnes securitate concepta, diuinum sibi adesse auxilium confidebant. Et cum vniuersi, qui in naui erant, quid hæc visio portenderet, ignorarent, solus Vuilhelmus Comes præfatus huius benignitatis gratiam B. Mariæ Virgini assignauit. Siquidem Comes supradictus die, qua primo donatus fuerat cingulo militari, cereum vnum antè Altare Beatissimæ Matris Dei assignauit, vt ad Missam, quæ diebus singulis in honorem eiusdem Dei genitricis cum horis canonicis deuotè solent decantari, iugiter arderet, vt pro lumine temporali lucem sibi commutaret æternam.* Hæc Parisius de homine diuinis portentorum signis inter pelagi fluctus Deiparæ Virginis ope seruato, cui illa præostenso cerei splendore optatam patrocinij lucẽ inter pelagi vndas pericliranti monstrauit, & cereum ventorum inter turbines inoffensum seruando, suam illi auxiliarẽ vltrò manum visa est præsignasse, ac demùm nouis, insuetatisquè portentorum indicijs se quoque sub vitæ finem propitiam decedenti adfuisse, illibatis, dum corpus tumulo inferretur cereis, mirum in modum demonstrauit.

Vuilhelmus Virg. Deiparæ obsequio addictissimus.

Raineld. an. 1225. nu. 37.

Paris. Vuestm. ann. 1224.

Certo quondam Deiparæ patrocinio manaris naufragio liberatur.

Dum tempestate maximè iactaretur, cereus in summo nauis malo resplendens cernitur.

Puella item nerẽpulchritudinis iuxtà cereum se illi ostendit.

Viso releuatus Vuilhelmus Virginis patrocinium agnoscit.

Salutẽ procul dubio ipsi refundendam lux diuinitus ostensa designabat.

27. Pari quoque ipsius Dei benignitate suffultus Ioannes de Bresne Imperator, cuius prudentia, ac robore Constantinopolitana Vrbs, à Vatacio, & Asane obsessa, ab imminentis propemodùm vastitatis excidio erepta fuit, cœlestibus primùm visis admonitus, ac obtinendæ veniæ suffultus spe, regio deposito fastu, abiectaque sæculi pompa, ac omni rerum futi-

Ioannes de Bresne Imperator Grecorũ ad pœnitentiam inter aduersa confugit.

Baronius ann. 391. num. 1.

Suprema vitæ dies aditum ipsi pro religione pugnanti ad immortalitatem fecit.

mè laudandus est, quod cum missis Senatores ethnici pro restituẽdis inanium Deorum aris, & sacrificijs, ad ipsum legatis ob id vnum apud ipsum contenderent, iste contrà ingentes pro orthodoxa religione animos præseferens, ac se ipso in dies robustior, ipsomet, qui eius è vita exitum anteceffit, die suas audacter, constanterquè aures à postulantibus amouit, nouissimo hoc fidelis in Deum animi, illibatæquè simul, quam mente gerebat, fidei testimonio supremum diem, ac totius vitæ periòdum dignè concludens, adeò vt egregio Princeps pijssimus edito pœnitentiæ signo, & quantùm à prauis alienus esset erroribus, ostendens, nobili cunctas anteactæ vitæ res gestas facto, veluti certo virtutum stabilire argumento videretur; quod disertis Ambrosius verbis in funebri oratione, quam in eius laudem habuit, sic meminit: *Solue ergo* (inquit) *serno tuo munus tuę gratię, quam ille nunquam negauit: qui ante diem mortis templorum priuilegia negauit insurgentibus, quos revereri posset. Adstabat virorum caterua gentilium, supplicabat Senatus. Non metuebat hominibus displicere in Christo.* Hæc Ambrosius, dum quàm constans, ac stabilis in bono esset post pœnitentiam Principis animus, inculcat.

Baronius vbi supra nu. 4.

Ambrosius funebri oratione Valentinianum celebrat.

Ambros. orat. in fun. Valentiniani.

Vt placeret Christo non timuit Imperator Romano Senatui, ac hominibus displicere.

6. Porrò Valentinianus Cathecumenus adhuc, & paulò ante quàm diem obiret, vna cum validis aduersus barbaros in Italiam irrumpentes armatorum copijs profecturus, ac sacro ante belli conflictũ baptismo initiari cupiens, Viennæ, cum in Gallia Ambrosium, quem patris loco tunc habuit, ad pœnitentiæ salutaris arma confugiens, & iam in agni sanguine dealbandus, vt ad eunctas diluendas vitæ culpas baptismalibus ab eo aquis expiaretur, Mediolano sollicitè accersendum curauit. Sed ipso adhuc in itinere constituto, proditorum appetitus insidijs per summum scelus, ac fraudem occisus est, vt rem planè tragicam Ambrosius non absque lacrymis meminit. Verùm quæ eius interitus causa præcesserit, si quæ apud Zosimum fides est, rem ille hunc in modum edisserendo describit: *Visus* (inquit) *Arbogastes subditis sibi militibus idoneus ob fortitudinem, reiquè bellicæ scientiam, & pecuniæ contemptum, magnam ad potentiam peruenit, adeoquè tantas erat, vt etiam aduersus Principem liberior esset, & quæcunque non rectè, nec vti par erat, fieri putabat, prohiberet. Ea Valentinianus permolestè ferens, reluctabatur quidem sæpius, sed nihil proficiebat; Nam Arbogastes omnium militum beneuolentia munitus erat. Tandem Valentinianus haud ferens amplius, vt huic subiectus esset, cum augusto in solio sedens accedentem videret Arbogastem, acerbiùs hominem limis aspiciens, literas porrigit, quibus imperium ipsi abrogabat. Iis ille perlectis, nec imperium mihi dedisti; ait, nec auferre poteris. Quibus prolatis, discerptoquè libello, & in terrã abiecto discedebat. Ex eo tempore non clanculum suspiciones alebantur, sed omnibus eorum inimicitiæ patebant*, donec Valentinianus gladio confossus (vt subdit) cum ageret militibus ludos, non ferro (vt ait) sed laqueo strangulatus obit. Id pariter Socrates testatur; perperã verò Sozomenus spontaneo ipsum laqueo vitam abrupisse affirmat, sed quia hoc eius cubicularij leui fama sparsissent, ad quod S. Hieronymus allusisse visus est, cum ait:

Baronius an. 392. num. 3.

Ambrosium pius Imperator patris loco semper coluit.

Viennã Ambrosium accersit baptismi aquis ibi initiandus.

Ambrosius vbi supra in fun. Valentiniani.

Insidijs præuentus cathecumenus decedit.

Zosimus lib. 4.

Quæ Valentini aui principes præcipuæ dotes.

Arbogasten infensum hostem nactus.

Variæ de ipsius morte Scriptorum sententiæ.

Baronius vbi supra num. 6.

Socrates lib. 5. cap. 14.

Sozomen. lib. 7. cap. 22.

7. *Adolescens Valentinianus, & penè puer post fugam, post exilia, post recuperatum multo sanguine Imperium, haud procul ab Vrbe fraternæ mortis conscia necatus est, & cadauer exanime suspendio infamatum.* Ambrosius verò, qui rerum Optimi Principis vel secretò gestarum probè cõscius fuit, in hoc longè dissentit, vt regius adolescens sibi manus consciuerit, probè vtique sciens id Arbogastis Comitis dolo factum, quem sua placare, si adesse illic contigisset, præsentia se potuisse affirmat; Ambrosiũ quippè ob eius sanctitatis famam ab ipso impensissimè obseruatum liquet; quem insuper ab eodem Ambrosio frequenter conuiuio exceptũ; qua item de re illum inter suæ gentis Reges sæpe ac sæpius gloriari solitum tradit de eo enim isthæc Paulinus: *Per idem* (inquit) *tempus Arbogastes Comes aduersus gentem suam, hoc est Francorum bellum parauit, atque pugnando non paruam multitudinem manu fudit; cum residuis verò pacem firmauit. Sed cum in conuiuio à Regibus gentis suæ interrogaretur, vtrum sciret Ambrosium, et respondisset nosse se virum, et diligi ab eo, atque frequenter cum illo conuiuari solitum audiuit: Ideo vincis omnes,* quia

Quid Ambrosius, ac Hieronymus sentiant.

S. Hieronymus epist. 3.

Ruffinus lib. 2. cap. 31.

Ambrosius ob sanctitatis meritum est Valentiniano charus.

Paulinus in vita S. Ambrosij Episc.

Arbogastes Comes eumdem impensè diligit, & cũ ipso conuiua- ri solitus.

quia ab illo viro diligeris, qui dicit Soli: sta, & stat. Hæc Paulinus in ipsius quidem Arbogastis gratiam, qui Ambrosio amicitia coniunctissimus fuerat, cui profectò ante immane perpetratum facinus cuncta prosperè cōtigisse liquet, adeò vt innumeris planè sit auctus, Deo aspirante victoriarum palmis, sed post illatam optimo Principi per dolos necem, *iusto* (vt Baronius ait) *sanguine in eum clamāte vindictam, semper in deteriora prolapsus est*.

Baronius vbi supra nu. 9.

Ideo cūctos armis vincere creditus, quia ab Ambrosio diligebatur.

8. Verùm enim verò quod ad recolendos, ac benè compositos Valentiniani mores attinet, suis eū Ambrosius, dignisque laudibus celebrat, delicta, quæ primum admisit, & maximè cum à matre deceptus Arianis faueret, silentio penitus obuoluens. Vir namque sapientissimus probè sciebat haud puerulo, sed Iustinæ Augustæ Arianę fœminæ, cuius tunc nutu cuncta peragebantur, eiuscemodi adscribenda piacula. Sed vt mores, qui Christiauum decent Principē, & quibus is probè, ac laudabiliter excultus fuit, hic meminerimus, certissimè quidē constat, virum hunc sic sectandæ Pœnitentiæ addictum, vt quæ sibi in alijs displicerent, hæc totis in se ipso animi viribus sedulo emendare studuerit, vt idē Ambrosius his verbis testatur: *Ferebatur primò* (inquit) *ludis Circensibus delectari; sic istud abstersit, vt nè solemnibus quidem Principum natalibus, vel Imperialis honoris gratia Circenses putaret esse celebrādos. Aiebant aliqui ferarum eum venationibus occupari, atque ab actibus publicis intentionem eius abduci; omnes feras vno momento iussit interfici*. Hæc de ipso Ambrosius constanter affirmat; Sanctissimum verò Præsulem *vel leuis mendacij* (vt Baronius ait) *folium eius coronæ laudum attexuisse, nefas est opinari; ac proinde quæ dixit, omni fide digna habenda sunt*; sed quæ insuper præco dignissimus iam recensitis in eius laudem addit, excipiamus.

Baronius vbi supra n. 7.

Valētiniani, si quæ puerilus admisit scelera, Iustinæ vipotē Arianæ ipsius matre instigāte patrata Ambrosius silētio præterit.

Ambros. orat. in funere Valentiniani.

Quæ Valentinianus pœnitentiæ virtute conspicuus se digna laudabiliter præstitit.

Pristinos vitæ mores in virtutis obsequium cōmutat.

Baronius vbi supra.

9. *Audire* (inquit) *in Consistorio negotia, & Danielis spiritu, in quibus dubitarent senes, vel personę alicuius contuitu ducerentur, congruam verò adolescentem videret ferre sententiam. Iactabant inuidi, quia præmaturè prandium peteret, cæpit ità frequentare ieiuniū, vt plerumque ipse impransus conuiuium solemne suis comitibus exhiberet, quo & Religioni sanctæ satisfaceret, & Principis humanitati*. Hæc profectò admirandæ ipsius, solideq; pietatis, quę modū vtpotè facere delicijs, ac seuerum diligere censorem, argumenta haud obscura sunt animi à vitijs omninò abhorrentis, ac viri, qui sua Pœnitentiæ iugo colla vltrò, libenterquè submittens, quæ quoquo modo corrigi postulabant, seriò apud se retractare, seueraque expēdere trutina didicisset, quęitē Ambrosius posteris clara laudum ipsius monimenta reliquit. Sed quæ de recolenda in primis castitate omni in viro principe admiratione digna subtexit, videamus: *Scenicæ* (inquit) *cuiusdam forma, ac decore deperire Romæ adolescentes nobiles nunciabātur: Iussit eam ad Comitatum venire. Missus pretio deprauatus, sine mādati effectu redyt. Alterum misit, ne voluisse emendare vitia adolescentum, & non potuisse videretur. Datus est obtrectandi aliquibus locus. Deductam tamen nunquam aut spectauit, aut vidit. Postea redire præcepit, vt omnes agnoscerent irritum eius non esse mandatum, & adolescentes doceret ab amore mulieris temperare, quam ipse, qui potuit habere in potestate, despexerat. Et hæc fecit, eum adhuc non haberet vxorem, & tamen exhiberet sui tanquam vinctus coniugio castitatem. Quis tam dominus serui, quàm ille sui corporis fuit? quis tam aliorum arbiter, quàm ille suæ censor ætatis? quid de pietate eius loquar? qui cum homines nobili ortos genere, & locupleti prosapia, quæ citò monere inuidiam solet regiæ cupiditatis, accusator vrgeret, Præfectus insisteret: respondit, vt nihil eructum sanctis præsertim diebus statueretur. Et cum post aliquot dies accusatoris legeretur libellus, calumniam pronunciaturus, accusatum liberè, donec Præfectus cognosceret, obseruari iussit; neque anteà, aut postea quisquam tanti criminis sub adolescente Imperatore formidauit inuidiam*. Hæc, & alia plura Ambrosius, qui in eo præcipuè totus est, vt pijssimi Imperatoris exemplum cunctis ob oculos suspiciendum, ęmulandumque proponat; Imperatoris, inquam, qui in ipso ætatis flore è vita præreptus, annum videlicet vigesimum circiter septimum ætatis agens (vt Baronius adnotat) & qui nonnisi annos sexdecim, menses sex, octo minùs diebus Imperium tenuit.

Quæ ipsi pridem crimini dabātur, virtutis studio per pœnitentiā laudi ad scribuntur.

Ambrosius vbi supra.

Iustitia causas expendit ieiunio diesq; transigit.

Seuerum sui censorem diligit.

Ambros. orat. in funere Valentiniani.

Insignis ipsius castitas.

Scenicā mulierem, quæ adolescentibus ruinæ erat occasio, à theatro amouet.

Nullus tam serui, quam sui ipse corporis dominus.

Pius princeps nil funestum sanctis diebus vult statuendum.

In ætatis flore decedens virtute, præ uenit ætatē.

Baronius vbi supra nu. 9

Baronius ann. 391. num. 1.

Suprema vitę dies aditum ipsi pro religione pugnāti ad immortalitatem fecit.

mè laudandus est, quod cum missis Senatores ethnici pro restituēdis inanium Deorum aris, & sacrificijs, ad ipsum legatis ob id vnum apud ipsum contenderent, iste contrà ingentes pro orthodoxa religione animos præseferens, ac se ipso in dies robustior, ipsomet, qui eius è vita exitum anteceßit, die suas audacter, constanterquè aures à postulantibus amouit, nouissimo hoc fidelis in Deum animi, illibatæquè simul, quam mente gerebat, fidei testimonio supremum diem, ac totius vitæ periòdum dignè concludens, adeò vt egregio Princeps pijssimus edito pœnitentiæ signo, & quantùm à prauis alienus esset erroribus, ostendens, nobili cunctas anteactæ vitæ res gestas facto, veluti certo virtutum stabilire argumento videretur; quod disertis Ambrosius verbis in funebri oratione, quam in eius laudem habuit, sic meminit: *Solue ergo* (inquit) *seruo tuo munus tuę gratię, quam ille nunquam negauit: qui ante diem mortis temporum priuilegia negauit insurgentibus, quos reuereri posset. Adstabat virorum caterua gentilium, supplicabat Senatus. Non metuebat hominibus displicere in Christo.* Hæc Ambrosius, dum quàm constans, ac stabilis in bono esset post pœnitentiam Principis animus, inculcat.

Baronius vbi supra nu. 4.

Ambrosius nebri oratione Valentinianum celebrat.

Ambros. orat. in fun. Valentiniani.

Vt placeret Christo non timuit Imperator Romano Senatui, ac hominibus displicere.

6. Porrò Valentinianus Cathecumenus adhuc, & paulò ante quàm diem obiret, vna cum validis aduersus barbaros in Italiam irrumpentes armatorum copijs profecturus, ac sacro ante belli conflictū baptismo initiari cupiens, Viennæ, cum in Gallia Ambrosium, quem patris loco tunc habuit, ad pœnitentiæ salutaris arma confugiens, & iam in agni sanguine dealbandus, vt ad cunctas diluendas vitæ culpas baptismalibus ab eo aquis expiaretur, Mediolano sollicitè accersendum curauit. Sed ipso adhuc in itinere constituto, proditorum appetitus insidijs per summum scelus, ac fraudem occisus est, vt rem planè tragicam Ambrosius non absque lacrymis meminit. Verùm quæ eius interitus causa præcesserit, si quæ apud Zosimum fides est, rem ille hunc in modum edisserendo describit: *Visus* (inquit) *Arbogastes subditis sibi militibus idoneus ob fortitudinem, reiquè bellicæ scientiam, & pecuniæ contemptum, magnam ad potentiam peruenit, adeoquè tantas erat, vt etiam aduersus Principem liberior esset, & quæcunque non rectè, nec vti par erat, fieri putabat, probiberet. Ea Valentinianus permolestè ferens, reluctabatur quidem sæpius, sed nihil proficiebat; Nam Arbogastes omnium militum beneuolentia munitus erat. Tandem Valentinianus haud ferens amplius, vt huic subiectus esset, cum augusto in solio sedens accedentem videret Arbogastem, acerbiùs hominem limis aspiciens, literas porrigit, quibus imperium ipsi abrogabat. Iis ille perlectis, nec imperium mihi dedisti; ait, nec auferre poteris. Quibus prolatis, discerptoquè libello, & in terrā abiecto discedebat. Ex eo tempore non clanculum suspiciones alebantur, sed omnibus eorum inimicitiæ patebant*, donec Valentinianus gladio confossus (vt subdit) cum ageret militibus ludos, non ferro (vt ait) sed laqueo strangulatus obit. Id pariter Socrates testatur; perperā verò Sozomenus spontaneo ipsum laqueo vitam abrupisse affirmat, sed quia hoc eius cubicularij leui fama sparsissent, ad quod S. Hieronymus allusisse visus est, cum ait:

Baronius an. 392. num. 3.

Ambrosium pius Imperator patris loco semper coluit.

Viennā Ambrosium accersit baptismi aquis ibi initiandus.

Ambrosius vbi supra in fun. Valentiniani.

Insidijs præuentus cathecumenus decedit.

Zozimus lib. 4.

Quæ Valentini aui principes præcipuæ dotes.

Arbogasten infensum hostem nactus.

Variæ de ipsius morte Scriptorum sententiæ.

Baronius vbi supra num. 6.

Socrates lib. 5. cap. 24.

Sozomen. lib. 7. cap. 22.

7. *Adolescens Valentinianus, & penè puer post fugam, post exilia, post recuperatum multo sanguine Imperium, haud procul ab Vrbe fraternæ mortis conscia necatus est, & cadauer exanime suspendio infamatum.* Ambrosius verò, qui rerum Optimi Principis vel secretò gestarum probè cōscius fuit, in hoc longè dissentit, vt regius adolescens sibi manus consciuerit, probè vtique sciens id Arbogastis Comitis dolo factum, quem sua placare, si adesse illic contigisset, præsentia se potuisse affirmat; Ambrosiū quippè ob eius sanctitatis famam ab ipso impensissimè obseruatum liquet; quem insuper ab eodem Ambrosio frequenter conuiuio exceptū; qua item de re illum inter suæ gentis Reges sæpe ac sæpius gloriari solitum tradit de eo enim isthæc Paulinus: *Per idem* (inquit) *tempus Arbogastes Comes aduersus gentem suam, hoc est Francorum bellum parauit, atque pugnando non paruam multitudinem manu fudit; cum residuis verò pacem firmauit. Sed cum in conuiuio à Regibus gentis suæ interrogaretur, vtrum sciret Ambrosium, et respondisset nosse se virum, et diligi ab eo, atque frequenter cum illo conuiuari solitum audiuit: Ideo vincis omnes,* quia

Quid Ambrosius, ac Hieronymus sentiant.

S. Hieronymus epist. 3.

Ruffinus lib. 2. cap. 31.

Ambrosius ob sanctitatis meritum est Valentiniano charus.

Paulinus in vita S. Ambrosij Episc.

Arbogastes Comes eumdem impensè diligit, & cū ipso conuiuari solitus.

quia ab illa viro diligeris, qui dicit Soli: sta, & stat. Hæc Paulinus in ipsius quidem Arbogastis gratiam, qui Ambrosio amicitia coniunctissimus fuerat, cui profecto ante immane perpetratum facinus cuncta prosperè cõtigisse liquet, adeò vt innumeris planè sit auctus, Deo aspirante victoriarum palmis, sed post illatam optimo Principi per dolos necem, *iusto* (vt Baronius ait) *sanguine in eum clamãte vindictam, semper in deteriora prolapsus est.*

Baronius ubi supra nu. 9.

Ideo cũctos armis vincere creditus, quia ab Ambrosio diligebatur.

8. Verùm enim verò quod ad recolendos, ac benè compositos Valentiniani mores attinet, suis eũ Ambrosius, dignisque laudibus celebrat, delicta, quæ primum admisit, & maximè cum à matre deceptus Arianis faueret, silentio penitus obuoluens. Vir namque sapientissimus probè sciebat haud puerulo, sed Iustinæ Augustæ Arianæ fœminæ, cuius tunc nutu cuncta peragebantur, eiuscemodi adscribenda piacula. Sed vt mores, qui Christianum decent Principẽ, & quibus is probè, ac laudabiliter excultus fuit, hic meminerimus, certissimè quidẽ constat, virum hunc sic sectandæ Pœnitentiæ addictum, vt quæ sibi in alijs displicerent, hæc totis in se ipso animi viribus sedulo emendare studuerit, vt idẽ Ambrosius his verbis testatur: *Ferebatur primò* (inquit) *ludis Circensibus delectari; sic istud abstersit, vt nè solemnibus quidem Principum natalibus, vel Imperialis honoris gratia Circenses putaret esse celebrãdos. Aiebant aliqui ferarum eum venationibus occupari, atque ab actibus publicis intentionem eius abduci; omnes feras vno momento iussit interfici.* Hæc de ipso Ambrosius constanter affirmat; Sanctissimum verò Præsulem *vel leuis mendacij* (vt Baronius ait) *folium eius coronæ laudum attexuisse, nefas est opinari; ac proinde quæ dixit, omni fide digna habenda sunt;* sed quæ insuper præco dignissimus iam recensitis in eius laudem addit, excipiamus.

Baronius ubi supra n. 7.

Valẽtiniani, si quæ puerulus admisit scelera, Iustinæ vipere Arianæ ipsius matre instigãte patrata Ambrosius silẽtio præterit.

Ambros. orat. in funere Valentiniani.

Quæ Valentinianus pœnitentiæ virtute conspiciuus se digna laudabiliter præstitit.

Pristinos vitæ mores in virtutis obsequium cõmutat.

Baronius ubi supra.

9. *Audire* (inquit) *in Consistorio negotia, & Danielis spiritu, in quibus dubitarent senes, vel personę alicuius contuitu dicerentur, congruam verò adolescentem videres ferre sententiam. Iactabant inuidi, quia præmaturè prandium peteret, cœpit ità frequentare ieiuniũ, vt plerumque ipse impransus conuinium solemne suis comitibus exhiberet, quo & Religioni sanctæ satisfaceret, & Principis humanitati.* Hæc profectò admirandæ ipsius, solideq; pietatis, queq; modũ vtporè facere delicijs, ac feuerum diligere censorem, argumenta haud obscura sunt animi à vitijs omninò abhorrentis, ac viri, qui sua Pœnitentiæ iugo colla vltrò, libenterquè submittens, quæ quoquo modo corrigi postulabant, seriò apud se retractare, seueraque expẽdere trutina didicisset, quę itẽ Ambrosius posteris clara laudum ipsius monimenta reliquit. Sed quæ de recolenda in primis castitate omni in viro principe admiratione digna subtexit, videamus: *Scenica* (inquit) *cuiusdam forma, ac decore deperire Romæ adolescentes nobiles nunciabãtur: Iussit, eam ad Comitatum venire. Missus pretio deprauatus, sine mãdati effectu redyt. Alterum misit, ne voluisse emendare vitia adolescentum, & non potuisse videretur. Datus est obtrectandi aliquibus locus. Deductam tamen nunquam aut spectauit, aut vidit. Postea redire præcepit, vt omnes agnoscerent irritum eius non esse mandatum, & adolescentes doceret ab amore mulieris temperare, quam ipse, qui potuit habere in potestate, despexerat. Et hæc fecit, cum adhuc non haberet vxorem, & tamen exhiberet se sui tanquam vinctus coniugio castitatem. Quis tam dominus serui, quàm ille sui corporis fuit? quis tam aliorum arbiter, quàm ille suæ censor ætatis? quid de pietate eius loquar? qui cum homines nobili ortos genere, & locupleti prosapia, quæ citò mouere inuidiam solet regia cupiditatis, accusator vrgeret, Præfectus insisteret: respondit, vt nihil cruẽtum sanctis præsertim diebus statueretur. Et cum post aliquot dies accusatoris legeretur libellus, calumniam pronunciaturus, accusatum liberè, donec Præfectus cognosceret, obseruari iussit; neque anteà, aut postea quisquam tanti criminis sub adolescente Imperatore formidauit inuidiam.* Hæc, & alia plura Ambrosius, qui in eo præcipuè totus est, vt pijssimi Imperatoris exemplum cunctis ob oculos suspiciendum, ęmulandumque proponat; Imperatoris, inquam, qui in ipso ætatis flore è vita præreptus, annum videlicet vigesimum circiter septimum ætatis agens (vt Baronius adnotat) & qui nonnisi annos sexdecim, menses sex, octo minùs diebus Imperium tenuit.

Quæ ipsi pridem crimini dabãtur, virtutis studio per pœniteutiã laudi ad scribuntur.

Ambrosius ubi supra.

Iustitia causas expendit ieiunio dies transigit.

Seuerum sui censorem diligit.

Ambros. orat. in funere Valentiniani.

Insignis ipsius castitas.

Scenicã mulierem, quæ adolescentibus ruinæ erat occasio, à theatro amouet.

Nullus tam serui, quam sui ipse corporis dominus.

Pius princeps nil fune stum sanctis diebus vult statuendum.

In ætatis flore decedens virtute, præuenit ætatẽ.

Baronius vb supra nu. 9

10. Va-

Ipſius corpus poſt cędem Mediolanum defertur.

10. Valentiniani igitur laudabiliter, & vt Chriſtiano homine par eſt, vita functi corpus Mediolanum delatum eſt; Qui enim ſuas in eum manus exeruerant, regium cadauer, nè ſeipſis ſceleris reos proderent, liberè euehi permiſerè, vt his Zoſimus verbis: *Vniuerſis hiſce* (inquit) *Theodoſio Principi eodem tempore renunciatis, vxor eius Galla fratrem deplorans, regiam vniuerſam cõturbabat ſimul & ipſe Princeps magno mœrore, curaquè conficiebatur*. Hæc ille. Sed Theodoſius, quod vnum ſupererat, pietatis officium, perhonorifica defunctum ſepultura donãdum curauit, vt ſcriptis ad Ambroſium literis teſtatur, qui ad eũ ſubindè ita reſcripſit: *Silentium* (inquit) *meum rupit ſermo Clementiæ tuæ. Nihil enim in tam triſtibus rebus melius facere in animum induxeram, quam ſi fieri poſſet, me ipſum abdere; ſed quia in ſeceſſu aliquo deliteſcere, & Sacerdotio exire non poteram, vel ſilentio intrà me latebam. Doleo enim, fateor, dolore acerbo, non ſolùm, quod immatura ætate Valentinianus Auguſtus deceſſerit, ſed etiam, quod informatus fide, ac tuis inſtitutis, tantã deuotionem erga Deum noſtrũ induerat, atq; tanto in me incubuerat affectu, vt quem antè perſequebatur, nunc diligeret, quem ante vt Aduerſarium repellebat, nunc vel parẽtem putaret; quod ego non pro recordatione iniuriæ veteris exprompſi, ſed pro teſtimonio conuerſionis. Illud enim alienum, hoc ſuum; quod à te infuſum ſibi ita tenuit, vt matris perſuaſionem excluderet. Ille ſe à me nutritum præſeferebat, ille vt ſedulum patrem deſiderabat: ille ſimulato à quibuſdam aduentus mei nuncio, impatienter prǽſtolabatur; quin etiam illis ipſis publici doloris diebus, cum Sanctos, & Summos Sacerdotes Domini in Gallia haberet, vt à me tantum Sacramentis baptiſmatis initiaretur, ſcribendum arbitratus. Quod etiam ipſe rationabiliter, amicabiliter, tum erga me ſuum ſtudium teſtificatus eſt*. Hæc Ambroſius in ipſius laudem diſertè meminit.

Zoſimus vbi ſupra.

Galla ipſius ſoror defunctum amarulenter plorat.

Ambroſ. epiſt. 34.

Theodoſius pro ipſius celebrando funere ſollicitus.

Ambroſius Theodoſij literis ad pia officia mortuo exhibenda requiſitus.

Quantum Valentinianus Ambroſio deferret.

11. Quam verò ſollicitè, quam cautè, & quàm impensè vnus iſte Pœnitentiam dilexerit, ſuoſquè corrigendos iuxtà chriſtianæ pietatis normã mores voluerit, & quàm exactè ad perfectæ regulam probiratis vitam ſuam omnem inſtituerit, ſic idem Ambroſius teſtatur: *Hunc ergo* (inquit) *non intimo anhelem ſpiritu ſecretiſquè mentis, atque animi viſceribus amplectar? hunc mihi mortuum putem? immò mihi magis viuum. Quas ego Domino deferebam gratias, quod ita in me cõuerſus eſſet, quod ita emendatus, quaſi ſenioris cuiuſdam ætatis mores induiſſet, quas Clementiæ tuæ, quod eum non ſolùm regno reddidiſſes, ſed etiam (quod eſt amplius) inſtituiſſes fidei, & pietatis tuæ diſciplinis? hunc ergò non doleam, eui integrum, antequam Sacramentorum, quæ deſiderauit, adipiſceretur gratiam, repentina obijſſe morte? refrigeraſti animum, quod etiam ipſe dignatus es ferre teſtimonium dolori. Te Imperator arbitrum teneo affectus mei, te meæ mentis interpretem. Sed flendi tempora aliàs nõ deerunt: nunc de ſepultura, quoniam ſcripſit Clementia tua, hic procurandum. Sed exors receſſit baptiſmatis: quid cognouerim non repreſſi. Eſt hic porphyreticum labrum pulcherrimum, & in vſus huiuſmodi aptiſſimũ; Nam & Maximianus Diocletiani ſocius ità humatus eſt. Sunt tabulę porphyreticæ pretioſiſſimæ, quibus veſtiatur operculum, quo regales exuuiæ claudantur. Hoc fuerat præparatum, ſed expectabatur reſcriptum Clementię tuæ, cuius perceptione recreatæ ſunt ſanctæ filiæ tuæ, filij tui Valentiniani ſorores quæ ſe grauibus afficiunt modis, & amplius exagitabantur, quod nihil diù ſcriberetur ſibi. Vnde ijs non parum acceſſit ſolatij; ſed dum inhumatæ ſunt reliquiæ, nequaquam ſibi parcunt; videntur enim ſibi germani ſui quotidianũ funus tenere; & re vera cum ſine fletu magno, ac ſine dolore graui nunquã ſint, tamen quotieſcumque eò accedunt, exangues reuertuntur; & ipſis conſuletur, & chariſſimis exuuijs, ſi acceleretur ſepultura, ne æſtiuo penitus ſoluantur calore; vix enim ſuperiorem æſtatem tranſegimus. Mandatum tuum ſeruo, & commendo Domino. Diligat te Dominus, quia tu Domini ſeruos diligis*. Hucuſque Ambroſius in ſua ad Theodoſium epiſtola. Sanctiſſimus igitur Præſul Theodoſij iuſſu funus curauit, & ipſo inſuper die, quo corpus tumulo conditum fuit, panegyricam ſe, ac illo, & tam laudato, quàm laudatore digniſſimam orationẽ habuit, in qua inter cœtera iſthæc tradit:

Ambroſ. epiſt. 34.

Eumdẽ Ambroſius ſibi nõ mortuum ptat, ſed magis viuum.

Quã impenſè baptiſmi aquas expetierit.

Porphyreticum nobile ipſius corpori labrum ab Ambroſio ſtatuitur.

Dominus eos diligit qui Chriſti ſeruos diligunt.

Ambroſ. orat. in funer. Valentiniani.

12. *Sed iam* (inquit) *chara mihi complectar viſcera, & debita quondã ſepulchro, priùs tamen ſingula membra perſpiciam.* Verùm ne ex eo, quod Valentinianus Cathe-

Quo Ambroſius erga Valentinianum amoris, ac doloris ſenſu teneretur.

thecumenus deceſſit, æterna proinde vitæ haud ipſum fuiſſe participem inficiari quis audeat, cum quidem in fide Sacramentum ſuſcepiſſe baptiſmatis, quod impia perditorum manus anteuertit, his ille verbis inculcat: *Ne nos quidem dubitemus de meritis Valentiniani, ſed iam credamus vel teſtimonio Angelorum, quod deterſa labe peccati, ablutus aſcendit, quem ſua fides lauit, & petitio conſecrauit. Credamus, quia aſcendit à deſerto, hoc eſt ex hoc arido, & inculto loco ad illas florulentas delectationes, vbi cum fratre coniunctus ęterna vitę fruitur voluptate. Beati ambo, ſi quid meę orationes valebunt, nulla dies, vos ſilentio pręteribit: nulla inhonoratos vos mea tranſibit oratio: nulla nox non donatos aliqua precum mearum contextione tranſcurret: omnibus vos oblationibus frequentabo.* Hæc Ambroſius in Valentiniani Principis optimi laudem, quibus pium eiuſdem è vita deceſſum ſuo ſatis, ſuperquè teſtimonio commendans, poſteris celebrandum reliquit.

Valentinianus fide, & ſi nō re baptiſmi ſacramētum ſuſcepit.

Amb. vbi ſup.

Baronius vbi ſupra num. 14.

Ambroſius vtrumque ſibi Imperatorem precū ſuffragiis honorandum proponit.

Etſi enim ipſum haud ſalutari initiatum baptiſmo diem clauſiſſe affirmet, tamen cum conſtans baptiſmi votum, deuotamque illius pro ſuſcipiendo baptiſmo petitionem eius verbis pręceſſiſſe liquidò conſtet, quis de viri præferuido ſalutaris pœnitentiæ voto, et ſi nondum baptiſmi aquis abluti ſalute ambigat? imò quod magis, magiſquè aſſertionis propoſitum euincit, præter Sacramenti huius deſiderium, morte ipſius, Chriſtianæ fidei fortis, firma, ac generoſa confeſſio præuenit, cum (vt ex Ambroſio compertum eſt) Gentilium caterua vrgeret, ac Senatus pro antiquis ſuperſtitionum ritibus reſtituendis inſtaret; quod cum ante diem obitus eius factum ſit, vehemens (vt Baronius adnotat) ſuſpicio fuit, mortem illi non niſi Gentilium dolis illatam, adeò vt non pœnitens duntaxat, ſed vir tantus confeſſor, ac ob necem ſibi per ſcelus illatam penè martyr ex hac vita deceſſerit.

Baronius vbi ſupra.

Gentilium dolis Valentiniano mors intentatur.

Baronius vbi ſupra.

Adeoq; occiſus in odium fidei, nedum Confeſſor, ſed & martyr habendus.

Ex his enim, quæ eius conſecuta ſunt obitum, ſatis argui, quę pręceſſere, ac ipſa rerum probè conijci veritas videtur; Siquidem Eugenius, qui poſt eius obitum ſibi Imperium arripuit, homo videlicet ferus, ac barbarus, tyrannusq; Gentilibus inanium Deorum cultoribus apprimè fauens, antiqua, prophanaque templorum iura reſtituit, ac intermiſsa execranda Idolorum Sacrificia in priſtinum reuocans, ethnicis hominibus, quæcunque petere auſi ſunt, vltrò, libenterquè induſit, adeò vt totum id planè ſubdola Gentilium arte, ac proditione factum non leuis coniectura euincat; nam de Eugenio iſthæc Sozomenus: *Porrò Eugenius* (inquit) *erga Chriſtianorum Religionem non ſincerè affectus, Principatum inuaſit, & Imperij inſignia aſſumpſit.* Hæc ille.

Eugenius tyrannus poſt ipſius cædem imperium arripit.

Sozomenus lib. 7. cap. 22.

Ex his igitur Valentinianum pœnitentia ſuffultum pio vitam exitu concluſiſſe, boniſque operibus, moribuſq; Chriſto, & Chriſtiano Principe dignis, mortem magna ſalutis ſpe Deo afflatum præueniſſe intelligimus; etſi enim baptiſmali fonte, quem ardenter optabat, petebatque initiatus non ſit, pœnitentia tamen, quam vnicè ſemper dilexit, ac Sacramenti voto, deſuper aſpirante Numine, præuentus, anteactæ vitæ culpas diluit, ac veniam à Deo conſequutus, beatorum inſeri cætibus meruit, & certam cunctis de ſę bene ſperandi, quia verè ſub vitæ finem pænitens, fiduciam reliquit.

Pœnitentia ſuffultus Valentinianus diē claudit.

13 Portò vt quanti inſuper momenti ſit, & qualem pęnitentia ſub extremam vitæ periodum decedentibus fiduciam præſtet; quantum denique in ſupremo diſcrimine conſtitutis præſidij afferat, magnus ille olim inter Eccleſiæ lumina Fulgentius, Ruſpenſis Epiſcopus ſuo cunctis palam exemplo demonſtrauit, qui non niſi pænitens *poſt innumera*, (vt Baronius ait,) *pro Catholica fide certamina poſt iteratas ſępe confeſſiones, poſt exilia, aliaſque paſſas ærumnas, poſt denique plurimorum ſcriptorum egregijs monimentis, tum hęreſes profligatas, tum orthodoxam pietatē; & diſciplinam Eccleſiaſticam, cuſtoditā ſartamque, tectam relictam, optatum diù vitę finem lętus impoſuit.*

Baronius an 529. num. 1.

Fulgentius Ruſpenſis Epiſcopus pęnitētiæ vim apprimè cūctis commēdat.

Quod verò omnem excedit fidem, vel ſub extrema vitæ tempora ſe arctiori vitę deuouens, totum Pœnitentiæ operibus addixit, vt ſic bene prouidus ſuum pœnitentiæ clypeo non tam præuenire, quam præmunire exitum videretur; Antè enim, quam decederet, cordis compunctione adductus, eccleſiaſticis ſe muuijs abdicans, ſuoque clanculum è Monaſterio ſecedens, et citò iam ſoluens iter in Inſulam quandam arripuit, vbi in quodam ſcopulo orationi, lectioni, ieiunijs totus, inceſſanterque inſtitit.

Non niſi pęnitentium in morem vult mori.

In gestis S. Fulgentij Episcopi.

stitit. Sed hic quę in eius gestis scriptor tradit, excipiamus. *Vbi* (inquit) *in quodam breui scopulo, cui nomen dedit Chilni, vbi iam Monasterium fabricari mandauerat, lectioni, & orationi, at ieiunijs vacans, veluti sciret appropinquare sibi nouissimum diem, sic ex toto corde suo pænitentiam gessit; & quamuis tota vita ex quo Monachorum professionem conuersus ex toto corde suscepit, pænitentia fuerit tempus: in hac tamen insula multò ampliùs, & multò diligentius inchoanti similis membra sua mortificauit, & in conspectu solius Dei fleuit.* His planè vir Dei decessurum se longè ante sciens, præferuidis extrema vitæ tempora poenitentiæ operibus pro se sollicitus munire satègit, sed quomodo vir apprimè austerus, omne sub vitæ finem sibi indulgere solatium detrectans, suæ vel minimum carni leuamentum interdixit, ex his, quæ idem auctor tradit, repetendum hìc nobis est.

In insulam sibi vacaturus suâ ante mortem secedit.

Ac si mors sibi instaret ad vitę exitū separat.

Auctor vbi supra in S. Fulgentij gest.

14 *Incidit repentè* (iuquit) *in corporalis infirmitatis acerrimas passiones, vbi septuaginta prope diebus ęgritudine fatigatus, hoc sòlum frequenter dicebat: Domine da modò hic patientiam, & posteà indulgentiam. Nec ab isto sermone aliquandò cessauit, siue dolor affligeret, siue febris incenderet, siuè lassitudo dissolueret. Persuadentibus autem medicis, vt lauacris balnearibus vteretur; Nunquid balnea* (inquit) *facere poterunt, nè homo mortalis expleto vitę suę tempore moriatur? Si verò proximam mortem nec aquarum calidarum possunt fomenta repellere, cur mihi obsecro persuadetis, vt rigorem diù seruatum professionis in fine dissoluamus? Sic salutem suam supernę voluntati fideliter credens: postquam se sensit sine aliqua dubitatione dissoluendum, vocans vniuersos Clericos suos, præsentibus monachis, alloquutus est eos dicens: ego, fratres, animarum vestrarum saluti prospiciens, molestus apud vos forsitan, & difficilis extiti: & ideò obsecro vos, vt ignoscatis mihi, quisquis aliquid dolet; & si forsitan seueritas nostra modum transgressa est debitum: orate, nè mihi hoc Dominus imputet ad peccatum. Cumquè talia Beato Fulgentio lacrymosis singultibus exponente, cuncti simul super genua eius caderent, semper bonum, semper affabilem, pro omnium salute, sicut decuit, inuigilasse clamantes. Prouideat ergo, ait, vobis Dominus Deus meus pastorem dignum se. Tunc imperato silentio paululum requieuit, &c. Orans iugiter, & intrantes singulos benedicens, vsque ad extremam horam sana mente permansit. Postremo die Kal. Ianuarias post peractam vesperam, beatum spiritum feliciter in manibus Domini tradidit, &c.* His ille præmissis, antequam decederet, sibi à suis, si quà eos offendisset, veniam donari exposcens, vir tandem beatissimus, in omne patientiæ, ac poenitentiæ studium, & obsequium effusus, benignus cunctis, ac facilis, sibi duntaxat rigidus, atque austerus, ad æternitatem properans, diem feliciter clausit.

Illa ipsi frequens oratio: Domine da modo patentiam & postea in indulgētiā.

Quid medicis balnea ipsi suadentibus respōdit.

Iam moriturus veniam à fratribus humiliter poscit.

Suorum curam gerens Deo ipsos commendat.

Atq; vir Dei patientia, ac poenitentia fulget.

Baronius an. 581. n. 14.

15 Et tantam siquidem Christiani olim poenitentiæ subsidio præfidentes, in humili peccatorum confessione spem habuere, vt nihil ipsis sub vitæ finem cordi magis, ac vsui solemne fuerit, quā sua humiliter in confessione sacerdoti reuelare peccata, quo exoptatam à Deo veniam consequerentur. Quod Dacco præsertim, Childeberti Regis Francorum, an. 3. & 17. Guntherani regis, ipsius patrui egregiè præstitit, qui per dolos insidijs ad mortem appetitus, sacramentali mortem confessione præuenire satègit, de quo isthæc Turonensis: *Dacco* (inquit) *nobilis Dux insidijs Draccoleni Ducis captus, cum occidendus esset, vocato presbytero, ab eodem pænitentiam petijt, qua accepta interfectus est.* Nec quispiam mirabitur in homine vel sub ipsius mortis conspectū tantam pro culparū exemologesi instituenda sollicitudinem, si antiquorū probè Christianorum, piamq. consuetudinem probe ex historiarum tabulis meminerit: *Vigebat quippe* (ait Baronius) *pius vsus, vt absque peccatorum remissione à Deo per Sacerdotem accepta nemo ex hac vita migraret.*) Congruè autem ipsius animæ saluti cum iam de vita corporis actum est, opportunè cōsultum volebant.

Humilis peccatorum confessio sāctis hominibus sub vitæ exitum frequens.

Gregorius Turonensis hist. Franc.

Dacco Frācorum Regis patruus interficiendus sacerdoti culpas in confessione aperit.

Baronius vbi supra n. 14.

Pius apud Christianos sacramentaliter confitendi vsus.

16 Poenitentia quippè Peccatoribus ad iustā Dei iram placandam pernecessaria, magnam quoq; ad ipsius impetrandā misericordiam homini spem affert, vt ex eo satis, superquè ostenditur, quod Deus nimirū lacrymis plerumquè victus, emollitusq; dum cordis compunctionem respicit, ad superna nobis exhibenda pietatis dona, propulsandaquè longiùs indignationis iacula flecti non dedignatur. Quapropter ab ipsius Dei flagella, si

quæ

quæ imminent, manu protinus cadunt, vbi contrito corde ab homine diuina implorarur clementia. Hinc Sanctissimus ille, ac verè magnus Romanos inter Pontifices Gregorius, dum acerba olim Romæ lues grassaretur, supremam Vrbi vastitatem intentans, ac mors vbiquè cuncta depascens quotidiè inualesceret, suis peccatores ad cordis compunctionem verbis inducere, eorundemquè ad dolendum pervtiliter animos excitare contendens, cunctos ad arripienda salubriter pœnitentiæ arma, vel inter crebra morientium funera exhortari non destitit, quò miseri citam, atque exoptatam à Deo veniam consequerentur. Sed ipsius hic saluberrima, vtpotè pœnitentibus ad cœlum expugnandum verba repetamus; hæc enim habet: *Oportet (inquit) fratres charissimi, vt flagella Dei, qua metuere ventura debuimus, saltem præsentia, & experta timeamus. Conuersionis nobis aditum dolor aperiat, & cordis nostri duritiem ipsa iam, quam patimur, pœna dissoluat, vt enim Propheta teste prædictum est: Peruenit gladius vsquè ad animam. Ecce enim cuncta plebs cælestis iræ mucrone percutitur, & repentina singuli cade vastantur; nec languor mortem preuenit, sed languoris moras (vt cernitis) mors præcurrit. Percussus quisque ante rapitur, quàm ad lamenta Pœnitentiæ conuertatur. Pensate ergo, qualis ad conspectum districti Iudicis peruenit, cui non vacat flere, quod fecit, habitatores quippè non ex parte subtrahuntur, sed paritèr corruentis domus vacua relinquuntur, filiorum funera parentes aspiciunt, & sui eos ad interitum heredes præcedunt. Vnusquisque ergò nostrum ad pœnitentiæ lamenta confugiat, dum flere ante percussio, tem vacat. Reuocemus antè oculos mentis, quod errando commisimus, & quod nequitèr egimus, flendo puniamus. Præueniamus faciem eius in confessione, & sicut Propheta admonet: leuentur corda nostra cum manibus ad Dominum; ad eum quippè corda cum manibus leuare, est orationis nostræ studium cum merito bonæ operationis erigere.* Dat profectò, dat tremori nostro fiduciam, qui per Prophetam clamat: *nolo mortem peccatoris, sed vt conuertatur, & viuat. Veternosas namque Niniuitarum culpas triduana pœnitentia abstersit, & conuersus latro vita præmia in ipsa sententia suæ mortis emeruit.* Niniuitarum itaquè, ipsiusquè latronis exemplo, quibus opportunè post peccata pœnitentiæ subsidium è cœlo præsto fuit, peccantes ad Dei fiduciam validè, ac efficaciter excitat, sed quæ in rem præsentem aptè Sanctissimus vir prosequitur, excipiamus: *Leuemus (inquit) corda, & præsumamus nos iam percepisse, quod petimus. Citiùs ad precem Iudex flectitur, si à prauitate sua petitor corrigatur. Imminente ergò tanta animaduersionis gladio nos importunis fletibus insistamus. Ea namque, quæ ingrata esse hominibus importunitas solet, Iudici veritatis placet, quia pius, & misericors Deus à se vult veniam precibus exigi, qui quantum meremur, non vult irasci. Hinc etenim per Psalmistam dicitur: Inuoca me in die tribulationis tuæ, & eripiam te, & magnificabis me. Ipse ergò sibi testis est, quia inuocantibus misereri desiderat, qui monet, vt inuocetur. Proindè fratres charissimi contrito corde, et correctis operibus crastina die primo diluculo ad septiformem litaniam iuxta distributionem inferiùs conueniamus, &c.* His planè exertum, ac impendentem ceruicibus diuinæ animaduersionis gladium, non nisi pœnitentiæ, lacrymis, precibusquè, ac intimo cordis sensu à reorum procul capite auertendū, & ad experiendum propitium sibi numen inculcat, si homines videlicèt pœnitentiæ armis suffulti, Deum, quem suis pridem culpis, malisquè actibus exacerbarunt, flentes, ac toto dolentes corde requirant.

17. Enim verò quod sua vnicuique in finem vsquè vitæ peccata seriò lugēda, ac pensanda amarulenter sint, cum magnam tunc poriſsimùm temporis pœnitentiæ luctus spem homini afferat, idem Gregorius Gregoriam Augustæ cubicularìam, fœminam piam æquè, ac nobilē, suis ipsum litteris de salutis negotio percontantem admonens, his planè verbis, ac sapienter pro responso edocuit: *Quod (inquit) dulcedo tua in tuis epistolis subiunxit, importunam se mihi existere, quo ad vsque scribam mihi esse reuelatum, quia peccata tua dimissa sunt, rem & difficilem etiā, & inutilem postulasti: difficilem quidem, quia indignus sum, cui reuelatio fieri debeat; inutilem verò, quia secura de peccatis suis fieri non debes, nisi cum iam in die vitæ tua vltimo plāgere eadem peccata minimè valebis. Quæ dies quousquè veniat, semper suspecta,*

Cordis compunctio gratia in primis Deo.

Baron. ann. 590. nu. 11.

Cōpunctos à periculis releuat, eisque sua dona largitur.

Gregorius in regest. lib. 11. cap. 2.

Oportet iuxta Magni Gregorij dictū præsentia Dei flagella metuere.

Manifestum irati numinis signum, si quis peccata, quæ ad misit moriturus flere non potest.

Threnorū cap. 3.

Non vult Deus flagellando mortem peccatoris, sed vt cōuertatur, & viuat.

Ezechie cap. 18.

Matth. c. 17.

Niniuitarū & latronis exemplo ostenditur.

Gregor. vbi supra.

Ingrata hominibus esse importunitas solet, at Deo accepta.

Psalm. 49.

Deus ideo monet, vt ab hominibus inuocetur.

Gregorius lue in vrbe laborantes ad pœnitētiā inuitat.

Baron. ann. 597. nu. 22.

Inter flagella hominibus lugentibus spes veniæ Dei nunc subest.

Gregor. lib. 6 epist. 22. indic. 15.

Gregorius Gregoriæ, quæ apud Augustum cubicularìæ munus gerebat quid de salutis negotio percontāti respondeat.

specta, semper trepida metuere culpas debes, atque eas quotidianis fletibus lauare, &c. Quod paribus item Augustinus aliquandò verbis inculcans: *Semper* (inquit) *doleat pœnitens, & de dolore gaudeat*.

Nemo iuxta Gregorij dictum de dimissis culpis securus debet fieri.

18. Tanti siquidem ad releuandum cor hominis inter ipsas mortis angustias Pœnitentiæ virtus momenti est, vt viri sanctitate præcipui, qui Deo fideliter inseruiebāt, bonisquè diù se operibus laudabiliter exercuerant, cum proximus iam sibi è vita instaret exitus, nil antiquiùs, magisquè in votis habuerint, quàm pio Pœnitentium more, ac ritu, Deo ianuam pulsanti, obuiam ire, eidemque vocanti occurrere. Quapropter Henricus Bauariorum Dux, ac primus huius nominis Romanorum subindè Imperator, qui ab Ottone Tertio Germaniæ regno donatus, & à S. Volphango Ratisponensi Episcopo educatus fuerat, cum aliquandò per visum eodem sibi apparente, anceps quoddam accepisset oraculum, quo propinquam sibi mortem prænunciatam credidit, vt magna suffultus spe, ac fiducia se ad impendentem è vita exitum probè compararet, totus pœnitentiæ operibus incumbens supremum præuenire diem, & sic mortis ipsius lenire angustias curauit. Hoc igitur præstito, dum Princeps Deo totus intendit, sibiquè impensiùs vacat, haud mortem, vt credebat, imò sortem planè optatissimam incurrit, ac Imperij sceptrum designato postmodùm tempore diuinitùs accepit, vt in S. Vvolphangi gestis hunc in modum traditur: *Enrico Regi, antequam esset Imperator S. Vuolphangus apparuit dormienti. Videbatur illi sibi in S. Emmerani Ecclesia esse, atque orandi causa Beati Vuolphanghi adire sepulchrum; ibi verò Deum, & S. Vuolphangum orans, visus est sibi videre eum adstare, & hunc in modum ipsum appellare: Aspice diligenter characteres in muro, qui est apud tumulum meum, exaratos: Vidit ille, nec aliud legit, quàm*: Post sex. *Expergefactus verò summoperè incumbebat ad earum dictionum apprehendendam significationem. Primùm igitur suspicatus se post sex dies moriturum, multa largitus est pauperibus. At sex euolutis diebus, cum nihil in corpore sentiret molestiæ, ad sex menses attinere arbitrabatur, tumquè se obiturum credebat. Sed neque tum malè se valere sentiens, ad sex annos earum dictionum significationem retulit. Porrò sex annis iam expletis, septimo anno à Pontifice Maximo Imperator vnctus est. Atque tum demum animaduertens, quid sibi ea verba vellent, gratias egit Deo, & Beato Vuolphango, quod sibi reuelare dignatus esset ea se dignitate potiturum*. Hæc ibi. Ita planè Princeps Sanctissimus longè contrarijs votis, dum responsum se mortis è cœlo habuisse existimat non nisi certam è proximo venturæ felicitatis spem, ac certum vnà simul è cœlo tum omen, tum oraculum accepit, & dum pœnitentiæ operibus mortem sollicitus præuenire curat, Romani pro mercede Imperij sceptrum meruit obtinere.

Baron. ann. 1007. nu. 1.

Peccator semper de peccato dolest, & de dolore gaudeat.

Hēricus Bauariorū dux & postea Romanorū princeps quā pro die mortis, & hora sollicitus.

A S. Vuolphango ad eius sepulchrum orans ambiguis verbis admonitus, mortem pœnitēdo præuenit.

In gestis S. Vuolphāgbi apud Surium 31. Octobris tom. 5.

Expergefactus è somno duo in pariete verba, post sex, legens, post sex dies se moriturum credidit.

Numerum deinde dierum ad hebdomadas, subinde ad menses, demum ad annos interpretādo pretendit.

Seruatus à Deo, & à morte liber post sex annos Romano Imperio diuinitùs præficitur.

19. Porrò ne ingrato ipsius hic Henrici incunabula, & vitæ dignè, ac laudabiliter institutæ primordia silentio prætereamus, Rupertus Abbas, ipsum à Sancto Vvolphango Ratisponensi Episcopo educatum his versibus tradit.

> —— *Nutrit præclarum Vuolphangus alumnum,*
> *Qui sequitur Dominum toto conamine Christum.*

Quid Rupertus Abbas de Henrico, qui sanctitatis, & Imperij apicem attigit.

Rupert. Abbas cap. 10. apud Surių die 16. Martij tom. 2.

Sanctissimus quippè Præsul, qui inter cętera charismatum dona prophetiæ spiritu pollebat, hæc illi de consequendo regno longè antè prædixit, vt præmemoratus his auctor verbis meminit: *Cum ad eum* (inquit) *ob impertiendam benedictionem (vt crebrò solebat) adductus esset, speciosissimam eius prolem Henricum, qui postea Dei nutu factus est Imperator, Regem appellauit, fratrem eius Brunonem vocauit Antistitem, sororem eius natu maiorem Reginam, minorem, quam ipse baptizauit, & de sacro Fonte suscepit, Abbatissam*. Quæ quidem omnia (vt Baronius docet) sicut prædixit, & re ipsa patuit, suis deindè temporibus euenere. Henricus itaquè è mortis potissimùm impendentis obiectu, per visum præsagiendo coniectans, ingentem sibi pœnitentiæ operibus insistendo meritorum cumulum & penes Deum fiduciam lucratus, ad Sanctitatis vsque apicem throno postmodùm euectus, & si adhuc in sæculo degens peruenit.

Multiplices ipsi honores ac gētilibus suis prædicit.

Baron. ann. 1003. nu. 8.

Summis Hērico bona cum mortis metu venere.

20. Idem planè Ferdinando item Castellæ Regi ante obitum, dum pœnitentiæ addictus operibus se ad exitum sollicitus parat, contigisse Lucas Tudensis

Baron. ann. 1065. n. 61. & 62.

Ferdinando Castellæ Regi salubris quidē maximè mortis memoria extitit.

Lucas Tudensis Diac. in Ferdinādi gestis.

Natalitio Christi die ad Ecclesiā suorum manu sustentatus pergit.

Sacrosancto Christi corpore ad subeundam è proximo mortē, præmunitur.

Humi procumbēs regiam clamydem regno quo se abdicās exuit.

Veniā pro delictis exposcit.

Duobus die bus viuit ante Sacrum Altare.

Festo S. Ioā. nis Euangelistæ die Deo spiritū reddit.

fis, his quidem verbis tradit: *Ferdinandus* (inquit) *Castellæ Rex, & Legionis, qui catholicè Regnum gubernauit, & se ipsum pressum pudicitiæ freno funditus eruditum reddidit, illucescente Natiuitatis die filij Dei, se artubus deficere prospiciens, Missam cantari petijt, & percepta Corporis, & Sanguinis Christi participatione, ad lectum manibus deducitur sustentantium. In crastinū verò luce adueniente sciens, quod futurum erat, vocauit ad se Episcopos, & Abbates quoscunque Religiosos viros, vt exitum suū confirmarent. Vnà cum eis ad Ecclesiam defertur ornatus cultu regio, & corona aurea imposita capiti. Deindè fixis genibus ad altare S. Ioannis, & coram SS. corporibus, scilicet Isidori Cōfessoris, & Vincentij Martyris clara voce ad Dominum dixit: Tua est potestas, tuum est Regnum, tu es super omnes Reges, tuo Imperio omnia Regna cælestia, & terrestria subduntur; Regnum, quod à te dominante accepi, & quandiù tuæ liberæ voluntati placuit, rexi, ecce reddo tibi: tantùm animam meam de voragine ipsius mundi ereptam, vt ipsam ad te suscipias deprecor. Et hæc dicens exuit regalem clamydem, qua induebatur corpus, deposuit, & gemmatam coronam, qua caput ambiebatur, atque cum lacrymis solo prostratus, pro delictorum venia Dominum attentiùs exorabat. Tunc ab Episcopis accepta pœnitentia, extremæ vnctionis Sacramento perunctus induitur cilicio pro ornamēto regali, & aspergitur cinere pro aureo diademate, cui vitali pœnitentia permanenti coram prædicto Altari duobus diebus à Deo viuere datur. Sequenti autem die, quæ est feria tertia, hora diei sexta, in qua S. Ioannis Euangelistæ festum celebratur, inter manus Pontificum cælo, vt credimus tradidit spiritum.* Hæc auctor. Vir itaquè clarissimus non tam regali pompa, regia videlicet clamyde, ac sceptro ornatus, quam cilicio (quod pœnitentes decet) indutus, ac lacrymis largè perfusus, aduentanti festinus morti occurrere voluit, vt Deum sibi sub rudi, austeroquè pœnitentiæ cultu propitium redderet.

Pœnitentia laborum obliuionem suis indicit, & leuamen to est.

21. Pœnitentia igitur decedentium singulare subsidium, præteritorum illicò laborum obliuionem inducit. Homo quippè, dum repromissam sibi præmiorū à Deo mercedem cogitat, actutū quidquid in terris laborando sustinet, Cœlum suspiciendo obliuiscitur, vt Petrus Damiani de viro Regijs olim infulis claro his planè verbis meminit: *Scotigenarum Rex* (inquit ille) *primæuo adolescentiæ flore pubescens, quia pater obijt, ei mox in regalis fastigij solio successit, sed cum sollicitè considerarét, quàm fragile sit, quidquid in hoc sæculo tumet, quàm labile, quod supereminet, quàm velociter extinguibile sit omne, quod splendet, cum coniugatus iam esset, decreuit regales infulas Regni cęlestis amore deponere, coronam caputio, purpuram cucullo mutare. Quid plura? simulat orationis studium, aggreditur expectationis humanæ principium; Apostolicorum itaquè liminum deuotione completa, & ignorante clientium comitatu, monasticum habitum latentèr induit, & sic à se mundum cum regno, benè semetipsum furatus, abiecit. Qui mox languore percussus ad extrema peruenit, & vsque ad obitum hoc tanquam fœderatę conuentionis elogium inclamare non destitit: Domine feci, quod præcepisti, imple, quod promisisti. Quidquid aliud ei ab alio diceretur; ab hac voce velut exactione dabiti non cessabat. Nimirùm in vinea constitutus reposcebat vnum, quia patris familias se nouit impleſſe præceptum. Et licèt in vndecima hora fuisset conductus, exigebat requiem post laborem, & expleta operatione reposcebat mercedem.* Spes quippè præmij (vt Sanctus ille aiebat) *vim laboris minuit*, ac satis rigidum pœnitentiæ iugum, omnisque susceptarum pro culpis pœnarum amaritudo, mercedis, ac præmiorum magnitudine nedum grata fit, sed & suauiter vnicuique præ manibus dulcescit.

Petrus Damiani in epist. vt in spec. magno exemplorum distinct. 5. exem. 103.

Scotigenarum Rex mortis memor ad pœnitentiam conuolans, coronā caputio, purpuram cucullo permutat.

Ad Apostolorum limina profectus, Apostolorū exēpla sectatus.

Gregorius in moral.

Haud multo post languore percussus inter moriendum verba illa præsidenter Den repetit *Domine* (inquit) *feci quod iussisti, redde quod promisisti*, & sic lętus decessit.

22. Quod vt aliorum quoque virorum Principum, & Imperiali præsertim culmine præcellentium, qui pœnitentiæ laudabiliter operibus inhæserunt, exemplo comprobetur. Otho Imperator ab Innocentio Papa III. iustissimè anathematis iaculo perculsus; sed vir misericordiæ exercendæ apprimè deditus antequā decederet, illud Dei munere obtinuit, vt se ipsum agnoscens, ac seriò quæ admiserat, deflens, ad matris Ecclesiæ sinum conuolaret. Enimverò sub vitæ finem compunctus, suasquè (vt par est) execratus vitæ culpas, eum in modum indoluit, ac se abiecit, vt cunctorum se pedibus proculcandum, non secus ac vilissimam pulue-

Rainald. an. 1218. nu. 37.

Otho Imperator se ipsum deflens veniā moriturus consequitur.

pulverem, probrisquè cunctis dignum offerret; caverò moriturus contriti cordis signa exhibuit, vt peccatorum exoptatam à Deo veniam accipere tandem meruerit; de quo isthæc summatim Vuspergensis narrat: *Anno* (inquit) *Domini M. CC. VIII. Otho Imperator obijt*; cui & Albertus Stadensis in hæc verba adstipulatur: *Anno Domini M. CC. XIII. Otho Imperator anno Regni sui XX. in Castro Hartersburg ineffabili contritione compunctus, ità vt coquinarijs suis prçciperet, vt collum suū conculcarent XIIII. Kalendas Iunij obijt, à Sifrido Hildensemensi Episcopo absolutus. Hanc absolutionem Papa Honorius confirmauit; sepultus autem est in Brunsuich. Castrum Vuorda à Bremensis Ecclesię ministerialibus occupatur. Rex Fridericus Herefordia celebrata curia in Imperio confirmauit.* Hæc Scriptor de Othone, qui pœnitentiæ subsidio, dum vitæ finis instaret, Deo, ac Ecclesiæ reconciliatus, de se haud dubiam cunctis spem salutis reliquit. Rei verò eiusmodi fidem ostensa postmodùm visa satis superquè confirmant. Insequenti enim eius obitum anno pijssimæ Christi famulæ, Othonis videlicèt materteræ visum cœlitùs obiectū est, à qua Imperatoris anima primùm suffragia exposcere, dein purgatorij pœnis soluta maximas rependere gratias visa est. Quod sanè visum à Thoma Cantipratensi his verbis describitur.

Vuspergens. in Chronic. Stad.

Mira Othonis in se deprimēdo cō punctionis exempla.

Albert. Stadensis.

Magna pœnitentiæ vi Deo, ac Ecclesiæ conciliatus.

Apparens eius anima precum suffragia à Matertera poscens purgatorij pœnis absolvitur.

23. *Othone* (inquit) *Imperatore mortuo, quędam cognata eius in monasterio Virginum praerat, quæ zelo castimoniæ circà subditas mirè feruebat. Obseruans ergò die quodam fenestram locutory, summo manè quendam leuiter pulsantem audiuit, qua aperta, ecce Imperator apparens matertera dixit: Defunctus ego sum, & in purgatorio pœnis excrucior. Dirigas ergò nuncios ad diuersa, & deuota cœnobia, & decies mille psalteria pro me legi facias. itavt ad singulos psalmos decem ictuum disciplina, & ad vnumquemque versum addatur salutatio Angelica Aue Maria, & Oratio Dominica Pater noster; Psalmus verò De profundis, quando accipitur disciplina, dicatur. Talibus remedijs post mortem viuens meruit liberari. Et nota, quod idem Otho benignissimus Imperator anno precedente mortem suam, infinitam annonam tempore caristię diuersis Monasterijs, & pauperibus diuiserat larga manu.* Quæ quidem misericordiæ ab ipso in famelicos pauperes exhibitæ opera in causa procul dubio fuere, vt Deum sibi in morte propitium sortiretur, vti opportunè scriptor lectori ob oculos ponit. His autem illud Psalmistæ oraculum appositè consonat: *Beatus qui intelligit super egenum, & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus.* Qui ergò misericordiam in hoc sæculo ergà miseros, ac pauperes præstitit, sibi quoque hanc in altero sæculo impēdi promeruit. Sed interim reliqua, quæ à Cantipratensi narrantur, opportunè hìc à nobis subtexenda videntur.

Thomas Cantiprat. lib. 2. cap. 53. n. 19

Quātę sanctitatis fœmina, cui animarū status patebat.

Quali pius Rex à fœmina pro sui expiatione exposcit.

Misericordię operibus tutum vitæ finem meruit.

Psal. 40.

Cātipratan. vbi supra.

24. *Nec mora* (inquit) *missis nuncijs, vt praecepit materterę, negotium eius ab omnibus summa cum deuotione susceptum est, & perfectum. Apparens ergò dicta materterę ad eundem locum fenestrę, quem diximus, in aurora tanta claritate circumdatus est, vt illa nullo modo eum cerneret, sed audiuit: Gratias reddo tibi, & pro me misericordiosissimo Domino gratias age, quia iam à pœnis ereptus ad gloriam transeo sempiternā. Nec mireris lector, quia ab illis audiui, qui interfuerunt diutino languori eius, & morti, quod omni die Sacerdotibus Christi dorsum suum tradidit flagellandum, & eius contritio tanta fuit, vt ille, cuius superiùs fecimus mentionem, verè dignus Conradus Hildesemensis Episcopus testaretur vix se posse credere, quod Otho Imperator post tantam contritionis pœnitentiam, vel ad horam post mortem Purgatorium sustineret.* Hæc auctor de recolendo Imperatoris exitu, qui christiano ritu, ac pœnitentis in morem, magnisquè expiatus lacrymis è vita decessit, in suis scriptis paginis testata reliquit.

Iterum materteræ ipsius anima apparens di gnas ipsi gratias pro precibus exoluit.

Splendore circundatus haud oculis videri potuit.

Quid Cantipratanus de ipso refert.

Decumbens Imperator, ac vehemēter compunctus singulis diebus suū Christi Sacerdotibus dorsum flagellandum præbet.

25. Huic Vuilhelmus Comes Saresberiensis iure meritò sociandus est, qui arridentibus prosperis, sæculari fretus potentia (quod humanæ vitæ, ac imbecillitatis conditio est) in Dei legem peccauerat, sed tandē sub vitæ finē, Deo miserante, ad bonam traductus frugem, mirum compuncti, ac pœnitentis animi de se cunctis exemplum præbuit. Auito enim Episcopo sollicitè per nūcium euocato, & se coram eo valdè peccatis obnoxium contestatus, ac Sacramentis Ecclesiæ, quibus tunc præmuniri cupiebat, omninò indignū, lacrymis ora perfusus, ac fin-

Rainald. an. 1226. n. 48

Vuilhelmus Comes Saresberiensis peccata sub vitę finem dignè deflet

ac singultibus iugiter vacans, felicem mortali è vita discessum, miraculorum insuper portentis à Deo insignitus obtinuit, vt Anonymus vitæ Ludouici Frãcorum Regis Scriptor his verbis narrat. *Inualescente demum* (inquit) *ægritudine, cum certissima suæ necis indicia cognouisset, fecit Episcopum Ciuitatis ad se venire, vt ea, quæ Christiani sunt, in confessione, & viatico susciperet, & legitimum de rebus habitis conficeret testamentum. Intrante autem Episcopo thalamum, in quo iacebat Comes nudus omninò præter femoralia, contrà eum Corpus Domini ferentem, ex lecto prosiliens, asperrimumquè laqueum circà collum connectens, cum ingi lacrymarum effusione se prostrauit in pauimentum, Summi Regis se esse proditorem contestans, nec de loco moueri voluit, nisi facta confessione, & viuifici Sacramenti percepta communione, vt se sui seruum ostenderet Creatoris; & sic per dies aliquot in suprema perseuerans pænitentia, spiritum suo reddidit Redemptori; Contigit autem, quod dum de castello ad nonam Ecclesiam per vnum milliare corpus eius ad tumulandum portaretur, cerei, qui cum cruce, & thuribulo de more portabantur, accensi inter pluuiarum effusiones, & ventorum turbines lumen continuum in itinere ministrarent, vt apertè ostenderent, Comitem tã arduè pænitentem ad lucis filios pertinere.* Sic profectò pœnitentiæ salutaris, quæ Christianos decet, argumentũ haud vulgare spectantibus, ac exhibitæ sibi insuper à Deo pietatis haud obscurum signũ accensis persistentibus inter pluuiarum, ventorumquè turbines cereis, è cœlo diuinitùs affulsit, vt verum, ac constans illud Sapientis comprobaretur oraculum, quo ad diluendas grauiores quasque animi labes vis charitatis extollitur: *Nec flumina* (inquit) *obruent illam.*

> Honor. PP. III. ep. 327.
> Nedũ peccatorum venia, sed miraculorum gratiá donatus.
> E lecto prosilit Christi corporis Sacramenta susceptururs.
> Se summi Regis proditorem testatur.
> Corpus ipsius dũ per milliare ad tumulandũ portatur, cerei inter ventos, & pluuias non extinguuntur.
> Cant. cap. 3.

26. Congruè autem vir tantus sub ipsum vitæ finem eiusmodi contritionis vi, Deo largiente, donatus est, vt potè, qui B. Virg. obsequio apprimè addictus, dum adhuc viueret, diuinitùs quondam nec magno absquè portento medijs è fluctibus liber euaserat, vt Parisius his verbis ait: *Per idem tempus Vuilhelmus Comes Sareberiensis, qui cum Comite Richardo intrauerat in partibus transmarinis; ad Angliam transiturus, naues intrauit. Sed cum longo maris periculo, & ventorum turbinibus per dies plurimos, & noctes in partes diuersas iactaretur cum ipsis nautis, & alijs omnibus, qui in naui erant, de vita desperatus, annulos pretiosos, & quæcunque in auro, vel argento, aut pretiosis vestibus possidebat, fluctibus pelagi commisit, vt sicut ad vitam nudus intrauit temporalem, ità ab omni honore terreno spoliatus ad patriam transiret æternam. Et cum in suprema fuisset desperatione constitutus, visus est cereus ingens, & magno splendore coruscans ab omnibus, qui in naui periclitabãtur, in summitate mali. Et iuxtà cereum stantem viderunt puellam quandam nimia pulchritudine decoratam, quæ lumen cerei, quod nocturnas tenebras illustrabat, à ventorum, pluuiarumquè irruentium robore conseruaret præclarum. Ex hac quoque cœlestis visione claritatis, tam Comes ipse, quàm nautæ omnes securitate concepta, diuinum sibi adesse auxilium confidebant. Et cum vniuersi, qui in naui erant, quid hæc visio portenderet, ignorarent, solus Vuilhelmus Comes præfatus huius benignitatis gratiam B. Mariæ Virgini assignauit. Siquidem Comes supradictus die, quo primo donatus fuerat cingulo militari, cereum vnum antè Altare Beatissimæ Matris Dei assignauit, vt ad Missam, quę diebus singulis in honorem eiusdem Dei genitricis cum horis canonicis deuotè solent decantari, iugiter arderet, vt pro lumine temporali lucem sibi commutaret æternam.* Hæc Parisius de homine diuinis portentorum signis inter pelagi fluctus Deiparæ Virginis ope seruato, cui illa præostensa cerei splendore optatam patrocinij lucẽ inter pelagi vndas periclitanti monstrauit, & cereum ventorum inter turbines inoffensum seruando, suam illi auxiliarẽ vltrò manum visa est præsignasse, ac demùm nouis, inusitatisquè portentorum indicijs se quoque sub vitæ finem propitiam decedenti adfuisse, illibatis, dum corpus tumulo inferretur cereis mirum in modum demonstrauit.

> Vuilhelmus Virg. Deiparæ obsequio addictissimus.
> Rainald. an. 1225. nu. 37.
> Paris. Vuestm. ann. 1224.
> Certo quodam Deiparæ patrocinio à naufragio liberatur.
> Dum tempestate maxime iactaretur, cereus in summo nauis malo resplendens cernitur.
> Puella item nerępulchritudinis iuxtà cereum se illi ostendit.
> Viso releuatus Vuilhelmus Virginis patrocinium agnoscit.
> Salutẽ proculdubio ipsi refundendam lux diuinitus ostensa designabat.

27. Pari quoque ipsius Dei benignitate suffultus Ioannes de Bresne Imperator, cuius prudentia, ac robore Constantinopolitana Vrbs, à Vatacio, & Asane obsessa, ab imminentis propemodùm vastitatis excidio erepta fuit, cœlestibus primùm visis admonitus, ac obtinendæ veniæ suffultus spe, regio deposito fastu, abiectaque sæculi pompa, ac omni rerum futi-

> Ioannes de Bresne ImperatorGręcorũ ad pęnitentiam inter aduersa confugit.

futilium cura, paucis priusquàm lethali ex morbo decumberet, diebus, se Minoritanæ familiæ maximo deuoti animi ardore, ac pietatis sensu perfusus, nec non sectandæ pœnitentiæ addixit, vt Vuadinghus in suis Minorum Annalibus, scribit, & Iordanus quoque hunc in modum adstipulatur. *Vehementer* (inquit) *desideranti* (*Ioanni videlicet*) *cognoscere finem suum, & tempore non pauco propter hoc supplicanti Altissimo, tandem dormienti nocte quadam adstitit ei vir venerabilis alba indutus, in manibus suis tenens habitum Fratrum Minorum cum chorda, & soleis, & ait illi: Ioannes de fine tuo sollicitè desideras scire modum. Noueris hoc esse voluntatis Diuinæ te in hoc habitu moriturum. Perhorrescens ille regalis, & Imperialis fastigij finem tam despectum, exterritus gemebundè clamauit. Concurrentibus tamen cubicularijs, rem patefacere noluit. Sequenti nocte apparuere ei duo albati, & tertia tres, eadem repetentes, iuxtà tres honorabiles eius status Comitis, Regis, & Imperatoris. Excitatus autem vocari iubet Fratrem Angelũ Confessorem suum, qui lacrymanti ait: Habui & ipse tuæ similem visionem, causam scio vocationis. Post paucos autem dies tertiana correptus, habitum sumpsit, & vitam in ordine feliciter consumauit; & infirmus, ac debilitate grauatus dicebat: ò dulcissime Iesu Christe vtinam ego, qui delitiosè in pompa sæculi vixi, vestibus pretiosis indutus sic possem, sicut affecto in hoc humili habitu cum sacco ad collum eleemosynas petendo ostiatim, tuæ sanctæ paupertatis, & humilitatis sequi vestigia.* Hæc Iordanus, qui etsi in aliquibus omnimodæ fidei suspicione haud caret, in pia tamen Regis morte fidus omnimodæ veritatis assertor existit; quæ autem in ipso corrigenda sunt, apud Rainaldum in Annalibus consulas. Porrò Ioannis Regis omni laudum præconio dignissimi obitum in annum 1237. incidisse, Riccardus, & Parisius testantur, cuius hæc sunt verba: *Ipso quoque anno sublatus est è medio immortalis memoriæ inclytus quondam Rex Hierusalem Ioannes de Bresne iam penè culmen Græcorum nactus imperiale.* Hæc ille, quibus pium, recolendumquè Imperatoris decessum immortalibus apud posteros laudibus prosequitur.

Vuadinghus in annal mi. nor. an. 1240

Se sub Fra̅ciscani instituti habitu peracti operibus dicandũ intelligit.

Quantũ ex visu horrorem animo contraxerit, vtpotè ob austerã vitæ normã examinatus.

In quem annum Ioãnis è vita exitus incidit.

Riccardus S. Georgij in Chron. hoc anno.

Parisius hist. Anglic. ann. 1237.

28. Eduardus quoque primus huius nominis Anglorum Rex summam sibi tum apud Deum sub vitæ finem fiduciã, tum apud homines pœnitendo laudem promeruit. Hic enim primùm multa (vt rem altiùs repetamus) pro orthodoxa tuenda Religione, & pro vindicanda è Saracenorum manibus Hierosolymorum ditione laudabiliter præstitit; ob quæ à Gregorio X. condignis præconijs cumulatur. Hic itaquè optimi de se Principis specimen exhibiturus, ac diù item regnaturus, à clementia sui administrationem Regni auspicatus; singularibus populũ beneficijs promereri studuit. Tam piè igitur, tam modestè, munificè adeò, comiterquè se sub principatus initia gessit, vt protegente Numine, tum maximè cum insidijs, ac periculis premeretur, mirum in modum ab impio nebulonis inuadentis gladio, & à certo maris naufragio liber emergens, benignas, amicasquè Gregorij X. gratulantis literas, paterni vtpotè amoris argumenta, ac testes acceperit. Verùm cum subindè manus in sacras Ecclesiasticorum prouentuũ decimas, belli pro tuenda Religione instaurandi causa admouisset, condignis à Martino Quarto Romano Pontifice verbis, monitisquè increpitus est. Qui & insuper cum regali fretus potentia ius Ecclesiæ violasset, Honorium Quartum Pontificem suis obluctantem conatibus, reprehensoremquè acerrimum sensit, vt à iuribus Ecclesiæ proculcandis abstineret, iustè, acriterquè submonitus. Verùm cum Regijs insulis, armisquè præsidens suas, vel ab Ecclesiæ bonis tam vsurpandis, quàm exigendis, extorquendisquè à Clero tributis manus minimè contineret, suam demum, Deo afflante, ac languore percussus culpam agnoscens fateri, madentibusquè palam oculis veniam exposcere haud erubuit. In Belgium quippè cum armis traiecturus, Deo, ac populo, cui scandalum graue præbuerat, facere satis voluit, vt Vuestmonasteriensis sic tradit: *Admisso* (inquit) *Archiepiscopo Cantuariensi in gratiam Regis, atque reddita sibi baronia sua, pridiè Idus Iulij ante magnam aulam Vuestmonasterij eleuatus Rex super gradum ligneum cum filio suo, & Archiepiscopo, nec non Comite Vuarniæ, coram eo stante populo, erumpentibus lacrymis veniam de commissis humillimè postulauit,*

Eduardus primus Anglorum rex quam sub vitæ finem pœnitẽdo fiduciam fortitus.

Plura dignè pro religione orthodoxa tuenda præstitit.

Rainald ann. 1297. nu. 42.

A clementia Regni auspicatus primordia, sum mis populos beneficijs obstrinxit.

Gregorio X Romano Põtifici, & Martino IV scribens ab ipsis laudatur.

Vuestmonast. Flor. hist. an. 1297.

Languore oppressus dolens culpã fatetur.

Cum vero subinde deliquisset lacrimis erum pentibus eminẽtiore è loco veniam à suis humillime postulat.

uit, dicens, se minùs bene, & tranquillè, quam Regem deceret, ipsos rexisse, particulas facultatum suarum, quas sibi dederant, seu quas ministri eius ipso inscio extorserant, ideò acceptasse, vt iniuriosos hostium conatus, sitientium sanguinem Anglicanum, sumpta Reipublicæ particula massa quietiùs possidenda potentiùs expugnaret; & addens: Ecce expositurus me ipsum discrimini propter vos, peto, si rediero, suscipiatis me, velut in præsentia habetis, & ablata omnia reddam vobis; quod si non rediero, in Regem vestrum meum filium coronetis. Præclara quidem Christianæ humilitatis, ac pio digna Principe laudatissimus Rex discessurus monimenta præstitit, quæ vtpote haud perfunctoriè, sed ex intimo cordis affectu præstans, propitium sibi Numen precando, felicem sibi mortali è vita exitum parare sategit.

Quid pro Regni pace armis decreturus suos est allocutus.

29. Verùm cum Rex validis subinde in Scotiam armatorum copijs transmittendis, nempe aduersus Robertum Brusium, qui regnum per vim, & dolos armis inuaserat, totus intendit, graui corporis, ac animi languore correptus, rebusque suis, vt Christiano Principe par est, dispositis, diem feliciter clausit, adeò vt & optatam animi salutem, ac æterni simul regni gloriam probè sit assequutus, vt Vuestmonasteriensis sic tradit: *Cœpit* (inquit) *Rex vexari dysenteria, monuit tamen nihilominus de Caerleolo quinto Nonas Iulij paruis dietis inuectus Scotiam proficiscens; Pridie verò Nonas Iulij venit vsque Burgum super sabulo, vbi conualescente infirmitate die crastina, scilicet sexta feria, præsenti vita valefaciens dies suos in bono, atque annos suos in gloria consumauit. Regnauit autem annis triginta quatuor, mensibus septem, diebus viginti vno, compleuitque ætatis suæ annos sexaginta octo, & dies viginti.* Nec Auctor, quibus hominem bona suffultum spe diem obijsse, dignisque virtutum operibus intentum, è sæculo ad superos migrasse affirmat.

Pro suis strenue decertans, vt Christianũ Principem decet, pie, ac viriliter obit.

Rainaldus an. 1307. n. 13.

Dyssenteriæ morbo laborat.

Vuestmonaster. Flor. in Eduardo.

Feria sexta viuendi finẽ facit.

31. Atqui vt Principi de publica Christianorum re, ac de Christi religione optimè merito; quippe qui sacro toties bello manum admouens, rem viriliter aggredi non recusauit, sepulchralis instar tituli elogium statuamus, hæc ex eodem Vestmonasteriensi subtexenda hic sunt. *Hic Oduardus fuit strenuus in armis per totam vitam suam in omni statu, adeò quod totam Angliam de manu Simonis de Monteforti, Comitum, & Baronum eidem Simoni adhærentium, qui etiam Regem Henricum patrem suum, & se ipsum tenuit in carcere, acquisiuit, sicut superius in chronicis continetur. Totam etiam Vualliam de manibus Leolini Principis, & Dauidis fratris eius, Aquitaniam de manu Regis Franciæ extorsit. Scotiam sibi sæpius subiugauit, sicut superiora gesta testantur. Sed capta Scotia proditiosè per Robertum Brusium vt suprà proximo capitulo continetur, ipse idem inter exercitum in lecto mortis iacens ex magnitudine cordis mandauit, & iussit corpus suum ibi remanere non sepultum, sed deferri in exercitu, quousque tota Scotia esset finaliter acquisita. Sed hoc mandatum non potuit effectui demandari. Fuit itaque corpus delatum in Angliam, & sepultum Vuestmonastery anno proximo sequenti XIII. diè Octobris iuxta S. Oduardum ad caput patris, per manus Venerabilium Patrum Domini Antonij Patriarchæ Hierosolymitani, & Dunelmensis Episcopi, et Guillelmi Archiepiscopi Ebroiacensis cum cæteris Episcopis, Abbatibus, et Prelatis totius Curiæ.* Nobili itaque illatus tumulo apud S. Eduardum, cuius ille iure merito nomen præseferebat, deponitur, illi tam sepulchro, quàm nominis consors futurus, eiusque insuper meritis cęlo sociandus; & qui publicæ rei causa insepultus iacere decreuerat, donec toti optata pacis tranquillitas regno affulsisset, suis condignam post mortem exuuijs mansionem consequutus est, pia illuc Venerabilium Præsulum manu illatus, adeò vt, qui viuens pro recuperanda Hyerosolymorum ditione adeò sollicitus fuerat, & sacro vltroneam ineundo bello manum, promptamque operam præstiterat, piè in se officiosam Hyerosolymorum Antistitis, pluriumque Præsulum, dum eius tumulo ossa inferrentur, obsequentem dexteram sit pro mercede sortitus. Porrò Eduardi memoria haud obscura apud posteros mansit, sed celebres, probatosque scriptores rerum ab ipso præclarè gestarum præcones, assertoresque, Ioannem videlicet Villanum, & Bernardum habet, & ipsum post factum eorundem testimonio laudari dignus

Eduardo regi Elogium à Vuestmonasteriensi inscribitur.

Vuestmonast. in Eduardo vbi supr.

Ipsius laudes merito celebrantur.

In lectulo iacens, suum corpus quousque Scotiæ regnum in potestatem veniat tumulo mandari prohibet.

In Angliam nobili ad S. Eduardum tumulo donatur.

Regni bonũ ac publicam pacem magis quam priuata commoda, & corporis quietem curat.

Qui Hierosolymorum recuperandæ ditioni operam dedit, officiosa Hyerosolymorũ Episcopi, aliorumque Præsulum manu tumulatur.

Ioannes Villanus lib. 8. cap. 90.

gnus est habitus. Bernardus quippe Eduardi laudes breui quidem, sed nobili virtutum elogio prosequutus, dignum illi hunc laudationis titulum aptat: *Eodem* (inquit) *anno hoc est M. CCC. VI. mense Iulij obyt memoratus Rex Angliæ Odoardus, vir in omni probitate famosus, cui successit in regno filius eius, nominis similiter Odoardus, qui eodem anno, insequenti mense Februarij duxit vxorem Regis Franciæ nomine Isabellam*. Hæc ille, quibus recolendam defuncti Regis gloriam, velut viuis in tabula coloribus adumbrasse sufficiat.

Bernardus & MS. post Clementis vbi supr. MS item Vatican. sign. n. 4795.

Eduardus à Bernardo scriptore vir omni probitate famosus dicitur.

30. Vt susceptæ autem narrationis proposito nostra insistat ratio, nedum viri in sęculo præcellentes ob spem salutis, suum pijs è vita exitum operibus præueniendum, pręmuniendumquè curarunt, sed & laudatissimi quique, Pontificali munere conspicui, bonis vitæ actibus morti occurrendum, expeditamque haud aliter sibi in cęlum parãdam viam duxere. Inter quos Clemens, Quartus huius nominis, Romanus Pontifex, optimè de vniuersa Christi Ecclesia meritus, eum in modum pœnitentiæ operibus institit, vt licet in supremo Apostolatus apice constitutus, ab ijs minimè se contineret, sed austerioris vitæ normam iam pridem sibi præscriptam augeret potiùs, quàm intermitteret, aut ex parte minueret. Ieiunijs quippe, ac precibus totus assiduè vacans, ingentia quæque mala, quibus suis præsertim temporibus Christi premebatur Ecclesia, vt Rainaldus in suis Annalibus tradit, sollicitè auertit. Demum incommodis, pęnisq; se vltro, libenterque in stadio exercens, & corpori affligendo intentus iugiter transitum ad superos, eorumquè consortium felicissime adeptus est. Eius verò Ptolomæus Lucensis elogia describens, hæc de eius austerioris vitæ norma tradit: *Generalis* (inquit) *Clericus fuit, videlicet Iurista summus, Prædicator egregius, cantor pulcherrimus sine pari. Carnes diù non comedit; asperrimo lecto est vsus, nec vestibus lineis ad carnem vtebatur, et sic Sanctissimam vitam duxit, nec inuenitur exaltasse parentes, Deo dicatus*. Hęc Ptolomæus, cui paribus laudum titulis Longinus, rerũ Polonicarum scriptor recolendũ Clementis obitum describens adstipulatur; hæc enim de eo habet: *Vltima* (inquit) *Decembris die vir vita sanctissima Clemens Papa Quartus, insignis Iurista, et Prædicator egregius, diù carnibus abstinens, asperrimo lecto, vestibus verò lineis ad carnem nunquam in Papatu vtens, Viterbij moritur*. De eo item Iordanus eius summatim laudes complectens, hæc in suis paginis habet: *Fuit vir benignus generaliter habitus, cantor delicatus, in concionando non habens socium, sibi austerus, cæteris pius*. Illud itaque in viri de cunctis, ac de Ecclesia optimè adeò meriti laudem vno scriptorum ore canitur, quod austeritati apprimè addictus, in seipsum duntaxat summopere rigidus, ergà reliquos blandum se, ac mitem præferens ingenita sibi aliorum animos benignitate, penitentia verò Deum sibi maximè conciliauerit.

Rainaldus an. 1268. n. 54.

Romani Pōtifices quo pietatis studio mortem præuenerint.

Clemēs IV. bonis iugiter, ac pęnitentiæ operibus viuens se ipsũ me exercet.

Ptolomæus Luc. hist. Eccles. lib. 22. cap. 38.

Austerioris vitæ normã sibi præscriptam auget potius, quam minuit.

Digna laudum ipsius ex Ptolomæo præconia.

Aeque austerus ergà se ipsũ, & suos.

Longinus hist. polon. lib. 1.

Insignis iurista, & prædicator egregius.

Iordanus MS. Vat. sign. n. 1960.

In cunctos vt suo probe responderet nomini maxime benignus.

31. Verum enimverò Venerabilis Pontifex suis tum ieiunijs, tum precibus nobiles haud semel à Deo palmas, Ecclesiæ bono, ac vtilitati prospiciens obtinere promeruit, vt scriptor ille, qui Parisij historiam prosequitur, eiusquè scriptis, appendicem superaddit, etsi in Romanos Pontifices liuore tabescens, huius tamen Pontificis opera, & studio insignem partam à Deo victoriam fateri palam haud est veritus; hæc enim ille: *Iste Papa* (inquit) *ita vigilys, ieiunys, et orationibus, ac alijs bonis operibus erat intentus, quod multas tribulationes, quas tunc sustinebat Ecclesia, Deus suis meritis creditur extinxisse, quin etiam cum multi factum Regis Caroli pro desperato haberent, tum propter multitudinem exercitus Conradini, tum propter totius penè Regni Siciliç rebellionem, in publico sermone rei euentum prædixit*. Insignem namque ex hoste victoriæ, palmam, desperatis ferè iam rebus dum Clemens supplices ad Deum cum Moysè manus in cœlum leuaret, Carolo pro Ecclesia dimicanti affulsisse, & à Clemente, qui eius procurandę apud Deum intentus, sequester fuerat, diuinitus præuisam, nobiliquè præconio adstantibus prænunciatam Ioannes Villanus tradit; Clemens quippe dum Viterbij ad populum, suoque ex more concionaretur, quasi in diuinam mẽte abreptus, ecstasim immobilis aliquandiù perstitit, tunc verò, ac si præsens, suisque rem oculis

Dignus pontifex suis ieiunijs hoc semel Ecclesiæ inter bellorum palmas peperit.

Parisij hist. continuator an. 1269.

Euentum belli quem cuncti desperabant, prosperum fore prædixit.

Regni Siciliæ rebellionem fide magis, quam ferro extinxit.

Ioannes Villanus lib. 7. cap. 18.

Dum Viterbii ad populum sermonem habet, extra se raptus aliquãtisper subsistens silet.

lis

lis cererent, lustra retquè cunctos in acie bellantes alacriter, sic protinus inclamare cœpit: *Procurrite* (inquit) *capite hostes Ecclesię, qui fusi, ac fugati sunt.*

Subinde vocem attollens & ac si præsens victoriam denunciat.

Nullus verò, dum isthæc adstanti populo renunciaret, partæ ex hostibus victoriæ adhuc nuncius peruenisse ad eum poterat, cum plusquam centum millenis passibus à loco, in quo prælium agebatur, distaret, eaquè pręcedenti die in peruigilio videlicet S.Bartholomæi effusæ in preces Ecclesiæ Deo aspirante affulsit.

Rainaldus an. 1168. num. 31.

Portentosa plane ob Pōtificis meritum crédita victoria.

Quocircà (vt Rainaldus in suis paginis adnotat) ab omnibus, qui tunc in aula Pontificia præsentes aderant, constanter creditum, Pontificem, qui sanctioris vitæ merito clarus extitit, diuino illustratum lumine, hæc suis palam edixisse; sed qui probè rem assequi cupit, Rainaldum in suis Annalibus, ad quem lectorem amandamus, consulat.

32. Nec verò minori pietatis studio, & ad quæuis perferenda animi alacritate arctam pęnitentiæ semitam aggressæ sunt olim mulieres, quæ summam ob id vnum, se ipsis, ac sexu fortiores laudem promeruere; Harum vna Salomea, Gallatiæ, & Haliciensis Regina, Boleslai Pudici, Cracouiæ Ducis soror, iure meritò recensenda est, quæ Colomano Haliciensi Regi nupta, sponso sibi assensum præbente, spretis, proculcatisquè sæculi delitijs, integrum, illibatumquè Virginitatis Deo florem seruauit; Hæc namque viro è viuis sublato, se totam pęnitentiæ operibus, atque austerioris vitæ sub arctiori regula sectandæ cultui dicauit, vt laboribus subinde, incommodisquè atrita, ac virtutum insuper meritis cumulata feliciter ad cœlestis sponsi nuptias perueniret.

Fœminæ quoque pœnitentię cultum viriliter sectantur.

Rainaldus an. 1268. num. 55.

Salomea Gallatiæ Regina, &si nupta virginitatis laude fulgens pœnitentiæ operibus vitam mirifice excolit.

Pia igitur mulier, quò maiori pietatis studiò, ac mentis feruore supernis contemplandis rebus vacaret, religiosa B. Claræ, arctioris obseruantiæ instituta, vt Rainaldus in suis Annalibus tradit, amplexa, cum duos, suprà triginta annos in asperrimæ vitæ stadio se ipsam exercens, iugiterque cilicio macerans spretis, edomitisquè viriliter carnis illecebris percurrendo duxisset, magnis bonis tandem operibus diues, ac virtutibus clara ad prœmia in Cęlum euolauit, adeò vt miraculorum signis à Deo insuper illustrari meruerit, vt Longinus præcipuus eiusdem laudator his verbis meminit.

Viro orbata arctioris obseruantiæ B. Claræ institutis se ipsā deuouet.

33. *Decima* (inquit) *Nouembris die* (*Anno. M. CC. LXIX.*) *Salomea Virgo Illustris, Galatiæ, seu Haliciensis Regina, soror germana Boleslai Pudici Cracouiæ Ducis, quæ sponso suo Colomano Gallatiæ, seù Haliciensi Rege, cum quo omni carnis illecebra profligata, in Virginitate, & summa continentia conuixerat, obeunte, religionem, & ordinem S. Claræ professa, in Zanichosten Monasterium se contulerat, et Zanichosten Monasterio ad lapidem S. Marię aliàs Scalam prope Cracouiam translato, in obseruantia regulari, et rigore vitæ, Virginum Domino annis duodetriginta nunquam à carne cilicium amouens seruierat, Abbatissæ officium gerens in Zaccichosten, et in lapide S. Mariæ Monasterijs moritur. Quę licèt diebus septem iacuisset insepulta, profętore, qui cadaueribus inesse consueuit, suauis odor Sanctimoniales corpus suum frequentantes afflabat. Quarto Demum Idus Nouembris in eodem Monasterio de lapide sepultum, anno sequenti IV. Kal. Iuly Cracouiam transuectum in Ecclesia S. Francisci Fratrum Minorum in Chori medio, honore congruo humatum. Sed ne tunc quidem, quamuis æstuante Sole, ex cadauere poterat à quoque illud comitantium fętor sentiri; sed & quædam ex Sanctimonialibus cęnobij prefati, Martha nomine, virgo religiosa, et grandæua, pro constanti astruebat veritate, etiam tunc ex corpore suo, et suauitatem, fragantiamquè odoris; et Stillicidium olei manasse, quo multi ęgrorum peruncti, integram se sanitatem recepisse testati sunt. Animam eius benedictam Cęlos in magno fulgore petentem, in visione vidit Fr. Boguslaus ordinis minorum vir deuotus, et Religiosus, & Angelorum cętum canentem suauitate inenarrabili carmen: Fronduit, floruit Aaron, virgula quę in carne posita frequentibus suspirijs, lacrymis, & obsecrationibus cęlestem splendorem, cognatumque desiderabat, illic degendi formam, piorumque conuentum sitiens.* Hæc Longinus de Virgine, quæ austeriori pœnitentium vitæ ob Christi amorem, & ob Mortem fiducialiter obeundam, se totam deuouerat; eademquè Michouias, & Cromerus, qui miro insuper oleo illibatum Virginis corpusculum post mortem diuinitus respersum sudorem emisisse testantur. Et

Miraculis à Deo illustratur.

Lōginus hist. polon. lib. 7

In sæculo de sæculi pompis & in matrimonio de carne triumphat.

Annis duodetriginta nunquam à carne ciliciū amouet.

Abbatissæ præfecturam exercet.

Diebus septem insepultum ipsius corpus, mirum odorē afflat.

Suauis odor et olei ex ipsius corpore liquor morborum remedio manat.

Angeli in funere ipsius, quia diu penitus fleuit carmen lætum canere auditi.

Michouias rer polon. lib. 3. c. 57. Cromerus lib. 9.

congruè id ipsi e cœlo contigit, vt quę viuens acerbis adeò se ipsam pęnis, corporisq; cruciamentis confecerat, suauè post mortem, salubremq; portentosi stillicidio olei innotescens, quo quo modo immortalis mortalibus dulcedinem vitæ è proximo, demostraret.

34. Huic Agnes Marchionissa Misnensis pari laudum consortio iungenda est, quæ pęnitentiæ operibus, aduersaquæque patienter ferendo, quandiù vixit intenta, suum præuenire iugiter exitum studuit ac ostenso sibi diuinitus visu, atque Angelico mirifice recreata colloquio, acerbum, sed beatum denique vitæ finem consequuturam se didicit, vt Rainaldus in suis Annalibus sub eodem Christi anno obitum vtriusque consignans, his verbis describit: *Non dispari (inquit), ac felici obitu Agnes Marchionissa Misnensis extremum diem clausit: cui Germani scriptores tradunt obiectum per visum Angelum in scypho aureo vinum amarum propinasse, atque illa potus amaritudinem conquerente, Angelum subiecisse acerbam fore eius mortem, non ipsam tamen à Numine destituendam, nec multo post ipsam è vita discessisse.* Hæc Rainaldus; Ex quibus illustris prosapię fęminam amaros priùs pęnitentię succos, quàm dulces, peroptatosquè præmiorum degustasse fructus, sat legentibus compertum redditur.

Agnes Misnensis marchionissa pęnitentię operibus addicta.

Rainaldus an. 1268. num. 55.

Angeli per visum ipsi amarum in scypho aureo potum præbent.

Auctor Anonym. de Lantgrau Turing auct. addit. ad Lambert.

Mors ipsi eiusmodi visu præostensa.

35 Demum, vt quantum pęnitentia sub vitę finem subsidij sit, & quantum hominibus fiduciæ ad Deum præstet, tum ex iam dictis, tum etiam ex his, quæ narratis modò subteximus, probè vnusquisque intelligit; Quoniam vero inimici nostri interdum sunt Iudices, quid hæreticę prauitatis sectator hac super re aliquandò asseruit, his quidem verbis doctissimus inter scriptores Cornelius à Lapide in suis ad Pentatheucũ notis, vbi de impio Balaam loquitur, his verbis tradit. *Nuper* (inquit) *vir quidam princeps hęreticus, aut potius Politicus, bona tamen indolis, & ingenij, rogatus, quid de Catholicis, & Caluinistis sentiret, vtrorum fides esset verior? respondit argutè, se malle viuere cum Caluinistis, sed mori cum Catholicis; quod horum mors sit lætior, & securior, illorum vita sit licentior, & voluptuosior. Verùm sanctius, & suæ saluti congruentius dixisset: Quandoquidem malo mori cum Catholicis, malo & cum ijs viuere; bona enim mors à bona vita pendet, & impossibile est, eum, qui hæreticè, aut malè viuit, bene, et feliciter mori. Prudentiùs ergò, sibiquè vtiliùs dixisset Balaam: Viuat animam mea vita iustorum, vt moriatur morte iustorum. Qui enim viuit vita piorum, certò morietur morte piorum; et qui viuit vita impiorum, certò morietur morte impiorum, idquè semel, et semel.* Quibus & isthęc appendicis instar auctoris verba subteximus: *Omnes ergo* (inquit) *mali bonam mortem appetunt, sed bonam vitam fugiunt, quia benè mori felicitas est, sed bene viuere laboriosum est: Vnum tamen sine alio non conceditur. AEternitas à morte pendet, hæc à vita bona, vel mala. Elige, perijsse semel aeternum est*: Sed iam ad alia orationis stylus recurrat.

Inimici interdum veritatis affertores, ac iudices.

Cornelius à lap. in comment. in lib. Num. c. 23. vers. 10.

Principis hæretici ac politici de hominis vita, & morte dictum.

Hæretici hominis vita suauior sed mors terribilior.

Balaam bonorum sibi mortem, non ita vitam optabat.

Cornelius à Lap. vbi supra.

At quia mors vitæ respondet, qui male viuit, male moritur.

CAPVT II.

Pœnitentes duram ineuntes vitæ rationem, à Deo veniam obtinent.

1 POenitentia, quæ suum à pęna nomen deriuat, nil aliud profectò menti ingerit, ac nil post noxam, noxiaquè peccati oblectamenta, præter cruciatum, ac intimum cordis dolorem mortalium auribus insonat, vt aptè, appositequè Augustinus de Pęnitentia loquens affirmat. *Pęnitentia* (inquit) *à pęna nomen accepit, quia anima cruciatur, et caro mortificatur.* Duplicem quippe homo, qui in Deum aliquandò peccauit, ob peccatum iustissimè pœnam incurrit, animæ videlicet, ac vna simul corporis, vt per iustitiã, quæ vnicuique reddit quod suum est, Deo quoque omnimodis post culpę reatum fiat pęnitendo satis. Ipsius autem animæ pœna omnium profectò acerbissima censenda est, adeò vt iugi, ac insusitato quodam, qui semel deliquit, & quo vix vnquam post peccatum iusto Deinutu absoluitur, animi mærore afficiatur. Quo sanè regius Propheta post culpam admissam saucius assidue semetipsum flebat: *Ille enim* (Chrysostomo teste) *ità erat in solio regali, tanquam vinctus in carcere, iacebat in purpura, quasi in cilicio cinere consperſus, et corde compunctus*

Pœnitentia suum à pęna nomen deriuat ex Augustino.

Augustinus serm. 4 in Cœna Domini.

Pęnis & nõ aliter ante actę vitæ culpis satisfit

Chrysostom. lib 2. de compunc. com.

Dauidis in regni folio post culpæ reatum pœnitentis forma.

Augustin. lib. de vera, & falsa pœnitentia.

Iuuenalis in Sat.

Ad Iustitiæ tribunal, culpæ reatus cõpensandus.

Beda in lib. Esdra cap. 3. n. 8. *Mendozza ibidem.*

His, qui negligenter vixere, erraſſe aliquando prodeſt.

Beda vbi ſupra.

Deuteron. 25.

Iuſtâ illa à Deo peccatoris lex ſtatuitur, vt iuxta menſuram delicti plagarum fit modus.

tur, Aula regalis erat ei tanquam eremi vaſtiſſima ſolitudo. Hac omnia agebat in eo cordis compunctio, quæ facit hominem horreſcere purpuram, deſiderare cilicium, amare lacrymas, riſum effugere. Et iuſte: ſiquidem anima peccans ad conſcientiæ tribunal non tam ferro, quam intimo doloris patibulo deſtinatur. *Pœnitentia* (inquit Auguſtinus) *eſt quædã dolentis vindicta, puniens in ſe, quod commiſiſſe dolet.*) Ad quod item ſatyrographus inter Poetas alluſiſſe videtur, dum peccati reatum, ac pœnam ad viuum in tabula repręſentans hæc habet.

——— *Prima hac eſt vltio, quod ſe Iudice, nemo nocens abſoluitur, improba quamuis.*
Gratia fallacis Prætoris vicerit vrnã.

2. Indè fit, vt qui culpę reatu abſolui cupit, non niſi ad iuſtitiæ Tribunal vti reus conſiſtens, condignis ſuas pœnis culpas Deo compenſandas intelligat. Quod ſanè ſacerdotes olim, ac Leuitas præſtitiſſe conſtat; qui enim ante Babylonicam captiuitatem ſegniores in templi miniſterijs fuerant, poſt captiuitatem corde compuncti diligentiores pręcunctis extitere; de quibus illud Beda: *Quantum* (inquit) *boni malum captiuitatis attulit, de qua eruti tanta omnes contentione, quanta nunquam anteà cęleſtibus obſequijs inſtant.* Id ipſum certè quam pluribus poſt lapſum contigit, vt Auctor prælaudatus inculcat: *Multis* (inquit) *qui in pace negligentes vixere, ſubitò erraſſe, et peccaſſe profuit: dum poſt caſum pœnitendo erecti, vigilantius Deo ſeruiunt; et qui pigri in innocentia ſtabant, et deſides, poſt accidentem ruinam admoniti, ſunt ſolertius contrà hoſtis inſidias accincti, et qui nec propriam vitam curando offenderant, poſt etiam fraternæ ſalutis curam gerunt.* Sic profectò præteriti lapſus ruina, non niſi ſalubris pęnitentiæ ſubſidio reparatur.

3. Nec vero momentaneus Pęnitentiæ rigor, ac blandus pro admiſſis culpis faciendi Deo ſatis modus ſacris olim in paginis ipſius Dei ore præſcribitur, *Pro menſura* (inquit) *peccati erit & plagarum modus*; adeoque haud leui acerbiora quęque delicta animaduerſionis mulctanda ſunt pęna, ne ſit nimirũ *dedecus culpę abſque decore Iuſtitiæ*: Quapropter Tertullianus iuſtis, rigidiſque peccatores ſubijci pęnis, ſeueraq; Sacerdotalis cenſuræ mulcta plecti quondàm conſueuiſſe, his verbis inculcat. *Itaque exomologeſis* (inquit) *proſternendi, & humilificandi hominis diſciplina, conuerſationem iniungens miſericordię ilicem. De ipſo quoque habitu, atque victu mandat, ſacco, & cineri incubare, corpus ſordibus obſcurare, animum męroribus deijcere, illa, quæ peccauit, triſti tractatione mutare: cęterum paſtum, & potum pura noſſe, non ventris ſcilicet, ſed animę cauſa: plerumquè verò ieiunijs preces alere, ingemiſcere, lacrymari, et mugire dies, noctesque ad Dominum Deum tuum, Presbyteris aduolui, et Charis Dei adgeniculari, omnibus fratribus legationes deprecationis ſuæ iniungere; hæc omnia exomologeſis &c.* His ille Chriſtianorum antiquiſſimus dum recolendos Pęnitentiæ ritus, actaſque pęnitentium meminit, quibus olim ſe chriſtianorum quiſque ſponte ob veniã ſubijceret, pęnitentiæ ploculdubio normam exactè ſuo ex more repręſentat.

Tertullian: de pœnitentia cap. 8. 9.

Pœnitentiæ lex egregie à Tertulliano deſcribitur.

4. Porrò ſacer, rigiduſquè pęnitendi mos, ac modus inſuper adeò olim in Chriſti Eccleſia inualuit, vt antiquius nihil à Chriſtianis haberetur, quàm dignas pro culpis Deo pęnas rependere, vt olim Clerus, & tota ſimul Romana Eccleſia ſic ad Cyprianum ſcribens, teſtatur. *Abſit* (inquit) *ab Eccleſia Romana vigorem ſuum tam profana facilitate dimittere, & neruos ſeueritatis euerſa fidei maieſtate diſſoluere, vt cum adhuc non tantùm iaceant, ſed & cadant, euerſorum fratrum ruina properata nimis remedia, communicationum vtique non profutura præſtentur.* Quapropter Fabianus Papa Philippum Chriſtianum Imperatorem ad exomologeſin faciendam Pontificia nedùm auctoritate adhortans, ſed diſtricte compellens, haud priùs illi (vt Baronius docet) Eccleſiaſticam communionem impartitus eſt, quàm peccatorum confeſſionem faceret, ac ſe ſponte Eccleſiæ legibus ſubijciens, ad parendum ſe promptum omninò, paratumquè exhiberet, vt his Euſebius verbis docet: *Fama eſt* (inquit) *hunc* (*Philippum videlicet Imperatorem*); *Chriſtianus namque erat, cum precationum in die poſtrema Vigiliæ Paſchatis vnà cum multitudine in Eccleſia particeps fieri vellet, non prius ab Epiſcopo, qui Eccleſiæ præerat, permiſſum eſt intrare, quàm ſe*

Mos laudabilis in recipiendis peccatoribus apud Romanam Eccleſiã olim viguit

Cyprianus Epiſt. 31.

Euſebius lib 6. cap. 27.

Fabianus Pôtifex Philippum Imperatorẽ non niſi pęnitentem ad ſanctorum communionem recipit.

Baronius an no Chriſti.

Euſebius vbi ſupr.

ſe confeſſus fuerit, & inter eos, qui peccatorum vinculis adhuc tenebantur adſtricti, locumque pęnitentiam agentibus præſtitutum occupabant, ſe ſua ſponte collocauiſſet: Epiſcopumquè dixiſſe, eum non alia conditione, niſi iſtud faceret, propter multa delicta, quæ ab illo ferebantur admiſſa, aliquandò ab ipſo in Eccleſiam receptum fore. Imperatorem autem alacri animo, & libenti Epiſcopo morem geſſiſſe, & ingenuam modeſtiam, & religioſam, piamquè affectionem re ipſa declaraſſe memorant. Hæc apte in rem Euſebius.

Ingens pontificij in Imperatore mulctando animi conſtantia.

Hæc imperatoris Philippi Chriſtiani Principis, Pōtificis Imperio humiliter parentis demiſſio, ac laus,

5. Pęnalibus item ad condigne expiandas, abolendaſquè criminum labes operibus inſiſtendum Auguſtinus docet: *Non ſufficit* (inquit) *mores in melius mutare, niſi etiam de his, quæ facta ſunt, ſatiſfiat Deo per Pęnitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis ſacrificium.* Quod quidem ſanctiſſima olim Romanas inter fęminas Paula in primis opere impleuit, quæ ſuum adeò ſeuerè corpus tractabat, vt ab Epiſcopis meritò manifeſti velut criminis argueretur, & vt deſiſteret, aliquandò admonita, monentibus vltro ſic reſponderet: *Turpanda* (inquit) *eſt facies, quam contrà Dei præceptum purpuriſſo, & ceruſſa, & ſtybio ſæpe depinxi; affligendum corpus, quod multis vacauit delicijs; longus riſus perpeti compenſandus eſt fletu. Mollia linteamina, & ſerica pretioſiſſima, aſperitate cilicij commutanda:* Quo ſane mulier Magdalenam Pęnitentium ducem, atque exemplar, ipſius ſectando veſtigia imitari viſa eſt, de qua Gregorius hæc habet: *Quod ſibi* (inquit) *turpiter exhibuerat, hoc iam Deo laudabiliter offerebat: oculis terrena concupierat, ſed hoc iam per Pęnitentiam conuertens flebat; capillos ad ſui compoſitionem vultus exhibuerat, ſed iam capillis lacrymas tergebat; ore ſuperba dixerat, ſed pedes Domini oſculans, hoc in redēptoris ſui veſtigia figebat. Quot ergò in ſe habuit oblectamenta, tot de ſe inuenit holocauſta. Conuertit ad virtutum numerum, numerum criminum, vt totum ſeruiret Deo in Pęnitentia, quidquid ex ſe Deum contempſerat in culpa.* Sic profectò mulier corde compuncta, quæ ſibi fuerant Inſtrumenta laſciuiæ, oculos videlicet, capillos, odores, ſexuſq; blandas delicias in ſalubriter, Pęnitentiæ inſtrumenta conuertit.

Auguſtin. lib. 50. homiliarum.

Quid ſit cōtriti cordis ſacrificium ex Auguſtino.

Hieronym. Epiſt. 27. ad Euſtoch.

Paula Romanarum fœminarum nobiliſſima ſe pœnitentium præbet exemplar.

Gregorius hom. 13. in Euang.

Cuncta ante actæ vitæ omnino cōtraria præſtat Magdalenæ ſectando veſtigia.

Verax Magdalenæ pęnitentis exēplum ex Gregorio.

6. Quod pari quoq; verborum pondere Ambroſius, ſtrenuè Virginem lapſam ad pęnitendum adhortans, deuictamquè ſæculi blanditijs, rigidioris vitæ, ac pęnitentiæ armis, vt fortiter pugnet, ac feliciter vincat, inſtruendo præmunit: *Lugubris* (inquit) *tibi accipienda eſt veſtis, ac mens, ac membra ſingula, digna caſtigatione punienda. Amputentur crines, qui per vanam gloriam, occaſionem luxuriæ præſtiterunt; defluant oculi lacrymis, qui maſculum ſimpliciter non aſpexerunt; palleſcat facies, quæ quondam viruit pudicè; denique totum corpus incuria maceretur, cinere aſperſum, et opertum cilicio perhorreſcat, quià malè ſibi de pulchritudine placuit. Cor verò liqueſcens ſicut cera ieiunijs: quia in membra corporis cum haberet dominationem, malo ceſſit imperio; grandi plagę alta, & prolixa opus eſt medicina; grande ſcelus grandem habet neceſſariam ſatisfactionem.* His planè Ambroſius eos, qui potiſſimè in Deum aliquandò peccarunt, ad arctam, rigidamquè ineundam vitæ rationem ex hortans, & pro roſis ſpinas, tribuloſquè pro floribus carpendos conceptis in rem verbis inculcat.

Ambroſius ad Virginem lapſam;

Similis, ac digna pęnitendi forma virgini lapſæ ab Ambroſio iniungitur.

Grandi plagæ, alta, & prolixa opus eſt medicina.

7. Vt autem de auſteriori pœnitentium norma dicendi nobis initium ſit; Eſſeni quidem præ cœteris olim apud Hebræos laudatiſſimi, magnum cunctis de ſe pœnitentiæ documentum præbuere, eam in primis vitæ auſterioris formā ſectantes, vt pro magno ab hominibus cunctis inter viuendum portento ſuſpicerentur; Sua quippe corpora à cunctis vitę voluptatibus, ac delicijs alieni, præuiæ cum in modum mortis clauo confixere, vt ſe mori potiùs inter pęnas, quām inter ſæculi blāditias viuere factis cōprobarent; de his enim Solynus dū admirandos corū mores, ac vitæ genus illis potiſſimum verbis exequitur: *Venere* (inquit) *ſe penitus abdicant, pecuniam neſciunt palmis victitant.* Quo quid ſe ipſis maius, vel auſterū magis, ac omni dignū admiratione dici poteſt, quorum cibus ieiunium, & quibus ſola pro delicijs deliciarū fuga, & carnis auſteritas cordi fuit, & tamen ſecta pęnitentiæ adeò exculta, & fæcunda operibus, nuptijs ſponte omnino amotis, perpetuitatem, ſortita haud ſine hominum ſtupore videbatur, vt Plinius valdè olim admirabundus narrat;

Baronius an. Chriſti. 64. n. 5.

Eſſeni olim apud Iudęos ob pęnitentiæ rigorem laudatiſſimi ex Solyno.

Se omni venere abdicabant, & cibus eorum ieiunium.

Solynus Polyt. hiſt. cap. 36.

Gens

Plinius lib. 5. cap. 17.

Gens aeterna est in qua tamen nemo nascebatur iuxta Plinij dictum.

Gens (inquit) *ęterna est, in qua nemo nascitur, tam fęcunda illis aliorum vitę pęnitentia est*. Sub ipsa quippe initia laudabilis pœnitentiæ rigor condignis meritorum præconijs extolli meruit. Plinius etenim castigatissimos Essenorum mores illis at verbis adumbra:t *Gens sola* (inquit) *in toto orbe prater cęteros mira, sine vlla fęmina, omni Venere abdicata, sine pecunia, socia palmarum, in diem ex aquo conuenarum turba renascitur, largè frequentantibus, quos vita fessos ad mores eorum fortunę fluctus agitat. Itd per saeculorum millia incredibile dictũ, gens aeterna est, in qua nemo nascitur: tam fęcunda illis aliorum vitę pęnitentia est etc.* Hæc Plinius dum probe pęnitentia excultos ipsorum mores describit, cui Solynus pariter egregiè adstipulando hæc habet: *Interiora* (inquit) *Iudea Esseni tenent, qui prӕditi morali disciplina, recesserunt à vita gentium vniuersarum, Maiestatus (vt reor) prouidentia ad hunc morem destinati; Nullę ibi fęminę, Venere se penitus abdicant, pecuniã nesciunt; palmis victitant: Nemo ibi nascitur, nec tamen deficit hominum multitudo. Locus ipse addictus pudicitię est, ad quem plurimi licet vndique gentium properent, nullus admittitur, nisi quem Castitatis, & innocentię meritum prosequatur; Nam qui reus est vel leuis culpae, quamuis summa ope adipisci ingressum velit, diuinitus submouetur. Itaquè per immensum spatium saeculorum, incredibile dictu, aeterna gens est cessantibus puerperÿs*. Hæc ille.

Plinius lib. 5. cap. 17.

Vitæ austeritas, & continentia tum à blandis voluptatibus, tum à pecuniæ lucris.

Solynus Polyt. hist. cap. 36.

Hæc secta non desuit, & si nemo ibidem nasci tur.

Nemo nisi castitatis & innocentię merito probatus olim inter Essenos adscriptus.

8. Hieronymus item præ ceteris Essenorum mores, eorumquè vitæ genus summis laudibus celebrans, eos ipsius nec Philonis stylo mirifice sic extollit: *Philo* (inquit) *Iudaeus natione Alexandrinus, de genere sacerdotum, idcircò à nobis inter scriptores Ecclesiasticos ponitur, quià librum de prima Marci Euangelistę apud Alexandrinam scribens Ecclesiam, in nostrorum laude versatus est: non solùm eos ibi, sed in multis quoque prouincÿs esse commemorans, et habitacula eorum dicens Monasteria. Ex quo apparet, talem primam in Christo credentium fuisse Ecclesiam, quales nunc Monachi esse nituntur, et cupiunt, vt nihil cuiusquam proprium sit, nullus inter eos diues, nullus pauper, patrimonia egentibus diuidantur, orationi vacetur, et psalmis, doctrinę quoque, et continentiae, quibus et Lucas refert primùm Hierosolymis fuisse credentes*. Hæc Hieronymus sectatus proculdubio Eusebium, qui isthęc à Christianis sub Essenorum nomine à Philone scripta contendit.

Hieronym. lib. in Philonem.

Esseni à Hieronymo egregie Philonis stylo adumbrati.

Essenorum vita, primæuorum Christianorum moribus respondens.

Eusebius histor. cap. lib. 2. cap. 15. 16.

Sicut Lucas Christianos in Apostolorum actibus describit, sic Hieronymus eosdem sub Essenorum nomine repræsentat.

9. Monachi verò, qui regularis vitæ obseruantiores fuere, quod, ac quantis se ipsos olim pęnis conficerent, satis Climacus visus est adumbrasse, dum miram eorumdem in se excruciandis, inuictamquè in subeundis vltro pęnis tolerantiam meminit: Nam de Pœnitentium Carcere loquens hæc habet: *Quosdam* (inquit) *vidi noctibus totis vsque ad mane sub diò stare peruigiles, pedesquè immobiles tenere: cumquè somno mirabiliter oppressi agitarentur, vim naturę inferre, increpare, ignominÿsquè, et contumelÿs afficere, atque excitare. Alios miserabiliter in cęlum intuentes, et illinc adiutorium cum gemitu, et suspirÿs, et vocibus inuocantes. Alios in oratione existentes, ac reorum in morem vinctis post terga manibus, humilluridas facies inclinantes, indignosquè se, qui in Cęlum aspicerent, vociferantes. Nonnullos in pauimento strato cilicio, et cinere sedentes: alios iugiter pectora tundentes. Plurimi, vt in mortibus solet fieri, super animabus suis vlulatum claræ vocis emittebant. Alÿ ex intimo corde rugiebant, atquè intrà os gemitus sonum cohibebant. Interdum verò cum se continere non possent, repentè exclamabant. Vidisses in illis aestuantes linguas instar canum ex ore procedentes. Ex bis alÿ sub ardentissimo solis aestu se ipsos cruciabant. Alÿ contra acerrimo frigore se affligebant; Quidam modicum aquæ degustantes, nè omnino siti exarescerent, ita quiescebant. Nonnulli cum panis exiguum quid accepissent, reliquum manu longiùs proÿciebant, indignos se, qui rationali cibo vescerentur, asserentes, quippe qui irrationabiliter egissent. Quem apud illos locum risus habere poterat? quem ociosus sermo? &c.* Hæc ille, acerbissimas hominum intimo ex cǫrde pęnitentium, ac se quibus vis certatim modis excruciantiũ nedum pęnas, sed & carnificinam ad viuum cunctis in scena contemplandam exhibens.

Ioannes Climacus gradu. 5.

Quis Pœnitentium monachorum rigor ex Climaco.

Pœnitentiũ habitaculum carcer merito dictus.

Dictu incredibile est, quæ præstiterint.

Pęnis se ipsos tanquam delicijs saginantes.

Tenui panis fragmento contenti cibum reiiciebant.

10. Verùm enimuerò qua homines pęnarum (vtpotè ambitiosissimi contentione ad Pęnitentiæ asylum, ad carcerem vi-

Pœnarum plusquam honorum ambitiosi.

videlicet vltrò, libenterque procurrerent, gemmatorumquè instar monilium ipsius loci squalorem, ac sordes ducerent, his idem Climacus verbis exponit: *Quidam monachus* (inquit) *eo quod in peccatum incidisset, ab Abbate multis & precibus, & lacrymis impetrauit, vt ad agendam penitentiam in carcerem illum Pænitentium damnaretur. Proiecit se* (inquit Abbas) *in pauimentum, apprehendit pedes, multisquè illos lacrymis vbertim rigans petijt se ad custodiam damnari. Extorsit carcerem lacrymis, ità verò se mœrore in eo torsit, vt intrà paucos dies doloris gladio transfixus occubuerit. Doloris gladio* (ait Abbas) *percussus in corde, quem diuina charitas acuerat, octauo postquam in carcerem venerat, die migrauit ad Dominum, petens, nè sepultura frueretur. Quem ego vt sanè dignissimum in Patrum sepulchro sepeliui. Nec defuit, qui certissimè cognosceret, non eum ante à pedibus meis resurrexisse, quàm Deus illi propitius ignosceret.* Sic Deus profectò Pęnitentium culpas abolet, dum pęnis vltrò homines ipsas diluere satagunt.

Io. Climacus vbi supra.

Monachus, qui secreto deliquit, enixis ab Abbate precibus ad pęnitentium damnari carcerem poscit.

Extorquet lacrymis vt sepulturā optat infimam.

Octo pòst dies præ contritione cordis moriens ne corpus ipsius tumulo inferatur, postulat.

11. Quibus insuper pęnis alij quamplures, sed vnus præsertim qui, latrocinandi quondam arte pollens, multis se homicidijs obstrinxerat, sponte se ipsum pœnitendo deuouerit, in Tripartitæ historiæ monumentis hunc in modum traditur: *Moses Maurus* (inquit) *cum seruus esset, propter culpam expulsus è domo est, qui posteà latrocinio deditus in Aegypto homicidia multa commisit. Postmodum verò conuersus, repentè philosophia anachoretica virtute repletus est. Cumquè pro prioris vitæ feruore phantasijs adhuc libidinum moueretur, multa abstinentia domabat corpus suum, panem solummodo comedens, & multum operis efficiens. Sex autem annis per totam noctem stans orauit, neque genibus inclinatis, neque oculis somno clausis. Insuper etiam noctu circumibat cellulas Monachorum, & lagenas singulorum aqua implebat, cum procul, aut decem, aut viginti, aut triginta stadijs aqua maneret. Qui licet ità domaret corpus, priorem tamen valetudinem non amisit. Fertur enim, cum quatuor latrones eius inuasissent hospitium, comprehendisse omnes, atque ligasse, suisquè humeris impositos ad Ecclesiam perduxisse, in voluntate Monachorum ponens, quid de illis facere vellent. Fuit igitur in summa Philosophia, & terribilis Dæmonibus & Presbyter in Schyti constitutus. Vixit annis penè septuaginta quinque.* Magnis itaque laborum incommodis, quidquid in Deum aliquandò admiserat, Monachus, totus pęnitentiæ addictus, satisque rigide viuens compensauit.

Moses latro in Aegypto post multa homicidia pęnitentiæ se ipsum deuouet.

Historia Tripartita lib. 8. cap. 1.

Sex annis per totam noctem stās Deum orat.

Solo pane, et aqua contentus.

Latrones quatuor, qui eius hospitium inuaserant, comprehensos ad Ecclesiam, vti agnos defert.

Ipsis dæmonibus, nedū hominibus pauendus.

12. Porrò si noster ad Aegypti Monachos, eorundemquè Monastica loca nunc sermo recurrat, miram proculdubio quisque apud ipsos austerioris vitæ disciplinam comperiet. Ieiunijs quippe, ac precibus addicti, iugiter carnem suam discruciabant. Et certè pia olim tum Romæ, tum Mediolani eiusmodi apud Monachos cōsuetudo viguit, vt Augustinus palam affirmat. *Vidi ego* (inquit) *diuersorium Sanctorum Mediolani non paucorum hominum, quibus vnus Presbyter pręerat vir optimus, & doctissimus; Romæ etiam plura cognoui, in quibus singuli grauitate, atque prudentia, & diuina scientia præpollentes, cęteris secum habitantibus pręsunt Christiana charitate, sanctitate, & libertate virtutibus. Ne ipsi quidem cuiquam onerosi sunt, sed Orientis more, & Pauli Apostoli auctoritate manibus suis se transigunt. Ieiunia etiam prorsus incredibilia multos exercere didici non quotidie semel sub noctem reficiendo corpus, quod est vsquequaq; vsitatissimum, sed continuum triduum, vel amplius sæpissime sine cibo, & potu ducere; neque hoc in viris tantùm, sed etiam in fœminis, &c.* Hæc Augustinus; exactam, austeramquè monachorum viuendi rationem exponens. Atqui degentium in Aegypto Monachorum non idem omnium genus, ac institutio, ac vitę perfectio fuisse traditur. Cęnobitarum verò quodnam olim vitæ esset, institutum Hieronymus eosdem pęnitentiæ operibus addictos iugiter, præcelsisque virtutibus diuites, excultosque sic ad viuum ob oculos repræsentat: *Prima apud eos* (inquit) *confœderatio est obedire maioribus, & quidquid iusserint, facere. Diuisi sunt per decurias, atque Centurias, ità vt nouem hominibus decimus præsit, & rursum decem præpositos sub se centesimus habeat: manent separati, sed iunctis cellulis. Vsque ad horam nonam (vt est institutum) nemo pergit ad alium, exceptis his decanis, quos diximus, vt si cogitationibus fortè quis fluctuet, illius consoletur alloquijs. Post horam nonam*

Baronius an. 318. n. 21.

Mira plane occidentalium Monachorum austeritas ab Augustino describitur.

Augustin. lib. 8. de moribus eccl. cap. 8.

manibus suis assidue laborant.

Ieiunia eorum prorsus incredibilia.

Triduum sine cibo transigunt.

Fęminæ æque ac viri pęnitendo fortes.

Multiplex olim in Aegypto monachorum pęnitentium numerus.

Hieronymus Epist. 22.

Hieronymus eorundem viuendi normam describit.

nam in communem concurritur; psalmi resonant, scripturæ recitantur ex more, & completis orationibus, cunctisquè residentibus medius, quem Patrem vocant, incipit disputare; quo loquente tantum silentium fit, vt nemo alium respicere, nemo audeat excreare: dicentis laus in fletu est audientium, tacitè voluuntur per ora lacrymæ, & in singultus quidem erumpit dolor. Cum verò de regno Christi, & futura beatitudine, & de gloria cæperit annunciare ventura, videas cunctos moderatò suspirio, & oculis ad cælum leuatis intrà se dicere: Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo, & requiescam. Posthac Concilium soluitur, & vnaquæque decuria cum suo parente pergit ad mensuram, quibus per singulas hebdomadas vicissim ministrant. Nullus in cibo strepitus est, nemo comedens loquitur: Viuitur penè leguminibus, & oleribus, quę sale solo condiuntur: vinum tantùm senes accipiunt, quibus, & paruulis sępe fit prandium, vt aliorum fessa sustenteitur ætas, aliorū non frangatur incipiens. Dehinc consurgunt pariter, & hymno dicto ad præsepia redeunt; ibi vsque ad Vesperam cum suis vnusquisque loquitur, & dicit: Vidistis illum, & illum, quanta in ipso sit gratia, quantum silentium, quàm moderatus incessus? si infirmum viderint consolantur, si Dei amore feruentem cohortantur ad studium.

Verbum dei dum annunciatur, dicentis laus in fletu est audientium ex Hieronymo.

Tacitè voluuntur per ora lacrymæ, & in singultus erumpit dolor.

13. *Et quia nocte extra orationes publicas in suo cubili vnusquisque vigilat, circumeunt cellulas singulorum, &c. Si quis verò cæperit ægrotare, transfertur ad exedram latiorem, & tanto senum ministerio confouetur, vt nec delicias Vrbium, nec matris quæras affectum. Dominicis diebus orationi tantum, & lectioni vacant, quod quidem & omni tempore completis opusculis faciunt. Quotidie aliquid de scripturis dicitur. Ieiunium totius anni æquale est, excepta Quadragesima, in qua sola conceditur districtiùs viuere. A Pascha vsque ad Pentecosten cęnę mutantur in prandia, in quo & traditioni Ecclesiasticæ satisfiat, & ventrem cibo non onerent duplicato.* Hæc Hieronymus, qui eiusmodi homines Essenis (vt Baronius docet) à Philone, atque Iosepho descriptis quam similes fuisse tradit, de quibus idem fusiùs agit.

Viuitur penè leguminibus & oleribus sale conditis.

Hieronym. vbi supra.

Vinum senes tantum accipiunt.

Pia ergà infirmos ipsorum munera.

Baronius vbi supr.

Quo nam modo diebus dominicis & alijs diebus sę ipsos exerceant.

14. Par quoque fęminarum pęnitentium, ac in Monasterijs reclusarum austerioris vitæ norma, ac studium fuit, vt his Augustinus verbis tradit: *Hæc est etiam* (inquit) *vita fæminarum Deo sollicitè, castequè seruientium, quæ habitaculis segregatæ, ac remotę à viris, quàm longissime decet, pia tantùm illis charitate iunguntur, et imitatione virtutis, etc.* De Aegypti vero fęminis asperam hunc in modum vitam, intrà monasteriorum septa ducentibus sic Hieronymus ad Sabinianum scribens meminit: *Moris est* (inquit) *in Aegypti, & Syriæ Monasterijs, vt tam virgo, quam vidua quæ se Deo vouerint, & sęculo renunciantes, omnes delicias sęculi conculcarint, crinem Monasteriorum matribus offerant desecandum, non intecto postea contrà Apostoli voluntatem incessuræ capite, sed ligato pariter, ac velato.* Certatim itaque tum viri, tū fęminæ se Monasteriorū adytis & diris ibidem macerandas, exercendasquè pęnis tradebant, vt probe exactam pœnitentiæ normam sectarentur.

Augustin. de moribus Ecclesiæ c. 31.

Piæ fęminæ in pęnitentię cultu viris haud impares ex August.

Aegyptiacæ fęminæ quo inter pœnitendū studio præfulserint iuxta Hieronymum.

Hieronym. epist. 48. ad Sabinian.

Ab omnibus sæculi delicijs abstinētes, pœnis affligi delicias computant.

15. Sane eiusce modi pœnitentium hominum loca, in quibus olim austerioris vitæ exercendis operibus intendebant, Ciuitates propemodum refugiorum merito appellare quis possit; In his enim monachalis institutio ex Aegypto in Vrbes ipsas subinde inuecta, longè, latequè propagata est, adeò vt Insulas quoque repleuerint Sancta piorum monachorum indicto sibi bello, & cum diabolo præliantium castra. Quapropter Capraria olim celebris, monacisquè pœnitentibus refertissima, Christiano apprimè orbi illustris fuit, quamuis homines, qui terrena passim, & non ea, quæ Dei, sunt, sapiunt, insanientium hominum morbo id altius ipsi delirantes adscripserint, adeòque Rutilius Numatianus, & ethnicus homo, dum sui itineris stationes relegit, & monachorum Caprariæ Insulæ meminit, impius vtiq; Christianæ religionis hostis & cauillator pessimus haud sublimem Christi, vt par erat, & Baronius ait, sectantes Philosophiam homines pro merito laudet, sed vti mente captos deridens acrirer carpat; hos quippe malo afflatus Dęmone versus se, ac ipso, à quo ad canendum agebatur, dignos, edidit.

Viris, ac fęminis certatim luctacum carne, & sęculo.

Monasteria pęnitentiū iure Ciuitates refugiorum dici queunt.

Baronius an 398. n. 49.

Capraria olim Insula viris pęnitentiæ cultu claris refer. ta.

Eadē minis fæcunda virtutibus.

Rutilius Numatianus in itinerario lib. 1.

Processu Pelagi iam se Capraria tollit

Squal-

Rutilius ethnicus poeta monachos ibi degentes carpit.

Squallet lucifugis insula plena viris
Ipsi se Monachos Graio cognomine dicunt.
Quod soli nullo viuere teste volunt.
Munera fortunæ metuunt, dum damna verentur,
Quis quàm spontè miser, ne miser esse queat,
Quænam peruersi rabies tam stulta cerebri.
Dum mala formides, nec bona posse pati?
Siuè suas repetunt ex fato ergastula pœnas,
Tristia seu nigro viscera felle tument, &c.

Mente captos poeens obChristi regnum se conficiētes computat.

Gorgoniæ item insulæ incolas pœnitentiæ cultu præcipuos deridet.

17. At de Gorgonia item Insula huic proxima, & de hominibus planè cœlestium rerum contemplationi addictis, sequè acerbarum multiplici pœnarum genere, ac miro Pœnitentiæ cultu exercentibus, quos tamen cæcus idem, insanusq; inanium deorum cultor altiùs insanire putabat, hæc apte in rem præsentem habet.

Gorgonia Insula à poeta describitur.

Rutilius in itinerario lib. 1.

Assurgit ponti medio circumflua Gorgon,
Inter Pisarnum, Cymiacumquè latus.
Aduersus scopulos damni monumenta recentis,
Perditus hic viuo funere ciuis erat.
Noster enim nuper iuuenis marmoribus amplis,
Nec censu inferior, coniugioquè minor,
Impulsus furijs homines, diuosquè reliquit,
Et turpem latebram credulus exul agit.
Infelix putat illuuie cœlestia pasci,
Sequè premit læsis sæuior ipse Deis.
Num rogo, deterior Circeis secta venenis?
Tunc mutabantur corpora, nunc animi.

Iuuenis ob Christi amorem, & ob pœnitentiæ cultum ibi inter Monachos degens furijs agitatus dicitur.

Mente emotus à poeta asseritur.

Iuuenis plane felix, exul mundi, & cœli ciuis.

18. Hæc quidem Vates paganus, imò carnalis homo, ac altius mente exeutiens, qui non percipit ea, quæ spiritus Dei sunt. Quisnam verò fuerit nobilissimus iste adolescens, exul mundi, & ciuis Cœli, & Gorgoniæ insulæ feliciter aggregatus, haud exploratum (vt Baronius inquit) haberi potest, cum plures sublimioris Philosophiæ studia pœnitentiæ exercendæ causa sectati tunc potissimùm sint, & præ alijs Bonosus ille toto orbe clarus, qui eo plane tempore, quo S. Hieronymus Syriæ eremum incolere cœpit, illius æqualis, ac in liberaliū artium studio, collega, imò & collactaneus idem præstiterit, de quo idem Hieronymus tunc ad Ruffinum isthæc: *Cedant* (inquit) *huic veritati tam Græco, quàm Romano stylo mendacijs facta miracula. Ecce puer honestis sęculi nobiscum artibus institutus, cui opes affatim, dignitas apprimè inter æquales erat: contempta matre, sororibus, & charissimo sibi germano, insulam pelago circumsonante naufragam, cui asperæ cautes, & nuda saxa, & solitudo terrori est. quasi quidam nouus Paradisi colonus insedit; nullus ibi agricolarum, nullus Monachorum, nec paruulus quidem, quem nosti, Onesimus, quo velut fratre in osculo fruebatur, in tanta vastitate adhæret lateri comes. Solus ibi, imò Christo iam comitante non solus, videt gloriam Dei, quam etiam Apostoli nisi in deserto non viderant. Non quidem conspicit turritas Vrbes, sed in noua Ciuitatis censu dedit nomen suum. Horrent sacco membra deformia, sed sic meliùs in obuiam Christo rapietur in nubibus. Nulla Euriporum amœnitate perfruitur, sed de latere Domini aquam vitæ bibit. Propone tibi ante oculos amice dulcissime, & in præsentiam rei totus, ac mente conuertere, tunc poteris laudare victoriam, cum laborem prœliantis agnoueris. Totam circum Insulam fremit insanum mare, & sinuosis montium illisum scopulis æquor reclamat: nullo terra gramine viret, nullis vernans campus densatur vmbraculis; abrupta rupes quasi quendam horrore carcerem claudunt. Ille securus, intrepidus, & totus de Apostolo armatus nunc Deum audit, dum diuina relegit, nunc cum Deo loquitur, cum Dominum rogat, et fortasse ad exemplum Ioannis aliquid videt, dum in Insula commoratur.* Hæc de Bonoso Hieronymus, cum alioqui ignotum nos alterius nomen lateat, *Quod minimè* (vt Baronius ait) *sit scriptum in terra, sed exaratum habeatur in cœlis.* Et si alioqui delirus cum suis

Baronius vbi supra n. 49.

Bonosus toto orbe clarus & dignus S. Hieronymi sodalis, insulæ inquilinus.

Hieronymus ad Ruffinū epist. 41.

Mira Bonosi præconia ex Hieronymo.

Nouus paradisi Colonus ab eo dicitur.

Festinus fugit ab vrbibus, vt Christo venienti occurrat.

Io pœnitentium Insula tutus quis à naufragio in mediis medio periclat.

Piæ Monachorum exercitatiões.

Baronius vbi supra n. 49.

iam carminibus poeta homines istos adeò patiēdi cupidos, et ob Dei amorem pœnis onustos, ac meritis diuites lucifugas ipse tenebrarū filius appellet. Atqui & S. Hieronymus quoq; ad Oceanum Fabiolæ epitaphium scribens, etrusci maris insulas, & reconditos, vt ait curuorum littorum sinus, Monachorum fuisse choris refertos tradit, quos Fabiola sua præsentia, vel certo suorum ministerio famulorum inuisens, suis frequenter eleemosynis fouebat: *Ex quibus planè* (inquit Baronius) *intelligas, quàm breui tempore ex Aegypti vinea plantatæ in Romano solo propagines extenderint vsque ad mare, & intrà maris insulas palmites suos &c.* Hæc ille de laudatissimis, ac fere innumeris vbique locorum, pœnitentium turmis.

Bonosi illustres, alterius nimirum monachi nomen scriptum in cęlo tacetur.

Baronius vbi supra.

ExAegypto in Romano solo propagines virorum pęnitentium.

19. Mirus item Romæ ne hęc ipsi laus desit, vitorum iugiter pœnitentium, & sub arctioris vitæ disciplina militantiū feruor extitit, sed haud minor imbecillium fœminarū vt disertis Augustinus verbis inculcat in libro, quem de Ecclesiæ Catholicæ moribus reuersus in Africam scripsit, vbi plura de arctiori fœminarum obseruantia: *Neque hoc* (inquit) *in viris tantùm, sed etiam in feminis, quibus item multis viduis, & virginibus simul habitantibus, & lana, & tela victum quæritantibus præsunt singulę grauissimę, probatissimæquè non tantum in instituendis, componendisquè moribus, sed etiam instruendis mentibus peritę, ac paratę. Atque inter hæc nemo vrgetur in aspera, quæ ferre non potest; nulli, quod recusat, imponitur, nec ideò condemnatur à cæteris, quòd in eis se imitandis fatetur inualidum.* Hæc plane digna sunt, quæ Augustinus, dum Romæ esset, pœnitentium tum virorum, tum fœminarum adhibito discretæ animaduersionis modo exempla vidit, audiuitque ab alijs isthæc narrantibus, consona vtpote ijs, quæ S. Hieronymus de ijsdem pluribus in locis non absque laudibus meminit.

Baronius an 358. nu. 81.

Romę Monachorum pęnitentiū virtus ab Augustino extollitur.

A Foeminis quoque pœnitendi forma auide arrepta.

20. Atqui vt rem prosequamur, haud hic Eligius Pęnitentium exemplar silentio prætereundus à nobis est, qui acerbis fæculi delicias pœnis compensando, veniam sibi tandem, ac Dei gratiam promeruit, de quo isthæc ex Audoeno apud Surium habes: *Eligius* (inquit) *dum iuuenis esset, locuples erat, pulcher, & omnibus charus. Vestibus vtebatur sericis, auro, & argento pertextis, cinguloquè gemmis, & lapidibus pretiosis splendido. Consuetudine vtebatur Principum in aula regia, ipsiquè adeò Regi coniunctissimus. Postquam autem Deus cor eius tetigit, et perfectę pœnitentię desiderium in illum immisit, sic prorsus fecit, vt conatus, et studia eius omnia superiori vitæ essent contraria. Nam vestimenta byssina, et aurea conuertit in cilicium, cingulum gemmis fulgens in funem rudem, ludos aulicos, et otia in nocturnas preces, et vigilias, sodalitatem optimatum regni, in familiaritatem peregrinorum, egenorum, infirmorum, captiuorum, aliorumquè hominum miserabilium, quibus omnia officia seruilia, etiam dum ad Episcopatum, inuitus licet euectus esset, detulit, aquam manibus essundendo, easquè exosculando, cibum, potumquè mensę inferendo, pedes calida abluendo, et alia id genus charitatis opera exercendo.* Digna planè hęc hominis commutatio, dū totus repente à se ipso, miro pœnitentiæ addictus studio immutatus, cuncta tū carnis, tum fæculi blandimenta in Dei, ac pœnitentiæ obsequium, & carnis quoq; salubriter pœnam conuertit.

Eligius adhuc iuuenis exemplar pęnitentiū ex Audoeno

Audoenus. votom in Vit 5 apud Sur. lib. 1. cap. 7.

Deus ingēs ipsius cordi pęnitentiæ desiderium ingerit.

Delicias vitæ in pęnas conuertit.

Charitas erga paupe-res, & erga infirmos quosq; ipsius iam Episcopi humilitas.

21. Quis verò, (vt susceptæ narrationis proposito insistamus), anteactę vitæ culpis pœnarum rigor in per antiquis Ecclesiasticæ rei monimentis iustissimè præscribatur, ipsemet, qui incaute aliquando deliquit, ac postmodum verè pœnitens, haud pœnas subire recusans, sed spontè, libenterquè requirens magno aliorum documento prodidit, de quo isthæc apud Drauoultium: *In Concilio* (inquit) *Toletano decimo memoriæ proditur, Potamium quendam Episcopum Bracchiensem extitisse, qui cum semel tantùm tactu fęmineo (vt loquitur Concilium) sordnisset, ipse se primùm in ergastulo, nullo cogente, inclusit, atque nouem mensium pœnitentiam egit. Deinde Concilio, quod Toleti celebrabatur, libellum accusatorium contrà se porrexit, quo peccatum admissum prodebat spontè; Patres verò Concilij perpetuam pęnitentiam, quoad viueret, iniunxerunt, vt nimirum perpetuò in abiectis officijs deseruiret. Nihilominus affirmarunt humaniùs, et benigniùs cum ipso actum, quàm antiquorum Canonum seueritas pateretur. Egregium sanè pęnitentium exem-*

Potamius. Episcopus, Bracchiensis in Toletano Cō cil. io pœnitens se in erga stulo uemi ne cogente includi postulat.

Cathechis. hist. cap. 15. nu. 3. p. 149.

In Conc. Toletano. 10. pro Potamio episcopo.

Patres Concilij perpetuam pęnitentiam indicunt.

plum Potamius hic præbuit, optimeque sibi consuluit; Nam, vt (ait Iob) Qui timet pruinam, irruet super eum nix. Qui enim exiguas, breuesquè austeritates reformidant, in pœnas, atrocissimas, ac longissimas ignis Purgatorij, ac æternæ gehennæ sæpe incurrunt, &c. Haud paruo igitur quis lucro interim pœnitendo, momentaneis ęternas Inferni pœnas redimit; quod quidem multi serio recolentes egregie præstitere.

Ingenti lucro pęnitens momētaneis pęnis æternas redimit.

22. Certe ex horum numero vnus fuit Theodosius iunior, Romanorum Imperator, qui Pœnitentiæ operibus intentus, cunctis egregium pęnitentibus in accersendis pęnis, ac macerando, affligendoquè corpore exemplum præbuit, de quo isthæc Socrates: *Primum (inquit) tametsi in ipsa regia natus, educatusq; erat, nihil tamen ex illa educatione omninò contraxit mollitiei, tarditatisquè, sed adeò sobrius, & pudicus fuit, vt illis, qui cum eo sermones conferebant, multarum rerum experientiam consequutus videretur. Deindè tanta corporis, & animi tolerantia fuit, vt tum algorem, æstumquè forti, & virili animo sustineret, tum crebrò ieiunaret, & maximè diebus Mercurij, & Veneris, quas Græci suo apte nomine vocant. Atque hoc ab eo factitatum, dum christianam viuendi rationem cumulatissimè explere contenderet. Eius regia non dissimilis fuit monasterio; Nam primo diluculo ille ipse cum sororibus suis hymnos alternatim decantatos recitauit. Quin etiam sacras literas memoriter pronunciauit. Nam cum Episcopus perinde, ac sacerdos iam olim designatus esset, de ijsdem disseruit; libros etiam, qui sacra Dei eloquia complectebantur, tum qui ab eorumdem Interpretibus conscripti erant, multò diligentiùs, quàm Ptolomeus Philadelphus olim in vnum colligendos curauit. Porrò autem patientia, & mansuetudine omnes longè superauit: Nam Imperator Iulianus quanquam studium Philosophiæ, tamen odium contrà eos, qui Antiochiæ eius nomen perstrinxerant, minimè compressit, sed Theodoro vni ex illorum numero grauissima tormenta imposuit. At Theodosius subtilitate ratiocinationum Aristotelicarum penitus derelicta, Philosophiæ studium rectis vita officijs sedulò excoluit. Iram cohibere didicit, dolorem toleranter ferre, neminem, qui eum iniuria affecerat, vlcisci: imò verò nemo vnquam illum ira accensum aspexit: Idemquè cuidam ex necessarijs aliquandò sciscitanti, cur neminem, qui intulisset iniuriam, morte aliquando mulctasset, sic respondit: Vtinam potiùs mihi potestas esset eos, qui mortui sunt, ad vitam denuò reuocandi, &c.* Et post multa, hæc de ipsius pietate, omni admiratione digna subtexit.

Theodosius Romanorū Imperator lacrymis culpas compensat.

Baronius an. 315. num. 53.

Socrates lib. 7. c. 22.

Nullam ex delicijs mollitiē in aula educatus eō trahit.

Ipsius regia monasterio prorsus similis.

Canit diuinos vna cū sororibus primo diluculo hymnos, & psal. mos.

Iam cohibere in primis discit.

Sic mitis dulgendo, vt nemioem vel post acceptam iniuriam morte puniret.

Socrates vbi supra.

23. *Quin etiam (inquit) adeò pius fuit, vt omnes Dei sacerdotes honorificè coleret, eosquè potissimùm, quos intellexerat pietate in primis excellere. Fertur prætereà saccum, quo Episcopus Chebrorum, qui Constantinopoli mortem obijt, indutus erat, quæsiuisse, persuasum nimirum, se aliquid ex mortui sanctimonia inde percepturum. Quodam autem tempore procelloso admodum, et turbido consueta, statutaquè spectacula, populo ea flagitante, in Circo edidit. Vbi autem Circus hominibus repletus fuit, tempestas cœpit esse vehementior; ac cum magna vis niuis præceps dilaberetur, tum Imperator præcipuè declarauit, quo animo erga Deum affectus esset; sic enim populum per præcones compellauit: Quin multo satius est, vt neglecto spectaculo omnes vno ore Deum precemur, vti ab imminente procella conseruemur incolumes. Vix hæc verba protulerat, cum omnes in Circo vno animorum consensu, summaquè cum alacritate Deo preces fundere cœperunt, totaquè Ciuitas quasi vna Ecclesia fuit. Tum Imperator in media populi frequentia priuati hominis habitu incedens, hymnos recitare exorditur, nec spes certè eum frustata est, nam aer serenus factus est, & annona caritas Dei benignitate in rerum omnium affluentiam commutata est; Si quando bellum concitabatur, Dauidis exemplum imitatus ad Deum confugit, pro certo persuasus, eum bellorum administratorem esse, precumquè subsidio adiutus ea prosperè, & feliciter gessit.* Hactenus Socrates de Theodosio pietati, ac pœnitentiæ operibus eum in modum addicto, vt à delicijs vel inter ipsa theatrorum spectacula abstinens, theatra propemodum in Ecclesiam commutaret.

Vtinam (inquiens) possem vel mortuos in vitā reuocare.

Christi Sacerdotibus summum sēper detulit obsequium.

Oborta in Circo ventorum procella ad Deū exorandum conuersus quid dixerit.

Theatrum repente in Oratorium Theodosij exemplo cōuersum.

Aer serenus fit, & summa annonæ caritas in rerum affluentiam vertitur.

24. Atqui Theodosius cum à Chrysapio subinde deceptus, ac in multis delinquens, Eudocia vxore in primis adnitente Pulcheriam Augustam sororem lectissimam, ac singulari prudentia præstantem Virginem, cuius ille opera, & consilio

Theodosius subinde à Chrysapio deceptus in multis delinquit.

lio feliciter adeo totius Romani Imperij clauum hactenus administrarat, gradu amotam ab aula dimisisset, ipso tandem rerum euentu edoctus, ac se dolis interceptũ videns ab Hierosolymis ruocandam studuit, & Eudociam vxorem, quæ rerũ, ac doli artifex fuit, ab legãs, fœminã vti subdolam haud suorum posthac consiliorum esse participem voluit; vt Nicephorus sic narrat: *Postea (inquit) coniugem Eudociam, per acrem obiurgationẽ male admodum accepit; Quippe quæ malorum invalescentium causa fuisset: Adhæc iniuriam quoque germanæ suę Pulcherię, quæ eius causa Imperiali aula eiecta esset, factam, adiecit &c. Imperator confestim in septimum eam misit. Sororem Pulcheriam iam ibi annum agentem reuocauit quæ magno cum apparatu in aulam redijt &c.* Sic pius princeps suum in sorore abdicanda piaculum retractans, veniam à Deo promereri studuit.

Baronius an. 350. n. 13.

Niceph. lib. 14. c. 23.

Pulcheriam Augustam sororem cuius consilio imperium administrabat, è gradu amouet.

24. Quoniam vero ipsi è proximo vitæ finis instabat, vti futurorum præscius probe se ad exitum comparans, loca sancta adire, deuotasque ibi ad Deum sibi sanctorũ patrocinio conciliandũ preces fundere non desijt: hæc enim Nicephorus: *Et cũ obitus (inquit) eius appropinquaret, Ephesum venit, Sanctum Ioannem illum virginem, & Euangelistam honoraturus, templumq; illius ingressus orationi se dedidit; in qua etiam quis ei in imperio Romano successurus esset; edoceri se à Deo petijt. Quod vbi per visionẽ Deus ostendit Constantinopolim redijt. Nec ità multo post exercitu ex bello aduersus Attilam gesto reuerso, vrbe egressus, vt equitatione, & venatione, se recrearet. Atque inter equitandum equo delapsus, spinæ vertebram luxauit.* Hæc vtique Imperatoris cui publicæ rei bene administrandæ adeo cordi munus fuit, ad vitæ finem prçludia fuere, ac pijs fatũ, quod instabat, operibus præuenire fategit. Enim vero post lapsum Constantinopolim languens delatus nil cordi antiquius habuit, quã publicæ rei curã, curãdi corporis oblitus agere adeoq; de Marciano sibi in Imperij thronum subrogando viro vtpote catholicæ fidei apprime studioso cũ Pulcheria iã iam moriturus egit: vt Nicephorus tradit: *Quapropter (inquit) lectica in vrbem relatus. Atq; vbi se moriturum esse sensit cum Pulcheria sorore*

Flagellis adeo ex equo cadens percellitur.

Constantinopolim delatus curam corporis oblitus totus reipublicæ bono intendit.

Niceph. vbi sup. lib. 14. c. 58.

secreto ad se euocata, de Marciano Tribunitio locutus est, Deo gratum, placitumque esse dicens, vt ille post se Romanam administraret ditionem. Et ille quidem cum hæc dixisset mortuus est. Quo quidem optimi principis egregie partes Romano Imperio, & Ecclesię itẽ probe cõsulens adimpleuit, adeo vt ipsamet Ambrosij verba, quæ de Theodosio ipsius parẽte olim edixit, ipsi apposite pro elogio occinant: *Dilexi virum, qui cum iam corpore solueretur, magis de statu Ecclesiæ, quam de suis periculis angebatur;* Mortuus est autẽ Theodosius ętatis suæ anno quinquagesimo. Cui ipsius Baronij verba sepulchralis instar tituli inscribenda hic sunt, quæ ipsius pœnitentiam declarant: *Tanta hæc (inquit) haud dubiũ precibus sanctæ Sororis obtinuit, ne præterita optima functæ vitæ bona opera interirent. Sed & misericordiæ quoque diuinę fuit, vt immanis perpetrati sceleris in hac vita potius daret pœnas, quam in futura; cum non iudicet Deus bis in id ipsum: nam sic ex sententia Apostoli electi corripiuntur in hoc mundo à Deo vt non cum hoc mundo damnentur.* Compunctus igitur Theodosius decedens supremam quoq; vitæ periodum pœnitendo illustrem reddidit: Sed de ipso hactenus.

In Imperio Marcianum catholicum suum post mortem vult præficiendũ.

Quàm sororis ob merita sit à Deo consequutus bona.

Ambr. orat. in Illud.

Baronius an. 450. nu. 26.

25. Quàm verò arctam, rigidamquè à Deo homines flagellis attriti olim pœnitendo rationem vitæ inierint, ex eo palam fit, quod anno redempti Orbis 1399. quamplures hominum, ac si diuinitus ad id permoti, vbique terrarum Pœnitentiæ operibus addicti, futuram pestitentiæ calamitatem, ac necem suis iam ceruicibus impendentem, Deumquè ipsum orbi ob scelera iratum præsentirent, conciliare fategerunt, vt S. Antoninus de Albatorũ agminibus sic tradit: *Per hęc ipsa (inquit) tempora anni M.CCC.XICXI. mirabilis factus populorum motus, omnis quippe multitudo vestes exteriores induit albas, lineas tamen, ad pedes vsque protensas cum caputijs ad modum capparum religiosarum, &c. omnes mares, & feminę, laici, & Clerici, & religiosi cuiusque Ordinis, grandes, & paruuli similibus vestibus induti huiusmodi incedebant, &c. Incredibiliquè deuotionis ardore longa horum dealbatorum agmina ad vicinas Vrbes commeabant processionaliter, bini pergentia, pacem, & misericordiam supplici clamore sæpe*

Anno 1399. vbique terra cum pœnitentiæ cultus mirifice inualuit.

Albatorum ingens numerus pœnitentiæ causa Vrbes, & terras excurrit.

S. Antonin. par. 3. tit. 22. c. 5.

Leonardus aret. lib. 12. in princ.

Vualsingam. art. cit. lib. 5.

ſæpe clamantia, præcipuè ſequentiam illam, quam dicunt, Gregorium edidiſſe: Stabat mater doloroſa, &c. Proſus miranda res, & quaſi incredibile negotium, niſi oculis noſtris vidiſſemus: Peregrinatio iſta ordinaria erat nouem, vel decem dierum ieiunantium, qui poterant illis diebus, & aliquibus in pane, & aqua, acceſſus verò in aliena Oppida parū anteà pacata liberi fuerunt. Nemo per id tempus dolo fallere tentanit, nemo aduenarum oppreſſus; tacitæ cum hoſtibus induciæ fuerunt. Innumeræ paces ex mortiferis, & diutinis inimicitijs in diuerſis locis confectæ ſunt: Confeſſiones, & communiones frequentatæ: Cumquè proficiſcerentur populi in alienas Vrbes, & alij in ſuas aduentarent, mira hoſpitalitas vbique, & benigna ſuſceptio, &c. Durauit hic motus per duos, vel tres menſes ad plus. Vndè autem hoc initium habuerit, haud obſcurum; Dei tamē opus fuiſſe negari non poteſt, &c. De modo etiam dicebatur, apparuiſſe Beatam Virginem cuidam Ruſtico, & reuelaſſe ei filium ſuum contrà mundum propter ſcelera eius valdè turbatum; Vndè ad reconciliandum eum, & placandum illud obſeruandum; nihil tamen certi de hoc habitum eſt. Hæc S. Antoninus in ſuis paginis tradit.

Quis modus & peregrinantium forma.

Ieiunijs quo que peregrinatio vt eſſet magis Deo accepta peragebatur.

Inimicitiæ peregrinationis tempore ſedatę.

Doli penitus & fraudes intermiſſæ.

Confeſſionū & ſacer Communio nis vſus frequens.

26. Verum id totum Dei planè impulſu contigiſſe videtur; Nam cum inſequenti anno acerba vbique terrarum lues emergens, innumeras hominum ſtrages ediderit, ad ſaluberrimum pœnitentiæ pharmacum cuncti prouocandi mortales & vt ſalui à morte fierent, diuinitus fuerant excitandi. Quopropter innumeri ſub hæc ipſa tempora morbo perculſi, ad Deum conuerſi, ſuiſquè expiati culpis, è vita feliciter abiere: acſi albas ſuperinduendo veſtes, ac pœnitentiæ operibus addicti ſtolas ſuas (vt ſcriptura docet) *In ſanguine Agni dealbaſſent.* Quod quidem haud obſcurè Sigonius in ſuis hiſtoriarum paginis innuit, dum Sacerdotem Paternenſem à Deipara in vita reuocatum, ad iſthæc incæpta iam pietatis ſtudia cunctos amplius incitaſſe affirmat, adeò vt nonnulli etiam Epiſcoporū pio huic ſodalitio ſe aggregarent; Sed ipſius hic verba excipiamus: *Sæua (inquit) vbique Terrarum iampridem peſtilentia perfurente, qua paſſim multa hominum millia ſine diſcrimine tenebantur, repentè exortus eſt in Gallia Narbonenſi ſacerdos, qui B. Virginem ſibi apparuiſſe, & maximam cladem mundo inſtantē denunciaſſe aſſeruit.* Et infrà: *Multi peccatorum ſuorum dolore compuncti, veterum ſimultatum memoriam abiecerunt, atque vltrò cum inimicis ſuis in gratiam redierunt; quiquè alios fortè læſerant, eoſdem ijs, quos violarant, gladios offerentes, ſe ſe totos illorum poteſtati, atque arbitrio permittebant, eoſquè vt ſibi ignoſcerent, obſecrabant, &c.* Narratis autem idem ſuprà Auctor, quæ Mutinenſis vna cum ſuis Epiſcopus, ac Bononienſis iiem populus laudabiliter præſtitit, cum multis item hominum millibus diſcurrentes, hæc ſubdit: *Interim (inquit) Presbyter quidam à pago Paterno in medium prodijt, ac toto audiente populo, ſe à mortuis poſt tres horas, quàm obierat, à B. Virgine ſuſcitatum aſſeruit, ac multa ſibi comperta de ijs, qui pridem obierant, nunciauet. Cuius rei magnitudine Epiſcopus perc itus, ac noua religione perfuſus, eodem ordine populum & ipſe ſuum Imolam albatum, ac ſupplicabandum adduxit, &c.* Hæc ſcriptor præmemoratus.

Vnde piæ huius peregrinationis initium.

Dei plane impulſu res contigit, vt à culpis hōnes reſipiſcerent.

Apocalp. 7. n. 14.

Anno inſequenti exorta lues immenſam hominum multitudinem demetit.

Sigonius de Bonon. epiſc. lib. 3. in Coſm.

Dealbati per pœnitētiam in Chriſti ſanguine è vita abiere.

B. Virgo in Gallia Narbonenſi eiuſ ſcem odi cla dem immi nentem prę dixit.

Ingens ex calamitate procella lucrum.

Sigonius vbi ſupr.

Sacerdos à Deipara à morte ſuſcitatus multa de pridem mortuis edixit.

27. Porrò his Dei nutu ſalubriter præmiſſis, magna quidem facta eſt in populis commotio. De Ianuenſibus quippe, Lucenſibus, Piſtorienſibus, ac Florentinis, qui pias illas, religioſo inſtructo agmine, peregrinationes obiere, hæc Antoninus aptè in rem noſtram narrando meminit: *Ex ijs (inquit) diuina Clementia quandam præparationem hominibus procurauit ad mortem eis propinquam; multi enim, & magni obdurati peccatores conuerſi ſunt tunc ad pœnitentiam, quos Deus ad ſe vocauit anno ſequenti, peſte graſſante Florentiæ, vt dicitur, & poſtea in Gallia, vt ad illud alludere videatur, quod Chriſtus dicit: Videte regiones, quia iam albæ ſunt, ad meſſem ſcilicet colligendam per falcem mortis; dum hæc religio tenuit animos, nihil de periculis belli cogitabatur; Sed poſtquam finis fuit dealbatorum feruori, ad primas rurſus curas animi redierunt.* Sic itaque metus impendentium ceruicibus calamitatum, ac mortis e proximo terror innumeros à curis ſæculi, & à culpis ad Deum ſalubri expiatos pœnitentia redire compulit, quos ſuperueniens deinde peſtilentia demetens, hinc periculis ereptos cœlo inuexit.

S. Antoninus vbi ſupra.

Ianuenſium Lucenſium, Piſtorienſium, & Florentinorum in ſacra obeunda peregrinatione pietas.

In dealbatis Quod Chriſtus dixit, adimpleri viſū eſt: Videte regiones quia iam albæ ſunt ad meſſem.

Res animo proſpera, ipſa eſt aduerſitas, & aduerſa proſperitas.

27. Ve-

Thomas Cantipratan. Apum. lib. 2. cap. 2.

27. Verùm vt alijs insuper res comprobetur exemplis, quid Cantipratanus narret, audiamus: *In Germaniæ (inquit) partibus quidam nobilis Comes, sed ferus pauperum spoliator, ex misericordissima pietate diuina graui infirmitate correptus est, & amarissima pœnitentia contritus, omnia ad restitutionem posuit, quę habebat, & irremediabilibus lacrymis quotidiè lectum rigans, Angelos, ac Sanctos Dei ad impetrandam sibi misericordiam inuocabat. Decumbens verò corpori suo tantum supplicium ingerebat, vt talos pedum, & crura fricaret ad lignum, & cutem, & carnem, ac neruos violenta assiduitate diuelleret. Aquam frigidam in hyeme tanquam ad bibendum acceptam clara pectori superinfundebat, & membris, vt ex hoc glaciali frigore torqueretur. Nec diù posthac in agonia positus tanto spiritu repletus est, vt sicut Christus de Publicano Euangelistam, ità de isto faceret Prophetam. De se ipso enim prędixit, quod sine Purgatorio ad requiem euolaret: & eo mortuo, ac Henrico Rege defuncto, tota Thauringia maximis calamitatibus subiaceret; quod ità factum est:* Sic ille asperrimis se ipsum modis pœnitentiæ causa exercens, à Purgatorij pœnis liber factus spontè, constanterque arreptis, toleratisque cruciatibus ad æternam requiem transire meruit.

Comes nobilis, ac ferox in pauperes, infirmitatis languore curatur.

Acerbissimas sibi pęnas infligit.

Moriens futuras annunciando calamitates factus propheta.

Calamitates prædictę ab ipso contingunt.

28. Enim verò, vbi anteactorum criminum pondus attenditur, quiuis Pœnitentiæ rigor nullius ferè momenti computatur; iuxtà enim solemne illud quod dictum est: *Pro delicti mensura erit plagarum modus*. Quod sane vir olim scelestissimus, innumerisquè obnoxius criminibus sat per se cunctis palam fecit, de quo Bonfinius isthæc: *Conradus quidam* (inquit) *natione Germanus, homo flagitiosissimus, tandem magno Dei beneficio compunctus, cum se ad meliorem frugem recipere cuperet, Romam adijt, Pontifici peccata sua cum ingenti cordis contritione confessus, animæ salutarem ab eo petijt medicinam. Pontifex ad immanitatem criminum eius obstupescens, hac eum mulctauit pęna, vt lonciam ferream ad nudum corpus quinis catenis ferreis adstringeret, & chartam, in qua eius peccata enormia scripta erant, Pontificis annulo obsignatam ad loca, in quibus Sancti quiescerent, secum circumferret, donec diuinitus catenæ dissoluerentur, & scriptura charta penitus obliteraretur; Fecit homo, vt erat iussus (nihil enim arduum videtur ex animo peccata lugenti, & cum Deo in gratiam redire cupienti) inuisit loca sancta, etiam Hierosolymam, & Saluatoris sepulchrum. Tandem in Pannoniam venit, vbi B. Regis Stephani tum celebre nomen erat. Stat ad sepulchrum eius, nec inde recedere constituit, donec ruptis vinculis, & charta deleta, sentiat Domini misericordiam impetrasse. Cum autem multum fatigato inter orandum somnus obrepsisset, à prima enim hora vsque ad nonam in preces incubuerat, Sanctus Rex ei apparens: surge (inquit) amice, & Emerici filij mei monumentum, quod iuxtà est, adito: ille enim quod carnis seruando integritatem præcipuam apud Deum gratiam promeruerit, facinorum tuorum veniam tibi impetrabit: ex eorum enim numero est, qui non inquinauerunt vestimenta sua, sequunturquè Agnum, quocunque ierit, et ante thronum Dei cantant canticum nouum. Excitatus ille mox ad B. Emerici sacellum se confert, fudit ibi preces, atque opinione celeriùs dissiliunt ferrei nexus: Charta resignata nullum habet literæ scriptæ vestigium Ad sonitum cadentium catenarum accurrunt æditui, et complures alij, quibus ille omnia ordine exponit: mirantur omnes, laudant Deum, et B. Emericum; referunt cuncta ad Ladislaum Regem. etc.* Sic ingenti prodigio hominis ardua quæque pro suis diluendis culpis prompte, alacriterque subeuntis, vltroneas inter pœnas virtus affulsit, & commendari è cœlo mortalibus visa est.

Deuter. 25. n. 2.

Antonius Bonfinius reg. Hung. Decad. 2. lib. 2. Surius in vit. S. Henrici 4. Nouembris.

Conradus homo flagitiosissimus e Germania ob pęnitentię amorem ad Romanū Pontificem conuolat.

Pontifex auditis in Confessione culpis loricam ferream ipsi deferendam iniungit.

Loca sancta graui pressus ferri pōdere inuisit.

Beatus Stephanus rex homini ad sepulchrum oranti apparens ipsum ad S. Emerici sepulchrū remittit.

Apocalyp. c. 14.

Catenę mox dissoluuntur & charta vbi peccata erant scripta penitus abolitas notas exhibet.

29. Constans igitur, atque inuicta inter pœnitendum patientiæ virtus vniuerso orbi post patrata atrociora quæque scelera ad obtinendam à Deo indulgentiam alijs exemplo simul, ac documento extitit; hominum scilicet, qui austeriori quidquid hactenus inter blandas sęculi delicias deliquerūt, aspera vitæ compensandū norma, non tam verbis, quàm factis, docuere. Inter quos Dominicus cognomento Loricatus, Clericus olim in sæculo, cum simoniaca labe (hæc enim tunc temporis vigebat hæresis) ob munus à parentibus veluti pretium pro eo in Presbyterum designando persolutum fuisset, ipse pœnitentiæ causa sæculo se abdicans, asperrimum vitæ genus

Indulta peccatis, ac peccatoribus venia pęnitentiæ vim & gratiam ostendit.

vna

vna cum alijs multis, ſub viri ſanctiſſimi diſciplina, ac magiſterio inijt, quorum certè auſtera viuendi forma, hominum verè pœnitentium exemplar imitandum, ęmulandumquè cunctis videbatur. Sed hic interim Petrum Damiani in Loricati eiuſdem geſtis à ſe conſcriptis narrantem gratis, ſi liber, auribus excipiamus: *Quia* (ſicut ait Apoſtolus) *diligentibus Deum, omnia cooperantur in bonum, hæc vna beati viri culpa multorum poſt bonorum probatur extitiſſe materia. Nam hoc pauore perterritus, contempſit ſeculum, induit monachum, arduumquè mox eremiticæ vitę tanquam bellator intrepidus arripuit inſtitutum. Sed quià malè promptus eſt, donec vixit, ſacroſancti Altaris vſurpare miniſterium non præſumpſit. Virgo vſque ad obitum fuit, vitam eremiticam non omiſit. Vbi nimirum ſub magiſterio Sancti viri Ioannis, qui dicebatur de Monte Feretri, per plurimos vixit annos. In illa igitur eremo, quæ ſcilicet erat in regione, quę dicitur Luceoli conſtituta, decem et octo videbantur cellulę ad habitandum fratribus deputatæ, vbi nimirum ſub hac regula viuebatur, vt nunquam vinum biberent, nunquam adipe alimenta condirent, vnum in Dominica die, ſed et in quinta feria pulmentum ſumerent, quinque per hebdomadam diebus pane, et aqua ieiunium celebrarent: Solis autem orationibus vacantes, vel manuum operibus inſiſtentes, non agriculturam exercebant, non prædia, nec aliquam ſubſtantiam præter vnum ſagmadium poſſidebant. Cum quo ſcilicet aſello, vel equo vnus erat miniſter, qui vel ad acquirendas, vel ad tradendas fruges indeficiens diſcurrebat, ſoluſquè eius cunctis neceſſitatibus ſuſtentabat. Ioannes ſcilicet, qui poſtmodum loci Abbas factus ſub honeſta rexit adminiſtratione Conuentum. Tenebat autem per totam hebdomadam diſtricta cenſura ſilentium, quod vtique Dominica die poſt veſperam, cibumquè ſoluentes, habebant loquendi inuicem vſque ad completionis officium libertatem. Nudis præterea pedibus, & cruribus iugiter in cellulis morabantur. Dixit autem, quià cum cohabitaret Anſoni, religioſo videlicet viro, quem & ipſe vidi quotidie per omnes Canonicas, diſciplinam ſibimet inuicem ſcoparum ictibus ingerebant. Qui videlicet Anſo ſibi aliquando conqueſtus eſt, quod nouem diarias panis penſas in ventre ſimul haberet. Tanta quippè macerabantur inedia, vt aridus panis conſtiparetur in ilibus, ac digeri difficilè poſſet.* His Petrus Damiani aſperrimum vitæ genus luculenter ſatis proſequitur, quo homines pœnitentiæ iugiter excolendæ intenti, rigidis adeo in ſe ipſos modis cōficiebant vt Deo admiſſas hactenus noxas ſalubriter compenſando miram cunctis admirationibus excitarent.

Petrus Damiani in vit. Dominici Loricati ſcripta ad Alexandrū PP. Lippomanus tom. 8. Surius, 2.

Male promotus culpam agnoſcens ad arctiorē vitā obiecto ſeculo confugit.

Petrus Loricatus Petri veſtigia egregie æmulatur.

Monaſterij, quo ſe recepit auſterior viuendi norma.

Cibus Silētium, & Amorum cenſura.

Diſciplinæ monaſticæ rigor.

Aridus in visceribus panis multos dies indigeſtus manet.

Vltroneis Deus pœnis ad indulgendum prouocatur.

30. Et nè ſua item aſſertis fides deſit, Cum aliquandò Beatus Dominicus Abbas, & confeſſor Ordinis S. Benedicti in Campaniæ locis, quibus præerat, exhortatorium de ſeruanda pudicitia ſermonem haberet, nonnulli gehennæ, & damnationis filij, ſalubris vitæ conſilia in diræ mortis argumenta vertentes, ac vnus ex ipſis Amatus nomine, in beati ipſius exhortantis necem diabolo afflatus exarſit; ſed mira Dei virtute contigit, vt dum vel in ſuis prauis perſtans conſilijs rē vltrò ac Dei virū in cœlo dignum aggreditur, ab inermi Dei famulo diuina virtute victus, nobilis Chriſto triumphus ceſſerit. In quo ſanè præpotentem Numinis dexteram, ipſiuſquè ad Deum ſuis placandum precibus ſatis impigram inſtando operam, auſteramquè ſuſceptam poſthæc vitæ normam meritò admirari quis poteſt; hæc quippe in eiuſdem B. Dominici geſtis habentur: *Non quieuit* (inquit) *vir peſtilens, quod animus ſugerebat, implere; Egreſſus igitur Oppidum equo vectus, armatuſquè ad locum, cui campus Artinace nomen eſt, proficiſcitur, ibiquè latens Dominici præſtolatur aduentum, viſoquè eminus Dominico, quantum eſt iactus lapidis, fodit equum calcaribus, vibrat dextera lanceam Dominici pectori infigendam, cum ecce appropinquanti iam iamquè ferè lancea virum Dei contingenti vires decidunt, tremunt viſcera, dentes ſtrident, pallet facies, vix leuat clypeum, vix valet dextera lanceam ſuſtinere, equoquè totus penè occaſurus concutitur; Appropinquat Dominicus homini, & quid dicturus, quidquè facturus venerit, ſciſcitatur. Nihil ad primam ſciſcitationem reſponſum eſt, ad ſecundam, ad tertiam etiam lingua faucibus hęſit: iam ad quartam trementia labia: Veni, veni, veni, tertiò profuderunt, nihil prorſus addere pręualentia; Iubet poſt iam Sanctus, vt lanceam porrigat:*

por-

Ex vita S. Dominici Abb. & Conal. ſcripta ab Alberico montis Caſtri, & Card. SS. quatuor Coronatorum.

Perditus inter pia ad caſtitatem exhortantis verba B. Dominicū Abb. ordinis S. Benedicti iugulare cogitat.

Inſidias inijcere parat venienti.

Eiaculata in Dei circum lancea diuinitus ſubſiſtit.

Percuſſor à Dei famulo metu horrendo percutitur.

porrexit continuò; iubet, deponat clypeum; fecit, quod imperatum est; iubet equò desiliat, paruit absque mora; praecipit, vt loquatur, remeauit ad linguam protinus loquendi valentia. Confitetur facinus ingens, ac in se reum, Dominicum Iudicem rogat promulgare sententiam; quem Dominicus veste excultiore exutum, veste protinus pellicea induit, eumquè vt nugis, ac ineptys mundi huius abrenunciaret, commonuit, humanum ei propter carnis infirmitatem iniungens, vt sicuti exhibuerat membra sua seruire nequitiae, & iniquitati, ità deinceps eadem exhiberet seruire Iustitiae in sanctificationem. At quid tantis? obtemperauit salutaribus Presbyter absque omni prorsus dilatione. Itaque in cunctis moribus, in omni conuersatione mutatus est, vt qui prioris vitae eius turpitudinem nouerant, tantamquè consecutam morum honestatem videbant, Dauidicum illum erumpere compellerentur versiculum: Haec est immutatio dexterę excelsi; factusquè eremi accola primò, post verò Praedicator facundus, signorum etiam perhibetur virtutibus clarusse, diuinequè virtute potentia factum est, vt qui Dominico mortem venerat exterioris hominis illaturus, per Dominicum à morte rediret interioris hominis suscitatus, atque per ipsum in resurrectione prima, atque expiatione vitiorum, & indulgentia facinorum haberet partem, ne mors in eo secunda iuris sui exerceret potestatem, fieretquè in ipso illa diuina pro malis bonorum recompensatio, ut qui multi venerat causa mali (vt putari poterat) magis profuturus multis rediret per Dominicum sancti formam traditurus exempli) Haec auctor. In quo sanè illud admiratione dignum, quod ferus homo, Dei virtute subitò mitis adeò effectus est, vt totus in virum alterum mutatus, longè alius ab eo, qui venerat, & iam ex lupo agnus rediret, & qui sectabatur sęculi delicias, suoque adblandiens, corpori non nisi blandaret amica, quaerebat suam excruciare carnem, & quibusuis subijcere pęnis gestiret, factus è sectatore saeculi verus Christi miles, ac dignus dominicae Crucis aemulator, necnon ex hoste fidelis iam amicus, ac demum Sanctorum ciuis, & domesticus Dei.

Saeculi vestibus exui, & poenitentium veste indui iubetur.

Ex Diaboli mancipio repente Dei famulus efficeratur.

In homine ad poenitentiam traducto illud psalmistae affulsit *Haec est mutatio dextera excelsi.*

In vita S. Dominici Loricati vbi sup.

Qui magni venit causa mali, multis post exemplo rediens factus est causa boni.

Ex lupo agnus redit.

31. Quoniam verò potissima aequo Dei calculo pęnitendi forma, ac iusta pęnarum vna simul mensura praescribitur: *Pęnitentia* (inquit Cyprianus) *crimine minor non sit*. Pęnis profectò culparum dignis, blandae sunt peccatorum deliciae compensandae; adeoquè quantum vnusquisque glorificauit se, & in delicijs fuit, tantum sibi tormentum, ac luctum impendat, necceße est. Quod sanè vt tum antiquae, tum recentis memoriae exemplis comprobetur; Turpissimus ille suas olim mortalium inter lasciuias, qui in Christum haud metu, haud tormentis, sed libidine abductus deliquit, seuerus quoq; in se ipsum vltor extitit, vt Zehentner, cum indefessam hominis in pęnitendo operam his planè verbis prosequitur: *Recentius (inquit) est pęnitentis Torelli pulchrum facinus ad exemplum Petri Apostoli deflentis peccatum suum post galli cantum. Nam & hic forte fortuna gallum sibi in humeros volantem, tertiaque cantantem audiuit; fleuit, resipuit, & ex Veneris (cui meliorem aetatem deuouerat) mancipio cęli delicium factus, quidquid pauculis annis in Vrbe peccauit, quadraginta alys inter syluas damnauit. In his ciuium illi frequentia arbores, tectum cęlum, vestis sesosum porci corium; arma, quibus in se vtebatur, catena ferrea, delicia panis, & fons, cubile terra, plumę sarmenta, ceruical lapis fuere. Sic quoque non nisi tres horas somno, reliquum omne noctis lacrymis transcripsit; tunc etiam credo à Gallo cum Petro expergefactus. Veneris denique iniectas solitario flammas, vel vepribus suffocauit, vel gelida extinxit. Ità perpetuò victoris anima, soluta tandem corpusculi sui carcere, ad Deum rectò itinere perrexit.* Haud enim aliter suas iste turpitudinum maculas, quam lacrymis, pęnisquè abolendas voluit, vt tum ipsius, tum aliorum pęnitentium quisque exemplo discat, peccatorum olim labes quantumuis enormes apud Sanctos vtriusq; sexus haud defuisse, *nec item defuisse* (vt ille ait) *Marias, Afras, Theodoras, Pelagias, Margaritas, Fabiolas, Iacobos; Theophilos, Macarios, Torellos*, qui rigidam, austeramquè arripientes poenitentiae normam, Deum sibi propitium reddidere, condignisquè antiquas pęnis culpas compensantes de carne, & diabolo triumpharunt.

Cyprian. ser. de laps.

Paulus Zehentner in Promont. malae spei lib. 4. §. 5. n. 24.

Multis vitae culpis multiplex respondere bet poenitentia.

Ferrarius in Chronic. Marianorum Fasti Mariani 16. May.

Torellus poenitens Petri pęnitentis vestigia probe aemulatur.

Pauculis annis [illegible] be peccauit, multis in solitudine pęnitet.

Somnus illius vigiliae cibus ieiunium poenae deliciae.

Viri, ac Mulieres pęnitendo certant. ac se xus sexum pęnitendo viriliter superat.

32. Condignam itaque, ac recolendam his, qui in Deum aliquando peccarunt, pęnitendi formam, necnon expe-

ditum ad Dei tribunal, anteactæ vitæ culpas redimendi modum Ioannes Pœnitentiæ præco ad se confluentibus olim in deserto hominibus, suo quasi digito præmonstrans: *Facite* (inquit) *fructus dignos pęnitentiæ*. Quod aptè olim, appositèq; Hieronymus Susannam in Veneris turpissimæ cœnum & imò præcipitiũ & in libidinis foueam miserè prolapsam sic exhortando inculcat: *Omnis* (inquit) *cura vitæ intermittenda est tibi, & te quasi mortuam existimare, sicut es, & quomodo possis reuiuiscere, cogita. Deinde lucubris tibi accipienda est vestis, & mens, & membra singula digna castigatione punienda. Amputentur crines, qui luxuriæ occasionem præstiterunt, defluant oculis lacrymæ, qui masculum non simpliciter aspexerunt, pallescat facies, quæ quondam erubuit impudicè. Totum denique corpus iniurijs, & ieiunijs maceretur. Cinere aspersum, & cilicio perhorrescat, quia malè sibi de pulchritudine placuit. Cor sit liquescens tanquam cera, sensus etiam crucietur, quia in membra corporis cum haberet dominium, malum gessit imperium*. Hæc profectò, quibus Hieronymo teste medela congruit, vt morbidis non nisi dura, & lubricis quondam aspera pęnitentiæ pharmaca ad curandum proculdubio animi morbum adhibeantur.

Ioannes in deserto pęnitentiæ præco, pęnitendi normam præscribit.

Luca Euang. cap. 3. Greg. hom. X. ind. Euang.

Hieronym. Epist. 9. ad Susannam lapsam.

Susanna in libidinis cęnum prolapsa, qua ratione pęnitens è lubrico emergit iuxta Hieronymum.

33. Quam certè præscriptam diuinitus pęnitendi legem quamplures tum viri, tum fęminæ sectando cæteris exemplo simul, ac documento fuere. Inter fęminas quippe, vt vel cæteras prætereamus, Fabiola, cuius illud crimen fuit, quod viuo adhuc marito secundas nuptias inire præter sacras leges, non tam praui amoris gratia, quàm vitiosi coniugis fastidio auserat. Verùm quia res plurium oculos, animosque offenderat, ac metus erat, nè multorum infirmitas ad fęminæ vnius exemplum in eamdem incautè foueam impingeret; Fabiola altero è viuis sublato marito, patrati arrogantiam facinoris, temeritatemquè condemnans, publica etiam pœnitentia næuum, quem contraxerat, egregie, & cunctis palam abstersit. Quod sanè Hieronymus recolens: *Quis hoc* (inquit) *crederet, vt post mortem secundi viri in semet reuersa, quo tempore solent viduæ negligentes, iugo seruitutis excusso, agere se liberius, adire balneas, volitare per plateas, vultus circumferre meretricios, saccum indueret, vt errorem publicè fateretur, & tota Vrbe spectante Romana, ante diem Paschæ in Basilica quondam Laterani staret in ordine pænitentium: Episcopo, Presbyteris, & omni populo collacrymantibus; sparsum crinem, ora lurida, squallidas manus, sordida colla submitteret? quę peccata fletus iste nõ purget? quas inueteratas maculas hæc lamenta non abluant?* & infra hæc subdit: *Aperuit cunctis vulnus suum, & decolorem in corpore cicatricem flens Roma conspexit; dissuta habuit latera, nudum caput, clausum os. Non est ingressa Ecclesiam Domini, sed extra castra cum Maria sorore Moysi separata consedit, vt quam Sacerdos eiecerat, ipse reuocaret. Faciem per quam secundo viro placuerat, verberabat, oderas gemmas, linteamina videre non poterat, ornamenta fugiebat*. Tandem verò mulier hæc, facti pœnitens amplis in pauperum vsus, & Monachorum alimenta diuitiarum redditibus distributis, ipsa solitudinis, & quietis amans, vt soli posthac Deo, sibi apprimè displicens, placendo vacaret concito in Cœlum gradu, sui tuta itineris duce, ac Pęnitentia comite properauit.

Ex vitis Patrum lib. 1. in Fabiola.

Hieronym. Epist. 50. ad Occanum.

Fabiola pœnitens, quod viuo adhuc marito alteri nupsit, suã insigni exẽplo culpam expiat.

In Basilica Lateranensi inter pęnitentes publice ante diem Paschæ haud pęnitentiam erubescens locum sibi delegit.

Hieronymus vbi supra.

Signa compuncti cordis, ac animi pęnitentis.

34. Demũ, ne suscepti propositi vlterius sermo recurrat, *Virginum quoque* (vt Sophronius ait) *lampades extinguuntur, si pęnitentia oleum in vasis suis habere neglexerint*; magnum quidẽ de se olim compuncti cordis exemplar virgo præbuit, quæ arrogantis duntaxat animi facinus lacrymis, ac miro christianæ humilitatis studio sibi compensandum indixit, de qua isthæc Sophronius: *Aurea* (inquit) *Virgo Parisiensis Monastery præposita, quoniam inter missa Solemnia Diacono Euangelium ineptè admodum legenti stolam eripiens, ipsa sibi apponere, & eius officio defungi ansa fuerat, semet arrogantię accusans, dignitatem deposuit, annosquè septem à cella sua non discessit. Ibi etiam sedile sibi faciendum curauerat, cuius pars, quæ humero tenus considentem hemicyclo amplexabatur, in summo clauorum cuspidibus ad psalmorum numerum dispositis horrescebat. In eo sedili illa cum psallere vellet, se se collocabat, & dextro lateri innixa quinquaginta psalmos perlegebat. Sinistro totidem, & totidem in tergo resupinata, pungentibus quaque*

In ipsis virginibus pœnitentiæ laus affulget.

Sophronius in prato spirituali.

Aurea Virgo Parisiensis monasterij præposita cantandi in Ecclesia Euangelij munus temere vsurpans quid pęnitẽdo prællitterit.

que

que versum ferreis aculeis. *Dum ergò paulò insolentioris facti peniteret, sponte passa est præsidentiæ depositionem, cellæ cercerem, legendi laborem, sedendi dolorem; ad hæc quotidiana ieiunia, noctesquè peruigiles. Hinc saltem discant, qui alijs præsunt, quali penitentia expiari debeant, si deliquerint. Quia multum quidem imputandum est illi, etiam cum leuiter peccat, à quo subditi viuendi exempla petunt.* Sic planè dum pœnitens duro se ipsam labori spontè subiecit, & quidquid semel aliquando per mentis fastum, & animi arrogantiam deliquerat, vltroneis iugiter pœnis expiandum satagit, culpæ veniam à Deo feliciter impetrauit. *Nemo etenim* (vt Chrysostomus ait) *ad Deum aliquando flens accessit, qui non quod postulauit, accepit, nullus ab eo beneficia dolenter optauit, qui non impetraret quod voluit. Ipse enim est, qui consolatur flentes, curat dolentes, informat pœnitentes.* Sed hæc interim satis.

Corpus assidue excruciat pungentibus ferreis aculeis.

Quotidiana ieiunia, & insomnes illi noctes pro expiando elatæ mentis fastu;

Chrysostomus in serm.

CAPVT III.

Peccatores magna Dei bonitate ad pœnitendum adducti.

1. IMmortalis Deus, qui *suam* (vt canit Ecclesia) *omnipotentiam parcendo maxime, et miserando manifestat; & cuius* (vt magnus inquit Leo) *natura bonitas, cuius voluntas potentia, cuius opus misericordia est*; de se haud impios vnquã veniam vult desperare mortales, sed maximis licet obnoxios culpis, in ipsamquè læsi Numinis maiestatem pertinacissimè reos, summæ tamen si velint, bonitati præsidere, haud semel spem indulgentię desuper promerendæ tum factis, tum verbis edocuit. *Incommutabilis quippè Deus, cuius* (inquit Leo) *voluntas non potest sua benignitate priuari, prędestinata renouandis mortalibus suæ pietatis remedia inter ipsa mundi primordia præsignauit.* adeoquè dum sua homines præpotenti manu non vlciscitur, quinimo patienter sustinens, à flagellis iratus temperat, eosdemquè ad pœnitendum inuitat, promptam proculdubio, expeditamquè petentibus vltrò indulgentiam repromittit. Quin imò quanta sit suprema ipsius bonitas quæ modum, miserando, ac indulgendo nescit, ac neminem ab ingenitæ misericordiæ sinu repellit, & quæ insuper non nisi à se ipsa miserendi hominibus argumenta desumit, vi- uis inde, ac patentibus in tabula notis proditur, mortalibusquè satis luculenter ostenditur.

Col. in Dom. X. post Pent.

S. Leo Papa ser. de natiui tate Domin.

Suam Deus omnipotentiam parcendo manifestat.

S. Leo Papa vbi supra.

Dum à plectendo abstinet, & ad pœnitentiã inuitat immẽsam cunctis benignitate ostendit.

2. Quapropter æterna Dei, quæ ad indulgendum cunctis præsto semper est Maiestas, nedum perditos quosque, ac per iniuriam reluctando in bono morosos ad se peramanter inuitat, sed patentibus vltrò vlnis venientes excipit, ipsosquè rebelles occultis, insuetatisque modis attrahens perire haud sinit in se sperantes, Quod & aptè Apostolus aliquando inculcans: *An diuitias* (inquit) *bonitatis eius, & patientiæ, & longanimitatis contemnis, ignorans, quoniam benignitas Dei ad pænitentiam te adducit.* Igitur ex Dei clementia pœnitendi spes, haud peccandi occasio exhibetur mortalibus: *Ideo enim* (Leo inquit) *differtur vltiò, vt tempus possit habere correctio.* Quo sanè argumento deploranda mortalium cæcitas obstinataquè in malis consuetudo proditur, quæ non pœnitendi, sed perperam in dies agendi ex dilatione materiam, atque occasionem Tertulliano edisserente, arripiendo deriuat: *Absit* (ait ille) *vt ita aliquis interpretetur, quasi et sibi etiam num pateat ad delinquendum, quia patet ad pænitendum, &c. Nemo igitur deterior sit, quia Deus melior est, toties delinquendo, quoties ignoscitur.* Meritò igitur ex Dei, quæ sic peccantibus præsto est, atque indulget, bonitate, singularis Pœnitentiæ Ambrosio teste, prærogatiua hominibus affulget: *Ergò* (inquit) *quoniam tam misericordem habemus Dominum, qui etiam gratis ignoscat errori, conuertamus nos à vitijs, & non recedamus à lege, præceptum domini, quasi serui sedulis studys exequamur.* Quod quidem seriò plerique tum antiquæ, tum recentis memoriæ homines animaduertentes, anteactæ vitæ errores retractando, ac lacrymis expiando, dum ad Pœnitentiæ sinum tota in Deum fiducia procurrunt suis optatam denique culpis veniam sortiti sunt.

Apostolus Rom. 4.

Benignitas Dei homines quantũuis perditos ad pœnitentiã adducit.

S. Leo Papa ser. 12. de quadragesima.

Differtur vltio, vt locum possit habere cõuersio iux ta S. Leonis Papæ dictũ;

Tertullian. lib. de pænit. c. 7.

Ambrosius lib. de Elia, & ieiunio c. 10.

Certum hominibus ad Dei sinum recurrẽdi, et veniam ab ipso consequendi argumentum affulget.

3. Immensa itaque Numinis pietas, quæ Peccatoribus, vbi ad Pœnitentiæ mede-

Iacobus pęnitentium antesignanus post annos quadraginta in Dei cultu exactos, in carnis cęnum labitur.

Surius in vita S. Iacobi pœnit. cap. 28. Ianuarij. Fasti Mariani eod. die Zeb̄tner vbi supra in Promon. mala spei.

medelam confugiunt, se vltrò benignè ostendens prodit, innumeros planè grauissimis alioqui culpis obnoxios, tandem ad pęnitendum, & prompta in salutis portum manu perduxit; Quod præsertim Iacobo illi, Pœnitentium antesignano, post enormes adeò noxas pœnitentiam auspicanti contigit; de quo isthæc ex ipsius apud Surium gestis Zeenthener tradit: *Iacobus*(inquit) *cui à pęnitentia datum est nomen Pęnitentis, cum Anachoretes quadraginta omninò annos Deo militasset, miranda maxima patrasset, tropœa de hoste Infero statuisset plurima: id ætatis vir à fœmina demum superatur, & ab ea fœmina, in qua ipsum Dæmonem non horruerat, imò eiecerat. Huic enim infelix primò pudorem, mox vitam extorsit. Et verò tertium scelus accumulasset desperabundus, victumque se mundo dedisset, nisi à tam turpi fuga Deus sanctissimi viri opera eum retraxisset; Tum enim verò redire ad se Iacobus, & siue mortualium ossium conditorium, siue sepulchrum subire, mortemquè suam viuus deflere in decimum annum, atque Cælo interim oculos nunquam attollere, vix semel, aut iterum in hebdomada de herbulis vesci, quæ ad ostium conditorij creuissent. Ipse verò Apostolus peccato mortuum dixisset; sed nunquam pulchrius ille vixit, quàm sic mortuus. Nam supplicijs his spontaneis placatum numen ex Episcopis non nemini significauit, beatum imbrem, quem tam anxiè, sed nequidquam postulabant, non nisi ad preces Iacobi concedendum, qui cum miraculis iterum orbi innotuisset, Cælo illatus est, postquam diù in terris nouo more pro domicilio habuisset sepulchrum.* Hæc ille, sic planè vir sanctissimus pœnitens; vel inter mortuos vitam reperit, & ad mortis vmbram, mortuus, iam sibi sed perpetuo victurus Cœlo, è tenebris in lucem clarus emersit.

Superatur ipse iam victor ab ea fœmina, ex qua diabolum eijciens triumpharat.

In sepulchro habitãs Deo, ac sibi per pœnitentiã reuiuiscit.

4. Atqui aliud huic non absimile fortunatis simus alter Christiano Orbi Pœnitentiæ pugil exemplum, magno Pęnitentiæ documento, ad mortuorum sepulchra festinus præcurrendo exhibuit, de quo isthæc Palladius: *Adolescens* (inquit) *qui propterea, quod multa, & grauia peccata commisisset, Dei nutu compunctus, venit ad sepulchra, priorem vitam suam deflens, pronus cecidit in faciem, & non audens vocem emittere, nec Deum nomina-*

Palladius in histor. Lausiac. sc 45.

Adolescens peccatis ob noxius, nouam in sepulchro vitam auspicatur.

re, neque supplicare, ipsa quoque vita se indignum existimans. Et cum ante mortem se inclusisset in sepulchris mortuorum, & vitam suam duceret, gemebat ex profundo cordis. Cum itaque iam præcessisset hebdomada, noctu ei assistunt Dæmones, qui eius vita priùs damnum attulerant, clamantes, & dicentes: vbi est ille scelestus, & profanus, qui libidinibus, & lasciuijs exatiatus, nunc nobis intempestiuus temperans, & honestus repentè apparuit, & quando non potest amplius, tunc vult esse Christianus, & probis, compositisquè moribus. Et quidnam tibi boni amplius futurum expectas, cum sis nostris malis impletus? Non hinc citò exurges? Non venies ad ea, quæ sunt nobiscum consueta? Te manent scorta, & caupones, &c. Noster es, in nostrum ordinem es relatus: exercuisti omnem iniquitatem; Tu es omnibus nobis obnoxius, et audes fugere? non assentieris? non respondebis? non simul egredieris? Postquam autem ille constans in fletibus, ne aures quidem prębebat, nec verbum respondebat cum diù vrgentibus Dęmonibus; postquam, inquam, nihil effecerunt, eadem sæpe repetentes, eum acceperunt, et totum eius corpus malè mulctarunt, grauiter flagris cædentes. Cum verò ita torsissent, abierunt, eo semiuiuo relicto. Ille autem nihilo secus immobilis iacebat, rursus gemens sibi ad se redijt. Cum autem eius necessarij eum inuestigassent, et inuenissent, et causam eius, quod ipsi acciderat, didicissent, coegerunt, vt domum rediret. Is autem, cum vim ei sæpe intulissent, restitit. Rursus sequenti nocte peiùs, quàm priùs affecerunt Dæmones; et nec sic quidem eius consanguinei persuadent, vt emigret, dicentes: satius esse mori, quàm viuere in talibus vitæ maculis. Tertia nocte propemodum è vita excessit, cum crudeliter Dæmones eum excepissent, & ad extremum vsque spiritum vexassent. Cum autem vidissent, eum non excessisse, abierunt eo relicto exanimi, & recedentes clamabant, dicentes: Vicisti, vicisti, vicisti. Neq; ei amplius mali quidquã occurrit, sed in impurissimo sepulchro purè habitauit, quoad vixit, puram exercens virtutem, Deo gratus, & miraculorum affectu, adeò vt multos in admirationem induxerit, & æmulationem rerum Sanctarum: eisq; factũ quod dicit scriptura: Omnis qui se humiliat, exaltabitur; humilitas enim omniũ virtutum primum est fundamentum. Hæc ille.

Si ipsum vti mortuum in sepulchro deflet,

Dœmones pęnitenti insultant, & pęnitentem sustinere nequeunt.

Flagris mulctant vt à so co ipsum amoueant.

Consanguinei dęmonũ opera suas in hominem artes, ac frau des exercẽt.

Dæmones apertis verbis ipsius triumphum canunt dicentes: Vicisti Vicisti.

Verus pœnitens immobilis perstans ex Auerni satillitibus palmam refert,

Toto

Toto igitur cōpunctus corde, ac Dei bonitate illectus vir flagitijs olim respersus, vt sibi Dei gratiam conciliaret, sui victor, ipsisq; pauendus dęmonibus perstitit.

Gulielmus Aquitaniæ dux, pœnitentium signifer.

5. Nec verò minora, & se, ac Deo pœnitens digna pariter Gulielmus olim Aquitaniæ Dux, Deo aspirante laudabiliter præstitit, qui supernam pro suis patienter tolerando culpis longanimitatem recolens, ac Bernardo Abbate Clarauallensi eius acriter increpante licentiam, totus repente in virum alterum mutatus est. De quo isthæc ex eius apud Surium gestis Zehentner tradit: *Coniugio* (inquit) *fraterna vxoris Herodi aliquandiu non impar vixit, ad duella cogebat obuios, non inuitabat, neque iam se Ducem Aquitania putabat, nisi factionis quoque, quę contra Innocentium Pontificem pugnabat, dux esset. Mellea verba Bernardus, ingesserat, fel merum retulit; minas addiderat, maiores audiuit. Ergò secundum diuina ipso iam Eucharistico numine armatus, Diuus hominem sibi proteruè refractarium non tam sternit, quàm fulminat. Ità tandem pænitens factorum Gulielmus, & victam Deo manum daturus, ab Anachoreta consilium accipit, vt nudum corpus posthac ferrea lorica, caput galea frigida tegeret, se ipsum longè maximum hostem expugnaturus asperitate noua vitę. Talis ergò ad Innocentium Pontificem, inde Hierosolymam tendit. Ibi antrum lacrymis implet, & gemitibus. Tandem solitudinem, montesquè mutat, donec vltimò in Stabulo Rhodis obyt felicius vtique, quàm in palatys vixerat.* His planè miram, recolendamque Gulielmi historiam complexus, æmulandum cunctis Pœnitentiæ exemplar proponit.

Zehētner lib. 4. §. 5. n. ex gestis.

Eius haud vulgaria interpeccandū scelera.

Eucharistiæ Sacramēto, dum magis in Ecclesiā sæuit; à D. Bernardo expugnatus.

Lorica ferrea contra vitia, ac se ipsum pugnaturus armatur.

Zebetner in malæ spei pro mont. lib. 4. §. 5. n. 19. In lib. SS. Patrum lib. 2. in vita S. Macary Romani. Fasti Mariani ad 23. Octobris.

Macarius Romanus miram in solitudine, à nuptijs profugus pœnitentiam auspicatur.

6. Atqui aptè huic Macarius alter Romanus iungendus est, qui (vt idem ait) *bellè illusit Veneri, cum thalamum, sponsamquè in nuptys reliquit, & Raphaele comite in vltimam eremum castitatem asportauit, vbi dum spelaum subyt, geminos catulos, & ponè accubantem exanimem leenam offendit. Hanc igitur tumulo infert, catulos de sua mensa alit, educatquè. Crescunt illi, & à nutricy collo innoxy pendent, blandi eum lambunt, arridenti adrugiunt blandum. O semper tutior inter feras, quàm non dicam inter mulieres, sed mulierum etiam vmbras Virginitas! &c. Nam mulierem, sicut rogatus erat, velut desertam, atque errabundam inter bestias sub colore misericordis animi tecto recepit, Dæmonem scilicet in larua feminę, cuius dolo cum in Venerem consensum dedisset, Dęmonium in fumos abyt, in lacrymas Macarius, in fugam Leones. Sed y paulò post reduces humum pedibus suis egerebant ad vnius staturam hominis. Quod Macarius accepit pro signo diuina voluntatis, vt in ea fouea crimen suum lueret nouo Pęnitentię genere. Atque ità ingressus locum, & à binis leonibus regesta iterum terra, collotenus sepultus, tribus annis omnem cęli iniuriam sustinuit, vita eius sustentata, non sine miraculo. Euoluto demum triennio reconciliatum Machario Deum ostenderunt primùm leones reduces, deinde multa lux cælo allapsa, tum gratulantium Angelorum voces, denique Christus ipse cum aurea virga conspicuus intrà Macary speluncam, atque inde ad sidera reuersus.* Sic planè intimus cordis dolor, atrociora quęque crimina diluendi, abolendique vim habet, ac Deo semper, grata semperque arridens de perditis quibusque mortalium virtus Pœnitentiæ triumphat.

Dæmon obiecto fęminæ blandientis aspectu inuictū animi robur perdere nititur.

Mox vt ille assensum præbuit, dęmon in fumos, Macarius in lacrymas abit.

Leones pridem ab ipso educati foueam ad pœnitentiæ incundam fectam salubriter parant.

Toto triennio pęnitens se Deo reconciliatum oborta è cęlo luce & Christo apparēte intelligit.

7. Summa igitur Dei bonitas in ipsismet à fide transfugis & ad ipsum tandem feliciter traductis, ac diutino pœnarum cruciatu inter deserta spontaneo, (vt ità dicam) martyrio candidatis, hic nobis Contemplandam se offert, vt ex Vitis Patrum Auctor luculenter prosequitur. *Memorabilis est* (inquit) *Episcopi vnius non absimilis casus, qui Christum negaueras metu, & vehementia tormentorum, sua postea perfidia grauissimus in se vltor. Contigit, vt eum in eremo ante tuguriolum malè maceriatum, & vnam palmę arborem alius quidam Christi seruus, reperiret stantem, nec alia veste indutum, quàm canis suis per totum corpus longè, latequè de fluentibus. Interrogatus autem, quid hominis esset, & cuius conditionis: respondit voce lamentabili, & multis suspirys intermixta: Episcopum nuper fuisse, caterùm in persequutione aduersus Christianos concitata, cum ipse quoque inter oues pastor ad defectionem à Christo per tormenta vrgeretur, supplicys inferiorem sacrificasse Idolis Gentium ritu; postea tamen à Deo iniecto Pęnitentię consilio, ad hanc se rigidam solitudi-*

In vitis PP. lib. 6.

Zebentneri lib. 4. §. 5. p. 120.

Episcopus qui christum præ tormentorum metu abnegauit dignas à se in solitudine pęnas reposcit.

Adeo peccatum exhorruit, vt acerbiores quasque pęnas delicias computaret.

nem

nem contulisse omnis humani solatij, aut commode expertem. Iamquè scelus se suum quadraginta nouem annis inter varias eremi asperitates conatum esse apud numen expiare; quin etiam superiori anno ab eodem oraculum sibi datum de condonata perfidię culpa. Hæc ille præpotentem apud Deum pœnitentiæ vim pro suo satis nunquam merito extollens.

Post quam se 49. annos pœnis confecit, Deo aspirante de indulta sibi venia fit certior.

8. Quoniam verò inter funesta, quæ perditis accidunt Deo vlciscente, mala, desperatio in primis adnumeratur; Hæc quippe Dei bonitatem ingenti scelerum propudio à se repellit, eiusquè misericordiarum diuitias per scelus abnegando, Deũ culpis inexorabilem facit, omnemq; spei aditum hominibus aufert. Quod tamen falsum omninò Pœnitentiæ virtus testatissimis quibusque historiarum monumentis euincit, vt Ludolphus his verbis tradit: *Cuidam Monacho* (inquit) *crebra fiebant diuinę reuelationes. Quod cum alter eiusdem Monastery frater intellexisset, institit apud eandem, vt Deum oraret, rogaretquè, vt sibi dignaretur ostendere, an de numero saluandorum esset: Et cum ille vix precibus victus orationi instando hoc à Deo postularet, sibi ostensum est, quod ille frater de numero damnatorum esset; Vndè metuens fratrem turbare, per aliquot dies hoc celauit ipsi. Sed tandem eidem requirenti licèt inuitus aperuit. Ille autem hoc audiens, & scripturas intelligens, statim respondit. Benedictus Deus: nec tamen sic desperabo, sed Pœnitentiã, quã per ingressũ Religionis assũpsi de cętero duplicabo & triplicabo, donec gratiã, & misericordiam apud Deum altissimum, qui pius est, inueniam; & post multos dies iterum fratri pradicto diuinitus reuelatum, quod ille frater de numero saluandorum esset, quod cum eidem frater retulisset, ille latus effectus de reuelatione fortior factus in opere, & viriliter vrgens, de virtute in virtutem quotidie proficiens, perseuerauit in bono sine cessatione. Vtinam multi animati hoc exemplo, manum suam ad fortia mitterent, & non desperarent, vel deficerent, quoniam sic agendo, & in hoc perseuerando, Deum sibi propitium vtique inuenirent*. Semper itaque bene sperandum, nec vlli vnquam desperandi facultas permittitur, quia cũ Deus natura sit ipsamet summa bonitas, & clementissimus in omnes, omnibus iugiter præsto est; Quinimò Pęnitentiæ operibus sic homini insistendum, vt bene agendo laboris mercedem, ac demum coronam vitæ consequi mereatur.

Ludolphus e Saxon. 2. parte vit. Chris. c. 50.

Quam ingens abyssus Desperatio, & malorum fere omnium origo.

Monachus ab altero digno Dei famulo instanter, an ipse sit de saluandorum numero, exquirit.

Ab eòdem, quod è damnatorum numerò sit, tandem edoctus virtutis se totum dicans haud de Dei bonitate diffidit.

In bono viriliter perseuerans tandem animæ salutem cõsequitur.

9. Deus igitur, cuius misericordiæ non est finis peccantes diù tolerat, & tandem ad Pœnitendum præpotenter adducit, vt satis aperte ex infrà narrandis liquet: *In Conuentu* (inquit) *S. Bernardini Xalchiulci ductus est ad Fr. Iacobum de Sande ęger, vt eius peccata audiret, qui cum adducentes reprehenderet, quod non prius adduxissent hominem penè mortuũ, subiunxit Indus, Neturbare Pater, quia ipse nolebam, tametsi propinqui ad confitendum mè frequenter hortarentur, sed hac nocte, qua hora ad matutinas preces signum edebatur, cum ob ęgritudinem vigilarem, magnus domum meam splendor de cęlo ingressus est; Christumquè vidi Cruci affixum, quemadmodum pingi solet, magna ad me iracundia inquientem: Quid peccator cessas, nec ad confitendum pergis: Scito (inquit) te hodie esse moriturum, & quanquam condemnari ob crimina tua debebas, misericordia tamen mea seruabere, dummodo statim confitearis. Audiuit igitur eum religiosus, eademquè ille hora defunctus est*. Sic profectò Dei clementia in tolerandis hominum culpis, & condonanda vltrò peccatoribus venia maximè affulget: *Expectat quippe dominus* (vt Prophera ait) *vt misereatur, & exaltabitur parcens vobis*. Ita plane.

Fr Gonsaga de origine Seraph. religio par. 4. con. 6.

Deus dum peccatores tolerat ad pœnitentiã demque adducit.

Indus lethali infirmitate pręuentus confessionem sacramentalem refugit.

Christus dominus ad cõfessionem inuitat, animæ salutem ipsi repromittens.

Isaia cap. 30. 18.

10. Enim verò Deus haud semel, vt impios ad pœnitendum adducat, & ad misericordiæ sinum efficaciter pertrahat, in quibusuis abolendis hominum culpis promptum se, ac facilem præbuit vt cęteri ad eius misericordiam implorandã præfidenter accedant, quod multis quidem exemplis, & à Mazarino præsertim sic proditur: *Scribit Cæsarius adolescentem quendam Parisys operam studys nauantem post diutinam, & nefariam vitam iuxtà receptum morem lucris incumbentium & omnigenas tentantium artes, solummodo vt tempus fallant, tandem in votis habuisse sacramentaliter scelera sua expiare, at confusus coram Sacerdote ea exprimere erubescebat, Prudens Pœnitentiarius plurima tentauit media dissoluendis, & pracidendis pudoris immensi nexibus. Quæ omnia quanquam plurima adhibuisset, aduertens salutari*

Deus vt homines ad pęnitentiæ remedia cõfugiant, se ignoscendo facilem exhibet.

Cæsarius in lib. 2. de Contritione exēp. 10.

Pœnitens innumeris culpis implicitus confessione abstertetur:

Iulius Mazarinus in psal. 50. c. 24

ri inito cōsilio monuit scriptis exarare peccata; Quo peracto, hortatus est manifestè ex ore proferre, cumquè nihilominus non auderet, eo presente, & audiente perlegit Pænitentiarius, destuētibus interim ab oculis nō lacrymis, sed lacrymarum riuulis, & ab ore erumpentibus non suspirijs, sed flammis. Quibus perlectis, de eius licentia consulendum duxit Confessarius superiorem super iniungenda pænitētia: Erant enim atrocia, & enormia multa crimina, atque delato, & explicato de ipsius consensu coram Prelato scripto, nequidem apex, aut character vnus visus est. Nam Deus lacrymis, & penitentia adolescentis, nec non misericordi sua pietate deleuerat, & eluerat mendas pridem in charta exaratas, purgationem peccatorum per semet ipsum faciens. Hoc planè ignis diuinitus portento, insignis istius compunctio, & mira inter pœnitendum dolentis confessio cōprobari meruit.

Quia culpas exponere verbo nequibat, vt ea in pagina excribat admonitus.

Pagina in qua peccatorum notæ erant inscriptę diuinitus cunctis abolitis culpis munda apparet

S. Bonauentura in gestis S. Francisci.

11 Quanti demum ad mortalium animos compungendum, & ad meliorem frugem adducēdos, non tàm irati flagella, quàm blandientis dona, quæ ab ipso bonitatis fonte proueniunt, momēti sint, ac viriū obtineāt ex conscriptis B. Francisci gestis hunc in modum traditur: *Cum aliquando* (inquit) *B. Franciscus moraretur in eremo Gracy, loci illius indigenę malis multiplicibus vexebantur; Nam & luporum rapacium multitudo non solùm bruta; sed & homines consumebat, & grando annua tempestate blada, & vineas deuastabat. Dum igitur sic afflictis præco sacri Euangely predicaret, dixit ad eos: Ad honorem, & laudem Dei Omnipotentis fidei iubeo vobis, quod pestilentia omnis abscedet, & respiciens vos Dominus multiplicabit in bonis temporalibus, si mihi credentes misereamini vestri, vt vestra confessione præmissa dignos faciatis penitentia fructus. Iterum hoc annuncio vobis, quod si beneficijs ingrati ad vomitum conuersi fueritis, innouabitur plaga, duplicabitur pena, & maior in vos ira desæuiet. Ab illa vtiquè hora penitentiā ad exhortationem ipsius agentibus illis, cessauerunt clades, periere pericula, nec molestia quidquam lupi intulere, vel grandines: Immò, quod maius est, si quando vicinorum arua grando peruaderet, istorum terminis appropinquans, terminabatur ibidem, aut in aliam partem diuertebat. Cessauit grando, seruauerunt & lupi pactum Serui Dei, nec contrà pietatis legem in homines ad pietatem conuersos attentauerunt ampliùs desæuire, quandiù iuxtà condictum contrà pyssimas Dei leges impiè non egerunt. Piè igitur sentiendum est de pietate viri beati, qui tàm miræ dulcedinis, & virtutis fuit, vt domaret ferocia, domesticaret sylu estria, mansueta doceret, & brutorum naturam homini iam lapso rebellem, ad sui obediētiam inclinaret. Vere hac est, quæ cunctas sibi creaturas confœderans, vales ad omnia, promissionem habens vitæ, quæ nunc est, & futuræ.* Sic profectò vir Dei immensam ipsius bonitatē, quæ cunctis tàm inter prospera, quàm inter aduersa; & tùm plectendo, tùm blādiendo, ac benefaciendo suppetit, æmulatus, quibusuis, vt duram perditorum hominum ceruicem ad pęnitendum inflecteret, modis aggredi, ac fortiter, suauiterquè debellare non destitit, vt aptè illud Psalmistæ oraculum mortalium auribus insonet: *Sentite de Domino in bonitate.* Sed iam ad alia ne diùtius hic immoremur, sermonem conuertimus.

Dei nedum flagella, sed & dona homines ad pęnitentiam adducunt.

S. Franciscus Asiss., vt homines ad pęnitendum excitet, ijs Dei tùm flagella, tùm dona proponit.

Græcij, quę pridem innua'uerāt calamitates, dum ipsos pænitet culpatum repēte desinunt.

Vir Dei terrendo simul, & alliciendo homines ad pænitentiā attrahendo permouet.

CAPVT IV.

Pœnitentiæ causa sæculo se abdicantes, religiosæ vitæ institutis deuouent.

1 QVi temerè, arroganterquè in Dei aliquandò bonitatem peccat, sed resipiscendo postmodum se in Deum peccasse intelligens, ac reum fatendo, seriò intus in corde ob culpę reatū dolet, sic profectò aduersus semet ipsū, ac pro Deo rem agit, vt iusta, demum, ac promerita culpæ pęna respondeat; *Et tantò maiora* (vt Gregorius ait) *quærat bonorum lucra per pænitentiam, quantò sibi grauiora intulit damna per culpam.* Meritò igitur pœnitentiæ operibus, quæ quispiam olim admisit mala compensanda sunt, & haud perfunctoriè; sed profusis salus animæ, (vt Tertullianus docet) lacrymis redimenda: *Hoc* (inquit) *pretio Dominus veniam addicere instituit, hanc pænitentia cōpensatione redimendam proponit impunitatem.* Homo quippè dum mentis tribunal conscendens, iustamquè in se ipsum Dei vice sententiā ferens, quidquid pridem incautè titillatus vitijs, prauisquè abdu-

Maiora pœnitens sibi per pœnitentiam lucra conquirat, quam per culpam dāna intulit ex Gregorio.

Gregorius hom in Matthai cap. 3.

Tertullianus lib. de pœnitentia.

Pęnis admissæ olim culpæ redimuntur.

abductus sensibus deliquit, id vltrò in semetipso per pęnitentiam punit, sic iustè ipsum proculdubio peccatum apud Deum in pęnitentium foro impunitum, haud præterit. Quod quidem Dauid iustus sui arbiter, ac seuerus in semetipsum Iudex aliquandò præstitit; dum enim pro se sollicitus à Deo misericordiam quærit, iustitiam pariter, atquè vltionem in seipsum exercere non destitit, adeoquè illis ad Deum verbis pro se iugitèr inclamans: *Peccatum* (inquit) *meum contrà me est semper*: ac si isthæc paritèr altius Dei auribus (Augustino teste) inclamaret: *Non Domine* (inquit), *non erit impunitum peccatum meum: noui iustitiam eius, cuius quæro misericordiam. Non impunitum erit, sed ideò nolo, vt tu me punias, quia ego peccatum meu inpunio. Ideò peto, vt ignoscas, quia ego agnosco; quoniam iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meum contra me est semper*. Si c ille.

Dauid, vt magnã sibi à Deo misericordiam obtineat, iustitiæ in se ipsum munus exercet.

Psal. 50.

Augustinus in psalm. 50.

Peccatum, quia agnoscit, ignosci à Deo poscit, nec vult esse impunitum, quia ipse punit.

2. Iustitia itaquè inprimis in semetipsos à peccatoribus, si misericordiam à Deo consequi velint, exercenda est. Quapropter cõgruè iustitia qui Deo pro culpis facere satis præoptant, quibusuis in se ipsos modis pro Deo compensandis iniurijs insurgunt, & iustas à se ipsis scelerum pęnas reposcunt, adeoquè nec vincula, vel carceres, nec pęnas, imò nec ipsã denique, vt Deo posthac viuant, mortem refugiunt: *vt peccatis mortui* (inquit Apostolus) *iustitiæ viuamus*. Pęnitentiæ igitur cultores non secus ac mortuos, terrenis cunctis se abdicantes, de hoc procul sæculo, vt nouam ineant vitæ rationem, exijsse quodammodò oportet. Hinc meritò Bernardus olim peccatorum labe vitiatos ad condignam, laudabilemquè arripiendam vitæ nouitatem, & consectandam sub religioso habitu austerioris obseruãtiæ normam piè, instanterquè adhortans: *Fugite* (inquit) *de medio Babylonis, & saluate animas vestras, & volate ad vrbem refugy, vbi potestis, & de prateritis agere pænitentiam, & in præsenti obtinere gratiam, & futuram gloriam fiducialiter prestolari. Non vos retardet conscientia, quia vbi peccata abundauerunt, superabundare consueuit, & gratia; nec Pænitentiæ austeritas ipsa deterreat; nec enim condignæ sunt passiones huius temporis ad preteritam culpam, quę remittitur, nec ad præsentis gratiam consolationis, quæ immittitur, nec ad futuram gloriam, quæ promittitur.* Vir quippe sapiẽtissimus, dum homines ad pœnitentiam fiducialitèr prouocat, pœnitentiæ lucra disertis pariter verbis inculcat, & momentaneæ vitæ labores, nonnisi certa supernorũ promissione bonorum, ac præmiorum expectatione compensandos affirmat.

vt Misericordia diuinitus aspiret homini, Iustitia sollicite pęnitẽda.

Apost.

Commoriendum sæculo, vt quis Deo viuere incipiat.

Bernardus in serm. ad Fres de misericordia Dei.

Quo pacto non sint cõdignæ passiones huius temporis, ad futuram gloriam iuxta Bernardi dictum.

Peccatorum blanditijs, pœnitentiæ respondet austeritas.

3. Vt exemplis autem magis, magisquè res comprobetur; Theodorus Cognomento Manlius, ex illo videlicèt Manlio Theodoro, cuius (vt Baronius inquit) summa cum laude Augustinus meminit, progenitus, non tàm Consulari munere, quàm nobili Consularium contemptu fascium, tũc vniuerso Terrarũ orbi affulsit; Tantus quippè vir, licet coniugio adstrictus. Christi tamèn amore, ac pœnitentiæ studio illectus, pari inito cum coniuge pia consilio, mutuoquè inuicem animorum consensu, nuncium sæculo, dum magis inter prospera sibi arrideret, remisit, vitamquè amplexus humilem, at verè Christi humilitate sublimem, summa nedum Vrbis, sed & Orbis admiratione, clarus vbique ob supremos honores in Romanorum fastis, tùm muneris, tùm generis splendore innotuit. Cuius præclaræ rei, vt domi, forisquè clare ceret, cum transmarina loca fama peruaderet, insularum quoquè abdita penetrauit, & Confessorũ Christi ob fidem exulum latebras luce clarius illustrans, nouis terrarũ orbem gaudijs cumulauit; Enim verò eum ad Sãctum Fulgentium Ruspensem Episcopum, in Sardinia tunc exulantem, quod Theodorus præstiterat, fama nunciante peruenisset, suis gauisus literis, hæc illi gratulabundus inter alia suggessit: *Beatus es* (inquit) *quia hoc caro, & sanguis, non reuelauit tibi, sed ille pater, qui est in cęlis, inter quos cęlos, & factus es cęlum. Quantum putas inesse luctum Diabolo, quod à te contemtum perspicit mundum, & te conuersum agnoscit ad Christum; quod te videt ea, in quibus videris esse, deserere, & ab amore temporaliũ, terrenarumquè rerum ad illa cęlestia, & æterna iam corde migrare? Quamuis enim Christus æqualiter sit pro cunctis fidelibus mortuus, & equale cunctis beneficium redemptionis impenderit, dicente Apostolo: Non est seruus, neque liber, non est masculus, neq; fœmina; omnes enim vos vnum estis in Christo Iesu: tamèn conuersio potentium sęculi* mul-

Baronius an. 505. num. 1.

Theodorus Manlius splẽdore sanguinis, ac pęnitentiæ item merito clarus ex Augustino.

Ipse, & vxor florentem adhuc mundũ alto mẽtis despectu proculcant,

S. Fulgentius epist. 6.

S. Fulgentius Ruspẽsis Episcopus Manlio ob mundi contemptum gratulatur.

Cęlo, & Angelis gaudiũ Diabolo, ac mundo luctus indicitur.

multùm militat acquisitionibus Christi; sicut enim multi fratres, & amici, clientes, & subditi, noti paritèr, & ignoti talium auctoritate ad mundanæ dilectionis excitantur ardorem, & eò magis igne secularis concupiscentię succenduntur, quò sublimes sęculi dilectione mundana libenter captiuos teneri conspiciunt, ità quoties ille, qui tangit montes, & fumigant, dum terrenis rebus intenta corda misericorditèr respicit, & consideratione iudicij sui tremere compellit, dumquè contingit superba corda sublimium, velut altitudines montium, vt in confessione fumigent peccatorum, in talium tremore plurimi cõtremiscunt, & in talium conuersione multi ad subsidium miserationis diuinæ confugiunt. Ità fit, vt qui sunt in sæculi culmine constituti, aut plurimos secum perdant, aut multos secum in via salutis acquirant. Magna tales aut pœna manet, si multis præbeant malæ imitationis laqueum, aut gloria, si multis ostendant sanctæ conuersationis exẽplum. Quis enim paruam non despiciat cellã, quãdo Senator domum despicit marmoream? quis non terrena contemnens, ad acquirenda cęlestia sibi consulat, quando ad cælum Romanus Consul terrenorum contemptu festinat. Hæc ille in Manlij laudem.

Qui in sæculi culmine sũt constituti multos secum, vel in salutem, vel in perditionẽ trahunt.

Exempli, quod cęteris præsto est, exhibitio ad bonum, vel malum suadendum efficax.

4. Quibus profectò tanquàm viuis in tabula coloribus noui, ac optimi Cõsulis Consulatu se, ac sæculo paritèr abdicantis non tàm imaginem, quàm ob contemptũ sæculi gloriam, ac triumphum Fulgentius visus est adumbrasse, ac ipsi olim ab aula receptui à terrenis pompis, ac sæculi illecebris canenti & pœnitentiam præferuidè amplexanti sanctissimus vir iure merito est gratulatus, cui, & congruè isthæc Baronius in suis annalibus, nobilis instar elogij laudum præconia addit: *Hæc satis* (inquit) *sunto ad noui Consulis anni huius ingressus pompam, non tàm ex fascibus, quàm ex Cruce, neq; tàm ex veste palmata, quàm monastico indumento, nec tàm ex munerum editione, quã munerum in pauperes largitione illustrem, perpetuoquè dignam memoria redditam*. Quæ sanè tanto digna viro, qui iure pœnitentium numero præ cæteris est aggregandus, suggerere hic opportunè pio lectori voluimus.

Baronius vbi supra nu. 4.

Baronius egregiè Mãlij laudes, ipsius Epiphanij styl, adumbratas recolit.

Manlij dignitas paupertate potius ob Christi amorem, quam sæculi fastu, ac potentia, omnium admiratione digna.

5. Magnum quoq; Christianarum virtutũ, ac de se ipso cunctis narrandi argumẽtum, præbuit Carolomannus Caroli Martelli Francorũ Regis filius, Pipini frater, ac Regni vnà simul consors, qui non tàm splendidioris vitæ luxum, ac regales delicias, quàm austerioris normę, ac pœnitentiæ iugum ob Christi amorem dilexit; adeoquè regno se abdicans, S. Benedicti Abbatis instituta præferuido mentis studio amplexus, Christiana in primis humilitate, patientia, cunctisquè virtutibus longè, latèquè præfulsit; de quo Sigebertus in Francorum Chronico à Pytheo in lucem edito hæc habet: *Septingẽtesimo* (inquit) *quadragesimo septimo anno Carolomannus relicta, quam tenebat, potestate, Romam vadit, ibiquè mutato habitu in Cassinum ad S. Benedictum secedit, & monachus efficitur*. De quo item auctor isthæc in S. Bonifacij gestis opportunè meminit: *Hæc* (inquit) *& id genus alia faciens Carolomannus, cum in Dei timore magis, ac magis proficeret, nec tamèn in habitu sæculari eam posset, quam vellet, vitæ seruare integritatem, partem optimam elegit, quę non posset ab illo auferri. Nam relictis omnibus huius mundi opibus, & honoribus, ad Cassinum montem, vbi tunc arctissimæ vitæ monasticæ disciplina vigebat profectus est, ibiquè monachus factus est, Pipino fratri regni omnia committens &c.* Atqui vir tantus, ac cęlo probe dignus dum arrepto itinere Romam tenderet, ac Soractem montem in Veientano Agro positũ aspexisset, locum videlicèt B. Siluestri Pontificis, aliorumquè Sanctorum secessu, ac latebris illustrem, eius illicò iuga conscendens, & cuncta, quæ ibi olim extabant, ædificia diutino Longobardorum bello, ipsorumquè liuore, solo æquata conspiciens, ibidem S. Siluestri monasterium in eius cultum, ac memoriam restituendum curauit, vt Eginhardus in Caroli Magni gestis sic tradit: *Carolomannus incertum* (inquit) *quibus de causis, tamen videtur, quod amore conuersationis contemplatiuæ succensus, operosa temporalis regni administratione relicta, Romam se contulit in otium, ibiquè habitu permutato monachus factus in monte Soracte apud Ecclesiam B. Siluestri constructo monasterio, cum fratribus secum ad hoc venientibus per aliquot annos optata quiete perfruitur; sed cum ex Francia multi nobilium ad vota soluenda Romam solemnitèr commearent, & eum veluti quondam dominum suum præterire nollent, otium, quo maximè delectabatur,*

Baronius an. 747. num. 1.

Carolomannus Caroli Martelli Francorum Regis filius in Christi sectãda humilitate sublimis.

Romam ad Sancta inuisenda loca deuotionis feruore succensus peregrinatur.

Sigebertus in Chronico, & Lauerius an. 747 in Sancti Bonifacij gestis.

Relictis omnibus ad Cassinum mõtem profectus, fit ex Regis filio, pauper monachus.

Eginhardus in vita Caroli Magni.

Dum iter agens in Vrbẽ contẽdit, ad Soractem montem, Siluestri Pontificis fuga illustrem contendit.

Ibi moras deuotione compunctus trahens, ob iuges Francorum concursus inde recedit.

In solitudine haud solus esse potuit, dum ibi Ciuitatum, ac ciuium turbas sibi obsequentes offendit.

tur, crebra salutatione interrumpentes, locum mutare compellunt. Nam cum eiusmodi frequentia suo proposito officere vidisset, relicto monte, in Samnium prouinciam ad Monasterium S. Benedicti situm in arce Cassina secessit, & ibi quod erat reliquum temporalis vitæ, religiosè conuersando compleuit. Hęc ille.

Carolomannus humilis in monasterio Deo ac Cœlo digna virtutum præbet exépla.

6. Quanta verò vir vbiquè clarissimus animi demissione, quo item ardore spiritus in prædicto Monasterio cunctis ignotus monacis vixerit, his Regino verbis exponit: *Cum adhuc* (inquit) *Romæ, seu magis propè Romam in Soracte positus in Monasterio, quod ibi ædificauerat, ab omnibus propter regiam nobilitatem, & quod maius est, propter contemptum regni terreni, & gloriam præsentis sæculi veneraretur, & laudibus extolleretur, timens vir Deo plenus fauorem laudis humanę, qui tanta pro Christo reliquerat, fugam magis arripere disposuit, quam vanæ glorię subiacere, & hoc tantummodo vni fido socio confessus est, quem ab infantia in omnibus fidelem probauerat, & cum eo noctu omnibus aufugit inscijs, & ad Cassinum montem vsque peruenit, nihil secum portans ex omnibus bonis, quæ corpori erant necessaria, nudus Christum sequutus est, & iuxtà morem portam monasterij pulsans, colloquium Patris expetijt. In cuius præsentiam cum venisset, mox in terram corruit: se homicidam esse, se reum omnium criminum protestans, misericordiam exposcit, pœnitentię locum exquirit.* Hæc ibi Enimuerò cum multis bellicosus vir aduersus barbaros prælijs inuictus, ac semper triumphans decertasset, multosquè sub eo inter prœliandum militari occisos ferro cadere contigisset, ideò se homicidam, ac sanguinarum fateri humillime non detrectauit.

Regino in Chronico an. 576.

E Monasterio à se ædificato vt lateret sæculũ, aufugit.

Quanta Monaci habitũ ac vitæ austeritatem humilitate, ac feruore pęnitentiam acturus exquirit.

7. Porrò in monasticæ obseruariæ regula deuotus adeo, ac humilis extitit, vt se reum sanguinis dicens, atque illuc non nisi ob id vnum, & pœnitentiæ causa migrasse affirmans, vilioribus monasterij exercitationibus aucupandis intentus, vel iniurijs quibusque, ac contumelijs perferendis paratissimum se vltrò exhiberet; hęc enim Auctor: *At ille* (inquit) *confessus est, se Francum esse, & ex Francia propter talia scelera migrasse, exilium libenter ferre paratum, tantum, vt patriam cœlestem non amitteret, &c. Accidit autem, vt iuxtà quod mos est, ad coquinę officium hebdomadarius deputaretur. Quod cum libenter quidem faceret, sed in multis ignoranter offenderet, coquus vino æstuans ei alapam dedit dicens: Ità te fratribus deseruire oportet? Cui ille nihil motus placido vultu respondit: Indulgeat tibi Dominus, frater, & Carolomannus. Neque enim cuiquam suum nomen prodiderat; ne agnosceretur. Rursus eum in quibusdam cibarijs administrandis, errasset, à coquo percussus est; cui eadem, quę suprà imprecatus; & cum tertiò à coquo crudeliter cæderetur, indignatus ille comes indiuiduus suæ peregrinationis, quod tantus vir à tam vili persona, tã contumeliosè afficeretur, iam ferre non valens, arripuit pilum, vnde panis in olera Patrum mittendus conterebatur, et cum omni adnisu percussit dicens: Nec tibi Deus parcat, serue nequam, nec Carolomannus indulgeat. Fratres hoc audito valdè commoti sunt, quod homo alienigena, & pro misericordia receptus, talia facere præsumpsisset. Protinus ergò custodię mancipatur, vt die sequenti talis præsumptio acriùs vindicaretur In crastinum productus de custodia, in medio Conuentu sistitur. Percontatus, cur manus extendere in fratrem ministrum ausus fuisset, respondit: quia* (inquit) *vidi seruum nequiorem omnibus, animum meliorem, et nobiliorem omnibus, quos in terra conuersari scio, non solùm verbis dehonestare, sed etiam plagis afficere. Furore nimiò exagitati, quod eum, qui peregrinus, cęteris prætulisset, interrogant, quis esset ille, qui bonitate, et nobilitate omnes anteiret, cur saltem Patrem Monasterij non excepisset. Ille necessitate compulsus, celare non valens,* (*Deus iam manifestari volebat*) *ait. Iste est Carolomannus Princeps, Rex Francorum, qui pro Christi amore regnum, & gloriam mundi dereliquit, qui de tanta excellentia ità se humiliauit, vt modò à vilissimis personis non solùm contumelijs afficiatur, verùm etiam verberibus affligatur. Quo audito perterrefacti à sedibus surgunt, pedibus eius se posternunt, veniam postulant de contemptu, ignorantiam profitentur. Ille contrà in terram prouolutus, eum lacrymis rogare cœpit, hæc non esse vera, non esse Carolomannum, sed hominem peccatorem, & homicidam, collegam suum timore correptum propter commissum peri-*

Vt se pro Christo magis, magisque deiiciat, acerborũ criminum reum proclamat.

Regino in Chronico an. 576.

Coquinæ obsequio vir regius destinatus molestias patienter fert.

Pistillo à Coquo percutitur.

Iniuriam patientissime tolerans, vbi res innotescit, à Fratribus pro miraculo suspicitur.

Aegre fert præcelsi animi vir, suam hominibus patientię & humilitatis virtutem prodi.

piaculum hæc excogitasse. Quid plura? Cognitus ab omnibus cum magna reuerentia est obseruatus. Hæc Regino. Atqui haud mendacij reus, vt hæc obiter inseramus, vir tantus dicendus est; quippè qui monastica (vt Baronius ait) professione sciebat abijci veterem hominem, & nouum indui, secundùm quod monet Apostolus: *Expoliantes veterem hominem, induite nouum, qui secundùm iustitiam creatus est.* Mira autem sunt, & omnem fidem superant, quę Carolomannus de se præbuit Christianarum omnium virtutum, & patientis præsertim animi inclaustro documenta, vt his Baronius luculenter verbis inculcat.

Baronius vbi supra n. 12.

Carolomannus haud mendacij reus, dum se homicidã fatetur, & si alter iam esset ab eo qui fuerat.

8. *At generosus* (inquit) *animus ille, qui calcato penitus mundo sublimem Christianę philosophię attingere conatus est verticem, non sic induit monachum, vt vnà simul Principem latentem intus includeret, sed exuit penitus, vt nec signum quidem in se remanere passus sit veteris hominis, in nouum, nouo cum habitu in omnibus transformatus, procul abhorrens ab eo, quod reprehendit S. Basilius in nobili quodam, sed ignauo mundi contemptore dicens: Senatorem perdidisti, & monachum non fecisti.* Hæc meritò in præclari viri laudem Baronius. Porrò vir omni laude dignus, ac diuinis virtutibus præcellens, cum apud Cassinum monasticam vitam ageret, Aistulphi Longobardorum Regis suasu, ac sui Abbatis iussu ad Pipinum in Gallias, ob magni momenti ipsius Aistulphi Regis negotia missus, morte præuentus, diem sanctissime obijt, vt Leo Ostiensis sic tradit: *Postmodum* (inquit) *cum ab Aistulpho Longobardorum Rege rogaretur, vt pro quibusdam regni sui negotijs ad Pipinum fratrem suum Francorum Regem pergeret, Abbate quoque id fieri postulante, ęgrè consentiens, profectus tandem est. Vbi cum aliquandiu remoratus esset, causa, pro qua venerat, impediente, defunctus est. Cuius posteà corpus idem Pipinus frater eius locello aureo conditum cum alys plerisque muneribus huc illud ad suum scilicet remisit monasterium.* Hæc Leo. Vir itaque humillimus, cum se ob Christi amorem mundo penitus abdicans, latere homines vellet omninò, Pęnitentiæ operibus iugiter intentus, in cœlum ad laborum præmia euocatus, feliciter tandē viuendi finem fecit. Et hæc vel obiter dixisse sufficiat.

Apost. ad Colos. 3.

Baronius vbi supr. n. 10.

Ipsius digna laudum præconia ex Baronij verbis.

Carolomannus, dum Aistulphi Longobardorum regis iussu ad Pipinum regem legationem init, morte præuenitur.

Leo Ostiensis cap. 7.

Corpus defuncti à Pipino rege auro inclusum vna cū muneribus ad Casini Monasterium remittitur.

9. Et viri quidem in sæculo quondam præcipui, vt pœnitentiæ studio probe exculti, expeditiores morti obuiam irent, alacrioresque fierent ad pugnam, cum se grauiter morbo correptos viderent, ac sibi vitæ instare finem animaduerterent, sacramentis Ecclesiæ quamprimum se communire, ac regno ipso, regalibusquè infulis, ac simul terrenis pompis omnibus, priusquàm decederent, nuncium remittere voluerunt, memores vtique, quod (& Gregorius aliquando inculcat: *Nudi ergò* (inquit) *cū nudo luctari debemus*; Quapropter illud apte subdit: *Nam si vestitus quisquam cum nudo luctatur citius ad terram de ycitur quia habet vnde teneatur, vestimenta ergo abyciat, ne succumbat.* Quod sane præ cœteris Ramirus olim Legionensis in Hispania Rex, post nobiles, insignesquè (vt Baronius ait) reuectas ex Arabibus victoriarum palmas, ijsdemque nouissimè suum ante obitum in prælio apud Talauera ad internecionem viriliter cœsis, deletisque, redditurus Deo gratias profectus est, vbi per honorifice plurimorum Sanctorum reliquiæ asseruabantur, ac illic ægrotare incipiens, Legionem delatus, in Epiphaniæ peruigilio (vt omnes veteres rerum Hispanicarum scriptores æquè consentiunt) feliciter obijt. Sed vt scriptorum verba excipiamus: *Facta* (inquiunt) *confessione Episcopis, & Abbatibus, qui secum aderant, deuotè suscepit Sacramentum Corporis, & Sanguinis Domini Iesu Christi. Quo facto, se à regno, quod à patre susceperat, abdicauit, proclamans cum lacrymis: Nudus egressus sum de vtero matris meæ, & nudus reuertar illuc: Dominus mihi adiutor, non timebo, quid faciat mihi homo.* His ità peractis, *vitam finiuit, & in monasterio sancti Saluatoris, quod filiæ suæ construxerat, tumulatur.* Hoc planè nobili Christianarum virtutum documento, vt pœnitentiam sub ipsum vitæ finem suo cunctis cōmendaret exemplo, laudatissimus Princeps regno se abdicans, & pauperem Christi sectam professus, diues meritis è vita decessit.

Viri in sæculo præcipui pęnitentiæ studio succensi, terrenis se cūctis addicāt prius quam vitam claudant.

Greg. hom. 32. in Euāg.

Baronius an. 950. n. 3.

Ramirus Legionensis in Hispania Rex de sęculo, plus quā de hostibus victor ante mortem triumphat.

Ambrosius Moral. lib. 16. c. 19. & aly.

Sacramentali confessione præmissa & Christi præmunitus Corpore, regno se abdicans: Nudus (inquit) egressus sum &c. & sic vitam claudit.

Vt diues sit apud Deum meritis, non nisi pauper ac nudus e vita exire gestit.

10. Hic item Olibanus in Galliarum Aquitaniæ partibus Comes silentio prætereundus non est, qui cum multorum

prægrauaretur peccatorum sarcina, B. Romualdum Monachorum Camaldulensium patrem salutandi gratia adiens, ab eo, vt suis pro culpis Deo faceret satis, & animæ prospiciens, sæculum relinqueret, & monasterium intraret, salubriter monitus consulenti vix tandem acquieuit; quod cum ipse nouæ rei magnitudine absterritus detrectaret, aliorum Episcoporum consilio confirmatus in Cassinensem montem profectus est, ibiquè monastico indutus cucullo, mundo se abdicans, saluberrimis pœnitentiæ operibus vitam excoluit, ac diem tandem supremum feliciter clausit. Sed hæc infrà ex Petro Damiani in B. Romualdi gestis excipienda nobis sunt. Eadem ferè de Olibano Comite in Chronico Cassinate à Leone Ostiensi Episcopo scripta habentur; ex quibus laudabilis viri relicto sæculo, Deo se obsequio mancipantis ardor, & pietas pęnitentiæ rigore, ac merito plane illustris redditur, totoque adhuc christiano orbe coruscat.

Olibanus in Galliarum Aquitanię partibus, à B. Romualdo monitus, pęnitentis vitæ normā facturus Deo satis ample ctitur.

Baronius an. 975. n. 8. 9.

In monte Cassinensi religiosæ vitæ institutis se ipsum dicat.

Leo Ostiensis in Chronico.

Enim verò, vt susceptæ narrationis historiam prosequamur; Cum Petrus Vrseolus, Ioannes Gradenicus, Romualdus, atque Marinus Guarinum insequuti, in Gallijs, non longè ab ipsius monasterio sedem fixissent, ac victum sibi manuum labore comparando, summa planè viuendi austeritate se ipsos, & carnem pariter edomantes, plura illic annorum curricula exegissent; postquam item Vrseolus vita laudabiliter perfunctus in Cœlum migranit; tunc Guarinus, atq; Ioannes, Marinus, & Romualdus in Italiam remearunt; præ cæteris verò, quos nobile tantorum virorum pœnitentiam agentium exemplar ad Deum totos pariter compunctos corde traduxit, vnus Olibanus Comes fuit, qui præferuido animi studio pœnitentiam amplexatus, & mundo vale dicens, Monasticæ vitę institutis se totum dicauit, quo feliciter præstito postquam sanctissimè vixit, condignum, vt par est, viuendi finem amplamque laboris sortitus est mercedem. Sed Petrum Damiani isthæc narrantem audiamus. *Alius quidam* (inquit) *Comes, Olibanus nomine in ijs Galliarũ Aquitaniæ partibus, sub cuius iure Monasterium prædicti Guarini Abbatis fuerat positum, qui sublimi quidem culmine terrenæ potestatis*

Baronius an. 977. n. 8

Romualdi, & aliorum ob vitæ austeritatem Deo in claustrio interuentium exempla, alijs ad salutem proficiunt.

Petr. Damian. Apud Suriũ tom. 2. die 19 Iuny cap. 19.

Olibanus in aliorum vita bene post hac viuendi, ac Deo inseruiendi rationem discit.

erectus, sed multis erat peccatorum moribus aggrauatus. Hic aliquandò Romualdum gratia visitationis adyt, & cęteris extrà cellulam manentibus, solus cum solo gestorum suorum seriem narrare quasi per confessionem cæpit. Cui vir venerabilis his, quæ ab eo referebantur, auditis, respondit, eum aliter saluari non posse, nisi mundum relinquens, ad Monasterium conuolaret. Comes autem mox mentè turbatus att, quia sui spirituales viri, qui eius acta cognoscerent, nequaquam ità sentirent: neque tam intolerabilem rem sibi aliquando suaderent. Exhorrebat quippe vir nobilis, ac sæculo, eiusquè pompis, & blanditijs deditus, primo quidem aspectu propositas sibi rigidas austerasque Monasticę vitæ leges, seque tanto imparem operi, eiusque ferendis oneribus sentiens, humeros ferendæ Christi sarcinæ submittere timens laborem maxime refugiebat; sed à Deo postmodum confortatus, intrà pœnitentiæ castra se se ambitioso deuotæ mentis obsequio recipiens, cuncta ad promerendam peccatorum veniam, & quæ demum sibi vir sanctus iniunxerat, sollicite præstitit, vt idem Petrus Damiani sic rem prosequitur.

Aeque honorum culmine erectus, ac vitiorum pondere prægrauatus.

B. Romualdo animæ sinum aperiẽs non nisi per pęnitentiam ad cęlos patere sibi aditum intelligit.

Salutis verbum sibi factum: tanquã ex Dei ore deuotus accipit.

Romualdi dictum Et si carnalibus auribus durum nimis accideret, animæ tamẽ palato dulcescere visũ est.

Petrus Damiani vbi supra.

11. *Adscitis itaque* (inquit) *Episcopus, Abbatibus, qui secum venerant, cæpit in commune perquirere; si ità res, sicuti Dei seruus testabatur, se haberet. Illi autem B. Romualdi sententiam omnes vnanimi voce confirmant: se vera Comiti eatenus non dixisse, terrore constrictos excusant. Tunc Comes semotis omnibus, hoc cum B. Romualdo secreto valdè consilio pepegit, vt ad Cassinum montem sub pretextu orationis peregeret, & in Monasterio S. Benedicti diuino se seruitio irreuocabiliter manciparet.* Hæc Damianus de pio, ac laudabili, quod Olibanus à Dei famulo, alijsquè Episcopis accepit, consilio, vt suæ videlicèt animę consulendo, se Dei totum obsequijs vltrò dicaret. Sed quomodo rem ille in opus, randem Deo aspirante, perduxerit, eiusdem hic Damiani verbis accipiamus: *Olibanus Comes,* (inquit) *sua relinquens filio, cum multa diuitiarum copia, quindecim scilicet onustis thesauro sagmarys, comitantibus cum Guarino, & Ioanne, atque etiam Marino, ad B. Benedicti se Monasterium contulit, & vale dicens his, qui secum venerant, nihil talè de eo vsquè nunc*

Episcopi, & Abbates requisiti ab Olibano Romualdi sententiæ subscribunt, ac se ipsos excusant.

Cassinũ occasionis prætextu Olibanus pergit, sed sæculo se abdicandi proposito firmus.

Sæculo nuncium remittens, multis onustus muneribus, ac diuitijs S. Benedicti monasterium adit ac cuncta deuotus, quæ attulit, Deo offert.

Petrus Damiani vbi supra.

Fit eius à sæculo fuga his: qui eum comitabantur ingentis causa doloris, & tristitiæ.

nunc suspicantes, multis gemitibus, & amaris fletibus se affligentes, ad propria remeare coegit. Hæc quidem digna nobilis viri, eiusquè pœnitentiæ testatissima ipsius Petri Damiani ore monimenta scriptorum paginis tradita sunt, quæ item in suo Cassinensi Chronico Leo Ostiensis Episcopus, de Olibano pęnitentiæ gratia relicto sæculo ad Religiosa piorum hominum castra conuolante narrat, qui & ibidem post vitam diù bonis egregiè operibus, ac pęnis potissimùm austerioribus excultam, sancto demum fine, vt credere par est, consumatus viuendi finem fecit.

Feliciter diem claudit.

Rainal. d. an. 1244. n. 54.

Adolphus Horsatiæ Comes Minoritarum B. Francisci institutum amplectens, pęnitentiæ cultor egregius extitit.

12. Huic item Adolphus Holsatiæ Comes pari virtutum merito, ac laudum consortio iungendus est, qui minor inter homines pro Christo fieri in terris cupiens, ac sæculo, terrenisquè cunctis sponte se ipsum exuens, Minoritarum B. Francisci institutis nomen dedit, ac seraphico adscriptus Ordini, non vulgaria ibidem virtutum, & religiosæ præsertim paupertatis, ac obseruantiæ documenta exhibuit adeoquè miris pœnitentiæ operibus diues beatum denique vitæ finem sortiri meruit. Sed Rainaldum in suis isthæc Annalibus narrantem audire præstat; hæc enim ille: *Adolphus* (inquit) *Holsatiæ Comes contemptis opibus immensis, vt diuinas compararet, religiosè vitæ apud Franciscanos se se addixerat; qui cum incredibili suscipiendi sacerdotij, conficiendiquè Christi corporis desiderio teneretur, Romam se contulit, vt à Pontifice impedimentis, quibus erat irretitus, solueretur. Annuit eius voluntati Innocentius, atque amplissimam Apostolicis literis potestatem concessit, quas Albertus Stadensis in suos Annales contulit. Tanto verò pietatis sensu, ac gaudio delibutum eo obtento triumphasse ait Crantzius, ac si regno florentissimo potius esset; Monasterium suis manibus partim, partim eleemosynis condidisse, quas ipse subditis quondam suis demissè deposcebat. Ferebat aliquando impositã capiti hydriam, lactè plenam, quod in Fratrum, operarumquè vsus emendicarat, cum magno fastu subnectos equis filios est conspicatus; perfususquè ob id rubore, mox ad reprimendum, frangendumquè animi tumorem exarsit, hydriaquè capitè excussa, se totum lacte proluit.* Hæc Rainaldus in suis Annalibus tanto

Pia Adolphi in sanctis virtutæ operibus exercendis studia, ac desideria.

Albertus Stadensis in Annalibus.

Monasteriũ suis partim manibus, partim eleemosynis extruit.

Ad comprimendum mentis fastũ sub oculis filiorum principum sepro Christo demittere cupiens, vas lacte plenũ, quod capiti impositum gerebat, inuertés se totum respergit.

digna viro sui, ac mundi contemptore eximio monimenta describit, quibus cum sacræ militiæ mendicus ex diuite factus nomen dedisset, in religiosorum hominum castris par animi robur, quod in sæculi culmine victor ostenderat, præstitisse dignoscitur: vir piùs æquè, ac nobilis, ac tum virtute, tum prosapia, vbique clarus; cui illa sapientis verba egregiè concinunt: *Melior est patiens viro forti, & qui dominatur animo suo, expugnatore Vrbium*. Vir quippe semper inuictus ad comprimendum, edomandumque animi fastum haud minùs fortis, ac strenuus in acie, quàm in claustro perstitit, contenditquè æque, ac olim ad euincendos hostes, debellandosquè, mundana fretus potentia in hominum oculis victor fuisset; sed vt ipsius Crantzij hic triumphalis instar tituli verba, viri promerentis sepulchro inscribantur, hæc ille: *Monasterium* (inquit) *sui Ordinis ipse manibus multa molitus in oppido Kyl, vbi nunc requiescit, curauit erigere, eleemosynas suorum quondam subditorum humiliter poscens, & accipiens. Curauit quoque Ecclesiam in terra Aldeburgensi (Quæ noua dicitur) erigere in honorem D. Antonij fratris sui ordinis: quamuis rerum ignari patrocinium deriuent ad Aegyptium Antonium. Cumquè multùm sollicitè laboraret in erectione dicti Monasterij in oppido Kyl, ibat ostiatim, hac in hydria mendicans, vt haberent operarij, & Fratres, quo inter laborandum per æstũ reficerentur. Media autem platea, vbi declinare iter non poterat, ibat hydriam baiulans lacte plenam: & cum obuios habuisset filios sublimes in equis Comitum more secularium, passus est humanitus aliquid, vt rubore cęperit perfundi. Sed ille infremuit, & robur mentis aduocans, cum adhuc in conspectu essent filij, hydriam leuatam super caput euertit, se se totum à vertice lacte perfundens, dixitquè: Infelix erubuisti Christi pauperiem baiulare lac in manibus, nunc vel in capite ostende, quid portaueris*. Hæc Crantzius; Ex quibus palam fit, quo Adolphus humanarum rerum ac sui (quod maius est) contemptu præcelleret, & quam conspicuus, sublimisquè Christiana apud Deum humilitate extiterit, vel hoc vno exhibito mortalibus argumento proditur. Felix profectò, qui vt ad intimos, exoptatosque cœle-

Victor sui, sæculi honore, ac rubore deuicto esse maluit quã quouis honore in sęculo dignus videri.

Prouerb. cap. 16. 32.

Aeque vir Dei in claustro sui, ac olim in castris aliorũ triumphator.

Crantzius suæ lib. 8; cap. 7.

Ostiatim mendicat, vt operarijs pro ædificiodo monasterio laborantibus victũ paret.

Qoia Christus inter homines, eiusque humilitatè non erubuit, erubescere vltro se ipsum deprimendo dedignatus non est.

Velut parvulus ob Christi amorem aulsus ab uberibus supernarum consolationum lacte potatur.

cœlestis sponsi amplexus aliquando pertingeret, ac supernorum tandem ciuium gaudia vberrime degustaret, dignus profecto censeri potuit, quòd sęculi fastum, splendidaque honorum blandimenta proculcans, terrenam omnem vltrò libenterque consolationem respueret, abijceretque, & non secus ac paruulus ab vberibus auulsus, reiecto lactis pabulo, ad solidiores animi cibos in ipsius Christi sinu delibandos proueheretur: Fastidientes quippe terrenorum bonorum & consolationum vbera, ad solida, sapidaque rerum diuinarum gaudia pertingere proculdubio constat, iuxtà illud scripturæ verbum: *Quem docebit scientiam & quem intelligere faciet auditum? Ablactatos* (inquit) *à lacte, auulsos ab vberibus*. Qui igitur, vt Christo candidatus sęculi ruborem vinceret, suo lac capiti infudit, futilium reiectis mundi voluptatum vberibus Cęlo aggregatus veram spiritus in suo fonte dulcedinem, ac filiorum in Dei Regno lac perpetuò degustare promeruit.

Isaiæ cap. 28. n. 9.

13. Præmemoratus verò Guido Mõtis Feltri Comes, ac dignus pœnitentiæ cultor accedit, qui cum à Clemente, huius nominis Quarto, Romano Pontifice vnà cum Henrico Castellæ Regis filio, & Vrbis Senatore pro suis excessibus anathemate perculsus fuisset, ac subindè infensus vti Ecclesiæ hostis, Forum Liuij, Cæsenam, aliaquè loca armis, ac vi occupans, demum longè, lateque suam per scelus, & arrogantiam mortalium ingratissimus, malisquè artibus tyrannidem propagaret, à Martino Quarto Romano Pontifice ipsa recurrente die Dominicæ Cœnæ, Ascensionis item, ac Natalitio Beatorum Petri, ac Pauli Apostolorum die diris solemniter, ac Romanorum pontificum ex more deuouetur. At scelestus Dei, & Pontificiæ item auctoritatis contemptor, ac se ipso in dies deterior euadens, iam proculdubio perierat, ni pœnitentiæ suffultus auxilio se à tot, tantisq; scelerum propudijs expiasset. Enimuero Numine tandem aspirãte seriò seipsum agnouit, & quantum infelix, tyrannidem vi affectans, ac potentia in aliena vsurpanda ditione, & publica insuper malè administranda re abuteretur, secum ipse recogitans cęptamque, vna simul animi ferociam deponens, vel serò diuinitus sapere, ac tandem mitescere didicit. Is quippe, è cuius nutu totius Aemiliæ res pendebat, dum armis, ac viribus fretus finitimos populos, ac ditionem iuris alieni, tyranni adinstar excurrendo perturbat, ac multa item publicæ tum vtilitati, tum quieti contraria insolescens quotidie magis pertentãdo molitur, à Bonifacio VIII. Roman. Apostolicis literis venire compulsus, cõpunctus tandem, & ad bonam frugem Deo afflante traductus, ad delendas anteactæ vitæ culpas nobili humanis rebus, terrenisque honoribus præmisso repudio, sanctioris se obseruantiæ institutis dicauit, cuius pia in arrepto mentis proposito consilia (vt Vuadinghus in suis Minoritarum Annalibus tradit) vbi primum summopere Bonifacius Pontifex collaudasset, ac subinde viro religioso, vt volentem in suum Sodalitium admitteret, Apostolica auctoritate indulsit, prout conceptæ his verbis testantur literæ.

Guido Mõtis Feltri Comes à Clemente Quarto vti hostis Ecclesiæ anathematis gladio percellitur.

Rainaldus an. 1282. n. 29.

A Martino item quarto censuris Ecclesiasticis innodatus.

Tandem à malis resipiscens ferociam mentis deponit.

A Bonifacio viij. Apostolicis literis Romã venire compulsus, palinodiam recantat, totus à se ipso immutatus.

Lucas Vuadinghus in minor. Annalibus.

Nobili humanis rebus indicto repudio ad pęnitentiam conuolat.

14. *Dilectus filius nobilis vir, Guido Comes Montis Feltri tam per se ipsum, quàm per fide dignas personas aperiens votum suum nobis pluries intimari curauit, quod ipse reuersus ad cor, desiderat, & proponit pro diluendis peccatis suis, quibus Deum, et Romanam Ecclesiam matrem suam offendit, sub religionis habitu finire in Dei seruitio dies suos; maximè cum coniugis suæ, prout dicitur, volentis votum emittere perpetuæ castitatis, ad hoc accedat assensus*, etc. Et infra hæc addit: *Quocircà discretioni tuę præsentium tenore committimus, et mandamus, quatenus ad eumdem nobilem te personaliter, si in huiusmodi proposito, sicut credimus, perseuerans, religionem velit intrare, recipias, et facias in manibus, et per manus tuas omnia, quæ circa emissionem votorum, et celebrationem diuortij prædictorum coniugum, receptionem ipsius Guidonis ad Religionem, et prædictorum dispositionem ipsorum nobilium requirentur, et alia, quæ circa id videris facienda, nobis per tuas literas rescripturus, etc. Datum Anagniæ X. Kal. Augusti, Pontific. nostri anno 11.* Fuit hic annus Christi 1295. His planè literis Bonifacius Guidonem fugam à sæculo, salubrique ipsius Christi, ac Pœnitentiæ iugo colla submittere meditantem, benigno paternæ cha-

Deo sub Minoritarũ instituto se ipsum dicat ex Vuadingho.

Ex litt. Bonifac. in regest.

Rainaldus an. 1294. n. 15.

Pontifex ipsius feruorẽ admiratus, antequam in ordinem recipiatur cautè mentis propositum vult explorari.

Ex litt. Bonifacij 8.

Quid quid pridem superbo mentis fastu deliquit, christianæ humilitatis ad dictus ingo expiat.

Charitatis affectu prosequi dignatus est. Constans igitur vir tantus in bono, abijciendiquè sæculi proposito inhærens, mirum de se, cunctisque æmulandum præbuit exemplum, nobilem de contemptis mundi illecebris, ac pompis à se reiectis triumphum agendo. Professus quippe arctiorem Franciscani Ordinis regulam, blandientis fastum sæculi proculcando contempsit, cuius ipse olim cupiditate, ac æstu abductus, multorumque ob id profusi hominum sanguinis reus, totquè, tantisquè se piaculis obstringens, manifestæ se ipsum perditionis periculo obiecerat, quod Rauennatum historiæ exhibent, vt in M. S. Friderici Comitis Vbaldini his verbis legitur: *Guido* (inquit) *ex nobilissimis Comitibus de Mõte Feltro, strenuus dux bellorum, cũ iam declinasset ad senium, anno domini M.CC.XCVIII. spretis honoribus sæcularibus, induit deuotissimè Francisci habitum, in quo terminum vitæ dedit*. Hæc de Guidone à Monte Feltro, præcipuo his temporibus Ghibellinorum Duce, qui inuictus subinde cultor, ac pœnitentium signifer pijs vltrò operibus anteactæ vitæ culpas redimendo, felix, faustoque post senium piè sub Christi iugo exactum, fine temporalem denique vitam conclusit.

Alterum è Saulo Paulum coutero plantibus se ipsum exhibuit.

Sancto demum fine anteactæ vitæ fastu, licentiam ac turpitudines redimẽdo compensat.

M. S. Comitis Vbaldini.

15. Demum (vt hæc narratis hactenus vel obiter inseramus) iustissimo quõdam S. Gregorius Papa in Mauritium Imperatorem qui iniquis milites Monasterium ingredi volentes legibus à claustro arcebat, zelo exarsit; Ad eundem quippe priuatim epistolam in hæc verba conscribens: *Omnipotenti* (inquit) *Deo reus est, qui serenissimis dominis in omne, quod agit, et loquitur, parens non est. Ego autem indignus pietatis vestræ famulus in hac suggestione, neque vt Episcopus, neque vt seruus iure Reipublicæ, sed iure priuato loquor: quia serenissime domine ex illo iam tempore dominus meus fuisti, quando adhuc dominus omnium non eras. Longino viro clarissimo stratore veniente, dominorum legem suscepi, ad quam fatigatus tunc ægritudine corporis, respondere nihil valui. In qua dominorum pietas sanxit, vt Quis publicis administrationibus fuerit implicatus, ei ad Ecclesiasticum officium venire non liceat. Quod valdè laudani, euidentissimè sciens, quia qui sæcularem habitum detinens, ad Ecclesiastica officia venire festinat, mutare vult sæculum, non relinquere. Quod verò in eadẽ lege dicitur, vt ei in Monasterio conuerti non liceat, omnino miratus sum, cum et rationes eius possint per Monasterium fieri, et agi potest, vt ab eo loco, in quo suscipitur, eius quoque debita quotidie soluantur. Nam etsi quisquam deuota mente conuerti voluisset, priùs res malè ablatas redderet, et de sua anima tanto veriùs, quantò expeditior cogitaret. In qua lege subiectum est, vt nulli, qui in manu signatus est, conuerti liceat.* Erat quippe istiusmodi (vt Baronius adnotat) militibus signum apponi consuetum, quo probe à cœteris dignoscerentur, quemadmodum etiam ex ijs, quę inferiùs subdit, satis apparet. At Gregorius Dei subinde, ac religionis zelo æstuans, acrius stylum sermonis in ipsum exacuens, sic verbis prosequitur. *Quam Constitutionem* (*ego fateor dominis meis*) *vehementer expaui, quia per eam cęlorum via multis clauditur, et quod nunc vsque licuit, non liceat, prohibetur. Multi enim sunt, qui possunt religiosam vitam etiam cum sæculari habitu ducere. Et plerique sunt, qui nisi omnia reliquerint, saluari apud Dominum nullatenus possunt. Ego verò hæc dominis meis loquens, quid sum nisi puluis? Sed tamen quia contrà auctorem omnium Deum hanc intendere Constitutionẽ sentio, dominis tacere non possum. Ad hoc enim potestas dominorum meorum pietati cęlitus data est super omnes homines, vt qui bona appetunt, adiuuentur, vt cęlorum via largiùs pateat, vt terrestre regnum cæles̃ti regno famuletur: & ecce aperta voce dicitur, vt & qui semel in terrena militia signatus fuerit, nisi aut expleta militia, aut pro debilitate corporis repulsus, Domino nostro Iesu Christo militare non liceat.* Hæc ille supremo Romanorum principi Apostolica imperterritus auctoritate suggerit.

Mauritius Imperator suis Christi Ecclesiam legibus oppugnans iustissime à S. Gregorio carpitur, & ad pœnitentiam prouocatur.

Baronius an. 593. n. 8.

S. Gregorius lib. epist. 2. epist. 62. Indic. 11.

Milites ad religiosæ vitæ instituta transire nolebat.

Ac si homines ad Deũ conuerti iuxta ipsius decretum non valerent.

Baronius vbi supra.

S. Gregorius epist. 62. ad Mauritium Imperat.

Gregorius ad iniquæ præscriptæ legis verba expauit.

Qua multis ob id cęlorũ aditus claudi videbatur.

Imperiali quis semel obligatus militiæ haud Christo posthac militare aptus renũciabatur.

16. Atqui acrioribus ipse subinde verbis perstringens, & ipsi collata diuinitus beneficiorum munera obijciens, ad iniquam abolendam eiuscemodi legem hortatur; hæc enim habet: *Ad hæc* (inquit) *ecce per me seruum vltimum suum, & vestrum respondebit Christus dicens: Ego tè de Notario Comitem excubitorum, de Comite excubitorum Cæsarem, de Cæsare Imperato-*

Gregorius epist. 62. ad Mauritium.

Acrioribus Mauritium verbis Gregorius perstringit, vt ad resipiscẽdum inflectat.

ratorem, nec solum hoc, sed patrem Imperatorum feci: Ego Sacerdotes meos tuæ manui remisi, & tu à meo seruitio milites tuos subtrahis? Responde rogo, pijssime domine seruo tuo: quid venienti, & hæc dicenti responsurus e in iudicio domino tuo? Sed fortasse creditur, quia nullus eorum puro animo conuertatur: Ego indignus famulus vester scio, quanti his diebus meis in Monasterio milites conuersi miracula fecerunt, signa, & virtutes operati sunt. Sed per hanc legem iam, ne quisquam talium conuerti liceat, prohibetur, &c. Vnde per eumdem tremendum Iudicem deprecor, &c. Imperatori quidem obedientiam præbui, & pro eo, quod sensi, minimè tacui. Ex quibus profectò videre est, quanta vir Dei alacritate, animiquè constantia Sanctissimus Pontifex Imperatori resisteret, vt in ipsũ licet humillimus, mentis tamen vigorem pro religione exerens, editis aduersus pietatem legibus obsistendo, ac oppugnando insurgeret.

Collata ipsi à Deo beneficia in mēte reuocat.

Accepta à Deo munera, vt ipsum ex terreat, obijcit.

17. Porrò quàm seuerè item altissimus fugientes è claustro in quo Dei se obsequio dicarunt vel certè fugam, post arreptum pœnitentiæ, ac religiosę vitæ propositum à susceptis resiliendo, institutis & ad sæculum redire meditantes animaduertat, ex his, quæ Gregorius Papa in suis epistolis tradit, repetendum opportunè hic est. *Alio quoque* (inquit) *tempore dum in die natalitio eiusdem Apostoli &c. iam meridianis horis fratres quiescerent, subitò quidam Frater apertis oculis cæcatus cępit tremere, & voces ingentes emittere, quibus vocibus testabatur ferre se non posse, quod patiebatur, &c.* & post multa: *Fratres pro ipso in oratione prostrati sunt. Qui statim ad se reuersus, quid passus fuerat, confessus est, quia senex quidam ei apparuit, & canem nigrum ad eum dilaniandum dimisit, dicens: Quare fugere voluisti de Monasterio isto? Cumquè euadere de canis morsibus nullo modo potuissem, venerunt quidam Monachi, & eumdem senem pro me rogauerunt: qui statim iussit canem abscedere, & ipse ad me reuersus sum. Qui etiam confessus est, quia ea die, quo ista pertuli, consilium habueram de eodem Monasterio fugere.* Sic pœnitentiæ desertores, ac mente transfugas Deus quandoque vindicat: Sed audi quid Gregorius subtexit.

A Religioso claustro fugiētes multiplex diuinitus pœna prosequitur.

Gregorius lib. 9, registri epist. 38.

Qui Monasterium relinquit, stygio cani traditur discerpendus.

Monetur à sene, vt si à periculo liber velit esse, consilium retractet.

18. *Alius quoque* (inquit) *Monachus discedere ex eodem Monasteriò latenter voluit. Cumquè hoc mente tractasset, Voluit Oratorium ingredi, sed statim Dęmoniò traditus, vehementissimè vexatus est, etc. dicebat autem, se eumdem Beatum Apostolum, dum vexaretur, vidisse, sequè ab eo increpatum esse, cur de Monasterio voluisset abscedere. Alij duo fratres de eodem Monasterio fugerunt, atque aliqua prius colloquendo, fratribus signa dederunt, quod per Viam Appiam descendentes Hierosolymam tenderent, &c.* Et post multa: *Qui ad Monasterium reducti, ex eodem miraculo ità sunt meliorati, vt eis multum profuerit ad parum temporis de Mònasterio fugisse.* Manifestis itaque, signis ac portentis Deus recedentes, aut certè à claustrò fugam parantes, aliquando absterruit, vt palam cunctis piaculi enormitas fieret.

Gregorius vbi supra epist. 38.

Duo alij monachi monasterij S. Gregorij post arreptā fugam in viā salutis reducti.

19. His demum appendicis instar subtexenda sunt, quæ probæ fidei scriptores, à sancto religiosæ vitæ proposito aufugere tentanti contigisse narrāt, vt in historiali Catechismo his verbis traditur: *In ipsa domo Carthusiæ, quę est Mater nostra (inquiunt Dorlandus, & Dionysius Carthusianus,) fuit ante nos nouitius quidam qui suadente diabolo, ac iam præsentiam possidente, sub nocturno silentio fugere ad sæculum meditabatur, cumque per coementerium claustri transitum haberet, audiuit de sepulchro cuiusdam nuper defuncti patris vocem manifestam, dicentem sibi: Quo fugis ò miser. Quo fugis. Prædico tibi, quia si hic abieris filius gehennæ, & perditoris alumnus eris. In hac voce correptus ac stupefactus diriguit, & ad se reuersus cellam repetijt, et in ea vsque ad vitæ finem laudabiliter perseuerauit.* Sic plane à mortuo, qui à vitæ, & pœnitentiæ institutis discedens velox currebat ad mortem, admonitus, in itinere pedem contrahens, vt cum Christo viueret, in claustro vsque ad mortem pœnitendo perstitit.

* *
*

Catechism. hist. c. 7. tit. 85. ex 10. Petrus Dorlandus in Chronico Carthusian. lib. 6.

Breuis ad tempus fugæ ingens animę profectũ parit.

Dionysius Carthusianus in conclus. exhortatorij noui.

Carthusianus monachus dū fugam parat, defuncti voce ad claustrum reuocatur.

CAPVT

CAPVT V.

Verbo Dei audito non nulli, se ad meliorem frugem traducunt.

Cœli profe-cto,ac mun-di machina, eiusque aspe-ctus tacite immensam Dei magni-tudinem mortalibus prędicat.

1 COelum profectò,& vniuersa,quę Cęli ambitu continentur,ac miro Dei opificio cōdita sunt, nedum ipsius Dei magnitudinem, sed & immensam insuper Verbi Dei virtutem, omnimodamque ipsius,vel tacite potentiam loquuntur: *Verbo* quippe *Dei*(vt Psaltes inquit)*Cęli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum.* Totus item Dei Verbo mundus iste, qui mortalium oculis patet, primùm ex nihilo conditus est, & cuncta pariter, quæ in mundo sunt,vnanimi ipsum voce sui conditorem prædicant, dum non nisi Verbi ipsius virtute, ac soliditate subsistunt: *Ipse enim dixit, & facta sunt, ipse mandauit, & creata sunt.* Operatorius nempe, ac efficax adeo est Dei sermo, vt quæ non erant, eius protinus vi, ac inperio in lucem prodierint; & quæ nunc sunt, cuncta non tam se ipsis, quàm eius subinde nutu,ac stabilitatè firmentur: *Ecce dabit voci suę vocem virtutis,* & suam in primis Altissimus Verbo omnipotentiam manifeste mortalibus ostendit.

Psalm. 32 6.

Dei in pri-mis sermo operatorius & efficax.

Psalmo. 142.

Psalm.64. n. 32.

2. Verùm enim verò immensa Dei virtus, atque inprimis efficax ipsius Verbum nedum creando, sed & subinde per Christum instaurando Terrarum orbi,renouandisquè spiritu hominibus sic affulsit, vt mortalium nullus,nisi ipsius Verbi, ac spiritus virtute afflatus, ad fidem, quæ vnicuique ad salutem necessaria est, aliquando peruęnerit; *Fides*(inquit Apostolus) *ex audituauditus autem per verbum Dei.* Diuini autem Verbi excellentissimã vim, rerumquè altissimarum vna simul arcana edisserens: *Quomodo* (inquit) *credent ei, quem non audierunt? quomodo verò audient sine prædicante? quomodò verò prædicabunt, nisi mittantur?* Dei siquidem Verbum Apostolico annunciatum ore vniuersam Terræ faciem peruadens, ac longe,lateque excurrens mortalium tum auribus,tũ cordibus sic se potẽter infudit: *In omnem* quippe *Terram*(vtPsalmista ait) *exiuit sonus eorum, & in fines orbis Terrę verba eorum:* Tanta enim Verbi in vniuerso terrarum orbe virtus extitit, vt vberrimum dicto citius fructum fecerit, illudquè meritò in DeiVerbo annunciando sit ad impletum: *Nec est, qui se abscondat à calore eius.* Adeòque duo illi post Christi mortem in Emaus peregrinantium more abeũntes aberrantesque discipuli, Domino vnà cum ipsis in via ambulante, ac de sui amoris excessu verba, cum illis faciente, ita in eius illico amorem exarsisse leguntur, vt Hierosolymam regressi dicerent: *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via.*

Verbo Dei mundus creatus est, & Verbi eiusdē virtute vniuersa,quæ in mundo sunt subinde instaurata.

Apostolus ad Roman. cap. 10.

Annunciatum Apostolorum ministerio Christi Euangelium mundo salutis causa.

Psalmo 18.

Psalm. 18

Luca cap.24.

Qui in Dei amore penitus obrigauerant, percepto Dei verbo diuinitus incalescunt.

Lucę c. 24.

3. Ipsius verò Ecclesiæ sinum, sub ipsa fidei surgentis initia sic Verbi semine ob lucra,quæ subsequuta sunt, fęcundari contigit, vt totus iam Christi Euangelio, eiusquè Crucis virtuti mundus triumpho cesserit, cunctisquè Dei Verbum mortalibus, non secus ac certa tum vitæ, tum salutis,ac regni obtinendi tessera, diuino Christi ore propositum sit: *Euntes* (inquit) *prędicate Euangelium omni creaturæ; Qui credtderit, & baptizatus fuerit, saluus erit, qui verò non crediderit, condemnabitur.* Christianus itaque Orbis Dei nutu, ac verbo subsistit, & ex innumeris plane diuini Verbi cultoribus vbique terrarum in Christi nomine Ecclesia congregatur, adeoquè meritò hi,à quibus Dei verbum pati repulsam contigit, à Christi tandem regno, tanquam ipsius felicitate haud digni, extraneorum instar repelluntur;quod sane Iudæis olim Apostoli denunciantes aiebant: *Vobis oportebat prædicari verbum hoc, sed quia repellitis illud, & iudicatis vos indignos vitæ æternę, ecce conuertimur ad gentes.* Iudaici itaq; populi reprobatio, & Gentium adChristi regnum electio,&Dei potentiæ,ipsiusque Verbo adscribenda proculdubio est. Horum quippe in bono,& ad regnum prouectio, nec non aliorum obdurara sic in malo mens, & præceps denique in Tartarum malitia, profectò non nisi ob fideliter receptum, aut certè ob reiectum temere Dei verbum, id ipsum vltrò Apostolis contestantibus accidit: *Ex cęca* (ait Propheta) *cor populi huius, & aures aggraua, vt videntes non videant, & audientes non intelligant.* Enimuerò,vt hinc narrandi nobis initium sit;

Annunciatum, exceptumque vltro verbum, certa homini sperandæ salutis tessera.

Marci cap. 16.

Fides ad Dei,& Christi regnum consequendum necessaria.

Actuum Apostolor.cap.13. n.48.

Indignus vitæ ęternę, qui Dei à se verbum repellit.

Actuū Apost. c. 6.

Iudaicæ gentis reprobatio, & Gentiũ electio non nisi à Dei verbo perperam vel fideliter audito tribuenda.

Isaia cap. 6. 10.

Iudęi Dei verbo rebelles ipso, ne videant lumine orbantur.

Saulus quondam, dum Christi Ecclesiam acrius persequitur, non nisi Verbo è cœlis delapso, sibique altius intonante mox ad Christum traducitur: *Domine* (inquit) *quid me vis facere?* Responso autem indè salutis accepto: *Vade* (inquit) *ad Ananiam, &c.* Dum igitur Dei verbo cordis autem adaperit: *Continuò* (vt ille ait) *non acquieui carni, & sanguini*. Stephanus verò Iudæos incredulos, pertinacesque meritò ob id vnum iam lapidandus increpat, obiurgatquè, suam potiùs, quàm Verbi iniuriam, iactutamque patienter ferens: *Dura* (inquit) *ceruice, & incircumcisis cordibus vos semper spiritui Sancto resistitis*. Quod probè aliquando Augustinus expendens: *Quando* (ait) *Stephanus debuit plus irasci, quandò lapidabatur, an quandò non audiebatur? ecce mitis factus est, cum lapidaretur, & irascebatur, cū non audiretur*, Vel ipso tūc facto palam enuncians, non nisi ob contemptum videlicet Dei Verbum Iudaicam à Deo gentem certissime reprobandam.

Saulus Christi audita è cœlo voce mox ex persequutore Apostolus, ac beoe doctus, orbis totius doctor euadit.

Actuum Apostolorum c. 6.

August. hom. in act. Apost.

Stephanus, dum Iudæis prædicans non auditur irascitur, dū ab ipsis subinde lapidatur pati-nter ferendo mitescit.

4. Porrò, vt suprema olim Iudęis ob contemptum ruina, sic Gentilium populo ob facilem, ac promptum Verbi auditum, certa demum salus refunditur. Totus quippe mundus nonnisi ipsius verbi prædicatione Christianus tandem euasit, adeò vt non tam Romanorum Imperatorum potentia, ipsorumquè Rethorum apte dicendi, ac suadendi arte, quàm vnius Piscatoris verbo, suasque præbens Euangelio aures in Christum (teste Augustino) crediderit. *Christus* enim *non quæsiuit* (inquit) *Piscatorem per Oratorem, sed per Piscatorem lucratus est Oratorem, & Imperatorem. Magnus Cyprianus Orator, sed priùs Petrus piscator*. Tantum namque Dei Verbum ipsius Piscatoris ore annunciatum profecit, vt & qui increduli pridem erant, & festino peccatores ad pęnitentiam pede concurrerint; Quod & clariùs insuper adducendis mox exemplis constabit.

Vniuersus mundus Dei verbo expugnatus, Christo lucrum cessit.

Augustinus ser. moral.

Christus nō quæsiuit Piscatorem per Oratorē sed per Piscatorem lucratus est Oratorem, & Imperatorē ex Cypriano.

5. Itaque (vt noster opportune hinc sermo initium sumat) quemadmodum Dei Verbum pio mentis affectu, ac deuota ab annunciantibus aure acceptum, homini salutem affert, haud secus eius contemptus mortalium iugulo animaduersionis gladium, ac certam Ciuibus cladem, supremamque Ciuitatibus ruinam intentat, vt aptè in rem nostram Sozomenus in suis paginis tradit: *Anno* (inquit) *Christi Domini trecentesimo quinquagesimo sub Rege Sapore grauis persequutio in Persia aduersus Ecclesiam sæuijt. Per id verò tempus etiam Milles Episcopus occubuit. Is primùm apud Persas militauerat, postea verò deserta militia Apostolicam vitam est imitatus. Cum autem Persicæ cuiusdam Ciuitatis Episcopus esset, multosquè sæpe numero cruciatus pertulisset, nec vlli isthic persuadere posset, vt Christianus fieret, iniquo eam impietatem ferens animo, Ciuitatem execratus, inde discessit. Non longo post tempore, cum primarij viri vrbis illius in regem peccassent, exercitus cum trecentis Elephantis eò profectus Vrbem euertit, & velut agrum colentes in ea sementem fecere; Hunc in modum Verbi diuini contemptus pœnas iustas, & graues tum Deo, tum Episcopo persoluit*. Sic nimirum rebelles lumini, & qui semen Verbi Dei è cœlo transmissum, per scelus reiecerant, nedum luce, ac vita orbati sunt, sed & perpetuò à Dei regno exules, ac certo salutis dispendio mulctati, acerbiorem cunctis cladem, & iustissime quidem sunt perpessi.

Sozomenus lib. 2. Eccl. hist. cap. 4.

Nicephorus Calixtus lib. 8 histor. Eccles. cap. 31. an. 350 apud Drauultium in Catheu hist.

Milles in Persia Episcopus nulli vt Christianus fieret, suadere valens Ciuitatem maledicto perculit.

Tota haud multo post Ciuitas, mille excidium passa.

6. Vt noster vero susceptæ narrationi sermo insistat, hæc pręcipua quidem Verbi Dei prærogatiua est, vt ipsum ad discriminandos à reprobis electos ac si data e cœlo tessera mortalibus pręsto sit: *Qui ex Deo est* (inquit Christus) *Verbum Dei audit*. Hine haud semel Dei Verbum viros qui nunc sunt sanctitate præcipui, ex impijs pios, & ex peccatorum cœno eruros feliciter Cœlo inseruit, vt sic ex Sophronio Drauultius acceprum de Babyla testatur! *Babylas quidam* (inquit) *Tharsi Ciliciæ Mimus professione, & Magus, vir flagitiosissimus, duas concubinas tenebat; multa pro Dæmonis arbitrio, quo vtebatur familiariter, siuè cum eo, siue cum alijs nefariè transigebat. Ingressus quodam die Ecclesiam, auditoquè Euangelio, quod ad Pęnitentiam hortatur: Pęnitentiam agite, appropinquauit enim Regnum Cœlorum, ità compunctus est, vt redierit domum, & suis Concubinis: quo (inquit) amore, quàm æquabili vtramque complexus sum, sat, superquè animaduertistis. Iam mutatus aliud de rebus meis cogor statuere;* qua-

VerbūDei ipsos Dei electos, à reprobis dat velut tesseri discernit.

Ioannis cap. 8.

Sophronius inprato spirituali c. 3.

Babylas Mimus professione, ac magus Tarsi audito pęnitentiæ in Ecclesia verbo à malis mox resipiscit.

Matthæi c. 3.

quæcumque labore consequutus sum, per me me licet (iam monachus fio) accipite. Illæ oratione huius permotæ, responderunt cum lacrymis: Et nos in flagitijs tibi sociæ fuimus, erimus & Pœnitentię. Omnibus ergò in pauperes erogatis, incorruptè deinceps, castè, sanctèque vixerunt. Hunc Babylam antiquus auctor Ioannes Moschus dicit, se vidisse venerabilem, modestum, & clementissimum virum. Quis hunc hominem nō flagitiosissimum fuisse dixerit? Hęc certè mutatio dexteræ excelsi: Nam meretrices, & latrones, multos prǽcedent in regno cælorum. Quibus sanè miram hominis ad Deum conuolantis, subitamque duarum simul ipsius Concubinarum resipiscentiam, non tam homini, quam ipsius Dei Verbo adscribendam probè iam vnusquisque ex narratis intelligit.

Duas, Concubinas, qui bus adhærebat, dimittens, monachus fit.

Impuræ itē fęminæ se ip sas, ac seculū execratæ, pę nitendo ipsi consortes fiunt.

7. Certa igitur salutis spes homini, Dei Verbum fideliter intra cordis sinum excipienti refunditur, adeò vt illud meritò Christi oraculum occinat: *Qui ex Deo est, Verba Dei audit; propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis.* Quod quidem etsi pluribus exemplis liquet, ex his tamen, quæ in Fratrum Ordinis Prædicatorum gestis habentur satis, superque euincitur; hęc enim ibi: *Vir Dei, die animarum manè Romę Theutonicis prædicauit, superuenientesque duæ meretrices, vna alteri dixit: Audiamus hic verbum Dei ab isto. Altera verò renuente, & abscendente, prima ad pedes fratris prędicantis se locauit. Modico ergò facto interuallo, alta voce clamare cæpit: Obsecro vos Domine, per misericordiam Christi, cuius gloriam prędicatis, quatenus confessionem meam quantocyus audiatis miserę peccatricis. Qui eidem respondens ait: modicum sustine filia, statim veniam, & te audiam. Illa parum quiescente, eadem quę priùs, cum clamore repetijt, illiquè, vt priùs supplicauit. Tertia verò vice post modicum silentium validiùs, quàm priùs præmissa verba proferens coram omnibus præsentibus spiritum exhalauit. Quod vir sanctus, frater Vlricus videns accurrit, & eam mortuam inueniens, precibus supplicibus cum populo præsente à Deo reditum vitę illius impetrauit. Quę resuscitata respirans fratri Vlrico dixit: Noscis Fratrem Vuichmannum, Priorem Vuspinensem? qui ait: noui; At illa hac hora, qua ego spiritum exhalaui, anima Sancti illius à corpore egressa, ad Cælum, Deo vocante, est perducta. Cuius meritis Clementia Saluatoris omnipotentis XXXIII. animas de Purgatorio secum transmittens, à pœnis liberauit. Insuper & XXXIII. peccatores publicos conuertendos, iustificandosque meritis eiusdem condonauit, quorum vna ego sum. Sicquè peccata sua Fratri Vlrico confitens, & vitam laudabiliter finiens, in breui post in Domino feliciter requieuit.* Id planè mulieri vitijs, ac lasciuia turpiter diffluenti audito Dei Verbo auribusque deuotè, ac fideliter accepto in immortalis denique vitæ lucrum cessit, cui intimus videlicet primum anteactorum criminum dolor, ac felix subinde post pœnitentiæ lamenta vitæ finis in optimo mentis statu diuinitus contigit.

Ioannis c. 8.

Qui ex Deo, qui autem ex Diabolo sunt, ipsius Christi oraculo palam ostenduntur.

Ex gestis Fratr. Ordin. Prædicat Ex pl. spec. pag. 451.

Vito religioso verbū e suggestu annunciante, vna meretrix audit, altera contemnit.

Tantam audito verbo cordis compunctionis vim sentit, vt præ dolore ipsa vita defecerit.

Momento temporis & contritionis magnitudine, à cūctis vitæ culpis expiata cœlum conscendit.

Ipsa pridem peccatrix, & iam pœnitens, pœnitentię vim cunctis aperit.

8. Porrò ea diuini Verbi (*quod tunc capit, cum capitur*) vis, & in primis efficax ad lucrādas Deo animas, diluendasq; enormes quantumuis culpas prærogatiua est, vt vix vnquam, & magno absque fructu ad Deum redeat: Cuius rei insignis Doctor, ille Monetæ insignitus nomine ad Deum, & ad religionis portum è mundo naufrago repente e mergens testis accedit. De quo isthæc in conscriptis historiarum Ordinis Prædicatorum tabulis: *Cum sanctæ* (inquit) *memoriæ Fr. Reginaldus, quondam Aurelianensis Decanus, Bononię frequenter prędicationis insisteret, & plures Magnos Clericos, & magistros attraheret, Magister Moneta (qui tunc in artibus legens in tota Lombardia famosior erat) visa conuersione tantorum; cæpit timere multum, quod caperetur in sermone illius. Vndè eum in quantum poterat, declinabat, & omnes scholares suos verbo, & exemplo suo auertebat à prędicatione eius. In festo autem S. Stephani cum scholares prædictum magistrum ad sermonem attraherent, nec ipse propter scholares, nec propter honorem se absentare posset, dixit eis: Eamus prius ad Missam. Iuerunt ergò, & non tantùm vnam, sed tres audierunt. Tunc instantibus illis ait: Eamus nunc ad sermonem. Veniens ergò inuenit eum prædicantem, & maiorem Ecclesiam ità plenam, quod intrare non potuit. Vndè stans ad fores Ecclesiæ, & auscultans, in primo verbo captus, quod tale erat: Ecce video cælos apertos. Et (inquit) in præsenti aperti sunt ad introeundum. Quilibet, qui vult, potest ianuas* apertas

Dei verbi vis, ac prærogatiua, vt obstinatioribus quibuscumque interdum hominibus præualeat.

In histor. Fr. Prædic. Ordinis par. 4. c. 20.

Doctor Moneta, vim diuini Verbi experiens, ab audiendo semper consulto abstinet.

apertas intrare: videant, & timeant miseri negligentes, ne eis, qui claudunt Deo cor suum, et os, et manus, regnum Cælorum claudatur, et introire non possint. Quid ergò tardatis charissimi: ecce aperti sunt Celi: Finita ergò prædicatione venit ad eum magister Moneta compunctus verbo Dei, et ei statum suum, et occupationes exponens, in manibus eius professus est. Et quia erat multipliciter impeditus, de licentia ipsius fratris Reginaldi per annum, et amplius remansit in habitu sæculari, non tamen inutiliter. Sicut enim multos priùs ab eius prædicatione auerterat, sic posteà quàm plures, non solùm ad prædicationem, sed etiam ad Ordinem adduxit. Trahebat eos ad sermonem, et modò hunc, et modò illum ad Ordinem inducebat, et cum singulis quasi de nouo profitebatur. Ingressus autem Ordinem, qualis in omni sanctitate fuerit, quantum in verbo, et doctrina, et hæresum confutatione profecerit, non de facili posset scribi. Quo sanè diuinum illud Oraculum adimpleri contigit: *Verbum meum, quod egredietur de ore meo, non reuertetur ad me vacuum.* Multi etenim Verbo Dei vel casu, ac perfunctoriè aurem interdum præbentes certam inde animæ Deo aspirante salutem lucrati sunt.

In festo S. Stephani Protomart. & si fero venit, ferio tamen Dei verbo compungitur.

Sæculo nuncium remittens Prædicatorū Ord. instituto se dicat.

Isaiæ c. 55. n. 11.

9. Sed vt susceptæ narrationis propositū magis, magisq; ad suadendū roboretur exemplis: Cum quidem olim Sacerdos supradicti Prædicatorum Ordinis de Deo (vti mos est) verba faceret, & sui Ordinis Clericos probè instruens de abijcienda rerū caducarum cura, ac sæculi cauenda fallacia præmoneret, & nōnulla, quæ huc spectant, vel obiter diceret, ex adstantibus repente certus quidam compunctus totum se Dei obsequio dicans, multum in arrepto mentis proposito ac Dei cultu, & amore profecit; hęc enim in Prædicatorum historijs traduntur: *Charissimi* (inquit) *propter hoc, quia multi sunt scholares, qui multùm se cruciant, et multa sustinent longo tempore Parisijs in studendo, quod nihil est, nisi pompa Sathanæ; dicunt enim in corde suo: quando studueris Parisijs, et fueris Magister in illa, et illa facultate, rediens ad terram tuam, eris famosus, et reputaberis magnus Clericus; honoraberis ab omnibus, dabuntur tibi beneficia, ascendes ad dignitates, et huiusmodi: Et quid est hoc, nisi magna pompa Sathanæ? Charissimi caueatis vobis à tali intentione in studio vestro, et videte quomodo multi Magistri, & Clerici relinquunt Mundum, aduertentes nunc, quod ferè omnia, quæ sequuntur homines in mundo, pertinent ad pompam Sathanæ. Cum autem hæc diceret Sacerdos, ecce finita lectione vna, Clericus in cœpit Responsorium: Hei mihi Domine, quia peccaui nimis in vita mea; quid faciam miser? vbi fugiam, nisi ad te Deus meus. Et sic verba Sacerdotis ex vna parte, et cantus prædicti Clerici ex altera, quasi duæ turbę intrantes ad cor eius, commouerunt eum in quandam insuetam compunctionem magnam, et abundantiam lacrymarum. Recedens ergo inde, quocunque ibat, vbicumque ipse stabat, deuotissimè gestabat verba prædicta in visceribus, et præcipuè illud verbum Responsorij prædicti: Quid faciam miser, vbi fugiam, nisi ad te Deus meus? Cum autem hoc reuoluit quasi continuè in corde, videbatur sibi quędam vox in anima sua respondere: Quò fugies, nisi ad S. Iacobum, ad Fratres Prędicatores? In illis autem diebus cum more solito iret ad B. Virginem adorandam, tanta fuit ei multoties gratia compunctionis, et deuotio lacrymarum, et affecti cordis inconsueta, quod vltrò despiente sibi mundo, post paucos dies iuit ad Fratres sibi notos ad S. Iacobum, ordinauit cum eis de ingressu suo solutionem debitorum quorumdam. Interim autem loquutus est Domino Hugoni, qui factus est posteà Cardinalis, qui fuit Magister suus, et reuelauit sibi propositum suum, confidens, quià eum non impediret, quia homo bonus fuit, et Baccalaureus in Theologia. Quo audito ipse gratias agens Deo, confortabat eum dicens: Sciatis Magister, quod ego hodie idem proposui, sed non possum statim intrare, quia habeo expedire quedam negocia Domini mei Vuilhelmi de Sabaudia, cum quo nunc sum, sicut scitis. Sed intrate securè, & sitis securus, quod ego vos sequar in festo B. Andreæ. Ipse, & Dominus Hugo in sequenti quadragesima, in cathedra B. Petri, Ordinem sunt ingressi.* Felix, qui vnico vel obiter accepto salutis verbo, ad perfectioris vitæ normam, cœlum proinde lucrando profecit.

Dei verbum nunquam in vanū, & absque fructu abijt, sed alicui semper prodest.

In gestis Fr. Ordinis Prædicatorum p. 4. c. 10.

In spec. magn. exempl. pag. 448.

Quidam audito à religioso Prædicatorum Ordinis Dei verbo mirifice in bono proficit.

Auditis sacræ Scripturę sacræ verbis: Quid faciam miser, à sæculo fugam ad Deum, & ad religionem consolans arripit.

Hugoni amico rem narrans, ab eodem in sā cto mentis proposito confirmatur

Expeditus, ác liber è sæculo ad Deum festinus currit.

10. Dei itaque Verbum, vbi ab ore annunciantis exiens, mortalium cordi illabitur, ita, ni ab ingrato reijciatur, in Dei

Dei verbum omnem in salutis negotio moram abrumpit.

In Fastis Senensibus in B. Thoma Caffarino pag. 52. Michael Pio. tit. 24. lib. 2 vir. Dominican. illustrium lib. 2.

Dei amorem, ac odium, sui ipsius hominem, ad quem fit sermo, succendit, vt mox carnis, ac sæculi blanditijs finem, pęnis vero sponte subeundis felix initium præbeat; Quod quidē mulier olim in sæculo degens, sed sæculi contemptrix, occulta vi verbi, reddita, in se probè experta est. Enimuerò cum Beatum Thomam Caffarinum, eximiū Dei verbi præconem audiffet, mox sub ipsius magisterio Crucis, ac pœnitentiæ discipula euadens, virtutum merito sub eius disciplina profecit; Vir namque Dei (vt historiarum monumenta edocent) Ordinem sacrum instituit, quem à Pęnitentia dici voluit; Hæc autem in Senensiū fastis: *Annon* (inquit) *in numeros vir Dei ab Inferorum, mundiquè tyrannide vindicauit? Satis luculenta terris vna fuit B. Maria Storiona, celebrata Sanctimonię matrona, quæ concionantis Thomæ vehementia commota, retineri non potuit, quin illicò omnibus florentissima, qua prędita erat, formę oblectamentis, omnibus item diuitiarum, & nobilitatis domesticę commodis, paupertatem Christi, & voluntariā corporis afflictationem pręferret, in asperum Virginum à Pœnitentia dictarum Cœnobium transgressa. Hic illa ad sanctissimos Magistri mores, atque exempla totam se fingens, carnium esu perpetuò abstinuit, humilem, ac asperam vestem, ne paruis quidem illis noctis horis, per quas sopori succumberet, vnquam posuit; atroces quotidie ingeniosior in pœnis, rebellium sensuum contumaciam ità compressit, atque ad eam perfectissimæ vitæ rationem progressa est, vt meritò gestiens ad triumphalem animam coronandam delapsos cęli proceres frequentissimos morti proximæ videre se dixerit.* Ità mulier sola verbi (quod malleus est conterens petras) virtute ac breui in Pœnitentię, & Charitatis officina, cum prius esset vas contumeliæ, vas in honorem, ac Deo dignissimum cessit.

Mulier in sæculo degens audito Dei verbo, sæculo se abdicans in spiritu viriliter proficit.

B. Thomas Caffarinus diuini verbi præco, in numeros ad pœnitentiā trahit.

Mariæ Storionę ingēs ex Dei verbo fructus.

Ad sanctitatis metam suis virtutibus pertingit:

In fastis Senensibus pag. 152. ex MS. vita ipsius libello.

11. Ea igitur est Dei verbi prærogatiua, & diuinarum insuper virtutum pulchritudo, vt grata semper, ac periucunda, nec otiosa mortalium tum oculis, tum auribus aliquando accidat. Vbi è contrà horrenda peccati fęditas, nedum visa, sed vel audita interdum ruborem, & confusionem pariter suam in conscientiæ foro, atque intimo animi speculo faciem contemplantibus ingerit. Cuius rei testatissimus quidē testis adest Bonsignorius Cacciaguerra, magni olim in Vrbe nunc cœlo nominis Presbyter, *qui* (vt auctor in fastis inquit) *mali dæmonis pius auditor, cęlestem virtute sedem, scelere illius vacuam occupauit*, Enim verò dum hic in sæculo liberiùs, & curiosè nimis rem agit, suas sibi culpas, ac vitæ, ipsius Diaboli ore, nec sine magno renunciatas propudio turpitudines adcò exhorruit, vt sui confusionem haud patienter sustinens, mox ad Confessionem sacramentalem conuolans, Pœnitentiæ quidem austeras sibi seruadas imposterum leges pro lege præscripserit. Sed Auctoris hic quæso gratis auribus verba excipiamus. *Dum Bonsignorius* (inquit) *res suas ex muliere à Dæmone obsessa sciscitatur, vniuersā eius arcana scelera sibi obijci, exprobariquè audiuit: & erubuit imposterum facere, quæ suasor ipse infernus criminabatur. Ea verò fuere sanctitatis vitium in virtutem degenerare facientis rudimenta; pudendæ scilicet anteactæ vitæ pudor, non in genis, nempe summa in cute lenis, sed seria pœnitentiæ ignea opera ex oculis vbertim stillatitiis: Mercaturæ prosperitas, quę iam decoxerat, in egenos liberalior; Terrenarum rerum, suiquè contemptus, & multiplex afflictatio: piè suscepta Compostellana peregrinatio, in qua longiùs moribus, quàm pedibus progressus, longè alius à se ad se ipsum redyt: Sed in illa itineris parte insistendum tantisper est, quam optimus peregrinus tribus millibus passuum Compostella distantem fune ceruicibus iniecto, manibusquè post terga religatis, gemino à famulo tractus, & excalceatus, summa in Apostolum Iacobum religione confecit. Ità nimirum sisti scelus decuit pessundati capitis reum ante Iudicem Sanctitatem. Quare ibi vitiosus animi nigror piaculi confessione ingenuum in candorem elutus peregrinationis pretium opera fuit. Quid hic memorem, quas ope fultus diuina sexcentas exanthlauit ęrumnas à flammeis voluminibus, à marinis tempestatibus, à carcerum vinculis, & ab insidys immissas inferorum? Sed inter obluctantia mundi elementa eualescens virtus in eam staturam adolenit, vt giganteis iam viribus non suę solùm, sed alienę complurium saluti patrocinaretur, &c. Romæ demum diù moratus*

Dei verbum æque hominū auribus gratum, acceptumq; quā sæculi nugæ, ac blanditiæ vitiorum æteroa cupientibus molestæ.

In gestis Senensibus vbi supra.

Bonsignorius Cacciaguerra ab obsessæ fæminę ore dęmonū fraudes & deliramenta hominum sapide [addiscit.

Ipsius in pęnitentiæ cultu feruor.

Ad S. Iacobum in Compostella peregrinatur.

A sacra Apostoli æde distans passibus ter mil. libus, ligatis post tergum manibus vel reus à famulis se pertrahi vult.

moratus inter cætera diuturnum domicilium habuit, & moribus suis opportunum, cui Sodalitatis Charitatis à S. Hieronymo nomen imposuit. Degunt ibi Clerici Conuictores, quorum plures Bonsignorio Eucharistiæ crebro obeundæ morem instauranti diù, multumquè, pariter oblatrarunt, & obstiterunt, &c. Cum verò plures per annos domi, forisquè coniuratas in vnum Bonsignorium, qui frequentem Sacramentorum vsum inueheret, omnium petulantes, & impias obtrectationes obstinato silentio confutauit: Cumque ob eam causam apud sacrum Quæstorem sacrilegi criminis delatus esset, elinguis innocentia accusationem elusit, &c. Et post multa: *Omitto plurimas, quibus deinde fortiter tolerandis factus est fortior, ęgritudines: vt martiry cupientissimus morbos habuerit assiduos tortores, &c. Præceperat paucos ante annos, cum periculosè ægrotaret, famulo sibi vnicè charo, vt se vita perfunctum sub aditum templi nuda in humo tumularet, quò pedibus ingredientium omnium proculcaretur.* Hoc ipsum exinde factum. Nam in imo templo sepultus, hoc honorifico epitaphio cunctis proditur.

Confessione culpas expiat & ià mutatus in virum alterum nouâ vim ratione aggreditur peregrinus iam futurus interris, & cęli ciuis.

Romæ tandem pedem figens raro virtutū exēplo præfulget, animabus Dei lucrandis intentus.

Meritis onustus diem obit, & in Ecclesia S. Hieronymi à Charitate tumulatus hoc titulo decoratur.

Bonsignorio Cacciaquerræ
Senensi.
Miræ Sanctitatis Sacerdoti.
Obyt anno D. M. D. LXXII.
Aetatis LXXII.
Humatus hic pridiè Kal. Iuly.

Et Hæc vel obiter in viri virtutum ac Pęnitentię studio apprime exculti laudē, qui in eisdē S. Hieronymi ædibus sub eo potissimum, quo ibi S. Philippus Nerius Congregationis oratorij fundator, tēpore, totus bonis operibus addictus vixit, ac suarum satis amplam cunctis laudum materiam reliquit.

12. Demùm (vt verbi Dei hic laudes recolendi sit finis Latrones ipsi, qui rapinis iugiter, ac cædibus intendunt) Dei interdum audito vel obiter verbo mirum in modum compuncti, fortunati, alterius latronis exemplo vim sibi faciēdo cœlum rapere didicerunt. Quod quidem insignis olim latro pijs ad Deum monitis, ac feliciter, verbi Dei virtute traductus edocuit, vt in conscriptis Cæsaris Cardinalis Baronij ex Congregatione oratorij gestis, viri virtutum laude clarissimi; Hieronymus Bernabęus sic tradit: *Bartholomeus quidam (inquit) cognomento Catena, de Monte S. Ioannis in Campania insignis latro, cum in suos ciues alioqui plurimum grassaretur, & iam finitima Soræ loca cędibus, incendysquè oppleuisset, &c. cum fortè per eos dies quemdam sibi propinquitate coniunctum interfectum esse intellexisset, tam grauem in iram, atque vltionem exarsit, vt non modò in hostem ipsum sæuire, sed etiam bona ipsius deuastare tentauerit, & quacunque posset ferociam suam exercere: Sed iterum post menses aliquot Cęsaris monitis, atque orationibus incitatus, ad frugem bonam se recepit; & quietæ vitę desiderio tactus mutare cælum, atque aliò se transferre decreuit. Ecce autem lictores per agrum Romanum de more excurrentes, hominem offendunt, & nullo negotio cognitum armis spoliant, vinciunt, ac de defensione nihil planè cogitantem, perinde ac si animum, viresquè amisisset, Romam in carcerem deducunt. Id, quod vbi Cæsar intellexit, continuò facta sibi potestate, ad eum adyt, & quasi prodigium illum de regione longinqua reuertentem consueta pietate complexus, ac misericordia motus, cecidit super cõllum eius, & osculatus est eum. Mox vt hominem vidit conscientiæ stimulis, aculeisquè compunctum, vt totius ante actæ vitę noxas per sacram confessionem expiaret, facilè persuasit. Cumquè iam biduum ipsum ad id peragendum animum præparasset, denique non sine ingenti dolore, sensuque pietatis perfecit. Videre erat hominem ex fero illo, & immani, non Deum, non homines timente, in alium repentè mutatum, factumquè mitem, & mansuetum vsque adeò, vt assidua peccatorum suorum recordatione doleret iugiter, & fermè per singulas noctes lauaret lectum suum, lacrymisquè stratum suum rigaret. Porrò Cęsar, vt euntem iam, & spontè currentem acrioribus stimulis ad pietatem incitaret, ante diem octauum, quàm supplicio afficeretur, pias quasdam meditationes, exercitationesquè illi proposuit, quibus ad sui ipsius contemptum, Deiquè amorem penitus inflammaretur. Igitur pridiè eius diei, quàm duceretur ad mortem, Cęsarem enixe rogauit, vt illos omnes, quibus cum graues inimicitias exercuerat, suo ipsius nomine per literas pacem, & veniam infimis precibus oraret, atque à Prorege Neapolitano, tot, tantorumquè delictorum, quæ in ditione eius admiserat, indulgentiam suppliciter exposceret*

Latrones boni latronis exemplo cęlum rapere discunt.

Hieronymus Bernabeus in vit. Cæsar. Card. Baronij lib 3 n. 2.

Bartholomæus, cognomento Catena insignis latro,

Ferro, & igni Soræ finitima loca grassatur.

Cæsaris Baronij monitis, ac precibus ad bonā frugem adducitur.

Ab apparitoribus captus custodiæ mancipatur.

A Cęsare io uisitur, & ad pœnitētiā in uit. t is ante actę vitæ culpas facramē tali confessione expiat.

Ex indomito compunctus mansue fcit & ad patibulum ducendus quid dignę præstitit.

Veniam à cunctis humillime petit.

sceret; optare se, si fieri posset, toties sanguinem, vitamquè profundere, quoties humanum sanguinem effudisset. Denique morti addictus, atque in sacellum deductus, totam ferè noctem peruigil vnà cum Cæsare sibi adstante preteritorum veniam demissè precari, diuinum auxilium implorare, ac beatam precipuè Dei matrem propitiare non destitit. Summo mane missæ sacrificio interfuit, & Sanctissimum Christi corpus eximia quadam reuerentia sumpsit. Intercà carnifex laqueum illi de more iniecturus cum accessisset, non modò non exhorruit, aut refugit, sed vltro se se obtulit, & collum prębuit: quin etiam, cum iam processurus esset, atque à carnifice spoliaretur, candenti forcipe torquendus, admonitus, vt rem patienter sustineret; sublatis in cælum oculis, elataquè voce respondit: Fiat voluntas Dei. Equidem spero illum mihi benignè ad futurum, vt omnia patienter feram. Nec vana fuit spes eius: cum enim per Vrbem circumueheretur, atque identidem candenti ferro vellicaretur, nullum vnquam ne minimum quidem doloris inditium dedit. Itaque ad supplicij locum deductus, paulisper orauit, peractaquè breui peccatorum suorum confessione, circumstantium precibus se commendans delictorum pænam morte persoluit, & satis certam de sua salute spem, atque opinionem reliquit. Sic planè latro, homo vtpote olim perditus, salubriter verbo Dei monitus, culpis sacramentali confessione, intimoquè cordis dolore expiatis, ad æternitatem migrans, qui latro infamis vixerat, & bonus item latro moriens, cœlum vi rapiens, cunctos efficacem verbi Dei vim, ac pœnitentiæ virtutem docuit, illudquè diuinum tacite cunctorum animis oraculum suggessit: *Quia regnum Celorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Sed iam ad alia progredimur.

> Totam noctem in suis deplorandis culpis transigit.
>
> Carnificem ad se venientem benigne excipit.
>
> Candenti forcipe velli catus patienter fert.
>
> Ne minimũ quidem doloris sensum prefesert.
>
> Satis certã salutis spe, ciẽter, constanterqmo. riendo spem relinquit.
>
> *Matt. 11. 12.*

CAPVT VI.

Mortis metu, ac memoria compuncti Pęnitentiæ opera amplectuntur.

NIhil profectò in toto Orbe terrarum antiquius, & nil pariter morte recentius, cuius vel sola sub ipsa mundi primordia inter blandas terrestris Paradisi delicias, illecebrasquè ipsius immortalis Dei ore vel leuiter vsurpata mentio, sui mortales conctos in Deum officij, ac pœnarum item exoluendarum posthac cautè præmonitos fecit. Deus quippe, vt totius olim humanæ gentis protoplasto immortalitatis donum conferret, mortem primum, à vetiti vnius duntaxat pomi edulio abstinere præcipiens, illis planè iustissime verbis est comminatus: *In quacumque die* (inquit) *comederis ex eo, morte morieris.* Suis videlicet hominem tum donis in bonum releuans, tum etiam minis à malo procul auertens quò primæui hominis sensim inter præcipua Dei munera superbientis fastum elidendo comprimeret atque admoto mortis fręno à titillantium vltro voluptatum morbo compesceret, vt suo aptè, sapienterquè ex more Augustinus inculcat: *Mortis* (inquit) *supplicium Dominus homini comminatus fuerat, si peccaret, sic eum munerans libero arbitrio, vt tamen regeret imperio, terreret exitio, atque in Paradisi felicitate, tanquam in vmbra vitæ, vnde iustitia custodita in meliora conscenderet, collocauit.* Enimuerò immortalis erat semper procul dubio futurus, si Deo mortem sibi comminante, eius tum memoria, tum metu ab animi elatione procul in peramæno deliciarum loco perstitisset: *Mortua etenim* (vt Chrysostomus ait) *fuisset mors, imò non fuisset mortua, quia non erat.* Homo namque statim atque in hnc sęculo viuere incepit moriendi obnoxius legi ex Dei præscripto, mortis insidias, ac tyrannidem patitur, & ad hoc vnum duntaxat (Hieronymo Teste) nascitur vt moriatur: *Quid miserius* (inquit) *homine, qui ęternæ mortis timore prostatus, viuendi sensum ad hoc tantùm accepit, vt periret.* Mors igitur quæ primum homini gentis, totius principi, non nisi ob culpæ pęnam iustissimè contigit, iam haud in pœnam sed in præmium, immo potiùs, ob declinandum videlicit culpæ reatum summo Dei beneficio in sortem vertitur.

> Nil morte antiquius in terris, & nil etiam morte recentius.
>
> *Genesis cap. 2. vir. 17. Gen c. 3. 3.*
>
> Mortem hominibus cõminando, Deus ad immortalitatẽ excitãdo homines præmuniebat.
>
> *Augustin lib. Enchiridion. cap 25. 26. 27. tom. 3.*
>
> Vtiliter mortis metu res hominum agebatur, vt mori timens semper sibi, ac Deo viceret.
>
> *Chrysost. hom 1 de ieiunio.*
>
> Si mortis memoria viguisset, mors mortua fuisset ex Chrysostomo.
>
> *Hieronymus Epist. 3. ad Heliodorum.*
>
> Homo Deo ingratus, & ad hoc sensum, vivendi quod admodo accepit vt periret.

2. Quemadmodum enim vltroneam propter Deum subire mortem, maximi quid momenti est ac perenni dignum mercede, sic pariter mortem spontè, libenterque capitalis noxæ vitandæ ac præcauendæ causa incurrisse, non tam pœna,

> *Chrysostom. Psalm. 7.*

Velut parvulus ob Christi amorem avulsus ab uberibus supernarum consolationum lacte potatur.

cœlestis sponsi amplexus aliquando pertingeret, ac supernorum tandem ciuium gaudia vberrime degustaret, dignus profecto censeri potuit, quòd sęculi fastum, splendidaque honorum blandimenta proculcans, terrenam omnem vltrò libentetque consolationem respueret, abijceretquè, & non secus ac paruulus ab vberibus auulsus, reiecto lactis pabulo, ad solidiores animi cibos in ipsius Christi sinu delibandos proueheretur: Fastidientes quippe terrenorum bonorum & consolationum vbera, ad solida, sapidaque rerum diuinarum gaudia pertingere proculdubio constat, iuxtà illud scripturæ verbum: *Quem docebit scientiam & quem intelligere faciet auditum? Ablactatos* (inquit) *à lacte, auulsos ab vberibus*. Qui igitur, vt Christo candidatus sęculi ruborem vinceret, suo lac capiti infudit, futilium reiectis mundi voluptatum vberibus Cęlo aggregatus veram spiritus in suo fonte dulcedinem, ac filiorum in Dei Regno lac perpetuò degustare promeruit.

Isaiæ cap. 28. n. 9.

13. Præmemoratus verò Guido Mōtis Feltri Comes, ac dignus pœnitentiæ cultor accedit, qui cum à Clemente, huius nominis Quarto, Romano Pontifice vnà cum Henrico Castellæ Regis filio, & Vrbis Senatore pro suis excessibus anathemate perculsus fuisset, ac subindè infensus vti Ecclesiæ hostis, Forum Liuij, Cæsenam, aliaquè loca armis, ac vi occupans, demum longè, lateque suam per scelus, & arrogantiam mortalium ingratissimus, malisquè artibus tyrannidem propagaret, à Martino Quarto Romano Pontifice ipsa recurrente die Dominicæ Cęnæ, Ascensionis item, ac Natalitio Beatorum Petri, ac Pauli Apostolorum die diris solemniter, ac Romanorum pontificum ex more deuouetur. At scelestus Dei, & Pontificiæ item auctoritatis contemptor, ac se ipso in dies deterior euadens, iam proculdubio perierat, ni pœnitentiæ suffultus auxilio se à tot, tantisq; scelerum propudijs expiasset. Enimuero Numine tandem aspirāte serió seipsum agnouit, & quantum infelix, tyrannidem vi affectans, ac potentia in aliena vsurpanda ditione, & publica insuper malè administranda re abuteretur, secum ipse recogitans ceptamque, vna simul animi ferociam deponens, vel serò diuinitus sapere, ac tandem mitescere didicit. Is quippe, è cuius nutu totius Aemiliæ res pendebat, dum armis, ac viribus fretus finitimos populos, ac ditionem iuris alieni, tyranni adinstar excurrendo perturbat, ac multa item publicæ tum vtilitati, tum quieti contraria insolescens quotidie magis pertentādo molitur, à Bonifacio VIII. Romam Apostolicis literis venire compulsus, cōpunctus tandem, & ad bonam frugem Deo aspirante traductus, ad delendas anteactæ vitæ culpas nobili humanis rebus, terrenisque honoribus præmisso repudio, sanctioris se obseruantiæ institutis dicauit, cuius pia in arrepto mentis proposito consilia (vt Vuadinghus in suis Minoritarum Annalibus tradit) vbi primum summopere Bonifacius Pontifex collaudasset, ac subinde viro religioso, vt volentem in suum Sodalitium admitteret, Apostolica auctoritate indulsit, prout conceptæ his verbis testantur literæ.

Guido Mōtis Feltri Comes à Clemente Quarto vti hostis Ecclesiæ anathematis gladio percellitur.

Rainaldus an. 1282. n. 29.

A Martino item quarto censuris Ecclesiasticis innodatus.

Tandem à malis resipiscens ferociam mentis deponit.

A Bonifacio viij, Apostolicis literis Romā venire compulsus, palinodiam recantat, totus à se ipsō immutatus.

Lucas Vuadinghus in minor. Annalibus.

Nobili humanis rebus indicto repudio ad pę nitentiam conuolat.

14. *Dilectus filius nobilis vir, Guido Comes Montis Feltri tam per se ipsum, quàm per fide dignas personas aperiens votum suum nobis pluries intimari curauit, quod ipse reuersus ad cor, desiderat, & proponit pro diluendis peccatis suis, quibus Deum, et Romanam Ecclesiam matrem suam offendit, sub religionis habitu finire in Dei seruitio dies suos; maximè cum coniugis suæ, prout dicitur, volentis votum emittere perpetuæ castitatis, ad hoc accedat assensus*, etc. Et infra hæc addit: *Quocircà discretioni tuę præsentium tenore committimus, et mandamus, quatenus ad eumdem nobilem te personaliter, si in huiusmodi proposito, sicut credimus, perseuerans, religionem velit intrare, recipias, et facias in manibus, et per manus tuas omnia, quæ circa emissionem votorum, et celebrationem diuortij prædictorum coniugum, receptionem ipsius Guidonis ad Religionem, et prædictorum dispositionem ipsorum nobilium requirentur, et alia, quæ circa id videris facienda, nobis per tuas literas rescripturus*, etc. *Datum Anagniæ X. Kal. Augusti, Pontific. nostri anno* 11. Fuit hic annus Christi 1395. His planè literis Bonifacius Guidonem fugam à sæculo, salubrique ipsius Christi, ac Pœnitentiæ iugo colla submittere meditantem, benigno paternæ cha-

Deo sub Minoritarū instituto se ipsum dicat ex Vuadingho.

Ex litt. Bonifac. in regest.

Rainaldus an. 1294. n. 15.

Pontifex ipsius feruorē admiratus, antequam in ordinem recipiatur cautè mentis propositum vult explorandū. *Ex litt. Bonifacij* 8.

Quid quid pridem superbo mentis fastu deliquit, christianæ humilitatis adductus iugo expiat.

charitatis affectu prosequi dignatus est. Constans igitur vir tantus in bono, abijciendiquè sæculi proposito inhærens, mirum de se, cunctisque æmulandum præbuit exemplum, nobilem de contemptis mundi illecebris, ac pompis à se reiectis triumphum agendo. Professus quippe arctiorem Franciscani Ordinis regulam, blandientis fastum sæculi proculcando contempsit, cuius ipse olim cupiditate, ac æstu abductus, multorumque ob id profusihominum sanguinis reus, totquè, tantisquè se piaculis obstringens, manifestæ se ipsum perditionis periculo obiecerat, quod Rauennatum historiæ exhibent, vt in M. S. Friderici Comitis Vbaldini his verbis legitur: *Guido* (inquit) *ex nobilissimis Comitibus de Mõte Feltro, strenuus dux bellorum, cũ iam declinasset ad senium, anno domini M.CC.XCVIII. spretis honoribus sæcularibus, induit deuotissimè Francisci habitum, in quo terminum vitæ dedit.* Hæc de Guidone à Monte Feltro, præcipuo his temporibus Ghibellinorum Duce, qui inuictus subinde cultor, ac pœnitentium signifer pijs vltrò operibus anteactæ vitæ culpas redimendo, felix, faustoque post senium piè sub Christi iugo exactum, fine temporalem denique vitam conclusit.

Alterum è Saulo Paulum contemplantibus se ipsum exhibuit.

Sancto demum fine anteactæ vitæ fastū, licentiam ac turpitudines redimēdo compensat.

M. S. Comitis Vbaldini.

15. Demum (vt hæc narratis hactenus vel obiter inseramus) iustissimo quōdam S. Gregorius Papa in Mauritium Imperatorem qui iniquis milites Monasterium ingredi volentes legibus à claustro arcebat, zelo exarsit; Ad eundem quippe priuatim epistolam in hæc verba conscribens: *Omnipotenti* (inquit) *Deo reus est, qui serenissimis domini in omne, quod agit, et loquitur, parens non est. Ego autem indignus pietatis vestræ famulus in hac suggestione, neque vt Episcopus, neque vt seruus iure Reipublicæ, sed iure priuato loquor: quia serenissime domine ex illo iam tempore dominus meus fuisti, quando adhuc dominus omnium non eras. Longino viro clarissimo Stratore veniente, dominorum legem suscepi, ad quam fatigatus tunc ægritudine corporis, respondere nihil valui. In qua dominorum pietas sanxit, vt Quis publicis administrationibus fuerit implicatus, ei ad Ecclesiasticum officium venire non liceat. Quod valdè laudaui, euidentissimè sciens, quia qui sæcularem habitum detinens, ad Ecclesiastica officia venire festinat, mutare vult sæculum, non relinquere. Quod verò in eadē lege dicitur, vt ei in Monasterio conuerti non liceat, omnino miratus sum, cum et rationes eius possint per Monasterium fieri, et agi potest, vt ab eo loco, in quo suscipitur, eius quoque debita quotidie soluantur. Nam etsi quisquam deuota mente conuerti voluisset, priùs res malè ablatas redderet, et de sua anima tanto veriùs, quantò expeditior cogitaret. In qua lege subiectum est, vt nulli, qui in manu signatus est, conuerti liceat.* Erat quippe istiusmodi (vt Baronius adnotat) militibus signum apponi consuetum, quo probe à cœteris dignoscerentur, quemadmodum etiam ex ijs, quę inferiùs subdit, satis apparet. At Gregorius Dei sibi bonde, ac religionis zelo æstuans, acrius stylum sermonis in ipsum exacuens, sic verbis prosequitur. *Quam Constitutionem (ego fateor dominis meis) vehementer expaui, quia per eam cęlorum via multis clauditur, et quod nunc vsque licuit, non liceat, prohibetur. Multi enim sunt, qui possunt religiosam vitam etiam cum sæculari habitu ducere. Et plerique sunt, qui nisi omnia reliquerint, saluari apud Dominum nullatenus possunt. Ego verò hæc dominis meis loquens, quid sum nisi puluis? Sed tamen quia contrà auctorem omnium Deum hanc intendere Constitutionē sentio, dominis tacere non possum. Ad hoc enim potestas dominorum meorum pietati cęlitus data est super omnes homines, vt qui bona appetunt, adiuuentur, vt cęlorum via largiùs pateat, vt terrestre regnum cælesti regno famuletur: & ecce aperta voce dicitur, vt & qui semel in terrena militia signatus fuerit, nisi aut expleta militia, aut pro debilitate corporis repulsus, Domino nostro Iesu Christo militare non liceat.* Hæc ille supremo Romanorum principi Apostolica imperterritus auctoritate suggerit.

Mauritius Imperator suis Christi Ecclesiam legibus oppugnans iustissime à S. Gregorio carpitur, & ad pęnitentiam prouocatur.

Baronius an. 593. n. 8.

S. Gregorius lib epist. 2. epist. 62. Indic. 11.

Milites ad religiosæ vitæ instituta transire nolebat.

Ac si homines ad Deū conuerti iuxta ipsius decretum non valerent.

Baronius vbi supra.

S. Gregorius epist. 62. ad Mauritium Imperat.

Gregorius ad iniquæ prçscriptæ legis verba expauit.

Qua multis ob id cęlorū aditus claudi videbatur.

Imperialis quis semel obligatus militiæ haud Christo posthac militare aptus renūciabatur.

16. Atqui acrioribus ipse subinde verbis perstringens, & ipsi collata diuinitus beneficiorum munera obijciens, ad iniquam abolendam eiuscemodi legem hortatur; hæc enim habet: *Ad hæc* (inquit) *ecce per me seruum vltimum suum, & vestrum respondebit Christus dicens: Ego tè de Notario Comitem excubitorum, de Comite excubitorum Cæsarem, de Cæsare Imperato-*

Gregorius epist. 62. ad Mauritium.

Acrioribus Mauritium verbis Gregorius perstringit, vt ad resipiscēdum inflectat.

ratorem; nec solum hoc, sed patrem Imperatorum feci: Ego Sacerdotes meos tuæ manui remisi, & tu à meo seruitio milites tuos subtrahis? Responde rogo, pijssime domine seruo tuo: quid venienti, & hæc dicenti responsurus e in iudicio domino tuo? Sed fortasse creditur, quia nullus eorum puro animo conuertatur: Ego indignus famulus vester scio, quanti his diebus meis in Monasterio milites conuersi miracula fecerunt, signa, & virtutes operati sunt. Sed per hanc legem iam, ne quisquam talium conuerti liceat, prohibetur, &c. Vnde per eumdem tremendum Iudicem deprecor, &c. Imperatori quidem obedientiam præbui, & pro eo, quod sensi, minimè tacui. Ex quibus profectò videre est, quanta vir Dei alacritate, animiquè constantia Sanctissimus Pontifex Imperatori resisteret, vt in ipsũ licet humillimus, mentis tamen vigorem pro religione exerens, editis aduersus pietatem legibus obsistendo, ac oppugnando insurgeret.

Collata ipsi à Deo beneficia in mẽtẽ reuocat:

Accepta à Deo munera, vt ipsum ex terreat, obijcit.

17. Porrò quàm seuerè item altissimus fugientes è claustro in quo Dei se obsequio dicarunt vel certè fugam, post arreptum pœnitentiæ, ac religiosę vitæ propositum à susceptis resiliendo, institutis & ad sæculum redire meditantes animaduertat, ex his, quæ Gregorius Papa in suis epistolis tradit, repetendum opportunè hic est. *Alio quoque* (inquit) *tempore dum in die natalitio eiusdem Apostoli &c. iam meridianis horis fratres quiescerent, subitò quidam Frater apertis oculis cæcatus cœpit tremere, & voces ingentes emittere, quibus vocibus testabatur ferre se non posse, quod patiebatur, &c.* & post multa: *Fratres pro ipso in oratione prostrati sunt. Qui statim ad se reuersus, quid passus fuerat, confessus est, quia senex quidam ei apparuit, & canem nigrum ad eum dilaniandum dimisit, dicens: Quare fugere voluisti de Monasterio isto? Cumquè euadere de canis morsibus nullo modo potuissem, venerunt quidam Monachi, & eumdem senem pro me rogauerunt: qui statim iussit canem abscedere, & ipse ad me reuersus sum. Qui etiam confessus est, quia ea die, quo ista pertuli, consilium habueram de eodem Monasterio fugere.* Sic pœnitentiæ desertores, ac mente transfugas Deus quandoque vindicat: Sed audi quid Gregorius subtexit.

A Religioso claustro fugiẽtes multiplex diuinitus pœna prosequitur.

Gregorius lib. 9, registri epist. 38.

Qui Monasterium relinquit, stygio cani traditur discerpendus.

Monetur à sene, vt si à periculo liber velit esse, consilium retractet.

18. *Alius quoque* (inquit) *Monachus discedere ex eodem Monasteriò latenter voluit. Cumquè hoc mente tractasset, Voluit Oratorium ingredi, sed statim Dęmonio traditus, vehementissimè vexatus est, etc. dicebat autem, se eumdem Beatum Apostolum, dum vexaretur, vidisse, sequè ab eo increpatum esse, cur de Monasterio voluisset abscedere. Alij duo fratres de eodem Monasterio fugerunt, atque aliqua priùs colloquendo, fratribus signa dederunt, quod per Viam Appiam descendentes Hierosolymam tenderent, &c.* Et post multa: *Qui ad Monasterium reducti, ex eodem miraculo ità sunt meliorati, vt eis multum profuerit ad parum temporis de Monasterio fugisse.* Manifestis itaque, signis ac portentis Deus recedentes, aut certè à claustrò fugam parantes, aliquando absterruit, vt palam cunctis piaculi enormitas fieret.

Gregorius vbi supra epist. 38.

Duo alij monachi monasterij S. Gregorij post arreptã fugam in viã salutis reducti.

19. His demum appendicis instar subtexenda sunt, quæ probæ fidei scriptores, à sancto religiosæ vitæ proposito aufugere tentanti contigisse narrãt, vt in historiali Catechismo his verbis traditur: *In ipsa domo Carthusiæ, quę est Mater nostra (inquiunt Dorlandus, & Dionysius Carthusianus,) fuit ante nos nouitius quidam qui suadente diabolo, ac iam præsentiam possidente, sub nocturno silentio fugere ad sæculum meditabatur, cumque per coemeterium claustri transitum haberet, audiuit de sepulchro cuiusdam nuper defuncti patris vocem manifestam, decentem sibi: Quo fugis ò miser. Quo fugis. Prædico tibi, quia si hic abieris filius gehennæ, & perditoris alumnus eris. In hac voce correptus ac stupefactus diriguit, & ad se reuersus cellam repetijt, et in ea vsque ad vitæ finem laudabiliter perseuerauit.* Sic plane à mortuo, qui à vitæ, & pœnitentiæ institutis discedens velox currebat ad mortem, admonitus, in itinere pedem contrahens, vt cum Christo viueret, in claustro vsque ad mortem pœnitendo perstitit.

* *
*

Catechism. hist. c. 7. tit. 85. ex 10. Petrus Dorlandus in Chronico Carthusian. lib. 6.

Breuis ad tempus fugæ ingens animę profectũ parit.

Dionysius Carthusianus in conclus. exhortatorij noui.

Carthusianus monachus dũ fugam parat, defuncti voce ad claustrum reuocatur.

CAPVT

CAPVT V.

Verbo Dei audito non nulli, se ad meliorem frugem traducunt.

1 COelum profectò, & vniuersa, quę Cęli ambitu continentur, ac miro Dei opificio cōdita sunt, nedum ipsius Dei magnitudinem, sed & immensam insuper Verbi Dei virtutem, omnimodamque ipsius, vel tacite potentiam loquuntur: *Verbo* quippe *Dei* (vt Psaltes inquit) *Cęli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum.* Totus item Dei Verbo mundus iste, qui mortalium oculis patet, primùm ex nihilo conditus est, & cuncta pariter, quæ in mundo sunt, vnaquaque ipsum voce sui conditorem prædicant, dum non nisi Verbi ipsius virtute, ac soliditate subsistunt: *Ipse enim dixit, & facta sunt, ipse mandauit, & creata sunt.* Operatorius nempe, ac efficax adeo est Dei sermo, vt quæ non erant, eius protinus vi, ac inperio in lucem prodierint; & quæ nunc sunt, cuncta non tam se ipsis, quàm eius subinde nutu, ac stabilitatè firmentur: *Ecce dabit voci suę vocem virtutis,* & suam in primis Altissimus Verbo omnipotentiam manifeste mortalibus ostendit.

Cœli profecto, ac mundi machina, eiusque aspectus tacite immensam Dei magnitudinem mortalibus prędicat.

Psalm. 32. 6.

Dei in primis sermo operatorius & efficax.

Psalm. 148.

Psalm. 64. n. 32.

2. Verùm enim verò immensa Dei virtus, atque inprimis efficax ipsius Verbum nedum creando, sed & subinde per Christum instaurando Terrarum orbi renouandisquè spiritu hominibus sic affulsit, vt mortalium nullus, nisi ipsius Verbi, ac spiritus virtute afflatus, ad fidem, quæ vnicuique ad salutem necessaria est, aliquando peruenerit; *Fides* (inquit Apostolus) *ex auditu auditus autem per verbum Dei.* Diuini autem Verbi excellentissimā vim, rerumquè altissimarum vna simul arcana edisserens: *Quomodo* (inquit) *credent ei, quem non audierunt? quomodò verò audient sine prædicante? quomodò verò prædicabunt, nisi mittantur?* Dei siquidem Verbum Apostolico annunciatum ore vniuersam Terræ faciem peruadens, ac longe, lateque excurrens mortalium tum auribus, tū cordibus sic se potēter infudit: *In omnem* quippe *Terram* (vt Psalmista ait) *exiuit sonus eorum, & in fines orbis Terrę verba eorum:* Tanta enim Verbi in vniuerso terrarum orbe virtus extitit, vt vberrimum dicto citius fructum fecerit, illudquè meritò in Dei Verbo annunciando sit ad impletum: *Nec est, qui se abscondat à calore eius.* Adeòque duo illi post Christi mortem in Emaus peregrinantium more abeuntes aberrantesque discipuli, Domino vnà cum ipsis in via ambulante, ac de sui amoris excessu verba, cum illis faciente, ita in eius illico amorem exarsisse leguntur, vt Hierosolymam regressi dicerent: *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via.*

Verbo Dei mundus creatus est, & verbi eiusdē virtute vniuersa, quæ in mundo sunt subinde instaurata.

Apostolus ad Roman. cap. 10.

Annunciatum Apostolorum ministerio Christi Euangelium mundo salutis causa.

Psalmo 18.

Psalm. 18

Lucę cap. 24.

Qui in Dei amore penitus obrigauerant, percepto Dei verbo diuinitus incalescunt.

Lucę c. 24.

3. Ipsius verò Ecclesiæ sinum, sub ipsa fidei surgentis initia sic Verbi semine ob lucra, quæ subsequuta sunt, fęcundari contigit, vt totus iam Christi Euangelio, eiusquè Crucis virtuti mundus triumpho cesserit, cunctisquè Dei Verbum mortalibus, non secus ac certa tum vitæ, tum salutis, ac regni obtinendi tessera, diuino Christi ore propositum sit: *Euntes* (inquit) *prędicate Euangelium omni creaturæ; Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit, qui verò non crediderit, condemnabitur.* Christianus itaque Orbis Dei nutu, ac verbo subsistit, & ex innumeris plane diuini Verbi cultoribus vbique terrarum in Christi nomine Ecclesia congregatur, adeoquè meritò his à quibus Dei verbum pati repulsam contigit, à Christi tandem regno, tanquam ipsius felicitate haud digni, extraneorum instar repelluntur; quod sane Iudæis olim Apostoli denunciantes aiebant: *Vobis oportebat prædicari verbum hoc, sed quia repellitis illud, & iudicatis vos indignos vitæ ęternę, ecce conuertimur ad gentes.* Iudaici itaq; populi reprobatio, & Gentium ad Christi regnum electio, & Dei potentiæ, ipsiusque Verbo adscribenda proculdubio est. Horum quippe in bono, & ad regnum prouectio, nec non aliorum obdurata sic in malo mens, & præceps denique in Tartarum malitia, profectò non nisi ob fideliter receptum, aut certè ob reiectum temere Dei verbum, id ipsum vltrò Apostolis contestantibus accidit: *Ex cęca* (ait Propheta) *cor populi huius, & aures aggraua, vt videntes non videant, & audientes non intelligant.* Enimuerò, vt hinc narrandi nobis initium sit;

Annunciatum, exceptumque vitro verbum, certa hominis sperandæ salutis tessera.

Marci cap. 16.

Fides ad Dei, & Christi regnum consequendum necessaria.

Actuum Apostolor. cap. 13. n. 45.

Indignus vitæ ęternę, qui Dei à se verbum repellit.

Actuū Apost. c. 6.

Iudaicæ gentis reprobatio, & Gentiliū electio non nisi à Dei verbo perperam, vel fideliter audito tribuenda.

Isaia cap. 6. 10.

Saulus quondam, dum Christi Ecclesiam acrius persequitur, non nisi Verbo è cœlis delapso, sibique altius intonante mox ad Christum traducitur: *Domine* (inquit) *quid me vis facere?* Responso autem indè salutis accepto: *Vade* (inquit) *ad Ananiam, &c.* Dum igitur Dei verbo cordis aurem adaperit: *Continuò* (vt ille ait) *non acquieui carni, & sanguini*. Stephanus verò Iudæos incredulos, pertinacesquè meritò ob id vnum iam lapidandus increpat, obiurgatquè, suam potiùs, quàm Verbi iniuriam, iacturamque patienter ferens: *Dura* (inquit) *ceruice, & incircumcisis cordibus vos semper spiritui Sancto resistitis*. Quod probè aliquando Augustinus expendens: *Quando* (ait) *Stephanus debuit plus irasci, quandò lapidabatur, an quandò non audiebatur? ecce mitis factus est, cum lapidaretur, & irascebatur, cũ non audiretur*, Vel ipso tũc facto palam enuncians, non nisi ob contemptum videlicet Dei Verbum Iudaicam à Deo gentem certissime reprobandam.

Iudęi Dei verbo rebelles ipso, ne videant lumine orbantur.

Saulus Christi audita è cœlo voce mox ex persequutore Apostolus, ac bene doctus, orbis totius doctor euadit.

Actuum Apostolorum c. 6.

August. hom. in act. Apost.

Stephanus, dum Iudæis prædicans non auditur irascitur, dũ ab ipsis subinde lapidatur patienter ferendo mitescit.

4. Porrò, vt suprema olim Iudęis ob contemptum ruina, sic Gentilium populo ob facilem, ac promptum Verbi auditum, certa demum salus refunditur. Totus quippe mundus nonnisi ipsius verbi prædicatione Christianus tandem euasit, adeò vt non tam Romanorum Imperatorum potentia, ipsorumquè Rethorum apte dicendi, ac suadendi arte, quàm vnius Piscatoris verbo, suasque præbens Euangelio aures in Christum (teste Augustino) crediderit. *Christus* enim *non quæsiuit* (inquit) *Piscatorem per Oratorem, sed per Piscatorem lucratus est Oratorem, & Imperatorem. Magnus Cyprianus Orator, sed priùs Petrus piscator*. Tantum namque Dei Verbum ipsius Piscatoris ore annunciatum profecit, vt & qui increduli pridem erant, & festino peccatores ad pęnitentiam pede cucurrerint; Quod & clariùs insuper adducendis mox exemplis constabit.

Vniuersus mundus Dei verbo expugnatus, Christo lucrum cessit.

Augustinus ser. moral.

Christus nõ quæsiuit Piscatorem per Oratorẽ sed per Piscatorem lucratus est Oratorem, & Imperatorẽ ex Cypriano.

5. Itaque (vt noster opportune hinc sermo initium sumat) quemadmodum Dei Verbum pio mentis affectu, ac deuota ab annunciantibus aure acceptum, homini salutem affert, haud secus eius contemptus mortalium iugulo animaduersionis gladium, ac certam Ciuibus cladem, supremamque Ciuitatibus ruinam intentat, vt aptè in rem nostram Sozomenus in suis paginis tradit: *Anno* (inquit) *Christi Domini trecentesimo quinquagesimo sub Rege Sapore grauis persequutio in Persia aduersus Ecclesiam sæuijt. Per id verò tempus etiam Milles Episcopus occubuit. Is primùm apud Persas militauerat, postea verò deserta militia Apostolicam vitam est imitatus. Cum autem Persicæ cuiusdam Ciuitatis Episcopus esset, multoties què sæpe numero cruciatus pertulisset, nec vlli isthic persuadere posset, vt Christianus fieret, iniquo eam impietatem ferens animo, Ciuitatem execratus, inde discessit. Non longo post tempore, cum primarij viri vrbis illius in regem peccassent, exercitus cum trecentis Elephantis eò profectus Vrbem euertit, & velut agrum colentes in ea sementem fecere; Hunc in modum Verbi diuini contemptus pęnas iustas, & graues tum Deo, tum Episcopo persoluit*. Sic nimirum rebelles lumini, & qui semen Verbi Dei è cœlo transmissum, per scelus reiecerant, nedum luce, ac vita orbati sunt, sed & perpetuò à Dei regno exules, ac certo salutis dispendio mulctati, ac eriorem cunctis cladem, & iustissime quidem sunt perpessi.

Sozomenus lib. 2. Eccl. 5. hist. cap. 4.

Nicephorus Calixtus lib. 8 histor Eccles cap. 37. an. 350 apud Drauultium in Cathete hist.

Milles in Persia Episcopus nulli vt Christianus fieret, suadere valens Ciuitatem maledicto percellit.

Tota haud multo post Ciuitas, iuste excidium passa.

6. Vt noster vero susceptæ narrationi sermo insistat, hæc pręcipua quidem Verbi Dei prærogatiua est, vt ipsum ad discriminandos à reprobis electos ac si data e cęlo tessera mortalibus pręsto sit: *Qui ex Deo est* (inquit Christus) *Verbum Dei audit*. Hinc haud semel Dei Verbum viros qui nunc sunt sanctitate præcipui, ex impijs pios, & ex peccatorum cęno eruros feliciter Cęlo inseruit, vt sic ex Sophronio Drauultius acceptum de Babyla testatur! *Babylas quidam* (inquit) *Tharsi Ciliciæ Mimus professione, & Magus, vir flagitiosissimus, duas concubinas tenebat: multa pro Dæmonis arbitrio, quo vtebatur familiariter, siuè cum eo, siuè cum alijs nefariè transigebat. Ingressus quodam die Ecclesiam, audito què Euangelio, quod ad Pęnitentiam hortatur: Pęnitentiam agite, appropinquauit enim Regnum Cælorum, ità compunctus est, vt redierit domum, & suis Concubinis: quo (inquit) amore, quàm æquabili vtramque complexus sum, sat, superquè animaduertistis. Iam mutatus aliud de rebus meis cogor statuere: qua-*

VerbũDei ipsos Dei electos, à reprobis data velut tessera discernit.

Ioannis cap. 8.

Sophronius in prato spirituali c. 3 1.

Babylas Mimus professione, ac magus Tarsi audito pęnitentiæ in Ecclesia verbo à malis mox resipiscit.

Matthæi c. 3.

quæcumque labore consequutus sum, per me me licet (iam monachus fio) accipite. Illæ oratione huius permotæ, responderunt cum lacrymis: Et nos in flagitijs tibi sociæ fuimus, erimus & Pœnitentiæ. Omnibus ergò in pauperes erogatis, incorruptè deinceps, castè, sanctèque vixerunt. Hunc Babylam antiquus auctor Ioannes Moschus dicit, se vidisse venerabilem, modestum, & clementissimum virum. Quis hunc hominem nõ flagitiosissimum fuisse dixerit? Hęc certè mutatio dexteræ excelsi: Nam meretrices, & latrones, multos pręcedent in regno cælorum. Quibus sanè miram hominis ad Deum conuolantis, subitamque duarum simul ipsius Concubinarum resipiscentiam, non tam homini, quam ipsius Dei Verbo adscribendam probè iam vnusquisque ex narratis intelligit.

Duas, Concubinas, qui bus adhærebat, dimittens, monachus fit.

Impuræ itē fęminæ se ip sas, ac seculi execratæ, pęnitendo ipsi consortes fiunt.

7. Certa igitus salutis spes homini, Dei Verbum fideliter intra cordis sinum excipienti refunditur, adeò vt illud meritò Christi oraculum occinat: *Qui ex Deo est, Verba Dei audit; propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis*. Quod quidem etsi pluribus exemplis liquet, ex his tamen, quæ in Fratrum Ordinis Prædicatorum gestis habentur satis, superque euincitur; hęc enim ibi: *Vir Dei, die animarum manè Romę Theutonicis prædicauit, superuenientesque duæ meretrices, vna alteri dixit: Audiamus hic verbum Dei ab isto. Altera verò renuente, & abscendente, prima ad pedes fratris prædicantis se locauit. Modico ergò facto internallo, alta voce clamare cæpit: Obsecro vos Domine, per misericordiam Christi, cuius gloriam prædicatis, quatenus confessionem meam quantocyus audiatis miserę peccatricis. Qui eidem respondens ait: modicum sustine filia, statim veniam, & te audiam. Illa parum quiescente, eadem quę priùs, cum clamore repetijt, illique, vt priùs supplicauit. Tertia verò vice post modicum silentium validiùs, quàm priùs præmissa verba proferens coram omnibus pręsentibus spiritum exhalauit. Quod vir sanctus, frater Vlricus videns accurrit, & eam mortuam inueniens, precibus supplicibus cum populo præsente à Deo reditum vitę illius impetrauit. Quę resuscitata respirans fratri Vlrico dixit: Noscit Fratrem Vuichmannum, Priorem Vuspinensem? qui ait: noui; At illa hac hora, qua ego spiritum exhalaui, anima Sancti illius à corpore egrèssa, ad Cælum, Deo vocante, est perducta. Cuius meritis Clementia Saluatoris omniptotentis XXXIII. animas de Purgatorio secum transmittens, à pœnis liberauit. Insuper & XXXIII. peccatores publicos conuertendos, iustificandosque meritis eiusdem condonauit, quorum vna ego sum. Sicque peccata sua Fratri Vlrico confitens, & vitam laudabiliter finiens, in breui post in Domino feliciter requieuit*. Id planè mulieri vitijs, ac lasciuia turpiter diffluenti audito Dei Verbo auribusque deuotè, ac fideliter accepto in immortalis denique vitæ lucrum cessit, cui intimus videlicet primum anteactorum criminum dolor, ac felix subinde post pœnitentiæ lamenta vitæ finis in optimo mentis statu diuinitus contigit.

Ioannis c. 8.

Qui ex Deo, qui autem ex Diabolo sunt, ipsius Christi oraculo palam ostenduntur.

Ex gestis Fratr. Ordin. Prædicat Ea 2 pl. spec. pag. 451.

Viro religioso verbū e suggestu annunciante, vna meretrix audit, al tera contemnit.

Tantam audito verbo cordis compunctionis vim sentit, vt præ dolore ipsa vita defecerit.

Momento temporis & contritionis magnitudine, à cūctis vitæ cul pis expiata cœlum conscendit.

Ipsa pridem peccatrix, & iam pœnitens, pœnitentię vim cunctis aperit.

8. Porrò ea diuini Verbi (*quod tunc capit, cum capitur*) vis, & in primis efficax ad lucrãdas Deo animas, diluendasq; enormes quantumuis culpas prærogatiua est, vt vix vnquam, & magno absque fructu ad Deum redeat: Cuius rei insignis Doctor, ille Monetæ insignitus nomine ad Deum, & ad religionis portum è mundo naufrago repente e mergens testis accedit. De quo isthæc in conscriptis historiarum Ordinis Prædicatorum tabulis: *Cum sanctæ (inquit) memoriæ Fr. Reginaldus, quondam Aurelianensis Decanus, Bononię frequenter prędicationis insisteret, & plures Magnos Clericos, & magistros attraheret, Magister Moneta (qui tunc in artibus legens in tota Lombardia famosior erat) visa conuersione tantorum, cæpit timere multum, quod caperetur in sermone illius. Vndè eum in quantum poterat, declinabat, & omnes scholares suos verbo, & exemplo suo auertebat à prędicatione eius. In festo autem S. Stephani cum scholares prædictum magistrum ad sermonem attraherent, nec ipse propter scholares, nec propter honorem se absentare posset, dixit eis: Eamus prius ad Missam. Inerunt ergò, & non tantùm vnam, sed tres audierunt. Tunc instantibus illis ait: Eamus nunc ad sermonem. Veniens ergò inuenit eum prædicantem, & maiorem Ecclesiam ità plenam, quod intrare non potuit. Vndè stans ad fores Ecclesiæ, & auscultans, in primo verbo captus, quod tale erat: Ecce video cælos apertos. Et (inquit) in presenti aperti sunt ad introeundum. Quilibet, qui vult, potest ianuas apertas*

Dei verbi vis, ac prærogatiua, vt obit mano ribus quibus cumque interdum hominibus præ ualeat,

In histor. Fr. Prædic. Ordinis par. 4. c. 10.

Doctor Moneta, vim diuini Verbi mens, ab au diendo semper consulto abstinet.

apertas

apertas intrare: videant, & timeant miseri negligentes, ne eis, qui claudunt Deo cor suum, et os, et manus, regnum Cælorum claudatur, et introire non possint. Quid ergò tardatis charissimi: ecce aperti sunt Cęli: Finita ergò prædicatione venit ad eum magister Moneta compunctus verbo Dei, et ei statum suum, et occupationes exponens, in manibus eius professus est. Et quia erat multipliciter impeditus, de licentia ipsius fratris Reginaldi per annum, 'et amplius remansit in habitu sæculari, non tamen inutiliter. Sicut enim multos priùs ab eius prędicatione auerterat, sic posteà quàm plures, non solùm ad prędicationem, sed etiam ad Ordinem adduxit. Trahebat eos ad sermonem, et modò hunc, et modò illum ad Ordinem inducebat, et cum singulis quasi de nouo profitebatur. Ingressus autem Ordinem, qualis in omni sanctitate fuerit, quantum in verbo, et doctrina, et hęresum confutatione profecerit, non de facili posset scribi. Quo sanè diuinum illud Oraculum adimpleri contigit: *Verbum meum, quod egredietur de ore meo, non reuertetur ad me vacuum.* Multi etenim Verbo Dei vel casu, ac perfunctoriè aurem interdum prębentes certam inde animę Deo aspirante salutem lucrati sunt.

In festo S. Stephani Protomartyr, & si sero venit, serio tamen Dei verbo compungitur.

Sæculo nuncium remittens Prædicatorũ Ord. instituto se dicat.

Isaiæ c. 55. n.12.

9. Sed vt susceptæ narrationis propositũ magis, magisq; ad suadendũ roboretur exemplis: Cum quidem olim Sacerdos supradicti Prædicatorum Ordinis de Deo (vti mos est) verba faceret, & sui Ordinis Clericos probè instruens de abijcienda rerũ caducarum cura, ac sæculi cauenda fallacia præmoneret, & nõnulla, quæ huc spectant, vel obiter diceret, ex adstantibus repente certus quidam compunctus totum se Dei obsequio dicans, multum in arrepto mentis proposito ac Dei cultu, & amore profecit; hęc enim in Prædicatorum historijs traduntur: *Charissimi* (inquit) *propter hoc, quia multi sunt scholares, qui multum se cruciant, et multa sustinent longo tempore Parisijs in studendo, quod nihil est, nisi pompa Sathanæ; dicunt enim in corde suo: quando studueris Parisijs, et fueris Magister in illa, et illa facultate, rediens ad terram tuam, eris famosus, et reputaberis magnus Clericus; honoraberis ab omnibus, dabuntur tibi beneficia, ascendes ad dignitates, et huiusmodi: Et quid est hoc, nisi magna pompa Sathanæ? Charissimi caueatis vobis à tali intentione in studio vestro, et videte quomodo multi Magistri, & Clerici relinquunt Mundum, aduertentes nunc, quod ferè omnia, quæ sequuntur homines in mundo, pertinent ad pompam Sathanæ. Cum autem hæc diceret Sacerdos, ecce finita lectione vna, Clericus in capit Responsorium: Hei mihi Domine, quia peccaui nimis in vita mea; quid faciam miser? vbi fugiam, nisi ad te Deus meus. Et sic verba Sacerdotis ex vna parte, et cantus prędicti Clerici ex altera, quasi duæ turbę intrantes ad cor eius, commouerunt eum in quandam inusitatam compunctionem magnam, et abundantiam lacrymarum. Recedens ergo inde, quocunque ibat, vbicumque ipse stabat, deuotissimè gestabat verba prædicta in visceribus, et præcipuè illud verbum Responsorij prædicti: Quid faciam miser, vbi fugiam, nisi ad te Deus meus? Cum autem hoc reuoluit quasi continuè in corde, videbatur sibi quędam vox in anima sua respondere: Quò fugies, nisi ad S. Iacobum, ad Fratres Prędicatores? In illis autem diebus cum more solito iret ad B. Virginem adorandam, tanta fuit ei multoties gratia compunctionis, et deuotio lacrymarum, et affecti cordis inconsueta, quod vltrò desipiente sibi mundo, post paucos dies iuit ad Fratres sibi notos ad S. Iacobum, ordinauit cum eis de ingressu suo solutionem debitorum quorumdam. Interim autem loquutus est Domino Hugoni, qui factus est posteà Cardinalis, qui fuit Magister suus, et reuelauit sibi propositum suum, confidens, quià eum non impediret, quia homo bonus fuit, et Baccalaureus in Theologia. Quo audito ipse gratias agens Deo, confortabat eum dicens: Sciatis Magister, quod ego hodie idem proposui, sed non possum statim intrare, quia habeo expedire quedam negocia Domini mei Vuilhelmi de Sabaudia, cum quo nunc sum, sicut scitis. Sed intrate securè, & sitis securus, quod ego vos sequar in festo B. Andreæ. Ipse, & Dominus Hugo in sequenti quadragesima, in cathedra B. Petri, Ordinem sunt ingressi.* Felix, qui vnico vel obiter accepto salutis verbo, ad perfectioris vitæ normam, cœlum proinde lucrando profecit.

Dei verbum nunquam in vanũ, & absque fructu abit, sed alicui semper prodest.

In gestis Fr. Ordinis Prædicatorum p. 4. c. 10.

In spec. magn. exempl. pag. 448.

Quidam audito a religioso Prædicatorum Ordinis Dei verbo mirifice in bono proficit.

Auditis scripturæ sacræ verbis: Quid faciam miser, à seculo fugam ad Deum, & ad religionem conuolans arripit.

Hugoni amico rem narrans, ab eodem in sancto mentis proposito confirmatur

Expeditus, ac liber è sæculo ad Deum festinus currit.

10. Dei itaque Verbum, vbi ab ore annunciantis exiens, mortalium cordi illabitur, ita, ni ab ingrato reijciatur, in Dei

Dei verbum omnem in salutis negotio moram abrumpit.

In Fastis Senensibus in B. Thoma Caffarino pag. 52. Michael Pio. tit. 24. lib. 2 vir. Dominican. illustrium lib. 2.

Dei amorem, ac odium, sui ipsius hominem, ad quem fit sermo, succendit, vt mox carnis, ac sæculi blanditijs finem, pęnis vero sponte subeundis felix initium præbeat; Quod quidē mulier olim in sæculo degens, sed sæculi contemptrix, occulta vi verbi, reddita, in se probè experta est. Enimuerò cum Beatum Thomam Caffarinum, eximiū Dei verbi præconem audiisset, mox sub ipsius magisterio Crucis, ac pœnitentiæ discipula euadens, virtutum merito sub eius disciplina profecit; Vir namque Dei (vt historiarum monumenta edocent) Ordinem sacrum instituit, quem à Pęnitentia dici voluit; Hæc autem in Senensiū fastis: *Annon* (inquit) *in numeros vir Dei ab Inferorum, mundiquè tyrannide vindicauit? Satis luculenta terris vna fuit B. Maria Storiona, celebrata Sanctimonię matrona, quæ concionantis Thomæ vehementia commota, retineri non potuit, quin illicò omnibus florentissima, qua prędita erat, formę oblectamentis, omnibus item diuitiarum, & nobilitatis domesticę commodis, paupertatem Christi, & voluntariā corporis afflictationem preferret, in asperum Virginum à Pœnitentia dictarum Cœnobium transgressa. Hic illa ad sanctissimos Magistri mores, atque exempla totam se fingens, carnium esu perpetuò abstinuit, humilem, ac asperam vestem, ne paruis quidem illis noctis horis, per quas sopori succumberet, vnquam posuit; atroces quotidie ingeniosior in pœnis, rebellium sensuum contumaciam ità compressit, atque ad eam perfectissimæ vitæ rationem progressa est, vt meritò gestiens ad triumphalem animam coronandam delapsos cęli proceres frequentissimos morti proxima videre se dixerit.* Ità mulier sola verbi (quod malleus est conterens petras) virtute ac breui in Pœnitentię, & Charitatis officina, cum prius esset vas contumeliæ, vas in honorem, ac Deo dignissimum cessit.

Mulier in sæculo degens audito Dei verbo, sæculo se abdicans in spiritu viriliter proficit.

B. Thomas Caffarinus diuini verbi præco, in numeros ad pœnitentiā trahit.

Mariæ Storionę ingēs ex Dei verbo fructus.

Ad sanctitatis metam suis virtutibus pertingit.

In fastis Senensibus pag. 152. ex MS. vita ipsius libello.

11. Ea igitur est Dei verbi prærogatiua, & diuinarum insuper virtutum pulchritudo, vt grata semper, ac periucunda, nec otiosa mortalium tum oculis, tum auribus aliquando accidat. Vbi è contrà horrenda peccati fęditas, nedum visa, sed vel audita interdum ruborem, & confusionem pariter suam in conscientiæ foro, atque intimo animi speculo faciem contemplantibus ingerit. Cuius rei testatissimus quidē testis adest Bonsignorius Cacciaguerra, magni olim in Vrbe nunc cœlo nominis Presbyter, *qui* (vt auctor in fastis inquit) *mali dæmonis pius auditor, cęlestem virtute sedem, scelere illius vacuam occupauit*, Enim verò dum hic in sæculo liberiùs, & curiosè nimis rem agit, suas sibi culpas, ac vitæ, ipsius Diaboli ore, nec sine magno renunciatas propudio turpitudines adcò exhorruit, vt sui confusionem haud patienter sustinens, mox ad Confessionem sacramentalem conuolans, Pœnitentiæ quidem austeras sibi seruadas imposterum leges pro lege præscripserit. Sed Anctoris hic quæso gratis auribus verba excipiamus. *Dum Bonsignorius* (inquit) *res suas ex muliere à Dæmone obsessa sciscitatur, vniuersa eius arcana scelera sibi obijci, exprobariquè audiuit: & erubuit imposterum facere, quæ suasor ipse infernus criminabatur. Ea verò fuere sanctitatis vitium in virtutem degenerare facientis rudimenta; pudendæ scilicet anteactæ vitæ pudor, non in genis, nempe summa in cute lenis, sed seriæ pœnitentiæ ignea opera ex oculis vbertim stillatiuus: Mercaturæ prosperitas, quę iam decoxerat, in egenos liberalior; Terrenarum rerum, suiquè contemptus, & multiplex afflictatio: piè suscepta Compostellana peregrinatio, in qua longiùs moribus, quàm pedibus progressus, longè alius à se ad se ipsum redijt: Sed in illa itineris parte insistendum tantisper est, quam optimus peregrinus tribus millibus passuum Compostella distantem fune ceruicibus iniecto, manibusquè post terga religatis, gemino à famulo tractus, & excalceatus, summa in Apostolum Iacobum religione confecit. Ità nimirum sibi scelus decuit pessundati capitis reum ante Iudicem Sanctitatem. Quare ibi vitiosus animi nigror piaculi confessione ingenuum in candorem elutus peregrinationis pretium operæ fuit. Quid hic memorem, quas ope fultus diuina sexcentas exanthlauit ęrumnas à flammeis voluminibus, à marinis tempestatibus, à carcerum vinculis, & ab insidijs immissas inferorum? Sed inter obluctantia mundi elementa eualescens virtus in eam staturam adoleuit, vt giganteis iam viribus non suę solùm, sed alienę complurium saluti patrocinaretur, &c. Roma demum diù moratus*

Dei verbum æque hominū auribus gratum, acceptumq; quā sæculi nugæ, ac blanditiæ vitiorum æterna cupientibus molestæ.

In gestis Senensibus vbi supra.

Bonsignorius Cacciaguerra ab obsessæ fæminę ore dęmonis fraudes & deliramenta hominum sapide addiscit.

Ipsius in pęnitentiæ cultu feruor.

Ad S. Iacobum in Compostella peregrinatur.

A sacra Apostoli æde distans passibus ter mil libus, ligatis post tergum manibus vti reus à famulis se pertrahi vult.

*moratus inter cætera diuturnum domicilium habuit, & moribus suis opportunum, cui SodalitatisCharitatis à S.Hieronymo nomen impoſuit.Degunt ibiClerici Conuictores,quorum plures Bonſignorio Euchariſtiæ crebro obeundę morem inſtauranti diù, multumquè, pariter oblatrarunt, & obſtiterunt, &c. Cum verò plures per annos domi,foriſquè coniuratas in vnum Bonſignorium, qui frequentem Sacramentorum vſum inueheret, omnium petulantes,& impias obtrectationes obſtinato ſilentio confutauit: Cumque ob eam cauſam apud ſacrum Quæſitorem ſacrilegi criminis delatus eſſet, elinguis innocentia accuſationem eluſit,&c.*Er poſt multa: *Omitto plurimas, quibus deinde fortiter tolerandis factus eſt fortior, ęgritudines: vt martirij cupientiſſimus morbos habuerit aſſiduos tortores, &c. Præceperat paucos ante annos,cum periculosè ægrotaret, famulo ſibi vnicè charo, vt ſe vita perfunctum ſub aditum templi nuda in humo tumularet, quò pedibus ingredientium omnium proculcaretur.* Hoc ipſum exinde factum. Nam in imo templo ſepultus, hoc honorifico epiraphio cunctis proditur.

> Confeſsione culpas expiat & iã mutatus in virum alterum nouã vim ratione aggreditur peregrinus iam futurus interris, & cęli ciuis.

> Romæ tandem pedem figens raro virtutũ exẽplo præfulget, animaeus Dei Iucrandis intentus.

> Meritis onuſtus diem obit, & in Eccleſia S. Hieronymi à Charitate tumulatus hoc titulo decoratur.

Bonſignorio Cacciaquerræ
Senenſi.
Miræ Sanctitatis Sacerdoti.
Obÿt anno D. M. D. LXXII.
Aetatis LXXII.
Humatus hic pridiè Kal. Iulÿ.

Et Hæc vel obiter in viri virtutum ac Pęnitentię ſtudio apprime exculti laudẽ, qui in eiſdẽ S.Hieronymi ædibus ſub eo potiſſimum, quo ibi S. Philippus Nerius Congregationis oratorij fundator,tẽpore, totus bonis operibus addictus vixit, ac ſuarum ſaris amplam cunctis laudum materiam reliquit.

> Latrones boni latronis exemplo cęlum rapere diſcunt.

12. Demùm (vt verbi Dei hic laudes recolendi ſit finis Latrones ipſi, qui rapinis iugiter, ac cædibus intendunt, Dei interdum audito vel obiter verbo mirum in modum compuncti, fortunati, alterius latronis exemplo vim ſibi faciẽdo cœlum rapere didicerunt. Quod quidem inſignis olim latro pijs ad Deum monitis, ac feliciter, verbi Dei virtute traductus edocuit, vr in conſcriptis Cæſaris Cardinalis Baronij ex Congregatione oratorij geſtis, viri virturum laude clariſſimi, Hieronymus Bernabęus ſic tradit: *Bartholomęus quidam* (inquit) *cognomento Catena, de Monte S. Ioannis in Campania inſignis latro, cum in ſuos ciues alioqui plurimum graſſaretur, & iam finitima Soræ loca cędibus, incendyſquè oppleuiſſet, &c. cum fortè per eos dies quemdam ſibi propinquitate coniunctum interfectum eſſe intellexiſſet, tam grauem in iram, atque vltionem exarſit, vt non modò in hoſtem ipſum ſæuire, ſed etiam bona ipſius deuaſtare tentauerit, & quacunque poſſet ferociam ſuam exercere: Sed iterum poſt menſes aliquot Cęſaris monitis, atque orationibus incitatus, ad frugem bonam ſe recepit; & quietæ vitę deſiderio tactus mutare cælum, atque aliò ſe transferre decreuit. Ecce autem lictores per agrum Romanum de more excurrentes, hominem offendunt, & nullo negotio cognitum armis ſpoliant, vinciunt, ac de defenſione nihil planè cogitantem, perinde ac ſi animum, vireſquè amiſiſſet, Romam in carcerem deducunt. Id,quod vbi Cæſar intellexit, continuò facta ſibi poteſtate, ad eum adyt, & quaſi prodigium illum de regione longinqua reuertentem conſueta pietate complexus, ac miſericordia motus, cecidit ſuper collum eius, & oſculatus eſt eum. Mox vt hominem vidit conſcientiæ ſtimulis, aculeiſquè compunctum, vt totius ante acta vitę noxas per ſacram confeſſionem expiaret, facilè perſuaſit.Cumquè iam biduum ipſum ad id peragendum animum præparaſſet, denique non ſine ingenti dolore, ſenſuque pietatis perfecit. Videre erat hominem ex fero illo, & immani, non Deum, non homines timente, in alium repentè mutatum, factumquè mitem, & manſuetum vſque adeò, vt aſſidua peccatorum ſuorum recordatione doleret iugiter, & fermè per ſingulas noctes lauaret lectum ſuum, lacrymiſquè ſtratum ſuum rigaret. Porrò Cęſar, vt euntem iam, & ſpontè currentem acrioribus ſtimulis ad pietatem incitaret, ante diem octauum, quàm ſuppliciò afficeretur, pias quaſdam meditationes, exercitationeſquè illi propoſuit, quibus ad ſui ipſius contemptum, Deiquè amorem penitus inflammaretur. Igitur pridiè eius diei, quàm duceretur ad mortem, Cęſarem enixe rogauit, vt illos omnes, quibus cum graues inimicitias exercuerat, ſuo ipſius nomine per literas pacem, & veniam infimis precis bus oraret, atque à Prorege Neapolitano,tot, tantorumquè delictorum,quæ in dtione eius admiſerat, indulgentiam ſuppliciter expoſceret*

> *Hieronymus Bernabæus in vit. Cæſar. Card. Baronÿ lib 3 n.2*

> Bartholomæus,cognomento Catena inſignis latro,

> Ferro,& igni Soræ finitima loca graſsatur.

> Cæſaris Baronij monitis, ac precibus ad bonã frugem adducitur.

> Ab apparitoribus captus cuſtodiæ mancipatur.

> A Cęſare inuiſitur,&ad pœnitẽtiã inuitatus ante actę vitæ culpas ſacramẽtali confeſſione expiat.

> Ex indomito compunctus manſueſcit & ad patibulum ducendus quid dignę præſtitit.

> Veniam à cunctis humillime poſcit.

sceret; optare se, si fieri posset, toties sanguinem, vitamquè profundere, quoties humanum sanguinem effudisset. Denique morti addictus, atque in sacellum deductus, totam ferè noctem peruigil vnà cum Cæsare sibi adstante preteritorum veniam demissè precari, diuinum auxilium implorare, ac beatam precipuè Dei matrem propitiare non destitit. Summo mane missæ sacrificio interfuit, & Sanctissimum Christi corpus eximia quadam reuerentia sumpsit. Interea carnifex laqueum illi de more iniecturus cum accessisset, non modò non exhorruit, aut refugit, sed vltro se se obtulit, & collum prebuit: quin etiam, cum iam processurus esset, atque à carnifice spoliaretur, candenti forcipe torquendus, admonitus, vt rem patienter sustineret; sublatis in cœlum oculis, elataquè voce respondit: Fiat voluntas Dei. Equidem spero illum mihi benignè ad futurum, vt omnia patienter feram. Nec vana fuit spes eius: cum enim per Vrbem circumueheretur, atque identidem candenti ferro vellicaretur, nullum vnquam ne minimum quidem doloris inditium dedit. Itaque ad supplicij locum deductus, paulisper orauit, peractaquè breui peccatorum suorum confessione, circumstantium precibus se commendans delictorum pœnam morte persoluit, & satis certam de sua salute spem, atque opinionem reliquit. Sic planè latro, homo vtpote olim perditus, salubriter verbo Dei monitus, culpis sacramentali confessione, intimoquè cordis dolore expiatis, ad æternitatem migrans, qui latro infamis vixerat, & bonus item latro moriens, cœlum vi rapiens, cunctos efficacem verbi Dei vim, ac pœnitentiæ ivtutem docuit, illudquè diuinum tacite cunctorum animis oraculum suggessit: *Quia regnum Celorum vim patitur, & violenti rapiunt illud*. Sed iam ad alia progredimur.

Totam noctem in suis deplorandis culpis transigit.

Carnificem ad se venientem benigne excipit.

Candenti forcipe velli catus patienter fert.

Ne minimũ quidem doloris sensum præsefert.

Satis certã salutis pariter, con stanterque moriendo spem relinquit.

Matt. 11. 12.

CAPVT VI.

Mortis metu, ac memoria compuncti Penitentiæ opera amplectuntur.

Nihil profectò in toto Orbe terrarum antiquius, & nil pariter morte recentius, cuius vel sola sub ipsa mundi primordia inter blandas terrestris Paradisi delicias, illecebrasq; ipsius immortalis Dei ore vel leuiter vsurpata mentio, sui mortales conctos in Deum officij, ac pœnarum item exoluendarum posthac caute præmonitos fecit. Deus quippe, vt totius olim humanæ gentis protoplasto immortalitatis donum conferret, mortem primum, à vetiti vnius duntaxat pomi edulio abstinere præcipiens, illis planè iustissime verbis est comminatus: *In quacumque die* (inquit) *comederis ex eo, morte morieris*. Suis videlicet hominem tum donis in bonum releuans, tum etiam minisà malo procul auertens quò primæui hominis sensim inter præcipua Dei munera superbientis fastum elidendo comprimeret atque admoto mortis freno à titillantium vltro voluptatum morbo compesceret, vt suo aptè, sapienterquè ex more Augustinus inculcat: *Mortis* (inquit) *supplicium Dominus homini comminatus fuerat, si peccaret, sic eum munerans libero arbitrio, vt tamen regeret imperio, terreret exitio, atque in Paradisi felicitate, tanquam in vmbra vitæ, vnde iustitia custodita in meliora conscenderet, collocauit*. Enimuerò immortalis erat semper procul dubio futurus, si Deo mortem sibi comminante, eius tum memoria, tum metu ab animi elatione procul in peramæno deliciarum loco perstitisset: *Mortua etenim* (vt Chrysostomus ait) *fuisset mors, imò non fuisset mortua, quia non erat*. Homo namque statim atque in hoc sęculo viuere incepit moriendi obnoxius legi ex Dei præscripto, mortis insidias, ac tyrannidem patitur, & ad hoc vnum duntaxat (Hieronymo Teste) nascitur vt moriatur: *Quid miserius* (inquit) *homine, qui ęternæ mortis timore prostatus, viuendi sensum ad hoc tantùm accepit, vt periret*. Mors igitur quæ primum homini gentis, totius principi, non nisi ob culpæ pęnam iustissimè contigit, iam haud in pœnam sed in præmium, immo potiùs, ob declinandum videlicit culpæ reatum summo Dei beneficio in sortem vertitur.

Nil morte antiquius in terris, & nil etiam morte recentius.

Genesis cap. 2° vir. 17. Gen 6. 3. 3.

Mortem hominibus cõminando, Deus ad immortalitatẽ excitãdo homines præmuniebat.

Augustin lib. Euchiridion. cap 25. 26. 27. tom. 3.

Vtiliter mortis metu res hominum agebatur, vt mori timens semper sibi, ac Deo viceret.

Chrysost. hom. 1. de ieiunio.

Si mortis memoria viguisset, mors mortua fuisset ex Chrysostomo.

Hieronymus Epist. 3. ad Heliodorum.

Homo Deo ingratus, & ad hoc sensum, vivendi quod admodo accepit vt periret.

2. Quemadmodum enim vltroneam propter Deum subire mortem, maximi quid momenti est ac perenni dignum mercede, sic pariter mortem sponte, libenterque capitalis noxæ vitandæ ac præcauendæ causa incurrisse, non tam pœna,

Chrysostom. Psalm 7.

Velut paruulus ob Christi amorem auulsus ab vberibus supernarum consolationum lacte potatur.

cœlestis sponsi amplexus aliquando pertingeret, ac supernorum tandem ciuium gaudia vberrime degustaret, dignus profecto censeri potuit, quòd sęculi fastum, splendidaque honorum blandimenta proculcans, terrenam omnem vltrò libenterque consolationem respueret, abijceretquè, & non secus ac paruulus ab vberibus auulsus, reiecto lactis pabulo, ad solidiores animi cibos in ipsius Christi finu delibandos proueheretur: Fastidientes quippe terrenorum bonorum & consolationum vbera, ad solida, sapidaque rerum diuinarum gaudia pertingere procul dubio constat, iuxtà illud scripturæ verbum: *Quem docebit scientiam & quem intelligere faciet auditum? Ablactatos* (inquit) *à lacte, auulsos ab vberibus.* Qui igitur, vt Christo candidatus sęculi ruborem vinceret, suo lac capiti infudit, futilium reiectis mundi voluptatum vberibus Cęlo aggregatus veram spiritus in suo fonte dulcedinem, ac filiorum in Dei Regno lac perpetuò degustare promeruit.

Isaiæ cap. 28. n. 9.

Guido Môtis Feltri Comes à Clemente Quarto vti hostis Ecclesiæ anathematis gladio percellitur.

13. Præmemoratus verò Guido Môtis Feltri Comes, ac dignus pœnitentiæ cultor accedit, qui cum à Clemente, huius nominis Quarto, Romano Pontifice vnà cum Henrico Castellæ Regis filio, & Vrbis Senatore pro suis excessibus anathemate perculsus fuisset, ac subindè infensus vti Ecclesiæ hostis, Forum Liuij, Cæsenam, aliaquè loca armis, ac vi occupans, demum longè, lateque suam per scelus, & arrogantiam mortalium ingratissimus, malisquè artibus tyrannidem propagaret, à Martino Quarto Romano Pontifice ipsa recurrente die Dominicæ Cęnæ, Ascensionis item, ac Natalitio Beatorum Petri, ac Pauli Apostolorum dic diris solemniter, ac Romanorum pontificum ex more deuouetur. At scelestus Dei, & Pontificiæ item auctoritatis contemptor, ac se ipso in dies deterior euadens, iam procul dubio perierat, ni pœnitentiæ suffultus auxilio se à tot, tantisq; scelerum propudijs expiasset. Enimuero Numine tandem aspirãte seriò seipsum agnouit, & quantum infelix, tyrannidem vi affectans, ac potentia in aliena vsurpanda ditione, & publica insuper malè administranda re abuteretur, secum ipse recogitans, cęptamque, vna simul animi ferociam deponens, vel serò diuinitus sapere, ac tandem mitescere didicit. Is quippe, è cuius nutu totius Æmiliæ res pendebat, dum armis, ac viribus fretus finitimos populos, ac ditionem iuris alieni, tyranni adinstar excurrendo perturbat, ac multa item publicæ tum vtilitati, tum quieti contraria insolescens quotidie magis pertentãdo molitur, à Bonifacio VIII. Romam Apostolicis literis venire compulsus, cõpunctus tandem, & ad bonam frugem Deo afflante traductus, ad delendas anteactæ vitæ culpas nobili humanis rebus, terrenisque honoribus præmisso repudio, sanctioris se obseruantiæ institutis dicauit, cuius pia in arrepto mentis proposito consilia (vt Vuadinghus in suis Minoritarum Annalibus tradit) vbi primum summopere Bonifacius Pontifex collaudasset, ac subinde viro religioso, vt volentem in suum Sodalitium admitteret, Apostolica auctoritate indulsit, prout conceptæ his verbis testantur literæ.

Rainaldus an. 1282. n. 29.

A Martino item quarto censuris Ecclesiasticis innodatus.

Tandem à malis resipiscens ferociam mentis deponit.

A Bonifacio viij, Apostolicis litteris Romã venire compulsus, palinodiam recantat, totus à se ipso immutatus.

Lucas Vuadinghus in minor. Annalibus.

Nobili humanis rebus indicto repudio ad pęnitentiam conuolat.

Deo sub Minoritarũ instituto se ipsum dicat ex Vuadingho.

14. *Dilectus filius nobilis vir, Guido Comes Montis Feltri tam per se ipsum, quàm per fide dignas personas aperiens votum suum nobis pluries intimari curauit, quod ipse reuersus ad cor, desiderat, & proponit pro diluendis peccatis suis, quibus Deum, et Romanam Ecclesiam matrem suam offendit, sub religionis habitu finire in Dei seruitio dies suos; maximè cum coniugis suæ, prout dicitur, volentis votum emittere perpetuæ castitatis, ad hoc accedat assensus, etc.* Et infra hæc addit: *Quocircà discretioni tuę præsentium tenore committimus, et mandamus, quatenus ad eumdem nobilem te personaliter, si in huiusmodi proposito, sicut credimus, perseuerans, religionem velit intrare, recipias, et facias in manibus, et per manus tuas omnia, quæ circa emissionem votorum, et celebrationem diuortij prædictorum coniugum, receptionem ipsius Guidonis ad Religionem, et prædictorum dispositionem ipsorum nobilium requirentur, et alia, quæ circa id videris facienda, nobis per tuas literas rescripturus, etc. Datum Anagniæ X. Kal. Augusti, Pontific. nostri anno 11.* Fuit hic annus Christi 1395. His planè literis Bonifacius Guidonem fugam à sæculo, salubrique ipsius Christi, ac Pœnitentiæ iugo colla submittere meditantem, benigno paternæ cha-

Ex litt. Bonifac. in regest.

Rainaldus an. 1294. n. 15.

Pontifex ipsius feruorẽ admiratus, antequam in ordinem recipiatur cautè mentis propositum vult explorandũ. *Ex litt. Bonifacij 8.*

Quid quid pridem superbo mentis fastu deliquit, christianæ humilitatis addictus iugo expiat.

charitatis affectu prosequi dignatus est. Constans igitur vir tantus in bono, abijciendiquè sæculi proposito inhærens, mirum de se, cunctisque æmulandum præbuit exemplum, nobilem de contemptis mundi illecebris, ac pompis à se reiectis triumphum agendo. Professus quippe arctiorem Franciscani Ordinis regulam, blandientis fastum sæculi proculcando contempsit, cuius ipse olim cupiditate, ac æstu abductus, multorumque ob id profusi hominum sanguinis reus, totquè, tantisquè se piaculis obstringens, manifestæ se ipsum perditionis periculo obiecerat, quod Rauennatum historiæ exhibent, vt in M. S. Friderici Comitis Vbaldini his verbis legitur: *Guido* (inquit) *ex nobilissimis Comitibus de Mōte Feltro, strenuus dux bellorum, cū iam declinasset ad senium, anno domini M.CC.XCVIII. spretis honoribus sæcularibus, induit deuotissimè Francisci habitum, in quo terminum vitæ dedit.* Hæc de Guidone à Monte Feltro, præcipuo his temporibus Ghibellinorum Duce, qui inuictus subinde cultor, ac pœnitentium signifer pijs vltrò operibus anteactæ vitæ culpas redimendo, felix, faustoque post senium piè sub Christi iugo exactum, fine temporalem denique vitam conclusit.

Alterum è Saulo Paulum contera plantibus se ipsum exhibuit.

Sancto demum fine anteactæ vitæ fastū, licentiam ac turpitudines redimēdo compensat.

M.S. Comitis Vbaldini.

15. Demum (vt hæc narratis hactenus vel obiter inseramus) iustissimo quōdam S. Gregorius Papa in Mauritium Imperatorem qui iniquis milites Monasterium ingredi volentes legibus à claustro arcebat, zelo exarsit; Ad eundem quippe priuatim epistolam in hæc verba conscribens: *Omnipotenti* (inquit) *Deo reus est, qui serenissimis dominis in omne quod agit, et loquitur, parens non est. Ego autem indignus pietatis vestræ famulus in hac suggestione, neque vt Episcopus, neque vt seruus iure Reipublicæ, sed iure priuato loquor: quia serenissime domine ex illo iam tmpore dominus meus fuisti, quando adhuc dominus omnium non eras. Longino viro clarissimo stratore veniente, dominorum legem suscepi, ad quam fatigatus tunc ægritudine corporis, respondere nihil valui. In qua dominorum pietas sanxit, vt Quis publicis administrationibus fuerit implicatus, ei ad Ecclesiasticum officium venire non liceat. Quod valdè laudani, euidentissimè sciens, quia qui sæcularem habitum detinens, ad Ecclesiastica officia venire festinat, mutare vult sæculum, non relinquere. Quod verò in eadē lege dicitur, vt ei in Monasterio conuerti non liceat, omnino miratus sum, cum et rationes eius possunt per Monasterium fieri, et agi potest, vt ab eo loco, in quo suscipitur, eius quoque debita quotidie soluantur. Nam etsi quisquam deuota mente conuerti voluisset, prius res malè ablatas redderet, et de sua anima tanto veriùs, quantò expeditior cogitaret. In qua lege subiectum est, vt nulli, qui in manu signatus est, conuerti liceat.* Erat quippe istiusmodi (vt Baronius adnotat) militibus signum apponi consuetum, quo probe à cœteris dignoscerentur, quemadmodum etiam ex ijs, quę inferiùs subdit, satis apparet. At Gregorius Dei subinde, ac religionis zelo æstuans, acrius stylum sermonis in ipsum exacuens, sic verbis prosequitur. *Quam Constitutionem* (*ego fateor dominis meis*) *vehementer expaui, quia per eam cęlorum via multis clauditur, et quod nunc vsque licuit, non liceat, prohibetur. Multi enim sunt, qui possunt religiosam vitam etiam cum sæculari habitu ducere. Et plerique sunt, qui nisi omnia reliquerint, saluari apud Dominum nullatenus possunt. Ego verò hæc dominis meis loquens, quid sum nisi puluis? Sed tamen quia contrà auctorem omnium Deum hanc intendere Constitutionē sentio, dominis tacere non possum. Ad hoc enim potestas dominorum meorum pietati cęlitus data est super omnes homines, vt qui bona appetunt, adiuuentur, vt cęlorum via largiùs pateat, vt terrestre regnum cœlesti regno famuletur: & ecce aperta voce dicitur, vt & qui semel in terrena militia signatus fuerit, nisi aut expleta militia, aut pro debilitate corporis repulsus, Domino nostro Iesu Christo militare non liceat.* Hæc ille supremo Romanorum principi Apostolica imperterritus auctoritate suggerit.

Mauritius Imperator suis Christi Ecclesiam legibus oppugnans iustissime à S. Gregorio carpitur, & ad pęnitentiam prouocatur.

Baronius an. 593. n. 8.

S. Gregorius lib. epist. 2. epist. 62. Indic. 11.

Milites ad religiosæ vitæ instituta transire nolebat.

Ac si homines ad Deū conuerti iuxta ipsius decretum non valerent.

Baronius vbi supra.

S. Gregorius epist. 62. ad Mauritium Imperat.

Gregorius ad iniquam pęscriptæ legis verba expauit.

Qua multis ob id cęlorū aditus claudi videbatur.

Imperiali quis semel obligatus militiæ haud Christo posthac militare aptus renūciabatur.

16. Atqui acrioribus ipse subinde verbis perstringens, & ipsi collata diuinitus beneficiorum munera obijciens, ad iniquam abolendam eiuscemodi legem hortatur; hæc enim habet: *Ad hæc* (inquit) *ecce per me seruum vltimum suum, & vestrum respondebit Christus dicens: Ego tē de Notario Comitem excubitorum, de Comite excubitorum Cæsarem, de Cæsare Imperato-*

Gregorius epist. 62. ad Mauritium.

Acrioribus Mauritium verbis Gregorius perstringit, vt ad resipiscēdum inflectat.

ratorem, nec solum hoc, sed patrem Imperatorum feci: Ego Sacerdotes meos tua manui remisi, & tu à meo seruitio milites tuos subtrahis? Responde rogo, pijssime domine seruo tuo: quid venienti, & hac dicenti responsurus e in iudicio domino tuo? Sed fortasse creditur, quia nullus eorum puro animo conuertatur: Ego indignus famulus vester scio, quanti his diebus meis in Monasterio milites conuersi miracula fecerunt, signa, & virtutes operati sunt. Sed per hanc legem iam, ne quisquam talium conuerti liceat, prohibetur, &c. Vnde per eumdem tremendum Iudicem deprecor, &c. Imperatori quidem obedientiam præbui, & pro eo, quod sensi, minimè tacui. Ex quibus profectò videre est, quanta vir Dei alacritate, animiquè constantia Sanctissimus Pontifex Imperatori resisteret, vt in ipsû licet humillimus, mentis tamen vigorem pro religione exerens, editis aduersus pietatem legibus obsistendo, ac oppugnando insurgeret.

Collata ipsi à Deo beneficia in mémẽ reuocat?

Accepta à Deo munera, vt ipsum ex terreat, obijcit.

17. Porrò quàm seuerè item altissimus fugientes è claustro in quo Dei se obsequio dicarunt vel certè fugam, post arreptum pœnitentiæ, ac religiosç vitæ propositum à susceptis resiliendo, institutis & ad sæculum redire meditantes animaduertat, ex his, quæ Gregorius Papa in suis epistolis tradit, repetendum opportunè hic est. *Alio quoque* (inquit) *tempore dum in die natalitio eiusdem Apostoli &c. iam meridianis horis fratres quiescerent, subitò quidam Frater apertis oculis cæcatus cœpit tremere, & voces ingentes emittere, quibus vocibus testabatur ferre se non posse, quod patiebatur, &c.* & post multa: *Fratres pro ipso in oratione prostrati sunt. Qui statim ad se reuersus, quid passus fuerat, confessus est, quia senex quidam ei apparuit, & canem nigrum ad eum dilaniandum dimisit, dicens: Quare fugere voluisti de Monasterio isto? Cumque euadere de canis morsibus nullo modo potuissem, venerunt quidam Monachi, & eumdem senem pro me rogauerunt: qui statim iussit canem abscedere, & ipse ad me reuersus sum. Qui etiam confessus est, quia ea die, quo ista pertuli, consilium habueram de eodem Monasterio fugere.* Sic pœnitentiæ desertores, ac mente transfugas Deus quandoque vindicat: Sed audi quid Gregorius: subtexit.

A Religioso claustro fugiẽtes multiplex diuinitus pœna prosequitur.

Gregorius lib. 9, registri epist. 38.

Qui Monasterium relinquit, stygio cani traditur discerpendus.

Monetur à sene, vt si à periculo liber velit esse, consilium retractet.

18. *Alius quoque* (inquit) *Monachus discedere ex eodem Monasterio latenter voluit. Cumquè hoc mente tractasset, Voluit Oratorium ingredi, sed statim Dæmonio traditus, vehementissimè vexatus est, etc. dicebat autem, se eumdem Beatum Apostolum, dum vexaretur, vidisse, sequè ab eo increpatum esse, cur de Monasterio voluisset abscedere. Alij duo fratres de eodem Monasterio fugerunt, atque aliqua priùs colloquendo, fratribus signa dederunt, quod per Viam Appiam descendentes Hierosolymam tenderent, &c.* Et post multa: *Qui ad Monasterium reducti, ex eodem miraculo ità sunt meliorati, vt eis multum profuerit ad parum temporis de Monasterio fugisse.* Manifestis itaque, signis ac portentis Deus recedentes, aut certè à claustrò fugam parantes, aliquando absterruit, vt palam cunctis piaculi enormitas fieret.

Gregorius vbi supra epist. 38.

Duo alij monachi monasterij S. Gregorij post arreptã fugam in viã salutis reducti.

19. His demum appendicis instar subtexenda sunt, quæ probæ fidei scriptores, à sancto religiosæ vitæ proposito aufugere tentanti contigisse narrãt, vt in historiali Catechismo his verbis traditur: *In ipsa domo Carthusia, quæ est Mater nostra (inquiunt Dorlandus, & Dionysius Carthusianus, fuit ante nos nouitius quidam qui suadente diabolo, ac iam præsentiam possidente, sub nocturno silentio fugere ad sæculum meditabatur, cumque per coemeterium claustri transitum haberet, audiuit de sepulchro cuiusdam nuper defuncti patris vocem manifestam, decentem sibi: Quo fugis ò miser. Quo fugis. Prædico tibi, quia si hic abieris filius gehennæ, & perditoris alumnus eris. In hac voce correptus ac stupefactus diriguit, & ad se reuersus cellam repetijt, et in ea vsque ad vitæ finem laudabiliter perseuerauit.* Sic plane à mortuo, qui à vitæ, & pœnitentiæ institutis discedens velox currebat ad mortem, admonitus, in itinere pedem contrahens, vt cum Christo viueret, in claustro vsque ad mortem pœnitendo perstitit.

* *
*

Catechism. hist. c. 7. tit. 85. ex 10. Petrus Dorlandus in Chronico Carthusian. lib. 6.

Breuis ad tempus fugæ ingens animæ profectũ parit.

Dionysius Carthusianus in conclus ex hortatorij noui.

Carthusianus monachus dũ fugam parat, defunctĩ voce ad claustrum reuocatur.

CAPVT

CAPVT V.

Verbo Dei audito non nulli, se ad meliorem frugem traducunt.

1 Coelum profectò, & vniuersa, quæ Cœli ambitu continentur, ac miro Dei opificio cōdita sunt, nedum ipsius Dei magnitudinem, sed & immensam insuper Verbi Dei virtutem, omnimodamque ipsius, vel tacite potentiam loquuntur: *Verbo* quippe *Dei* (vt Psaltes inquit) *Cœli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum.* Totus item Dei Verbo mundus iste, qui mortalium oculis patet, primùm ex nihilo conditus est, & cuncta pariter, quæ in mundo sunt, vnanimi ipsum voce sui conditorem prædicant, dum non nisi Verbi ipsius virtute, ac soliditate subsistunt: *Ipse enim dixit, & facta sunt, ipse mandauit, & creata sunt.* Operatorius nempe, ac efficax adeo est Dei sermo, vt quæ non erant, eius protinus vi, ac imperio in lucem prodierint; & quæ nunc sunt, cuncta non tam se ipsis, quàm eius subinde nutu, ac stabilitatè firmentur: *Ecce dabit voci suæ vocem virtutis,* & suam in primis Altissimus Verbo omnipotentiam manifeste mortalibus ostendit.

Cœli profectò, ac mundi machina, eiusque aspectus tacite immensam Dei magnitudinem mortalibus prædicat.

Psalm. 32. 6.

Dei in primis sermo operatorius & efficax.

Psalmo. 148.

Psalm. 64. n. 32.

2. Verùm enim verò immensa Dei virtus, atque inprimis efficax ipsius Verbum nedum creando, sed & subinde per Christum instaurando Terrarum orbi, renouandisque spiritu hominibus sic affulsit, vt mortalium nullus, nisi ipsius Verbi, ac spiritus virtute afflatus, ad fidem, quæ vnicuique ad salutem necessaria est, aliquando peruenerit; *Fides* (inquit Apostolus) *ex auditu auditus autem per verbum Dei.* Diuini autem Verbi excellentissimā vim, rerumquè altissimarum vna simul arcana edisserens: *Quomodo* (inquit) *credent ei, quem non audierunt? quomodo verò audient sine prædicante? quomodò verò prædicabunt, nisi mittantur?* Dei siquidem Verbum Apostolico annunciatum ore vniuersam Terræ faciem peruadens, ac longe, lateque excurrens mortalium tum auribus, tū cordibus sic se potēter infudit: *In omnem* quippe *Terram* (vt Psalmista ait) *exiuit sonus eorum, & in fines orbis Terræ verba eorum:* Tanta enim Verbi in vniuerso terrarum orbe virtus extitit, vt vberrimum dicto citius fructum fecerit, illudquè meritò in Dei Verbo annunciando sit ad impletum: *Nec est, qui se abscondat à calore eius.* Adeòque duo illi post Christi mortem in Emaus peregrinantium more abeūntes aberrantesque discipuli, Domino vnà cum ipsis in via ambulante, ac de sui amoris excessu verba, cum illis faciente, ita in eius illico amorem exarsisse leguntur, vt Hierosolymam regressi dicerent: *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via.*

Verbo Dei mundus creatus est, & verbi eiusdē virtute vniuersa, quæ in mundo sunt subinde instaurata.

Apostolus ad Roman. cap. 10.

Annunciatum Apostolorum ministerio Christi Euangelium mundo salutis causa.

Psalmo 18.

Psalm. 18

Luca cap. 24.

Qui in Dei amore penitus obrigauerant, percepto Dei verbo diuinitus incalescunt.

Lucæ c. 24.

3. Ipsius verò Ecclesiæ sinum, sub ipsa fidei surgentis initia sic Verbi semine ob lucra, quæ subsequuta sunt, fœcundari contigit, vt totus iam Christi Euangelio, eiusquè Crucis virtuti mundus triumpho cesserit, cunctisque Dei Verbum mortalibus, non secus ac certa tum vitæ, tum salutis, ac regni obtinendi tessera, diuino Christi ore propositum sit: *Euntes* (inquit) *prædicate Euangelium omni creaturæ; Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit, qui verò non crediderit, condemnabitur.* Christianus itaque Orbis Dei nutu, ac verbo subsistit, & ex innumeris plane diuini Verbi cultoribus vbique terrarum in Christi nomine Ecclesia congregatur, adeoquè meritò hi, à quibus Dei verbum pati repulsam contigit, à Christi tandem regno, tanquam ipsius felicitate haud digni, extraneorum instar repelluntur; quod sane Iudæis olim Apostoli denunciantes aiebant: *Vobis oportebat prædicari verbum hoc, sed quia repellitis illud, & indicatis vos indignos vitæ æternæ, ecce conuertimur ad gentes.* Iudaici itaq; populi reprobatio, & Gentium ad Christi regnum electio, & Dei potentiæ, ipsiusque Verbo adscribenda proculdubio est. Horum quippe in bono, & ad regnum prouectio, nec non aliorum obdurara sic in malo mens, & præceps denique in Tartarum malitia, profectò non nisi ob fideliter receptum, aut certè ob reiectum temere Dei verbum, id ipsum vltrò Apostolis contestantibus accidit: *Ex cæca* (ait Propheta) *cor populi huius, & aures aggraua, vt videntes non videant, & audientes non intelligant.* Enimuerò, vt hinc narrandi nobis initium sit, Saulus

Annunciatum, exceptumque verbum, certa hominis sperandæ salutis tessera.

Marci cap. 16.

Fides ad Dei, & Christi regnum consequendum necessaria.

Actuum Apostolor. cap. 13. n. 45.

Indignus vitæ æternæ, qui Dei à se verbum repellit.

Actuū Apost. c. 6.

Iudaicæ gentis reprobatio, & Gentiū electio non nisi à Dei verbo perperam, vel fideliter audito tribuenda.

Isaia cap. 6. 10.

Saulus

Iudęi Dei verbo rebelles ipso, ne videant lumine orbantur.

Saulus Christi audita è cœlo voce mox ex persequutore Apostolus, ac bene doctus, orbis totius doctor euadit.

Saulus quondam, dum Christi Ecclesiam acrius persequitur, non nisi Verbo è cœlis delapso, sibique altius intonante mox ad Christum traducitur: *Domine* (inquit) *quid me vis facere?* Responso autem indè salutis accepto: *Vade* (inquit) *ad Ananiam, &c.* Dum igitur Dei verbo cordis aurem adaperit: *Continuò* (vt ille ait) *non acquieui carni, & sanguini*. Stephanus verò Iudæos incredulos, pertinacesquè meritò ob id vnum iam lapidandus increpat, obiurgatquè, suam potiùs, quàm Verbi iniuriam, iacturamque patienter ferens: *Dura* (inquit) *ceruice, & incircumcisis cordibus vos semper spiritui Sancto resistitis*. Quod probè aliquando Augustinus expendens: *Quando* (ait) *Stephanus debuit plus irasci, quandò lapidabatur, an quandò non audiebatur? ecce mitis factus est, cum lapidaretur, & irascebatur, cũ non audiretur*, Vel ipso tũc facto palam enuncians, non nisi ob contemptum videlicet Dei Verbum Iudaicam à Deo gentem certissime reprobandam.

Actuum Apostolorum c. 6.

August. hom. in act. Apost.

Stephanus, dum Iudæis prædicans non auditur irascitur, dũ ab ipsis subinde lapidatur patienter ferendo mitescit.

Vniuersus mundus Dei verbo expugnatus, Christo lucrum cessit.

4. Porrò, vt suprema olim Iudęis ob contemptum ruina, sic Gentilium populo ob facilem, ac promptum Verbi auditum, certa demum salus refunditur. Totus quippe mundus nonnisi ipsius verbi prædicatione Christianus tandem euasit, adeò vt non tam Romanorum Imperatorum potentia, ipsorumquè Rethorum apte dicendi, ac suadendi arte, quàm vnius Piscatoris verbo, suasque præbens Euangelio aures in Christum (teste Augustino) crediderit. *Christus* enim *non quæsiuit* (inquit) *Piscatorem per Oratorem, sed per Piscatorem lucratus est Oratorem, & Imperatorem. Magnus Cyprianus Orator, sed priùs Petrus piscator*. Tantum namque Dei Verbum ipsius Piscatoris ore annunciatum profecit, vt & qui increduli pridem erant, & festino peccatores ad pęnitentiam pede cucurrerint; Quod & clariùs insuper adducendis mox exemplis constabit.

Augustinus ser. moral.

Christus nõ quæsiuit Piscatorem per Oratorẽ sed per Piscatorem lucratus est Oratorem, & Imperatorẽ ex Cypriano.

5. Itaque (vt noster opportune hinc sermo initium sumat) quemadmodum Dei Verbum pio mentis affectu, ac deuota ab annunciantibus aure acceptum, homini salutem affert, haud secus eius contemptus mortalium iugulo animaduersionis gladium, ac certam Ciuibus cladem, supremamque Ciuitatibus ruinam intentat, vt aptè in rem nostram Sozomenus in suis paginis tradit: *Anno* (inquit) *Christi Domini trecentesimo quinquagesimo sub Rege Sapore grauis persequutio in Persia aduersus Ecclesiam ferbuit. Per id verò tempus etiam Milles Episcopus occubuit. Is primùm apud Persas militauerat, postea verò deserta militia Apostolicam vitam est imitatus. Cum autem Persicæ cuiusdam Ciuitatis Episcopus esset, multosquè sæpe numero cruciatus pertulisset, nec vlli istic persuadere posset, vt Christianus fieret, insuper eam impietatem ferens animo, Ciuitatem execratus, inde discessit. Non longo post tempore, cum primarij viri vrbis illius in regem peccassent, exercitus cum trecentis Elephantis eò profectus Vrbem euertit, & velut agrum colentes in ea sementem fecere; Hunc in modum Verbi diuini contemptus pęnas iustas, & graues tum Deo, tum Episcopo persoluit*. Sic nimirum rebelles lumini, & qui semen Verbi Dei è cœlo transmissum, per scelus reiecerant, nedum luce, ac vita orbati sunt, sed & perpetuò à Dei regno exules, ac certo salutis dispendio mulctati, acerbiorem cunctis cladem, & iustissime quidem sunt perpessi.

Sozomenus lib. 2. Eccl. hist. cap. 4.

Nicephorus Calixtus lib. 8 histor Eccles. cap. 37. an. 350 apud Drauultium in Cathecis hist.

Milles in Persia Episcopus nulli vt Christianus fieret, suadere valens Ciuitatem maledicto percellit.

Tota haud multo post Ciuitas, iuste excidium passa.

6. Vt noster vero susceptæ narrationi sermo insistat, hæc pręcipua quidem Verbi Dei prærogatiua est, vt ipsum ad discriminandos à reprobis electos ac si data e cęlo tessera mortalibus pręsto sit: *Qui ex Deo est* (inquit Christus) *Verbum Dei audit*. Hinc haud semel Dei Verbum viros qui nunc sunt sanctitate præcipui, ex impijs pios, & ex peccatorum cęno erutos feliciter Cęlo inseruit, vt sic ex Sophronio Drauultius acceptum de Babyla testatur! *Babylas quidam* (inquit) *Tharsi Ciliciæ Mimus professione, & Magus, vir flagitiosissimus, duas concubinas tenebat; multa pro Dæmonis arbitrio, quo vtebatur familiariter, siuè cum eo, siue cum alijs nefariè transigebat. Ingressus quodam die Ecclesiam, auditoquè Euangelio, quod ad Pęnitentiam hortatur; Pęnitentiam agite, appropinquauit enim Regnum Cœlorum, ità compunctus est, vt redierit domum, & suis Concubinis: quo* (inquit) *amore, quàm æquabili vtramque complexus sum, fat, superquè animaduertistis. Iam mutatus aliud de rebus meis cogor statuere*;

VerbũDei ipsos Dei electos, à reprobis data velut tessera discernit.

Ioannis cap. 8.

Sophronius in prato spirituali c. 31.

Babylas Mimus professione, ac magus Tarsi audito pęnitentiæ in Ecclesia verbo à malis mox resipiscit.

Matthæi c. 3.

qua-

quæcumque labore consequutus sum, per me me licet (iam monachus fio) accipite. Illæ oratione huius permotæ, responderunt cum lacrymis: Et nos in flagitijs tibi sociæ fuimus, erimus & Penitentię. Omnibus ergò in pauperes erogatis, incorruptè deinceps, castè, sanctèquè vixerunt. Hunc Babylam antiquus auctor Ioannes Moschus dicit, se vidisse venerabilem, modestum, & clementissimum virum. Quis hunc hominem nō flagitiosissimum fuisse dixerit? Hęc certè mutatio dexteræ excelsi: Nam meretrices, & latrones, multos pręcedent in regno cælorum. Quibus sanè miram hominis ad Deum conuolantis, subitamque duarum simul ipsius Concubinarum resipiscentiam, non tam homini, quam ipsius Dei Verbo adscribendam probè iam vnusquisque ex narratis intelligit.

Duas, Concubinas, qui bus adhærebat, dimittens, monachus fit.

Impuræ itē fęminæ se ipsas, ac seculū execratæ, pęnitendo ipsi en nfortes fiunt.

7. Certa igitur salutis spes homini, Dei Verbum fideliter intra cordis sinum excipienti refunditur, adeò vt illud meritò Christi oraculum occinat: *Qui ex Deo est, Verba Dei audit; propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis.* Quod quidem etsi pluribus exemplis liquet, ex his tamen, quæ in Fratrum Ordinis Prædicatorum gestis habentur satis, superque euincitur; hęc enim ibi: *Vir Dei, die animarum manè Romę Theutonicis prædicauit, superuenientesquè duæ meretrices, vna alteri dixit: Audiamus hic verbum Dei ab isto. Altera verò renuente, & abscendente, prima ad pedes fratris prædicantis se locauit. Modico ergò facto interuallo, alta voce clamare cœpit: Obsecro vos Domine, per misericordiam Christi, cuius gloriam prędicatis, quatenus confessionem meam quantocyus audiatis miserę peccatricis. Qui eidem respondens ait: modicum sustine filia, statim veniam, & te audiam. Illa parum quiescente, eadem quę priùs, cum clamore repetijt, illiquè, vt priùs supplicauit. Tertia verò vice post modicum silentium validiùs, quàm priùs præmissa verba proferens coram omnibus præsentibus spiritum exhalauit. Quod vir sanctus, frater Vlricus videns accurrit, & eam mortuam inueniens, precibus supplicibus cum populo præsente à Deo reditum vitę illius impetrauit. Quę resuscitata respirans fratri Vlrico dixit: Noscis Fratrem Vuichmannum, Priorem Vuspinensem? qui ait: noui; At illa hac hora, qua ego spiritum exhalaui, anima Sancti illius à corpore egressa, ad Cælum, Deo vocante, est perducta. Cuius meritis Clementia Saluatoris omnipotentis XXXIII. animas de Purgatorio secum transmittens, à pœnis liberauit. Insuper & XXXIII. peccatores publicos conuertendos, iustificandosquè meritis eiusdem condonauit, quorum vna ego sum. Sicquè peccata sua Fratri Vlrico confitens, & vitam laudabiliter finiens, in breui post in Domino feliciter requieuit.* Id planè mulieri vitijs, ac lasciuia turpiter diffluenti audito Dei Verbo auribusquè deuotè, ac fideliter accepto in immortalis denique vitæ lucrum cessit, cui intimus videlicet primum anteactorum criminum dolor, ac felix subinde post pœnitentiæ lamenta vitæ finis in optimo mentis statu diuinitus contigit.

Ioannis c. 8.

Qui ex Deo, qui autem ex Diabolo sunt, ipsius Christi oraculo palam ostenduntur.

Ex gestis Fratr. Ordin. Prædicat Eæ pl. spec. pag. 451.

Viro religioso verbū e suggestu annunciante, vna meretrix audit, al tera contemnit.

Tantam audito verbo cordis compunctionis vim sentit, vt præ dolore ipsa vita defecerit.

Momento temporis & contritionis magnitudine, à cūctis vitæ cul pis expiata cœlum conscendit.

Ipsa pridem peccatrix, & iam pœnitens, pœnitentię vim cunctis ape rit.

8. Porrò ea diuini Verbi (*quod tunc capit, cum capitur*) vis, & in primis efficax ad lucrādas Deo animas, diluendasq; enormes quantumuis culpas prærogatiua est, vt vix vnquam, & magno absque fructu ad Deum redeat: Cuius rei insignis Doctor, ille Monetæ insignitus nomine ad Deum, & ad religionis portum è mundo naufrago repente e mergens testis accedit. De quo isthæc in conscriptis historiarum Ordinis Prædicatorum tabulis: *Cum sanctæ (inquit) memoriæ Fr. Reginaldus, quondam Aurelianensis Decanus, Bononię frequenter prędicationis insisteret, & plures Magnos Clericos, & magistros attraheret, Magister Moneta (qui tunc in artibus legens in tota Lombardia famosior erat) visa conuersione tantorum; cœpit timere multum, quod caperetur in sermone illius. Vndè eum in quantum poterat, declinabat, & omnes scholares suos verbo, & exemplo suo auertebat à prędicatione eius. In festo autem S. Stephani cum scholares prædictum magistrum ad sermonem attraherent, nec ipse propter scholares, nec propter honorem se absentare posset, dixit eis: Eamus prius ad Missam. Iuerunt ergò, & non tantùm vnam, sed tres audierunt. Tunc instantibus illis ait: Eamus nunc ad sermonem. Veniens ergò inuenit eum prædicantem, & maiorem Ecclesiam ità plenam, quod intrare non potuit. Vndè stans ad fores Ecclesiæ, & auscultans, in primo verbo captus, quod tale erat: Ecce video cælos apertos. Et (inquit) in præsenti aperti sunt ad introeundum: Quilibet, qui vult, potest ianuas*

Dei verbi vis, ac prærogatiua, vt obstinationibus quibuscumque interdum hominibus præualeat.

In histor. Fr. Prædic. Ordinis par. 4. c. 20.

Doctor Moneta, vim diuini Verbi mens, ab audiendo semper consulto abstinet.

apertas intrare: videant, & timeant miseri negligentes, ne eis, qui claudunt Deo cor suum, et os, et manus, regnum Cælorum claudatur, et introire non possint. Quid ergò tardatis charissimi: ecce aperti sunt Cęli: Finita ergò prædicatione venit ad eum magister Moneta compunctus verbo Dei, et ei statum suum, et occupationes exponens, in manibus eius professus est. Et quia erat multipliciter impeditus, de licentia ipsius fratris Reginaldi per annum, 'et amplius remansit in habitu sæculari, non tamen inutiliter. Sicut enim multos priùs ab eius prędicatione auerterat, sic posteà quàm plures, non solùm ad prędicationem, sed etiam ad Ordinem adduxit. Trahebat eos ad sermonem, et modò hunc, et modò illum ad Ordinem inducebat, et cum singulis quasi de nouo profitebatur. Ingressus autem Ordinem, qualis in omni sanctitate fuerit, quantum in verbo, et doctrina, et hęresum confutatione profecerit, non de facili posset scribi. Quo sanè diuinum illud Oraculum adimpleri contigit: *Verbum meum, quod egredietur de ore meo, non reuertetur ad me vacuum.* Multi etenim Verbo Dei vel casu, ac perfunctoriè aurem interdum prębentes certam inde animę Deo aspirante salutem lucrati sunt.

In festo S. Stephani Protomart., & si serò venit, seriò tamen Dei verbo compungitur.

Sæculo nuncium remittens Prædicatorū Ord. instituto se dicat.

Isaiæ c. 55. n. 11.

9. Sed vt susceptæ narrationis propositū magis, magisq; ad suadendū roboretur exemplis: Cum quidem olim Sacerdos supradicti Prædicatorum Ordinis de Deo (vti mos est) verba faceret, & sui Ordinis Clericos probè instruens de abijcienda rerū caducarum cura, ac sæculi cauenda fallacia præmoneret, & nōnulla, quæ huc spectant, vel obiter diceret, ex adstantibus repente certus quidam compunctus totum se Dei obsequio dicans, multum in arrepto mentis proposito ac Dei cultu, & amore profecit; hęc enim in Prædicatorum historijs traduntur: *Charissimi* (inquit) *propter hoc, quia multi sunt scholares, qui multùm se cruciant, et multa sustinent longo tempore Parisijs in studendo, quod nihil est, nisi pompa Sathanæ; dicunt enim in corde suo: quando studueris Parisijs, et fueris Magister in illa, et illa facultate, rediens ad terram tuam, eris famosus, et reputaberis magnus Clericus; honoraberis ab omnibus, dabuntur tibi beneficia, ascendes ad dignitates, et huiusmodi: Et quid est hoc, nisi magna pompa Sathanæ? Charissimi caueatis vobis à tali intentione in studio vestro, et videte quomodo multi Magistri, & Clerici relinquunt Mundum, aduertentes nunc, quod ferè omnia, quæ sequuntur homines in mundo, pertinent ad pompam Sathanæ. Cum autem hæc diceret Sacerdos, ecce finita lectione vna, Clericus incæpit Responsorium: Hei mihi Domine, quia peccaui nimis in vita mea; quid faciam miser? vbi fugiam, nisi ad te Deus meus. Et sic verba Sacerdotis ex vna parte, et cantus prędicti Clerici ex altera, quasi duæ turbę intrantes ad cor eius, commouerunt eum in quandam inusitatam compunctionem magnam, et abundantiam lacrymarum. Recedens ergo inde, quocunque ibat, vbicumque ipse stabat, deuotissimè gestabat verba prædicta in visceribus, et præcipuè illud verbum Responsorij prædicti: Quid faciam miser, vbi fugiam, nisi ad te Deus meus? Cum autem hoc reuoluit quasi continuè in corde, videbatur sibi quędam vox in anima sua respondere: Quò fugies, nisi ad S. Iacobum, ad Fratres Prędicatores? In illis autem diebus cum more solito iret ad B. Virginem adorandam, tanta fuit ei multoties gratia compunctionis, et deuotio lacrymarum, et affecti cordis inconsueta, quod vltrò desipiente sibi mundo, post paucos dies iuit ad Fratres sibi notos ad S. Iacobum, ordinauit cum eis de ingressu suo solutionem debitorum quorumdam. Interim autem loquutus est Domino Hugoni, qui factus est posteà Cardinalis, qui fuit Magister suus, et reuelauit sibi propositum suum, confidens, quià eum non impediret, quia homo bonus fuit, et Baccalaureus in Theologia. Quo audito ipse gratias agens Deo, confortabat eum dicens: Sciatis Magister, quod ego hodie idem proposui, sed non possum statim intrare, quia habeo expedire quedam negocia Domini mei Vuilhelmi de Sabaudia, cum quo nunc sum, sicut scitis. Sed intrate securè, & sitis securus, quod ego vos sequar in festo B. Andreæ. Ipse, & Dominus Hugo in sequenti quadragesima, in cathedra B. Petri, Ordinem sunt ingressi.* Felix, qui vnico vel obiter accepto salutis verbo, ad perfectioris vitæ normam, cœlum proinde lucrando profecit.

Dei verbum nunquam in vanū, & absque fructu abit, sed alicui semper prodest.

In gestis Fr. Ordinis Prædicatorum p. 4. c. 10.

In spec. magn. exempl. pag. 448.

Quidam audito a religioso Prædicatorum Ordinis Dei verbo mirifice in bono proficit.

Auditis scripturę sacræ verbis: Quid faciam miser, à sæculo fugam ad Deum, & ad religionem conuolans arripit.

Hugoni amico rem narrans, ab eodem in sācto mentis proposito confirmatur.

Expeditus, ac liber è sæculo ad Deum felicius currit.

10. Dei itaque Verbum, vbi ab ore annunciantis exiens, mortalium cordi illabitur, ita, ni ab ingrato reijciatur, in

Dei verbum omnem in salutis negocio moram abrumpit.

Dei

In Fastis Senensibus in B. Thoma Caffarino pag. 52. Michael Pio. tit. 24. lib. 2 vir. Dominican. illustrium lib. 2.

Dei amorem, ac odium, sui ipsius hominem, ad quem fit sermo, succendit, vt mox carnis, ac sæculi blandirijs finem, pęnis vero sponte subeundis felix initium præbeat; Quod quidē mulier olim in sæculo degens, sed sæculi contemptrix, occulta vi verbi, reddita, in se probè experta est. Enimucrò cum Beatum Thomam Caffarinum, eximiū Dei verbi præconem audisset, mox sub ipsius magisterio Crucis, ac pœnitentiæ discipula euadens, virtutum merito sub eius disciplina profecit; Vir namque Dei (vt historiarum monumenta edocent) Ordinem sacrum instituit, quem à Pęnitentia dici voluit; Hæc autem in Senensiū fastis: *Annon* (inquit) *in numeros vir Dei ab Inferorum, mundiquè tyrannide vindicauit? Satis luculenta terris vna fuit B. Maria Storiona, celebrata Sanctimonię matrona, quæ concionantis Thomæ vehementia commota, retineri non potuit, quin illicò omnibus florentissima, qua prędita erat, formę oblectamentis, omnibus item diuitiarum, & nobilitatis domesticę commodis, paupertatem Christi, & voluntariā corporis afflictationem pręferret, in asperum Virginum à Pænitentia dictarum Cænobium transgressa. Hic illa ad sanctissimos Magistri mores, atque exempla totam se fingens, carnium esu perpetuò abstinuit, humilem, ac asperam vestem, ne paruis quidem illis noctis horis, per quas sopori succumberet, vnquam posuit; atroces quotidie ingeniosior in pænis, rebellium sensuum contumaciam ità compressit, atque ad eam perfectissimæ vitæ rationem progressa est, vt meritò gestiens ad triumphalem animam coronandam delapsos cęli proceres frequentissimos morti proxima videre se dixerit.* Ità mulier sola verbi (quod malleus est conterens petras) virtute ac breui in Pœnitentię, & Charitatis officina, cum prius esset vas contumeliæ, vas in honorem, ac Deo dignissimum cessit.

Mulier in sæculo degens audito Dei verbo, sæculo se abdicans in spiritu viriliter proficit.

B. Thomas Caffarinus diuini verbi præco, in numeros ad pœnitentiā trahit.

Mariæ Storionę ingēs ex Dei verbo fructus.

Ad sanctitatis metam suis virtutibus pertingit:

In fastis Senensibus pag. 152. ex MS. vitæ ipsius libello.

11. Ea igitur est Dei verbi prærogatiua, & diuinarum insuper virtutum pulchritudo, vt grata semper, ac periucunda, nec otiosa mortalium tum oculis, tum auribus aliquando accidat. Vbi è contrà horrenda peccati fęditas, nedum visa, sed vel audita interdum ruborem, & confusionem pariter suam in conscientiæ foro, atque intimo animi speculo faciem contemplantibus ingerit. Cuius rei restatissimus quidē testis adest Bonsignorius Cacciaguerra, magni olim in Vrbe nunc cœlo nominis Presbyter, *qui* (vt auctor in fastis inquit) *mali dęmonis pius auditor, cęlestem virtute sedem, scelere illius vacuam occupauit*, Enim verò dum hic in sæculo liberiùs, & curiosè nimis rem agit, suas sibi culpas, ac vitæ, ipsius Diaboli ore, nec sine magno renunciatas propudio turpitudines adeò exhorruit, vt sui confusionem haud patienter sustinens, mox ad Confessionem sacramentalem conuolans, Pœnitentiæ quidem austeras sibi seruadas imposterum leges pro lege præscripserit. Sed Auctoris hìc quæso graris auribus verba excipiamus. *Dum Bonsignorius* (inquit) *res suas ex muliere à Dæmone obsessa sciscitatur, vniuersa eius arcana scelera sibi obÿci, exprobariquè audiuit: & erubuit imposterum facere, quæ suasǫr ipse infernus criminabatur. Ea verò fuere sanctitatis vitium in virtutem degenerare facientis rudimenta; pudendæ scilicet anteactæ vitæ pudor, non in genis, nempe summa in cute leuis, sed seriæ pænitentiæ ignea opera ex oculis vbertim stillatitius: Mercaturæ prosperitas, quę iam decoxerat, in egenos liberalior; Terrenarum rerum, suiquè contemptus, & multiplex afflictatio: piè suscepta Compostellana peregrinatio, in qua longiùs moribus, quàm pedibus progressus, longè alius à se ad se ipsum redÿt: Sed in illa itineris parte insistendum tantisper est, quam optimus peregrinus tribus millibus passuum Compostella distantem fune ceruicibus iniecto, manibusquè post terga religatis, gemino à famulo tractus, & excalceatus, summa in Apostolum Iacobum religione confecit. Ità nimirum sisti scelus decuit pessundati capitis reum ante Iudicem Sanctitatem. Quare ibi vitiosus animi nigror piaculi confessione ingenuum in candorem elutus peregrinationis pretium operæ fuit. Quid hic memorem, quas ope fultus diuina sexcentas exanthlauit ęrumnas à flammeis voluminibus, à marinis tempestatibus, à carcerum vinculis, & ab insidÿs immissas inferorum? Sed inter obluctantia mundi elementa eualescens virtus in eam staturam adoleuit, vt giganteis iam viribus non suę solùm, sed alienę complurium saluti patrocinaretur, &c. Roma demum diù*

moratus

Dei verbum æque hominū auribus gratum, acceptumq; quā sæculi nugæ, ac blanditiæ vitiorum æterna cupientibus molestæ.

In gestis Senensibus vbi supra.

Bonsignorius Cacciaguerra ab obsessæ fæminę ore dęmonū fraudes & delinimenta hominum sapide [addiscit.

Ipsius in pęnitentiæ cultu feruor.

Ad S. Iacobum in Compostella peregrinatur.

A sacra Apostoli æde distans passibus ter millibus, ligatis post tergum manibus vti reus à famulis se perthrai vult.

Confessione culpas expiat & iã mutatus in virum alterum nouã vim ratione aggreditur peregrinus iam lutulus interris, & cęli ciuis.

moratus inter cætera diuturnum domicilium habuit, & moribus suis opportunum, cui SodalitatisCharitatis à S.Hieronymo nomen imposuit. Degunt ibiClerici Conuictores,quorum plures Bonsignorio Eucharistiæ crebro obeundę morem instauranti diù, multumquè, pariter oblatrarunt, & obstiterunt, &c. Cum verò plures per annos domi, forisquè coniuratas in vnum Bonsignorium, qui frequentem Sacramentorum vsum inueheret, omnium petulantes, & impias obtrectationes obstinato silentio confutauit: Cumque ob eam causam apud sacrum Quæstorem sacrilegi criminis delatus esset, elinguis innocentia accusationem elusit,&c. Et post multa: *Omitto plurimas, quibus deinde fortiter tolerandis factus est fortior, ęgritudines: vt martirij cupientissimus morbos habuerit assiduos tortores, &c. Præceperat paucos ante annos, cum periculosè ægrotaret, famulo sibi vnicè charo, vt se vita perfunctum sub aditum templi nuda in humo tumularet, quò pedibus ingredientium omnium proculcaretur.* Hoc ipsum exinde factum. Nam in imo templo sepultus, hoc honorifico epitaphio eunctis proditur.

Romæ tandem pedem figens raro virtutũ exẽplo præfulget, animabus Dei lucrandis intentus.

Meritis onustus diem obit, & in Ecclesia S. Hieronymi à Charitate tumulatus hoc titulo decoratur.

Bonsignorio Cacciaquerræ
Senensi.
Miræ Sanctitatis Sacerdoti.
Obijt anno D. M. D. LXXII.
Aetatis LXXII.
Humatus hic pridiè Kal. Iulij.

Et Hæc vel obiter in viri virtutum ac Pœnitentię studio apprime exculti laudẽ, qui in eisdẽ S.Hieronymi ædibus sub eo potissimum, quo ibi S. Philippus Nerius Congregationis oratorij fundator,tẽpore, totus bonis operibus addictus vixit, ac suarum satis amplam cunctis laudum materiam reliquit.

Latrones boni latronis exemplo cęlum rapere discunt.

12. Demùm (vt verbi Dei hic laudes recolendi sit finis Latrones ipsi, qui rapinis iugiter, ac cædibus intendunt, Dei interdum audito vel obiter verbo mirum in modum compuncti, fortunati, alterius latronis exemplo vim sibi faciẽdo cœlum rapere didicerunt. Quod quidem insignis olim latro pijs ad Deum monitis, ac feliciter, verbi Dei virtute traductus edocuit, vt in conscriptis Cæsaris Cardinalis Baronij ex Congregatione oratorij gestis, viri virtutum laude clarissimi; Hieronymus Bernabęus sic tradit: *Bartholomęus quidam* (inquit) *cognomento Catena, de Monte S. Ioannis in Campania insignis latro, cum in suos ciues alioqui plurimum grassaretur, & iam finitima Soræ loca cędibus, incendijsquè oppleuisset, &c. cum fortè per eos dies quemdam sibi propinquitate coniunctum interfectum esse intellexisset, tam grauem in iram, atque vltionem exarsit, vt non modò in hostem ipsum sęuire, sed etiam bona ipsius deuastare tentauerit, & quacunque posset ferociam suam exercere: Sed iterum post menses aliquot Cęsaris monitis, atque orationibus incitatus, ad frugem bonam se recepit; & quietæ vitę desiderio tactus mutare cœlum, atque aliò se transferre decreuit. Ecce autem lictores per agrum Romanum de more excurrentes, hominem offendunt, & nullo negotio cognit um armis spoliant, vinciunt, ac de defensione nihil planè cogitantem, perinde ac si animum, viresquè amisisset, Romam in carcerem deducunt. Id, quod vbi Cæsar intellexit, continuò facta sibi potestate, ad eum adyt, & quasi prodigium illum de regione longinqua reuertentem consueta pietate complexus, ac misericordia motus, cecidit super collum eius, & osculatus est eum. Mox vt hominem vidit conscientiæ stimulis, aculeisquè compunctum, vt totius ante actæ vitę noxas per sacram confessionem expiaret, facilè persuasit. Cumquè iam biduum ipsum ad id peragendum animum præparasset, denique non sine ingenti dolore, sensuque pietatis perfecit. Videre erat hominem ex fero illo, & immani, non Deum, non homines timente, in alium repentè mutatum, factumquè mitem, & mansuetum vsque adeò, vt assidua peccatorum suorum recordatione doleret ingiter, & fermè per singulas noctes lauaret lectum suum, lacrymisquè stratum suum rigaret. Porrò Cęsar, vt euntem iam, & spontè currentem acrioribus stimulis ad pietatem incitaret, ante diem octauum, quàm supplicio afficeretur, pias quasdam meditationes, exercitationesquè illi proposuit, quibus ad sui ipsius contemptum, Deiquè amorem penitus inflammaretur. Igitur pridiè eius diei, quàm duceretur ad mortem, Cęsarem enixe rogauit, vt illos omnes, quibus cum grauet inimicitias exercuerat, suo ipsius nomine per literas pacem, & veniam infimis precibus oraret, atque à Prorege Neapolitano, tot, tantorumquè delictorum, quæ in ditione eius admiserat, indulgentiam suppliciter exposceret*

Hieronymus Bernabæus in vit. Cæsar. Card. Barony lib 3 n.2

Bartholomæus, cognomento Catena insignis latro,

Ferro, & igni Soræ finitima loca grassatur.

Cæsaris Baronij monitis, ac precibus ad bonã frugem adducitur.

Ab apparitoribus captus custodiæ mancipatur.

A Cęsare inuisitur, & ad pœnitẽtiã inuitatus ante actę vitæ culpas sacramẽtali confessione expiat.

Ex indomito compunctus mansuescit & ad patibulum ducendus quid dignę præstitit.

Veniam à cunctis humillime poscit.

sceret; optare se, si fieri posset, toties sanguinem, vitamquè profundere, quoties humanum sanguinem effudisset. Denique morti addictus, atque in sacellum deductus, totam ferè noctem peruigil vnà cum Cæsare sibi adstante præteritorum veniam demissè precari, diuinum auxilium implorare, ac beatam præcipuè Dei matrem propitiare non destitit. Summo mane missæ sacrificio interfuit, & Sanctissimum Christi corpus eximia quadam reuerentia sumpsit. Intereà carnifex laqueum illi de more iniecturus cum accessisset, non modò non exhorruit, aut refugit, sed vltro se se obtulit, & collum præbuit: quin etiam, cum iam processurus esset, atque à carnifice spoliaretur, candenti forcipe torquendus, admonitus, vt rem patienter sustineret; sublatis in cœlum oculis, elataquè voce respondit: Fiat voluntas Dei. Equidem spero illum mihi benignè ad futurum, vt omnia patienter feram. Nec vana fuit spes eius: cum enim per Vrbem circumueheretur, atque identidem candenti ferro vellicaretur, nullum vnquam ne minimum quidem doloris inditium dedit. Itaque ad supplicij locum deductus, paulisper orauit, peractaquè breui peccatorum suorum confessione, circumstantium precibus se commendans delictorum pœnam morte persoluit, & satis certam de sua salute spem, atque opinionem reliquit. Sic planè latro, homo vtpote olim perditus, salubriter verbo Dei monitus, culpis sacramentali confessione, intimoquè cordis dolore expiatis, ad æternitatem migrans, qui latro infamis vixerat, & bonus item latro moriens, cœlum vi rapiens, eunctos efficacem verbi Dei vim, ac pœnitentiæ virtutem docuit, illudquè diuinum racite cunctorum animis oraculum suggessit: *Quia regnum Celorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Sed iam ad alia progredimur.

Totam noctem in suis deplorandis culpis transigit.

Carnificem ad se venientem benigne excipit.

Candenti forcipe velli catus patienter fert.

Ne minimũ quidem doloris sensum præsefert.

Satis certã salutis spã ciẽter, confitenterq; moriendo spem relinquit.

Matt. 11. 12.

CAPVT VI.

Mortis metu, ac memoria compuncti Pœnitentiæ opera amplectuntur.

Nihil profectò in toto Orbe terrarum antiquius, & nil pariter morte recentius, cuius vel sola sub ipsa mundi primordia inter blandas terrestris Paradisi delicias, illecebrasq; ipsius immortalis Dei ore vel leuiter vsurpata mentio, sui mortales conctos in Deum officij, ac pœnarum item exoluendarum posthac eautè præmonitos fecit. Deus quippe, vt totius olim humanæ gentis protoplasto immortalitatis donum conferret, mortem primum, à vetiti vnius duntaxat pomi edulio abstinere præcipiens, illis planè iustissime verbis est comminatus: *In quacumque die* (inquit) *comederis ex eo, morte morieris.* Suis videlicet hominem tum donis in bonum releuans, tum etiam minis à malo procul auertens quò primæui hominis sensim inter præcipua Dei munera superbientis fastum elidendo comprimeret atque admoto mortis freno à titillantium vltro voluptatum morbo compesceret, vt suo aptè, sapienterquè ex more Augustinus inculcat: *Mortis* (inquit) *supplicium Dominus homini comminatus fuerat, si peccaret, sic eum munerans libero arbitrio, vt tamen regeret imperio, terreret exitio, atque in Paradisi felicitate, tanquam in vmbra vitæ, vnde iustitia custodita in meliora conscenderet, collocauit.* Enimuerò immortalis erat semper procul dubio futurus, si Deo mortem sibi comminante, eius tum memoria, tum metu ab animi elatione procul in peramœno deliciarum loco perstitisset. *Mortua etenim* (vt Chrysostomus ait) *fuisset mors, imò non fuisset mortua, quia non erat.* Homo namque statim atque in hnc sæculo viuere incepit moriendi obnoxius legi ex Dei præscripto, mortis insidias, ac tyrannidem patitur, & ad hoc vnum duntaxat (Hieronymo Teste) nascitur vt moriatur: *Quid miserius* (inquit) *homine, qui æternæ mortis timore prostatus, viuendi sensum ad hoc tantùm accepit, vt periret.* Mors igitur quæ primum homini, gentis, totius principi, non nisi ob culpæ pœnam iustissimè contigit, iam haud in pœnam sed in prœmium, immo potiùs, ob declinandum videlicit culpæ reatum summo Dei beneficio. in sortem vertitur.

Nil morte antiquius in terris, & nil etiam morte recentius.

Genesis cap. 2. vir. 17. Gen c. 3. 3.

Mortem hominibus cõminando, Deus ad immortalitatẽ excitãdo homines præmunebat.

Augustin lib. Enchiridion. cap. 25. 26. 27. tom. 3.

Velliter mortis metu res hominum agebatur, vt mori timens semper sibi, ac Deo vice-ret.

Chrysost. hom 2. de ieiunio.

Si mortis memoria viguisse t, mors mortua fuisset ex Chrysostomo.

Hie ronymu Epist. 3. ad Heliodorum.

Homo Deo ingratus, & ad hoc sensum, viuendi quod admodo accepit vt periret.

2. Quemadmodum enim vltroneam propter Deum subite mortem, maximi quid momenti est ac perenni dignum mercede, sic pariter mortem sponte, libenterque capitalis noxæ vitandæ ac præcauendæ causa incurrisse, non tam

Chrysostom. Psalm. 7.

pœna,

pœna, quam grande laboris præmium, ac operis retributio Chrisostomo teste computatur: *Hæc est maxima* (inquit) *remuneratio, mori propter Deum.* Adeoquè plerique, nec vulgaris notæ homines, nè Deum vel leuiter offenderent, morti se constanter vltrò deuouerunt, ac non nullos, dum in cogitatione peccatorum suorum rimidi suas intimo ex corde culpas execrantur, ad mortis profectò aspectum Deo, ac sibi feliciter reuixisse constat. *Vitæ namque,* (vt Hieronymus inquit) *breuitas damnatio delictorum est.* Nemo etenim prudens est, qui non pari studio, animique alacritate noxias sæculi voluptates, carnisquè illecebras contemnendas reputet, si impendentem sibi mortis è proximo, diebus singulis horam assiduè cogitet: *Facilè enim* (Hieronymo teste,) *contemnit omnia, qui se quotidiè cogitat moriturũ.* Adeoquè dum quis se mundo in dies mori cõspicit, sibi quoquè, ac mundo penitus, vt Deo æternum viuat, mori minimè reformidat.

Maxima ho minũ remuneratio, mori ppter Christũ ex Chrysostomo.

Hieronymus c. 8. ad Paul. Concordiens.

Vitæ breuitas, damnatio delictorum est ex Hieronymo

Hieronym. vt supr. in epist.

3 Enim verò prauæ, quæ nos titillant iugiter sensus blanditiæ, si mors, eiusquè è proximo metus, ac memoria fixa animo insit, se ab oculis statim proripiunt, ac lubrica quæque nocendi vim amittunt, vt Iobus egregiè in suis olim paginis, mortis prærogatiuam edisserendo inculcat: *Quare* (inquit) *misero data est lux, & vita his, qui in amaritudine animæ sunt: qui expectant mortem, & non venit, quasi effodientes thesaurum, gaudentquè vehementer, cum inuenerint sepulchrum.* Ingens itaque mors vitæ lucrum, ac vere mortalibus certa sepulchri expectatio salubris, quæ haud dubiã homini supernæ felicitatis gratiam refundit, ac bonam disperaris spem rebus vnà secum fiducialiter affert. Quisquis enim altam mentis caliginem præferens, ipsa inter vitæ otia stertit, immò in meridiana luce cæcutiens palpat, si mortis seriò, ac sepulchri meminit, ad currendam illicò salutis viam exurgit, & vel iàm mortuus, sibi, ac Deo post hac viuere incipit, vt optimè Iobus, sapienterque subtexit: *Ad sepulchra* (inquit) *ducetur, & in congerie mortuorum vigilabit.* Sed exemplis hic etenim insistendum est.

Carnis illecebræ, & peccata, vbi mortis memoria cordi inest, protinus auffugiunt

Iob. cap. 3. ver. 20. 21.

Meditatio mortis, hominibus ingens vitæ lucrũ.

Serio ipsius sepulchri aspectu homo interdũ reuiuiscit.

Iob. cap. 21. ver. 30.

4 Ad prauos quippe corrigẽdos hominum mores, ac salubriter instituendos, adeò vel solus iuuat mortis aspectus, vt dicto citiùs homines immutando, alios prorsus à se ipsis reddat, vt Theodoro Gregorius olim hunc in modum accidisse narrat: *Is* (inquit) *de quo in homilijs coram populo me narrasse iam memini, inquietus valdè, Theodorus nomine puer fuit, qui in Monasterium meum, fratrem suum necessitate magis, quàm voluntate sequutus est. Cui nimirum graue erat, si quis pro salute sua aliquid loqueretur; Bona enim non solùm facere, sed audire non poterat. Nunquam se ad sanctæ conuersionis habitum venire iurando, irascendo, deridendo testabatur. In hac autem pestilentia, quæ nuper huius Vrbis populum magna ex parte consumpsit, percussus in inguine est, perductus ad mortem. Cumquè extremum spiritum ageret, conuenerũt fratres, vt egressum illius orando protegerent. Iamquè corpus illius ab extrema parte fuerat premortuum, in solo tantùm pectore vitalis adhuc calor anhelabat. Cuncti autem fratres tantò pro eò cæperunt enixiùs exorare, quàm eum iam videbant sub celeritate discedere. &c. Verum miser se iusto Dei iudicio damnatum clamans etiam adstantes cunctos absterrens miro Dei beneficio ad agendam pro culpis pœnitentiam, reseruatus est; hoc enim ibi.*

Baronius an. 592. nu. 13.

Gregor. hom. 38. in euang.

Theodorus mortis metu Deo copunctus, ac sibi viuere incipit.

Bona non solum facere, sed nec audire duntaxat poterat.

5 *Cumquè fratres* (inquit) *audirent, prostrati in terram, cum lacrymis cæperunt pro ereptione illius vehementer orare. Et eccè subitò cæpit æger clamare dicens: Gratias Deo; qui me ad deuorandum acceperat, fugit; orationibus vestris expulsus stare non potuit: pro peccatis meis modò intercedite, quia conuerti paratus sum, & sæcularem vitam funditus relinquere. Homo ergò, qui* (*sicut iam dictum est*) *ab extrema corporis parte fuerat præmortuus, reseruatus ad vitam, toto corde ad Deum conuersus est, & postquam mutata mente diù est flagellis adstrictus, tunc eius anima carne soluta est.* Sic planè mors iam capiti impẽdens, hominẽ culpis irretitum ad Deum feliciter pœnitendo traduxit, adeò vt bonis vitæ actibus prætericas culpas compensando, totus Cœlo inhæserit.

Fratrũ precibus ab æternæ mortis periculo liberatur.

Gratias Deo agens exclamat dicens: Conuerti paratus sum.

Iam fere præmortuus carne, nouã spiritu vitã auspicatur.

6 Mortis itaquè metu tãtum mortalium quisque in virtutis stadiò aliquando proficit, vt vel mortis obaudito diuinitus nuncio, qui morti dignè occurrere satagunt, se ad vitæ exitum piè, ineunctanterque comparent, vt Monachis quibusdam sub anno 856. Benedicti Papæ tem-

Baronius an. 856 num. 2.

Felix interdum ex morte animi ad vitam transitus.

tēpore contigisse Ioannes Diaconus tradit; hæc enim ad finem rerum gestarum B.Gregorij Papæ de signis, ac prodigijs, quæ in B. eiusdem Gregorij Monasterio ad Cliuum Scauri prestita sunt,habet: *Benedicti* (inquit) *Pontificis tempore Lucido Ficulneo Episcopo,eidem monasterio præeminente,cum pestilētia faucium multitudo quotidie maxima deperiret: Idem Monachus* (*Ioannes scilicet spiritu prophetiæ imbutus*) *venit ad mortem. Cui desperanti B.Gregorius in somnis apparuit, dicens: Vis sanus fieri? At ille se velle respondit: Et B.Gregorius: si mihi (inquit) promiseris, quæ tibi dixero, fore dicturum, scito te esse sanandum, sin verò, citiùs moriturum. Cumquè ille se dicturum tota certitudine promitteret, audiuit: Ito denuncians Sabę, Ioanni, Benedicto,Martino, Palumbo, & Antonio monachis: Laurentio Coquo, Genimoso Carpentario, Arrepto Pistori,Andreæ Romano, & Leoni Lauis, quoniam crastino incipientes, omnes dietim se moriendo subsequentur.* Hęc ibi de certo mortis nūcio salubriter monachis intimando.

Io.Dia con.in gestis S.Gregorij.

Multi in Monasterio S. Gregorio Deo reuelāte in proximo morituri denunciantur.

Lucidus Episcopus audito impendentis mortis nūcio resipiscit.

7 Quæ autem Lucido Episcopo, cuius item prædictus obitum,vt ipsi renunciaret è Cęlo prænouerat,posthæc contigere,ibidem narrantur.Is namque accepto mortis nuncio, festinus ad monasteriū procurrens, confestim monachi habitu, pęnitentium more indutus, miram sui, ac morum itidem conuersionem exhibuit,vt morti bonis præmunitus operibus, ac Dęo pariter vocanti dignè,vt par est,moriturus occurreret;Hæc enim de eo Ioannes Diaconus prosequitur. *Cumque* (inquit)*Presbyter,& Monachus Lucido Episcopo tam dirum nuncium reuelare timeret, tacere autem penitus non auderet, monasterio se tandem proripuit, & in domum Episcopi non longè à flumine Tyberi, è regione videlicet iuxtà Basilicam SS. Cyri, & Ioannis positum,somnium nūciaturus accessit. Quem scilicet vbi cum Pontifice in Palatio prandere cognouit: expectans redeuntem sacerdotalibus vestimentis indutum, colore fulgidum, valetudine quoque sanissimum salutare curauit. Cui Episcopus ait: Iam nunc in tota Vrbe pro diuino haberis, quia de his, quos morituros prænunciasti, solus vnus remansit. At ille vtinam sicut & ille, quem viuere reputas, defunctus esset, sic ipse, qui hinc sequi prædictus est, exiliret. Cumquè Episcopus de eo tota curiositate requireret, & Monachus dicere palpitaret: tandem vbi die sexto moriturum cognouit, expalluit, atque contremuit. Resumptisquè viribus contrà monachum frenduit, quem redire volentem retinuit: interiora cubiculi peruagus penetrauit, paulatim sibi fauces dolere præsentit. Deinde tacto pulsu mox febris signa cognouit; Monacho credidit, domum suam disposuit, ad Monasterium, cui præerat, eisdem redimitus, quibus à Patriarchio reuersus fuerat,venit.Secunda feria cūctis tam subitam cōuersionem mirantibus,solū monachicū habitum suscepit, & paulatim ingrauescente morbo sexta feria diluculo obdormiuit; Et denuò suscitatus apparuisse sibi S. Andream Apostolum, sequè circa horam tertiam vocādum esse, sibiquè præceptum perhibuit; vt quia suæ mortis expectatione suspensi monachi S. Fabiani munia solita celebrare non poterant, mox corpus suum sepulturæ traderent, acceptisquè à se cereis, ac tymiamatibus ad peragenda solemnia festinarent. Hora itaque tertia Episcopus lętus defungitur, vt in ipsa vultus eius lętitia conuersio ipsius Deo fuisse placabilis cunctis videntibus monstraretur.* Haud segnis,haud otiosus profecto, iste in salutis suę negotio esse potuit, qui propinquam sibi instare mortis horam diuinitus acceperat. Mortis igitur EpiscopusLucidus accepto responso, Deo,ac bonis se totum operibus dicans, vt veraciter inter filios lucis ascriberetur, se toto corde ad Deum Patrem luminū traduxit,sic dignè posthac morti obuiam factus, vt supremum laudabiliter diem conclusisse, quam vultu mortuus præferebat, lætitia certissime cunctis testaretur.

Io. Diacon. vbi supra.

Baronius vbi supra nu. 4.

Ioānes Monachus rem ipsi,sicut acceperat denūciare detrectat.

Ioannes, vt Propheta enunciato, ac sequuto pluriū exitu agnoscitur.

Lucidus ab eo,se die sexto moriturū accipit.

Disponit domui suæ, & negotiū animæ soliagēs sexta feria obit.

Episcopus lętus migrās, ipsa vultus lętitia, qd ipsius cōuersio sit Deo placita,ostēdit.

8. Paratos etenim,expeditosque,dum vocatDeus homines,adinuenire cupiens, horam vnicuique mortis incertam voluit: *Nil morte* (inquit Bernardus) *certius, & nil hora mortis incertius.* Vbi verò non nullis hanc misericorditer ostendit,sæculi quidem impedimētis hominem prius, quam vitæ vinculis solui præoptat.Quod sane suo Egebertus Eucomberto in Cātuariorum Regno suffectus exemplo docuit, qui Osuui Orientallium Saxonum Regis amicus de propaganda (vt Baronius ait)& custodienda in totaProuincia Catholica fide cum ipso strenuè laborauit.Cum atrox itaque in Insula hoc anno pestis

Nil morte certius, & nil hora mortis incertius ex Bernardo.

Bernard. ep. ad Romaniā num Subdiacon.

Baronius an. 664.n.18.

Egebertus presbyter in Cantuariorum Regno pro catholica fide strenuè laborat.

pestis inualuisset, & complures ex Dei ministris non absque magno Ecclesię detrimento fuissent è vita prærepti, diuino Egebertus nutu, vt multum alijs prodesset, saluus & à periculo liber euasit. Verùm mortis timore præuentus quantum in virtute profecerit, quæ à Beda in eiusdem actis narrantur, documento fiunt; hæc enim ibi: *Egebertus (sicut mihi referebat quidam veracissimus, & venerandæ canitiei presbyter, qui hæc se ab ipso audisse perhibebat) cum se existimaret esse moriturum, egressus est tempore matutino de cubiculo, in quo infirmi quiescebant, & residens solus in loco opportuno, cępit sedulus cogitare de actibus suis, & compunctus memoria peccatorum suorum, faciem lacrymis abluebat, atque intimo ex corde Deum precabatur, ne adhuc mori deberet, priusquam vel præteritas negligentias, quas in pueritia, siue infantia commiserat, perfectiùs ex tempore castigaret, vel in bonis se operibus abũdantiùs exerceret. Vouit etiam votum, quia adeo peregrinus viuere vellet, vt nunquam in insulam, in qua natus est, idest Britanniam rediret: quod præter solemnem canonici temporis psalmodiam, si non valetudo corporis obsisteret, quotidie Psalterium totum in memoriã diuinæ laudis decantaret; quod in omni septimana diem vnum cum nocte ieiunus transiret. Cumquè finitis lacrymis, precibus, & votis, domum rediret, inuenit sodalem dormientem, & ipse quoque lectulũ conscendens cępit in quietem membra laxare: & cum paululum quieuisset, expergefactus sodalis respexit eum, & ait: O frater Egeberte, ò quid fecisti? sperabam, quia pariter ad vitam æternam intraremus: Verumtamen scito, quia quæ postulasti, accipies. Didicerat enim per visionem, quid ille petijsset, & quia impetrasset. Quid multa? ipse Edhiluinus proxima nocte defũctus est.* Magni profectò sibi vir iste ad vitam ritè, sanctequè excolendam mortis profuisse metum, palam ipsis postmodum factis ostendit; hæc enim Auctor prosequitur.

Aliorum beneficio incolumis à Deo seruatur.

Beda in op. & lib. 3. cap. 27.

Propiuquæ mortis metu plurimũ in virtutis schola, ac Dei obsequio proficit.

Præteritas culpas lacrymis diluit.

Vouit, quod si vitę superstes sit, quotidie diuinũ psalterium decantet.

Edhiluinus socius vitæ spatium Dei beneficio ipsi prorogatum noscit; quem tamẽ mortis sibi consortem cupiebat.

9. *At verò Egebertus decussa molestia ægritudinis conualuit, ac multo post tempore viuens, acceptumquè sacerdotij gradum condignis ornans actibus, post multa virtutum bona (vt ipse desiderabat) nuper, idest anno Dominicæ Incarnationis septingentesimo, vigesimo nono, cum esset ipse annorum nonaginta, migrauit ad regna cęlestia. Duxit autem vitam in magna humilitatis, mansuetudinis, continentiæ, simplicitatis, & iustitiæ perfectione. Vndè genti suæ, & illis, in quibus exulabat, nationibus Scotorum, siuè Pictorum, & exemplo viuendi, & instantia docendi, & auctoritate corripiendi, & pietate largiendi de his, quæ à diuitibus acceperat, multùm profuit.* Plurimorum itaque, ac sui præsertim bono vir tantus vitæ superstes, mortis præsertim proxime adductus metu, acriori velut stimulo ad pęnitentiæ opera incitatus, perfectioris tandem vitæ metam feliciter attigit, de quo opportuna nobis alibi mentio erit.

Beda vbi supra.

Superâta ægritudine Egebertus conualescit, & alter moritur, & ipse multum viuendo aliis proficit.

10. Ad susceptæ itẽ narrationis propositum, vel vnius iam præmortui ostensus socio adhuc viuenti aspectus facit, qui haud parum sub mortis larua amico apparens profuit, dum ipsum ad christianas virtutes in ipso vitæ stadio currentem ad currendum alacrius incitauit. Quapropter Michaeli Mercato olim quidem Marsilius Ficinus, viro vtpotè sibi amicitia iunctissimo, & cum quo & insuper pactum inierat, & post mortem se videndum offerens haud parum amico in optimo virtutum studio proficiendi incitamento fuit, vt Baronius his verbis narrat. *Cum verò* (inquit) *inter differendum eorum progressa longiùs fuisset disputatio, & eam ad calcem perductam illo clauserunt corollario, vt iuncta simul dextera pacti fuerint, vter eorum ex hac vita prior decederet (si liceret) alterum de alterius vitæ statu redderet certiorem. Quibus inter se conuentis, ambo iurati ab inuicem discessere. Interlapso autem haud breui temporis spatio euenit, vt cum summo mane Michael Senior, in philosophicis speculationibus vigilaret ex inopinato strepitum velociter currentis equi, eiusdemquè ad ostium domus cursum sistẽtis audiret, vocemquè simul Marsilij clamantis: ò Michael, ò Michael, vera, vera sunt illa. Ad vocem amici Michael admiratus assurgens, fenestramquè aperiens, quem audierat, vidit post terga ad cursum iterum acto equo candido candidatum, prosequutus eum oculis, voce Marsilium inuocans, prosequutus est oculis, sed ab eis euanuit. Sic ipse noui casus stupore affectus, quid de Marsilio Ficino esset, sollicitus perquirendum curauit (degebat ille Florentiæ, vbi diem clausit extremum) inuenitquè eumdem illa ipsa hora defunctum, qua eo modo auditus, & visus est sibi.*

Mortis larua est ad virtutes stimulus.

Baronius an. 411. nu. 46.

Michael Mercatus cũ Marsilio Ficino inter disputãdum de rebus alterius vitæ post mortẽ eueniẽdis paciscitur.

Veritatem rerum alterius vitę ab eo postea apparente illis verbis edocetur: *Vera, vera(inquit) O Michael sunt illa.*

Sibi: Quod tum ipse? Licet enim antiquę probitatis vir esset, innoxiam, et proficuam omnibus vitam hactenus excoluisset (prout decebat verè Philosophum) ex eo tamen tempore vale dicens philosophicis disciplinis, solius Christianæ Philosophiæ cæteris eminentioris propensior cultor effectus, quod reliquum fuit vitę temporis, mundo defunctus, soli vitæ futuræ vixit, specimen edens absolutissimi omnibus numeris Christiani, qui inter Philosophos sui temporis claruerat, nulli secundus. Hæc Baronius, dum pium hominem præmortui socij inter currendum ostensi, sibiquè apparens imagine multum posthac in Dei cultu, ac bonis operibus, quod cunctis pœnitentiæ sectatoribus contigit, profecisse disertis vltrò verbis affirmat.

Rainaldus an. 1281. n. 29.

11. Quis verò præuisa ex morte venientibus fructus proueniat, Anna Rodulphi Romanorum Regis vxor palam cunctis facit, quæ supremum sibi vitæ diem instare prænoscens pijs, ac salubribus morituram se iuuari monitis à Confessariò instanter proposcit; quibus ad certam futurorum bonorum spem mirum in modum erecta, omnem à se pœnitentium more, seculi luxum, ac pompam, ornatumque corporis abdicans, si quod Rodulphus eius maritus alicui damnum intulerat, ità pia mentis sollicitudine pro viro compensandum sategit, vt ipsa quoque de alterius salute æquæ sollicita, cum sibi postmodum decedere contigisset, promptum, expeditumque ad vitam, Deo largiente, aditum obtinere meruerit. Isthæc enim Colmarienses in rem præsentem Annales scriptum referunt. *Accersiuit* (inquit) *consiliarium, Confessoremque sibi, inquiens, mortis periculum sentio mihi breuiter imminere. Rogo igitur vos, quomodo corpus, & animam ad Cœlum, & ad Paradisum Domini dirigatis. Qui dixit: Omnes amicos vestros, omnes diuitias huius seculi, omnemquè gloriam mundi corde vestro, quantum potestis, à vestra memoria repellatis; ac Deo, & hominibus satisfacere promittatis. Quę dixit, libentissimè faciam.* Hęc in præmemoratis Annalibus de pio laudabilis fœminæ exitu narrantur, quæ Basiliensem item ab Augusta, summæ pietatis fęmina Ecclesiam, vt damna, quæ Rodulphus pridem intulerat, iuste compensaret, bonis auctam testantur. Adeo quippe illa sibi de futuro vitę exitu cogitans prospicere curabat, vt Leuiores quasque pœnitentium in morem retractans animi culpas, & condignam pro ijdem Deo vicem rependens, solicite pro ad veniam vltrò impetrandam contenderet.

Anna Rodulphi Romanorum regis vxor magnos ex mortis cogitatione fructus capit.

Chronic. Colmariēse par. 1.

A Confessario vult de opportunis ad ęternitatem comparandam rebus instrui.

Basiliensem Ecclesiam bonis impense cumulat.

Rainaldus an. 1296. n. 36.

12. Pari quoque piæ deuotionis zelo, ac mentis ardore Henricus Ratisponensis Episcopus, Comitis de Rotelle filius, etsi innocentissimis prȩditus moribus, suum Pœnitentiæ operibus præuenire exitum, ac seriò præmunire sategit; Mortis quippe iugiter memor, per multa annorum curricula nil pręter sepulchrum, ac funebrem pompam iugiter meditabatur, adeoquè thecam, in qua post mortem suum recondi corpus volebat, funebribus pannis, vestimentisquè egregiè instructam, apud se iuxtà lectum, in quo iacebat, reponens, continuè aspiciendam, contemplandamquè ob oculos sibi proposuit, necnon sacram altaris pro anniuersariò mortis die oblationem, ceremoniasquè defunctis persolui consuetas, ad quatuordecim annos, dum adhuc viueret, sanusquè degeret, solemni Ecclesiæ ritu peragi, ibiquè, quò magis animo afficeretur, adesse præsens voluit. Quibus ille subsidijs felicè postmodum è vita exitum comparauit. Sed Eberhardum isthæc recensentem audire hic præstat. *Sexto* (inquit) *Kalendas Augusti Henricus Ratisponensis Episcopus, filius Comitis de RoteneKKe moritur: postquam enim in die B. Iacobi Apostoli, quem speciali consueuit, venerari honore, cum multa deuotione missarum solemnia processionaliter celebrasset, & cum Clero, & populo se in mensa refecisset, hora Vesperarum incepit subitò viribus corporis destitui, & sic in diè altera expirauit Qui mira sagacitatis, & prudentię extitit: in tantum etiam, quod anniuersarium suum viuus, & sanus, plusquam ad quatuordecim annos ante mortem suam instituit, & eiusdem celebrationem cum candelarum accensione, & pulsatione, qua consueuit fieri in fùnere Episcopi, vigilys, & Missis, annis singulis interfuit. Sepulchrum similiter sibi longè ante ad XII. annos fabricauit, & prouidit iuxtà Altare B. Virginis in maiori, veteri tamen Ecclesia Ratisponensi. Tuccam etiam, in qua sepeliri debuit, cum vestibus funeralibus ibidem*

Henricus Ratisponensis Episcopus quantumuis innocens pęnitentiæ operibus exitum vitæ præuenit.

Mors ipsi, & magis, quà vita, ac mensa familiaris.

Eberhardus apud Can antiq. lect. 1. pag. 331.

In die S. Iacobi Apostoli mensę accumbit & sequenti die lectus ad cęli nuptias transit.

Quatuor decim annos viuenti funebria sacra peragi voluit.

ibidem impositis in memoriam continuam mortis suę per eosdem annos habuit locatam à latere lecti sui. Item in spiritualibus mirabiliter prouidus extitit, non solum vetera statuta seruando, immò & multa noua salubriter condendo. Musicam primus in Choro Ratisponæ cantari ordinauit, libros eiusdem artis secundùm cantum, & chori consuetudinem prouidendo. Ecclesiam Ratisponensem etiam multis pretiosis decorauit ornamentis, crucibus, calicibus aureis, & argenteis, gemmis pretiosis, mitris, cappis, casulis, dalmaticis, vexillis, cortinis, libris, & alÿs, quibus fuit ante sua tempora quodammodo omnimodis destituta. Hæc ille. Quibus planè dignissimus Præsul expeditum sibi ad æternitatem iter pandens, mortisque iugiter memor sanctissimè vixit, ac bonis demum apud Deum operibus diues, ad præmiorum immortalitatem transijt.

Sepulchrum ante annos XII. sibi parat.

13. Mulieres quoque pari Christianæ tum pietatis, tum Pœnitentiæ studio viros laudatissimos sunt æmulatæ. Nam, vt de cęteris taceam, Margarita Cortonensis post vitam væsanos inter amores turpiter exactam, omniquè luxuriç cęno sordidatam animæ tunicam, Deo tandem aspirante, ad bonam frugem traducta, factiquè pęnitens lacrymis culpas diluit, bonisquè iugiter operibus, quæ pridem per scelus patrarat, compensare aggressa, adeò sanctè vitam instituit, vt miris à Deo signis clara supremum vitæ diem, pœnitentibus fęminis viuum se ipsam præbens exemplum, feliciter clauserit. Porrò mulier, quæ impuris quondam amoribus turpissimè diffluebat, nouo planè, ac inusitato Dei miserentis portento, ex ipsomet propemodũ vitiorum tumulo repentè ad mortis reuixit imaginem; Tristi quippe, funestoquè amasij, qui inter demortuorum ossa iam computruerat, aspectu, vt sic intolerandũ animi morbum, ac luxuriç, fętorem sentiret, admonita, omnem posthac carnis auersari spurcitiam, ac vel sero turpes, infamesque odisse libidinum fęces edidicit; vt Ferrarius his verbis tradit. *Margarita* (inquit) *Lauiani agri Perusini pago nata, carnis illecebris dedita, nobili cuidam seruiens adhæsit. Cum is domo secedens, catellam secum duxisset, illa sola domũ post aliquot dies rediens, ac gemens, Margaritam veste apprehensa extra domum, pertrahere conabatur. Quæ admirans catellam sequitur, donec ad quandam lignorum congeriem, catella subsistit, ligna respiciens, & attingens, quasi dominam, vt amoueret, monens. Margarita itaque cum aliquot ligna amouisset, dominum suum, iamquè vermibus scatentem videns, quo spectaculo adeò commota est, vt anteactæ vitæ pœnitens, domum paternam repetierit. Sed à patre nouercæ persuasione, domo eiecta, ad orationem, qua se Deo commendabat, confugiens, interiùs, vt Cortonam ad Fratres Minores se conferat, admonetur. Eò profecta, vitam aggreditur valdè asperam, assiduis vigilÿs, ieiunÿs, orationibus, ciliciò in duta humi cubans, & lacrymas sæpissime profundens. Cum aliquandiu ità degens, veræ pœnitentiæ signa non dubia dedisset, à Fratribus Minoribus habitum, quem Tertianorum vocant, diù expetitum obtinuit. Cumquè in eorumdem Ecclesia ante Crucifixi imaginem feruentiùs oraret, Dominum Iesum Christum illam: quid vis misera? allocutum, eamquè: nil aliud pręter te Domine, respondisse ferunt. Solitudinis amãs, flere, orare, ieiunare, meditari, quæ ad corporalem consolationem facerent, fugere, delicias suas esse putabat.* Hæc prælaudatus Auctor, dum mulierem sua vberrimè plorantem scelera, eademquè incredibili posthac austeritate compensantem, in suis historiarum paginis luculenter expressit: Adeò vt mulier, quæ peccando pridem Deo immanè displicuerat, Pœnitentiæ postmodum suffulta præsidijs, impensiùs ipsi placuerit, post impuros videlicet amores, blandos, illibatosque Christi Domini amplexus promerita: vtpote quæ Magdalenæ primum vestigijs peccando inhærens, se ipsam enormiter Deum exasperando læserat, eius quoque saluberrimum pœnitendo exemplum dignissimè postmodum sit æmulata. Quamobrem huic non secus, ac alteri Saluatoris aptè verba occinunt: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.*

Mulieres item mortis memoria sibi, ac Deo reuiuiscunt.

Rainaldus an 1297. nu. 69.

Margarita Cortonẽsis, perierat, nisi mors inter amores obiecta presto fuisset.

Ferrarius in SS. Italiæ Cathalogo die 22. Febr. Vuadingbus Annalib. Minor. tom. 2. ann. 1297. n. 22.

Amasij cadauer terræ sub lignorũ fasce infossũ, ipsã ad vitã reuocat.

Catella fœminam ad fœtidum cadauer adducit.

Blanditias carnis exuẽs pœnitentiæ se totam vouet.

Crucifixi ex ore ipsius verba audit: Quid vis misera.

Flere, orare ieiunare, meditari ipsius inter pęnitendum delicię.

Magdalenæ vestigijs inhærens.

Lucæ cap. 9.

14. Porrò mulier, quæ se ipsam iugiter flendo, cunctas animi maculas diluit, atque ad tutam naufraga pęnitentiæ tabulam confugiens, ipsam à Deo pro mercede morum innocentiam retulit, demum vero suauiter in Domino obdormiens, condignum vitæ iugibus lacry-

Ferrarius vbi supra in catbal.

cry-

crymis finem sortita est, vt idem Auctor his verbis prosequitur: *Cum terminus*(inquit) *vitæ, qui ei à Christo Domino prænunciatus fuerat, instaret, anno Domini M. CC. X. C. VII. hoc est vigesimo ab eius conuersione, VIII. Kalendas Martij, felicissimè ad quem dilexit, euolauit. Corpus eius in Ecclesia Minorum integrum adhuc asseruatur. Multis autem post mortem miraculis claruit: Mortuos enim inter alia decem ad vitam reuocasse, visum cœcis sex, loquelam tribus reddidisse, contractos quinque, Dæmoniacos quatuor curasse fertur.* Hæc ille. His autem Vuadinghus inter scriptores laudatissimus in suis Minoritanorum Fratrum Annalibus insignia quædam miracula subtexit, quibus mulier post arreptum, erectumque Pœnitentiæ vexillum illustris à Deo in terris fieri meruit. Et congruè vni huic, quæ Deum impensè adeò dilexerat, multiplicibus editis portentorum signis, meritorum è cœlo suffragium adfuit. Et hæc satis.

Prænunciatò sibi diuinitus mortis die ad Deū, quem dilexit feliciter abit.

Lucas Vuadinghus in suis annalibus vbi supra n. 38.

Miraculis claret.

15. Quid igitur seria, ac frequens Mortis meditatio, mortalibus de sua nil prorsus morte cogitantibus emolumenti afferat, complurium sane, qui haud aliter ad bonam vitæ frugem post innumeras, inolitasque culpas feliciter traducti sunt, exempla, ipsorumque præferuida subinde in excolendis virtutibus studia cunctis palam ostendunt. Quapropter viri sanctitate præcipui e cœlo edocti, vt prauos Deo homines lucrifacerent, ac cęteros ad virtutes alacrius incitarent, nil Mortis stimulo mortalium auribus, ac dorso efficax magis, atque opportunum, sunt aliquando experti. Adeoque, vt quis sibi, ac peccatis moriendo totus Deo viuat, non secus, ac quotidie moriturus viuat oportet, ac sepulchrum vti domum, ac gratum sibi diuersorium aspiciat, quod Theodosius Cœnobiarcha sanctissimus suos factis olim docuit, de quo isthæc Metaphrastes: *Cumque autem sciret* (inquit) *ille magnus ijs, qui ex Deo viuere elegerunt, nihil æque conducere ad parandam virtutem, & ad partam conseruandam, ac mortis memoriam, quæ etiam vera philosophia, & dicitur, & creditur: quid facit? Sepulchrum iam constituere his suis iubet discipulis, simul quidem, vt eius esset monumentum finis, sicut etiam vocatur, & sic eos magis excitaret ad decertandum, & diligentius stimularet ad virtutem, & simul etiam & mortuos acciperet: quin etiam ille ex futuris aliquid prævidens & præsagiens, iam enim hæc charismata, & gradus attigerat, in luce gratiæ lucem videns. &c.* Hæc ille. Itaque vir Dei tanquam validiori ad bene currendum stimulo, Mortis memoria, suosque ad Pœnitentiæ, & austerioris vitę cultum prouocans, sepulchri recens extructi aspectu, ac Mortis ad viuum proposita viuentibus imagine, non parum in eorum cordibus sic exhortando profecit, sed quæ exhortantis verba, consequuta sunt facta, hic breuiter excipiamus.

Metaphrastes in vit. S. Theodosij Cœnobiarchæ t. 1. apud Surium die XI. Ianuar. Anno Christi 460.

Mortis memoria tum bonis, tum malis ad profectū vtilis.

16. *Paratum*(inquit) *erat sepulchrum, & adstabat quidem ipse desuper: discipuli autem ipsum circumsistebant, ille autem acuto mentis oculo intuens id quod erat, euenturum sic lepide dicit, eos adspectans: Sepulchrum quidem est paratum; Quis nam autem ex vobis est Encænia eius celebraturus? Et ille quidem sic lepida, & urbanæ orationi miscens seria. Solebat enim ipse quoque inter alia tempus nosse, austeritatemque, et tristitiam gratia moderata soluere. Quidam autem Basilius, dignitate quidem sacerdos: propter rerum autem bonarum desiderium, expressos aperte seruans paternos characteres. Et eum qui ipsum genuerat spiritaliter, non minus referentis similitudine virtutis, quam carnales patres ij, qui ex illis nati sunt, et alioqui sciens quæstionem, non frustra propositam à magistro, primus aperiens sermonem erat prompto & alacri animo ad mortem eligendam, tanquam rem non repudiandam, sed valde vtilem, et conductibilem. Protinus ergò genibus flexis cum se humi proiecisset: Benedic mihi* (*inquit*) *Pater; ego autem*(*inquit*)*huius sepulchri primus Ecelebrabo Encænia. Hic ergo petijt, ille vero dedit; Et ipsum quidem habuit sepulchrum. Iubet autem pater omnia ipsi fieri, quæ lex vult fieri mortuis. Tertianas inquam & nouenas, & consequenter etiam quadragenas. Dum autem finem, acciperent quadragenę &c. Basilius neque à febre arreptus, nec capitis dolore vexatus, nec vllum dolorem sentiens in vlla parte corporis tanquam molli quodam & suaui somno sopitus excessit ad Dominū præmium virtutis, & quod prompto, & alteri animo illinc transire voluerit &c.* His sic perfectis, mira-

B. Theodosius Cœnobiarcha sepulchrum aperiri, & suos ad inirandum inuitat.

Basilius impauidus sepulchrum intrat, & paulo post feliciter, obit.

Omnino sanus è vita in cęlū morte erectus abit.

Auditus dulciter canere inter monachos post mortẽ inChoro.

miraculum consecutum est miraculum. Quadraginta enim deinceps dies in canticis vespertinis inter sacrum chorum discipulorum hic diuinus quoque stans Basilius & vnà cantans videbatur, & audiebatur à magno Theodosio. Et ex alijs quidem nullus alius neque vocem audiebat, neque illius formam cernebat. Solus autem quidam Aetius vir, qui ipse quoque magistri sequebatur vestigia, & volebat esse discipulus Theodosij: non ex eo solum quod res illius & sciret, & narraret, sed eum etiam imitaretur, ipsum quidem videre non poterat, sed vocem audiebat &c. Hæc in Theodosij Cœnobiarchæ actis, quibus viri Dei suos miro ad virtutem profectu discipulos sub Mortis magisterlo prouexit, adeo vt hi ad mortis aspectum spiritu magis, magisque in dies reuiuiscerent, & vere eũ ipso gauderent, vbi iam patens, ac paratum sibi sepulchrum vti thesaurum aduenissent.

17. Longe autem à Beato istorum consortio, eorumque æmulandis virtutibus mortalium plerique, toto cœlo aberrantes distant, qui vitæ huius voluptatibus diffluentes, non tam mortem cogitant, quam mortis obliuionem sepulchro infodientes diligunt, & quod morituri tandem sint, vt quid infaustum recordari nolunt, adeò vt in his id ipsum, quod olim in diebus Noè, prauarum voluptatum cœno & sæculi gaudijs altius delitantibus consonet. *Erant* (inquit) *in diebus ante diluuium comedentes, & bibentes nubentes, & nuptui tradentes &c. & non cognouerunt, donec venit diluuium, & tulit omnes.* Blandas quippe voluptates, ac vitæ delicias funera merito subsequuta fuere. Quibus profecto haud incongrue (vt hæc obiter inseramus) duo illi olim nil mortis aut parũ memores iungẽdi sunt, qui non nisi nuptiales, vel crebra inter funera blanditias cogitabant, nec mors in consorte haud semel domi, sed sæpe, ac sæpius suos inter thalamos visa suæ ipsos mortalitatis opportune admonuisse potuit, de quibus isthæc Hieronymus: *Rem.* (inquit) *dicturus sum incredibilem, sed multorum testimonijs approbatam. Ante annos plurimos cum in chartis Ecclesiasticis iuuarem Damasum Romanæ Vrbis Episcopum, et Orientis atque Occidentis synòdicis consultationibus responderem, se vidi duo paria inter se vilissimorum è plebe*

Matt. 24. 38

Hieronymus Epist. XI. ad Ageruchiã.

Vir et mulier multoties nubũt, fœmina decedente vir in triumphum ducitur ex Hieronymo

hominum comparata, vnum, qui viginti sepelisset vxores, alteram, quæ vigesimum secundum habuisset maritum, extremo sibi vt ipsi putabant, matrimonio copulatos. Summa omnium expectatio virorum pariter, ac fœminarum post tantas vndes quis quem prius efferret. Vicit Maritus, & totius Vrbis populo confluente coronatus, et palmam tenens, adoreamque per singulos sibi acclamantes vxoris multinubæ feretrum præcedebat; Quid dicemus tali mulieri? Nempe illud, quod Dominus Samaritanæ: Viginti duos habuisti maritos & ille, à quo sepelieris non est tuus etc. Ita plane mulier toties pronuba & de morte vna pariter cum viro nil fere cogitans tandem, & è nuptiali amico thalamo ad sepulchrum, suo relicta consorti victoria iam properans, de se haud morti, sed marito triumphum præbuit. Quam apte, eleganterque historiã suis olim ingeniose ludens carminibus Gilbertus è Societate Iesu sic metrice expressit.

Vir viginti successiue vxores, vxor itẽ viginti habuerat.

Gilbertus Ionïnus Soc. Iesu lib. 2. Endecasyll. n. 28.

Casus metrice & eleganter ab ingenioso describitur.

Vxor strenua bis decem maritos,
Victrix extulit, insuperque binos
Vir sponsus totidem, faces iugales.
Aut vna minus, alterave mutans,
Tæda funerea extulit superstes.
Sacro iungit Hymen vtrumque nodo.
Sit fortis licet ille, strenuusque,
Audax sit illa licet, pertinaxque
Quanquam tot spolijs ouans vterque
Fortunam alterius, suamque sortem
Iam tandem tenet, exitumque ludi,
Et lecti nimium periculosi.
Hæc si more suo facit maritus
Mox recta ad tumulũ viros sequetur;
Hic, ni more suo recedet, illa
Certo funere fæminas sequetur.
At si more suo hic, et illa perget
(Quod certum magis, et magis timendum)
Pro sponsalitijs vterque tædis
Tollet funereas vterque tædas;
Et mors pronuba, vel thoris cruentis
Funestam quatiet Megera pinum.
Illa coniuge dignus hic maritus,
Nec coniux minus hunc dicet Maritum;
Illo dignus, & est vterque lecto
(Et coniux, simul et simul Maritus.

His concinne pluries sponsos simul istos, & coniuges nubendo magis, quam viuendo intentos, ac sibi post breuis vitæ spa-

spatium, inter mortis angustias consulendo omninò improuidos, suo cunctis ingeniosus metro exhibet cõtemplandos. Sed vt iam noster ad sua orationis stylus recurrat.

18. Quamplures profectò sunt, quibus fera quantumuis, serio tamen vsurpata mortis meditatio aditum ad vitæ immortalitatem patefecit, adeò vt vel per obiecta sibi interdum somnia edocti, ad viuendum posthac Deo euigilauerint. Quod sanè Vuilhelmo Bauariæ Duci, vt Niderus narrat, accidisse constat, de quo isthæc: *Annis* (inquit) *istis, quibus præsens Basileense durauit generale Cõcilium, eidem in protectorem loco Cæsareæ Maiestatis datus est illustris Princeps Vuilhelmus Dux Bauariæ, pater pauperum, & tutor omnium religiosorum, cuius quàm laudabilis vita fuerit testantur orphanorum, & viduarum lacrymæ super eodem effusæ mortuo. Hic anno vltimè præterito postquam ad propria de Basilea rediit, prout diligenti inuestigatione à sibi notis facta audiui, quadam nocte somnium habuit, in quo Ceruum elegantissimæ staturæ vidit, in cuius vno cornu campanellas habere, & in alio cereos plures affixos cõspexit. Venator autem quidam multis cùm canibus fugientem insequebatur Ceruum, & euadendi eidem omnes vias præuenit. Quo viso territum animal in Cæmiterium Ecclesiæ Beatæ Virginis, quæ in Ciuitate Montanensi sita est, fugit, & in apertum sepulchrum descendens, per canes captus, & occisus est. Euigilauit his visis Princeps, & de eis satis admirari cępit, quid res ista infausti vel ominis portenderet. Cumquè die sequenti suis ista patefaceret, ipse dixisse fertur, aliis variè somnium interpretantibus: Ego (inquit), ceruus sum, & in breui vitam hanc concludens mortalem, in dicta Ecclesia loco humari eligo; Ęgrotauit deinde statim moriturus, & quanquam quibusdam diebus paucis viueret, tamen sumptis ecclesiasticis Sacramentis, velociter satis vita functus est.* Mortis igitur vnus hic propinquam sibi diem, etsi per somnium instare edoctus, opportunè sibi, suisque rebus ad pia quæque opera manus protendens, futura sollicitus præuidendo prospexit.

Vuilhelmus Bauariæ Dux p som. niū vitæ finem intelligit.

Ioannes Nider in Formicar. lib. 2. c. 4. pag. 116.

Eius insignes virtutum laudes.

Ceruum fugientem nonctu in Cęmeteriū, ac cereis præfulgidū videt.

19. At pręclaro Duci Philippus Castellæ Rex quamuis breui, virtutum meritis clarus adiungitur, qui paucos quidem annos magnam sui spem exhibens, humanarum, in quibus nil stabile, nil solidum adinuenire est, vices rerum apposite mortales cũctos edocuit. Enimuerò cum illi iam proximè in ianuis aliorum quoque sceptrorum tum spes, tum splendor arrideret, peracuta febri correptus, filiis Carolo, & Ferdinando Cęsaribus relictis, sepulchrum tandem pro regia, & pro regnis ditionem mortis adiuit. Vir igitur dum de se magna sub regni initia, & de rebus maiora in dies repromitteret, mox deliciis, ac regni infulis, cita præuentus morte, abscendens, ipsum fere sub vitæ ortu occasum vidit, vel inter mundi lętiora sibi mundum, inter manus exaruisse expertus, vt cogitando compunctus æterna saperet, & suo cunctos exemplo, mortis probe magisterio edoctos salubiter admoneret, de quo isthæc Marinæus: *Erat* (inquit) *Philippus iuuenis, corpore validus, facie pulchra, aspectu iucundo, animo liberali, ingenio claro, & literis adornatus, qui regnauit menses ferè quatuor, & in Vrbe Burgensi aduersa valetudine correptus, paucis diebus è vita decessit die XXV. Septēb. anno prænominato, idest M.CCCCC. VI.* Cui Mariana his planè de breui ipsius principatu verbis adstipulatur: *Ad septimum* (inquit) *Kal. Octobris &c. vitam clausit Philippus Rex, vix regni inchoati primis fructibus delibatis. Aetatis breuitas effecit, ne diu talem Principem præstares, qualem eximia indoles polliceri videbatur. Quid nobilitas profuit? quid ætatis flos? quid eximia totius corporis, oris què dignitas? quid opes, & potentia, quibus cæteros Principes Christianos facilè superauit? quid regia, & splēdidus aulicorum numerus? Cuncta peruertit mors importuna præceps, quæ tantum sibi in rebus humanis sumit; sola virtus non interit, cuius certa merces est.* Breuis itaque Imperii Princeps, vt prouide æterna, altius philosophando conciperet, caducisque contemptis mansura coelo perquireret, momentaneam quidem tum regni, tum vitæ periodum sortitus est: satis futurus alioqui felix, si parum terris, æternum cum Deo regnaret. Cui ipsamet, quę præter ordinem affulsere è cœlo astra, impendentis prænuncia fati extitisse visa sunt; nam, vt Auctor tradit: *Mense* (inquit) *Augusto crinitum astrum extitit octo diebus cauda inflammata, porrectaquè Occasum inter, & Austrum. Post fata creditum est*

Rainaldus an. 1506. nu. 7.

Philippus Castellę rex breui multū ex morte proficit.

Ipsum fere sub ortu occasum vidit.

Marinæus lib. 2.

Mariana lib. 28. c. 23.

Eius sūmatim laudes.

Mariana ubi supra.

Aetatis breuitas, pro merito Principe cũctos, vt spes etat, priuauit.

Mariana ubi supr.

Crinitū sidus in cęlo fulgens occasum ipsius terris indicat.

est huius Principis capiti minari, eiusque obitu magnam rerum mutationem fore, motusquè graues. Sic Princeps Cęlo dignus, & non nisi Cęlo insuper natus, haud obscura è Cęlo mortalis, quam trahebat, vitæ adeoque ad occasum ipsum properæ signa auspicatus proculdubio est?

Rainaldus an. 1519. n. 5. Lipsius lib. 2. 2. monit. & exempl. c. 14. P. Greg. lib. 6. de Rep. c. 3.

20. Prælaudato Castellæ Regi lectissimus Romanorum Imperator iungendus est, qui ex mortis memoria immortalem sibi vitam, ac nominis gloriam peperit. Hæc enim de illo Lipsius tradit: *Maximilianus* (inquit) *Augustus Imperator Austriacus id testamento cauit, vt exanimum corpus suum rudi linteo inuolutum, sine vlla exenteratione, sarcophago, quod quadriennio antè mortem parari curarat, imponeretur, naribus, ore, auribusquè viua calce oppletis. Quid sibi voluit magnus vir? nisi monumentum illud assiduè in oculis habere, quod diceret: Cogita mori: & quod amplius diceret: Quid te dilatas, & extendis? quid multa possides? plura petis? Quem tot prouinciæ, & regna non capiunt, loculus iste capiet. Cur autem & calcem canis illis partibus immisit? An aromata, quibus condiretur? Sed hoc spectauit, vt corpus putredini natum, ea quoque consumente, & exedente materia, citiùs consumeretur, & iret in suam terram. Maximiliane magnus fuisti? & res tua dicunt, tum & hæc circà mortem.* His meritò præcelsus animo Princeps mortis, ac sui item inter supremos regni apices memor, adeo laudum præconijs à viro laudatissimo commendari promeruit. Præclara verò ipsius gesta Cuspinianus, necnon Ioannes Faber certatim funebri oratione extollunt, ac illud pro insigni ipsius elogio, vt Rainaldus refert, conscribunt: *Salubrem mortis cogitationem, vt humana contemneret, versante animo, vt extremo vitæ quinquennio secum quocunque pergeret, etiam in acie sarcophagum circumferret, &c.* Et post multa: *Extrema etiam vnctione liniri flagitauit, astantesquè circum se flentes conspicatus, moriturum hominem, cum mortalis esset, flere vetuit, &c.* Adeò vnus hic mortalibus christianos inter Principes admirandus, de mortis exitu digne, sapienterque, & vt Christianũ Philosophum decet, tum animo, tum merito sublimis cogitabat.

Maximilianus Augustus Imperator viuẽs diem mortis recolit.

Monumẽtũ assiduè ob oculos habet, vti monumentum immortalitatis,

Rainald. an. cit. nu. 1.

Extremo vitæ quinquẽnio sarcophagum sẽper circumfert.

21. Assidua quippè mortis, ac sepulchri, nec obiter vsurpata mentio, quæ semel hominum menti altiùs aliquando insedit, cunctis dignum profectò sæculi rebus, ac gaudijs repudium indicit, ac naufragos demum ad pęnitentiæ sinum, & salutis portum moriendi posthac soluto periculo adducit. In mortis etenim luto pretiosum, & quo cœli regnum emitur, aurum latet, (& vt diuinus apte vir ille virtute diues semel edixit) magnum est ibi sapientiæ adinuenire thesaurum: *Qui expectant* (inquit) *mortem, & non venit, quasi effodientes thesaurum, gaudentquè, cum inuenerint sepulchrum.* Quod sanè præmemoratus Romanorum Princeps Maximilianus (ne tanti viri ingrato silentio perstrictim laudes abuoluamus) acerrimus catholicæ religionis propugnator, & christianarum virtutum infulis magis, quàm sceptro clarus ostendit, qui vel in ipso blandientis sæculi cursu, relictis Carolo V. & Ferdinando Cæsaribus mortali è vita abscessit. Porrò pijssimus vir Lateranensi omnimodis Concilio inhærens, & tum armis in Turcas, tum consilio iugiter Intentus, dum ad Leonem X. huius nominis scriberet, se Pontificem ipsum, & Cardinales in Turcas properantes libentissime sociaturum, mortisquè pro Christo obeundæ percupidum, disertis vltro verbis fatetur. Quin Germanos sacrum Turcis bellum inferre detrectantes, ne occasioni, quæ tunc se offerret, per ignauiam desint, seriò admonens, sacram Crucis signatorum, bellatorumque Christi militiam alacriter promouere non destitit: Nec his Princeps cœlo dignus cõtentus, innatæ illud pietati adiecit, vt decem xenodochia pauperum obsequio extrueret; ipsoquè postmodum, qui adeo resistebat, morte sublato, perditus Lutheri furor ad nocendum alioqui, oppugnãdumque ferox magis, magisque euasit, vt Vlembergius sic narrat, dum eius obitum meminit: *Anno* (inquit) *MDXIX. ineunte, Maximilianus Imperator in Austria supremum vitæ diem clausit. Princeps armis, pietate, prudentia maximè insignis, alijs virtutum ornamentis clarus, cuius morte Lutherus insolentior factus, maioris, in dies audaciæ non obscura signa dedit: quanquam enim iam anteà quoque multa proteruè dixerat in Pontificem, aliosquè, qui conatibus ipsius obsistebant, tamen deinceps velut excusso freno, maiorem sibi ferociam indulsit*

Mortis meditatio, cunctis formã ac repudiũ indicit.

Iob. c. 3. n. 21.

Virtutũ magis cultu, quam imperij infulis clarus.

Rainald. an. 1519. nu. 1.

Xenodochiã decem pauperum obsequio construxit.

Vlembergius in vit. & gestis Lutheri cap. 3.

Lutherus sub ipsius principatu furendo cõpressus.

dulsit, & conuicijs, ac criminationibus intemperantiùs aduersarios impetiuit; cuiuscunque demum conditionis essent, queadmodum eius scripta post hunc diem edita testantur. Hæc ille. Meritò igitur Principis huius, eximij instar catholicæ fidei propugnatoris obitus acerbum Catholicis omnibus luctum indixit, adeoquè Romana in primis Ecclesia tristem, funestamquè diem, ac si fatalem suis non nisi amarissimis vltrò lacrymis est prosequuta.

Eximij Catolicæ fidei propugnatoris mors merito cunctis luctum indicit.

22. Verùm Augustissimus Princeps, haud vlli religionis studio secūdus, quam piel prompteque se ad mortem, & quo deuoti animi sensu comparauerit, dignis proculdubio prælaudati Scriptores, res ab eo præclarè gestas prosequuti laudibus celebrant; Quippe qui ipsum Christianis Occidentalibus vnà cum Romana Ecclesia iungēdis acriter institisse, Schismatibusquè abolendis apprimè intentum, Dei ipsiusque Ecclesiæ præcepta totis iugiter animi neruis sectatum affirmant, blasphemis item infensum adeò extitisse, vt ex his nullum quantumuis sibi charum tutò apud se agere aliquandò permitteret ieiunia insuper sacro Ecclesię ritu inducta piè exacteque seruans; populi tamen, qui in Germania, & tota Septentrionali insuper plaga, necessarijs plerumque distituitur, misertus supplex à Leone X. poposcit, vt Quadragesimam in plures anni partes, quò impudentium, (vt Rainaldus ait) animarum saluti consultum foret, ieiunij abstinentiam partiri dignaretur, sed votis subinde, iustisquè de causis frustratus, seueram in eos, qui vino intemperāter nimis vterentur, legem tulit. Pauperes verò adeò curæ ipsi fuere, vt moriens suis eos sumptibus, publicis ad hoc extructis domibus curandos voluerit, censu item attributo prædictas stabiliri domos iusserit: Missæ autem quotidiè sacrificio deuotissimè intererat; ac saluberrimam mortis, quò fluxa cuncta, quæ sæculi sunt, generosè contemneret, cogitationem, ac memoriam sic suo iugiter corde versabat, vt extremo vitæ quinquennio secum, quocunque pergeret, ipsum vel in acie inter arma sarcophagum, triūphalis instar sarcinæ, de se ipso triumphaturus circumferret. Sed ipsius Cuspiniani verba tanto digna Principe, meritorumquè ipsius elogia hìc excipiamus.

Rainaldus vbi sup. n. 21.

Ecclesię prę ceptis rite seruandis intentus.

Rainaldus vbi supra.

Quinque ante obitum annis mortis memoria in primis delectatur.

23. *Anno quinto* (inquit) *priusquàm diem obierit vltimum, quantumuis in magnis versaretur, & imperij, & regnorum negotijs, essentquè sibi tum Gallus, tum Veneti, quàm molestissimi, sarcophagum cum omni ea supellectili, quæ mortuo ad sepeliendum foret necessaria pro se quàm diligentissimè ordinauit; eo enim tempore in Ispruch regio Oppido Tirolis cum palatium amplissimum, ac planè Cęsare dignum fabricaret, nescioquè quid erroris artifices cōmisissent, ad Matthæum (quem seniorem appellant) qui primus esset inter eos, qui cubiculo præsunt secretiùs in aurem susurrans dixit: Nihil hic faciunt, quod gratum sit; ego verò domum mihi construam, quæ placeant, eaquè die sarcophagum cum ea, qua diximus supellectili, fieri iussit, & clangulò quidem, ne ad hominum ostentationem id fecisse videretur, secretissimè apud se quinque illis annis, vbicunque locorum esset, etiam dum Mediolanum contrà Gallos proficisceretur, quàm diligentissimè singulis noctibus semper conseruauit, & reponi iussit. Arbitrabantur quidem homines, etiam quibus rerum magnarū demandata esset cura, thesaurum aliquem illic detineri, & conseruari: Alij nonnihil librorum, quibus historiæ veteres continerentur: Alij aliud magnum quidpiam eo deferri. Cęsar verò sibi in quem secum deferret vsum, vt semper hilaris erat, subridendo, in rei cuiusdam sibi omnium charissimæ vsum id secum deferri dicebat.* Haud aliter optimus Princeps proximum vitæ finem intento animo recolens, ne improuidus in mortem incideret, dignum sibi ad vitam quotidie moriens aditum patefecit, mortemquè assiduè cogitando valide ad exitum præmunitus, cum augeri morbum persentiret, sacra semel, atque iterum exhomologesi animum expiandū curans viuificum Dominici corporis pro viatico pabulum, miro deuotionis affectu sacerdotis manu suscepit adeò vt vel solo adstantibus lacrymas aspectu suaderet. Sacro autem subinde Oleo inunctus, cunctos qui astabant, flentesque videns, magnanimus vir moriturum hominem, cum & ipse aliorum instar mortalis esset, mortales flere, eiusmodi lacrymas dedignatus prohibuit; Sed aptè Ioannes Faber isthæc in rem præsentem: *Dum* (inquit) *ex Clero multi sibi adstarent, signo admonuit, ne circa se starent, sed sederent potiùs, nam &*

Cuspinianus in Maximiliani gestis.

Quid de ipso dignum, vti portentum Cuspinianus narret.

Amplum in Ispruch palatium, sibi vero sarcophagum, & clanculum construendū parandumq vult,

Arcam, sarcophagi sibi vice futurā circumfert, & quam nō nisi Thesauro custodiēdo destinatam, homines putant,

Moriturus pecc. totum exhomologesi conscientiā expiat, & se viatico munit,

dum viueret, semper sibi consuetudo erat, vt nullū ex Sacerdotibus coram se stare, sed semper præ modestia sibi assidere fecerit. Deuotione verò tanta mortuus est, vt à nemine facilè vnquam exprimi posse crediderim. Pudicitiæ talis, ac tam ingenuæ, vt & in hora mortis, vltimiquè agonis illius non fuerit oblitus, panneolo, quem tum fortè moriens gestaret pudenda (ne à quoquam se mortuo videri posset) obtexit. Deo, Matri genitrici, sanctisquè suis patronis, S. Georgio, ac diuo Andreæ frequentissimè, ac deuotissimè plurimum sese moriens commendauit. Mortuus est infrà tertiam, & quartam horas die XII. mensis Ianuarij anno salutis M. DXIX, posteaquam vixisset annos LIX. menses nouem, dies verò XIX. regnassetquè annis XXXXIII. Hæc ille in istius Romanorum Principis ad immortalitatem feliciter euocati laudem, qui cum adeò pœnitentię, ac morti insuper recolendæ addictus viuens adhuc fuisset, carne tandem solutus ad immortalem procul dubio vitam peruenit.

Quā pius, & sacerdotibus obsequens.

Ipsius virtutes laudibus dignæ.

24. Atqui Maximiliano Imperatorum alter augustissimus, nec impar virtute, ac meritis accedit, Carolus videlicet IV. Romanorum princeps, qui Vrbano VI. Romano Pontifici, & si schismate aduersus eum à Cardinalibus excitato, immobilis tamen semper ipse inhæsit, ac magno tandem Ecclesiæ detrimento è vita decessit. In eo autem suas hic non parū laudes visus est labefactas se, quod Vuenceslaum filium coemptis Electorum suffragijs, ad Imperij culmen prouexit. In hoc tamen haud vulgare virtutum cunctis specimen dedit, quod mortis iugiter memor superbienti Vuenceslao, ac alijs item filijs egregia moriturus, ac de se piè, ac humiliter sentiens, salutis monita exhibuit. His autem paucis eiusdem obitum Albertus Argentinensis in suo Chronico verbis consignat: *Anno* (inquit) *Domini MCCCXLVIII. obijt Carolus IV. Romanorum Imperator, et Rex Boemiæ in Vigilia S. Andreę.* Hunc verò, qui etsi piè ad mortem, & hanc perpetuò cogitans se comparasse videtur, summis quoque Aeneas Syluius eumdem laudibus prosequutus, hac tamen nota iustè percellit. Quod socordi nimirum filio, nec merenti non nisi malis Imperium artibus pepererit: *Nomini suo* (inquit) *non paruam inussit maculam, quod Vuenceslaum ex filijs natu maiorem in Imperio sibi successorem adhuc viuens ordinare conatus est; idq; pecunia; Nam cum Principes electores haud facilè ad eam rem trahi possent, quod virtute obtinere non potuit, pretio comparauit, promissis cuique Electori centum millibus aureis, quos cum repræsentare non posset, publica illis Romanę Reipublicæ vectigalia obligauit, perpetuum Imperij malum, etc.* Quibus consona Dubrauius, & Ioannes Coclæus tradunt; qui præclara Caroli è vita abeuntis monita filijs tandem exhibita, ac pium in se ipso deprimendo, ac Dei (vt par est) cultu, ac metu filijs iugiter inculcando, studium his apte verbis suggerit.

Carolus IV. Romanorū Imperator obque laude dignus.

Rainaldus an. 1378. n. 17. 18.

Albertus Argentinensis in Chronico.

Vti in multis laudem, sic in aliquibus notam meruit.

Aeneas Syluius in Carolo.

25. *Reliquit post se* (inquit) *rerum à se gestarum historiam, quam sua manu conscripsisse fertur, cuius hoc initium est. Quicumque regnabitis post me, Decorati diademate Regum, mementote, quod et ego rexi ante vos, et in puluerem redactus sum, et in lutum vermium similiter vos cadetis transeuntes vt vmbra, et veluti flos agri. Quid valet nobilitas generis, aut rerum affluentia, nisi adsit pura conscientia cum fide recta, et spe sancta resurrectionis? Non aestimetis vitam vestram, sicut impij non rectè cogitantes, cum exiguum sit, quod estis, quia à Deo creati, et ex nihilo nati sitis, et post hac ad nihilum redigemini, tanquam non fuissetis. Scitote, vos habere Patrem æternum, et filium eius Dominum nostrum Iesum Christum, qui primogenitus est in multis fratribus, qui vos vult fieri participes regni sui, si mandata eius seruaueritis, et non inquinaueritis mentes, conscientias, et voluntates peccatis carnis vestrę, efficiemini filij Dei, prout Ioannes in Euangelio dicit: Dedit eis potestatem filios Dei fieri Si ergò vultis effici filij Dei, mandata Patris vestri seruate, quæ annunciauit vobis per filium suum Dominum nostrum Iesum Christum Regem cælestem, cuius typum, et vices geritis in terris; mandatum verò maius est, diligere Dominum Deum ex toto corde, et ex tota anima, et proximum sicut se ipsum; si si ea dilectione Deum diligetis, pro ipso ponere animas vestras non formidabitis, et non timebitis eos, qui corpus quidem possunt interficere animam verò perdere non valent; Sed timebitis Patrem, qui potens est saluare, ac mittere in gehennam, etc.* Hæc alia-

Moriturus optima suis virtutum documenta reliquit.

Dubrauius hist. Boem. lib. 22.

Coclæus hist. Hussit. lib. 1.

Vitæ breuitatem, ac instabilitatem in primis inculcat.

Isaia c. 1.

Dei amorē, ac proximorum ipsi in regno sufficiendis commendat.

aliaquè Carolus in suis enarrandis gestis præfatus, ingenti plane demissi animi documento vanam, futilemquè omninò hãc vna cum suis pompis vitam appellat, & si Vuenceslaus pia, recolendaque patris ad virtutẽ hortamenta, (ipsi, vt Rainaldus ait) in extremo vitæ actu à Carolo exhibita nil prorsus operi demandare curauerit, quæ nos hic vel obiter meminisse voluimus, cum paterni ergà dilectos sibi filios amoris, necnon piæ ipsius vna simul ergà suorum pignorum curam sollicitudinis sint testatissima cunctis argumenta; Hæc vero haud otiosum hic interim, & à proposito alienum enatrasse, quin immo nostris isthęc inserere paginis, cunctorum, & virorum maximè principum documento, atque vtilitati futura operæ pretium duximus.

Se pene mũdo, ante quã moriatur, mortuum præfesert.

26. Magnam itaque ad exterrendos, abstrahendosquè ab inanibus sæculi curis, ac voluptatibus homines, comprimendoquè sæculi fastui feria mortis meditatio vim habet, vt suo in primis Carolus Romanorum Imperaror exemplo comprobauit; de quo Iustus Lipsius hæc pro ipsius elogio tradit: *Carolus V. Imperator Romanorum, memor conditionis suæ humanæ, diù ante mortem administratione Reipublicæ se spontè submouit: et cum in filium iam validum aui, et animi curas contulisset, secessit in Hispaniam, et in Diui Iusti Monasterio septem à Placentia milliaribus se abdidit, cum duodecim duxtaxat familiaribus, Deo, et quieti vacaturus; interdixit autem aliter se, quam Carolum appellari, Cęsaris, atque Augusti illa nomina cum rebus animo exuens, et totum hòc honorari contemnens.*

Carolus. V. austriacus, Romanorũ Imperator vitæ finem cogitans, vitæ, ac sæculi contemptũ edîscit.

Iustus Lipsius lib. 2. Monit. & exempl. cap. 14.

P. Gregor: lib. de rep. c. 3.

27. Sed quid de mira Caroli Romanorum se Imperio abdicantis pietate, ac omni ob id vnum digno principe, historicarum rerum compilator narret audiamus. *Hoc* (inquit) *anno Carolus V. Imperator qui Solimanũ tantarũ virium fastu tumorem aliquoties profligarat, qui Acridenum Barbarussam acie deuictum, ac Tunetano Regno exutum Africa depulerat, qui imperium superiorum Imperatorum ignauia labefactatum, ac plane perditum restituerat, qui coniurantem Germaniam retuderat, qui regem Franciscum, et Clementem pontificem in potestate habuerat, qui in orbe nouo vrbibus, et templis ędificatis multa præclara in Dei, et Ecclesiæ decus gesserat. Qui denique vno dempto Carolo magno omnes Occidentales Imperatores pace belloque superauerat, religione tactus, quam sanctissime semper coluit, et aduersus hæreticos propugnauerat tædio rerum humanarum affectus, propter cælestium, et ęternorum desiderium primus post conditum Germanicum Imperium (Lotharius enim Francus erat) maiestate Impery fratri Ferdinando abdicata, reliquis Regnis atque ditionibus vnico filio Philippo traditis ad vitam religiosam se contulit, et in sacram solitudinem secessit, vbi postea anno 1558. die 21. Septembris mortuus est.* Sic laudatissimus princeps mortis stimulo ad sæculi pompam, & imperij maiestatem exuendã permotus, vt sibi duntaxat viueret, alijs viuere recusauit, & quo Deo totus vacaret, cũctis supremi imperij curis nuncium remisit, illud Apostoli verbum serio reuoluens: *Mihi viuere Christus est, & mori lucrum.*

'Seculo se abdicans, diuinisque rebus intentus se haud Cæsarem, sed Carolum vult appellãdum.

Qui seipsũ ac fastũ vincit, magis victor.

Carolus Occidentales Imperatores post se reliquit.

Imperio exutus in sacra solitudine Deo ac sibi viuit.

Ad Philip 1. c. 21.

28. Carolus igitur præcelso animo temporalia cuncta despiciens, ac miro pietatis studio, & quæ futura sunt compdeuota plexus mente, vt pro anima sollicitus, ac mortis iugiter memor sibi post mortem consuleret, sacra ipsa funebria solemniter sibi adhuc viuenti præter cõmunem omnium morem anniuersaria fieri voluit. Quæ sanè quam grata mortis memoria accideret, palam cunctis proculdubio ostendit adeoque Famianus strada in sua Belgica historia hæc habet: *Exequiarum occasione* (inquit) *quas matri anniuersarias persoluerat, noua incessit animum cupido si liceret, et suas celebrandi, reque communicata cum Ioanne regulae Hieronymiana familia, qui eius conscientiã moderabatur; Cum is insolitum quidem illud, pium tamen, ac salutare dixisset apparari funus sibi quàm primum iussit. Ergo excitatur in templo tumuli moles, funalibus illuminatur, atrati circumstant famuli, mortuale sacrum moesto Monachorum cantu peragitur. Ipse funeri superstes suo spectabat in illo imaginario munere veras suorum lacrymas, audiebat exequiale carmen, placidam sibi requiem beatus inter sedes implorantum, eademque ipse sibi suffragia psallentibus immistus exposcebat. Donec sacrificanti proprior factus, eique tradens, quam gestabat accensam facem sublatis in*

Carolus funebre sacrũ pro se adhuc viuens vti pro mortuo fieri mãdat.

Famianus strada e Societat. Iesu lib. 1. de Bello Belgico Deucad. 1. pag. 9

Præsens suo funeri Carolus adstã vicinam mortem auspicatur.

cælum oculis: Ego te (inquit) vitæ, ac mortis Arbiter, oro, quæsoque vt queadmodum hunc oblatum à me cereum sacerdos capit, sic commendatam in manus tuas hanc animam tu, quandocumque libuerit tibi, in sinum, complexusque tuos benigne suscipias Tunc *vt erat pulla fluxaque opertus veste humi procubuit, renouatisque omnium qui aderant, lacrymis, quasi depositus suprema lamentatione comploratus est. Atque hoc videlicet rudimento Carolus vicinæ iam morti præludebat.* Hęc de Caroli Augusti ad mortis aspectum, ac memoriam vt mortalitatem aliquando exueret, gestientis regali non tam funere, quam festiua ad funus pompa & apparatu, Famianus.

Petrus Vellius apud Indos S. Francisco Xauerio familiaris mortis cogitatione proficit.

28. Nec vero silendum hic est quod Petro Vellio, qui apud Indos intima S. Francisci Xauerij, Indiarū Apostoli consuetudine vtebatur, supremū vitæ diē cogitanti aliquando accidit Tantum enim illi feria eiusmodi meditatio profuit vt sibi viuenti pia demortuorū officia persolui cuperet cunctisq; in pauperes, quas possideret, diuitijs elargitis pauper mori, cupiēs, nō nisi eleemosynis diues in cœlū abierit, de quo isthæc olim Tursellinus: *Hic* (inquit) *post aliquot annos de instante decessu præmonitus colligere sarcinulas cœpit. Igitur compositis rebus domesticis reque familiari magna ex parte in pauperes diuisa adhuc valens, vigensque ad vltimum illud discrimen comparare se. Aderat iam supremus vitæ dies, cum ille ad sacram profectus aedem, Parochum perpulit, vt pro Petre Vellio piaculare sacrum quod à Defunctis nomen habet) solemni ritu faceret: cui ipse interfuit, se iam numerans in mortuis, Inde singulos amicorum conuenit: eosque valere iubet, peregre abiturus. Sciscitantibus quo tandem iter intenderet respondit: In cælum.* Hæc scriptor, quibus profecto docet, quod pia, ac sollicita Mortis cogitatio non nisi in Christi regnum ac vitæ finum suos præmittere consueuit.

Tursell in vit. S. Francisci Xauerij lib. 5. cap. 3. pag. 197.

Piaculare sacrum sibi viuenti peragi vult.

29. Quod sane mortalium documēto suoque satis exemplo Albertus magnus, scientijs omnibus apprime excultus, sed mortis cultu, ac obsequio dignissime cunctis mirandus, de quo isthæc gestorum ipsius Compilator: *Ille* (inquit) *contra hilari vultu, ac læto animo diem sui excessus expectans, & cum Apostolo cupiens dissolui, & esse cum Christo, abiecta iam prorsus omni cura legendi, atque scribendi, soli Deo vacabat, & quotidie locum sepulturæ suæ inuisens horarium pro se ibidem celebrabat defunctorum officium: Sic tanquam in horas paratus ad exitum diem obitus sui præstolabatur.* Ità plane ad æternitatem properanti omnis huius vitæ mora mors est; dissolui enim cum Apostolo cupit, vt possit esse cum Christo.

Ant. Flamin. in vit. Alberti magni cap. 3.

Albertus magnus in scientijs conspicuus.

Quotidie sepulchri locū aspicit & ibi præces effūdit.

30. Huic pari in mortis obsequium studio, nec minori æternitatis desiderio conspicuus, iungendus est Henricus secundus, Comes de RoteneckK Comitis Rheinhardi de RoteneckK filius; Archidiaconus, & Ratisponensis item Canonicus, qui tandem anno salutis 1277, eiusdem Ecclesiæ Episcopus Rodulpho Romanorum rege imperante mirà de se cunctis virtutum exempla præbuit, sed mortalis præsertim vitæ contemptu, & cœlestium item bonorum, ad quæ iugiter aspirabat, desiderio præfulsit de quo rerum Metropolis Salisburgensis scriptor hęc habet: *Henricus* (inquit) *anniuersarium obitus sui diem, quatuordecim annis antequam moreretur, instituit, vt eiusdem celebritati cum candelarum accensione, & campanarum pulsu, quot annis factę præsens interfuit, & induuias sepulchrales in memoriam mortis præparatas semper ad lecti æterni sui latus ad manus habuit.* Terrenis quippe vinculis vir cœlo dignus absolui iugiter cupiens, ipsius mortis exuuias, lætis res sibi gratissimas oculis respiciebat.

Lætus, ac pie moritur.

Henricus Episcopus Salisburgēs mortis memoriam sem per habet.

Quatuordecim annis adhuc viuens anniuersariū mortis fieri vult.

30. Post supremos autem Romanorum Principes aliosque itèm dignissimos viros quorum grata nobis hactenus mētio extitit, & immortalis adhuc in Dei Ecclesia laus, & memoria viget, hic iure merito Alexander Oliua de Saxoferrato, Ordinis Fratrum Heremitarum S. Augustini, & S. R. E. Cardinalis recensendus est, qui raro cunctis exemplo conspicuus, suam præsertim austeritatis, & pœnitentiæ operibus vitam, ac simul purpuram amplissimis veluti radijs decorauit. Enim verò sapientissimus vir, cum externa, quæ Cardinalitiam decet purpuram, pompa, humilem quoque & qui religioso par est homine, cultum iungens, miris vndique in Ecclesia virtutibus præfulsit; hæc enim de ipso Ioannes Gobelinus narrat: *Internitebant* (inquit) *con-*

Alexander Oliua S. R. E. Cardinalis iugiter mortis memor.

Vigleius nud in oper. quod de Metropol. Salisburg. tit. de Episc. Ratispon. in Epist. 33. pag. 208.

conuenientibus pannis parietes, ipse assiduo cilicio premebatur. Stabat pro foribus lectus pluma, purpuraquè instratus, ipse nunquam nisi quotidiana in veste dormiuit, habitu illo cucullari ne in morte quidem intermisso: pannis lineis vsus est nunquam: foris fastum, & delicias ostendebat, intus se quotidianis afflictamentis emacerabat. His vtique patiendi cupidus se vltrò præsul admirandus volens, libensquè pęnis, incommodisquè foris cardinalem & purpuram exhibens, intus verò pauperem monachum celans, & vel clandestinis exercitationibus, oculos mortalium fallens, soli tamen Deo se ipsum in abscondito reuelans, summa apud Deum meritorum laude profecit; qui imminentem sibi priùs, quàm lecto decumberet, supremum vitæ finem diuinitus prænoscēs, palam, vt Auctor tradit, suis edixit: *Sepulchrum* (inquit) *erigi clam iusserat in scrinij speciem, ita vt aperiri facilè posset: intus imago inerat depicti Cardinalis mortui iacentis eo habitu, oris, & vestium his lineamentis, quibus ipse erat, inscriptumquè in interiori latere sepulchri: In omnibus operibus tuis memorare nouissima tua, & non delinques in ęternum; id sepulchrum ipsi nesciebamus, scrinium stipatorium rati: pictor eo mortuo confessus est, se iureiurando adactum, ne cui patefaceret. Aperiebat autem, vt postea cognitum est, quoties oraret, ibiquè speculabatur, &c.* Hęc ille.

Purpura homini splendorem, sed mundi contemptus ipsi purpuræ honorem confert.

Rainald. an. 1463: n.110.

Ioannes Gobelinus in eius vita.

Sub purpura cilicium, & sub splendida veste monachum prætulit.

Sepulchrum in scrinij speciem sibi aptat:

A pictore picta mortis imago latens in scrinio, silentio celatur.

32. Quantum verò vir adeo pius, & sacra Dei nutu purpura insignitus mortem assiduè cogitando, mundanarum in primis rerum, ac sui summos inter honores contemptu profecerit, his Auctor verbis exponit. *Priuatas* (inquit) *ceremonias intermisit nunquam, preces horarias non absorbebat, vt facimus pleriquc omnes:* Testor *hoc sacratissimum, in quo sumus, templum singulis diebus sex illum horas solitum consumere in officio exoluendo, adeò verbum seiungebat à verbo, clausulam clausula dirimebat, pondere vocis raro, & aperto; audiebat missas tardiusculè, cum esset liber, nec antequam, qui conuenissent aliquid acturi, audisset omnes. Interrogatus, cur ità faceret, quoniam (inquit) ad opus Dei expeditum accedere oportet, non inuolutum negotijs; pendebat in missa attonitus, collacrymabat, nonnunquam extrà se rapi videbatur. Cum quid esset non rectè curatum à suis. In missa celebranda illud semper asserebat, ea erat obiurgatio: Maledictus homo, qui facit opus Dei negligenter. Testum occurrebat nullum, in quo suos non hortaretur ad quietè, honestequè viuendum: hęc duo petere se à suis aiebat, Concordiam, & honestatem, cætera omnia ex arbitrio permittere; familiarem, quod in ęde sacra fæminam salutasset, domo eiecit. Cum quid audiret commissum à suis flagitij, erumpebat in lacrymas, sequè è conspectu tristissimus eripiebat. Mensa parca, & proxima priuata.* Et infra; *In cęna, & prandijs, aut sacra historia, aut homilia Sanctorū perpetuò in mensa legebantur. Vbi si quid esset scriptum dubiusculè, ipse interpretabatur, cęteris in rebus silentium erat, prandium disputationes quotidianæ excipiebant: de rebus sacris porrò quæstiones duas in horas trahebantur, nunquam minùs, quàm in vnam.* Exacta igitur vitæ norma, & digna morum censura, necnon pretiosi temporis salubriter expendendi cura, religiosum hominem Christiano orbi apprimè illustrem fecere. Cuius fēlix e vita exitus his meritò à Gobelino, sepulchralis instar tituli, notis exornatur.

Ioannes Gobellinus vbi supra.

Pia purpurati hominis studia.

Vacat solicite tum Deo, tum sibi, tum negotijs.

Quæ festi diebus ipse laudabiliter exercuit.

Vitæ ipsius parcitas, & pia studia.

33. *Alexander* (inquit) *Cardinalis S. Susannę non sine summi Pontificis mœrore febre correptus extinguitur, cuius vitæ sanctimonia cum per omnem vitam emicuisset, tum maximè in obitu claruit, quia etsi dies quamplures agonizauit, nunquam tamen intermisit de fide catholica disputare, symbolum exponere, abstrusos scripturarum sensus aperire, dubiaquè resoluere; hortari astantes ad euangelicam vitam, ad cælestis patriæ desiderium erigere, contemnenda esse huius promissa sæculi, quæ velis, nolisquè, relinquere oportet; in ea patria thesaurizandum, cuius gaudia fine carent. Cum rogaretur testamentum facere: Animam* (inquit) *meam Deo relinquo, Pio Pontifici corpus, & hęc, quæ vocantur sæculi bona: ipsi familię curam, & sepulturæ meæ committo. Deindè quasi dormiens expirauit ingens Sacri Collegij decus, in quo fulgor cum doctrinę luce contendit. Potuerant sine damno nonnulli homines perijsse, in hoc graue vulnus accepit Ecclesia.* His planè testatissimis Alexandri pietas laudum prępconijs posterorum memoriæ consignari meruit.

Ioannes Gobellinus vbi supra.

Sanctitas, & si per omnē vitam, sub finem tamen maxime eluxit.

Ita se habet moriens quasi semper cū Deo victurus.

34. Mors igitur, quæ suprema vitæ

linea

linea eſt, ac veluti iuſta culpam à tergo pœna conſequitur, exoptatum quàm pluribus (vt videre eſt) ad vitę immortalitatem aditum pandit. Quod ſanè adoleſcenti olim contigit, qui ad inuiſendũ monachum veniens, defuncti, dum ſepulchro inferretur, monachi aſpectu ad religioſam vitam traductus, feliciter tandem, Deo aſpirante, ſupremum diem clauſit; de quo iſthęc Cęſarius: *Frater Thedoricus* (inquit) *Monachus noſter, cum adhuc adoleſcens eſſet in ſeculo, ſacerdotem quemdam cognatum ſuum iam nouitium viſitare venit. Contigit interim fratrem mortuum ſepeliri, quo ſepulto cum conuentus dicta Antiphona: Clementiſſime Domine circà ſepulchrum hinc inde cum multa humilitate veniam peteret, diceretquè: Domine miſerere ſuper peccatore, ità eſt compunctus, ita ad conuerſionem eſt accenſus, vt qui priùs à Domino Geuardo Abbate admonitus conuerti noluerat, ab illa hora, vt ſuſciperetur, vix multis precibus obtineret. Talem modum ſuæ conuerſionis ſæpe mihi recitauit tempore ſuę probationis; recitauit mihi & frater Bernardus monachus noſter in Velatio Monaſterio ad viſionem ſimilis veniæ primùm voluntatem conuertendi concepiſſe.* Mors namque vel ſemel, obiterque in terris viuentium viſa, ſana quæque, ac ſalubria menti conſilia ingerit, & obluctantes licet, ac rebelles animas in vitæ ſemitam adducit.

Mors pleriſque aditum pandit ad immortalitatem.

Cęſarius lib. exemp. 1 cap. 21. pag. 33.

Iuuenis monachum mortuum cernẽs mori ſęculo ſtatuit.

Sæculo ſe abdicãs monachi habitũ induit.

35. Mortis quippe, ac Iudicij metus, ac memoria homini ad abſtinendũ à peccato fręnum, & quidẽ præ cunctis efficax eſt, vt Baldeſanus de iuuene ad mortis duntaxat aſpectum intime compuncto, & à peccando poſthæc abſterrito ſic tradit: *Nobilis quidam* (inquit) *adoleſcens ex potenti Ciuitate Italiæ cum eſſet immerſus voluptatibus, acceſſit quodam die ad Confeſſarium, qui multa ei propoſuit de pœnitentia agenda. Sed huic adeò noua, & terribilia videbantur, quę à Confeſſario dicebantur, vt multis pęnitentię modis propoſitis, negaret ſe vllum ex ijs poſſe pati. Quid faceret Confeſſarius? hoc ſolùm monet, vt ſaltem quartam horę partem impendat in hac cogitatione: Iacere ſe in lecto brachijs in formam Crucis compoſitis, ad caput cereo, ad pectus Crucifixi imagine, cogitans, quid vellet tunc feciſſe. Paruit adoleſcens, itaut repentè illuſtratus conſpecta peccati grauitate, totus in lacrymis ſolueretur. Poſtridie ad Confeſſarium accedens miro cum dolore peccata ſua defleſt, & iam longè maiores paratus aſſumere pœnas, initium fecit melioris, ac ſanctioris vitæ*, Ità profectò ad mortis conſpectum mortuus pridem Deo reuixit, vt æternum ſibi, ac Deo poſthac viueret.

Marchantius in horto Paſtorum lib. 1. cap. 21. pag. 33. trac. 3. de de remed. tentat p. 310.

Mortis & Iudicij conſideratio peccando frænum.

Nobilis adoleſcens præferocis ingenij mortis obiectu miteſcit.

Pie à Confeſſario edoctus totus immutatur ex Marchantio.

36. Quid verò ad compungendum ſalubriter hominis, cor, & ad efficaciter ſuadendum ſeria mortis contemplatio valeat, prolatis recentis quoque memoriæ exemplis idem Marchantius oſtendit, qui iſthæc addit: *Quædam* (inquit) *Domicella ſæculi vanitatibus erat addicta. Et cum ageret cum ea Confeſſarius ipſius de pœnitentia, & auſteritate aliqua ſubeunda, multiplicemquè pęnitentiæ modum ſuggereret, non lubens illa audiebat, ſed detrectabat. Tandem imponit ei, vt quoties manus ablueret, in ſe ipſa dicat: Caro hæc à vermibus comedetur. Hanc acceperat pęnitentiam, & adeò felici ſucceſſu, vt breui exinde tempore vitam mutaret, & intantum pietati ſeſe addixerit, in quantum antea vanitati. Teſtis eſt Pater Cocton ſemet de Norco.* Hæc ille, quibus iſthæc ſubdit: *Quidam ſimilis adoleſcens totus ſæculo vitijſquè deditus, ad bonam mentem reduci non poterat, & omnem de pietate ſermonem faſtidiebat. Vir quidam religioſus hoc ſolum rogat, vt illud conſuleret: Subter te ſternetur tinea, & operimentum tuum erunt vermes. Id verò ità efficaciter ei inhęſit, vt citiùs, quo ieiunium, aut diuturnum cilicium, animum ad vitę, & morum conuerſionem addere potuerit. Vndè & paulò poſt conſideratione ſeria illius ſententiæ impulſus Ordinem S. Dominici eſt ingreſſus.* Mors igitur prçuiſa, immortalem homini vitam parit.

Mulier delicijs aſsueta à Confeſſario mortis memoriam diſcens, vitam corrigit.

Marchantius vbi ſupra.

Quidam monitus illis prophetę verbis, vitæ errores retractat.

37. Tantum quippe ſeria mortis cogitatio ad noxia quæquè ab animo procul ableganda vel in perditis quandoque hominibus valet, vt præſentiſſimum vitioſis quibuſque ad curandos animi morbos remedium, & maximum ad Chriſtianas virtutes acquirendas incitamentum ſit. Quod S. Philippus Nerius Congregationis Oratorij fundator, tanquam prouidus in ſpiritu pater, & longo iam experimento in prouehendis, exercendiſquè ad virtutem ſuorum animis, & peccatoribus præſertim ad Deum traducendis peritiſſimus, probè ſciens, id

Petrus Iacobus Baccius in vit. S. Philip. Nerij lib. 2. c. 6. n. 3.

vnum

vnum in vsu frequenter habuit, adeoquè perdito cuidam homini, consueta vsus agendi lenitate, mortis duntaxat pro medicamento memoriam iniungens, ipsum Deo tandem feliciter lucratus est; Hæc enim in conscriptis à Baccio Beati viri gestis habentur: *Hac eadem* (inquit) *spiritus lenitate iuuenem quoque perditissimum ad bonam frugem perduxit; id vnum hortatus, vt singulis diebus Antiphona, quæ incipit, Salue Regina, Virginem salutaret; terramquè deosculans, secum diceret: Cras vtique esse mortuus possem. Hoc ille præstito, breui laudabilem vitæ rationem instituit, ac post annos quatuordecim non sine magno salutis indicio mortem obijt.* Mortis igitur memoria, ac metu, qui pridem mortuus fuerat, extemplo reuixit, & animę vitam Deo aspirante absterritus morte lucrifecit.

Baccius vbi supr.

Iuuenē perditū sic Deo lucratur.

37. Sic itaque de futilibus sęculi nugis, blandisque voluptatum illecebris nobile haud semel Mors triumphum agit, adeoquè inter Cupidines, ac Veneres de ipsamet Venere palmam præter cunctorum expectationem refert, vt, quod Nicius tradit, rem cunctis testatissimam facit: *Romæ* (inquit) *iuuenis quidam ex Sodalitate Deiparę Virginis Assumptę in ędibus Patrum Oratorij, adeò in pijs operibus, quę sunt eius Sodalitatis proprię, se exercebat, vt cęterorum ferè studia assiduitate, diligentiaquè anteiret, & à cunctis in exemplum virtutis, probitatisquè suspiceretur, quod cum perpetuus humani generis hostis animo iniquissimo ferret, ac doleret, inter tot peccandi illecebras ętate integra hominem animum integrum, inuiolatumquè seruare, atque in humano corpore vitam imitari Angelorum, dedit operam per flagitiosos homines, vt pręsertim meretricijs amoribus irretitum in sua castra pertraheret. Quamobrem eius impulsu iuuenes aliquot primùm in ea omnes industrię suę neruos contenderunt, vt in meretricis cuiusdam domum secum vnà perducerent. Sed cum id parùm procederet, alia uia castissimum eius propositum sunt conati peruertere. Die quodam conscia etiam muliercula, apud quam in hospitium ille diuerterat, ętate integra, & forma egregia mulierem eius in cubiculo claudunt, atque his præceptis onerant, videlicet, vt aduenientem comiter excipiat, ac blanditijs, & illecebris captum ad nequitiam adducat. Illa satis, superquè ad malitiam instructa, plus ex se datu-*

Mors de sæculo, ac Venere sæpe, sæpius triūphat.

Nicius Erithræus l. exempl. virt. & vitiorū exempl. 34.

Iuuenis acriter à Dæmone tentatur.

Ad carnis illecebras per flagitiosos allicitur.

Per mulierē domi cōclusam ad ruinā, alter velut Adam pertrahitur.

ram pollicetur, quàm illi poscerent. Itaq; insidiarum huiusmodi ignarus, à pijs suis exercitationibus iuuenis rediens, pedem intrò in cubiculum infert, cum meretrix docta dolis insistit. Ille egregio mulieris aspectu ex improuiso percussus, sensit se non minimùm cōmoueri, sed statim animum recipiens, spiritu Dei plenus, arrepto cadaueris humani capite, quod ad meditationem mortis habebat, id illi prodeunti sibi obuiam obiecit, ac mox (inquit) *pessima tua isthæc facies tam cōpta, tam fucata, tam nitida ad istius similitudinem horrorem incutiet. Hoc spectaculo exterrita, planè vehementer exhorruit, ac fusa in lacrymas illius ad pedes accidit, veniam orans; Qua impetrata, longè alia discessit, ac venerat; Nam postridiè flens, ad sacerdotis pedes se obiecit, vt seria, ac diligenti confessione præteritæ vitæ sordes ablueret, ac cum Deo rediret in gratiam, cui deinceps, eiusquè Virgini matri obsequentissima quoad vixit, fuit:* Ità profectò infamis, ac deperditi pudoris mulier à morte, eiusquè simulacro veram sui notitiam, & visu vitam pariter hausit.

Arrepto cadaueris humani capite Diabolo se tentanti caput infringit, & victor remanet.

38. Narratis insuper, & coronidis instar ad rem probè euincendam, ipsius Nicij verba christiano planè Philosopho digna subtexenda hìc sunt, quibus mortis ipsius memoriam seriò recolenti ad cunctas sæculi, & diaboli fraudes cōstanti animo reijciendas præ omnibus efficacem comprobat; hæc autem ad rem ille: *Et sanè* (inquit) *nulla res tantam vim habet vel ad comprimendos libidinis æstus, vel ad compescendas inanium rerum cupiditates, quàm mortuorum aspectus, aut arida eorumdem cadauerum ossa. Tunc enim non cogitatione solùm, vel auribus, sed oculis ipsis accipitur, corpus hoc nostrum tantoperè à nobis cultum, & in delicijs habitum, nil nisi fetidum cęnum, ac funestum esse puluerem, atque tantum huic rei ad vitam honestè, ac laudabiliter exigendam viri omnium sanctissimi tribuerunt, vt in ipsis mortuorum sepulchris tabernaculum vitę collocarent. Neque vsquàm tutius aduersus carnis, ac mundi illecebras habitari posse ducerent, quàm vbi mortis memoria altiùs in ipsorum animis insideret, nec ab eius vnquam excideret.* Quibus isthæc subtexit: *Quàm multi* (inquit) *in historijs sacris leguntur, qui visis cadaueribus eorum, quos vnicè in vita dilexerant, vel propter honorem, vel formam, vel*

Nicius Erithræus lib. exem. virt. & vitior. exempl. 15. pag. 19.

Mortis meditatio præ omnibus cōtra peccatū efficax.

Sepulchrū tutum aduersus carnis, & mundi illecebras domicilium.

Nicius vbi supra, & in gestis B. Frācisci Borgiæ Societ. Iesu apud Surium die 30. Septembris.

vel gloriam propè in Deorum numero habuerant, repentè ab inanium rerum cogitationibus animum abduxerunt, & in Deo collocarunt? Insigne est illud, & à multis sæpe cõmemoratum, B. *Francisci Borgiæ, Gandiæ Ducis exemplum, qui cum an. sal.* 1539. *Isabellæ, Caroli V. Imperatoris coniugis mortuæ faciem adeò tetram, adeò fœtidam esset intuitus, vt neque etiam aspectum ferre, neque exeuntem ab ea fœditatẽ odoris pati quisquam eorum, qui aderant, posset; ac cogitans, quò demum humanæ gloriæ fastus recideret, vsque adeò commotus est, vt statim de nouo vitæ genere ineundo cogitauerit, & quàm primum potuit, Principatu, ac reliquis vitæ commodis repudiatis, Societatis Iesu humilitum, ac neglectæ pauperum familiæ nomen dederit, in eaquè ad extremum vsque spiritum sanctissimè vixerit*. Tanti meritò momenti est, vel sero, sed seriò mortis, ac funebrium meminisse ad sedandos lubricos, componendosque hominum mores, ac dignã vitæ rationem salubriter instituendam, vt ad commoriendum mundo, ac Deo viuendum, vel sola mortalium quosque mortis meditatio impellat; Sed quàm efficax hæc vna sit ad exleges homines ad penitentiam traducendos, idem his verbis Auctor testatur.

B. Franciscus Borgia fœtido Isabellæ Augustæ viso cadauere nouum vitæ genus auspicatur.

39. *Neque illud* (inquit) *prætereũdum est, quod de adolescente quodam nobili narratur, quem ipsi multis ab hinc annis sumptuosè, eleganterquè vestitum, equoque insidentem tota Vrbe vagari conspeximus. Hic cum honesta in primis forma mulierem adamaret, sectaretur, eidemquè propemodum vt Deæ honorẽ haberet, nescio quo casu biduum domi se continuit, neque quisquam adfuit, quem percontari, quid rerum ea mulier ageret, posset. Sed cum demum tanquam diuturnam sitim explere cupiens, iret, vt eius aspectu oculos pasceret, fortè qua iter habebat, in æde quadã sacra animaduertit mulieri mortuæ exequias fieri. Accedit, inspicit, atque in eius facie magnam eius mulieris, cuius erat cupiens, similitudinem reperit. Quærit, ecquæ sit ea mulier? audit, eam esse, quam deperibat, cuiusquè aspiciendæ tanta cupiditate flagrabat; eam enim bidui morbo consumptam, illuc elatam esse, vt sepulturæ mandaretur. Quæ res tam repentina, tam noua, tam atrox, quam illi admirationem, quem horrorem, quem animi dolorem incusserit, non est necesse dictu, sed in aliorum cogitatione relinquitur, ac nihil propius est factum, quàm vt ibi ex ægritudine mortem obiret. Verùm cum se paululum collegisset, illinc vix viuus excessit, ac reuersus est domum, vbi cum in acerrima, attentissimaquè cogitatione defixus hæreret, paulatim traductus est ad rerum humanarum varietatem, inconstantiamquè, ad vitæ breuitatem, ad mortis necessitatem, ad formæ muliebris vanitatem contemplandam, atque in eiusmodi cogitatione adeò diuina gratiæ lumine illustratus est, vt rebus tam falsis, tamquè fallacibus se subducere, & æternam suam salutem in tuto collocare statuerit, ac ne longum faciam, paucis post mensibus arctissimam ferè omnium, quæ nunc vigent, religiosorum familiam ingressus est, in eaquè, quoad vixit, cæteris exemplum castitatis, abstinentiæ humilitatis, virtutumquè omnium extitit*. Certa igitur animi salus ex fortuito interdum mortis aspectu, cunctaquè simul virtutum bona è suprema mortalis vitæ, quæ instat, periodo deriuant. Quapropter vnicuique apte hic sub finem sapida Augustini verba occinunt: *Times* (inquit) *mortem ad momentum, veniet, & si nolis: times pœnas in æternum, non venient, si nolueris. Ergò Quia eligere non potes, ne hic moriaris, elige, ne in æternũ moriaris*. Sed ad alia interim orationis stylus recurrat.

Ianus Nicius vbi sup. exemplo 15.

Adolescens, qui fœminã deperibat, casu in templo mortuã deprehendit.

Horrore, ac admiratione perculsus, Deo viuere statuit.

Paucos post menses viti recractãs austerioris obseruãtiæ domum ingreditur.

Aug. ser. 14 *de Sanctis*.

CAPVT VII.

Iudicij, quod post mortem remanet, timore absterriti, anteactæ vitæ errores corrigunt.

1. EXtremi, quod Mortalium tandem ceruicibus imminet, seuera Iudicij trutina, & certa insuper venturi Iudicis expectatio, nedum interim vnumquẽque satis nunquam exagitat, & pro se valide instando sollicitat, sed sic insuper intima humani cordis peruadit, vt nil ad suadendum, absterrẽdumquè aptum, atq; efficax magis existat, vt suo olim Apostolus Athenienses adhortans oraculo comprobauit. *Nunc* (inquit) *annunciat hominibus*, (Deus videlicet) *ut omnes vbique penitentiam agant, eo quod statuit diem, in quo iudicaturus est Orbem in æquitate*. Is namque, ac tantus est, quo mortalium quisque ingesta futuri Iudicij cõmemoratione

Nil ad absterrendũ hominem Iudicio Dei magis efficax.

Actuũ Apostolor. c. 17. *num.* 31.

Greg. moral. in lib. 38. n. 13.

ratione, afficitur metu, *vt quę pessima* (vti Gregorius ait) *securitate durauerant, salubri timore mollescant, quatenus vel serò redeant, & hoc ipsum saltem, quod diù expectati sunt, erubescant*. Adeoque ingesta Iudicij mentione Homo sapere incipit.

2. Quapropter Altissimus ad cunctos in officio mortales salubriter continendos, & vt suo deuotos obsequio redderet, Iudicij duxtaxat tribunal comminatus, diem tamen nouissimum quo hæc fient, latere penitus homines voluit, vt qui semper venturum Iudicem timent, non secus ac mox ipsius parent se conspectui præsentandos, & sic aduentum, morasque venturi Iudicis vigilando preueniant. Quod sanè prouidentissimo Dei consilio agitur: *Vt timorē* (inquit Ambrosius) *omnibus Iudicij imminentis incuteret, nec securitatē dilationis offerret.* Hinc Iobus virorū sāctissimus pauendo diuini Iudicij obiectu, nō secus ac compendiario malorū cumulo, ac irarum Dei impendente ceruicibus gladio latere apud Tartarum, quàm vel semel coram Iudice apparere maluit: *Quid faciam* (inquit) *cum Surrexit ad iudicandum Deus?* Qui & alibi eiusceemodi, quo tenebatur, metum exaggerans. *Quis mihi hoc tribuas* (aiebat) *vt in Inferno protegas me, donec pertranseat furor tuus.* Bernardus vero lugubrem, funestamque diei, quo Iudex venturus est, faciem, suo amarulenter stylo adumbrans: *Veniet, veniet* (inquit) *Iudicij dies, vbi plus valebunt pura corda, quàm astuta verba, & conscientia bona, quàm marsupia plena; quandoquidem Iudex ille nec falletur verbis, nec flectetur donis, &c.* Hoc sanè præ cunctis Hieronymus se iugiter terrore præuentum sentiens, illisque altiùs verbis inclamans: *Siue* (inquit) *bibam, siue dormiam, siue aliud agam, semper mihi in auribus insonat tuba illa terribilis. Surgite mortui, venite ad iudicium.* Euigilabat profectò pugil inuictus, ac sapientissimus suis somnum ab oculis excutiendo, qui vel vnico saltem momento Iudicij ab animo excutere metum, ac abigere procul nequibat.

Christus iudicij commi natus tribunal, diem tamen tacet.

Ambrosius Luca 17. n. 20.

Iob. cap.

Iob Iudicij diem metu honorat.

Bernardus epist. 1. ad Robertum.

Iudex nec verbis fallitur, nec donis flectitur ex Bernardo.

Hieronymus in Epist.

Hieronym. vbi supr.

3. Quo item Nazianzenus assiduè, ac vehementer intus in animo extimulatus, ac propterea semper sub Iudicij impēdentis trutina diè, noctuque insomnis, Ipsoque sub Iudice constitutus tanquam reus inter mortis laqueos obdormiens palpitabat, vt in suo Iambico his notis fatetur.

> *Ac parte vigilem maxima vitam ago:*
> *Nam dormientem me labor pungit quoque.*
> *At si soporis quidpiam captem, gemo,*
> *Nam spectra mortis asperæ mecum afferunt.*
> *Censura, Iudex, statio, cui comes tremor.*

Nazianzenus futuri iudicij, metu velut clauo configitur.

Nazianzenus in suo Iambico 19.

Quis enim est, qui sub funestæ, ac fatalis buccinę ad prælium, quin imò ad stragem euocantis sonitu non totus iugiter contremiscat, soporemque non statim ab oculis, & ab animo securitatem ableget? cum vel solus pauor ad mortalium cunctos simul prosternendos, & in altum mentis stuporē adducendos se ipso Hieronymo teste sufficiat: *Siue* (inquit) *leges, siue dormies, siue scribes, siue vigilabis, Amos tibi semper buccina in auribus sonet.* Hæc ille. Ni fortè hic Amos pro Sophonia, qui Iudicij diem, diem tubę, & clangoris appellat, haud casu, & absque mysterio sit appositus.

Hieronymus quid quid ageret iudicij tubā suis semper auribus insonantem audit.

Hieronymus in regula monachorum Sophoniæ 1. vir. 16.

4. Pauendum igitur Christi ad Iudicium properantis Tribunal magis, quàm vel ipsiusmet regnantis thronus, ac maiestas, mortalibus inter contemplandum emolumento est. Ex ipso Christi etenim regno, cuius consortium quisque optabundus sibi repromittit, non nisi vana aliquando præsumptio; ex Iudicio autem iusta ipsius, ac salubris ad mores rite excolendos formido, Ambrosio edisserente prouenit: *Nihil est* (inquit), *quod magis proficiat ad vitam honestam, quàm vt credamus esse Iudicem futurum, quem occulta non fallant, & indecora offendant, & honesta delectent.* At prouido, sapientiquè suo rem calculo Gregorius expendens, pœnitentibus quidem spem, metum verò pauendi ipsius Iudicij obiectu peccantibus conciliari affirmat: *Quia fines* (inquit) *Terræ Dominus iudicat, conuersus peccator priora, siuè media non expauescat: iustus inchoata, iustitia non præsumat.* Sed ne interim rem gratis asserere videamur, hic eorum præsertim, qui Iudicij metu edocti se ad perfectioris vitæ normam pœnitendo traduxere, in præsens

Tribunal iudicantis, magis quam maiestas regnātis pre oculis habendum.

Ambrosius lib. 1. officiorū cap. 26.

Quantum ad compungendum vim habeat ex Ambrosio.

Gregorius lib. Moralium.

ſens nobis mentio recolenda ſe offert.

5. In primis verò Solitarij illius,qui in Choreb habitans eum diù negligenter vixiſſet, nullam ſui gerens,atque animæ curam, graui tandem morbo perculſus, & ad extrema perductus, mortali è vita migrauit; at poſt horam ad ſe ipſum rediens, rogansque, vt omnes abſcederent, obſerato cellæ aditu ſic duodecim integros annos ibi ſolitarius manſit, & ſolus attonitus, quæ pridem viderat, reuoluens animo, amariſſimis ſe ipſum lacrymis reſpergebat. *Cumquè iam* (inquit) *morti proximus eſſet, rupto aditu ingreſſi ſumus, cumquè ab eo doctrinæ verbum ſupplices requireremus, hoc tantùm audiuimus: Ignoſcite mihi, nemo, qui Mortis, & Iudicij memoriam verè agnouerit, peccare vnquam poteſt. Nos verò mirati ſumus talem in eo, qui adeò negligens fuerat, beatiſſimam transformationem.* Seria Iudicij profectò memoria, ac metus intimè hominem peruadens, breui in alium ferè immutandi vim habet.

Solitarius in Choreb habitans ex Iudicij metu mire proficit.

Ioannes Climacus in ſer. cap. 6.

Quid moriturus alijs dicat.

6. Tāti autē quibuſuis vel obiter Iudicij interdum mentio mortalibus prodeſt, vt ipſa nihil efficacius ad reuocandum perditum quemque à malo ſuppetat; Quapropter vir olim (vt appoſitè Ludouicus Granatenſis Prædicatorū Ordinis docet) ſuo poſt mortem amico apparens, maximiſque excruciatus doloribus, magna item, & lamentabili voce exclamans, ipſius iſthæc auribus intonuit: *Nemo* (inquit) *credit, nemo credit; quem amicus expauescens rogat, quid ſibi eiuſmodi exclamatio vellet. Cui ille. Nemo credit, quàm ſtrictè iudicat Deus, & quàm ſeuere caſtigat.* Quę ſanè verba in primis ipſi, ac eunctis ſubinde ad Chriſtianæ vitæ profectum, moreſque ſalubriter excolendos haud parum poſthac profuere. *Caſus quippe* (vt alibi ait Chryſoſtomus) *pro concione fuit.* ac viuos ſic mortuus docuit.

Fr. Ludouicus Granatenſis de pec candi conſuetud. cap. 7.

Quidam amico poſt mortem iudicij rigorem inculcat.

Chriſoſt. in act. Apoſt.

7. Et ſi quidem quàm iuſta, quam rigida, quam ſeuera ad Dei Tribunal trutina ſingulorum tum culpæ, tum merita expendantur Carolus Magnus, digniſſimus Romanorum Imperator, cunctorum olim documento iuxta hiſtorici iſthæc narrantis fidem expertus eſt, qui acerbas à Dęmone inter accuſandum anguſtias perpeſſus, ſatis rigidum Dei in ſe iudicium perſenſit, & non niſi Deo propitiante ab exactoribus tandem liber euaſit, de quo eius vitæ Auctor hæc tradit: *Cum apud Viennam* (inquit) *in Eccleſia ante Altare die quodam raptus in eſtaſi precibus inſiſterem, pſalmum, Deus in adiutorium, &c. cantarem, tetrorum agmina innumerabilia militum ante me præterire, ac verſus Lotharingiam tendere agnoui. Qui cum omnes pertranſirent, intuitus ſum quemdam illorum Aethiopi conſimilem retro, lento gradu alios inſequentem: Cui dixi, quò tenditis? Aquiſgranum* (inquit) *ad Caroli mortem tendimus, vt eius ſpiritum ad Tartara rapiamus. Cui dixi: adiuro te per nomen Domini Dei Noſtri Ieſu Chriſti, et peracto itinère tuæ diſpoſitionis, ad me reuerti non renuas. Tunc modicum commorati, vt expleto pſalmo, eodem ordine ad me redierunt, & dixi nouiſſimo, cui priùs locutus fueram: Quid egiſtis? & Dęmon: Gallicianus* (inquit) *ſine capitè tot, at tantos lapides, ac ligna baſilicarum ſuarum in ſtatera ſuſpendit, quod magis appenderunt bona, quàm eius mala, & idcircò eius animam à nobis abſtulit. Et his dictis Dæmon euanuit. Itaque intellexi eadem die Carolum ex hac luce migraſſe, & ſubſidijs B. Iacobi, cuius Eccleſias multas ædificauerat, ad ſuprema meritò regna ſubuectum. Tranſactis poſt eius mortem diebus quindecim, per nuncium didici ab ipſo tempore, quo ab Hiſpania reuerterat, vſquè ad diem mortis ſuæ illum aſſiduè ęgrotaſſe, ac pro ſalute quorumdam defunctorum eodem die, quo ipſe martyrium pro diuino amore ſuſceperat, ſcilicet decimò ſexto Kalendas Iuly duodecim millia vnciarum argenti, totidemquè talenta aurea, veſtes etiam, & cibaria annuatim in omni vita pauperibus ſolitum erogaſſe, totidemquè pſalteria, Miſſaſquè, & vigilias cantari feciſſe, atque eadem die, & hora, qua viſionem ego videram, ſcilicet quinto Kalendas Februarij, anno Dominicæ Incarnationis 813. ab hac vita migraſſe, & apud Aquiſgranum in B. Maria Baſilica Rotunda, quam ipſe ędificauerat, honorificè ſepultum illum fuiſſe.* Hinc fit, vt meritò vnicuique recolendum tribunal illud, pauendumque ſit, in quo iuſtus, & æque ſapiens ac potens & inexorabilis Iudex præeſt, de quo Iobus ſolemne illud, cunctiſque ex horrendum, & fulmen potiùs, quam

Carolus Magnus Romanorum Imperator, Dei inter iudicandum ſeueritatem expertus.

Io. Turpinus Archiepiſcopus Rhemen ſis hiſt. in vit. Caroli Magn. cap. 2.

Dæmones ad Caroli magni exitū frequentes.

Opera ipſius bona in trutina à Deo appenſa.

Iuſtum Dei Iudicium multipliciter formidandum.

Iob. cap. 9. n. 3.

verbum

Iob. cap. 9. n. 3.

verbũ intonat: *Si voluerit* (inquit) *contendere cũ eo, non poterit ei respondere vnũ pro mille*. Cui regius item psaltes apte consonans: *Non intres* (inquit) *in iudicium cum seruo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens*. Ità planè.

Psalmi. 142. n. 2.

Psalm. 142. n. 2.

Felix Proconsul, Paulo de iudicio finali disputante tremefactus obstupuit.

8. Supremi itaque Iudicis, ac pauendi simul Iudicij frequens apud homines mentio, & vel leuiter exhibita oculis vmbra, nedum ipsius imago tantam absterrendi, concutiendiquè hominem vim habuit, quemadmodum olim Gentium Apostolo de rebus diuinæ fidei ad Felicem Proconsulem peroranti contigit; Vbi enim de Iudicio verba faciens, inire disputationem cœpit, exterrefactus Felix, sermonem protinus abrupit: *Disputante autem* (inquit Lucas) *illo de Castitate, & Iudicio futuro exterrefactus est Felix, &c.* adeò vt nouos propemodum Iudicio territus induisse spiritus videretur. Atqui idem fere Bogari Bulgarorũ Principi accidit, qui per exhibitas in pariete oculis, pictasque rerum imagines futurum Dei Iudicium probe didicit, & Christi fidem suscipiens, baptismo salubriter est initiatus; rem verò Curopalates sic narrat: *Aliud quoq;* (inquit) *accidit quod Principẽ ipsũ in veræ fidei cultu magis cõfirmauit, Insatiabiliter iste venationi deditus erat, qua oblectare se studebat, nõ modò cũ venatum se conferret, sed etiã quãdo otiosus esset domi, idquè per animaliũ pictas figuras. Constructa noua domo Methodium quemdam monachum arte pictorem iussit domum illam picturis ornare; Verùm quasi diuina quadam prouidentia ductus, non præscripsit definitè, quænam, & qualia pingeret animalia, verùm quæcunque ipse vellet, iussit pingere, terribilia tamen essent, quæ pingerentur, vt spectantibus terrorem, & metum incuterent. Ille autem nihil aliud terribilius noscens secundo Christi aduentu, hunc ibi descripsit. Cumquè iam finita illa esset pictura, conspicatus Princeps ex altera parte iustorum cœtum coronari, ex altera verò impios puniri, & à pictore percepta picturæ mente, statim propriam eiurat Religionem. Imbutusquè, vt diximus, à S. Episcopo diuinis ministerys, intempesta nocte sacrum percepit baptisma. Cum autem cognouerunt Nationis Præfecti commune mutatum religionis cultum, in Principem conspirant, cumquè de Imperio deycere*

Actuũ Apost. cap. 24. n. 25

Baronius an. 845. num. 7. & 8.

Bogar Bulgarorum rex expictis in tabula imaginibus iudicij metu perculsus.

Theophan. in gestis S. Nicephori Constantinopol. Patriarchæ.

Methodius monachus pingendi arte Dei Iudicium adumbrat.

student: quos ille parua, quam secùm habebat, manu fudit, fugauitquè præeunte Crucis signo, & inopinata re perculsos Christianos effecit. Ità planè ipsosmet barbaros homines, ac ipsorum inprimis Regem leuiter adumbrata coloribus in tabula futuri Iudicij imago, sic stupore affecit, adeoquè ipsius terror aspicientes concussit, vt confestim animum simul, ac fidem, Deo desuper afflante mutarent.

Quibus visis rex futuri Iudicij veritatẽ edoctus baptismi fonte ablui poscit.

9. Alter quoque (vt propositi argumenti narrationem prosequamur) Romanorum Imperator pari quidem tum fructu, tum exemplo pauendum supremum Iudicis, ac Iudicij thronum contemplando expertus, ac salutarem cunctis indè metum propinans, opportunè sibi Iudicis gratiam bonis dum per tempus vacat operibus conciliandam, præmonuit; Henricus videlicet secundus Imperator, qui multis licet clarus virtutibus, vitijs tamen haud carens, & libidinis præsertim labe notatus, in eo maxime offendit, quod etsi iurium Ecclesiæ strenuus propugnator, ac defensor, vitiorum tamen turpiter extiterit cultor, & seruus; hæc enim de eo Glaber: *Tamen* (inquit) *proh pudor, vnum in eo erat nimium reprehensibile, quod incontinentia, & carnis luxuria infamabatur* &c. Verũ graui subinde morbo correptus, dum desperata iam corporis vita, inter mortis angustias fatiscit, Dœmones sibi insultantes, & in iudicio ad Dei tribunal in multis iuste accusatores sustinẽs, haud aliter ad seuerã Iudicij trutinam librandus, quam B. Laurentij Martyris ope releuatus sibi visus est, quoadmodo reuixisse; hæc enim de eo Vuilhelmus Malmesburiensis, & alij tradunt: *Tempore* (inquit) *Conradi patris, à quodam Clerico fistulam tulerat argenteam, qua pueri ludo aquam iaculantur, pactus Episcopatum, cum foret Imperator. Adultus repetenti pollicitum impigrè dederat. Nec multo post aspera valetudine correptus decubuit, morbo crescente triduò exsensus, & mutus iacuit, cum in solo pectore vitali habitus palpitaret. Nec aliud vitæ indicium erat; quàm manu ad nares apposita quantulumcunque sentiebatur anhelitus; Episcopi præsentes triduano indicto ieiunio lacrymis, & votis pro vita Regis Superos pulsabant. Quibus, vt credi fas est, remedys conualescens, accitum Episcopum, quem iniustè*

Baronius an. 1047. n. 10.

Henricus secundus Romanorum Imperator æger ex iudicio sapere incipit.

Glaber lib. 5. cap. 5.

Quantum ex Dei iudicio territus proficit.

Vuielmus Malmesbur. de Anglorum gestis lib. 2. c. 13.

Toto triduo dæmones infestos patitur

est huius Principis capiti minari, eiusque obitu magnam rerum mutationem fore, motusquè graues. Sic Princeps Cęlo dignus,& non nisi Cęlo insuper natus,haud obscura è Cęlo mortalis, quam trahebat, vitæ adeoque ad occasum ipsum propetæ signa auspicatus proculdubio est?

Rainaldus an. 1519. n. 5. Lipsius lib. 2. 2. monit. & exempl. c. 14. P. Greg. lib. 6 de Rep. c. 3.

20. Prælaudato Castellæ Regi lectissimus Romanorum Impetator iungendus est, qui ex mortis memoria immortalem sibi vitam,ac nominis gloriam peperit. Hæc enim de illo Lipsius tradit: *Massimilianus* (inquit) *Augustus Imperator Austriacus id testamento cauit, vt exanimum corpus suum rudi linteo inuolutum, sine vlla exenteratione, sarcophago, quod quadriennio antè mortem parari curarat, imponeretur, naribus, ore, auribusquè viua calce oppletis. Quid sibi voluit magnus vir? nisi monumentum illud assiduè in oculis habere,quod diceret: Cogita mori: & quod amplius diceret: Quid te dilatas, & extendis? quid multa possides? plura petis? Quem tot prouinciæ, & regna non capiunt, loculus iste capiet. Cur autem & calcem canis illis partibus immisit? An aromata, quibus condiretur? Sed hoc spectauit, vt corpus putredini natum, ea quoque consumente, & exedente materia, citiùs consumeretur, & iret in suam terram. Maximiliane magnus fuisti? & res tuæ dicunt, tum & hæc circà mortem.* His meritò præcelsus animo Princeps mortis, ac sui item inter supremos regni apices memor, adeo laudum præconijs à viro laudatissimo commendari promeruit. Præclara verò ipsius gesta Cuspinianus, necnon Ioannes Faber certatim funebri oratione extollunt, ac illud pro insigni ipsius elogio, vt Rainaldus refert, conscribunt: *Salubrem mortis cogitationem, vt humana contemneret, versante animo, vt extremo vitæ quinquennio secum quocunque pergeret, etiam in acie sarcophagum circumferret, &c.* Et post multa: *Extrema etiam vnctione liniri flagitauit, astantesquè circum se flentes conspicatus, moriturum hominem, cum mortalis esset, flere vetuit, &c.* Adeò vnus hic mortalibus christianos inter Principes admirandus,de mortis exitu digne, sapienterque, & vt Christianũ Philosophum decet,tum animo, tum merito sublimis cogitabat.

Maximilianus Augustus Imperator viuès diem mortis recolit.

Monumẽtũ assiduè ob oculos habet, vti monumentum immortalitatis.

Rainald. an. cit. nu. 1.

Extremo vitæ quinquẽnio sarcophagum sẽper circumfert.

21. Assidua quippè mortis,ac sepulchri, nec obiter vsurpata mentio,quæ semel hominum menti altiùs aliquando insedir, cunctis dignum profectò sæculi rebus, ac gaudijs repudium indicit, ac naufragos demum ad pęnitentiæ sinum, & salutis pottum moriendi posthac soluto periculo adducit. In mortis etenim luto pretiosum,& quo cœli regnum emitur, aurum latet, (& vt diuinus apte vir ille virtute diues semel edixit) magnum est ibi sapientiæ adinuenire thesaurum: *Qui expectant* (inquit) *mortem,& non venit,quasi effodientes thesaurum,gaudentquè, cum inuenerint sepulchrum.* Quod sanè præmemoratus Romanorum Princeps Maximilianus(ne tanti viri ingrato silentio perstrictim laudes abuoluamus) acerrimus catholicæ religionis propugnator, & christianarum virtutum infulis magis, quàm sceptro clarus ostendit, qui vel in ipso blandientis sæculi cursu,relictis Carolo V. & Ferdinando Cæsaribus mortali è vita abscessit. Porrò pijssimus vir Lateranensi omnimodis Concilio inhærens, & tum armis in Turcas, tum consilio iugiter intentus, dum ad Leonem X. huius nominis scriberet, se Pontificem ipsum, & Cardinales in Turcas properantes libentissime sociaturum, mortisquè pro Christo obeundæ percupidum, disertis vltro verbis fatetur. Quin Germanos sacrum Turcis bellum inferre detrectantes, ne occasioni, quæ tunc se offerret, per ignauiam desint, seriò admonens,sacram Crucis signatorum,bellatorumque Christi militiam alacriter promouere non destitit: Nec his Princeps cœlo dignus cõtentus, innatæ illud pietati adiecit, vt decem xenodochia pauperum obsequio extrueret; ipsoquè postmodum,qui adeo resistebat,morte sublato,perditus Lutheri furor ad nocendum alioqui,oppugnãdumque ferox magis, magisque euasit, vt Vlembergius sic narrat,dum eius obitum meminit: *Anno* (inquit) *MDXIX. ineunte, Maximilianus Imperator in Austria supremum vitæ diem clausit. Princeps armis, pietate, prudentia maximè insignis, alijs virtutum ornamentis clarus:cuius morte Lutherus insolentior factus, maioris, in dies audaciæ non obscura signa dedit: quanquam enim iam anteà quoque multa proteruè dixerat in Pontificem,aliosquè,qui conatibus ipsius obsistebant, tamen deinceps velut excusso fręno, maiorem sibi ferociam indulsit*

Mortis meditatio, tenentis cunctis formã, ac repudiũ indicit.

Iob. c. 3. n. 21.

Virtutũ magis cultu, quam imperij infulis clarus.

Rainald. an. 1519. nu. 1.

Xenodochiã decem pauperum obsequio construxit.

Vlembergius in vit. & gestis Lutheri cap. 3.

Lutherus sub ipsius principatu à furendo cõpressus.

dulsit, & conuicijs, ac criminationibus intemperantiùs aduersarios impetiuit; cuiuscunque demum conditionis essent, quemadmodum eius scripta post hunc diem edita testantur. Hæc ille. Meritò igitur Principis huius, eximij instar catholicæ fidei propugnatoris obitus acerbum Catholicis omnibus luctum indixit, adeoquè Romana in primis Ecclesia tristem, funestamquè diem, ac si fatalem suis non nisi amarissimis vltrò lacrymis est prosequuta.

Eximij Catolicæ fidei propugnatoris mors meritò cunctis luctum indicit.

22. Verùm Augustissimus Princeps, haud vlli religionis studio secundus, quam piel prompteque se ad mortem, & quo deuoti animi sensu comparauerit, dignis proculdubio prælaudati Scriptores, res ab eo præclarè gestas prosequuti laudibus celebrant; Quippe qui ipsum Christianis Occidentalibus vnà cum Romana Ecclesia iungedis acriter institisse, Schismatibusquè abolendis apprimè intentum, Dei ipsiusque Ecclesiæ præcepta totis iugiter animi neruis sectatum affirmant, blasphemis item infensum adeò extitisse, vt ex his nullum quantumuis sibi charum tutò apud se agere aliquandò permitteret ieiunia insuper sacro Ecclesię ritu inducta piè exacteque seruans; populi tamen, qui in Germania, & tota Septentrionali insuper plaga, necessarijs plerumque distituitur, misertus supplex à Leone X. poposcit, vt Quadragesimam in plures anni partes, quò impudentium, (vt Rainaldus ait) animarum saluti consultum foret, ieiunij abstinentiam partiri dignaretur, sed votis subinde, iustisquè de causis frustratus, seueram in eos, qui vino intemperâter nimis vterentur, legem tulit. Pauperes verò adeò curæ ipsi fuere, vt moriens suis eos sumptibus, publicis ad hoc extructis domibus curandos voluerit, censu item attributo prædictas stabiliri domos iusserit: Missæ autem quotidiè sacrificio deuotissimè intererat; ac saluberrimam mortis, quò fluxa cuncta, quæ sæculi sunt, generosè contemneret, cogitationem, ac memoriam sic suo iugiter corde versabat, vt extremo vitæ quinquennio secum, quocunque pergeret, ipsum vel in acie inter arma sarcophagum, triũphalis instar sarcinæ, de se ipso triumphaturus circumferret. Sed ipsius Cuspiniani verba tanto digna Principe, meritorumquè ipsius elogia hic excipiamus.

Rainaldus vbi sup. n. 21.

Ecclesię præceptis ritè seruandis intentus.

Rainaldus vbi supra.

Quinque ante obitum annis mortis memoria in primis delectatur.

23. *Anno quinto* (inquit) *priusquàm diem obierit vltimum, quantumuis in magnis versaretur, & imperij, & regnorum negotijs, essentquè sibi tum Gallus, tum Veneti, quàm molestissimi, sarcophagum cum omni ea supellectili, quæ mortuo ad sepeliendum foret necessaria pro se quàm diligentissimè ordinauit; eo enim tempore in Ispruch regio Oppido Tirolis cum palatium amplissimum, ac planè Cęsare dignum fabricaret, nesciòquè quid erroris artifices cõmisissent, ad Matthæum (quem seniorem appellant) qui primus esset inter eos, qui cubiculo præsunt secretiùs in aurem susurrans dixit: Nihil hic faciunt, quod gratum sit; ego verò domum mihi construam, quæ placeat, eaquè die sarcophagum cum ea, qua diximus supellectili, fieri iussit, & clangulò quidem, ne ad hominum ostentationem id fecisse videretur, secretissimè apud se quinque illis annis, vbicunque locorum esset, etiam dum Mediolanum contrà Gallos proficisceretur, quàm diligentissimè singulis noctibus semper conseruauit, & reponi iussit. Arbitrabantur quidem homines, etiam quibus rerum magnarũ demandata esset cura, thesaurum aliquem illic detineri, & conseruari: Alij nonnihil librorum, quibus historiæ veteres continerentur: Alij aliud magnum quidpiam eo deferri. Cęsar verò sibi in quem secum deferret vsum, vt semper hilaris erat, subridendo, in rei cuiusdam sibi omnium charissimæ vsum id secum deferri dicebat.* Haud aliter optimus Princeps proximum vitæ finem intento animo recolens, ne improuidus in mortem incideret, dignum sibi ad vitam quotidie moriens aditum patefecit, mortemquè assiduè cogitando valide ad exitum præmunitus, cum augeri morbum persentiret, sacra semel, atque iterum exhomologesi animum expiandũ curans viuificum Dominici corporis pro viatico pabulum, miro deuotionis affectu sacerdotis manu suscepit adeò vt vel solo adstantibus lacrymas aspectu suaderet. Sacro autem subinde Oleo inunctus, cunctos qui astabant, flentesque videns, magnanimus vir moriturum hominem, cum & ipse aliorum instar mortalis esset, mortales flere, eiusmodi lacrymas dedignatus prohibuit; Sed aptè Ioannes Faber isthæc in rem præsentem: *Dum* (inquit) *ex Clero multi sibi adstarent, signo admonuit, ne circa se starent, sed sederent potiùs nam &*

Cuspinianus in Maximiliani gestis.

Quid de ipso dignum, vti porteutum Cuspinianus narret.

Amplum in Ispruch palatium, sibi vero sarcophagum, & clanculum construẽdũ parandumq vult,

Arcam, sarcophagi sibi vice futurã circumfert, & quam nõ nisi Thesauro custodiea do destina tam, homines putant

Moriturus pecc. totum exhomologesi conscientiã expiat, & se viatico munit,

dum viueret, semper sibi consuetudo erat, vt nullũ ex Sacerdotibus coram se stare, sed semper præ modestia sibi assidere fecerit. Deuotione verò tanta mortuus est, vt à nemine facilè vnquam exprimi posse crediderim. Pudicitia talis, ac tam ingenua, vt & in hora mortis, vltimiquè agonis illius non fuerit oblitus, panneolo, quem tum fortè moriens gestaret pudenda (ne à quoquam se mortuo videri posset) obtexit. Deo, Matri genitrici, sanctisquè suis patronis, S. Georgio, ac diuo Andreæ frequentissimè, ac deuotissimè plurimum sese moriens commendauit. Mortuus est infrà tertiam, & quartam horas die XII. mensis Ianuarij anno salutis M. DXIX, posteaquam vixisset annos LIX. menses nouem, dies verò XIX. regnassetquè annis XXXXIII. Hæc ille in istius Romanorum Principis ad immortalitatem feliciter euocati laudem, qui cum adeò pœnitentię, ac morti insuper recolendæ addictus viuens adhuc fuisset, carne tandem solutus ad immortalem procul dubio vitam peruenit.

Quã pius, & sacerdotibus obsequens.

Ipsius virtutes laudibus dignæ.

24. Atqui Maximiliano Imperatorum alter augustissimus, nec impar virtute, ac meritis accedit, Carolus videlicet IV. Romanorum princeps, qui Vrbano VI. Romano Pontifici, & si schismate aduersus eum à Cardinalibus excitato, immobilis tamen semper ipse inhæsit, ac magno tandem Ecclesiæ detrimento è vita decessit. In eo autem suas hic non parũ laudes visus est labefactas se, quod Vuenceslaum filium coemptis Electorum suffragijs, ad Imperij culmen prouexit. In hoc tamen haud vulgare virtutum cunctis specimen dedit, quod mortis iugiter memor superbienti Vuenceslao, ac alijs item filijs egregia moriturus, ac de se piè, ac humiliter sentiens, salutis monita exhibuit. His autem paucis eiusdem obitum Albertus Argentinensis in suo Chronico verbis consignat: *Anno* (inquit) *Domini MCCCXLVIII. obijt Carolus IV. Romanorum Imperator, et Rex Boemiæ in Vigilia S. Andreę.* Hunc verò, qui etsi piè ad mortem, & hanc perpetuò cogitans se comparasse videtur, summis quoque Aeneas Syluius eumdem laudibus prosequutus, hac tamen nota iustè percellit. Quod socordi nimirum filio, nec merenti non nisi malis Imperium artibus pepererit: *Nomini suo* (inquit) *non paruam inussit maculam, quod Vuenceslaum ex filijs natu maiorem in Imperio sibi successorem adhuc viuens ordinare conatus est; idq; pecunia; Nam cum Principes electores haud facilè ad eam rem trahi possent, quod virtute obtinere non potuit, pretio comparauit, promissis cuique Electori centum millibus aureis, quos cum repræsentare non posset, publica illis Romanę Reipublicæ vectigalia obligauit, perpetuum Imperij malum, etc.* Quibus consona Dubrauius, & Ioannes Coclæus tradunt; qui præclara Caroli è vita abeuntis monita filijs tandem exhibita, ac pium in se ipso deprimendo, ac Dei (vt par est) cultu, ac metu filijs iugiter inculcando, studium his apte verbis suggerit.

Carolus IV. Romanorũ Imperator obquæ laude dignus.

Rainaldus an. 1378. n. 17. 18.

Albertus Argentinensis in Chronico.

Vti in multis laudem, sic in aliquibus notam meruit.

Aeneas Syluius in Carolo.

25. *Reliquit post se* (inquit) *rerum à se gestarum historiam, quam sua manu conscripsisse fertur, cuius hoc initium est. Quicumque regnabitis post me, Decorati diademate Regum, mementote, quod et ego rexi ante vos, et in puluerem redactus sum, et in lutum vermium similiter vos cadetis transeuntes vt vmbra, et veluti flos agri? Quid valet nobilitas generis, aut rerum affluentia, nisi adsit pura conscientia cum fide recta, et spe sancta resurrectionis? Non æstimetis vitam vestram, sicut impij non rectè cogitantes, cum exiguum sit, quod estis, quia à Deo creati, et ex nihilo nati sitis, et post hæc ad nihilum redigemini, tanquam non fuissetis. Scitote, vos habere Patrem æternum, et filium eius Dominum nostrum Iesum Christum, qui primogenitus est in multis fratribus, qui vos vult fieri participes regni sui, si mandata eius seruaueritis, et non inquinaueritis mentes, conscientias, et voluntates peccatis carnis vestrę, efficiemini filij Dei, prout Ioannes in Euangelio dicit: Dedit eis potestatem filios Dei fieri Si ergò vultis effici filij Dei, mandata Patris vestri seruate, quæ annunciauit vobis per filium suum Dominum nostrum Iesum Christum Regem cælestem, cuius typum, et vices geritis in terris; mandatum verò maius est, diligere Dominum Deum ex toto corde, et ex tota anima, et proximum sicut se ipsum; si si ea dilectione Deum diligetis, pro ipso ponere animas vestras non formidabitis, et non timebitis eos, qui corpus quidem possunt interficere animam verò perdere non valent; Sed timebitis Patrem, qui potens est saluare, ac mittere in gehennam, etc.* Hæc,

Moriturus optima suis virtutum documenta reliquit.

Dubrauius hist. Boem. lib. 22.

Coclæus hist. Hussit. lib. 1.

Vitæ breuitatem, ac instabilitatem in primis inculcat.

Isaia c. 1.

Dei amorẽ, ac proximorum ipsi in regno sufficiendis commendat.

alia-

aliaquè Carolus in suis enarrandis gestis præfatus, ingenti plane demissi animi documento vanam, futilemquè omninò hāc vna cum suis pompis vitam appellat, & si Vuenceslaus pia, recolendaque patris ad virtutē hortamenta, (ipsi, vt Rainaldus ait) in extremo vitæ actu à Carolo exhibita nil prorsus operi demandare curauerit, quæ nos hîc vel obiter meminisse voluimus, cum paterni ergà dilectos sibi filios amoris, necnon piæ ipsius vna simul ergà suorum pignorum curam sollicitudinis sint testatissima cunctis argumenta; Hæc vero haud otiosum hic interim, & à proposito alienum enarrasse, quin immo nostris isthęc inserere paginis, cunctorum, & virorum maximè principum documento, atque vtilitati futura operæ pretium duximus.

Se pene mū do, ante quā moriatur, mortuum præfeferi.

26. Magnam itaque ad exterrendos, abstrahendosquè ab inanibus sæculi curis, ac voluptatibus homines, comprimendoquè sæculi fastui seria mortis meditatio vim habet, vt suo in primis Carolus Romanorum Imperaror exemplo comprobauit; de quo Iustus Lipsius hæc pro ipsius elogio tradit: *Carolus V. Imperator Romanorum, memor conditionis suæ humanæ, diù ante mortem administratione Reipublicæ se sponte submouit: et cum in filium iam validum aui, et animi curas contulisset, secessit in Hispaniam, et in Diui Iusti Monasterio septem à Placentia milliaribus se abdidit, cum duodecim duxtaxat familiaribus, Deo, et quieti vacaturus; interdixit autem aliter se, quam Carolum appellari, Cęsaris, atque Augusti illa nomina cum rebus animo exuens, et totum hoc honorari contemnens.*

Carolus. V. austriacus, Romanorū Imperator vitæ finem cogitans, vitæ, ac sæculi contemptū edisc[i]t.

Iustus Lipsius lib. 1. Monit. & exempl. cap. 14.

P. Gregor. lib. de rep. c. 3.

27. Sed quid de mira Caroli Romanorum se Imperio abdicantis pietate, ac omni ob id vnum digno principe, historicarum rerum compilator narret audiamus. *Hoc* (inquit) *anno Carolus V. Imperator qui Solimanū tantarū virium fastu tumorem aliquoties profligaras, qui Acridenum Barbarussam acie deuictum, ac Tunetano Regno exutum Africa depulerat, qui imperium superiorum Imperatorum ignauia labefactatum, ac plane perditum restituerat, qui coniurantem Germaniam retuderat, qui regem Franciscum, et Clementem pontificem in potestate habuerat, qui in orbe nouo vrbibus, et templis ædificatis multa præclara in Dei, et Ecclesiæ decus gesserat. Qui denique vno dempto Carolo magno omnes Occidentales Imperatores pace belloque superauerat, religione tactus, quam sanctissime semper coluit, et aduersus hæreticos propugnauerat tædio rerum humanarum affectus, propter cęlestium, et ęternorum desiderium primus post conditum Germanicum Imperium (Lotharius enim Francus erat) maiestate Imperij fratri Ferdinando abdicata, reliquis Regnis atque ditionibus vnico filio Philippo traditis ad vitam religiosam se contulit, et in sacram solitudinem secessit, vbi postea anno 1558. die 21. Septembris mortuus est.*

Seculo se abdicans, diuinisque rebus intentus se haud Cæsarem, sed Carolum vult appellādum.

Qui seipsū ac fastū vincit, magis victor.

Carolus Occidentales Imperatores post se reliquit.

Imperio exutus in sacra solitudine Deo ac sibi viuit.

Sic laudatissimus princeps mortis stimulo ad sæculi pompam, & imperij maiestatem exuendā permotus, vt sibi duntaxat viueret, alijs viuere recusauit, & quo Deo totus vacaret, cūctis supremi imperij curis nuncium remisit, illud Apostoli verbum serio reuoluens: *Mihi viuere Christus est, & mori lucrum.*

Ad Philip 1. c. 21.

28. Carolus igitur præcelso animo temporalia cuncta despiciens, ac miro pietatis studio, & quæ futura sint comdeuota plexus mente, vt pro anima sollicitus, ac mortis iugiter memor sibi post mortem consuleret, sacra ipsa funebria solemniter sibi adhuc viuenti præter cōmunem omnium morem anniuersaria fieri voluit. Quæ sanè quam grata mortis memoria accideret, palam cunctis procul dubio ostendit adeoque Famianus strada in sua Belgica historia hæc habet: *Exequiarum occasione* (inquit) *quas matri anniuersarias persolueret, noua incessit animum cupido, si liceret, et suas celebrandi, reque communicata cum Ioanne regulæ Hieronymiana familia, qui eius conscientiā moderabatur; Cum is insolitum quidem illud, pium tamen, ac salutare dixisset apparari funus sibi quàm primum iussit. Ergo excitatur in templo tumuli moles, funalibus illuminatur, atrati circumstant famuli, mortuale sacrum moesto Monachorum cantu peragitur. Ipse funeri superstes suo spectabat in illo imaginario munere veras suorum lacrymas, audiebat exequiale carmen, placidam sibi requiem beatus inter sedes implorantum, eademque ipse sibi suffragia psallentibus immistus exposcebat. Deinde sacrificanti proprior factus, eique tradens, quam gestabat accensam facem sublatis in*

Carolus funebre sacrū pro se adhuc viuens vti pro mor tuo fieri mādat.

Famianus strada e Societat. Iesu lib. 1. de Bello Belgico Decad. 1. pag. 9

Præsens suo funeri Carolus adstā vicinam mortem auspicatur.

cælum oculis: Ego te (inquit) vitæ, ac mortis Arbiter, oro, quæsoque vt queadmodum hunc oblatum à me cereum sacerdos capit, sic commendatam in manus tuas hanc animam tu,, quandocumque libuerit tibi, in sinum, complexusque tuos benigne suscipias Tunc vt erat pulla fluxaque opertus veste humi procubuit, renouatisque omnium qui aderant, lacrymis, quasi depositus suprema lamentatione comploratus est. Atque hoc videlicet rudimento Carolus vicinæ iam morti præludebat. Hęc de Caroli Augusti ad mortis aspectum, ac memoriam vt mortalitatem aliquando exueret, gestientis regali non tam funere, quam festiua ad funus pompa & apparatu, Famianus.

28. Nec vero silendum hic est quod Petro Vellio, qui apud Indos intima S. Francisci Xauerij, Indiarū Apostoli consuetudine vtebatur, supremū vitæ diē cogitanti aliquando accidit Tantum enim illi seria eiusmodi meditatio profuit vt sibi viuenti pia demortuorū officia persolui cuperet cunctisq; in pauperes, quas possideret, diuitijs elargitis pauper mori, cupiēs, nō nisi eleemosynis diues in cœlū abierit, de quo isthæc olim Tursellinus: *Hic (inquit) post aliquot annos de instante decessu pręmonitus colligere sarcinulas cœpit. Igitur compositis rebus domesticis reque familiari magna ex parte in pauperes diuisa adhuc valens, vigensque ad vltimum illud discrimen comparare se. Aderat iam supremus vitæ dies, cum ille ad sacram profectus aedem, Parochum perpulit, vt pro Petre Vellio piaculare sacrum quod à Defunctis nomen habet) solemni ritu faceret: cui ipse interfuit, se iam numerans in mortuis, Inde singulos amicorum conuenit: eosque valere iubet, peregre abiturus. Sciscitantibus quo tandem iter intenderet respondit: In cælum.* Hæc scriptor, quibus profecto docet, quod pia, ac sollicita Mortis cogitatio non nisi in Christi regnum ac vitæ finum suos præmittere consueuit.

Petrus Vellius apud Indos S. Francisco Xauerio familiaris mortis cogitatione proficit.

Tursell in vit. S. Francisci Xauerij lib. 5. cap. 3. pag. 197.

Piaculare sacrum sibi viuenti peragi vult.

29. Quod sane mortalium documēto suoque satis exemplo Albertus magnus, scientijs omnibus apprime excultus, sed mortis cultu, ac obsequio dignissime cunctis mirandus, de quo isthæc gestorum ipsius Compilator: *Ille (inquit) tantra hilari vultu, ac læto animo diem sui excessus expectans, & cum Apostolo cupiens dissolui, & esse cum Christo, abiecta iam prorsus omni cura legendi, atque scribendi, soli Deo vacabat, & quotidie locum sepulture suæ inuisens horarium pro se ibidem celebrabat defunctorum officium: Sic tanquam in horas paratus ad exitum diem obitus sui pręstolabatur.* Ità plane ad æternitatem properanti omnis huius vitæ mora mors est; dissolui enim cum Apostolo cupit, vt possit esse cum Christo.

Aut Flamin. in vit. Alberti magni cap. 3.

Albertus magnus in scientijs conspicuus.

Quotidie sepulchri locū aspicit & ibi præces effūdit.

30. Huic pari in mortis obsequium studio, nec minori æternitatis desiderio conspicuus, iungendus est Henricus secundus, Comes de RotenecK Comitis Rheinhardi de RotenecK filius; Archidiaconus, & Ratisponensis item Canonicus, qui tandem anno salutis 1277, eiusdem Ecclesiæ Episcopus Rodulpho Romanorum rege imperante mira de se cunctis virtutum exempla præbuit, sed mortalis præsertim vitæ contemptu, & cœlestium item bonorum, ad quæ iugiter aspirabat, desiderio præfulsit de quo rerum Metropolis Salisburgensis scriptor hęc habet: *Henricus (inquit) anniuersarium obitus sui diem, quatuordecim annis antequam moreretur, instituit, vt eiusdem celebritati cum candelarum accensione, & campanarum pulsu, quot annis factę præsens interfuit, & induuias sepulchrales in memoriam mortis præparatas semper ad lectisternij sui latus ad manus habuit.* Terrenis quippe vinculis vir cœlo dignus absolui iugiter cupiens, ipsius mortis exuuias, lætis res sibi gratissimas oculis respiciebat.

Lætus, ac pie moritur.

Henricus Episcopus Salisburgēs mortis memoriam sem per habet.

Quatuordecim annis adhuc viuens anniuersariū mortis fieri vult.

30. Post supremos autem Romanorum Principes aliosque itèm dignissimos viros quorum grata nobis hactenus mētio extitit, & immortalis adhuc in Dei Ecclesia laus, & memoria viget, hic iure merito Alexander Oliua de Saxoferrato, Ordinis Fratrum Heremitarum S. Augustini, & S. R. E. Cardinalis recensendus est, qui raro cunctis exemplo conspicuus, suam præsertim austeritatis, & pœnitentiæ operibus vitam, ac simul purpuram amplissimis veluti radijs decorauit. Enim verò sapientissimus vir, cum externa, quæ Cardinalitiam decet purpuram, pompa, humilem quoque, & qui religioso par est homine, cultum iungens, miris vndique in Ecclesia virtutibus præfulsit: hæc enim de ipso Ioannes Gobelinus narrat: *Internitebant* (inquit) *con-*

Alexander Oliua S. R. E. Cardinalis iugiter mortis memor.

Vigleus nud in oper. quod de Metropol. Salisburg. tit. de Episc. Ratispon. 33. pag. 208.

conuenientibus pannis parietes, ipse afsiduo cilicio premebatur. Stabat pro foribus lectus pluma, purpuraquè instratus, ipse nunquam nisi quotidiana in veste dormiuit, habitu illo cucullari ne in morte quidem intermisso: pannis lineis vsus est nunquam: foris fastum, & delicias ostendebat, intus se quotidianis afflictamentis emacerabat. His vtique patiendi cupidus se vltrò præsul admirandus volens, libensquè pęnis, incommodisquè foris cardinalem & purpuram exhibens, intus verò pauperem monachum celans, & vel clandestinis exercitationibus, oculos mortalium fallens, soli tamen Deo se ipsum in abscondito reuelans, summa apud Deum meritorum laude profecit; qui imminentem sibi priùs, quàm lecto decumberet, supremum vitæ finem diuinitus prænoscēs, palam, vt Auctor tradit, suis edixit: *Sepulchrum* (inquit) *erigi clam iusserat in scrinij speciem, ita vt aperiri facilè posset: intus imago inerat depicti Cardinalis mortui iacentis eo habitu, oris, & vestium his lineamentis, quibus ipse erat, inscriptumquè in interiori latere sepulchri: In omnibus operibus tuis memorare nouissima tua, & non delinques in ęternum; id sepulchrum ipsi nesciebamus, scrinium stipatorium rati: pictor eo mortuo confessus est, se iureiurando adactum, ne cui patefaceret. Aperiebat autem, vt postea cognitum est, quoties oraret, ibiquè speculabatur, &c.* Hęc ille.

Purpura homini splendorem, sed mundi contemptus ipsi purpuræ honorem confert.

Rainald. an. 1463. n. 110.

Ioannes Gobelinus in eius vita.

Sub purpura cilicium, & sub splendida veste monachum præ setulit.

Sepulchrum in scrinij speciem sibi aptat.

A pictore picta mortis imago latens in scrinio, silentio celatur.

32. Quantum verò vir adeo pius, & sacra Dei nutu purpura insignitus mortem assiduè cogitando, mundanarum in primis rerum, ac sui summos inter honores contemptu profecerit, his Auctor verbis exponit. *Priuatas* (inquit) *ceremonias intermisit nunquam, preces horarias non absorbebat, vt facimus pleriquc omnes: Testor hoc sacratissimum, in quo sumus, templum singulis diebus sex illum horas solitum consumere in officio exoluendo, adeò verbum seiungebat à verbo, clausulam clausula dirimebat, pondere vocis raro, & aperto; audiebat missas tardiusculè, cum esset liber, nec antequam, qui conuenissent aliquid acturi, audisset omnes. Interrogatus, cur ità faceret, quoniam (inquit) ad opus Dei expeditum accedere oportet, non inuolutum negotijs; pendebat in missa attonitus, collacrymabat, nonnunquam extrà se rapi videbatur. Cum quid esset non rectè curatum à suis. In missa celebranda illud semper asserebat, ea erat obiurgatio: Maledictus homo, qui facit opus Dei negligenter. Tectum occurrebat nullum, in quo suos non hortaretur ad quietè, honestequè viuendum: hęc duo petere se à suis aiebat, Concordiam, & honestatem, cætera omnia ex arbitrio permittere; familiarem, quod in ęde sacra fœminam salutasset, domo eiecit. Cum quid audiret commissum à suis flagitij, erumpebat in lacrymas, sequè è conspectu tristissimus eripiebat. Mensa parca, & proxima priuatæ.* Et infra; *In cęna, & prandijs, aut sacræ historie, aut homilia Sanctorū perpetuò in mensa legebantur. Vbi si quid esset scriptum dubiusculè, ipse interpretabatur, cęteris in rebus silentium erat, prandium disputationes quotidianæ excipiebant: de rebus sacris porrò quæstiones duas in horas trahebantur, nunquam minùs, quàm in vnam.* Exacta igitur vitæ norma, & digna morum censura, necnon pretiosi temporis salubriter expendendi cura, religiosum hominem Christiano orbi apprimè illustrem fecere. Cuius fèlix e vita exitus his meritò à Gobelino, sepulchralis instar tituli, notis exornatur.

Ioannes Gobellinus vbi supra.

Pia purpurati hominis studia.

Vacat foliciter tum Deo, cum sibi, tum negotijs.

Quæ festi diebus ipse laudabiliter exercuit.

Vitæ ipsius parcitas, & pia studia.

Ioannes Gobellinus vbi supra.

33. *Alexander* (inquit) *Cardinalis S. Susannę non sine summi Pontificis mærore febre correptus extinguitur, cuius vitæ sanctimonia cum per omnem vitam emicuisset, tum maximè in obitu claruit, quia etsi dies quamplures agonizauit, nunquam tamen intermisit de fide catholica disputare, symbolum exponere, abstrusos scripturarum sensus aperire, dubiaquè resoluere; hortari astantes ad euangelicam vitam, ad cælestis patriæ desiderium erigere, contemnenda esse huius promissa sæculi, quæ velis, nolisquè, relinquere oportet; in ea patria thesaurizandum, cuius gaudia fine carent. Cum rogaretur testamentum facere: Animam (inquit) meam Deo relinquo, Pio Pontifici corpus, & hęc, quæ vocantur sæculi bona: ipsi familię curam, & sepulturæ meæ committo. Deindè quasi dormiens expirauit ingens Sacri Collegij decus, in quo fulgor cum doctrinę luce contendit. Potuerant sine damno nonnulli homines perijsse, in hoc graue vulnus accepit Ecclesia.* His planè testatissimis Alexandri pietas laudum pręconijs posterorum memoriæ consignari meruit.

Sanctitas, & si per omnē vitam, sub finem tamen maxime elucet.

Ita se habet moriens quasi semper cū Deo victurus.

34. Mors igitur, quæ suprema vitæ

linea

linea est, ac veluti iusta culpam à tergo pœna consequitur, exoptatum quàm pluribus (vt videre est) ad vitę imortalitatem aditum pandit. Quod sanè adolescenti olim contigit, qui ad inuisendū monachum veniens, defuncti, dum sepulchro inferretur, monachi aspectu ad religiosam vitam traductus, feliciter tandem, Deo aspirante, supremum diem clausit; de quo isthęc Cęsarius: *Frater Thedoricus* (inquit) *Monachus noster, cum adhuc adolescens esset in sęculo, sacerdotem quemdam cognatum suum iam nouitium visitare venit. Contigit interim fratrem mortuum sepeliri, quo sepulto cum conuentus dicta Antiphona: Clementissime Domine circà sepulchrum hinc inde cum multa humilitate veniam peteret, diceretquè: Domine miserere super peccatore, ità est compunctus, ita ad conuersionem est accensus, vt qui priùs à Domino Geuardo Abbate admonitus conuerti noluerat, ab illa hora, vt susciperetur, vix multis precibus obtineret. Talem modum suę conuersionis sępe mihi recitauit tempore suę probationis; recitauit mihi & frater Bernardus monachus noster in Velatio Monasterio ad visionem similis venię primùm voluntatem conuertendi concepisse.* Mors namque vel semel, obiterque in terris viuentium visa, sana quæque, ac salubria menti consilia ingerit, & obluctantes licet, ac rebelles animas in vitæ semitam adducit.

Mors plerisque aditum pandit ad immortalitatem.

Cęsarius lib. exemp. 1 cap. 21. pag. 33.

Iuuenis monachum mortuum cernēs mori sęculo statuit.

Sæculo se abdicās monachi habitū induit.

35. Mortis quippe, ac Iudicij metus, ac memoria homini ad abstinendū à peccato frenum, & quidē præ cunctis efficax est, vt Baldesanus de iuuene ad mortis duntaxat aspectum intime compuncto, & à peccando posthæc absterrito sic tradit: *Nobilis quidam* (inquit) *adolescens ex potenti Ciuitate Italię cum esset immersus voluptatibus, accessit quodam die ad Confessarium, qui multa ei proposuit de pœnitentia agenda. Sed huic adeò noua, & terribilia videbantur, quę à Confessario dicebantur, vt multis pœnitentię modis propositis, negaret se vllum ex ijs posse pati. Quid faceret Confessarius? hoc solùm monet, vt saltem quartam horę partem impendat in hac cogitatione: Iaceret se in lecto brachijs in formam Crucis compositis, ad caput cereo, ad pectus Crucifixi imagine, cogitans, quid vellet tunc fecisse. Paruit adolescens, itaut repentè illustratus conspecta peccati grauitate, totus in lacrymis solueretur. Postridie ad Confessarium accedens miro cum dolore peccata sua defleт, & iam longè maiores paratus assumere pœnas, initium fecit melioris, ac sanctioris vitæ*, Ità profectò ad mortis conspectum mortuus pridem Deo reuixit, vt æternum sibi, ac Deo posthac viueret.

Marchantius in horto Pastorum lib. 1. cap. 21. pag. 33. rac. 3. de remed. tentat. p. 310.

Mortis & Iudicij consideratio peccando frænum.

Nobilis adolescens præferocis ingenij mortis obiectu mitescit.

Piè à Confessario edoctus totus immutatur ex Marchantio.

36. Quid verò ad compungendum salubriter hominis, cor, & ad efficaciter suadendum seria mortis contemplatio valeat, prolatis recentis quoque memoriæ exemplis idem Marchantius ostendit, qui isthæc addit: *Quædam* (inquit) *Domicella sęculi vanitatibus erat addicta. Et cum ageret cum ea Confessarius ipsius de pœnitentia, & austeritate aliqua subeunda, multiplicemquè pęnitentię modum suggereret, non lubens illa audiebat, sed detrectabat. Tandem imponit ei, vt quoties manus ablueret, in se ipsa dicat: Caro hæc à vermibus comedetur. Hanc acceperat pęnitentiam, & adeò felici successu, vt breui exinde tempore vitam mutaret, & intantum pietati sese addixerit, in quantum antea vanitati. Testis est Pater Cotton semet de Norco.* Hæc ille, quibus isthæc subdit: *Quidam similis adolescens totus sęculo vitijsquè deditus, ad bonam mentem reduci non poterat, & omnem de pietate sermonem fastidiebat. Vir quidam religiosus hoc solum rogas, vt illud consuleret: Subter te sternetur tinea, & operimentum tuum erunt vermes. Id verò ità efficaciter ei inhęsit, vt citiùs, quo ieiunium, aut diuturnum cilicium, animum ad vitę, & morum conuersionem addere potuerit. Vndè & paulò post consideratione seria illius sententię impulsus Ordinem S. Dominici est ingressus.* Mors igitur pręuisa, immortalem homini vitam parit.

Mulier delicijs assueta à Confessario mortis memoriam discens, vitam corrigit.

Marchantius vbi supra.

Quidam monitus illis prophetę verbis, vitæ errores retractat.

37. Tantum quippe seria mortis cogitatio ad noxia quæquè ab animo procul ableganda vel in perditis quandoque hominibus valet, vt præsentissimum vitiosis quibusque ad curandos animi morbos remedium, & maximum ad Christianas virtutes acquirendas incitamentum sit. Quod S. Philippus Nerius Congregationis Oratorij fundator, tanquam prouidus in spiritu pater, & longo iam experimento in prouehendis, exercendisquè ad virtutem suorum animis, & peccatoribus præsertim ad Deum traducendis peritissimus, probè sciens, id vnum

Petrus Iacobus Baccius in vit. S. Philip. Nerij lib. 3. c. 6. n. 3.

vnum in vsu frequenter habuit, adeoquè perdito cuidam homini, consueta vsus agendi lenitate, mortis duntaxat pro medicamento memoriam iniungens, ipsum Deo tandem feliciter lucratus est; Hæc enim in conscriptis à Baccio Beati viri gestis habentur: *Hac eadem* (inquit) *spiritus lenitate iuuenem quoque perditissimum ad bonam frugem perduxit; id vnum hortatus, vt singulis diebus Antiphona, quæ incipit, Salue Regina, Virginem salutaret; terramquè deosculans, secum diceret: Cras vtique esse mortuus possem. Hoc ille præstito, breui laudabilem vitæ rationem instituit, ac post annos quatuordecim non sine magno salutis indicio mortem obijt.* Mortis igitur memoria, ac metu, qui pridem mortuus fuerat, extemplo reuixit, & animę vitam Deo aspirante absterritus morte lucrifecit.

Baccius vbi supr.

Iuuenē perditū sic Deo lucratur.

37. Sic itaque de futilibus sęculi nugis, blandisque voluptatum illecebris nobile haud semel Mors triumphum agit, adeoquè inter Cupidines, ac Veneres de ipsamet Venere palmam præter cunctorum expectationem refert, vt, quod Nicius tradit, rem cunctis testatissimam facit: *Romæ* (inquit) *iuuenis quidam ex Sodalitate Deiparę Virginis Assumptę in ędibus Patrum Oratorij, adeò in pijs operibus, quę sunt eius Sodalitatis propriæ, se exercebat, vt cęterorum ferè studia assiduitate, diligentiaquè anteiret, & à cunctis in exemplum virtutis, probitatisquè susciperetur, quod cum perpetuus humani generis hostis animo iniquissimo ferret, ac doleret, inter tot peccandi illecebras ętate integra hominem animum integrum, inuiolatumquè seruare, atque in humano corpore vitam imitari Angelorum, dedit operam per flagitiosos homines, vt pręsertim meretricijs amoribus irretitum in sua castra pertraheret. Quamobrem eius impulsu iuuenes aliquot primùm in ea omnes industrię suę neruos contenderunt, vt in meretricis cuiusdam domum secum vnà perducerent. Sed cum id parùm procederet, alia uia castissimum eius propositum sunt conati peruertere. Die quodam conscia etiam muliercula, apud quam in hospitium ille diuerterat, ætate integra, & forma egregia mulierem eius in cubiculo claudunt, atque his præceptis onerant, videlicet, vt aduenientem comiter excipiat, ac blanditijs, & illecebris captum ad nequitiam adducat. Illa satis, superquè ad malitiam instructa, plus ex se datu-*

Mors de sæculo, ac Venere sæpe, sæpius triūphat.

Nicius Erithræus l. exēpl. virt. & vitiorū exempl. 34.

Iuuenis acriter à Dæmone tentatur.

Ad carnis illecebras per flagitiosos allicitur.

Per mulierē domi cōclusam ad ruinā, alter velut Adam, pertrahitur.

ram pollicetur, quàm illi poscerent. Itaq; insidiarum huiusmodi ignarus, à pijs suis exercitationibus iuuenis rediens, pedem intrò in cubiculum infert, eum meretrix docta dolis insistit. Ille egregio mulieris aspectu ex improuiso percussus, sensit se non minimùm cōmoueri, sed statim animum recipiens, spiritu Dei plenus, arrepto cadaueris humani capite, quod ad meditationem mortis habebat, id illi prodeunti sibi obuiam obiecit, ac mox (inquit) *pessima tua isthæc facies tam cōpta, tam fucata, tam nitida ad istius similitudinem horrorem incutiet. Hoc spectaculo exterrita, planè vehementer exhorruit, ac fusa in lacrymas illius ad pedes accidit, veniam orans; Qua impetrata, longè alia discessit, ac venerat; Nam postridiè flens, ad sacerdotis pedes se obiecit, vt seria, ac diligenti confessione prateritæ vitæ sordes ablueret, ac cum Deo rediret in gratiam, cui deinceps, eiusquè Virgini matri obsequentissima quoad vixit, fuit:* Ità profectò infamis, ac deperdiri pudoris mulier à morte, eiusquè simulacro veram sui notitiam, & visu vitam pariter hausit.

Arrepto cadaueris humani capite Diabolo se tentanti caput infringit, & victor remanet.

38. Narratis insuper, & coronidis instar ad rem probè euincendam, ipsius Nicij verba christiano planè Philosopho digna subtexenda hic sunt, quibus mortis ipsius memoriam seriò recolenti ad cunctas sæculi, & diaboli fraudes cōstanti animo reijciendas præ omnibus efficacem comprobat; hæc autem ad rem ille: *Et sanè* (inquit) *nulla res tantam vim habet vel ad comprimendos libidinis æstus, vel ad compescendas inanium rerum cupiditates, quàm mortuorum aspectus, aut arida eorumdem cadauerum ossa. Tunc enim non cogitatione solùm, vel auribus, sed oculis ipsis accipitur, corpus hoc nostrum tantopere à nobis cultum, & in delicijs habitum, nil nisi fetidum cęnum, ac funestum esse puluerem, atque tantum huic rei ad vitam honestè, ac laudabiliter exigendam viri omnium sanctissimi tribuerunt, vt in ipsis mortuorum sepulchris tabernaculum vitę collocarent. Neque vsquam tutius aduersus carnis, ac mundi illecebras habitari posse ducerent, quàm vbi mortis memoria altiùs in ipsorum animis insideret, nec ab eius vnquam excideret.* Quibus isthæc subtexit: *Quàm multi* (inquit) *in historijs sacris leguntur, qui visis cadaueribus eorum, quos vnicè in vita dilexerant, vel propter honorem, vel formam, vel*

Nicius Erithreus lib. exem. virt. & vitior. exempl. 15. pag. 19.

Mortis meditatio præ omnibus cōtra peccatū efficax.

Sepulchrū tutum aduersus carnis, & mundi illecebras domicilium.

Nicius vbi supra, & in gestis B. Frācisci Borgiæ Societ. Iesu apud Surium die 30. Septembris.

vel gloriam propè in Deorum numero habuerant, repentè ab inanium rerum cogitationibus animum abduxerunt, & in Deo collocarunt? Insigne est illud, & à multis sæpe cõmemoratum, B. Francisci Borgiæ, Gandiæ Ducis exemplum, qui cum an. sal. 1539. Isabellæ, Caroli V. Imperatoris coniugis mortuæ faciem adeò tetram, adeò fœtidam esset intuitus, vt neque etiam aspectum ferre, neque exeuntem ab ea fœditatē odorẽ pati quisquam eorum, qui aderant, possent; ac cogitans, quò demum humana gloria fastus reciderent, vsque adeò commotus est, vt statim de nouo vitæ genere ineundo cogitauerit, & quàm primùm potuit, Principatu, ac reliquis vitæ commodis repudiatis, Societatis Iesu humili tum, ac neglectę pauperum familiæ nomen dederit, in eaquè ad extremum vsque spiritum sanctissimè vixerit. Tanti meritò momenti est, vel sero, sed seriò mortis, ac funebrium meminisse ad sedandos lubricos, componendosque hominum mores, ac dignã vitæ rationem salubriter instituendam, vt ad commoriendum mundo, ac Deo viuendum, vel sola mortalium quosque mortis meditatio impellat; Sed quàm efficax hæc vna sit ad exleges homines ad pęnitentiam traducendos, idem his verbis Auctor testatur.

B. Franciscus Borgia fœtido Isabellæ Augustæ viso cadauere nouum vitæ genus auspicatur.

39. *Neque illud* (inquit) *prætereũdum est, quod de adolescente quodam nobili narratur, quem ipsi multis ab hinc annis sumptuosè, eleganterquè vestitum, equoquè insidentem tota Vrbe vagari conspeximus. Hic cum honesta in primis forma mulierem adamaret, sectaretur, eidemquè propemodum vt Deæ honorẽ haberet, nescio quo casu biduum domi se continuit, neque quisquam adfuit, quem percontari, quid rerum ea mulier ageret, posset. Sed cum demum tanquam diuturnam sitim explere cupiens, iret, vt eius aspectu oculos pasceret, fortè qua iter habebat, in ęde quadã sacra animaduertit mulieri mortuæ exequias fieri. Accedit, inspicit, atque in eius facie magnam eius mulieris, cuius erat cupiens, similitudinem reperit. Quærit, ecquę sit ea mulier? audit; eam esse, quam deperibat, cuiusquè aspiciendæ tanta cupiditate flagrabat; eam enim bidui morbo consumptam, illuc elatam esse, vt sepulturæ mandaretur. Quæ res tam repentina, tam noua, tam atrox, quam illi admirationem, quem horrorem, quem animi dolorem incusserit, non est necesse dictu; sed in aliorum cogitatione relinquitur, ac nihil propius est factum, quàm vt ibi ex ægritudine mortem obiret. Verùm cum se paulùlum collegisset, illinc vix viuus excessit, ac reuersus est domum; vbi cum in acerrima, attentissimaquè cogitatione defixut hęreret, paulatim traductus est ad rerum humanarum varietatem, inconstantiamquè, ad vitæ breuitatem, ad mortis necessitatem, ad formæ muliebris vanitatem contemplandam, atque in eiusmodi cogitatione adeò diuinæ gratiæ lumine illustratus est, vt rebus tam falsis, tamquè fallacibus se subducere, & ęternam suam salutem in tuto collocare statuerit, ac ne longum faciam, paucis post mensibus arctissimam ferè omnium, quę nunc vigent, religiosorum familiam ingressus est, in eaquè, quoad vixit, cęteris exemplum castitatis, abstinentię humilitatis, virtutumquè omnium extitit.* Certa igitur animi salus ex fortuito interdum mortis aspectu, cunctaque simul virtutum bona è suprema mortalis vitæ, quæ instat, periodo deriuant. Quapropter vnicuique apte hic sub finem sapida Augustini verba occinunt: *Times* (inquit) *mortem ad momentum, veniet, & si nolis: times pænas in ęternum, non venient, si nolueris. Ergò Quia eligere non potes, ne hic moriaris, elige, ne in ęternũ moriaris.* Sed ad alia interim orationis stylus recurrat.

Ianus Ni. eius vbi sup. exemplo 15.

Adolescens, qui fęminã deperibat, casu in templo mortuã deprehendit.

Horrore, ac admiratione perculsus, Deo viuere statuit.

Paucos post menses viti retractãs austerioris obseruãtię domum ingreditur.

Aug. ser. 14 de Sanctis.

CAPVT VII.

Iudicij, quod post mortem remanet, timore absterriti, anteactæ vitæ errores corrigunt.

1. EXtremi, quod Mortalium tandem ceruicibus imminet, seuera Iudicij trutina, & certa insuper venturi Iudicis expectatio, nedum interim vnumquẽque satis nunquam exagitat, & pro se valide instando sollicitat, sed sic insuper intima humani cordis peruadit, vt nil ad suadendum, absterrẽdumquè aptum, atq; efficax magis existat, vt suo olim Apostolus Athenienses adhortans oraculo comprobauit. *Nunc* (inquit) *annunciat hominibus,* (Deus videlicet) *ut omnes vbique penitentiam agant, eo quod statuit diem, in quo iudicaturus est Orbem in equitate.* Is namque, ac tantus est, quo mortalium quisque ingesta futuri Iudicij cõmemoratione

Nil ad absterrendũ hominem Iudicio Dei magis efficax.

Actuũ Apostolor. c. 17. num. 31.

Greg. moral. in lib. 38, n. 13.

ratione, afficitur metu, *vt quæ pessima* (vti Gregorius ait) *securitate durauerant, salubri timore mollescant, quatenus vel serò redeant, & hoc ipsum saltem, quod diù expectati sunt, erubescant*. Adeoque ingesta Iudicij mentione Homo sapere incipit.

Christus iudicij commi natus tribunal, diem tamen tacet.

2. Quapropter Altissimus ad cunctos in officio mortales salubriter continendos, & vt suo deuotos obsequio redderet, Iudicij duxtaxat tribunal comminatus, diem tamen nouissimum quo hæc fient, latere penitus homines voluit, vt qui semper venturum Iudicem timent, non secus ac mox ipsius parent se conspectui præsentandos, & sic aduentum, morasque venturi Iudicis vigilando præueniant. Quod sanè prouidentissimo Dei consilio agitur: *Vt timorē* (inquit Ambrosius) *omnibus Iudicij imminentis incuteret, nec securitatē dilationis offerret*. Hinc Iobus virorū sāctissimus pauendo diuini Iudicij obiectu, nō secus ac compendiario malorū cumulo, ac irarum Dei impendente ceruicibus gladio latere apud Tartarum, quàm vel semel coram Iudice apparere maluit: *Quid faciam* (inquit) *cum Surrexit ad iudicandum Deus?* Qui & alibi eiusce modi, quo tenebatur, metum exaggerans. *Quis mihi hoc tribuat* (aiebat) *vt in Inferno protegas me, donec pertranseat furor tuus*. Bernardus vero lugubrem, funestamque dici, quo Iudex venturus est, faciem, suo amarulenter stylo adumbrans: *Veniet, veniet* (inquit) *Iudicij dies, vbi plus valebunt pura corda, quàm astuta verba, & conscientia bona, quàm marsupia plena; quandoquidem Iudex ille nec falletur verbis, nec flectetur donis, &c.* Hoc sanè præ cunctis Hieronymus se iugiter terrore præuentum sentiens, illisque altiùs verbis inclamans: *Siuè* (inquit) *bibam, siue dormiam, siue aliud agam, semper mihi in auribus insonat tuba illa terribilis. Surgite mortui, venite ad iudicium*. Euigilabat profectò pugil inuictus, ac sapientissimus suis somnum ab oculis excutiendo, qui vel vnico saltem momento Iudicij ab animo excutere metum, ac abigere procul nequibat.

Ambrosius luca 17. n. 20.

Iob. cap.

Iob Iudicij diem metu honorat.

Bernardus epist. 1. ad Robertum.

Iudex nec verbis falli tur, nec donis flectitur ex Bernardo.

Hieronymus in Epist.

Hieronym. vbi supr.

3. Quo item Nazianzenus assiduè, ac vehementer intus in animo extimulatus, ac propterea semper sub Iudicij impēdentis trutina diè, noctuquè insomnis, ipsoque sub Iudice constitutus tanquam reus inter mortis laqueos obdormiens palpitabat, vt in suo Iambico his notis fatetur.

> *Ac parte vigilem maxima vitam ago:*
> *Nam dormientem me labor pungit quoque.*
> *At si soporis quidpiam capiem, gemo,*
> *Nam spectra mortis aspera mecum afferunt.*
> *Censura, Iudex, statio, cui comes tremor.*

Nazianzenus futuri iudicij, metu velut clauo configitur.

Nazianzenus in suo Iambico 19.

Quis enim est, qui sub funestæ, ac fatalis buccinę ad prælium, quin imò ad stragem euocantis sonitu non totus iugiter contremiscat, soporemque non statim ab oculis, & ab animo securitatem ablegет? Cum vel solus pauor ad mortalium cunctos simul prosternendos, & in altum mentis stuporē adducendos se ipso Hieronymo teste sufficiat: *Siue* (inquit) *leges, siue dormies, siue scribes, siue vigilabis, Amos tibi semper buccina in auribus sonet*. Hæc ille. Ni forte hic Amos pro Sophonia, qui Iudicij diem, diem tubę, & clangoris appellat, haud casu, & absque mysterio sit appositus.

Hieronymus quid quid ageret iudicij tubā suis semper auribus insonantem audit.

Hieronymus in regula monachorum Sophonia. 1, vir. 16.

4. Pauendum igitur Christi ad Iudicium properantis Tribunal magis, quàm vel ipsiusmet regnantis thronus, ac maiestas, mortalibus inter contemplandum emolumento est. Ex ipso Christi etenim regno, cuius consortium quisque optabundus sibi repromittit, non nisi vana aliquando præsumptio; ex Iudicio autem iusta ipsius, ac salubris ad mores rite excolendos formido, Ambrosio edisserente prouenit: *Nihil est* (inquit), *quod magis proficiat ad vitam honestam, quàm vt credamus esse Iudicem futurum, quem occulta non fallant, & indecora offendant, & honesta delectent*. At prouido, sapientiquè suo rem calculo Gregorius expendens, pœnitentibus quidem spem, metum verò pauendi ipsius Iudicij obiectu peccantibus conciliari affirmat: *Quia fines* (inquit) *Terræ Dominus iudicat, conuersus peccator priora, siuè media non expauescat: iustus inchoata, iustitia non præsumat*. Sed ne interim rem gratis asserere videamur, hic eorum præsertim, qui Iudicij metu e[illegible] se ad perfectioris vitæ normam pœnitendo traduxere, in præ-

Tribunal iudicantis, magis quam maiestas regnātis oculis habendum.

Ambrosius lib. 1. officiorū cap. 26.

Quantum ad compungendum vim habeat ex Ambrosio.

Gregorius lib. Moralium.

sens nobis mentio recolenda se offert.

5. In primis verò Solitarij illius,qui in Choreb habitans cum diù negligenter vixisset, nullam sui gerens,atque animæ curam, graui tandem morbo perculsus, & ad extrema perductus, mortali è vita migrauit; at post horam ad se ipsum rediens, rogansque, vt omnes abscederent, obserato çellæ aditu sic duodecim integros annos ibi solitarius mansit, & solus attonitus,quæ pridem viderat, reuoluens animo,amarissimis se ipsum lacrymis respergebat. *Cumquè iàm* (inquit) *morti proximus esset, rupto aditu ingressi sumus, cumquè ab eo doctrinæ verbum supplices requireremus, hoc tantùm audiuimus: Ignoscite mihi, nemo, qui Mortis, & Iudicij memoriam verè agnouerit, peccare vnquam potest.Nos verò mirati sumus talem in eo, qui adeò negligens fuerat, beatissimam transformationem.* Seria Iudicij profectò memoria, ac metus intimè hominem peruadens, breui in alium ferè immutandi vim habet.

Solitarius in Choreb habitans ex Iudicij metu mire proficit.

Ioannes Climacus in fer. cap. 6.

Quid moriturus alijs dicat.

6. Tāti aurē quibusuis vel obiter Iudicij interdum mentio mortalibus prodest, vt ipsa nihil efficacius ad reuocandum perditum quemque à malo suppetat; Quapropter vir olim (vt appositè Ludouicus Granatensis Pręedicatorū Ordinis docet) suo post mortem amico apparens, maximisque excruciatus doloribus, magna item, & lamentabili voce exclamans, ipsius isthæc auribus intonuit: *Nemo* (inquit) *credit, nemo credit; quem amicus expauescens rogat, quid sibi eiusmodi exclamatio vellet. Cui ille. Nemo credit, quàm strictè iudicat Deus, & quàm seuere castigat.* Quę sanè verba in primis ipsi, ac cunctis subinde ad Christianæ vitæ profectum, moresque salubriter excolendos haud parum posthac profuere. *Casus quippe* (vt alibi ait Chrysostomus)*pro concione fuit.* ac viuos sic mortuus docuit.

Fr. Ludouicus Granatensis de peccandi consuetud. cap. 7.

Qnidam amico post mortem iudicij rigorem inculcat.

Chrisost. in act. Apost.

7. Et si quidem quàm iusta,quam rigida,quam seuera ad Dei Tribunal trutina singulorum tum culpæ, tum merita expendantur Carolus Magnus, dignissimus Romanorum Imperator,cunctorum olim documento iuxta historici isthæc narrantis fidem expertus est, qui acerbas à Dęmone inter accusandum angustias perpessus, satis rigidum Dei in se iudicium persensit, & non nisi Deo propitiante ab exactoribus tandem liber euasit, de quo eius vitæ Auctor hæc tradit: *Cum apud Viennam* (inquit) *in Ecclesia ante Altare die quodam raptus in estasi precibus insisterem, psalmum, Deus in adiutorium, &c. cantarem, tetrorum agmina innumerabilia militum ante me præterire, ac versus Lotharingiam tendere agnoui. Qui cum omnes pertransirent, intuitus sum quemdam illorum Aethiopi consimilem retrolento gradu alios insequentem: Cui dixi, quò tenditis? Aquisgranum* (inquit)*ad Caroli mortem tendimus, vt eius spiritum ad Tartara rapiamus. Cui dixi: adiuro te per nomen Domini Dei Nostri Iesu Christi, et peracto itinere tuæ dispositionis, ad me reuerti non renuas. Tunc modicum commorati, vt expleto psalmo, eodem ordine ad me redierunt, & dixi nouissimo, cui priùs locutus fueram: Quid egistis? & Dęmon: Gallicianus* (inquit) *sine capite tot, at tantos lapides, ac ligna basilicarum suarum in statera suspendit, quod magis appenderunt bona, quàm eius mala, & idcircò eius animam à nobis abstulit. Et his dictis Dæmon euanuit. Itaque intellexi eadem die Carolum ex hac luce migrasse, & subsidijs B. Iacobi, cuius Ecclesias multas ædificauerat, ad suprema meritò regna subnectum. Transactis post eius mortem diebus quindecim, per nuncium didici ab ipso tempore, quo ab Hispania reuerterat, vsquè ad diem mortis suæ illum assiduè ægrotasse, ac pro salute quorumdam defunctorum eodem die, quo ipse martyrium pro diuino amore susceperat, scilicet decimò sexto Kalendas Iuly duodecim millia vnciarum argenti, totidemquè talenta aurea, vestes etiam, & cibaria annuatim in omni vita pauperibus solitum erogasse, totidemquè psalteria, Missasquè, & vigilias cantari fecisse, atque eadem die, & hora, qua visionem ego videram, scilicet quinto Kalendas February,anno Dominicæ Incarnationis 813. ab hac vita migrasse, & apud Aquisgranum in B. Mariæ Basilica Rotunda, quam ipse ędificauerat, honorificè sepultum illum fuisse.* Hinc fit, vt merito vnicuique recolendum tribunal illud, pauendumque sit,in quo iustus,& æque sapiens ac potens & inexorabilis Iudex præest, de quo Iobus solemne illud, cunctisque exhortendum, & fulmen potiùs, quam verbum

Carolus Magnus Romanorum Imperator, Dei inter iudicandum seueritatem expertus.

Io. Turpinus Archiepiscopus Rhemensis hist. in vit. Caroli Magn. cap. 2.

Dæmones ad Caroli magni exitū frequentes.

Opera ipsius bona in trutina à Deo appensa.

Iustum Dei Iudicium multipliciter formidandum.

Iob. cap. 9. n. 3.

verbũ intonat: *Si voluerit* (inquit) *contendere cũ eo, non poterit ei respondere vnũ pro mille*. Cui regius item psaltes aptè consonans: *Non intres* (inquit) *in iudicium cum seruo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens*. Ità planè.

Iob. cap. 9. n. 3.

Psalm. 142. n. 2.

Psalm. 142. n. 2.

8. Supremi itaque Iudicis, ac pauendi simul Iudicij frequens apud homines mentio, & vel leuiter exhibita oculis vmbra, nedum ipsius imago tantam absterrendi, concutiendique homines vim habuit, quemadmodum olim Gentium Apostolo de rebus diuinæ fidei ad Felicem Proconsulem peroranti contigit; Vbi enim de Iudicio verba faciens, inire disputationem cœpit, exterrefactus Felix, sermonem protinus abrupit: *Disputante autem* (inquit Lucas) *illo de Castitate, & Iudicio futuro exterrefactus est Felix, &c.* adeò vt nouos propemodum Iudicio territus induisse spiritus videretur. Atqui idem fere Bogari Bulgarorũ Principi accidit, qui per exhibitas in pariete oculis, pictasque rerum imagines futurum Dei Iudicium probe didicit, & Christi fidem suscipiens, baptismo salubriter est initiatus; rem verò Curopalates sic narrat: *Aliud quoq;* (inquit) *accidit quod Principẽ ipsũ in veræ fidei cultu magis cõfirmanit, Insatiabiliter iste venationi deditus erat, qua oblectare se studebat, nõ modò, cũ venatum se conferret, sed etiã quãdo otiosus esset domi, idquè per animaliũ pictas figuras. Constructa noua domo Methodium quemdam monachum arte pictorem iussit domum illam picturis ornare; Verùm quasi diuina quadam prouidentia ductus, non præscripsit definitè, quænam, & qualia pingeret animalia, verùm quæcunque ipse vellet, iussit pingere, terribilia tamen essent, quæ pingerentur, vtspectantibus terrorem, & metum incuterent. Ille autem nihil aliud terribilius noscens secundo Christi aduentu hunc ibi descripsit. Cumquè iam finita illa esset pictura, conspicatus Princeps ex altera parte iustorum cœtum coronari, ex altera verò impios puniri, & à pictore percepta pictura mente, statim propriam eiurat Religionem. Imbutusquè, vt diximus, à S. Episcopo diuinis ministerijs, intempesta nocte sacrum percepit baptisma. Cum autem cognouerunt Nationis Præfecti commune mutatum religionis cultum, in Principem conspirant, eumquè de Imperio deijcere student: quos ille parua, quam secum habebat, manu fudit, fugauitquè præeunte Crucis signo, & inopinata re perculsos Christianos effecit*. Ità planè ipsosmet barbaros homines, ac ipsorum inprimis Regem leniter adumbrata coloribus in tabula futuri Iudicij imago, sic stupore affecit, adeoquè ipsius terror aspicientes concussit, vt confestim animum simul, ac fidem, Deo desuper afflante mutarent.

Felix Proconsul, Paulo de iudicio finali disputante tremefactus obstupuit.

Actuũ Apost. cap. 24. n. 25

Baronius an. 845. num. 7. & 8.

Bogar Bulgarorum rex expictis in tabula imaginibus iudicij metu perculsus.

Theophan. in gestis S. Nicephori Constantinopol. Patriarchæ.

Methodius monachus pingendi arte Dei Iudicium adumbrat.

Quibus visis rex futuri Iudicij veritatẽ edoctus baptismi fonte ablui poscit.

9. Alter quoque (vt propositi argumenti narrationem prosequamur) Romanorum Imperator pari quidem tum fructu, tum exemplo pauendum supremum Iudicis, ac Iudicij thronum contemplando expertus, ac salutarem cunctis indemetum propinans, opportunè sibi Iudicis gratiam bonis dum per tempus vacat operibus conciliandam, præmonuit; Henricus videlicet secundus Imperator, qui multis licet clarus virtutibus, vitijs tamen haud carens, & libidinis præsertim labe notatus, in eo maxime offendit, quod etsi iurium Ecclesiæ strenuus propugnator, ac defensor, vitiorum tamen turpiter extiterit cultor, & seruus; hæc enim de eo Glaber: *Tamen* (inquit) *proh pudor, vnum in eo erat nimium reprehensibile, quod incontinentia, & carnis luxuria infamabatur* &c. Verũ graui subinde morbo correptus, dum desperata iam corporis vita, inter mortis angustias fatiscit, Dœmones sibi insultantes, & in iudicio ad Dei tribunal in multis iuste accusatores sustinẽs, haud aliter ad seuerã Iudicij trutinam librandus, quam B. Laurentij Martyris ope releuatus sibi visus est, quoadmodo reuixisse; hæc enim de eo Vuilhelmus Malmesburiensis, & alij tradunt: *Tempore* (inquit) *Conradi patris, à quodam Clerico fistulam tulerat argenteam, qua pueri ludo aquam iaculantur, pactus Episcopatum, cum foret Imperator. Adultus repetenti pollicitum impigrè dederat. Nec multo post aspera valetudine correptus decubuit, morbo crescente triduò exsensus, & mutus iacuit, cum in solo pectore vitali habitus palpitaret. Nec aliud vitæ indicium erat; quàm manu ad nares apposita quantulumcunque sentiebatur anhelitus; Episcopi præsentes triduano indicto ieiunio lacrymis, & votis pro vita Regis Superos pulsabant. Quibus, vt credi fas est, remedijs conualescens, accitum Episcopum, quem iniustè*

Baronius an. 1047. n. 10.

Henricus secundus Romanorum Imperator æger ex iudicio sapere incipit.

Glaber lib. 5. cap. 5.

Quantum ex Dei iudicio territus proficit.

Vuielmus Malmesbur. de Anglorum gestis lib. 2. c. 13.

Toto triduo dæmones infestos patitur

iniustè fecerat, sententia Concilij deposuit, professus se toto triduo Dæmones infestos vidisse, flammis in se per fistulam iaculantes, adeò pertinaciter, vt noster ignis comparatione illius iocus putetur, & nil calere. Iuuenem inter hæc semiustulatum latum aduenta sse, ferentem immensæ magnitudinis calicem aureum aqua plenum, cuius visione, & laticis aspergine delinitum extinctis ardoribus in sanitatem euasisse. Ephebum illum fuisse Laurentium, cuius Ecclesiæ tectum longa carie dissolutum compaginauit, & præter alia xenia calice aureo honorificauit. Hæc ille. Sanctorum quippe meritis, ac patrocinio decedentium animæ inter mortis angustias, rigidamque horrendi Iudicij trutinam, ne aduersariorum accusationibus pulsati succumbant, aut deficiant, diuinitus iuuantur.

B. Laurentij Mart. ope liber fit.

10. Verùm enimuerò quisuas, vt par est, culpas humiliter agnoscens, easdem recolendo iugiter pensat, vbi solicitus ad pœnitentiæ sinum procurrit, haud hic iustam pro culpis subire pœnam refugit, sed vltro, libenterque, vt satis Deo faciat, amplectitur. Quod suo olim exemplo Hugo Conuentrensis Episcopus docuit, qui quippe dum sub Vrbano, huius nominis Tertio, Romano Pontifice in Anglia Apostolicæ legationis munus obiret, ac Gulielmum Eliensem Episcopum præferuidè insequeretur, libellum contrà ipsum calumnijs, ac probris refertum conscripsit, promulgauitquè, quo quidem is liuoris æstu percitus, & contabescens, innocenti mordicus viro detrahere haud erubuit; Ipsum vero conscripta subinde Petrus Blesensis epistola solatus, atque Hugonem pro merito amarulentis perstringens verbis; hæc de eo ibidem narrat: *Super lectum* (inquit) *doloris sui in infirmitate versabar, cum doloribus dolores accumulans, intermeantium crebra relatio nunciauit, quàm proditoriè, & quàm malignè vestram supplantari innocentiam factiosa coniuratio inuidorum, &c.* Quibus narratis perditum hominem, & pluribus quidem à recto procul aberrantem, obiecta Iudicij mentione sistere, & ad suum agnoscendum, retractandumquè errorem exhortari non desinit illis planè vsus verbis: *Heù, heù* (inquit) *vbi est timor Dei? vbi memoria mortis? vbi gehennæ timor? & terribilis illa expectatio tremendi Iudicij? quomodo filium illum non reuocauit à tanto scelere vinculum fidei, & beneficiorum memoria, tanta fœderis promissio, & obligatio iuramenti? &c.* Multa verò ad absterrendum hominem in hanc planè sententiam prosequitur.

Hugo Conuentensis Episcopus iudicij seueritatem sibi obiectam tacitus expendens cōpungitur.

Baronius an. 1191. nu. 28.

A Petro Blesensi merito carpitur.

Petrus Blesensis Epist. 118.

Petrus Blesensis Epist. 67.

Mortis, Gehennæ, ac Iudicij metu ad pœnitendum inducitur.

11. Atqui Blesensis Hugonem suis item epistolis acriter, amarulenterquè, vt ab errore si quomodo, vel scribendo retraheret, conueniens, & mortis illi sub finem, ac futuri item Iudicij memoriam valide inculcans eiusquè improbitatem aculeatis verbis perstringens, hæc meritò in ipsum intorquet: *O generatio* (inquit) *praua, ò domus exasperans: ò genimen viperarum? quis te docuit fugere à ventura ira? putas, quod non videas, & requirat hæc Dominus? propter hac irritauit impius Deum; dixit enim in corde suo: non requiret, &c. Memento igitur homo, si tamen homo: memento, inquam, tua conditionis: memento huius vitæ breuis: memor esto districti, & horrendi Iudicij: memor esto pœnæ terribilis, horribilis, interminabilis, & intolerabilis, quæ tibi in æternum parata est, si à tali maleficio non desistas.* Hæc ille, qui quor verba, tot in hominem iacula iusto adductus zelo validissimè intorquens, quæ illius capiti, Deo ad iram concitato impendebant supplicia conceptis vltro verbis visus est intimasse; Sed cum nihil se ipso in dies melior euaderet, lethali tandem morbo correptus, suorum scelerum palinodiam recantauit. Intimo namque doloris sensu perculsus, errorem confessus, lacrymisquè ora perfusus, coram Abbatibus, ac religiosis viris quampluribus, quos ad se ex omni Normantia accersiri fecerat, sui arcana cordis, ac quaslibet vitæ sordes publicè cūctis reuelās, ac simul plangens, opportunis pœnitentię remedijs culpas, pro se ad Deum solicitus diluere satagit, adeò vt acerbissimas à Sacerdotibus, qui præsentes aderant ob debitum exoluendum pœnitentiæ onus Purgatorij pœnas vsque ad supremum Iudicij diem, sibi supplex iniungi exorando voluerit. Sed quæ Rogerius de mira Hugonis pœnitentia scriptis tradiderit, narranda hic sunt.

Aptis à Blesensi, conceptisque Iudicij terror verbis cōtemplādus proponitur.

Resipiscens palinodiam scelerum recantat.

Baronius vbi supr.

12. *Eodē* (inquit) *anno* (*id est M.C.XCI.*) *Hugo de Nanant Conuentrensis, siue Cesercensis*

Regerius in Anglorũ annalibus.

cessit Episcopus Romam tendens, in Northmannia cœpit grauiter infirmari. Cumquè ingrauescente ægritudine mortem sibi vicinam cognouisset, fecit accersiri viros religiosos totius Northmanniæ, quos habere poterat, Abbates, & Priores, & audientibus cunctis, voce clamosa confessus est purè, & maxima cordis contritione, ac lacrymarum iugiter effusione, omnia peccata, scelera, enormitates omnes, quæ suæ memoriæ occurrebant. Tanta autem contritus erat, & commotus pænitentia, quod omnes adstantes, & se intuentes ad lacrymas, & singultus commouit. Denique flens, & eiulans, manibusquè consertis, Prælatos omnes in virtute Dei adiurabat, quatenus sibi pænitenti super tot, & tantis flagitiorum excessibus pænam infligerent, & satisfactionem condignam. Audientes autem viri religiosi, qui lecto adstabant, in Episcopo vitam adeo flagitiosam simul & admirabilem cordis contritionem, adinuicem sese contuentes, obmutuerunt vniuersi, nescientes, quid darent consilij, vel quid tam subitò responderent. Quod cernens Episcopus, dixit eis: Sciò, scio, quod tantis enormitatibus auditis, hæsitatis inter vos, quid mihi pro pænitentia infligatis: Sed obsecro vos in nomine Domini Iesu Christi Domini nostri, quatenus loco pænitentiæ, & in remissionem peccatorum meorum iniungatis mihi, vt secundùm voluntatem Dei sim in pœnis Purgatorij vsque ad diem Iudicij, vt tunc per misericordiam Redemptoris nostri, qui semper misericordiam exaltat super Iudicium, saluus fiam. Placuit hoc consilium vniuersis, salua semper sibi clementia diuina, quę omnes seruari desiderat, & neminem vult perire. Tunc Episcopus, audientibus cunctis cum ingenti mœrore recognouit, qualiter expulsis Monachis Cisterciensibus ad cumulum omnium malorum in loco eorum religiosos Clericos introduxit. Ad cuius flagitij satisfactionem aliud genus correctionis non inuenit, nisi vt in eorum habitu vitam finiret, in quos Diabolico spiritu exagitatus, cũ potuit, persecutionem excitauit, mendicare coegit, & quantum in se erat, odio mortali afflixit. Sicquè cum magno eiulatu Abbatem Becci, qui inter cæteros aderat, deprecans adiurauit, quatenus intuitu charitatis, ad Diaboli confusionem habitum sibi concederet monachalem, vt illos haberet patronos in sæculo futuro, quos persequutus fuerat in hoc mundo. Quod cum impletum fuisset, omnia, quæ possidebat in auro, & argento, in gemmis, & vasis pretiosis, domibus religiosis, & pauperibus erogauit. Et sic in spe bona omnium assistentium, & iugi lacrymarum effusione, fine insperato quieuit. Sic valide iudicij metu absterritus, ac dolens, suam miro vitam pœnitens fine conclusit.

Coram multis sacerdotibus culpas fatetur, ne in Dei Iudicio damnetur.

Baronius vbi supr.

Acunctis lacrymas extorquet.

Flagitiosa pfius vita, cum tanta contritione admiranda.

Vsque ad diẽ Iudicij in purgatorij pœnis delecti poscit.

Ab religionis habitu vitam finire beatur.

Pœnitens è vita abit.

13. Religiosa itaque in pœnitentiæ signum indutus veste, eaque circumamictus, cuncta insuper, quæ possidebat, pauperibus, ac religiosis viris erogari præcipiens, ad perferendas Purgatorij ignis in altero sæculo pœnas, vt æternas euaderet, promptum se, expeditumquè ostendit, adeoque inter hæc ab adstantium oculis lacrymas vltrò extorquens, ac magnam de se cunctis spem salutis relinquens, in pace fatis concessit, quò palam cunctis innotesceret, neminem à Dei bonitate repelli, sed immanibus, quantumuis peccatis onustum, à venia tandem non excludi, dummodo viuens adhuc culpas, vt par est, execretur, ac se ipsum ob culpas fletu dignum, flere non desinat.

Ne æternas inferni pœnas subeat, temporaneas in purgatorio libenter amplectitur.

14. Præconcepta namque animi semel, ac serio iusta futuri Iudicij, ac venturi Iudicis rigida, ac pauenda censura mortalium singulis maximè salubris, & ad præcauenda peccata, quibus quisque impetitur summopere efficax est. Quod sanè certo cuidam homini Parisijs aliquandò contigit, quem post culparum reatum diuini metus Iudicij iuste inuasit, & ad obtinendam à Deo veniam feliciter perduxit, de quo isthęc Cęsarius: *Erat ibi (inquit) iuuenis quidam in studio, qui suggerente humani generis inimico, talia quędam peccata commiserat, quæ obstante erubescentia nulli hominum confiteri potuit: cogitans tamen, quæ malis preparata sunt tormenta gehennæ, et quę bonis abscondita sunt gaudia perennis vitę, timens etiam quotidie Iudicium Dei super se, intus torquebatur morsu conscientiæ, & foris tabescebat in corpore. Quid plura? tandem miserante Deo, timor ille seruilis verecundiam vicit, qui sicut seta charitatem inducere consueuit. Veniens ad S. Victorem, Priorem vocauit, & quia confitendi gratia venisset, indicauit. Ille paratus ad tale officium, &c. præmissaquè exhortatione, iuuenem*

Rainaldus an.1199. nu. 45.

Iuuenis qui dam peccatis obnoxius, Iudicij contemplando securitatem resipiscit:

Cæsarius mi rac. lib. 2. c. 10. de Contrit.

auenem confiteri volentem expectauit &c. Verum corde compunctus cum sacerdoti in confessione præ contritionis vi peccata aperire haud valens, in carta scripsisset, alteri sacerdoti pro salutari remedio ostendendi potestate facta, haud condemnationis, sed absolutionis sententiam retulit. *Venit* (inquit) *Prior ad Abbatem, & porrexit schedulam legendam, rem ei per ordinem exponens. Quid deinceps gestum sit, audiant peccatores, & consolentur, desperati, & recreentur. Mox enim vt Abbas chartulam ad legendum aperuit, totam eius continentiam deletam inuenit. Impletumquè est in eo, quod Dominus per Isaiam dicit: Deleui vt nubem iniquitates tuas, & quasi nebulam peccata tua &c.* Ità plane metus Iudicij, ac pœnarum, quæ postmodum remanent, cor hominis affecit, vt se ipsum erubesceret intus, & tantum corde dolorem conciperet, vt mox cuncta aboleret crimina intimus doloris, & amoris sensus, & iustum, atque expiatum haud dubijs ipsum Dei Bonitas signis, argumentisquè ostenderet. Sed de mira huius inter pœnitendū cordis compunctione suo opportune loco mentio erit.

Peccata, quę in carta scripsit, de leta diuinitus reperit.

15. Solus igitur purus Dei amor, vbi pleno animam iure sibi vindicat, omnem, tum Iudicij, tum mortis metum, ac molestiam aufert; Mortis namque, ac futuri Iudicij pauor, quo plerique mortalium concussi, è Peccatorum sordibus ad pœnitentiæ, Deo aspirante, sinum adducti tandem sunt, iustos tamen, ac digne Deo inseruientes, nedum immunes præterit, sed nullum ipsis aliquando negotium facessit; Iuxtà enim Sapientis verbum: *Iustus cum morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit*: Vbi è contra impios vtpote, qui seruilem gerūt animā, timor perpetuo exagitat. *Stimulus enim mortis* (Apostolo Teste) *peccatum est*. Quapropter Hugo Linconiensis Episcopus, olim sanctitate conspicuus, haud Iudicium, ac mortem aliorum instar extimuit, sed vtramque sibi, rem vti gratissimam lætis semper oculis præoptauit, aspexit, & ad mortis pręsentiam, ac si nuptialis foret thalamus, summopere gauisus est, vt Rogerius gestorum ipsius scriptor his verbis tradit: *Cum iam tempus* (inquit) *aduentaret transitus ipsius ad patriam, acri febre corripitur. Morbo autem ingrauescente, sæpius orando hæc verba repetebat: O piè Deus requiem presta nobis: bone Domine, Deusquè verax, dona tandem nobis requiem. Quod quidam de adstantibus audiens, quasi pro consolatione dixit ei. Iam Domine quiesces. At ille: O verè* (inquit) *beatos illos, quibus velut in extremo Iudicij die requies inconcussa donabitur. Dicente rursus eo ipso, illum diem ei futurum Deo volente, Iudicij diem, quo esset è vita discessurus, cum magna fiducia dixit: Non enim Iudicij, sed gratiæ, & misericordiæ dies erit, quo ego defungar. Cum adhuc esset incolumis, & mentio fieret de mortis horrore, dicere consueuerat: Malè profectò nobiscum ageretur, si nunquam mori deberemus.* Vir namque Dei licet mortalis haud mortem aliorum more hominum exhorruit, sed vel ipsius audito nomine pre gaudiò exultans, & se ipso fortior & alacrior effectus, solemne illud sapientis verbum facto adstantes docuit: *Sperat autem iustus* (inquit) *in morte sua*. Quod sanè vir beatus tunc maximè ostendit, dum bene actorum conscientia releuatus, ac magna in Deum fiducia suffultus, vt acta ipsius exhibent, amico eum absterrere conanti impauidus hunc in modum respondit: *Quandoquidem* (inquit) *Domine multo tempore tum ordinarius, tum delegatus permultorum Iudex fuisti, diligenter oro, studeas, nedum generatim, sed etiam speciatim confiteri, quos, & quo priuato amore, vel odio aut promoueris, aut prætuleris parem iustè: respondit ille: Odio, seù amore, sed nec spe quidem, aut timore personæ, vel rei cuiuscumq; à veritate iudicij me vnquam exorbitasse, penitus memor non sum: Si autem de recto deflexi, hoc vel propria ignorantia, aut certè assistentium culpa accidit.* Vir quippe cælo dignus, innocens vita, & mortalis licet, haud mortem sibi, nec Dei post mortem Iudicium timori esse vltro, constanterque edixit.

Sapientiæ cap. 4.

Purus Dei amor hominem mortis, ac Iudicij metu abiecto, haud pro se solicitum reddit.

1. Ad Chorint. cap. 15.

Rogerius Li. gestis S. Hugonis Lincon. Episc.

Hugo Linconensis Episcopus iudicij obiectu detterretur.

Rainald. an. 1200. n. 19. 20.

Prouerb. 14. 32.

Iudicij die ipsum, qua moreretur die, futurum edicit.

Prouerb. 3.

Amico se absterrenti quid vir impauidus respondit.

Rogerius vbi supr.

16. Quoniam verò de futuro Iudicio, sermo adhuc nobis est; Certe dum Etnicus ille in Iudæa Proconsul, ac rerum Christianæ fidei omninò ignarus, de quo & suprà, in Apostolicis actibus: Disputante Paulo de Castitate, & Iudicio exterrefactus legitur; sic vel sola proinde futuri Iudicij mentio, quæ adeò terret, resi-

resipiscentiam à malo indicit, suadetque hominibus, Et vt exemplo res comprobetur, hæc apud Drauroultium: *Carolus* (inquit) *Franciæ Rex virtutum B. Aegidij fama commotus, missis legatis eius conspectu, colloquioquè frui voluit. Aegidius cognita Regis voluntate, eum adyt, & sermonem de mundi contemptu familiariter haud sine fructu instituit. Nam cum Rex occulti sceleris cuiusdam conscientia ligatus ad illum vsque diem Dei Iudicium non extimesceret, tunc subito horrore perculsus supplex Aegidium rogauit, vt iratum suis sceleribus Numen precibus pacatum reddere dignaretur. Ea Regis supplicatione motus Aegidius proxima deinde Dominica agni oblaturus sacrificium, interius Deum pro rege precatus est, & ecce sub ipso (vt vocant) canone Angelus Domini in Altare schedulam deposuit, quæ regi admissi sceleris veniam spondebat, si tamen iusto dolore tactus, melioris deinde vitæ frugem præstaret: Eam schedulam Sanctus Abbas Regi legendā tradidit, eumquè seueris monitis ab omni peccato absterruit: & sic demum donis, muneribusquè ad pauperum consolationem affectus ad Monasterium redyt.* Horrendum quippe Dei Iudicium, si intenta quis vel semel mente recolit, à vitijs profectò contineat, & Deo pro culpis faciat omnino satis, necesse est.

Bergomensis lib. 10. Petrus de Natalibus lib. 8. Catal. c. 28. Zaccharias Lipeleo 1. Septembris. In Catechism. hist. Drauols. 5. tit. 35. de pænit. pag. 129.

Carolus Frā corum rex audito Dei verbo Iudicij metu per cellitur.

Schedula e cœlo ab Angelo dimissa veniam regi pœnitenti repromittit.

17. Illibatum itaque supremi Iudicis, cui mortalium quisque, velit, nolit, tandem præsentandus est, tribunal miram, insperatamquè ad percellendos rebellium animos, perlustrandasque sua luce hominum mentes, vim maxime obtinet; adeòque Iobus vir omnium sanctissimus Domini Iudiciū recolens, suæque haud præfidens sanctitati: *Si repente* (inquit) *interrogeť, quis respondebit ei? Si voluerit* (inquit) *contendere cum eo non poterit vi respondere vnū pro mille.* Solido quippe conscientię testimonio quantumuis liber, diuini tamen terrorem Iudicij, ac verendā mortalibus & tunc inexorabilem Iudicis tum potentiam veritus, tum maiestatem edoctus haud tutus sibi videri potuit à iusta Iudicis exactione. Verum Iudicij metus, qui vni olim inter Gentilium errores tantum ad fidem profuit, Etnico item alteri, ac latronum Principi obrepens inter somnos, ac noctis tenebras vel obscura Iudicij imago id contulit, vt mox in alterum immutatus, ad ipsum apicem Sanctitatis pertingeret, vt ex recolendis Patrum gestis Zehentner his planè verbis tradit: *Mutius* (inquit) *vir quondam genere ethnicus, conditione, ac fortuna latronum princeps, quem facinora sua fecerunt Orbi celebrem, cum aliquandò appararet nocturno silentio sacrum parthenonem compilare, inter ipsos conatus, ac molitiones penetrandi domicilij graui oppressus somno est; ibi tum rapi ad diuinum tribunal sibi visus, supplicia suis facinoribus comparata intellexit, nisi celeri pænitentia ipse sibi ius dixerit. Mutius vt euigilauit è tristi somno, rectà ad religiosos professus viros, animæ medicinam eos poposcit, & accepit pro rudimentis spiritualis magisterij, vt ex prima Dauidis Oda has strophas tres, non tam memoriter disceret, quàm opere exerceret: Beatus vir, qui non abijt in consilio impiorum, & in via Peccatorum non stetit, & in cathedra pestilentię non sedit. II. Sed in lege Domini voluntas eius, & in lege eius meditabitur die, ac nocte. III. & erit tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo. Ad hanc adamussim cum vitam probè exigeret Mutius, superi adeò eius vlterius erudiendi prouinciam susceperunt, à quibus probè expolitus, ipse quoque scholam aperuit, factus ex latrone virtutis magister. Et sanè approbauit pulchram hominis disciplinam Deus, iussusquè est soleum reuereri velut nouum Iosue; ita cursum suum moderando, vt non ante occumberet, quàm ille tugurio discipuli successisset: quem præter spem defunctum cum inuenisset, rogauit familiariter, vt redire in vitam vellet, abnuentem valere iussit, & tumulo composuit.* Pęnitentia siquidem est, quæ sua tantum virtute hominem prouexit, vt velut sol anteactis sæculis ad Iosue imperium in medio cursu immobilis perstitit, ità ad Mutij pariter vocem immotus permaneret: *Obediente* (vt ait scriptura) *Domino voci hominis.* Quemadmodum vero alter dignus plane tanto magistro discipulus ac verè pœnitens in vitam hanc mortalem, vel cū periculo redire noluit, sic ipse non nisi diuino edoctus magisterio, mundo iam mortuus, ac pœnitentiæ duntaxat viuens operibus sic fuit in terris, vt moriturus tandem vti vixerat, mortuus sibi, ac mun-

Iobus Iudicij metu perculsus quid dicat.

Io. cap. 9. n. 3. 12.

Paulus Zehentner in promont. malæ spei lib. 3. §. 3. num. 5.

Mutius Latronum princeps obiecta domini inter dormiendū iudicij trutinam ad casum conuertitur.

In vit. PP spec. exempl. distin. 11. exempl. 101 Fasti Mariani 25. May.

Ad Religiosos viros remedium quę rens conuolat.

Psalm. 1. versi. 1. vir. 2. 23.

Sic ex latro ne virtutum in eremo magister.

Iosue cap. 10 v. 14.

Nouo ac si alter Iosue portento solemni medio cursu sistit.

mundo, pœnitens haud dubijs cœlo teste signis Deo charus præfulserit.

18. Verùm enim verò ea est pœnitentiæ virtus, vt diuini iudicij calculo roborata, hominem, quem grauiores inolitæ interdum culpæ impune prægrauant, ipsa nedum ad iudicium prouocans releuet, sed in mortem ipsam, quo securius sibi consulat, præpotenter excitet, ac nobilem ex morte triumphum auspicando, non tam mundo, quàm peccato feliciter mori suadendo impellat. Quapropter quem feræ mori cupidum horrent, quem aquæ inter pericula naufragum refugiunt, sola Pœnitentia tuto aliquando sinu excipit, ac Dei licet iudicio reum absoluit; hęc enim in Annalibus Societatis Iesu in Pœnitentiæ laudem ipsius Zehentner verbis habentur: *Indus aliquis homo inquieti animi, & ad extremum perditus, cum crescentibus in dies vitijs eò processisset, vt nullum sibi videretur receptum habere ad pœnitendum, in dolorem vltimum, furoremquè conuersus mori destinarat. Se igitur in fluuium rapidissimum iacit, atque innoxio volumine vndarum impetu, atque innoxio volumine in littus fuisset reiectus, certus relinquendæ vitæ in syluam penetrat nutricem ferarum, vt quem repudiant aquarum fluctus, vorarent bestiæ. Immane dictu, & quod probè superat fidem, Tigrides, Leones, Pantheræ, aliaquè id genus animalia (quibus scatebat sylua) humanum licet sitiant sanguinem, & carnibus vescantur, cum viso homine paululum consisterent, fugam rapiebant. At ipse in se crudelior, quàm fuerant immanes feræ, præ ardore, iraquè non compos sui, cum leænam vidisset catulis incubantem, accessit impudentius, vt eam irritaret catulis abreptis. Sed illa non ipsius violentia mota, non iniuria accensa, raptorem sequitur lento passu, perinde, ac se feram esse oblinisceretur, matrem meminisset, dum tandem ipso confidente apprehensos catulos, in vastam solitudinem retulit concito cursu. Stupor animum, & quidam veluti torpor tenuit membra mirantis, dum tandem ipso confidēte apprehensos mordicus mordiens catulos, in vastam solitudinē retulit concito cursu.* At mirum placet, quod auctor subdit: *Tum verò* (inquit) *ad se rediens, quid cogitas hominum profligatissime? ecqua erit finis miseriarum tuarum? Si res carentes sensu te repudiant, refugiunt rationis expertes? nempe maculari metuunt aquæ absorpto, feræ ablato corpore tam infando; quin tuas ipse sordes confessione abluis, & vitam emendas? hæc ille secum. Sed grauissimum est imperium consuetudinis, cum extitisset noua peccandi occasio, effundit omnem memoriam optimarum cogitationum, in grauiora scelera immersit. Dein iter facienti oblata est semel, atque iterum facies horrenda, & vox accidit ad aures: Quantum te suppliciorum commeritum putas tantis sceleribus? Iam tandem tibi gladium per viscera exige, & infelici dextera occumbe. His visis, auditisquè, ad nos accurrit ita perturbatus, & pauens, vt non color, non vultus ei constaret, nec priùs abyt, quàm alteram institueret rationem vitæ priore detecta.*) Hæc planè sunt digna pœnitentium non tam decora, quā ipsam ex morte vitam auspicantium portenta, quæ nedū iratum homini Deū placāt, sed & immites, immanesq; cicurando belluas, imbelles quodammodo reddunt, ipsasq; demulcendo pijs pœnitentium lacrymis, eorumdem obsequio captiuāt. Sed narratis ipsius Gregorij mortalium cūctos ad pœnitentiam, proposito ob oculis futuri Iudicij horrore adhortantis verba, appendicis instar subtexenda hic sunt: *Præsentis* (inquit) *temporis ità agenda est lætitia, vt nunquam amaritudo sequentis Iudicij recedat à memoria*) sic enim opportunæ animæ negotio consultum erit, cum præsentium tranquillitas rerum diuini horrore Iudicij compensatur.

Paului Zehetner vbi supra n. 7.

Pœnitentia homini dignū ex aduersis triūphum parat.

Ex litteris annuis societ. Iesu an. 1589. in prouinc. Peruan Collegy Petusin.

Indus post immanes culpas in furorem actus quid faciat.

Aquis submergi vult sed parcūt.

Leenam raptis catulis in seipsum, vt deuoretur, incitat.

Feræ mitescentis aspectu ad pœnitendum prouocatur.

Quid cōsilij inter angustias miser capiat.

Gregorius hom 32. in Euang.

CAP. VIII.

Peccatores præostensis sibi Inferorum pœnis resipiscunt.

1 IVstis vnicuique propositis ex Legū humanarum præscripto pœnis, nec non seueris vltrò adhibitis ad terrendum suppliciorū mulctis, & à malo retrahuntur, & maximè ad virtutem homines incitantur; adeoquè frequens sacris in paginis supernæ in perditos animaduersionis mentio, exactaque interdum puniendo censuræ ratio habetur, vt iuxtà illud: *Pœna ad paucos, metus verò ad omnes perueniat.* Quapropter Christus, vt vel solo mortales metu, haud pœnis, ac flagellis erudiat, & ad bonam deuios, aberrantesque frugem

Cyprianus in epist.

Pęnis ex legum præscripto homines à malo cohibentur, & ad virtutem incitantur.

gem traducat, consulto nostris quoque pœnis, ac terroribus modum adhibet, dum magis Deum, quam hominem verendum, & animæ potiùs, quàm corporis interitum extimescendum edicens: *Dico autem* (inquit) *vobis amicis meis, ne terreamini ab his, qui occidunt corpus, & post hæc non habent amplius, quid faciant*. Futilia enim, ac inania isthæc sunt, adeoque nullius, quamuis magna se ipsis appareant, ad pertimescendum momenti; Iustam verò cunctis subinde, ac dignam plane timendi rationem æquo sapientum calculo, superniquè muneris auctoritate designans: *Ostendam* (inquit) *vobis, quem timeatis: Timete eum, qui postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam. Ità dico vobis hunc timete*. Gehenna quippè, omniū vtpote locus pęnatū, quid. quid alioqui vel maximè mortalibus pauendum occurrit, suo veluti sinu claudit, malorumquè omnium cumulū coacerruando complectitur; *Omne etenim ibi aderit malum, omne aberit bonum*: vbi sua infelix iugi duntaxat pœna locus gaudet, ac sola mensuræ, ac termini ad instar perennitate concluditur. *Vbi, vbi inquam* (inquit Hugo) *nec qui torquet, aliquando fatigatur, nec qui torquentur, aliquando morientur, sed sic morientur, vt semper viuant, & sic viuent, vt semper moriantur*. Nec aliter profectò horribilis gehennæ perstrictim facies conceptis à Chrysostomo verbis aliquādo ob oculos contēplanda proponitur: *Intolerabilis* (inquit) *res est Gehenna, quis nesciat illud supplicium horribile*. Quapropter iustè metus eiusmodi hominem culpis obnoxium, ac diuinæ maiestatis reum intime peruadens ad bonam plerumque frugē, & vel inuitū à peccatis retrahendo perducit. *Quid enim* (Bernardo edisserente) *intolerabilius Gehenna*? Nil prorsus inter omnia malorum, pœnarumque incommoda Gehenna deterius suppetit.

Lucæ cap. 12.

Friuola quæ, que timent homines, & maiora sper. nunt.

Lucæ c. 12.

Augustinus in serm.

Deus, qui Gehennam minatur, maximè timendus.

Hugo de S. Victor. lib. 2. Dialog.

Chrysostomus hom. 28.

Bernardus in sermon.

2. Metus itaque Gehennæ rebelles Deo, ac effrænes mortaliū animos fortiter cohibet, currentēquè in medio cursu sistit, ac ferreo veluti adiecto clauo, ne posthac homines in malum præcipites currāt, validissime configit. Enim verò dū quisque pœnarum, quæ peccantes post mortem manent, acerbitatem recolit, vel ipsis sapiens è pœnis, ad sua melior subinde officia redit: *Veniat* (inquit Propheta) *mors super illos, & descendant in infernum viuentes*. Pœnarum namque, ipsiusque Tartari probè vnusquisque magisterio instruitur, dum vel suam in pœnis culpam agnoscens, longe alius ab eo, qui pridem fuerat, domum, & ad se ipsum iam mutatus regreditur; vt aptè sibi Prophetæ consonet verbum: *Dominus deducit ad inferos, & reducit*. Quæ quidem verba Gregorius aptè in rem aliquando edisserens: *Deum* (inquit) *ad Inferos deducere, est Peccatorum corda æternorum cruciatuum consideratione terrere: reducere est territas pœnitentium mentes spe vitæ indeficientis attollere. Tunc quippè peccare desinimus, cum futura tormenta formidamus*. Morosos vero in bono homines, ac in suis quotidiè malis obsordescentes iustè Bernardus aliquando suggillans: *Inuenire* (inquit) *est homines pusillanimes, & remissos, deficientes sub onere, virga, & calcaribus indigentes, quorum remissa lætitia, pusillanimis tristitia est, quorum breuis & rara compunctio, animalis cogitatio, tepida conuersatio*. Quod sanè his præsertim contigit, qui excusso Gehennę metu, in malum præcipites fiunt, quos viuis subinde in tabula coloribus ipse adumbrans, & suo quasi digito cunctis demōstrans: *Quos vix* (inquit) *Gehennæ metus inhibet, vix pudor cohibet, vix ratio frænat, vix disciplina coercet*. Quos autem salubris Dei timor informat, & intimus cordis dolor ad pœnitendum sollicitat, hos profectò Gehennæ ipsius metus, ac memoria à peccando auertit, ac demum ad redimendas scelerum culpas assidua pœnalis Tartari cogitatio impellit: *Ob id enim Deus*, (vt Augustinus monet) *dicit se parasse Gehennam, ne mittat in Gehennam*; sed prolatis interim in medium exemplis assertionis nostræ propositum confirmandum est.

Psal. 54. n. 16.

Mors, & Gehenna, vnicū terrēdis hominibus argumentum.

Lib. 1. regum. n. 6.

Gregorius lib. 1. regum. cap. 2. n. 6.

Gehennæ cogitatio, homines à gehenna liberat.

Bernardus serm. de Ascensione.

Stulti, qui pœnitentiæ iugum, & laborē, plus quam gehēnam fugiūt.

Bernardus vbi supra.

Deus gehēnam parauit, nē gehenoā mittat.

Augustinus in psal. 7.

3. Opportuna igitur, ac sapiens gehennalium tormentorū fixa animo altius mentio ad pœnitentiam, & satis quidem austeram plerosque compunctos aliquādo perduxit; Theodoretus quippe, à se Thalelæum visum fuisse scribit, qui Gehennæ metu extimulatus, totum se perpetuo sectandæ pœnitentiæ deuouerat, & procero licet corpore, se tamen miserandum in modum rotæ inclusit, quæ duos

Theodoretus in Bibliot. cap. 28.

cubitos alta, vnum lata erat, adeò vt erigere collum minimè posset, ac semper incuruus manens, faciem genibus annexam præferret; quo planè modo totos decē continuò annos ibidem cōsederat. Theodoretus insuper hunc aliquandò aspiciens,cur ità se se affligerer, attonitus interrogauit, cui sic ipse respondit; *Ego* (inquit) *multis peccatis sum obnoxius, & audiui pœnas, quę in futuro parantur. Elegi ergo potiùs corpus hìc castigare pœna mediocri, quàm expectare pœnas longè grauiores*. Pœnas igitur quantumuis in hoc sæculo rigidas, intolerandasq; infernarum metu pœnarum, subire hic vere sapiens, compunctusque delicias merito,ac lucrum computabat.

Thalelæus gehennæ metu absterritus, totā se ad pœnitendum includit.

4. Vt alios verò subinde recenseamus;Theodorus item hic nobis occurrit, de quo & suprà meminimus. Hic quippe cū in Monasterio B. Gregorij oscitanter diù, ac profunctoriè inter Dei seruos vixisset, necessitate adductus magis,quā voluntate monasticæ vitæ instituta sectando, vbi se ad vitæ finem properantē, ac gehennalibus tormentis proximum, vidit, totus miser absterritus, Dęmonisquè aspectu exanimis, vitam omnimodis retractare promisit, & sic postmodum flagellis attritus, expiatusq, e vita decessit; Sed B. Gregorium isthæc narrantem audire hic præstat. *Is de quo* (inquit) *in homilys coram populo me narrasse iam memini, inquietus valdè, Theodorus nomine, &c.* ad inferni & tartarei hostis aspectum pœnarum impendentiū metu adeo expauit, vt iusto cunctos item timore repleret,& pro se sollicitos ad Deum redderet; hæc enim Gregorius. *Tunc*(inquit) *repentè cœpit ysdem Fratribus assistentibus clamare, atque cum magnis vocibus orationes eorum interrumpere dicens: recedite,recedite: Ecce Draconi ad deuorandum datus sum, qui propter vestram præsentiam deuorare me non potest; caput meum iam suo ore absorbuit, date locum; vt non me amplius cruciet, sed faciat, quod facturus est. Si ei ad deuorandum traditus sum: quare per vos moras patior? Tunc Fratres cœperunt ei dicere: Quid est, quod loqueris frater? Signum tibi Sanctæ Crucis imprime. Respondit ille dicens: volo me signare, sed non possum, quia squammis huius Draconis premor.*

Baronius an. 590. num. 13. sup. cap. 6. pag. 83.

S. Gregorius hom. 38.

Theodorus monachus gehennæ aspectu peccatis moriens reuiuiscit.

Supra cap. 6. pag. 83.

Se vorandū draconi traditum clamat.

5. *Cumquè Fratres audirent, prostrati in terram, cum lacrymis cœperunt pro ereptione illius vehementer orare. Et Ecce subitò cœpit æger clamare dicens: Gratias Deo; qui me ad deuorandum acceperat, fugit: orationibus vestris expulsus, stare non potuit: Pro peccatis meis modò intercedite, quia conuerti paratus sum, & sęcularem vitam funditus relinquere. Homo ergò,qui (sicut iam dictum est) ab extrema corporis parte fuerat pręmortuus, reseruatus ad vitam, toto corde ad Deum conuersus est, & postquam mutata mente diù est flagellis adstrictus, tunc eius anima carne soluta est.* Qui ergò iam cunctis videbatur carne pręmortuus, sic spiritu ad Dęmonis, ac Gehennæ conspectum animo reuixit, vt alter, & non iam ille, qui pridem fuerat, videretur.

S. Gregorius vbi supr.

Se ab ipsius gehennæ ore ob monachorum preces liberum videns toto ad Deum corde conuertitur.

6. Et sanè(vt noster susceptæ narrationi sermo insistat)Drithelmus quoque, nobilis olim in Anglia pręostensis vel seriò Inferni pœnis sapiens, & mox ad Tartari horrorē,à vitijs resipiscens austerissimæ vitæ genus,anteactæ omninò contrarium iniit,de quo in suis historiarum paginis Beda, & subinde Baronius isthæc: *Non prętermittimus* (inquit) *dicere ysdem quoque temporibus, quibus peregrinatio accidit Vuillebrordi in Vrbem,contigisse in Anglia in prouincia Hordannhumbrorum aliam resuscitationem diuinitus factam Drithelmi viri nobilissimi ad hoc, vt quę vidisset in Purgatorio, vel in Inferno cruciamenta Peccatorum, ad supera reuersus referret, quanè de Beatorum gaudys conspexisset, pariter hominibus in vita degentibus significaret; quæ cuncta narrauit Alfrido Regi, & alys, qui ex eis accepturi essent ad emendationem morum, emolumentum. Quod verò haud fuerit inanis visio, vel impostura, fidem fecit ipse, cum sæculo primùm se abdicans, arctissimum humanis viribus penitus impar, vitæ institutum arripuit. Describit sui temporis historiam satis fideliter Beda, ad quem lectorem, nè nimia cum retineamus prolixitate, reycimus. Ista quidem non semel Deus, sed cunctis penè sæculis voluit reddi mortalibus manifesta, quò mens ignaua, obuoluta terrenis voluptatum nexibus arctissimè vincta, excitata resipisceret, & suum Creatorem culpa liberum sanctis operibus sequeretur. Subdit, & alia, qua ibidem his temporibus contigere*

Beda lib. 5. cap. 13.

Baronius an. 696. n. 12.

Drithelmus vir nobilis, post mortem in Anglia in vitam reuocatus.

Portentum cunctis ad salutem Prodest.

tigere, his similia de futuro Iudicio, cui moriens vnusquisque est obnoxius, idem Auctor, quæ tu leges. Hæc Baronius. Ex quibus visa, præostensaque Inferorum tormenta eumsistius menti metum ineussisse constat, vt spontè ad bonam frugem conuersus, & ad quasque spontè, libenterquè amplectendas pro culpis pœnas contendens, cunctisquè indefessus posthac mirantibus in arrepto mentis proposito perstiterit.

Narrata tormentorum strophes, voluptatibus aerreus salubre remedium.

7. Nedum verò Mortis iam imminentis, ac Inferni horrore, sed vel pœnalium Purgatorij ignium obiecto sibi diuinitus aliquando visu, Angela è nobili Ptolomæorum stipitè orta, & post religiosum Dominicanorum institutum inter sorores tertij Ordinis pœnitentiæ caussa arreptum, moritura tantum profecit, vt pristinæ sanitati reddita, sibi penitus, & mundo mortua, tota inposterum Deo viuere inceperit hæc enim in fastis Senensibus auctor tradit. Cum (inquit) *inter ægrotandum omninò sensibus abrepta videretur sibi in locum delata, purgandis noxis piorum manium sepositum, omnem illum acerbissimorum cruciatuum apparatum sibi, suæquè animæ post imminentem tum maximè obitum destinatum accepit, cuius seueritatis denunciatione perculsa, vbi primùm ad se se redijt, precibus, votis, lacrymis Deum, omnesquè Cælites fatigare aggressa est, illum à se flammarum horrorem, illam suppliciorum acerbitatem auerterent, concessaquè longiore inter homines mora, incommodis, doloribusquè, qui mortalem sequi maximè possunt, redimendæ eius miseriæ spatium darent. Addit precibus pondus patronum, deprecantemquè Ioannem Baptistam, fratrem, qui omni adhibito feruentissimæ precationis instrumento à cælesti tandem expugnat clementia, vt supplex illa miserabilis tandem, quod volebat, acciperet; & nè fortè dubius beneficij auctor esset, valetudo, qua perferendis oblatis cruciatibus opus erat, non egræ, sed mortuæ est restituta; Nam postquam præualente vi morbi extincta est, in ipsa funeris, quo iam efferebatur, pompa, ab obuio Christi seruo surgere iussa, vitamquè, & sanitatem, & vires repetit. Reducem spiritum Angela in hoc sibi datum putauit, vt eo tortore ad exigenda à rebelli corpore supplicia vteretur, nec vllum sæuiendi in se se finem faciebat, dum medios modò se in ignes proyciens ad vim tolerandi caloris ardesceret; modò in rigentia alte glacie flumina desiliens ad membrorum vsque stuporem obrigesceret; cum interim nec ieiunijs, nec vigilijs, nec verberibus abstineret, & si quid aliud atrocius ingeniosa in sui cruciatum christiana constantia excogitauit, vt non rarò toto corpore informem in tumorem excresceret, infestisquè inter se humoribus languidum, infirmumquè corpusculum enecaretur. Et quia solamen omne, quo tantæ miseriæ leuari possent, penitus aspernabatur, vitandum sibi omnis humani sermonis commercium duxit, vltrò ad perferenda desertæ solitudinis incommoda, longiquorum montium asperitate, vastarumquè specuum obscuritate petita. Atque ijs, alijsquè id genus voluntarijs afflictationibus strenuè, fortiterquè perlatis, postquam satis pœnarum pro inexpiatis noxarum suarum reliquijs diuinæ iustitiæ depensum credidit, summa cum animi securitate ad alterum feliciorem obitum se comparauit, qui iam probatæ, nec vllis interpellantibus ignibus obnoxiæ sanctissimæ animæ expeditus demum cælestem ad patriam gradus fuit. Ite nunc mortales, & facile vobis æternæ salutis negotium fingite, propositaquè laboriosis, & exercitis, & industrijs præmia inter lustra, & ganeas securi, cessantesquè per luxum, atque inertiam expectate.* Haud aliter enim, quam mortis, ac inferni metuvirilis fęmina ad pœnitēdum, & ad aspera quæque perferenda reuixit, vt ad æternitatem sibi acerbiores inter pęnas aditum patefaceret.

In fastis Senensibus pag. 278. Michael Pius in illustr. Domnican. viris lib. 1. vita 247. Greg. Lombardellus in vit. B. Greg. Ptolom. cap. 25.

Pœna Purgatorij animis hominū expiandis proficua:

Angela è Ptholomęorum stirpe purgatorij pœnis pręostensis ad pœnitendū proficit.

In ipso funere vti Fęnix ad vitā reuiuiscit.

Pœnitendi spiritu Dei munere dines, mirum dictu quę fecit, quæ pertulit.

Patiendi desiderio, & pœnarum cumulo expiata cœlū conscendit.

8. Quanti verò sedula horrendaque Tartari, ipsiusquè pœnarum meditatio, ad virtutem conducat, vnus ille satis præ cunctis olim inter solitarios expertus docuit, qui acerbis vltrò se pœnis in austerioris vitæ stadio exercens, consulto præsentibus futuras, Inferni pœnas hic redimendas, & si lingua taceret, factis testabatur. In molestis namque minutorum animalium morsibus iugiter, alijsquè insuper, vt Infernum euaderet, cruciari se modis vltrò, libenterque sustinens cuncta pro delicijs habuit de quo isthæc Sophronius: *Olimpius Abbas (inquit) in specie Iuxtà Iordanem sedem delegerat, in quo & ardoribus Solis valdè vrebatur, & culicum morsu miserabiliter configebatur. Rogatus autem, quomodo æquo animo tam incommo-*

Sophronius in prat. spirit. c. 141. Catechism. hist. lib. 3. tit. 41.

Olimpius Abbas locū iuxta Iordanem molestis Culicum morsibus, & solis ardoribus expositum deligit.

dum

sens nobis mentio recolenda se offert.

5. In primis verò Solitarij illius, qui in Choreb habitans cum diù negligenter vixisset, nullam sui gerens, atque animæ curam, graui tandem morbo perculsus, & ad extrema perductus, mortali è vita migrauit; at post horam ad se ipsum rediens, rogansque, vt omnes abscederent, obserato cellæ aditu sic duodecim integros annos ibi solitarius mansit, & solus attonitus, quæ pridem viderat, reuoluens animo, amarissimis se ipsum lacrymis respergebat. *Cumque iàm* (inquit) *morti proximus esset, rupto aditu ingressi sumus, cumquè ab eo doctrinæ verbum supplices requireremus, hoc tantùm audiuimus: Ignoscite mihi, nemo, qui Mortis, & Iudicij memoriam verè agnouerit, peccare vnquam potest. Nos verò mirati sumus talem in eo, qui adeò negligens fuerat, beatissimam transformationem.* Seria Iudicij profectò memoria, ac metus intimè hominem peruadens, breui in alium ferè immutandi vim habet.

Solitarius in Choreb habitans ex Iudicij metu mire pro ficit.

Ioannes Climacus in fer. cap. 6.

Quid moriturus alijs dicat.

6. Tāti autē quibusuis vel obiter Iudicij interdum mentio mortalibus prodest, vt ipsa nihil efficacius ad reuocandum perditum quemque à malo suppetat; Quapropter vir olim (vt apposite Ludouicus Granatensis Prędicatorū Ordinis docet) suo post mortem amico apparens, maximisque excruciatus doloribus, magna item, & lamentabili voce exclamans, ipsius isthæc auribus intonuit: *Nemo* (inquit) *credit, nemo credit;* quem amicus expauescens rogat, quid sibi *eiusmodi exclamatio vellet. Cui ille. Nemo credit, quàm strictè iudicat Deus, & quàm seuere castigat.* Quę sanè verba in primis ipsi, ac cunctis subinde ad Christianæ vitæ profectum, moresque salubriter excolendos haud parum posthac profuere. *Casus quippe* (vt alibi ait Chrysostomus) *pro concione fuit*, ac viuos sic mortuus docuit.

Fr. Ludouicus Granatensis de pec candi consuetud. cap. 7.

Quidam amico post mortem iudicij rigorem inculcat.

Chrisost. in act. Apost.

7. Et si quidem quàm iusta, quam rigida, quam seuera ad Dei Tribunal trutina singulorum tum culpæ, tum merita expendantur Carolus Magnus, dignissimus Romanorum Imperator, cunctorum olim documento iuxta historici isthæc narrantis fidem expertus est, qui acerbas à Dęmone inter accusandum angustias perpessus, satis rigidum Dei in se iudicium persensit, & non nisi Deo propitiante ab exactoribus tandem liber euasit, de quo eius vitæ Auctor hæc tradit: *Cum apud Viennam* (inquit) *in Ecclesia ante Altare die quodam raptus in estasi precibus insisterem, psalmum, Deus in adiutorium, &c. cantarem, tetrorum agmina innumerabilia militum ante me præterire, ac versus Lotharingiam tendere agnoui. Qui cum omnes pertransirent, intuitus sum quemdam illorum Aethiopi consimilem retrolento gradu alios insequentem: Cui dixi, quò tenditis? Aquisgranum* (inquit) *ad Caroli mortem tendimus, vt eius spiritum ad Tartara rapiamus. Cui dixi: adiuro te per nomen Domini Dei Nostri Iesu Christi, et peracto itinere tuæ dispositionis, ad me reuerti non renuas. Tunc modicum commorati, vt expleto psalmo, eodem ordine ad me redierunt, & dixi nouissimo, cui priùs locutus fueram: Quid egistis? & Dęmon: Gallicianus* (inquit) *sine capite tot, at tantos lapides, ac ligna basilicarum suarum in statera suspendit, quod magis appenderunt bona, quàm eius mala, & idcircò eius animam à nobis abstulit. Et his dictis Dæmon euanuit. Itaque intellexi eadem die Carolum ex hac luce migrasse, & subsidijs B. Iacobi, cuius Ecclesias multas ædificauerat, ad suprema meritò regna subuectum. Transactis post eius mortem diebus quindecim, per nuncium didici ab ipso tempore, quo ab Hispania reuerterat, vsquè ad diem mortis suæ illum assiduè ægrotasse, ac pro salute quorumdam defunctorum eodem die, quo ipse martyrium pro diuino amore susceperat, scilicet decimo sexto Kalendas Iuly duodecim millia vnciarum argenti, totidemquè talenta aurea, vestes etiam, & cibaria annuatim in omni vita pauperibus solitum erogasse, totidemquè psalteria, Missasquè, & vigilias cantari fecisse, atque eadem die, & hora, qua visionem ego videram, scilicet quinto Kalendas Februarij, anno Dominicæ Incarnationis 813. ab hac vita migrasse, & apud Aquisgranum in B. Mariæ Basilica Rotunda, quam ipse ędificauerat, honorificè sepultum illum fuisse.* Hinc fit, vt merito vnicuique recolendum tribunal illud, pauendumque sit, in quo iustus, & æque sapiens ac potens & inexorabilis Iudex præest, de quo Iobus solemne illud, cunctisque ex horrendum, & fulmen potiùs, quam verbum

Carolus Magnus Romanorum Imperator, Dei inter iudicandum feueritatem expertus.

Io. Turpinus Archiepiscopus Rhemen sis hist. in vit. Caroli Magn. cap. 2.

Dœmones ad Caroli magni exitū frequentes.

Opera ipsius bona in trutina à Deo appensa.

Iustum Dei Iudicium multipliciter formidandum.

Iob. cap. 9. n. 3.

verbũ intonat: *Si voluerit* (inquit) *contendere cũ eo, non poterit ei respondere vnũ pro mille*. Cui regius item psaltes apte consonans: *Non intres* (inquit) *in iudicium cum seruo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens*. Ità planè.

Iob. cap. 9. n. 3.

Psalmi. 42. n. 2.

Psalm. 142. n. 2.

8. Supremi itaque Iudicis, ac pauendi simul Iudicij frequens apud homines mentio, & vel leuiter exhibita oculis vmbra, nedum ipsius imago tantam absterrendi, concutiendiquè hominem vim habuit, quemadmodum olim Gentium Apostolo de rebus diuinæ fidei, ad Felicem Proconsulem peroranti contigit; Vbi enim de Iudicio verba faciens, inire disputationem cœpit, exterrefactus Felix, sermonem protinus abrupit: *Disputante autem* (inquit Lucas) *illo de Castitate, & Iudicio futuro exterrefactus est Felix, &c.* adeò vt nouos propemodum Iudicio territus induisse spiritus videretur. Atqui idem fere Bogari Bulgarorũ Principi accidit, qui per exhibitas in pariete oculis, pictasque rerum imagines futurum Dei Iudicium probe didicit, & Christi fidem suscipiens, baptismo salubriter est initiatus; rem verò Curopalates sic narrat: *Aliud quoq;* (inquit) *accidit quod Principẽ ipsũ in vera fidei cultu magis cõfirmauit, Insatiabiliter iste venationi deditus erat, qua oblectare se studebat, nõ modò cũ venatum se conferret, sed etiã quãdo otiosus esset domi, idquè per animaliũ pictas figuras. Constructa noua domo Methodium quemdam monachum arte pictorem iussit domum illam picturis ornare; Verùm quasi diuina quadam prouidentia ductus, non præscripsit definitè, quęnam, & qualia pingeret animalia, verùm quęcunque ipse vellet, iussit pingere, terribilia tamen essent, quæ pingerentur, vispectantibus terrorem, & metum incuterent. Ille autem nihil aliud terribilius noscens secundo Christi aduentu, hunc ibi descripsit. Cumquè iam finita illa esset pictura, conspicatus Princeps ex altera parte iustorum cætum coronari, ex altera verò impios puniri, & à pictore percepta picturæ mente, statim propriam eiurat Religionem. Imbutusquè, vt diximus, à S. Episcopo diuinis ministerys, intempesta nocte sacrum percepit baptisma. Cum autem cognouerunt Nationis Præfecti communem mutatum religionis cultum, in Principem conspirant, eumquè de Imperio deycere student: quos ille parua, quam secùm habebat, manu fudit, fugauitquè præeunte Crucis signo, & inopinata re perculsos Christianos effecit*. Ità planè ipsosmet barbaros homines, ac ipsorum inprimis Regem leuiter adumbrata coloribus in tabula futuri Iudicij imago, sic stupore affecit, adeoquè ipsius terror aspicientes concussit, vt confestim animum simul, ac fidem, Deo desuper afflante mutarent.

Felix Proconsul, Paulo de iudicio finali disputante tremefactus obstupuit.

Actuũ Apost cap. 24. n. 25

Baronius an 845. num. 7. & 8.

Bogar Bulgarorum rex ex pictis in tabula imaginibus iudicij metu perculsus:

Theophan. in gestis S. Nicephori Constantinopol. Patriarchæ.

Methodius monachus pingendi arte Dei Iudicium adumbrat.

Quibus visis rex futuri Iudicij veritatẽ edoctus baptismi fonte ablui poscit.

9. Alter quoque (vt propositi argumenti narrationem prosequamur) Romanorum Imperator pari quidem tum fructu, tum exemplo pauendum supremum Iudicis, ac Iudicij thronum contemplando expertus, ac salutarem cunctis inde metum propinans, opportunè sibi Iudicis gratiam bonis dum per tempus vacat operibus conciliandam, præmonuit; Henricus videlicet secundus Imperator; qui multis licet clarus virtutibus, vitijs tamen haud carens, & libidinis præsertim labe notatus, in eo maxime offendit, quod etsi iurium Ecclesiæ strenuus propugnator, ac defensor, vitiorum tamen turpiter extiterit cultor, & seruus; hæc enim de eo Glaber: *Tamen* (inquit) *proh pudor, vnum in eo erat nimium reprehensibile, quod incontinentia, & carnis luxuria infamabatur* &c. Verũ graui subinde morbo correptus, dum desperata iam corporis vita, inter mortis angustias fatiscit, Dœmones sibi insultantes, & in iudicio ad Dei tribunal in multis iuste accusatores sustinẽs, haud aliter ad seuerã Iudicij trutinam librandus, quam B. Laurentij Martyris opę releuatus sibi visus est, quoadmodo reuixisse; hæc enim de eo Vuilhelmus Malmesburiensis, & alij tradunt: *Tempore* (inquit) *Conradi patris, à quodam Clerico fistulam tulerat argenteam, qua pueri ludo aquam iaculantur, pactus Episcopatum, cum foret Imperator. Adultus repetenti pollicitum impigrè dederat. Nec multo post aspera valetudine correptus decubuit, morbo crescente triduò exsensus, & mutus iacuit, cum in solo pectore vitali habitus palpitaret. Nèc aliud vitæ indicium erat; quàm manu ad nares apposita quantuluscunque sentiebatur anhelitus; Episcopi præsentes triduano indicto ieiunio lacrymis, & votis pro vita Regis Superos pulsabant. Quibus, vt credi fas est, remedys conualescens, accitùm Episcopum, quem*

Baronius an. 1047. n. 10.

Henricus secundus Romanorum Imperator æger ex iudicio sapere incipit.

Glaber lib. 5. cap. 5

Quantum ex Dei iudicio territus proficit.

Vuielmus Malmesbur. de Anglorum gestis lib. 2. c. 12.

Toto triduo dęmones infestos patitur

iniustè fecerat, sententia Concilij deposuit, professus se toto triduo Dæmones infestos vidisse, flammis in se per fistulam iaculantes, adeò pertinaciter, vt noster ignis comparatione illius iocus putetur, & nil calere. Iuuenem inter hæc semiustulatum latum aduentasse, ferentem immensæ magnitudinis calicem aureum aqua plenum, cuius visione, & laticis aspergine delinitum extinctis ardoribus in sanitatem euasisse. Ephebum illum fuisse Laurentium, cuius Ecclesiæ tectum longa carie dissolutum compaginauit, & præter alia xenia calice aureo honorificauit. Hæc ille. Sanctorum quippe meritis, ac patrocinio decedentium animæ inter mortis angustias, rigidamque horrendi Iudicij trutinam, ne aduersariorum accusationibus pulsati succumbant, aut deficiant, diuinitus iuuantur.

B. Laurentij Mart. ope liber fit.

10. Verùm enimuerò quisuas, vt par est, culpas humiliter agnoscens, easdem recolendo iugiter pensat, vbi solicitus ad pœnitentiæ sinum procurrit, haud hic iustam pro culpis subire pœnam refugit, sed vltro, libenterquè, vt satis Deo faciat, amplectitur. Quod suo olim exemplo Hugo Conuentrensis Episcopus docuit, qui quippe dum sub Vrbano, huius nominis Tertio, Romano Pontifice in Anglia Apostolicæ legationis munus obiret, ac Gulielmum Eliensem Episcopum præferuidè insequeretur, libellum contrà ipsum calumnijs, ac probris refertum conscripsit, promulgauitquè, quo quidem is liuoris æstu percitus, & contabescens, innocenti mordicus viro detrahere haud erubuit; Ipsum vero conscripta subindePetrus Blessensis epistola solatus, atque Hugonem pro merito amarulentis perstringens verbis; hæc de eo ibidem narrat: *Super lectum (inquit) doloris sui in infirmitate versabar, cum doloribus dolores accumulans, intermeantium crebra relatio nunciauit, quàm proditoriè, & quàm malignè vestram supplantari innocentiam factiosa coniuratio inuidorum, &c.* Quibus narratis perditum hominem, & pluribus quidem à recto procul aberrantem, obiecta Iudicij meditione sistere, & ad suum agnoscendum retractandumquè errorem exhortari non desinit illis planè vsus verbis: *Heù, heù* (inquit) *vbi est timor Dei? vbi memoria mortis? vbi gehennæ timor? & terribilis illa expectatio tremendi Iudicij? quomodo filium illum non reuocauit à tanto scelere vinculum fidei, & beneficiorum memoria, tanta fœderis promissio, & obligatio iuramenti? &c.* Multa verò ad absterrendum hominem in hanc planè sententiam prosequitur.

Hugo Conuentrensis Episcopus iudicij seueritatem sibi obiectam tacitus expendens cōpungitur.

Baronius an. 1191. nu. 28.

A Petro Blessensi merito carpitur.

Petrus Blessensis Epist. 118.

Petrus Blessensis Epist. 87.

Mortis, Gehennæ, ac Iudicij metu ad pœnitendum inducitur.

11. Atqui Blessensis Hugonem suis item epistolis acriter, amarulenterquè, vt ab errore si quomodo, vel scribendo retraheret, conueniens, & mortis illi sub finem, ac futuri item Iudicij memoriam valide inculcans eiusquè improbitatem aculeatis verbis perstringens, hæc meritò in ipsum intorquet: *O generatio* (inquit) *praua, ò domus exasperans: ò genimen viperarum? quis te docuit fugere à ventura ira? putas, quod non videat, & requirat hæc Dominus? propter hæc irritauit impius Deum; dixit enim in corde suo: non requiret, &c. Memento igitur homo, si tamen homo: memento, inquam, tuæ conditionis: memento huius vitæ breuis: memor esto districti, & horrendi Iudicij: memor esto pœnæ terribilis, horribilis, interminabilis, & intolerabilis, quæ tibi in æternum parata est, si à tali maleficio non desistas.* Hæc ille, qui quot verba, tot in hominem iacula iusto adductus zelo validissimè intorquens, quæ illius capiti, Deo ad iram concitato impendebant supplicia conceptis vltro verbis visus est intimasse; Sed cum nihil se ipso in dies melior euaderet, lethali tandem morbo correptus, suorum scelerum palinodiam recantauit. Intimo namque doloris sensu perculsus, errorem confessus, lacrymisquè ora perfusus, coram Abbatibus, ac religiosis viris quampluribus, quos ad se ex omni Normantia accersiri fecerat, sui arcana cordis, ac quaslibet vitæ sordes publicè cūctis reuelās, ac simul plangens, opportunis pœnitentię remedijs culpas, pro se ad Deum solicitus diluere satagit, adeò vt acerbissimas à Sacerdotibus, qui præsentes aderant ob debitum exoluendum pœnitentiæ onus Purgatorij pœnas vsque ad supremum Iudicij diem, sibi supplex iniungi exorando voluerit. Sed quæ Rogerius de mira Hugonis pœnitentia scriptis tradiderit, narranda hic sunt.

Apris à Blessensi, conceptisque Iudicij terror verbis cōtemplādus proponitur.

Resipiscens palinodiam scelerum recantat.

Baronius vbi supr.

12. *Eodē (inquit) anno (idest M.C.XCI.) Hugo de Nunant Conuentrensis, siue Cestercensis*

Rogerius in Anglorũ annalibus.

censis Episcopus Romam tendens, in Northmannia cœpit grauiter infirmari. Cumquè ingrauescente ægritudine mortem sibi vicinam cognouisset, fecit accersiri viros religiosos totius Northmanniæ, quos habere poterat, Abbates, & Priores, & audientibus cunctis, voce clamosa confessus est purè, & maxima cordis contritione, ac lacrymarum iugiter effusione, omnia peccata, scelera, enormitates omnes, quæ suæ memoriæ occurrebant. Tanta autem contritus erat, & commotus pænitentia, quod omnes adstantes, & se intuentes ad lacrymas, & singultus commouit. Deniquè flens, & eiulans, manibusquè consertis, Prælatos omnes in virtute Dei adiurabat, quatenus sibi pænitenti super tot, & tantis flagitiorum excessibus pænam infligerent, & satisfactionem condignam. Audientes autem viri religiosi, qui lecto adstabant, in Episcopo vitam adeo flagitiosam simul & admirabilem cordis contritionem, admunicem sese contuentes, obmutuerunt vniuersi, nescientes, quid darent consilij, vel quid tam subitò responderent. Quod cernens Episcopus, dixit eis: Sciò, scio, quod tantis enormitatibus auditis, hæsitatis inter vos, quid mihi pro pænitentia infligatis: Sed obsecro vos in nomine Domini Iesu Christi Domini nostri, quatenus loco pænitentiæ, & in remissionem peccatorum meorum iniungatis mihi, vt secundùm voluntatem Dei sim in pænis Purgatorij vsque ad diem Iudicij, vt tunc per misericordiam Redemptoris nostri, qui semper misericordiam exaltat super Iudicium, saluus fiam. Placuit hoc consilium vniuersis, salua semper sibi clementia diuina, quæ omnes seruari desiderat, & neminem vult perire. Tunc Episcopus, audientibus cunctis cum ingenti mærore recognouit, qualiter expulsis Monachis Cisterciensibus ad cumulum omnium malorum in loco eorum religiosos Clericos introduxit. Ad cuius flagitij satisfactionem aliud genus correctionis non inuenit, nisi vt in eorum habitu vitam finiret, in quos Diabolico spiritu exagitatus, cũ potuit, persecutionem excitauit, mendicare coegit, & quantum in se erat, odio mortali afflixit. Sicquè cum magno eiulatu Abbatem Becci, qui inter cæteros aderat, deprecans adiurauit, quatenus intuitu charitatis, ad Diaboli confusionem habitum sibi concederet monachalem, vt illos haberet patronos in sæculo futuro, quos persequutus fuerat in hoc mundo. Quod cum impletum fuisset, omnia, quæ possidebat in auro, & argento, in gemmis, & vasis pretiosis, domibus religiosis, & pauperibus erogauit. Et sic in spe bona omnium assistentium, & iugi lacrymarum effusione, fine insperato quieuit. Sic valide iudicij metu absterritus, ac dolens, suam miro vitam pœnitens fine conclusit.

Coram multis sacerdotibus culpas fatetur, ne in Dei Iudicio damnetur.

Baronius vbi supr.

[...]cunctis lacrymas ex[...]r quet.

Flagitiosa [...]psius vi[...]a, cum tan[...]a contritio[...]e admiran[...]a.

Vsque ad [...]ie Iudicij, [...] purgato[...]ij pœnis [...]lecti po[...]st.

[...]b religio[...] habitu vi[...]n finire [...]etur.

Pęnitens è vita abit.

13. Religiosa itaque in pœnitentiæ signum indutus veste, eaque circumamictus, cuncta insuper, quæ possidebat, pauperibus, ac religiosis viris erogari præcipiens, ad perferendas Purgatorij ignis in altero sæculo pœnas, vt æternas euaderet, promptum se, expeditumquè ostendit, adeoque inter hæc ab adstantium oculis lacrymas vltrò extorquens, ac magnam de se cunctis spem salutis relinquens, in pace fatis concessit, quò palam cunctis innotesceret, neminem à Dei bonitate repelli, sed immanibus, quantumuis peccatis onustum, à venia tandem non excludi, dummodo viuens adhuc culpas, vt par est, execretur, ac se ipsum ob culpas fletu dignum, flere non desinat.

Ne æternas inferni pęnas subeat, temporaneas in purgatorio libenter amplectitur.

14. Præconcepta namque animi semel, ac serio iusta futuri Iudicij, ac venturi Iudicis rigida, ac pauenda censura mortalium singulis maximè salubris, & ad præcauenda peccata, quibus quisque impetitur summopere efficax est. Quod sanè certo cuidam homini Parisijs aliquando contigit, quem post culparum reatum diuini metus Iudicij iuste inuasit, & ad obtinendam à Deo veniam feliciter perduxit, de quo isthęc Cęsarius: *Erat ibi* (inquit) *iuuenis quidam in studio, qui suggerente humani generis inimico, talia quędam peccata commiserat, quæ obstante erubescentia nulli hominum confiteri potuit: cogitans tamen, quæ malis præparata sunt tormenta gehennæ, et quę bonis abscondita sunt gaudia perennis vitę, timens etiam quotidie Iudicium Dei super se, intus torquebatur morsu conscientiæ, & foris tabescebat in corpore. Quid plura? tandem miserante Deo, timor ille seruilis verecundiam vicit, qui sicut seta charitatem inducere consueuit. Veniens ad S. Victorem, Priorem vocauit, & quia confitendi gratia venisset, indicauit. Ille paratus ad tale officium, &c. præmissaque exhortatione, iuuenem*

Rainaldus an. 1199. nu. 45.

Iuuenis quidam peccatis obnoxius, Iudicij contemplando securitatem resipiscit:

Cæsarius mirac. lib. 2. c. 10. de Contrit.

uenem confiteri volentem expectauit &c. Verum corde compunctus cum sacerdoti in confessione præ contritionis vi peccata aperire haud valens, in carta scripsisset, alteri sacerdoti pro salutari remedio ostendendi potestate facta, haud condemnationis, sed absolutionis sententiam retulit. *Venit* (inquit) *Prior ad Abbatem, & porrexit schedulam legendam, rem ei per ordinem exponens. Quid deinceps gestum sit, audiant peccatores, & consolentur, desperati, & recreentur. Mox enim vt Abbas chartulam ad legendum aperuit, totam eius continentiam deletam inuenit. Impletumquè est in eo, quod Dominus per Isaiam dicit: Deleui vt nubem iniquitates tuas, & quasi nebulam peccata tua &c.* Ità plane metus Iudicij, ac pœnarum, quæ postmodum remanent, cor hominis affecit, vt se ipsum erubesceret intus, & tantum corde dolorem conciperet, vt mox cuncta aboleret crimina intimus doloris, & amoris sensus, & iustum, atque expiatum haud dubijs ipsum Dei Bonitas signis, argumentisquè ostenderet. Sed de mira huius inter pœnitendū cordis compunctione suo opportune loco mentio erit.

Peccata, quę in carta scripsit, deleta diuinitus reperit.

15. Solus igitur purus Dei amor, vbi pleno animam iure sibi vindicat, omnem, tum Iudicij, tum mortis metum, ac molestiam aufert; Mortis namque, ac futuri Iudicij pauor, quo plerique mortalium concussi, è Peccatorum sordibus ad pœnitentiæ, Deo aspirante, sinum adducti tandem sunt, iustos tamen, ac digne Deo inseruientes, nedum immunes præterit, sed nullum ipsis aliquando negotium facessit; Iuxtà enim Sapientis verbum: *Iustus cum morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit:* Vbi è contra impios vtpote, qui seruilem gerūt animā, timor perpetuo exagitat. *Stimulus enim mortis* (Apostolo Teste) *peccatum est.* Quapropter Hugo Linconiensis Episcopus, olim sanctitate conspicuus, haud Iudicium, ac mortem aliorum instar extimuit, sed vtramque sibi, rem vti gratissimam lætis semper oculis præoptauit, aspexit, & ad mortis pręsentiam, ac si nuptialis foret thalamus, summopere gauisus est, vt Rogerius gestorum ipsius scriptor his verbis tradit: *Cum iam tempus* (inquit) *aduentaret transitus ipsius ad patriam, acri febre corripitur. Morbo autem ingrauescente, sæpius orando hæc verba repetebat: O piè Deus requiem presta nobis: bone Domine, Deusquè verax, dona tandem nobis requiem. Quod quidam de adstantibus audiens, quasi pro consolatione dixit ei. Iam Domine quiesces. At ille: O verè* (inquit) *beatos illos, quibus velut in extremo Iudicij die requies inconcussa donabitur. Dicente rursus eo ipso, illum diem ei futurum Deo volente, Iudicij diem, quo esset è vita discessurus, cum magna fiducia dixit: Non enim Iudicij, sed gratiæ, & misericordiæ dies erit, quo ego defungar. Cum adhuc esset incolumis, & mentio fieret de mortis horrore, dicere consueuerat: Malè profectò nobiscum ageretur, si nunquam mori deberemus.* Vir namque Dei licet mortalis haud mortem aliorum more hominum exhorruit, sed vel ipsius audito nomine pręgaudiò exultans, & se ipso fortior & alacrior effectus, solemne illud sapientis verbum facto adstantes docuit: *Sperat autem iustus* (inquit) *in morte sua.* Quod sanè vir beatus tunc maximè ostendit, dum bene actorum conscientia releuatus, ac magna in Deum fiducia suffultus, vt acta ipsius exhibent, amico eum absterrere conanti impauidus hunc in modum respondit: *Quandoquidem* (inquir) *Domine multo tempore tum ordinarius, tum delegatus permultorum Iudex fuisti, diligenter oro, studeas, nedum generatim, sed etiam speciatim confiteri, quos, & quo priuato amore, vel odio aut promoueris, aut presseris parem iustè: respondit ille: Odio, seù amore, sed nec spe quidem, aut timore personæ, vel rei cuiuscumq; à veritate iudicij me vnquam exorbitasse, penitus memor non sum: Si autem de recto deflexi, hoc vel propria ignorantia, aut certè assistentium culpa accidit.* Vir quippe cælo dignus, innocens vita, & mortalis licet, haud mortem sibi, nec Dei post mortem Iudicium timori esse vltro, constanterque edixit.

Sapientiæ cap. 4.

Purus Dei amor hominem mortis, ac Iudicij metu abiecto, haud pro se sollicitum reddit.

1. Ad Corinth. cap. 15.

Rogerius L. 5 gestis S. Hugonis Lincon. Episc.

Hugo Linconiensis Episcopus iudicij obiectu deterretur.

Rainald. an. 1200. n. 19 20.

Prouerb. 14. 32.

Iudicij diē ipsum, quo moreretur die, futurum edicit.

Prouerb. 32.

Amico se absterrenti quid vir impauidus respondit.

Rogerius vbi supr.

16. Quoniam verò de futuro Iudicio, sermo adhuc nobis est; Certe dum Etnicus ille in Iudæa Proconsul, ac rerum Christianæ fidei omninò ignarus, de quo & suprà, In Apostolicis actibus: Disputante Paulo de Castitate, & Iudicio exterrefactus legitur; sic vel sola proinde futuri Iudicij mentio, quæ adeò terret, resi-

resipiscentiam à malo indicit, suadetque hominibus, Et vt exemplo res comprobetur, hæc apud Drauroultium: *Carolus* (inquit) *Franciæ Rex virtutum B. Aegidij fama commotus, missis legatis eius conspectu, colloquioquè frui voluit. Aegidius cognita Regis voluntate, eum adijt, & sermonem de mundi contemptu familiariter haud sine fructu instituit. Nam cum Rex occulti sceleris cuiusdam conscientia ligatus ad illum vsque diem Dei Iudicium non extimesceret, tunc subito horrore perculsus supplex Aegidium rogauit, vt iratum suis sceleribus Numen precibus pacatum reddere dignaretur. Ea Regis supplicatione motus Aegidius proxima deinde Dominica agni oblaturus sacrificium, interius Deum pro rege precatus est, & ecce sub ipso (vt vocant) canone Angelus Domini in Altare schedulam deposuit, quæ regi admissi sceleris veniam spondebat, si tamen iusto dolore tactus, melioris deinde vitæ frugem præstaret: Eam schedulam Sanctus Abbas Regi legendã tradidit, eumquè seueris monitis ab omni peccato absterruit: & sic demum donis, muneribusquè ad pauperum consolationem affectus ad Monasterium redijt.* Horrendum quippe Dei Iudicium, si intenta quis vel semel mente recolit, à vitijs profectò contineat, & Deo pro culpis faciat omnino satis, necesse est.

Bergomensis lib. 10. Petrus de Natalibus lib. 8. Catal. c. 28. Zaccharias Lipeleo 1. Septembris. In Catechism. hist. Drawolt. 5. tit. 35. de pœnit. pag. 129.

Carolus Frãcorum rex audito Dei verbo Iudicij metu percellitur.

Schedula e cœlo ab Angelo dimissa veniam regi pœnitenti repromittit.

17. Illibatum itaque supremi Iudicis, cui mortalium quisque, velit, nolit, tandem præsentandus est, tribunal miram, insperatamquè ad percellendos rebellium animos, perlustrandasque sua luce hominum mentes, vim maxime obtinet; adeòque Iobus vir omnium sanctissimus Domini Iudiciũ recolens, suæque haud præfidens sanctitati: *Si repente* (inquit) *interroget, quis respondebit ei? Si voluerit* (inquit) *contendere cum eo non poterit vi respondere vnũ pro mille.* Solido quippe conscientiæ testimonio quantumuis liber, diuini tamen terrorem Iudicij, ac verendã mortalibus & tunc inexorabilem Iudicis tum potentiam veritus, tum maiestatem edoctus haud tutus sibi videri potuit à iusta Iudicis exactione. Verum Iudicij metus, qui vni olim inter Gentilium errores tantum ad fidem profuit, Etnico item alteri, ac latronum Principi obrepens inter somnos, ac noctis tenebras vel obscura Iudicij imago id contulit, vt mox in alterum immutatus, ad ipsum apicem Sanctitatis pertingeret, vt ex recolendis Patrum gestis Zehentner his planè verbis tradit: *Mutius* (inquit) *vir quondam genere ethnicus, conditione, ac fortuna latronum princeps, quem facinora sua fecerunt Orbi celebrem, cum aliquandò appararet nocturno silentio sacrum parthenonem compilare, inter ipsos conatus, ac molitiones penetrandi domicilij graui oppressus somno est; ibi tum rapi ad diuinum tribunal sibi visus, supplicia suis facinoribus comparata intellexit, nisi celeri pænitentia ipse sibi ius dixerit. Mutius vt euigilauit è tristi somno, rectà ad religiosos profectus viros, animæ medicinam eos poposcit, & accepit pro rudimentis spiritualis magisterij, vt ex prima Dauidis Oda has strophas tres, non tam memoriter disceret, quàm opere exerceret: Beatus vir, qui non abijt in consilio impiorum, & in via Peccatorum non stetit, & in cathedra pestilentiæ non sedit. II. Sed in lege Domini voluntas eius, & in lege eius meditabitur die, ac nocte. III. & erit tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo: Ad hanc adamussim cum vitam probè exigeret Mutius, superi adeò eius vlterius erudiendi prouinciam susceperunt, à quibus probè expolitus, ipse quoque scholam aperuit, factus ex latrone virtutis magister. Et fanè approbauit pulchram hominis disciplinam Deus, iussusquè est sol eum revereri velut nouum Iosue; ita cursum suum moderando, vt non ante occumberet, quàm ille tugurio discipuli successisset: quem præter spem defunctum cum inuenisset, rogauit familiariter, vt redire in vitam vellet, abnuentem valere iussit, & tumulo composuit.* Pœnitentia siquidem est, quæ sua tantum virtute hominem prouexit, vt velut sol anteactis sæculis ad Iosue impetium in medio cursu immobilis perstitit, ità ad Mutij pariter vocem immotus permaneret: *Obediente* (vt ait scriptura) *Domino voci hominis.* Quemadmodum vero alter dignus plane tanto magistro discipulus ac vere pœnitens in vitam hanc mortalem, vel cũ periculo redire noluit, sic ipse non nisi diuino edoctus magisterio, mundo iam mortuus, ac pœnitentiæ duntaxat viuens operibus sic fuit in terris, vt moriturus tandem vti vixerat, mortuus sibi, ac mun-

Iobus Iudicij metu perculsus quid dicat.

Iob cap. 9. n. 3. 12.

Paulus Zehentner in promont. malæ spei lib. 3. §. 3. num. 5.

Mutius Latronum princeps obiecta domini inter dormiendũ iudicij trutinam ad castum conuertitur.

In vit. PP spec. exempl. distin. 11. exempl. 101 Fasti Mariani 25. May.

Ad Religiosos viros remedium quærens conuolat.

Psalm. 1. versu 1. 2. 3.

Sic ex latrone virtutum in eremo magister.

Iosue cap. 10 v. 14.

Nouo ac si alter Iosue portento solemni medio cursu sistit.

mundo, pœnitens haud dubijs cœlo teste signis Deo charus præfulserit.

18. Verùm enim verò ea est pœnitentiæ virtus, vt diuini iudicij calculo roborata, hominem, quem grauiores inolitæ interdum culpę impune prægrauant, ipsa nedum ad iudicium prouocans releuet, sed in mortem ipsam, quo securius sibi consulat, præpotenter excitet, ac nobilem ex morte triumphum auspicando, non tam mundo, quàm peccato feliciter mori suadendo impellat. Quapropter quem feræ mori cupidum horrent, quem aquæ inter pericula naufragum refugiunt, sola Pœnitentia tuto aliquando sinu excipit, ac Dei licet iudicio reum absoluit; hęc enim in Annalibus Societatis Iesu in Pœnitentiæ laudem ipsius Zehentner verbis habentur: *Indus aliquis homo inquieti animi, & ad extremum perditus, cum crescentibus in dies vitijs eò processisset, vt nullum sibi videretur receptum habere ad pœnitendum, in dolorem vltimum, furoremquè conuersus mori destinarat. Se igitur in fluuium rapidissimum iacit, id cum relabentium vndarum impetu, atque innoxio volumine in littus fuisset reiectus, certus relinquendæ vitæ in syluam penetrat nutricem ferarum, vt quem repudiant aquarum fluctus, vorarent bestiæ. Immane dictu, & quod probè superat fidem, Tigrides, Leones, Pantheræ, aliaquè id genus animalia (quibus scatebat sylua) humanum licet sitiant sanguinem, & carnibus vescantur, cum viso homine paululum consisterent, fugam rapiebant. At ipse in se crudelior, quàm fuerant immanes feræ, præ ardore, iraquè non compos sui, cum leænam vidisset catulis incubantem, accessit impudentius, vt eam irritaret catulis abreptis. Sed illa non ipsius violentia mota, non iniuria accensa, raptorem sequitur lento passu, perinde, ac se feram esse obliuisceretur, matrem meminisset, dum tandem ipso confidente apprehensos catulos, in vastam solitudinem retulit concito cursu. Stupor animum, & quidam veluti torpor tenuit membra mirantis, dum tandem ipso confidēte apprehensos mordicus mordicus catulos, in vastam solitudinē retulit concito cursu.* At mirum placet, quod auctor subdit: *Tum verò* (inquit) *ad se rediens, quid cogitas hominum profligatissime? ecqua erit finis miseriarum tuarum? Si res carentes sensu te repudiant, refugiunt rationis expertes? nempe maculari metuunt aquæ absorpto, feræ ablato corpore tam infando; quin tuas ipse sordes confessione abluis, & vitam emendas? hæc ille secum. Sed grauissimum est imperium consuetudinis, cum extitisset noua peccandi occasio, effundit omnem memoriam optimarum cogitationum, in grauiora scelera immersit. Dein iter facienti oblata est semel, atque iterum facies horrenda, & vox accidit ad aures: Quantum te suppliciorum commeritum putas tantis sceleribus? Iam tandem tibi gladium per viscera exige, & infelici dextera occumbe. His visis, auditisquè, ad nos accurrit ita perturbatus, & pauens, vt non color, non vultus ei constaret, nec priùs abyt, quàm alteram institueret rationem vitæ priore detecta.*) Hæc planè sunt digna pœnitentium non tam decora, quā ipsam ex morte vitam auspicantium portenta, quæ nedū iratum homini Deū placāt, sed & immites, immanesq; eicurando belluas, imbelles quodammodo reddunt, ipsasq; demulcendo pijs pœnitentium lacrymis, eorumdem obsequio captiuāt. Sed narratis ipsius Gregorij mortalium cūctos ad pœnitentiam, proposito ob oculis futuri Iudicij horrore adhortantis verba, appendicis instar subtexenda hic sunt: *Præsentis* (inquit) *temporis ità agenda est lætitia, vt nunquam amaritudo sequentis Iudicij recedat à memoria*) sic enim opportune animæ negotio consultum erit, cum præsentium tranquillitas rerum diuini horrore Iudicij compensatur.

Paului Zehetner vbi supra n. 7.

Pœnitentia homini dignū ex aduersis triūphum parat.

Ex litteris annuis Societ. Iesu an. 1589. in prouinc. Peruan Collegij Petusin.

Indus post immanes culpas in furorem actus quid faciat.

Aquis submergi vult sed pareūt.

Leenam raptis catulis in seipsum, vt deuoretur, incitat.

Feræ mitiscentis aspectu ad pœnitendum prouocatur.

Quid cōsilij inter angustias miser capiat.

Gregorius hom 32. in Euang.

CAP. VIII.

Peccatores præostensis sibi Inferorum pœnis resipiscunt.

1 IVstis vnicuique propositis ex Legū humanarum præscripto pœnis, nec non seueris vltrò adhibitis ad terrendum suppliciorū mulctis, & à malo retrahuntur, & maximè ad virtutem homines incitantur; adeoquè frequens sacris in paginis supernæ in perditos animaduersionis mentio, exactaque interdum puniendo censuræ ratio habetur, vt iuxtà illud: *Pæna ad paucos, metus verò ad omnes perueniat.* Quapropter Christus, vt vel solo mortales metu, haud pœnis, ac flagellis erudiat, & ad bonam deuios, aberrantesque frugem

Cyprianus in epist.

Pęnis ex legum præscripto homines à malo cohibentur, & ad virtutem incitantur.

gem traducat, consulto nostris quoque pœnis, ac terroribus modum adhibet, dum magis Deum, quam hominem verendum, & animæ potiùs, quàm corporis interitum extimescendum edicens: *Dico autem* (inquit) *vobis amicis meis, ne terreamini ab his, qui occidunt corpus, & post hæc non habent amplius, quid faciant.* Futilia enim, ac inania isthæc sunt, adeoque nullius, quamuis magna se ipsis appareant, ad pertimescendum momenti; Iustam verò cunctis subinde, ac dignam plane timendi rationem æquo sapientum calculo, superniquè muneris auctoritate designans: *Ostendam* (inquit) *vobis, quem timeatis: Timete eum, qui postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam. Ità dico vobis hunc timete.* Gehenna quippè, omniũ vtpote locus pœnarũ, quidquid alioqui vel maximè mortalibus pauendum occurrit, suo veluti sinu claudit, malorumquè omnium cumulũ coaceruando complectitur; *Omne etenim ibi aderit malum, omne aberit bonum*: vbi sua infelix iugi duntaxat pœna locus gaudet, ac sola mensuræ, ac termini ad instar perennitate concluditur. *Vbi, vbi inquam* (inquit Hugo) *nec qui torquet, aliquando fatigatur, nec qui torquentur, aliquando morientur, sed sic morientur, vt semper viuant, & sic viuent, vt semper moriantur.* Nec aliter profectò horribilis gehennæ perstrictim facies conceptis à Chrysostomo verbis aliquãdo ob oculos contẽplanda proponitur: *Intolerabilis* (inquit) *res est Gehenna, quis nesciat illud supplicium horribile.* Quapropter iustè metus eiusmodi hominem culpis obnoxium, ac diuinæ maiestatis reum intime peruadens ad bonam plerumque frugẽ, & vel inuitũ à peccatis retrahendo perducit. *Quid enim* (Bernardo edisserente) *intolerabilius Gehenna?* Nil prorsus inter omnia malorum, pœnarumque incommoda Gehenna deterius suppetit.

Luca cap. 12.

Friuola quæ, que timent homines, & maiora sper-nunt.

Luca c. 12.

Augustinus in serm.

Deus, qui Gehennam minatur, maximè timendus.

Hugo de S. Victor. lib. 2. Dialog.

Chrysostomus hom. 28.

Bernardus in sermon.

2. Metus itaque Gehennæ rebelles Deo, ac effrænes mortaliũ animos fortiter cohibet, currentẽquè in medio cursu sistit, ac ferreo veluti adiecto clauo, ne posthac homines in malum præcipites currãt, validissime configit. Enim verò dũ quisque pœnarum, quæ peccantes post mortem manent, acerbitatem recolit, vel ipsis sapiens è pœnis, ad sua melior subinde officia redit: *Veniat* (inquit Propheta) *mors super illos, & descendant in infernum viuentes.* Pœnarum namque, ipsiusque Tartari probè vnusquisque magistério instruitur, dum vel suam in pœnis culpam agnoscens, longe alius ab eo, qui pridem fuerat, domum, & ad se ipsum iam mutatus regreditur; vt aptè sibi Prophetæ consonet verbum: *Dominus deducit ad inferos, & reducit.* Quæ quidem verba Gregorius aptè in rem aliquando edisserens: *Deum* (inquit) *ad Inferos deducere, est Peccatorum corda æternorum cruciatuum consideratione terrere: reducere est territas pœnitentium mentes spe vitæ indeficientis attollere. Tunc quippè peccare desinimus, cum futura tormenta formidamus.* Morosos vero in bono homines, ac in suis quotidiè malis obsordescentes iustè Bernardus aliquando suggillans: *Inuenire* (inquit) *est homines pusillanimes, & remissos, deficientes sub onere, virga, & calcaribus indigentes, quorum remissa lætitia, pusillanimis tristitia est, quorum breuis & rara compunctio, animalis cogitatio, tepida conuersatio.* Quod sanè his præsertim contigit, qui excusso Gehennę metu, in malum præcipites fiunt, quos viuis subinde in tabula coloribus ipse adumbrans, & suo quasi digito cunctis demõstrans: *Quos vix* (inquit) *Gehennæ metus inhibet, vix pudor cohibet, vix ratio frænat, vix disciplina coercet.* Quos autem salubris Dei timor informat, & intimus cordis dolor ad pœnitendum sollicitat, hos profectò Gehennæ ipsius metus, ac memoria à peccando auertit, ac demum ad redimendas scelerum culpas assidua pœnalis Tartari cogitatio impellit: *Ob id enim Deus,* (vt Augustinus monet) *dicit se parasse Gehennam, ne mittat in Gehennam*; sed prolatis interim in medium exemplis assertionis nostræ propositum confirmandum est.

Psal. 54. n. 16.

Mors, & Gehenna, vnicũ terrẽdis hominibus argumentum.

Lib. 1. regum. n. 6.

Gregorius lib. 1. regum. cap. 2. n. 6.

Gehennæ cogitatio, homines à gehenna liberat.

Bernardus serm. de Ascensione.

Stulti, qui pœnitentiæ iugum, & laborẽ, plus quam gehẽnam fugiũt.

Bernardus vbi supra.

Deus gehẽnam parauit, nè gehennã mittat.

Augustinus in psal. 7.

3. Opportuna igitur, ac sapiens gehennalium tormentorũ fixa animo altius mentio ad pœnitentiam, & satis quidem austeram plerosque compunctos aliquãdo perduxit; Theodoretus quippe, à se Thalelæum visum fuisse scribit, qui Gehennæ metu extimulatus, totum se perpetuo sectandæ pœnitentiæ deuouerat, & procero licet corpore, se tamen miserandum in modum rotæ inclusit, quæ duos

Theodoretus in Biblioth. cap. 28.

L cubi-

cubitos alta, vnum lata erat, adeò vt erigere collum minimè posset, ac semper incuruus manens, faciem genibus annexam præferret; quo planè modo totos decē continuò annos ibidem cōsederat. Theodoretus insuper hunc aliquandò aspiciens,cur ità se se affligeret, attonitus interrogauit, cui sic ipse respondit; *Ego* (inquit) *multis peccatis sum obnoxius, & audiui pœnas, quę in futuro parantur. Elegi ergo potiùs corpus hic castigare pœna mediocri, quàm expectare pœnas longè grauiores.* Pœnas igitur quantumuis in hoc sæculo rigidas, intolerandasq;infernarum metu pœnarum, subire hic vere sapiens, compunctusque delicias merito,ac lucrum computabat.

Thalelæus gehennæ metu absterritus, rotæ se ad pœnitendum includit.

4. Vt alios verò subinde recenseamus;Theodorus item hic nobis occurrit, de quo & suprà meminimus. Hic quippe cū in Monasterio B. Gregorij oscitanter diù, ac profunctoriè inter Dei seruos vixisset, necessitate adductus magis,quā voluntate monasticæ vitæ instituta sectando, vbi se ad vitæ finem properantē, ac gehennalibus tormentis proximum vidit, totus miser absterritus, Dęmonisquè aspectu exanimis, vitam omnimodis retractare promisit, & sic postmodum flagellis attritus, expiatusq; e vita decessit; Sed B. Gregorium isthæc narrantem audire hic præstat. *Is de quo* (inquit) *in homilys coram populo me narrasse iam memini, inquietus valdè, Theodorus nomine, &c.* ad inferni & tartarei hostis aspectum pœnarum impendentiū metu adeo expauit, vt iusto cunctos item timore repleret,& pro se sollicitos ad Deum redderet; hæc enim Gregorius. *Tunc*(inquit) *repentè cæpit ysdem Fratribus assistentibus clamare, atque cum magnis vocibus orationes eorum interrumpere dicens: recedite, recedite: Ecce Draconi ad deuorandum datus sum, qui propter vestram præsentiam deuorare me non potest; caput meum iam suo ore absorbuit, date locum; vt non me amplius cruciet; sed faciat, quod facturus est. Si ei ad deuorandum traditus sum: quare per vos moras patior? Tunc Fratres cæperunt ei dicere: Quid est, quod loqueris frater? Signum tibi Sanctæ Crucis imprime. Respondit ille dicens: volo me signare, sed non possum, quia squammis huius Draconis premor.*

Baronius an 590. num. 13. sup. cap. 6. pag. 83.

S. Gregorius hom. 38.

Theodorus monachus gehennæ aspectu peccatis moriens remunscit.

Supra cap. 6. pag. 83.

Se vorandū draconi traditum clamat.

5. *Cumquè Fratres andirent, prostrati in terram, cum lacrymis cæperunt pro ereptione illius vehementer orare. Et Ecce subitò cæpit æger clamare dicens: Gratias Deo; qui me ad deuorandum acceperat, fugit: orationibus vestris expulsus, stare non potuit: Pro peccatis meis modò intercedite, quia conuerti paratus sum, & secularem vitam funditus relinquere. Homo ergò, qui (sicut iam dictum est) ab extrema corporis parte fuerat premortuus, reseruatus ad vitam, toto corde ad Deum conuersus est, & postquam mutata mente diù est flagellis adstrictus, tunc eius anima carne soluta est.* Qui ergò iam cunctis videbatur carne pręmortuus, sic spiritu ad Dęmonis, ac Gehennæ conspectum animo reuixit, vt alter, & non iam ille, qui pridem fuerat, videretur.

S. Gregorius vbi supr.

Se ab ipsius gehennæ ore ob monachorum preces liberum videns toto ad Deum corde conuertitur.

6. Et sanè(vt noster susceptæ narrationi sermo insistat)Drithelmus quoque, nobilis olim in Anglia pręostensis vel seriò Inferni pœnis sapiens, & mox ad Tartari horrorē,à vitijs resipiscens austerissimæ vitæ genus,anteactæ omninò contrarium inijt,de quo in suis historiarum paginis Beda, & subinde Baronius isthæc: *Non pretermittimus* (inquit) *dicere ysdem quoque temporibus, quibus peregrinatio accidit Vuillebrordi in Vrbem, contigisse in Anglia in prouincia Hordannhumbrorum aliam resuscitationem diuinitus factam Drithelmi viri nobilissimi ad hoc, vt quę vidisset in Purgatorio, vel in Inferno cruciamenta Peccatorum, ad supera reuersus referret, quauè de Beatorum gaudys conspexisset, pariter hominibus in vita degentibus significaret; qua cuncta narrauit Alfrido Regi, & alys, qui ex eis accepturi essent ad emendationem morum, emolumentum. Quod verò haud fuerit inanis visio, vel impostura, fidem fecit ipse, cum saculo primùm se abdicans, arctissimum humanis viribus penitus impar, vitæ institutum arripuit. Describit sui temporis historiam satis fideliter Beda, ad quem lectorem, nè nimia cum retineamus prolixitate, reycimus. Ista quidem non semel Deus, sed cunctis penè saculis voluit reddi mortalibus manifesta, quò mens ignaua, obuoluta terrenis voluptatum nexibus arctissimè vincta, excitata resipisceret, & suum Creatorem culpa liberum sanctis operibus sequeretur. Subdit, & alia, qua ibidem his temporibus contigere*

Beda lib. 5. cap. 13.

Baronius an. 696. n. 12.

Drithelmus vir nobilis, post mortem in Anglia in vitam reuocatus.

Portentum cunctis ad salutem Prodest.

tigere, his similia de futuro Iudicio, cui moriens vnusquisque est obnoxius, idem Auctor, quæ tu leges. Hæc Baronius. Ex quibus visa, præostensaque Inferorum tormenta eum sistius menti metum incussisse constat, vt spontè ad bonam frugem conuersus, & ad quasque spontè, libenterquè amplectendas pro culpis pœnas contendens, cunctisquè indefessus posthac mirantibus in arrepto mentis proposito perstiterit.

Narrata tormentorum strophes, voluptatibus terrenis salubre remedium.

7. Nedum verò Mortis iam imminentis, ac Inferni horrore, sed vel pœnalium Purgatorij ignium obiecto sibi diuinitus aliquando visu, Angela è nobili Ptolomæorum stipitè orta,& post religiosum Dominicanorum institutum inter sorores tertij Ordinis pœnitentiæ causa arreptum, moritura tantum profecit, vt pristinæ sanitati reddita, sibi penitus,& mundo mortua, tota inposterum Deo viuere inceperit hæc enim in fastis Senensibus auctor tradit. *Cum* (inquit) *inter ægrotandum omninò sensibus abrepta videretur sibi in locum delata, purgandis noxis piorum manium sepositum, omnem illum acerbissimorum cruciatuum apparatum sibi, suæquè animæ post imminentem tum maximè obitum destinatum accepit, cuius seueritatis denunciatione perculsa, vbi primùm ad se se redyt, precibus, votis, lacrymis Deum, omnesquè Cælites fatigare aggressa est, illum à se flammarum horrorem, illam suppliciorum acerbitatem auerterent, concessaquè longiore inter homines mora, incommodis, doloribusquè, qui mortalem sequi maximè possunt, redimendæ eius miseriæ spatium darent. Addit precibus pondus patronum,deprecantemquè Ioannem Baptistam, fratrem, qui omni adhibito feruentissimæ precationis instrumento à cælesti tandem expugnat clementia, vt supplex illa miserabilis tandem, quod volebat, acciperet, & nè fortè dubius beneficij auctor esset, valetudo, quæ perferendis oblatis cruciatibus opus erat, non ægræ,sed mortuæ est restituta; Nam postquam præualente vi morbi extincta est, in ipsa funeris, quo iam efferebatur, pompa, ab obuio Christi seruo surgere iussa, vitamquè, & sanitatem, & vires repetit. Reducem spiritum Angela in hoc sibi datum putauit, vt eo tortore ad exigenda à rebelli corpore supplicia vteretur,nec vllum sæuiendi in se se finem faciebat, dum medios modò se in ignes proyciens ad vim tolerandi caloris ardesceret; modò in rigentia alte glacie flumina desiliens ad membrorum vsque stuporem obrigesceret; cum interim nec ieiunijs, nec vigilijs, nec verberibus abstineret, & si quid aliud atrocius ingeniosa in sui cruciatum christiana constantia excogitauit, vt non rarò toto corpore informem in tumorem excresceret, infestisquè inter se humoribus languidum, infirmumquè corpusculum enecaretur. Et quia solamen omne, quo tantæ miseriæ leuari possent, penitus aspernabatur, vitandum sibi omnis humani sermonis commercium duxit, vltrò ad perferenda deserta solitudinis incommoda, longiquorum montium asperitate, vastarumquè specuum obscuritate petita. Atque ijs, alijsquè id genus voluntarys afflictationibus strenuè, fortiterquè perlatis, postquam satis pœnarum pro inexpiatis noxarum suarum reliquijs diuinæ iustitiæ depensum credidit, summa cum animi securitate ad alterum feliciorem obitum se comparauit, qui iam probatę, nec vllis interpellantibus ignibus obnoxiæ sanctissimæ animę expeditus demum cælestem ad patriam gradus fuit. Ite nunc mortales, & facile vobis ęternæ salutis negotium fingite,propositaquè laboriosis, & exercitis, & industrys præmia inter lustra, & ganeas securi, cessantesquè per luxum, atque inertiam expectate.* Haud aliter enim,quam mortis, ac inferni metuvirilis fęmina ad pœnitēdum, & ad aspera quæque perferenda reuixit, vt ad æternitatem sibi acerbiores inter pęnas aditum patefaceret.

In fastis Senensibus pag. 278. Michael Pius in illustr. Domenican. viris lib. 1. vita 247. Greg. Lombardellus in vit. B. Greg. Ptolom. cap. 25.

Pœna Purgatorij animis hominū expiandis proficua.

Angela è Ptholomęorum stirpe purgatorij pœnis prę ostensis ad pœnitendū proficit.

In ipso funere vti Fęnix ad vitā reuiuiscit.

Pœnitendi spiritu Dei munere dignes, mirum dictu quę fecit, quæ pertulit.

Patiendi desiderio, & pœnarum cumulo expiata cœlū conscendit.

8. Quanti verò sedula horrendaque Tartari, ipsiusquè pœnarum meditatio, ad virtutem conducat,vnus ille satis præ cunctis olim inter solitarios expertus docuit, qui acerbis vltrò se pœnis in austerioris vitæ stadio exercens,consulto præsentibus futuras,Inferni pœnas hic redimendas,& si lingua taceret, factis testabatur. In molestis namque minutorum animalium morsibus iugiter, alijsquè insuper, vt Infernum euaderet, cruciari se modis vltrò,libenterque sustinens cuncta pro delicijs habuit de quo isthæc Sophronius: *Olimpius Abbas* (inquit) *in specie Iuxtà Iordanem sedem delegerat, in quo & ardoribus Solis valdè vrebatur, & culicum morsu miserabiliter configebatur. Rogatus autem, quomodo æquo animo tam incommo-*

Sophronius in prat. spirit. c. 141. Catechism. hist. lib. 3. tit. 41.

Olimpius Abbas locū iuxta Iordanem molestis Culicum morsibus,& solis ardoribus expositum deligit.

dum locum perferre posset, respondit: se æstum patienter ferre, vt liberari posset ab ardoribus Inferni: Culicum verò morsum ad præcauendum vermem conscientiæ, damnatos in perpetuum morsurum. Hæc ille: Contrarijs quippe iuxta medicæ artis præscriptum contraria curantur, & momentaneis insuper malis æterna hic prouidè tormenta compensantur.

Matthias Faber. concion. 3. in Domin. 4. Quadrages.

Vir nobilis in Austria ægrotans per visum inferni pęnas quoquo modo intelligit.

9. Porrò vt proposita nuper assertio magis, magisquè recentioris memoriæ exemplis comprobetur, quid Matthias Faber in suis moralibus paginis narret, accipiamus: *Circa annum* (inquit) 1591. *in Austria vir nobilis insano amore æstuās, cum in febrim incidisset, & lecto affixus hæreret, visus est sibi cernere ante se rhedam igneam cum igneo equo, & horribili rhedario monente currum sibi paratum, & promeritum ociùs conscenderet. Horrere igitur suprà modum nobilis, & gladio arrepto resistere, ingentiquè clamore domesticos, adeoquè vicinos aliquot è nocturno somno ciere. Accurritur, & cum nihil ab alijs videretur, nobilis monetur vt deponat metum, impositum sibi tantùm esse. Sed ille adhuc præsto esse monstrum clamat: Vocantur interim Patres Societatis, qui tantisper timorem leniunt aqua lustrali, signo Crucis, Agno Dei, dum affirmaret æger, Dæmonem abscessisse in præsens, minari tamen vultu; Detectis deinde peccatis, vnaquè deposito turpi amore, liber deinceps à terrore fuit. Eodem tempore cum in Bauaria mulier ærumnosa Dæmoni se deuouisset, verberibus ab illo tundebatur, & terroribus agitabatur, ità vt ab ingressu templi virgarum quas sola videbat, intentu arceretur. Adducta ergò ad Confessarium Patrem Societatis, animum expiauit, & omni molestia liberata est*, Salubris itaque Inferni timor à Deo, necnon ab ipsismet Dæmonibus regionis infernæ incolis aliquando iniectus, deliras hominum mentes ad sana, solidaque æternorum arripienda consilia adducens, Deo tandem conciliat, ac reparat, quas pridem Diabolus doli artifex à Cęlo procul & per dolos à Dei regno extorres peccando maxime fecerat.

Sacramentali confessione expiatis culpis omni metu soluitur.

10. Nec silentio insuper prętereundum hic est, quod anteacto proximè sæculo, & magno quidem ad salutem prouentu ostensis Inferorum pœnis certo cuidam homini accidit. Bartholomæus quippe ex Bononiensi Prouincia sacerdos, Capuccinorum Franciscanorum Ordinis, corruptis vir olim in sæculo moribus, obiecto postmodum sibi infernalium locorum, pęnarumquè acerbissimarum visu, ac patrocinante sibi Deipara, mirifice ad Deum conuertitur; de quo Bouerius isthæc: *His itaque turpioris* (inquit) *vitę tenebris demersus, dum aliquando solita precatione erat in mentis excessum raptus, in igneum pelagus se deportari videt; in quod demersus, cum acriùs à flammis cruciaretur, amicum sacerdotem eiusdem pelagi flammis obrutum animaduertit. Inter hos ardentis pelagi fluctus dum miser prę dolore exclamat: En virgo beatissima è cælo delapsa manum porrigit, eumquè è pelago eductum his Verbis affatur: Bartholomæe quandoquidem tam grauiter meum, ac Dei filium tuis Sceleribus læsisti, si hinc saluus optas emergere, illius te conspectui adstare, atque ab eo criminum veniam poscere oportet. Pudebat Bartholomæum tot sibi scelerum conscium Christi præsentiam adire; Verùm ad eam compulsus, cum primùm coram Dei filio apparet, confestim ab eo duris verbis reijcitur. Metuebat Bartholomæus, ne iratus Iudex iterum illum ad ignenm pelagus damnaret, ideo à sacra Deipara confortatus, iterum ad Iudicis pedes supplex se ipsum prosternit; à quo rursus vultu iracundo expulsus, nihil pręterquàm suę damnationis sententiam à Iudice expectabat, cum illum B. Virgo secum assumptum ad filium ducit, suisquè illi apud Deū precibus patrocinatur. Quibus tandem Iudex permotus, eidem hac conditione ignoscit, vt præterita peccata pænitentia deleat, ac vitam in meliorem commutet. Post hęc ab excessu rediens, cum litteras à fratre accepisset, quibus certior fiebat, amicum Sacerdotem eo planè tempore, quo hæc illi visio manifestata fuerat, glande appetitum repentè interijsse, meliori apud se consilio inito, ad fratrum Obseruantium familiam aduolat, in qua cum aliquot annorum spatio religiosam vitam duxisset, demum arctioris disciplinæ studio ad Capuccinos se confert.* Sic ille salubriter e cœlo admonitus, territusque, & ad Deum feliciter conuolans peccandi finem fecit, vt viuendi posthac Deo (vt par est), ac sibi initium faceret.

Zaccharias Bouerius in Capucc. Annalibus an. 1592. num. 14.

Bartholomæus ex Bononiensi Prouincia Capuccinorum Ordinis pęnis inferni territus proficit.

Deiparæ Virginis ope adiutus, & ad pęnitentiā prouocatus.

A Christo iudice Orco addicitur.

Precibus Deiparæ, ad pœnitendū reseruatur.

11. In-

11. Infernalium denique perenniũ tormentorum terror omnimodam conuertendi nedum, terrendi in alterum immutandi hominem diuinitus vim obtinet. Quapropter regius merito Psaltes mortalium cunctos, ne æternum Inferni ignem iuste aliquando peccando subeāt, prouide ad Inferorum pęnas iugiter animo recolendas inuitat: *Et descendant*(inquit)*in infernum viuentes.* Attenta quippe, ac terroribus plena tristis eiusmodi meditatio tantum mortalibus inter sęculi blandimenta diffluentibus prodest, vt nil ea magis efficax suppetat adeoque aptè, appositèque in rem Bernardus ipsamet Prophetæ verba edisserens: *Descendant*(inquit) *in Infernum viuentes, ne descendant morientes.* Cui item sententiæ S. Philippus Nerius, noster in spiritu parens, & Congregationis Oratorij fundator paribus adstipulatus verbis, illud ad peccatores metū percellendos in ore frequenter habebat: *Profectò* (inquit) *qui viuens adhuc mente Infernum adit, Mortuus proculdubio Infernum non adibit.* Sua quippe vnusquisque vitia sic opportune admonitus corrigit, prauasque valido iniecto sibi fræno animi cupiditates comprimens probe in officio continet. Quamobrem cum nobilis prosapiæ iuuenis (vt à viris omni fide dignis accepimus) & quo vir Dei familiariter vtebatur, præferoci satis præditus ingenio, haud se ipso in dies melior, nil eius tum dictis, tum monitis proficeret; Ipsum vir Dei etsi frustra aliquandò ad virtutem exhortans, acriusq; obiurgans: *Et quid tardas* (inquit)*post tot salubria monita spiritum parturire salutis? & quid miser Dei nutibus, atque imperio reluctans, ceruicem non inflectis? An nescis, quàm grauiter Altissimus mortalium culpas iustissimè in Inferno puniat, & suas tandem quàm seuere iniurias vindicet: factis tecum profectò, haud verbis mihi in præsens, vt video, opus est.* His dictis iuuenem ad eius procumbentem pedes ipsiusque sua inter genua reclinato capite sic vir Dei affatur: *Heus tu: vide, vide*, (inquit) *tuisquemet oculis contemplare, quæ te posthac in Inferno manent supplicia?* Cumquè sic ipse patulis vel modicum oculis perstitisset, mox caput attollens, metuq; perculsus, se Inferni pœnas vel obiter totus posthac ab eo, qui pridem fuerat, immutatus, vidisse & si non lingua, vita proculdubio, factisque testabatur. Sic namque virtuti sectandę, deuotioni, ac pietati se imposterum dedit, vt vnico planè ocellorum intuitu plurimum in salutis via, ac Dei amore mitantibus cunctis profecerit. Qui demum cum probè virtutibus excultus, ad summos honorum titulos in Dei Ecclesia peruenisset, pietate in Deum, liberalitate in paupetes, ac virtutum deniq; omnium exemplo præfulgens, sanctissimè diem clausit, magnum suis cunctis desiderium, ac æternæ salutis spem de relinquens. Quibus vel obiter narratis illa Augustini verba egregie consonant: *Pœnæ*(inquit)*nos terreant, si præmia non inuitant.* Et de his hactenus.

> *Psal. 54. n. 16.*
>
> Descendant in infernum nunc viuentes ne descēdant moriētes.
>
> *Bernardus in Psal. 54.*
>
> *Petr. Iacobus Baccius in vit. S. Philip. Nerij lib. 2 cap. 5. n. 16.*
>
> S. Philippus Nerius quid de pęnis inferni.
>
> Peccatorem obiurgās inferorum pę nas perurſu ipſi deliben das propo- nit.
>
> Gehennæ terroribus aſpectu ſaluhriter à vitijs reſipiſcit.
>
> *Augustinus lib. de catechizandis rudibus.*

CAPVT IX.

Peccatores aliena perditione absterriti Pęnitentiam arripiunt.

1 VT semel cunctos aptè Augustinus, sapienterquè edisserendo admonet, tunc magis alieno mortalium quisque sapit, proficitquè exemplo, cum suam in alterius maximè periculo præcauet, ac ibi ob oculos ponit ruinam: *Vita*(inquit) *foueam, in quam vides alium cecidisse.* Quoddam etenim felicitatis genus est, alieni experimento discriminis quid sectandum, quid vero fugiendū sit, salubris opportunitate consilij, ipsiusquè magisterio exempli addiscere. Quo sanè argumenti genere, & ad vtilitatem præcipue comparato vsus est aliquando Chrysostomus, dum multorum hominū lapsus, atquè exitium recolit, & ad virtutum studia, & ad salutis arripiendum viam cunctos subinde alacrius incitans: *Multi* (inquit)*dum malè viuerent, subitò perierunt, & in damnationem abierunt; time, nè idem tibi accidat.* Qui enim multiplices aliorum lapsus contemplari negligit, nec non pericula, quibus mortalium plerique laborant, cęca mente surdaque aure pertransit, non leue, & haud facile reparandum salutis proculdubio æternæ detrimentum incurrat, necesse est. Quaptopter Dei potissimùm consilio in sacrarum literarum monumentis tri-

> *Augustin. in meditat. c. 45.*
>
> Maximi res emolumenti ſuam in alterius periculo perditionem ediſcere.
>
> *Chrysostom. hom. 22. in epist. 12. ad Chorint.*
>
> Multorum lapsus, ac ruina, alijs ad ſtabilitatem conferre ex Chryſoſtomo.

Gregorius in moral. lib. 2. c. 1.

In sacris scripturis lapsus insignium virorum, aliorū stabilimento perutilis.

tristes, funestique plerunque casus mortalium ob oculos ponuntur, vt maiorum lapsu (Gregorio teste) cautiores homines fiant: *Non solùm quippè nobis* (vt ille ait) *scriptura virtutes asserit, sed etiam casus innotescit, vt & in victoria fortium quid imitando arripere, & rursum videamus in lapsibus quid debeamus timere. Ecce etenim Iob describitur tentatione auctus, sed Dauid tentatione prostratus, vt & maiorum virtus spem nostram foueat, & maiorum casus ad cautelam nos humilitatis accingat.* At qui summa, vt nobis contemplari fas est, Dei erga nos benignitas inde magis affulget, quod peccantes nimirum diutiùs tolerat, nec non tristi, funestaque aliorum perditione, & ad resipiscendum inuitat, & ad compunctionem cordis vna simul excitat aberrantes; quibus prouido Dei nutu mala ipsa in bonum aliena, & ad salutis lucrum peccata proficiunt; Iuxtà diuinum etenim Sapientis dictum: *Pestilente flagellato, stultus sapientior erit.*

Prouerb. 19. 25.

2. In hac igitur, quæ momentanea est vita, & qua ad Cœlum contenditur, ipsos quoque deperditæ spei homines felix electorum sors Deo aspirante ad pœnitentiam reuocando adducit, dum comparatis inde ad suadendum exemplis, sui mortalium quisque admonetur officij, & vt ad misericordiæ sinum fiducialiter currat, probe Augustino edisserente instruitur: *Quamuis* (inquit) *sit peccator, & impius, si ad pœnitentiam conuertitur, consequi per misericordiam veniam non dubitet. In hoc sæculo pœnitentiam facientibus Dei misericordia subuenit: in futuro autem venia non proficit. In hac vita tantùm pœnitentiæ patet libertas, post mortem nulla correctionis licentia.* Alieni itaq; magisterio exempli humanæ salutis negotium constat certa namque aliorum perditione, perditi quoque ad pœnitentiam compuncti redeunt, & ad virtutem proficiunt adeo, vt vel iam Deo mortui miserabili perspecta aliorū clade, Deo posthac viuere incipiant; Quod aptè, eleganterquè Augustinus hominum singulos meritò aliquandò perstringens inculcat: *Malè* (inquit) *pereuntium mors ad nostram salutem proficiat, eorum tribulatio sit nostra correctio, & de aliorum plagis faciamus medicamenta vulneribus nostris.* Sic profectò, vbi perditus quisque seipsum recogitans, à malis retrahit, aliorum interitu, ac perditione ad vitam proficit, ac Dei regnum prompta quodammodo manu salubriter pertingendo assequitur.

Augustinus serm. 66. de tempore.

Pœnitentia cunctis hic volentibus subuenit ex Augustino.

Augustinus serm. 118. de tempore.

Male pereuntium mors ad salutem viuentibus proficit ex Augustino.

3. Itaquè cum sapientis hominis sit alieno periculo, quid sibi maximè cauēdum, ac sua ipso rerum experimento discere; id sanè (si quis probæ fidei historiarum paginas consulat;) Adalbertus Pragensis in Boemia Episcopus sat cunctos docet, qui Vuicechus olim, vel vt alij, Vuencius dicebatur, & sacro postea chrismate inunctus à Sancto Adalberto primo Magdeburgensium Episcopo, ab ipso ipsiusmet nomine Adalbertus dictus, non nisi, magno sui emolumento, quid boni tristes, funestiquè aliorum casus cœteris præstent, luculenter ostendit. Ad alterius enim Episcopi se damnatum proclamantis, cui & præsens aderat, exitum, ipse tristis, funestaque illius voce absterritus, ex tunc qui iam pridem mortuus, quoadmodo reuixit, & anteactā probè vitam retractans, Dei se totum obsequio mancipauit, de quo isthæc apud Surium: *Moritur interea* (inquit) *Episcopus Boemiæ Prouinciæ, & sic est* (vt *audiuimus*) *coram, adstantibus desperata voce testatus, quod à nigris spiritibus immundis ad tartareum Chaos deportaretur. Præsens erat tunc Adalbertus, vnus extrema videntium, & verba morientis ante audientium. Quem* (vt ipse post Abbati in Monasterio dixit) *visionis illius magnus horror inuasit, & ad primam salutem direxit, exinde emendare mores, fræna ponere animis, desideria carnis æstu diuini amoris excoquere cœpit.* Multum siquidem huic lubricis pridem moribus vitiato, perditi alterius finis, eiusquè sub oculis miserè decedentis, suamquè apud omnes damnationem iusto Dei nutu proclamantis vox, atque aspectus ad salutem profuit, dum ipse pœnitendo, ac pristinos retractando mores, Christianarū virtutum lucro ad sanctitatis denique admirantibus cunctis apicem conscendit; Præclaris nāque ipsius meritis Dæmon ipse coactus nobile, ac dignū vltrò virtuti testimoniū detulit: *Quid* (inquit) *molesti mihi estis, væ satis est mihi, amplius hic stare non possum, quia electus est hodie populo terræ Episcopus, quem valdè timeo, Christicola* Adal-

Baronius an. 980. n. 2.

Adalbertus Pragensis in Boemia Episcopus alterius perditione territus ad Deum conuertitur.

Surius die 23. Aprilis to. 2. in vit. S. Adalberti.

Dum morientem, qui se damnatū proclamat, audit ipse è lubrico mox assurgit.

Adalbertus ad sanctitatis vsque culmen peruenit.

Adalbertus. Sic ait, & quasi dicto citiùs cessit Dæmon impius Spiritui Sancto, & vt flagello fugatus exiuit homine sano, &c. Vir autem Dei episcopalibus insignitus infulis, quo nam christianæ humilitatis exemplo plus quam throno clarus Pragam redierit, hæc M.S. codices monasterij S.Ceciliæ tradunt: *Consecratus est* (inquit) *festo amicorum Domini Iesu Petri, & Pauli; multo equitatu equitat in dulcem patriam. Equus autem eius, cuius tergo insederat, non more frementium equorum, nec properis cursibus gradiebatur, nec auro, & argento portabat fulgentia fræna, sed in rusticum morem torta canapa ore strictus, incessit ad arbitrium sedentis.* Et paulò post: *Nouus ille Pontifex vincula pedũ soluens, nudo pede intrat in Vrbem, &c.* Vir quippe humilitati addictus ac sui duntaxat contemptu magnus, ac merito sublimis, Saluatoris Hierosolymam ad mortem properantis humilem, dum sic asino insidet, pompam, miro Christianæ demissionis, ac exambitæ simul paupertatis exemplo, adiuiũ visus est æmulari.

Ex M.S. Codd. S. Ceciliæ.

In M.S Codicibus vbi supr.

Perditio vnius innotescens, alios à perditione reuocat.

4 Magni itaque ad virtutem momẽti visa, vel certe audita aliorum perditio extitit, ac desperata aliorum salus ingentes non nullis, dum adhuc viuerent, ad pœnitentiæ sinum currendi stimulos attulit, vt plurimorum exemplis, sed his præsertim, quæ Bellouacensis tradit, luce clariùs innotescit; Hæc enim ille: *Circa annos* (inquit) *Domini mille nonaginta in Ciuitate Nannetis duo Clerici non dum petientibus annis presbyterij, literis affatim instituti, inter se multùm amici, hoc pactum inierunt, vt qui prior eorum moreretur, alteri vel vigilanti, vel dormienti appareret infrà triginta dies. Data, acceptaquè corporali fide, non multo post tempore vnus eorum obijt. Trigesimo autem diè adstitit alter vigilanti, & nescio quid operis molienti mortuus, vultu exangui, & pallido, qui prior vinum compellans: Agnoscis me?* (inquit:) *Agnosco, respondit illè, & miror, quod ità tardè appareris. Ille priùs moram excusans, tandem veni* (inquit) *& aduentus mei, si volueris, tibi fiet commodus, mihi autem omninò infructuosus; nam sempiternis datus sum supplicijs. Ego* (ait alter) *innabo te orationibus multis, ieiunijs, atque eleemosynis. At ille respondit: sine penitentia sunt iudicia Dei in Inferno, dum rotat astra polus, dum pulsat littora pontus, pro criminibus meis punior, si totus mundus mihi remedia exquireret, æterna tamen, & innumera pœnarum genera patiar; & vt aliquam ex meis rationalibus pœnis agnoscas, en vna. Protendit manum saniosò vlcere stillantem. Videtur nè tibi, ait ille, leuis? Cumquè ille leuem sibi videri referret, ipse mortuus curuatis in volam digitis, tres guttas defluentis tabis super eum iaculatus est, quarum duæ tempora, tertia frontem contingentes cutem sicut ignito iaculo penetrauerunt, foramen nucis capax efficientes. Illo pęnam sui doloris clamore protestãte: Hoc* (inquit) *mortuus, erit tibi quandiù vixeris, & pęnarum mearum graue documentum, & nisi neglexeris, salutis tuæ singulare monimentum. Vade ergò, dum licet, muta habitum simul, & animum, & esto Monachus Redonis apud S.Melanium. Cũquè adhoc viuus respondere nollet, mortuus eum oculi vigore perstringens: Si dubitas* (inquit) *miser conuerti, lege literas istas, & hæc dicens, manum protendit tetricis notis inscriptam, in quibus satanas, & omne inferorum satellitium ecclesiastico cętui gratias de Tartaro emittebant, quod cum ipsi in nullo suis voluptatibus deessent, tantum numerum animarum subditarum paterentur ad Inferna descendere prædicationis iniuria, quantum nunquam viderint remota sæcula. His dictis loquentis aspectus disparuit. Et audiens, omnia vendens, & dans pauperibus, Sanctum Melanium adyt, & monachus ibi factus, optimè conuersatus est.* Cõgruè autem reuelata istius perditio salutis alteri causa fuit, & quod sibi prodesse haud potuit, socio ad se corrigendum, simulque ad vitam Deo miserante profuit.

Vincentius Bellouacens. in speculo exemplarum lib. 29. c. 89.

Duo Clerici pactum ineunt, vt qui prior decederet, alteri se videndum offerat.

Apparens se damnatũ affirmat.

Hortenda ipsius imago.

Ecclesiasticorum in curia multi perditionẽ subeunt.

5. Id sane alteri è duobus socijs ad ipsum è perditionis abysso retrahendum magnopere profuit, de quibus isthæc in suis historiarum paginis Cęsarius meminit: *Duo iuuenes* (inquit) *vt didici lectione, non relatione, apud Toletum studebant in necromantia. Accidit, vt vnus illorum vsquè ad mortem infirmaretur, qui cum moriturus esset, rogauit alter, vt infrà viginti dies sibi appareret, & promisit, si tamen sibi concederetur. Sedente eo, diè quadam in Ecclesia coram imagine B.Virginis, & psalmos pro anima illius legente, adfuit*

Cæsarius lib. 1 d. conuers. c. 33.

Quidam post mortẽ socium de æterna sua perditione certiorem facit.

fuit miser ille, miserrimis gemitibus sua indicans tormenta; quem cum interrogasset, vbi esset, vel quomodo haberet: respondit: Vę mihi, quia æternaliter damnatus sum propter artem, quam didici diabolicam, quia re vera mors animæ est, sicut titulus eius ostendit: consulo autem tibi, tanquam socio meo vnico, vt ab hac execrabili scientia recedas, & vitam religiosam, sectando, Deo pro peccatis satisfacias. Quem cum viuus interrogasset, vt tutiorem sibi viam viuendi ostenderet, iterum respondit: Non est via securior, quàm Ordo Cisterciensis, neque inter omne genus hominum pauciores descendunt ad Inferos, quàm personæ religionis huius. Retulit ei et alia plurima, quæ causa breuitatis omitto, eo quod in libro visionis Claraeuallis scripta sunt. Iuuenis verò mox renuncians Necromantię, factus est nouitius, ac deinde monachus in ordine Cisterciensi. Tantum profectò consilij decantata infelix perditi alterius ore perditio tunc socio à salutis via longius aberranti, necnon virium pariter ad perficiendum, quod meditabatur, opus contulit, vt confestim se in tutum religiosæ vitæ portum, sæculo se abdicando receperit.

Ex Negromantię studio, ad religiosa instituta conuolat.

6. Idem planè tristi, funestoquè olim hominis hęresum labe viciati exitu, ac matri post mortem apparentis visu, sed non absque opportuno alienæ salutis prouentu contigit, de quo Brendebachius hæc habet: *D. Martinus* (inquit) *Decanus Hagensis, vir doctrina, & vitæ integritate commendatissimus retulit, se adhuc apud Harlenium agente ibidem contigisse circà annum Domini* 1557. *vt Anabaptista quidam nomine Adrianus matrem suam adhuc catholicam conaretur in suam sectam pellicere. Accidit autem, Anabaptistam illum in carceres coniyci, vltimoquè supplicio adiudicari; ad quod cum iam deducendus esset, accessit ad eum mater, rogans, vt post obitum sibi appareret, seque de statu suo certiorem redderet, quem si felicem cognosceret, se in eamdem doctrinam concessuram. Filius supplicio affectus paulò post matri apparuit in forma teterrimi, nigerrimiquè canis, aiens, se esse filium suum, ac perpetuò damnatum.* Quo quidem portento mulier apprime in rebus fidei confirmata, immortales Deo gratias agens, illibatis orthodoxæ fidei dogmatibus constanter inhærens, posthac credendo ex visis proficiens prauas hæresum, quæ perditionis filio in causa fuerant, commenta perpetuò execrari nō destitit.

Tilman. Brendembaccollat. lib. 8.

Hęreticus matri post mortem apparēs se perditum renūciat; & illa conuertitur.

IllibataChristi fides portento comprobata.

7. Huc item, appositeq; in rem præsentem facit, quod idē Brendembachius his planè verbis narrando subtexit. *Vualterus de More* (inquit) *vir nobilis, satelles Caroli V. Imperatoris, cum aliquando nauigaret ad partes Boreales, Blandium versus secundo vento vidit nauim ex aduerso ferri itidem secundo vento, atque in puppi illius quiddam, monstrum instar hominis nigerrimi tanquam nauarcham constitutum. Cumquè nauta huius Vualtheri pro more acclamaret, quid mercium veherent, & quorsum tenderent; respondit Dęmon alterius nauis detector: Nos vehimus Archiepiscopum, & tendimus ad montem Heclam. Quo audito Vualterus iste totus contremuit, & vitę suę rationes subducere incipiens cum primùm Leidam Hollandiæ reuersus est, amplexus est institutum D. Francisci ibidem sub Patre Vuilhelmo Delphensi professus, qui hęc domi meę in plena mensa multis honestis viris assidentibus exactè narrauit, & postmodum Dordaci sepultus est.* Sic planè vt salubriter sibi, & procul à periculis factus prospiceret, religiosæ vitæ institutum arripuit. Apte verò hìc vbi de salutis negotio, & perditionis periculo agitur, solemne illud Bernardi verbum recidit: *Aliorum perditio* (inquit) *tua sit cautio.* Cauendo nimirum, nè quod alijs iustissimè contigit, sibi quoque per oscitantiam, vel certè imprudentiam contingat. Et vt proposita recentioris memoriæ exemplis assertio comprobetur, quid prælaudatus auctor de hæreticis nonnullis apte in rem suis in paginis scribit, accipiamus: *Anno* (inquit) *Domini* 1528. 20. *Iulij Henricus quidam Lutheranus Tornaci combustus est. Sequenti nocte socijs in carcere totus ardens apparuit: Illis præ timore clamantibus ait: Nisi ab errore cessetis, mecum peribitis in æternum. Excitatus clamore carcerarius Consules Vrbis aduocauit: Dicunt illi vincti: Facite de nobis, quod volueritis, modò priùs confiteamur, ne cum Henrico pereamus.* Intentata quippe vni hæreticorum æternorum ignium pœna, socijs vbi perditionis fama innotuit, cœteros ad resipiscen-

Tilmā. Brendembachius collat. sacr. lib. 8. *cap.* 12.

Vualtherus de mere vir nobilis peruisum Archiepiscopi tristem exitum edoctus sibi prosicit.

Bernard. 45. *de interiori domo Christ. Maffæus lib.* 5. *Chron. Chron.*
Tilman. Brēdembach. lib. 7. *collat. Sacr, cap.* 21.

Henricus hęreticus Lutheranus socijs totus ardens apparet, qui visu proficiunt.

ſipiſcendum, & ad fidei lucem adduxit.

8. Quis vero hic ſilentio prætereundum putet. quod ad homines ſalubriter inſtruendos, abſterrendoſquè in ſuis Auguſtinus Mannus hiſtoriarum tabulis hunc in modum recenſet: *Erant*(inquit) *duo ſocij ambo florentis ętatis ex Germania oriundi in eadem domo habitantes, qui cum in eodem lecto decumberent, iuxta thalami portam quadam nocte conſpexère immanem Dęmonẽ procerę ſtaturæ ſicut gigantem:qui horrenda manu catenarum ferrearum faſcem gerebat. Alter autem ex illis, qui vitam in vitijs enutrierat, & multorum peccatorum vinculis conſtrictus erat, tremefactus dixit ſocio, qui probus erat, & Deum timebat: Videſne tu, quod ego video? Video reſpondit ille horribilem Dæmonem iuxtà portam. Cumquè ambo nimio metu conſternarentur, Gigas ille vnico paſſu ad medium thalami peruenit, quod cum ſocius,qui probus erat, aduertiſſet, ſtatim ex lecto proſiliens, muniens ſe ſigno Crucis benedictæ, ſubter thorum ſe abdidit, ibiquè IeſumChriſtum inuocans, ſigno illo Dæmonibus horrendo millies ſe ſignabat. Quod cum faceret, audiuit ſocium, qui in lecto iacebat, clamantem: Adiuua me frater, adiuua me. Ille autem reſpondens monebat illum, vt Ieſum Chriſtum inuocaret, & ſe ſigno Crucis muniret; At ipſe non poſſum, replicabat vociferans. Vociferanti ſtatim Dæmon alterum mouens paſſum, adſtitit, & lecto appropinquauit, facto ingenti catenarum ſonitu, receſſuquè inde; Poſt Dæmonis diſceſſum is, qui deliteſcebat, exijt ex eo loco, & arbitrans ſocium metu exanimatum, intuens ſuper lectulum, eum non inuenit, ſed tantùm reperit, thorum in ea parte, in qua infelix iacuerat, combuſtum. Quo ille ſpectro admonitus, & re ipſa expertus in ſocio ſuo, quod iniquitates capiunt impium,& funibus peccatorum vnuſquiſque conſtringitur, & quod ſuperbis Dæmones laqueum abſcondunt,& extendunt funes in laqueum, & iuxtà iter ſcandalum ponunt, & cadunt in retiaculo eorum peccatores, cogitauit fugero à facie operantium iniquitates, & conferre ſe ad loca, vbi diſcitur diligere Deum, virtutes amplecti, & diſrumpere iniquitatum funiculos, & calcare ſuperbiam, & nefandas carnis concupiſcentias cordis puritate comprimere. Quod autem tunc facere cogitauit, ſtatim ad opus perfecit, ingreſſus eſt illicò religionem Societatis Ieſu vtroque Orbe celeberrimam, in qua permanens ipſemet hoc, quod ſibi contigerat, manifeſtauit Ioanni Baptiſtę Boniperto Nouarienſi ſacerdoti probo, qui mihi hoc ipſum per literas ſignificauit; Vt hinc appareat verum eſſe, quod erunt duo in lecto vno, vnus aſſumetur, & alter relinquetur.* Hæc ille, quibus congrue diuinum cunctorum auribus, cordibuſquè oraculum ingiter intonat. *Quia nemo ſcit, odio, ne, an amore ſit dignus,* adeoquè dum certam plerique male viuendo damnationem incurrunt,feſtinus quiſque ad pœnitentiæ portum, vt ſit ſaluus, procurrat.

Auguſt. Mannus ſtiit.hiſt. cap. 186.

Duo ſocij in eodem iacẽtes lecto viſo per noctẽ dęmone terrẽtur.

Vnus ex his vitijs obnoxius,catenarum ſonitu abſterritus fuſtra fugã cogitat.

Miſer tartareo hoſtĩ prędã, & ludus cedit.

Cadauere ipſius non inuento lecti,in quo iacuerat, pars combuſta cernitur.

Socius mox relicto ſæculo ad Societatis Ieſu propugnaculũ ſe cõfert.

9. Porrò alijs quoque nonnullis præter recenſita hactenus recentioris memorię exempla aperta aliorum perditio ad ſalutem profuit. Quapropter repetendum hic eſt, id quod rerum nouiſſimarũ ſcriptor in ſuis hiſtoriarum monumentis hunc in modum narrat: *Non multis* (inquit)*ab hinc annis vir quidam nobilisRomæ deceſſit, cuius nomen, quoniam ſatis eſt per ſe notus, ac plurium illuſtrium virorum affinitatibus implicatur, à me reticebitur. Huic famam, exiſtimationem, ac propterea patrimonium libidines totum abſumpſerant. Itaque vita functus, humatus eſt in æde D. Auguſtini, quò cum paucis diebus poſt orandi cauſa veniſſet familiaris eius quidam,qui ſuas operas vino illi locauerat, iamquè pedem è templo foras efferret,ſenſit ſe nomine appellari, reſpexit, & obſcuram hominis cuiuſdam imaginem vidit, quæ: noſti (inquit)ego ſum ille, cui ſeruus nauabas operam vino,ne Deum pro me ores, etenim exorari non poteſt, quod ęternis addictus ſum ignibus: abi, & cognatis meis, amiciſquè nuncia meis verbis, vt aliam vitæ rationem ineant, neque meis me veſtigijs perſequantur; quibus auditis adeò ille totus exhorruit, vt non vltrà triduum vitam produxerit, cum antea rem ad amicos detuliſſet, idquè ego recenti tum etiam re audiui.* Hec ille, Quibus fit, vt mortalium quiſque perdito aliorum obaudito fine,haud otioſe ad pœnitendum inſtruatur, ſed ad id potiſſimum non tam verbis, quàm factis efficaciſſimè prouocetur, dum in hoc adhuc viuentes ſæculo mortuorum dictis,atque aſpectu de ſuæ ſummo Dei beneficio ſalutis negotio admoneantur. Funeſtæ

Nicius Erithreus lib. Exem.virt.& vit.exem.64. pag. 81.

Quidam nobilis,ſed vitioſus Romæ mortuus cuidam ſub atra larua videndum ſe offert.

Herus ſeruo ſe damnatũ nunciat.

stæ igitur, quam diximus, oculatus rei testis, cui visio diuinitus contigit, sibi, suisquè rebus consulendum ratus totum, quod accidit velut præco cęteris annuncians, aliorum quoque saluti probè consultum voluit.

10. Demum aptè in rem nostram facit, adeoque describendum hic est, quod idē probæ fidei scriptor in suis paginis refert; Amicus etenim, qui totus vitijs irretitus vixerat, alteri satis laudabiliter vitam ducenti, ad ipsum in arrepto vitæ proposito confirmandum, suam miser perditionem obtestans, videndum se post mortem exhibuit. Rem verò ille his verbis prosequitur: *Non videtur* (inquit) *mihi prætereundum hoc loco, quod de duobus quibusdam amicis legitur, quorum vnus laudi, atque virtuti, voluptatibus alter studebat. Mortuus est voluptarius ille aliquantò post conspectus, & auditus ab altero, qui superstes fuerat, verba illa proferre: Peccantem me quotidiè, & non me pœnitentem timor mortis conturbat me: & interrogans, cur reticeret ea, quę sequuntur: miserere mei, & salua me. Quia misero mihi* (*inquit*) *sempiternis, & acerbissimis apud Inferos ignibus tradito nulla neque salutis, neque misericordiæ relicta spes est. Quę cum dixisset, è conspectu euolauit, intolerabilem odoris teterrimi fœditatem ex se relinquens*. Ità planè vnius perditio, vbi palam socio innotuit ingenti ad eum in virtute magis, magisq; roborandū terrori, ac documento fuit; Immensa quippe Dei bonitas & misericordia, quæ vult omnes saluos fieri, & bona ex ipsismet malis elicit, aliorumque ex vnius perditione profectum, ac salutem sollicite quærit ex hoc satis, superque admiranda cunctis proponitur; Sed de his hactenus.

Inus Nicius vbi supra exempl. 303 pag 128.

E duobus amicis quorū vnus virtuti, alter voluptati operā dabat, quid vtrisq; post mortem acciderit.

In respons. officij defunc.

Alter iuste a Deo damnatus, alter misericordi ter in bono confirmatus.

CAPVT X.

Pœnitentes cœlestis spe gloriæ illecti, ac roborati Pœnitentiæ operibus intendunt.

1 NVllum homini maius ad quosq; libenter subeundos, tolerandosque virtutis gratia labores incitamentū, nec vlla apta magis ad efficaciter suadendum immò nec fortior ad promerendam post culpæ reatum à Deo indulgentiam præ cunctis ratio, quàm cœlestium prǣmiorum bene sibi constans, & altius defixa animo spes, certaque in super obtinendæ à Deo veniæ, ac firma, (Augustino teste) fiducia: *Attende* (inquit) *mercedem, si vis tolerare laborem*. Quapropter Christus dominus illis potissimùm verbis inter lubrica sæculi gaudia delirantes; laborantesquè in vanum ad amplexandum crucis vexillum pœnitentiæ iugum, amplo mercedis proposito fructu post se euocasse legitur: *Pœnitentiam agite; appropinquauit in vos regnum Dei*. Haud enim aliter, quàm Pœnitentiæ suffragrantibus meritis cœlorum regnum, quod Adam sibi, ac cunctis peccando clauserat, patere cuiquam posse monstrauit: *Regnum quippe cęlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud*. Lacrymis namque cœli gaudia, & non nisi viriliter certando æternæ pacis tranquillitas Damiano teste percipitur: *Momentaneo* (inquit) *risu perpetuus fletus emitur, et tēporali fletu perpetua lætitia comparatur*. Adeoq; certa subinde labori merces, ac dignus prælio tandem triumphus remanet, *Quanto enim maius* (vt Augustinus ait) *periculum fert in prælio miles, tanto maius est gaudium in triumpho*. Ità planè res agitur.

Nil ad suadendum efficax magis quā vitę merces, & corona gloriæ.

Augustin. in psalm. 39. conc. 2.

Matthæi c. 3. n. 2.

Matthæi c. cit.

Labore requies, & lętitia perennis luctu cō paratur.

Petr. Damianus lib. 5. Epist. 2.

Augustin lib. 8. Confess. c. 3.

2. Meritò itaque acquirendæ virtutis causa hic in arena contenditur, vt alibi quis coronetur, quod suis apte salutis auctor inculcans, nonnisi præferuidos, ac violentos Dei regnum rapere, & ad optatam demum pertingere laboris mercedem aliquandò asseruit: *A diebus Ioannis Baptistæ vsque nunc regnum cælorum vim patitur*. Ioannes quippe Regni simul, ac pugnæ, laboris item, ac mercedis præco dignissimus extitit, illis vtiq; verbis in deserto inclamans: *Pænitentiam agite, appropinquauit enim regnum Cęlorum. Qui enim* (vt Gregorius ait) *peccatoribus pænitentiam indixit, quid aliud, quàm regno Cælorum fieri violentiam docuit? Regnum cęlorum rapi vult nostris fletibus, quod nostris meritis non debetur*. Quod suis quoque Ambrosius verbis inculcans. *Vim* (inquit) *facimus Domino non compellendo, sed flendo. O beata violentia, quæ non indignatione percutitur, sed misericordia condonatur: beata, inquam* vio-

Hic homo contendit in arena vt alibi coronetur.

Matthæi c. 3. n. 23.

Pęnitentia cęlorum regno vim infert.

Gregorius hom. 20. in Euang.

Ambrosius tom. 5. ser- mon 5.

violentia, quę vim patienti bonitatem elicit, & vtilitatem tribuit inferenti: quisquis violentior Christo fuerit, religiosior habebitur à Christo. Huc etiam pari Augustinus visus est aliquandò sententiarum pondere allusisse, dum conceptis pœnitentiæ labores verbis extollens: *Nonimus* (inquit) *quod mens humana vel spe præmij, vel timore supplicij voluntarium bellum indicit passionibus, & vim facit pessimis suis desiderijs.* Vis itaque Dei regno, ac nobismetipsis est adhibenda, si supernis tandem potiri bonis volumus: *Aggredimur enim Christum* (inquit Ambrosius) *non ferro, non fune, non saxo, sed mansuetudine, bonis operibus, castitate; Hæc sunt arma fidei nostræ, etc. Aggredimur non ferro, sed bonis operibus.* Quæ sanè dicta mortalibus, quasi digito pęnitentiam designando monstrant, dum suis hęc vna armis cœlum, ac Deum præpotenter expugnat; adeòque dum mens præferuida cœlum è proximo respicit, labores proculdubio, ac permolestum Crucis minime pondus expauescit; Hinc generosus ille, æq; ac imperterritus quouis inter labores aiebat: *Inclinaui cor meum ad faciendas iustificationes tuas in ęternum propter retributionem.* Haud aliter enim Augustinus mortalis vitę ærumnas, labores atq; angustias minui, ac ipsas quodadmodo pœnas, & cruciatus palato dulcescere affirmat: *Omne opus* (inquit) *leue fieri solet, cum eius præmium cogitatur, & spes pręmij minuit vim laboris.* Si perpetua igitur (vt aptè Basilius monet) promissa ob oculos pręmia versentur, haud profectò ipsius amaritudo pœnitentiæ, atque austeritas terrere, nec à suo humana vnquam retardari cursu imbecillitas poterit: *Semper* (inquit) *cor tuum promissa cęlestia meditetur, vt ipsa te ad virtutis viam prouocent.* Hinc sapide, instanterque Gregorius ad tolerandos, quos homini pœnitentia merito indicit, labores, & ad repromissa vitæ promerenda pręmia vnumquemque incitans: *Mala* (inquit) *vitę præsentis tantò durius animus sentit, quantò pensare bonum, quod sequitur, negligit; et quia non vult pręmia considerare, quæ restant, grauia æstimat esse, quæ tolerat.* Verum qui isthæc haud perfunctorie recolit, se super se ipsum ęrigens, ac totus

Deo non compellendo, sed flendo vis adhibetur.

Augustinus ser 70. de diuersis.

Ambrosius serm. 26.

Psalm. 118.

Dauid ad sustinendos labores, mercedis lucro incitabatur.

Augustin. Epist. 103.

Basilius in Admonit. ad fil. spirit. Mall: 5.

Diuina promissa hominem ad virtutem prouocent, ex Basilio.

Gregorius c. 30: moral. c. 12.

in ęternitate defixus, cum Apostolo altius inclamat: *Non sunt condignæ* (inquit) *passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.* Sed vt assertionis propositũ exẽplis quoq; illustretur, ab ipsismetChristi martyribus patiẽdi ambitiosissimis dicendi sit nobis initiũ.

Apostolus ad Rom cap 6.

3. Atrocissimis namq; tẽtatos olim pœnis beatos Christi pugiles, inuictos tamen ipsa Christi tum virtus, tum charitas, necnon supernorum vna simul prçmiorum, quæ semel animo insederat, spes seipsis iugiter fortiores reddidit perferẽdo, adeò vt ipsis probè illud occineret: *Transiuimus per ignem, & aquam, & eduxisti nos in refrigerium.* Ità planè militibus numero quadraginta apud Armenos contigit, qui & frigus pro ioco, in suis persistentes constantissimi pœnis habuere; de quibus isthæc in Romano martyrologio: *Apud Sebastem Armeniæ Natalis Sanctorum quadraginta militum Cappadocum, qui tempore Licinij Imperatoris sub Præside Agricolao post vincula, & carceres teterrimos, post cęsas lapidibus facies, frigidissimo hyemis tempore, suprà stagnum rigens pernoctare nudi sub dio iussi sunt, vbi gelu constricta eorum corpora disrumpebantur, ac demum crurifagio martyrium consumarunt. Erant autem inter eos nobiliores Cyrion, & Candidus, quorum omnium præclaras glorias Sancti Basilius, aliję què Patres scriptis suis celebrarunt.* Horum sanè certamen sic dignis præconijs Sãctus Gaudentius Episcopus hunc in modum aliquando recolit. *Index* (inquit) *prospiciens regionis naturam, nimijs rigentem frigoribus, tempus etiam, quo maxima hyemis asperitas, Aquilone flante, violentiùs incumbebat, montes niuibus, pruinis arua tegebantur. Stagnum quoque Vrbi, in qua ista gerebantur, subiacens longè, latèque diffusum validissimo gelu durante iter solidum plaustris gementibus accommodabat. Hac ergò vi loci, et temporis immanitate perspecta, sacrilegij gentilis exactor istud supplicij genus Sanctis adhiberi imperat, vt nudatis corporibus, religati in aperti aeris pruinosa duritie pernoctarent, balneis non longè sub conspectu eorum fumantibus; vbi velox remedium victis callidus persequutor animas eorum magis interficere gestiens, promittebat, etc.* His aptè, eleganterque

Per ignem & aquam transire oportet, siquis ad refrigerii locum contendit.

Psalm. 65. n. 12.

Martyrolog. rom. die 9. Martij.

Quadraginta martyrum in Armenia aquis probatur constantia.

S. Gaudentius Episcopus ser. in dedicat. Basilicæ Martyrum

Nudi in aquis gelidis pernoctare iussi, vt Christi fide expoliarentur.

ex more Gaudentius immanem in beatis hominibus inualescentem tormentorũ, ac frigoris vim ad viuum describendo exaggerat. Quibus item olim gentilis ille disertissimus dum frigoris,& algoris illarum regionum meminit, egregiè adstipulatur: *Ambusti(inquit)multorum artus vi frigoris, et quidam inter excubias exanimati sunt; adnotatusquè miles, qui fascem lignorum gestabat, ità prariguisse, vt manus oneri adharentes truncis brachijs deciderent*. Hæc Tacitus.

Quãnta frigoris ad cruciandũ vis ex Tacito.

Cornelius Tacitus lib. 13.

4. Inuictis itaque Christi militibus, & pro ipsius fide viriliter in agone certantibus, cum vnus ex eorum numero præ frigoris postmodum acerbitate animo defecisset; Ianitor, qui noctu vigil adstabat,mira desuper luce oborta,coronisque visis è cœlo suprà beatorum pugilum capita fulgentibus, animo erectus, atque incitatus, mox Christo nomen dedit, ac Sanctis Martyribus, vt ipsis tum pœnarum, tum prēmiorum consors fieret, aggregari se voluit, vt in Breuiarij Romani tabulis sic legitur: *Cęteris autem custodibus somno deditis, solus vigilabat Ianitor, qui et illos orantes, et luce circumfusos, et quosdam è cælo descendentes Angelos,tanquam à Rege missos, qui coronas triginta nouem militibus distribuerent, intuens, sic secum loquebatur: Quadraginta hi sunt, et quadragesimi corona vbi est? que dum cogitaret, vnus ex illo numero,cui animus ad frigus ferendum defecerat, in proximum tepefactum balneum desiliens, Sanctos illos summo dolore affecit. Verùm Deus illorum preces irritas esse non est passus; Nam rei euentum admiratus ianitor, mox custodibus è somno excitatis, detractisquè sibi vestibus, ac se Christianum esse clara voce professus, martyribus se adiunxit. Cum verò Præsidis satellites ianitorem quoque Christianum esse cognouissent, bacillis imminuta omnium eorum crura fregerunt*. Subita itaque lux suprà beatos Martyres in agone constitutos è cœlo affulgens, sic repente hominem à se ipso in alium immutauit, vt acerbas pro Christo pœnas, quam blandas carnis delicias vltrò sectari mallet, adeoque hyemis tempore gelidis excruciari aquis, vt in refrigeriũ tandem perueniret,ludum, haud tormentum putaret. Quod, & alijs item contigisse martyribus constat.

In Breuiarij rom. lectio. die 9. Martij.

Miles ad perferendũ animo deficit & custos cęlesti visu ad ipsius coronam accipiendam prouocatur

Nudatur vestibus, vt paciendo Christum induat, & cœlo inferatur.

5. Enim verò quæ suis Deus in cęlo repromittit, prēmia cõtemplantibus,*vilescunt animo* (Gregorio teste) *omnia, qua habētur in terris;etc.et tēporalis vita aterna vita comparata mors est potius dicenda,quã vita*, ac proinde cuncti pœnitentiæ, ac præsentis vitæ labores,quin & martyrum cruciatus ambitioso mentis studio quæruntur,tolerantur, vt Celso olim puero præ cęteris, huiusmodi obiecto visu ad martyrium,& adChristi,ipsiusq;regni consortium pręproperе currenti feliciter, ac non nullis alijs adstantibus contigisse legitur,de quo apud Surium isthæc: *Vi* (inquit)*persequutionis ingrauescente Pręses Martianus Sanctum Iulianum post dira tormenta, & diuersis pœnis afflictum, & vinculis ferreis per omne corpus oneratum iussit sub voce praconis ciuitatem circuire dicens: Hac merentur Deorum rebelles, & Principum contemptores. Et cum veniret ad locum, vbi Celsus vnicus filius Præsidis studebat, ait puer ad condiscipulos suos: Rem inauditam video, illum scilicet Christianum, quem ducunt, cum multitudine albatorum colloquentem, & coronam super caput eius de gemmis, & auro, cuius fulgor excacat huius aeris lucem, & alios tres viros albescentes comis, alarumquè volatu in similitudinem aquilarum super eum excubias celebrantes. Et hoc mihi videtur, quia dignum est tali Deo seruire, qui suos sic tuetur, & tali decore circumdat. Hoc audientes discipuli, & magister eius, blandè corripientes eum, ab intentione reuocare conati sunt. At ille doctorum volumen abjciens, etiam vestes, quas indutus erat,abjecit,dicens:Nudum me mater mea fudit huic seculo,quod mundi est,mundo relinquo.Hęc dicent per plateã Ciuitatis cursum arripuit, donec vbi Sanctus Iulianus torquebatur,venient, pedibus eius prostratus, ait: Te secunda natiuitatis,quam mihi Christus ostendit, patrem agnosco, Martianum verò genitorem meum, veritatis inimicum despicio. Tota autem Ciuitas concurrebat, et filium Præsidis sic vulnera martyris osculantem mirabatur, etc.* Hæc ibi. Beatissimus autem puer, cœlestium prēmiorum spe illectus,conceptisquè ad renunciandum Christo verbis à Præside sollicitatus,hæc tandem patri sapientissime locutus respondit

Gregorius hom. 37. in Euangelia.

Surius tom. 1 in gestis 15. Celsi Iuliani.

Iulianus martyrio iã coronandus pretiosam capite coronam præferre visus

Celsus puer Præfecti filius rem cernens,visu ad Christi amplexandam fidem proficit.

Nudus vestibus præcesti animi pugil in mundo, quæ sunt mundi,relinquit.

ſpondit: *De ſpinis* (inquit) *roſæ naſcuntur, nec roſa nata de ſpinis odorem ſuauiſſimum, nec frutex, qui roſas genuit, amittit aculeos ſuarum pœnarum, &c. Vobis obediant, qui perire parati ſunt, me imitentur, qui de tenebris ad lucem venire contendunt. Ego pro Chriſto vos parentes nego, & per vitam temporalem vitam æternam acquiro. Nō poſſum in vos eſſe pius, & in me crudelis. Quid moraris? quaſi incredulus, & crudelis, non quaſi Abraham, paternis manibus apprehende gladium, & victimam offer filium, &c. Mox ergò iubentur (ipſe videlicet, & Iulianus) in tenebroſum carcerem vermibus ſcaturientem, includi, quem ingreſſi, ſtatim tenebrę vertuntur in lucem, & ebulliens, pœna diſparuit. Hoc videntes milites viginti conuerſi ſunt.* Sic prorſus pręmia, quæ ſuis laborantibus Deus reſeruat, oſtenſa nedum releuant, ſed & futuræ inſuper ſpes gloriæ delicatulos morbidoſque, nec pati aſſuetos, imo neſcios eum in modum alacres reddit, vt martyriorum quoque, ac pęnarum Gentiles ipſi, ac barbari, qui pridem Chriſtū neſciebant, æmulatores, & tormentorum inſuper haud ſemel conſortes martyribus extiterint.

De ſpinis roſæ, & ex gentilibus chriſtiani naſcūtur.

Inuicta Celſi pueri conſtantia.

6. Quantum verò vitæ, ac bonorum, quæ poſt futilem, ac momentaneam hāc iuſtis, ac pœnitentibus item hominibus à Deo repromittitur merces, ad quoduis pondus laboris minuendum, momenti ſit, imbellis fœminarum ſexus; ac per ſe delicatus, qui tamen multoties ſe ipſum, ac ſæculum vicit, ſatis, ſuperque contemplantibus documento eſt; At vna (vt de cœteris taccam Melania iunior, Melaniæ ſenioris filia, ac Piniani vxor, fœminarum lectiſsima primùm ſe nobis hic offert, quæ Dei amore feruens, & tam pœnitentiæ operibus vacandi quam ſtudio pietatis adducta, vnà cum viro nullis parcens incommodis, Hieroſolymam ad venerandum ſancta loca ſe contulit, vbi intrà quamdam ad Oliuati Montem recluſa cellulam, auſterioris vnà ſimul, ac purioris vitæ normam exercuit. Tantum autem pia mulier chriſtianæ humilitati addicta ſe ipſam deiecit, eoquè animi ardore, ac robore ſęculi faſtum, ac ſexum pariter proculcando, à pompis, & vitæ delicijs abhorruit, vt cunctis admirationi eſſet, ac exemplo ad nugas ſæculi, eiuſq; blandicias à ſe procul arcendas. Quod ſanè virilis, inuictique animi mulier cœleſtis regni ſpe, ac certa futurorum bonorum expectatione ſuffulta mirabiliter præſtitit, adeoque à Voluſiano, Conſtantinopolitanę Vrbis Præfecto, dum graui ibidem morbo decumberet, euocatam ipſum inſano adhuc idolorum cultu, ac Gentilitatis errore detentū deceptumq; ſub ipsū vitæ finem ad ſuſcipiendū Chriſti baptiſmum, & ad ſuas ſacro diluendas fonte culpas efficaciſſime ſuadendo perduxit, quem baptizatum ſubinde in cœlum feliciter ad coronam pręmiſit. Ipſa verò cœleſtibus iugiter rebus contemplandis intenta his potiſſimum ſe ad mundi contemptum, & ad amplexanda pœnitentiæ opera quaſi calcaribus, & ſtimuli ad inſtar valide vrgeri ſenſit. Sed vt pia fœminæ ad virtutem alacriter adeo currentis ſtudia nemo ſit, qui ignoret, quid de ipſa Conſtantinopolim ad Voluſianum patruum ipſius lucrandi gratia conuolante ſic narret, audiamus.

Baronius an. 434 n. 10.

Superna bonorum præmia imbelles, ad perferendum fœminas alacres reddūt.

Melania iunior ſenioris filia cœleſtium bonorum ſpe, ſæculi ſupeſior ſe ipsā præſtitit vincit.

A Voluſiano Conſtantinopolim euocatur, vt patruo ægrotanti opem ferat

7. *Inuenit* (inquit) *ſuum quoque patruū Voluſianum graui morbo oppreſſum: qui eius habitum admiratus, formęquè, ac veſtitus incredibili, & inopinata ſtupefactus mutatione (extenuatus enim admodum erat vultus eius exercitatione) magna voce exclamauit: O qualem ex quali te video Melania chariſſima. Illa verò ex eius ſermone ſumpta occaſione: A me quoque (inquit) diſce, o beate patrue, & accipe iudicium futurorum bonorum; Nam nec ego tantam deſpicatui gloriam habuiſſem, nec abieciſſem curam ipſius corporis, niſi perſuaſum haberem, me his propediem longè maiora recepturam. Non autem per ſe ſolam, ſed per multos quoque alios in eius mentem ſenſim irrepebat beata Melania, & eius falſam religionem ſtudebat labefactare, ſicut etiam per ſapientiſſimum Proculum, cuius fidei tunc erat creditus ſacer clauus Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ qui cum ad eam veniſſet, & ſuaſu Beatæ Melanię eum ad pietatem dirigeret is dicitur illam adeò eſſe admiratus, vt etiam dixerit poſt agnitam veritatem, quod ſi Roma tres haberet tales, nec quidem nomen vnquam audiretur Gentilium, &c.* Quibus illc narratis, pręferuidamque pię fæminæ operam cum pro Chriſti religione aduerſus impias Neſtorij voces, ac hære-

Metaphraſtes die vltima Ianuarij Surius eod. die.

Quali illuſtris fęmina habitu ſe Patrui oculis videndā obtulit.

Baronius vbi ſupr. n. 50.

Voluſianus haud æquo animo ferēs indignabundus exclamat.

Cęleſtis ſpe gloriæ omnē ſæculi pōpam ac pro ſapia à ſe abijcit faſtū.

Metaphrastes vbi suprà pud Baronium.

Quid Proculus Constantinopolitanus Episcopus de Melania edixerit.

hæresū dogmata in acie pugnâret,propugnaretque alacrius, sic exponit: *Ipsa* (inquit auctor) *erat, quæ magnum aduersus eum inibat certamen, & vanum, & inane reddebat eius sophisma, à mane vsquè ad vesperam ijs respondens, qui eam interrogabant, multisquè ex ijs, qui decepti fuerant, persuadens, & eos reducens.* Diabolus verò diuinum fœminæ pugnātis pro fide zelū iniquissime ferens, omnem ex aduerso lapidem mouit, vt ab incepto ipsam abduceret; his enim scriptor rem verbis prosequitur.

Metaphrastes vbi supr.

Diabolus fęminæ virtutem exhorreus, in ipsam insurgit, sed frustra.

8. *Quamobrem* (inquit) *malignus se ab ea vinci non ferens, in virum eius conuersus* (nempe Pinianum) *& ei apparens miserabilis, cum lugubri, & nigra veste accedit ad eam, terrens, & grauia minitans: Et primùm quidem se ipsius Imperatoris, & eius famulorum cor immutaturum, & in contrarium traducturum, deinde etiā, vt miserabili exitu finiret vitam, procuraturum, grauissimis confecta doloribus. Illa autem hanc esse artem maligni intelligens, Christi nomen, quod grauissimam illi plagam affert, inuocans, effecit, vt istatim euanesceret, &c.* Dæmon quippe ab imbelli fœmina vinci,ac se vltrò triumphari refugiens, graui incusso metu haud ipsam à pio mentis vel inuitam reuocare proposito destitit. Atqui Melania Christianarum virtutum meritis clara, nec non pœnitentiæ operibus ac lucro apprimè in sæculo diues, sancto demum fine quieuit: Cui pro sepulchrali titulo mira laudum pręconia, hisq; notis à Baronio concepta, hic interim exscribenda videntur: *Quod* (inquit) *ad Melaniam spectat, quantum superuixerit, non constat, sed illud certum est, ipsam monastica vita magna obseruatione perfunctam, & miraculis pluribus illustratam diem, quam prænouit, Decembris vltima ad Deum migrasse, & inter Sanctas relatam, anniuersaria memoria in Ecclesia celebratam.* Hæc ille, dum mulierem adeo meritis claram, sanctitatis, ac summum Christianæ perfectionis apicem, austerioris præsertim vitæ instituta sectando, attigisse pronunciat.

Baronius an.438.n.17.

Bonis operi bus diues in Dei obsequio perijt.

In Romano martyrologio inter sanctas colitur.

9. Immensa itaque Dei, ipsiusque supernæ felicitatis magnitudo, quæ hominibus Deo inseruientibus condigna vti merces in Euangelio promittitur, omnimodam proculdubio vitæ huius,ac laborum obliuionem, necnon terrenorum omnium fastidium mortalibus adducit,adeò vt serio,propositaq;sibi isthęc recolendo prœmia ad Deum, & fidem denique festinus quisque procurrat; quod sane Gentili quondam Cantipratanus contigisse his verbis tradit: *Cum quidam* (inquit) *nobilis adhuc gentilis in exercitu Tartarorum febre acutissima laboraret, & materia ad cerebrum ascendente in furiam raptus esset, dormientibus omnibus, qui circà illum erant, aufugit nudus, & tribus noctibus per eremum vastissimam aberrauit. Tertia igitur nocte digesta materia euigilauit, & ad se redijt compos mentis. Qui in tenebris horrens solitudinem, quid faceret, quò se verteret, nesciebat. Et ecce post instans modicum discussis tenebris vidit in montis cacumine ingens lumen. Reptans ergò manibus, & pedibus, ascendit in montem, & ecce super omnem solis fulgorem Regem admirabilem vidit in throno aureo residentem, & ad eius dexteram Reginam incomparabili decore fulgentem. Vidit etiam mixtim seniores, & iuuenes in thronis aureis assidentes, ministrosquè ex omni parte vultibus sidereis rutilantes. Hæc vt vidit Gentilis, super id, quod credi potest, obstupuit. Nec mora, vnus ministrorum à Rege missus eum nudum induit, & ad Regem duxit: Cui Rex: Nihil (ait) in rebus humanis simile quid vidisti? Et ille: nihil (inquit) Domine. Et Rex ad eum: Ego sum (inquit) Christianorum Deus, Rex, & Dominus sempiternus. Tu autem rediens ad populum tuum, & perquirens inuenies in gente Hungarica, quæ immixta est genti tuæ duos presbyteros Christianos talis habitus, & talis formæ, à quibus erudieris ad formam Christianæ fidei. Hæc vt audiuit Gentilis, renuit bonorum societate frustrari. Et mox ad eum Rex. Impossibile est (inquit) talem te remanere nobiscum, sed si Christianorum fidem susceperis, vt præcepi, societate ista iucundissima perfrueris. Hoc dicto miles sedens in equo albo, suscepit illum, & in exercitum Tartarorum populo mirante reduxit, fuitquè apud eum diebus tribus, & posteà repentè disparuit, nobilis autem, vt iussus erat, presbyteros quæsiuit, & inuenit, & eruditus ad fidem, cum multis militibus Tartarorum sacrum baptisma suscepit.* Præ-

Cantipratanus lib. 2. Apum, c.54. par.54.

Supernæ gloriæ magnitudo laborum obliuionem adducit.

Gētilis per visum cęlestis glorię pulchritudinem addiscit.

Ad Christianam fidem suscipiendā inuitatur.

Non nisi per fidem in Christi regnum aditus patet.

Cum Tartarorum militibus fidē edoctus,baptismo initiatur.

Præostēsa quippe sibi cœlestis per visum regni gloria vir alioqui Gentilis,gentilitia superstitione reiecta, errorum pœnitens, vt cœlo adscriberetur, mox Christo nomen dedit.

10. Superna siquidem diuinorum, quæ pœnitentibus à Christo repromittuntur, gaudiorum spes nedum cunctos pœnitentium leniendo labores leues propemodū, ac faciles reddit sed & pœnarū quantumuis immaniū obliuisci ipsa prœmiorum facit magnitudo;Quod sane religioso viro tunc inter Nouitios sacri illibatique Prædicatorum Ordinis aliquando contigit, qui aliorum documento id videns alijs quoq; iam iam moriturus edixit, vt in gestis religiosorum sanctissimi eiusdem Ordinis sic traditur.*Cum quidam moriturus laboraret in extremis in Conuentu Argentinensi in Theutonia, & fratres recommendarent animam ipsius Creatori, ex insperato aperuit oculos suos, & ait: Audite fratres charissimi mihi accidit, sicut alicui eunti ad forum, & paruo pretio magnas merces ementi: Ecce enim regnum cælorum accipio, & casus nescio meritorum. Et hoc dicto requieuit in pace.* Congrue autem hic ipsius Magni Gregorij verba consonant, qui labores hominum, prœmiorum Dei magnitudine pensandos affirmans, sic concludit: *Delectet igitur mentē magnitudo præmiorum, sed non deterreat certamen laborum. Ad magna enim præmia perueniri non potest, nisi per magnos labores.* Quod pœnitentibus quidem mirum in modum arridet.

Ex libro & vitis Fr. Prædic. Ordinis part. 5. cap. 2. ex magno spec Exemplorum dist. 7. exemp. 52.

Vir Religiosus Ordinis Prædicatorum iam moriturus, lætus prœmiorum spe respirat.

Gregorius hom. 37. in euangelia.

11. Opportune hic verò satis nunquam pro merito laudata, & apud posteros recolenda iugiter Ludouici Francorum Regis Sanctissimi mentio occurrit qui cœlestis spe gloriæ sibi præposita quæuis sacri olim belli tum incommoda, tum pericula aduersus barbaros fidei hostes inuicto prorsus animo subijt. Quapropter cum ingens, quod ipsi à Tartaris imminebat, aliquando periculum Blanca Regina, ipsius mater per epistolam,& caute præmonēs indicasset, generosum illud ab ipso; ac omni in Deum fiducia plenum, necnon æternis dignum laudibus responsum his planè (vt Parisius ait) verbis conceptum retulit: *Erigat nos* (inquit) *mater celeste solatium, quia si praueniant ipsi, vel nos ipsos, quos vocamus Tartaros, ad suas tartareas sedes, vndè exierunt, retrudemus, vel ipsi nos omnes ad cęlum subuehent.* Rex quippe, qui se ipsum Deo, ac pœnitentiæ iugiter operibus deuouerat, ac acerbiora quæque pati pro Christo non recusabat,& cuius semper animus fixus in cęlo erat, mala cuncta, malorumquè incommoda, si quæ menti obijcerentur, pueriles veluti iocos,ac vulnera ipsa pro ludo semper habuit; solemne illud, & quod è cœlo mortalium auribus semel Apostoli ore verbum insonuit, animo reuoluens; *Quia non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam.* Huc sanè spectat, quod Saracenis illaturus bellum, bis in Palestinam traijciens, ac demum pestilentia in castris perculsus,salute corporis iam desperata, cum eos, qui adstabant,plorantes cerneret, ac certum quemdam inter illos ob id maximè, nec tam quod Rex moreretur, sed quod extrà Galliarum fines, & sua procul à regia, & lectulo, in semotis adeo Palestinorum plagis moreretur, querulis vltro obdolentem vocibus cōperisset, sic hominem blande Rex sapientissimus consolatus, ac vnà simul obiurgans ait:*Vide quid dicis? Nesciebam profectò cælum regiæ Parisiorum Vrbi, ac regio itē cubiculo magis,quā Palestinorū regionibus, ipsisquè met in quibus nunc moramur, & morimur castris proximum fore.* Quibus sanè se ad ardua quæque pto lucrando Christi regno subeunda promptum,paratumq; ostendens,his item moriēs verbis testatus est:*Introibo* (inquit)*in domum tuam Domine, adorabo ad templum Sanctum tuum, & confitebor nomini tuo.* Sic Rex pijssimus iuges pro tuenda Christi fide labores, & quod iam suo è proximo capiti impendebat, fatum, non vt quid triste, sed tanquam præoptatissimam sibi rem, & certa prœmiorum expectatione in primis gratam, iucundamque patientissimè tulit.

Rainaldus an. 1241. n. 13

S. Ludouicus Francorum rex cœlestiū premiorum spe erectus in ipsam mortem insurgit.

Parisius in hist. Anglic. an 1241.

Fixus cœlo in terris pati non recusat,

Apostolus ad Rom. c. 8.

In Palestinorum Regione morti iā proximus quid suis de morte edicit.

In gestis S. Ludouici Franc. Regis.

Psal. 5. n. 8

Exultat,quādo homines prope exitū tristes pauēt.

12. Demum exoptata beatorum felicitas, ipsiusquè Dei regni per visum obiecta mortalibus non tam lux, quam lucis, & Dei claritatis vmbra, vel potius splendoris Sanctorum imago tantum, quandoque virium animo confert, vt validi instar stimuli acriter pigritantes vrgendo, mox à lubrico reuocet, & ad bonam

Rainaldus an. 1502. n. 29.

B.Vuilhelmus Roschildēsis Abbas duobus iuuenibus gloriā, quā perfruebatur ostendens ambos Christo lucrifecit.

bonam animi frugem pœnitendo traducat. Quod certe in B.Vuilhelmi Roschildensis Abbatis in Dania gestis compertum satis redditur. In huius etenim funere vbi duobus adolescentibus superna ipsius felicitas diuinitus innotuit, magno vtrisq; visio ad virtutē documento fuit. Alteri enim ex his vir Dei Angelis circū stipantibus, ringentibus tartareis præ liuore hostibus quod ipsi haud præcludere aditum potuissent, cœlum conscendere visus est; alteri verò haud absimili se videndum aspectu obijciens ad melioris vitæ normam feliciter adduxit. At scriptoris interim, qui tanti viri discipulus fuit, gratis verba auribus excipiamus: *Alter* (inquit) *ex his Nicolaus nomine à Monasterio aufugerat, & dabat operam literis Hildesij, quod est Saxoniæ Oppidum. Is vidit personam quamdam sibi ignotam in stola candida cælum scandere, & intra albicantes nubes ità recipi, vt tantùm pedes, et externæ vestes cernerentur. Stetit igitur affixis cœlo oculis admirabundus; sed mox adest quidam sciscitans, quid ità miraretur? ac deinde subiungens: Hic, quem vidisti in cælum recipi, Abbas tuus est, qui multa patientia vicit sæculi persequutiones: nunc autem coronatur, quia fideliter permansit in mandatis Domini sui. Expergefactus Nicolaus ducitur pænitentia, reditquè ad suū monasterium, et emendationi se offerēs, hanc visionem omnibus narrauit.* Hæc ille obiecta beati viri e cœlo alterius aberrantis monachi oculis felicitate, quæ ipsum è castris transfugam, & non secus ac prodigum alterum filium ad monasterij septa immò ad domum ipsam paternam, & è longinquo remeantem perduxit, suaquè pœnitentiæ iugo, ac regularis disciplinę institutis colla spontè submittere cōpulit, nec tā verbis monēdo ac docēdo, quā diuina virtute euincendo suasit. Ex quo fit, vt laborē in sæculo mortalium nemo refugiat, dū perennem, quæ in Dei Regno promittitur requiem attendit; Augustini vtiquè verborum memor: *Quanto labore* (inquit) *digna est requies, quæ non habet finem*? & dum sapida insuper Hieronymi dicta recolit: *O quanta beatitudo, pro paucis magna recipere, æterna pro breuibus, et habere Dominum debitorem*. Sed iam ad alia progredimur.

Apud Suriū tom. 2. die 6. Aprilis.

Nicolaus qui longe à se ipso aberrabat, ecelesti visu recreatus ad Ordinem redit.

Augustinus in manual. c. 7. de gaudio parad.

Hieronym. in epist.

CAPVT XI.

Pænitentes, nè iterum peccent, viuere diutius renuunt.

1. Condemnat (inquit Sapiens) *iustus mortuus viuos impios, et iuuentus celeriùs consumata longam vitam iniusti.* Virtutum namque, ac meritorum magis cumulo, quàm dierum, atque annorum numero, iuxtà diuinum Sapientis calculum fallax, si quid est, mortalium vita subsistit; adeoquè omnis, qui hic diù inter homines fuit, haud diù in terris vixisse pariter censendus est; Anniquippe, qui probitatis luce destituuntur, inutiles prorsus, ac nullius apud Deum momenti verè sunt computandi. Quapropter homo, qui diutiùs hic, nō tam in vitæ, quam in mortis regione vixit, si virtutis luce caruit ità planè *vixit*, vt (Augustino teste,) *cum esse dèserit, non fuisse putetur*. Hinc fit, vt hominis haud annis vita, & senectus, imò virtutibus, ac vitę meritis constet, quibus magis, quam luce viuendo clarescit: *Senectus quippe venerabilis est, non diuturna, neque annorum numero computata*; adeoque aptè ob id vnum plerisque Sanctorum iustè illud ipsius Ecclesiæ oraculo quadrat elogium: *Mortuus est in senectute bona, ac plenus dierum*. In sacris namque historiarum tabulis, in quibus non nisi anni, qui apud Deum virtutum splendore fulgent, Deo vtpote grati, acceptique perenni quoque apud homines memoria digni censentur, cum reliqui ingrato penitus silentio inuoluantur. Quò sanè solemne illud cunctis Dei famulis verbum occinit: *Et dies pleni inuenientur in eis.* Pleni verò dicendi sunt, si non frustra ac perfunctoriè cordatis hominibus percurrant, sed magno semper bonorum operum prouentu, ac animi (quod cœteros fallit) lucro prætereant; *Satis namque longa vita est*, (vt moralis aiebat Philosophus) *si tota bene collocetur*. Futilis ergo, ac delira prorsus est; quæ mortalium iugiter ob huius vitæ breuitatē ore vsurpatur querela: *Ita est* (inquit Philosophus,) *non accepimus breuem vitam, sed fecimus, nec inopes eius, sed prodigi sumus,*

Sapientiæ cap. 48. verb.

Haud omnes, qui diu in hoc sæculo sunt diu vixisse dicēdi sunt.

Augustinus in serm.

Sapientiæ c. 4. verb. 8.

Bene, ac diu viuere simul iunguntur.

Seneca epist. ad Paulinum de breuitate vitæ cap. 1.

Vitę breuitatem, ipso vitæ tempore abutentes incusamus.

nus &c. Vita etenim, quę bene disponenti multum patet, &c. ubi per luxum, et negligentiam defluit, etc., quam ire non intelleximus, transisse sentimus. Hæc ille inter gentiles oculatissimus.

Seneca vbi supra.

2. Hinc Abrahamus credentium pater ac haud semel Dei ore, ac digno semper suis pro meritis elogio laudatus, non nisi in senectute bona moriturus tandem asseritur, vt mortalium cunctos, qui gratis hic viuunt. (Ambrosio teste) laudabilis vitæ prærogatiua non lateat: *Non longa dixit, sed bona* (inquit Ambrosius) *quia iustus bene senescit, iniustorum autem nemo &c.* Ille autem vere senescit, qui virtutibus bene senescit; *Cani enim sunt sensus hominis &c.* Diuturna itaque hominis ætas virtute, ac meritorum potiùs, quàm dierum, atque annorum apud Deũ numero adimpletur, nec quicqua m prodest multũ viuere nisi quis innata, inolitaq; interim vitia exuens totis pariter animi neruis ad virtutum apicem bene viuendo contendat. Hinc meritò vir ille sanctitate præcipuus assidua mortalium vel in prorogandis vitæ momẽtis assidua tum vota, tum sollicitudinem deridens. *Quid prodest* (inquit) *diù viuere, quando tam parùm emendamur, etc. longa vita non semper emendat, sed sæpe culpam magis auget.* Vita igitur hominis dicenda est, si homo intime Deo inhærens charitate viuat, & ob ipsius amorem, vbi opus est, ac ipsi placet, finem quoque viuendi libenter faciat: *Charitas* (inquit Augustinus) *tunc maxima est in hac vita, quandò pro ipsa contemnitur vita.* Quod sapidi quique mortalium serio animaduertentes, sibi vtpote suæ imbecillitatis conscij, nè iterum post arrepta pœnitentię subsidia, sibi in prælio deficere, & ad priores sæculi nugas, ac deliramenta redire contingeret, inter innumera huius vitæ pericula diutius viuere, inuicto prorsus animo recusarunt, vt ex narrandis infrà exẽplis luce clarius vnicuiq; patebit.

Genesis cap. 15. n. 15.

Non longa, sed bona susiorum vita exoptanda ex Ambrosio.

Ambrosius lib. 2. de Abraham cap. 9.

Quid prodest diù viuere, quando tam parum emẽdamur.

Thomas Kẽpis lib. de imitatione Christi.

Augustinus lib. de Nat. & gratia.

3. Enim vero viri, qui se totos semel Pœnitentiæ dicarunt, sic procul à peccatis fieri cupiunt, vt mori mundo, quàm cum peccandi periculo vel ad momentum in mundo inter homines viuere maluerint. Quod Anastasio, & alijs in Nepesino Monasterio sub arctiori norma vitam degentibus Gregorio in suis Dialogis narrante accidisse liquet. *Quadam* (inquit) *nocte, cum iam omnipotens Deus, eiusdem venerabilis viri Anastasij labores remunerare decreuisset, ab alta rupe vox facta est, quæ producto sonitu clamaret, dicens: Anastasi, veni, quo vocati alij quoque septem fratres ex nomine suo sunt vocati. Paruo autem momento ea, quę fuerat emissa, vox siluit, & octauum fratrem vocauit. Quas cum apertè vocis Congregatio audisset, dubium non fuit, quin eorum, qui vocati fuerant, obitus propinquasset. Intra paucos ergò dies primus venerandus vir Anastasius eductus est. Cęteri autem, eodem ordine extrà carnem educti sunt, quò de rupis vertice fuerant vocati. Frater verò ille, ad quem vocandum vox parùm siluit, atque eum ità nominauit, morientibus alijs, paucis diebus vixit, & tunc vitam finiuit, vt aperte monstraretur, quia interiectum vocis silentium paruum spatium viuendi designauerat. Sed mira res contigit, quia dum venerabilis vir Anastasius de corpore exiret, erat quidam frater in Monasterio, qui super eum viuere nolebat. Hic prouolutus eius pedibus, cępit ab eo cum lacrymis postulare, dicens: Peto à te per illum, ad quem tu vadis, nè septem dies super te in hoc mundo faciam; Antè cuius septimum diem etiam ipse defunctus est, qui tamen in illa nocte inter cæteros non fuerat vocatus, vt aperte claresceret, quia eius obitum sola venerabilis Anastasij intercessio potuisset obtinere.* Vir namq; totis iam viribus pęnitentiæ addictus, inter naufragæ vitæ huius syrtes prolixius viuere ac longas in mortis regione moras trahere, velut quid maxime acerbum, & nobili indignum animo recusauit. Quapropter pro suo quantocyùs è vita discessu Deum instantissime orans, pro ingenti non tam vitam beneficio, quàm mortẽ putauit.

Tutus homo magis morte, quam inter vitæ pericula sospes dicendus.

Anastasius monachus è vitæ periculis euocatur.

S. Gregorius in Dialog. lib. 1. cap. 8.

Alij cum ipso interiectis vocibus euocantur.

Ordine, quo vocati moriuntur, quorum vnus diu viuere recusat.

4. Quod quidem viri olim sanctitate illustres animaduertentes, ipsa acerbius morte vitã in corpore diù hic trahere haud incongrue existimarunt; Omnis enim mora Deum impensè amantibus mors est. Quapropter ad Dominum, vt ipsos quantocyus de corpore mortis huius eriperet, proclamantes: *Heu mihi* (psaltes inquit) *quia incolatus meus prolongatus est.* & Apostolus item: *Cupio dissolui, & esse cum Christo & Quis me libera-*

Quælibet hic vitæ mora, ad Deum ire cupientibus mors est.

Psal. 119.

Apostolus rom. 7. 24.

berabit de corpore mortis huius. Quibus insuper miræ alter sanctitatis præsul, Bernardus videlicet Clarauallensium Abbas sapientissime inhærens, dum lectulo infirmus aliquandò decumberet, & non iam sibi vitam, imo potius mortem protrahi diutiùs videns, de suis apud Deum discipulis grauiter conquestus est, vt ipsius vitę Auctor his verbis tradit; *Infirmabatur &c. adeò vt illa iam in infirmitate ipsius perfici virtus, & iam imminere exitus videretur. Intereà fratres instare supplicationibus, & obsecrationibus, quibus poterant apud Deum. Vndè etiam sanctus ipse cognoscens eorum precibus desiderium suum differri, cum aliquantò meliùs secundum corpus habere cœpisset, congregatis fratribus hæc eadem verba loqutus est: Quid tenetis miserum hominem? fortiores estis, & inualuistis: Parcite, quæso, parcite, finite me abire &c.* His planè vir ingens, ac præferuidum, quo tenebatur, palam cunctis desiderium fecit, & quod sibi proficiscendi ad Deum in votis erat, suis manifestè voluntatis propositū aperuit, ipsum æmulatus Christi Apostolum; cuius illa vox est: *Desiderium habens dissolui, & esse cum Christo*. Itaq; sua differri aliorum precibus vota, ac meritorum vnà simul cumulum moriendi cupidissimus augeri sentiens, suum interim non tam solatium, quam vitæ iugiter tormentū flere, ac pati exilij moras flendo compulsus est.

Apost. Rom. 7. n. 24.

Gofridus in vit. S. Bernardi Abb. Clar. lib. 5. c. 7.

S. Bernardus suorum precibus sibi vitam protrahi causatur.

Apostolus ad Phil. lib. 1. 23.

5. Nec verò viri duntaxat ob vitæ sanctitatem laudabiles, sed & non pauci sectandæ austerioris vitæ, ac pœnitentię desiderio adducti, mortalem hanc vitam contempsere dum seria etenim superioris vitę errata mente recolunt, suas itē assiduis lacrymis culpas prosequētes immortali Deo sollicite, pro his facere satis curant; Verum quia probè norunt, haud aliter hominem in sæculo, quàm innumera inter mala, nec absque periculo versari, hinc non immerito peccatum magis, quàm mortem timent adeoq; mori potiùs quàm viuere præoptandum sibi proponunt. Quapropter vnà cum Apostolo cordatus quisque, pœnitens ait; *Mihi viuere Christus est, & mori lucrum* Sed vt exemplis res comprobetur, hæc apte in rem nostram Venerabilis inter scriptores Beda; *Erat (inquit) quidam Presbyter, & Eremita, vitæ, & morum probitate venerabilis, nomine Herebertus, qui iuxtà insulam stagni vitam ducens solitariam, annis singulis Cudbertum Episcopum visitare, & monita perpetuæ ab eo salutis audire solebat. Hic cum audiret eum ad Ciuitatem Lugubaliam deuenisse, venit ex more, cupiens salutaribus eius exhortationibus ad superna desideria magis, magisquè accendi. Qui se se alterutrum cælestis vitæ poculis ebriarent, dixit inter alia Antistes: Memento frater Hereberte, vt modò quidquid opus habes, me interroges, mecumquè loquaris; postquam enim ab inuicem digressi fuerimus, non vltrà nos in hoc sæculo carnis obtutibus inuicem aspiciemus. Certus sum namque, quia tempus meæ resolutionis instat, & velox est depositio tabernaculi mei. Qui hæc audiens, prouolutus est eius vestigijs, & fusis cum gemitu lacrymis: Obsecro (inquit) per Dominum, ne me deseras, sed tui memor sis fidelissimi sodalis, rogesquè supernam pietatem, vt cui simul in terris seruiuimus, ad eius videndam gratiam simul transeamus ad Cælos; nosti enim, quia ad tui oris imperium semper viuere studui, quidquid ignorantia, vel fragilitate deliqui, æquè ad tuæ voluntatis examen mox emendare, curaui. Incubuit precibus Antistes, statimquè edoctus in spiritu impetrasse, quod petebat à Domino: Surge (inquit) frater mi, & noli plorare, sed gaudio gaude, quia quod rogauimus, superna nobis clementia donauit. Cuius promissi, & prophetiæ veritatem sequens rerum astruxit euentus, quia & digredientes ab inuicem, non se vltrà corporaliter viderunt, sed vno, eodemquè die, hoc est Kalendarum Aprilium tertia decima egredientes è corpore spiritus eorum, mox beata inuicem visione coniuncti sunt, atque Angelico ministerio pariter ad regnum cæleste translati. Sed Herebertus diutina priùs infirmitate decoquitur, illa, vt credibile est, dispensatione Dominicæ pietatis, vt si quid minus haberet meriti à B. Cudberto, suppleret hoc, castigans longæ ægritudinis dolor, quatenus equatus gratia suo intercessori, sicut vno, eodemquè tempore cum eo de corpore egredi, ità etiam vna, atque indissimili sede perpetuæ beatitudinis meruisset recipi.* Mori quippe non nisi ingens mortalibus lucrum est, vbi salus animæ in tuto reponitur, & peccandi posthac periculis locus non remanet.

Pœnitentię sectādæ cupidi vitam contempsere.

Beda lib. 4. histor. eccles. c. 29. Apostolus.

Apostolus vbi supra.

Herebertus presbyter cęlestium desiderio ęstuās de ijsdem loquitur.

Cudbertus Episcopus quid illi fugerat de vitæ fine.

Orāt, vt ambo pariter e terris ad Deū perueniant.

Vno, eodēque die ambo decedūt.

Herebertus diutina infirmitate decoquitur.

6. Enim

6. Enim verò qui ob Dei gratiam, terrenę huius a se vitæ desiderium, ac sui ipsius amorem penitus abdicant, sic quidem viuunt, vt tanquam sibi ipsis omnino, ac mundo mortui, soli Deo viuant; Quo fanè animi ac pietatis studio Christiani olim milites sic exercendis pœnitentię operibus institere, vt pœnas pro delicijs haberent, patriam pro exilio, exilium pro patria ducerent, mortem deniq; vitam ac vitam mortem sapienter computarent, vt Eques Christianus in tolerandis sub duro, ac ferreo Saracenorum, ac seruitutis iugo laboribus suo olim exemplo cunctos admonuit, de quo isthæc Thomas Cantipratanus: *Circa illud* (inquit) *tempus, quo annus Domini M. CC. III. voluebatur, expeditio peregrinorum validissima facta est in terram sanctam, vt saracenos, qui Christianorum fines inuaserant, proculsarent. Factis autem congressionibus plurimis, multi ex vtroque populo ceciderunt, plurimi etiam in captiuitatem redacti sunt: inter quos ex populo Dei duo milites, vnus ex Gallia, alter è Brabantia cum quodam nobilissimo viro in terram Gentilium sunt adducti, & contra natales suos, & consuetudinis vsum grauissimis manuum laboribus annis tribus addicti: Vt igitur mihi vnus militum enarrauit, die quodam sedebant sub æstu Solis, grauissimis manuum laboribus fatigati: cumque optarent milites cum graui cordis suspirio esse in terra sua, ille nobilissimus eorum, in pœna socius, segnitiem eorum redarguis, dicens: O miseri quid optatis? redibitis forsan, & eritis miseriores in iniurijs pauperum, quàm ante fuistis; hic autem, si velletis, possetis vtiquè finem felicissimum expectare; & hoc dicens, flexis genibus ad cælum manus tetendit, & oculos: nunquam mihi Deus omnipotens redire concedat ad patrios portus (inquit) sed hic sinat me mortem peracta pœnitentia prestolari. Mira respondentis constantia, nec minùs mira dispensatio Saluatoris: ambos milites liberatos posteà vidimus, & fortè malis, quàm antea, maioribus irretitos; pro illo autem nobilissimo, & beatissimo viro cum Rex Hierosolymitanus, & alij multi nobiles laborassent, nunquam tamen efficere potuerunt, vt eum à captiuitate Gentilium liberarent. Insuper & hoc ipsum de eo miles socius eius, qui mihi hæc retulit, referebat, quod tantum post quotidianos labores de nocte orationibus incumbebat, quod ei ad modum camelorum calli in genibus accreuissent.* Cordatus plane iste inter Christianos miles, qui laboribus se ipsum iugiter, ac Pœnitentiæ præsertim operibus exercens, dum supernam vere patriam suspirat, se mundi exulem, & cœli ciuem, mortalem hanc refugiendo vitam, ac mortem veraciter exhibiendo ostendit.

Rainaldus an. 1203. n. 16.

Miles Christianus è duro Saracenicę seruitutis iugo ad cœli præmia pertingit.

Thomas Cantipratan. lib. 2. c. 16.

Exercetur prius ærumnis, vt supernа felicitate potiatur.

Vnus labore nil absterritus, cæteros redarguit.

Redire in patriam liber ne vitijs iterum capti-uus fiat, audacter recusat.

Post diurnos labores nocturnis in oratio nibus vigilat.

7. Hinc autem meritò fit, vt qui plus animæ, quàm corporis curam diligit, mori eum magis, quàm amplius cũ moriendi periculo in regione mortis viuere delectet, & Sapientis illud probe experimento sapiens mente verbum repetat: *Melior est dies mortis die natiuitatis. In illo enim* (inquit Ambrosius) *nascimur ad pericula, in isto eripimur à periculis.* Quod sapide Christianus alter miles intelligens, inter hostium arma pro fide morti succumbere lucrum & quidem maximum duxit, vt Cęsarius his verbis tradit: *In Diœcesi Traiectensi* (inquit) *Vuigerius in artibus militia nominatissimus, in prima expeditione, Dei munere compunctus, cruce signatus mare transiuit, tam fortiter, & tam instanter Saracenos impugnans, vt tam Regi Hierosolymitano, quàm cæteris Christianis dilectus esset, & inimicis Christi nimis odiosus. Qui cũ per annum integrum Saluatori ibidem strenuè, vt dictum est, militasset, & repatriare cogitasset, die quadam in oculis eius in conflictu seruus eius occisus est, cuius animam in specie columbæ cælos videns penetrare compunctus visione, dicebat intra se: Quid agere proponis, ò miser? si reuersus fueris, vitia repetes dimissa, & erunt nouissima tua peiora prioribus. Ex tunc fortius agens solito, die quadam conflictum intrauit, & occubuit, cuius caput Saraceni præcidentes, cum multa gloria circumtulerunt; Christiani verò corpus rapientes, atque sepelientes, Ecclesiam desuper ipsum fabricarunt.* Haud profectò aliter vir Pœnitentiæ amantissimus vitam ærumnis, ac periculis plenam, quò perennè sibi lucraretur, contemnens, mori debuit, vt mortuus videlicet sibi, ac mundo, Deo ęternum in cœlis posthac viueret: adeòq; ipsi Sapientis aptè oraculum occinat: *Raptus est, ne malitia immutaret intellectum eius, aut ne fictia deciperet sensus eius.* Mors quip-

Ecclesiastici c. 4. 2. 3. Ambros. ser. 18. in psalm 118.

Melior est dies mortis die natiuitatis.

Cæsarius lib. XI. de miraculis cap 23. pag. 388.

Vuigerius è Traiectensi diœcesi cum Tartaris pugnans, animi virtutem prodit.

Seruum videns ab hostibus interemptum mori pro Christo desiderat.

Felix ipsius vitæ finis.

Sapientiæ cap. 4.

quippe transitus proculdubio ipsi ad vitam extitit.

8. Quapropter, ne noster a susceptæ narrationis proposito sermo recedat, viri olim sapientes, & sanctitate illustres cum vel ipso satis, superque experimento nossent, quod *homo natus* (vt Iobus ait) *de muliere breui viuens tempore repletur multis miserys*; & quia innumeris vita hæc periculis subest, facta sibi magno Dei beneficio, si vellent, iterum post mortem viuendi potestate, viuere omnimodis recusarunt. Quod Petrus Parentius, egregius orthodoxæ religionis cultor simul, ac propugnator, ab Innocentio III. Romano Pontifice ciuibus Vrbeuetanis præfectus, suo olim exẽplo monstrauit, qui cum ad extirpandã Manichæorum hæresim illuc directus, in rem totus incumberet, exercendo præfecturæ intentus muneri, hæreticos, infensos vtpote fidei hostes acrius insectari non destitit; hæc enim Vallicellanę bibliothecæ monumenta exhibent: *Hic* (inquit) *alios alligauit ferreis nexibus compeditos, alios censuit publicè verberibus flagellandos, alios extrà Ciuitatem coegit miserabiliter exulare, alios pœna mulctauit pecuniæ, quæ amissa veris lacrymis ab auaris possessoribus deploratur; ab alys accepit pignora copiosè, domos etiam fecit dirui plurimorum. Rector itaque nostræ Ciuitatis via regia incedendo, nec ad finistram, nec ad dexteram declinabat.* Dum igitur hæc, aliaquè in ipsos imperterrito Parentius animo præstat, hæretici in ipsum, velut in communem hostem, sibique apprime inuisum conspirantes, Radulphum ipsius famulum dolis instructum, & Iudæ ob perfidiã simillimum, repromissa magna vi auri, vt ipsum illis proderet, aggressi expugnant; qui inito pacto intempestæ noctis silentio impijs eorumdem manibus Dominum per summum scelus mactandum tradidit: *At hęretici* (vt Rainaldus ait) *cum ipsum frustra metu concuterent, et se nihil proficere in ipsum animaduerterent, aly in iras efferati caput ictibus contundere, aly gladys latera perfodere conati sunt, quam ille inflictam religionis tuendæ causa mortem inuicto prorsus animo pertulit, ac se diuina instar victimæ numini deuotissimè obtulit.* Vir itaque cœlo dignus, martyrij, quod præferuide cupiebat, palmam Deo aspirante consequitur, patentibusq; subinde signorum portentis se apud eum in cœlis viuere ostendit, quem viuens in terris totis semper animi viribus dilexerat, & pro cuius honore morti se ipsum adeo prompte obtulerat. At diuina subinde è cęlo in perditos, innocui sanguinis reos vltio non defuit; breuissimo namque temporis interuallo singulis tristi, funestoque mortis genere absumptis, Radulphus maximè proditor acerbissimo, vt par erat, fato diem infeliciter clausit.

Iob. cap. 14.

Rainaldus an. 1199. n. 35. 36.

Petrus Parentius, egregius orthodoxæ religionis cultor.

M. S. Vallicellana Bibliotheca.

Eiusdem ad uersus hæreticorum perfidiam zelus

Rainaldus vbi supra.

A seruo, vti Christus olim a Iuda proditur.

Sanguine Christi fidè impertertitus profitetur.

9. Porrò vir omni laude dignissimus, qui pro fide vitam cum morte commutauit, quid boni mors apud Deum pariat, & quantum ab hac mortali vita homini timendum supersit, viuere recusando, ostendit; hæc enim ex ipsius actis Rainaldus: *Sed à lugubribus* (inquit) *scelestorum supplicys ad martyris præmia, ac gloriosissimos triumphos oculos, conuertamus. Inuentum à Catholicis sacrum ipsius corpus ingenti pompa funebri elatum est, ac post multos dies non grauem modò vllum odorem non efflauit, sed corruptionis expers, atque ità tractantibus molle, ac si viueret, repertum, quamuis tunc maxime æstas arderet, ac leui panno serico tegeretur. Quod verò maiorem longè admirationem concitare potest, recipiendæ pristinæ mortalis vitæ à Numine data optio est, cuius miraculi aditus vir pius testis extitit, qui vocem hanc cęlitus missam: Vis resurgere Petre: inaudyt, atque aliam respondentem: nolle se preteritæ vitæ pericula adire: Sed ne hæc leuia, et commentitia putentur, quæ vnius, vel paucorum testimonio fulciantur, edidit Deus ad martyris sui in luce collocandã gloriam plura prodigia, etc.* His planè Beatus Christi pugil, ac vir Deo dignus insana mortalium vota, ac immodicum propagandæ vitæ desiderium palam cunctis visus est improbasse. Qui autem, quæ ad sanctissimum virum spectant, nosse cupit, edita nuper in lucem ab Antonio Cartario Vrbeuetano præclaræ indolis, ac ingenij, necnon pietatis adolescente monumenta consulat.

Rainaldus vbi supra n. 36.

Sacrum eius corpus à catholicis repertum nobili triumpho effertur.

Petrus data sibi e cęlo resurgendi optione, vitã recusat.

Miraculis mortuus e cęlo fulget.

10. Meritò igitur momentanea corporis pro immortali animę vita contemnenda est: Vita quippe tot culpis obnoxia, *Mors est*, (Gregorio teste) *potius dicenda, quàm vita*; adeoque viri superno lumine

Gregorius hom 37. in Euang.

lumine afflati hanc hominibus, quos vnice diligebant, ipsorum vtpote animabus detrimento futuram, haud pro libitu impetrandam curarunt. Quapropter Cunegundis Cracouiæ Ducissa, cum Ladislaus Polonorum Rex Andream fratrem à sicarijs illuc missis, per dolos interimi præcepisset, ac pia fœmina hominem ab his in flumẽ demersum & ex vndis subinde extractum, suis in vitam precibus reuocasset, re bene perspecta ipsum à lethalis piaculi labe immunem tunc obijsse, & pluribus, si posthac vixisset, peccatis inquinandum fore diuinitus edocta haud ipsum viuere, sed mori potius pari posthac tum beneficio tum miraculo impetrauit; hæc enim Longinus in historiarum Polonicarum monumentis tradit: *Pro cuius* (inquit) *à morte resuscitatione sanctimonialium importunis precibus deuicta, feruentissima supplicationis oratione in priuato Oratorio insistentes Moniales, varijs, & vicarijs exanditis vocibus, videlicet Hertrudis, Aldegundis, & Grizimislauia ad Oratorium prædictum, in quo & corpus prefati Ducis Andreę iacebat exanime, accurrunt, & videntes fœminam beatam Cunegundim splendore cælesti illustratam, etiam illam cum quibusdam personis, quorum neque essentiam, neque personam videre poterant, colloquentem, quærentem quoquè, & responsa accipientem percipiunt. Vident & in corpore Andreæ Ducis pridè vndis apud Chrobere suffocati, filij Stephani Vngariæ Regis viuificationis, et resurrectionis signa, ad quod benedicta fœmina Cunegundis Gracouiensis Ducissa accedens, & pedes illius tangens, surgere illud prohibuit: Quiesce (inquit) quiesce, quoniam ità clementissimo tuo, et meo Saluatori beneplacitum est, et tuæ saluationi congruum, in pace. Et illicò signis vitæ ad imperiosa verba euanescentibus, funeri sua, et mortis signa reddita sunt, corpusquè sepulchro mandatum. Cum autem fœmina benedicta Cunegundis per religiosas, et deuotas sui Ordinis sorores, cur mortuum corpus nepotis sui, Ducis Andreę resurgere non siuisset, quæreretur, silentio multifarijs modis absoluit quæstionem. A sororibus autem identidem vexata, rupto silentio, quærentium molestiam euasura, tres fuisse causas diuinitus sibi reuelatas, propter quas mortui Ducis Andreæ cadauer ad preces suas viuificatum non extitit, edixit: vnam, quod mors illi salubris, et nullo peccato mortali pro ea vice irretito acciderit, cui si vita donaretur, plerisque scitus erat inquinandus sceleribus: secundam, quia multus Christianorum sanguis sui occasione veniebat fundendus: Tertiam, quòd viuificatio illius in vulgarem gloriam apud Polonici, et Vngarici generis populares homines, quæ meritum præteritorum operum benedictę fœminæ mutilasset, verteretur.* Mors igitur viro, qui vitę si redditus fuisset, se ipsum culpis turpiter fœdasset; mors inquam magis, quàm vita profuit, nec aliter quidem quam Dei famula salubriter præstitit ipsemet, vt suę vtiliter animæ negotium ageret, data sibi vitæ, aut mortis optione, eligere debuisset.

> Rainaldus an. 1290. n. 39. 40.
>
> Mortalis vita, mors est potius dicenda quam vita ex Gregorio.
>
> Longinus hist. Polon. lib. 7.
>
> Cunegundis Cracouiæ Ducissa Andreã regis Polonorum fratrem peremptum in vitam redire non sustinet.
>
> De mortuo haud in vitã reuocando consiliũ init.
>
> Interrogata cur hominẽ vitę reddi non permiserit, quid respondeat.
>
> Nonnullis adductis sapide rationibus dictum confirmat.

11. Iusto itaque Sapientis calculo, Mors, quæ peccando finem imponit, non nisi summo Dei beneficio est adscribenda: *Laudaui* (inquit) *magis mortuos, quàm viuentes, et vtroque feliciorem, qui necdum natus est.* Congruè etenim, sapienterq; mortui, Ambrosio teste, viuentibus, anteferuntur: *Mortuus* (inquit) *præfertur viuenti, quia peccare desiuit, et vtrique, qui necdum natus est, quia peccare nesciuit.* Quapropter nonnulli ex pęnitentium numero, vt peccando finem facerent, viuendi quoque à Deo finem consequi prǣoptarunt, quod sane cuidam olim contigisse Cęsarius sic narrat: *Theodoricus* (inquit) *de Nuhant vir potens, & diues deuotionis gratia profectus est Hierosolymam. Prostratus ante sepulchrum Dominicum huiusmodi fudit orationem: Domine Iesu Christe, qui omnia nosti, si non habeo me emendare à vitijs pristinis, non me permittas redire in terram meam sed vt hic mihi mori liceat, concede. Audiuit hanc orationem alius miles compater eius, et ait: Orastis nè bene hodie compater? etiam (inquit) dicente illo; Et cui vultis dimittere vxorem, et liberos vestros? Respondit Theodoricus: meliùs est, vt illos deseram, quàm animam meam perdam. Quid plura? exaudita est oratio religiosi militis; et post dies paucos defunctus, coniunctus est ciuibus Ierusalem cælestis.* Felix profectò qui momentaneam corporis mortem contemnens, perennem animæ vitam in altero sæculo lucratus est, adeò, vt qui viuens erat aliquando moriturus, sic, moriendo,

> Ecclesiastici cap. 4. 2. & 3.
>
> Cur mortui viuentibus anteferendi sint.
>
> Ambrosius ser. 18. in ps. 118.
>
> Cæsarius lib. 11 de morientibus cap. 15. pag. 389.
>
> Theodoricus de Nuhant ante Christi domini sepulchrũ quid Deum orans petierit.
>
> Apud Hierosolymam mori, vt saluti consultum sit, à Deo postulat.
>
> Vir pius exauditus est ad salutem.

do, sit Deo immortalis semper victurus.

12. Pœnitentiæ autem virtus, præ optatam nedum homini culpatum à Deo indulgentiam obtinet, sed miram quoque, ac inusitatam cordi lætitiam affert; Iuxtà enim illud Christi Oraculum: *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.* Quod adeo verum est, vt qui anteactæ vitæ culpas hic assidue interim pœnitendo lugent & iuxtà prophetæ verbum seminant in lacrymis demum sub vitæ finem non nisi in gaudio metant, ipsisque mira diuinitus cordis exultatio pro mercede contingat: *Et ridebit* (inquit sapiens) *in die nouissimo*. Quod sane olim homini inter latrones famoso, dum ad patibulum duceretur, summa omnium admiratione affulsit vt Nyderus his verbis narrat: *Cum de ciuitate* (inquit) *insignis quidam latro duceretur ad patibuli locum, quod satis distat, per totum spatium itineris in magna multitudine populi tam alacriter incedebat, & hilari vultu, imò iucundus verbis, & nutibus adeò, vt eum sponsę ad thalamum præsentandum putasses, læto vultu sibi notos inuocauit, vt pro eo apud Deum intercederent. In via alta voce canebat metra quadam vulgaria, & deuota, quę dudum didicerat & in stuporem omnium mentes concessit.* Causam vero lætitie & cur adeò festinus iret ad mortem; ipsemet adstantibus prodidit: *Scio me grauiter Deũ* (inquiẽs) *offendisse, credo me deindę remissionem meorum facinorum per pęnitentiæ sacramentum recepisse, quia experior mihi displicere, quod Creatorem meum offendi, et & si fas esset me mortem euadere, tamen emendationis propositum omninò fortiter retentare vellem, quod etiam pro pręsenti gero; sed scio quod non expedit, vti euadam mortem; nimis enim offendi Deum, & homines, quare iuste morior & meam voluntatem diuinæ iustitia in hoc conformo; Hæc considerans, nunquid non lętus mori debeo. Diutius enim viuendo, fortasse in taberna acciderer meis in peccatis. Quod enim hoc malum hactenus euasi, donum Dei est, non meritum; Igitur gratias Deo ago. Ascendit ergò lignum supplicij, & laqueo vita reo erepta cum perseuerantię pętentibus signis.* Hæc ille. Quibus post lacrymas risum, & post pœnitentium labores vna cum vitæ tędio cordis lætitiam, ac perennem denique homini requiem suppetere constat.

Matt. cap. 5.

Io: Nyder. lib. 4. Formicar. c. 12. p. 324. Prouerb. 31. 25.

Facinorosus pœnitens ad mortem, vti ad nuptias properat.

Post acceptã culparum veniam, ne iterũ peccet vitam refugit.

13. Enim vero, vt narratis isthæc adijciamus, nil prorsus homini prodesse vitam euincitur, si bonorum operum, ac pœnitentiæ lucro destituitur. *Charitas enim, quæ* (vt Apostolus ait) *benigna, & patiens est, & omnia suffert*, pœnas item quarum hæc vita adeo prodiga est, ac redundans pœnitentiæ causa suscipiẽdas indicit, ferendaquè interim prompto, libentique cuncta isthæc animo, & nedum mortem, sed ipsam pro Deo, vitam ac proximorum salute salubri consilio reijciendam proponit, vt Raynerius Seraphici Capuccinorum Ordinis suo olim exemplo docuit, de quo isthæc in suis paginis Bouerius: *Cum Raynerius* (inquit) *Aesio ad Oppidum, quod vulgò Rocca Contrada nuncupatur, in Agro Piceno vetustissimum profectus esset, ibi Baldum quemdam mercatorem, virum cum primis ergà Capuccinos beneuolum, grauissima disentheria laborantem offendit, qui cum vita item desperata, ob id maximè conquereretur, quod imparatum, ac bonorum operum inopia laborantem importuna mors interciperet; Is vbi suauibus ęgrum verbis consolatus est, atque in diuinæ misericordiæ spem illius animum duxit, cum eum minùs ad extremum vitę occasum dispositum cerneret, vberiori charitate incensus, his illum verbis affatur: Balde; quandoquidem te inopinata mors terret, ampliorem què ad supremum illum diuini Iudicij diem bonorum cumulum tibi longiori vita comparandum optas; id ego, si tu ipse annueris, efficiam, vt precibus Deo oblatis necem, qua te hinc eripere paras, mihi ipsi ob tui in nostros beneuolentiam impetrem; Tu verò incolumis ad longiorem vitæ lineam serueris, quò cælestes tibi opes vendicare valeas. Assensit vir vitæ, & incolumitatis cupidus. Raynerius verò Aesium reuersus, cum ardentius Dominum pro ęgroti vita exorans, suam vltrò illi in sacrificium obtulisset: Baldus quidem breui ab ægritudine conualuit; is verò Baldi dysenteria hoc ipso tempore correptus, pro charitate paulò post animam fudit, suamquè vitam alterius bono postponens supremum illud in morte charitatis testimoniũ prodidit, quo maiùs nullum excogitari posse, Saluator in Euangelio his verbis testatus est: Maiorem hac dilectionem nemo habet, quàm vt animam suam ponat quis pro amicis suis.* Sic ob Dei, & proximi charitatem

Ad Corint. 1. c. 13.

Charitas ergà Deum, & ad se ipsum quæuis patiẽter ferenda suadet.

Fr. Zacch. Bouerius Annal. Capuc. an. 1581. n. 62.

Baldus mercator in Piceno grauiter ægrotans ad pœnitendũ à Capuccino adducitur.

Ipsum mortis periculo vindicat, ac se ipsius vice moriturum affirmat.

Sic charitas de morte pœnitentia de peccatis triumphat.

Ioannis cap.

tatem, & pro ipsius pœnitentiæ operibus contempta interdum vita valde homini ad meritorum cumulum, & magis quàm longior apud Deum vita proficit.

Apost. ad Philip. 1. c. 1.

13. Congruè autem huic Apostoli verbum quadrat: *Mihi viuere Christus est mori lucrum*; Quippe qui charitate succensus mortem potiùs, quàm vitam Dei amore, & proximi lucrandi causa sibi amplectendam proponit ad quod Auctor imperfecti in Matthæum his palam verbis visus est allusisse: *Si ergò*(inquit) *post modicum morituri sumus nulla Dei causa proposita, quare non ante modicum in causa Dei cum gloria morimur; vt fiat voluntarium, quod futurum est necessarium, vtque offeramus Deo pro munere, quod reddetur, pro debito*. Digna itaque, & grata inprimis Deo oblatio, mors ipsa censenda, quæ vnicuique, iusta vti pęna decreta diuinitus, antiqui profectò debiti solutio est. Qui enim mori volunt, nè Deum, ac vitam perdant, *pœnam propaginis* (inquit Gregorius) *vertunt in instrumentum virtutis*; Adeoquè apte Fulgentius Gallam viduam. Simmachi Cons filiam salubri verborum magisterio quid vitæ munus, ac beneficium pariter sit, optimè instruens: *Sancta*(inquit)*scriptura nos docet, & in hoc sæculo Christianis fidelibus non vitam longam prodesse, sed bonam*. Væ igitur homini, qui momentaneæ interim mortis metu seruilè in morem frangitur, æternæ autem perditionis, ne minimum quidem iuxta Augustini dictum timore concutitur: *Times* (inquit) *ad modicum mori, & non times in æternum mori*.

Auctor. operis imperfecti in Matt cap. 10.

Homo necessario post modicum moriturus, cur Dei gratia ante modicum libēs non moriatur.

Gregorius lib. 5. moral. c. 30.

Christianis in hoc sęculo non tam longa prodest vita quā bona ex Fulgentio.

Fulgentius Epist. ad Gallam.

Augustinus ser. 18. in verba Apost.

14. Homines igitur, qui cordati vtpote, ac sapientes, quæ Dei sunt, haud terrena sapiunt, & quibus tum sua, tum aliorum salus cordi est, certo iam probe experimento mortalis vitæ pericula edocti, vbi quis culparum se à Deo veniam consequutum sperat, haud vltrà moras in terris viuendo trahere sed quantocyus mori, corporisque absolui vinculis ardentissime optant illud serio Apostoli Petri vsurpantes verbum: *Vt peccatis mortui, iustitia viuamus*. Quod vt exemplis quoque in præsens comprobetur, quid olim vni inter S. Philippi alumnos præcipuo, qui pridem longioris vitæ desiderio tenebatur, contigerit, hic ex Beati viri gestis repetamus: *Gabriel Tana*(inquit)*Mutinensis iuuenis vitæ integerrimæ, quem à mundi illecebris iam pridem Philippus ad pietatis studia traduxerat, & inter præcipuos habebat alumnos, morbo correptus vltimam vitæ horam valde formidans, ac viuere diutius cupiens, breui etiam conualescendi spem concepit inanem. Quas diaboli insidias præsentiens Philippus(vt qui de eius morte diuina reuelatione cognouerat) petit ab eo, vt quid quid suæ incolumitatis esset, id omne suo committeret arbitrio. Paruitque alacriter Tana. Tum Philippus astantibus orare iussis preces pro eo fundere aggressus est; eoque orante tantum mox illum præsentis vitæ odium cœpit, vt mutato protinus consilio diceret cum Apostolo: Cupio dissolui & esse cum Christo: palamque profiteretur nil iam se magis cupere, quam sui corporis dissolutionem; Vnde Philippum his verbis compellare cœpit: Ora pater, vt in Paradisum quantocyus ingredi merear: Vita odium cepi; vitaque mihi molesta valde est, ea causa, vt cum Deo sim. Astantesque subinde respiciens in has sæpe prorumpebat voces: Vita præsens(credite) mihi fastidio est, mori vellem, vt Deum meum contemplari possim assidue: iterumque Philippum appellans: ad hanc diem rogaui te pater(dicebat) vt cum Deo ageres, vt saluti me restitueret, nunc rogo te, vt orationibus me tuis ex ergastulo corporis liberes, atque absoluas. Interea deficientibus in eo corporis viribus die sequenti (qui fuit eius vitæ postremus in id totus incubuit vt se ad piè, christianeque moriendum præpararet &c. Cum in vesperam inclinaret dies, quo tempore iterum dicere capit æger; In cœlum proficisci cupio Pater: hoc vnum ex omnibus mihi cordi est; Cui cum responderet Philippus: Si Deo placeret, vt præsentem morbum diutius sustineres, non ne voluntatem eius tuæ cupiditati preferres. Tū Gabriel: Et quid est hoc verbum. Iam dixi tibi sæpius ex corporis vinculis in cęlum emigrare ardenter cupio; adeo totus Dei videndi ardeò cupiditate, vt nulla res me grauius afficiat, quam hic manere diutius &c. Tum Philippus quod petisti consequeris; id tamen te monitum, velim, Dęmonem multas sibi paraturum insidias, varijsque tentationibus animi tui constantiam aggressurum, sed nulla in re, crede mihi, nocere tibi poterit, si memoria vel maxima retinebis te voluntatem tuam dedisse Deo: Caueas, ne quid-*

Iusti mori cupiunt.

Petri secunda ad Philipp. cap. 2.

Petr. Iacobi Baccius in vit. S. Philippi lib. 3. c. 35.

S. Philippi alumnus qui vitæ desiderio tenebatur, iam vitæ deposita spe, mori cupit.

Quam intente vitę finē à Deo sibi expetat, ob vitæ tędium.

Vir Dei tentationes, quę ipsi à dęmone imminēt, prædicit.

quidquam formides; Christus in te vincet omnia. Hæc ibi. At acerbis subinde pulsatus tentationibus Beati Patris iuuatus precibus constans, & victor perstitit, & post acerbissimam luctam, Philippo adstante ingenti spiritus feruore, & mira in Deum spe roboratus momentaneę vitæ fallaciam contemnens placidissime spiritum Deo reddidit; illud suo cunctis exemplo inculeans, pœnitentibus post condonatas à Deo culpas nil optabilius morte, & gratum nil magis posse contingere, quam vita, ne Deum posthac quis viuendo offendat, summo ipsius beneficio, ac peccandi simul periculo absolui.

Feliciter in Domino obdormit.

15. Plerisque autem post acceptam à Deo peccatorum, ipsius Pœnitentiæ subsidio indulgentiam satius esse mori, quam diutius viuere & salubriter magis, ne quandoque interluctandum in prælio deficiant, mortem, quam vitam expetendam factis Vir Dei suos haud semel docuit; *Mors quippe* (vt Tertullianus ait) *commune est Christianorum votum*. Sed mirum illud est, quod primariæ in Vrbe fœminæ olim, contigit, vt in S. Philippi gestis sic traditur. *Mulier primaria in Vrbe, ad vltimum summa vi morbi adducta venerat. Hanc Philippus visit, fusisq; pro illa precibus mox, vt alium ægrotum inuiseret, abijt: Inter eumdum autem ità secum ipse eloqui cępit: Heù miseram illam? Heù miseram, quam indiget auxilio! Inter hæc aliquantulum progressus: Atqui (inquit) illi omninò subueniendum est, ac ijs, qui secum aderant: Reuertamur (inquit) ad maribundam. Mirantibus illis, & de mutato consilio sciscitantibus: Ad eam (inquit) diuinitus euocari me sentio. Diutius si vixerit, cum graui periculo fiet. Demum reuersus, ac iterum cubiculum ingressus, eam egregie adhuc robustam, & ad alterum saltem diem spiritum omninò traducturam reperit, Astantibus nihilominus recedere iussis (præter suos, ac feminas non nullas quæ rei exitum expectantes in proximum cubiculi angulum concesserant) ad ægram propius accedens in eius faciem semel atque iterum exufflat; tum preces pro ea ad Deum fundens, ipsamque sermone de rebus diuinis perbreui confirmans, oculis in eam defixis, in hac tandem verba prorupit dicens: Iubeo te anima Dei nomine ex hoc corpore excedere, quibus dictis exemplo mulier (cunctis qui aderant stupentibus, factumque initio non credentibus) spiritum efflauit. Sic Beati viri imperio non minùs iussæ abire, quam reuocatę ad corpus animæ parebant, & qui vitam oratione producere consueuerat, nouo commiserationis genere huic temporariam mortem accelerauit, ne incurreret ęternam*: Ità plane absolui vitæ tum vinculis, tum periculis optandum magis homini, quam mortalem in longum vitam protrahere. *Maxima etenim* (Hieronymo teste) *Insania est in breui vita, quę ad modicum tanquam vapor patet, nunquam finiendos comparare dolores, & æterna acquirere tormenta*.

Expedit interdum homini magis mori, quam diutius viuere.

Tertul. in apol.

Io. Seueranus lib. mort. preuos. pag. 447.

Fœmina illustris in extremis laborans, ne cedat, à S. Philippo citò mori iubetur.

16. Cum tot igitur malorum incommodis, periculisque inconstans mortalis vita constet adeo vt *Mors* (Ambrosio teste) *remedium putetur esse, non pena*. Quis non tam homini vitam, quam vitæ ipsius finem votis maxime expetendum, exoptandumque non videt. Quod sane olim Nicolaus Lilius Gallus, Congregationis Oratorij presbyter, & inter primos S. Philippi Nerij discipulos virtutibus apprimè excultus, probe recolens, dum lectulo graui oppressus, ex quo postea decessit, morbo decumberet, ac Beatus in Christo parens fatiscentem sæpius inuiseret; quippe qui vnice ipsum diligebat, illis ab eo aliquando interrogatus est verbis *Nicolae* (inquit) *vis conualescere*. Cui haud alijs ipse interroganti respondit, quam sic dicens: *Ad quid Pater? Ad quid?* Cunctis profectò, qui tunc adstabant, pro certo habentibus pristinam infirmo viri Dei precibus, si dictis annuisset sanitatem proculdubio restituendam. Decessit hic non nisi certa salutis spe, vt sanctus edixerat. Cui merito Antonius Gallonius Romanus, Congregationis sacerdos isthæc in Beati Philippi gestis pro elogio verba inscribit: *Fuit hic* (inquit) *præter cętera pietati ità addictus, vt vocatus à Deo nihil habuerit antiquius, quàm obliuisci populum suum, & domum patris sui. Propinquorum adeo oblitus erat, vt eorum literas è Gallia Romam allatas non modo non legeret, sed fasciculum etiam, vt erat ligatus, abijceret in ignem. Orationi deditus erat: Obedientiam ità amabat, vt nemo magis. Sui ipsius despicientia excellebat. &c. Diem obitus sui prius-* quam

Nicolaus Lilius S. Philippi discipulus, oblatum sibi vitæ beneficium recusat.

Moriens in Cœlum euolat, qui & mortem prę uidit, ac prædixit, & digna ipsius elogia.

quã lectulo decũberet,preuidit,prædixit. Morti proximus Sacramentis Ecclesiæ munitus supremũ diem maxima cum significatione pietatis expleuit. An nonagesimo primo supra millesimum, quingentesimum, XVIII. Kal. Iulias. Sic plane momentaneam fastidiens vitam, vt perennem sibi conquireret, non tam libenter dimittendo reliquit, quàm vti manifestum naufragandi periculum, tardamque ad optatum salutis portum aspiranti remoram penitus odiendo contempsit. Pari quoque desiderio Ioannes Mathæus Ancina Fossanensis, nostræ Congregationis Sacerdos, ac dignus S. Philippi Discipulus miris excultus virtutibus, ac meritis apprime diues, dissolui pariter cupiens, & esse cum Christo mortem suspirans iugiter, dum supremo correptus morbo decumberet, ac nostros pro ipsius sanitate Deum instanter orantes cerneret, omninò vetuit, ipsissimet S. Bernardi Clarauallensis Abbatis vsus verbis: *Quid tenetis* (inquit) *miserum hominem? Fortiores estis & inualuistis precibus vestris apud Deum. Parcite quæso, parcite: sinite me abire*. Qui demum meritis, & signis quoque tum viuens, tum mortuus à Deo illustratus, Anno salutis 1638. plenus dierum, eximia apud omnes relicta virtutum fama, in Domino fęliciter obdormiuit, cuius memoria in benedictione est.

Ioannes Mathæus Ancina Cõgreg. Orat. Sacerdos mori cupidissimus.

In gestis S. Bernardi. 16.

17. Demum, vt narrandi isthęc sit finis, nedum Pœnitentes, qui peccatis, dum viuerent, fuere aliquandò obnoxij, ne post acceptam à Deo veniam, peccandi posthac periculum incidant, de corpore mortis huius liberari cupientes, diutius in hoc sęculo viuere detrectant; sed & Viri item dignissimi, ac innocentis vitæ moribus pręcipui, vt se omni penitus peccandi metu liberos viderent, maximi instar beneficij mortem à Deo postulantes aliquando exambiunt. Quam obrem Fr. Nicolaus Riccardus Ianuensis, Ordinis Prædicat. & Sacri Apost. Palatij Mag. eximius diuini ad Sacr. Cardd. Collegium verbi præco, scientiarum fere omnium, & sacrarũ literarum, ac Theologiæ in primis doctrina pręcunctis sua ætate summæ apud omnes famæ, qui ob ingenij acumen, memoriæ profunditatem, docendi in scholasticis rebus subtilitatè plane mirabilis Monstri vulgo sibi apud Hispanos Regis ab ore cognomentũ promeruit, cũ iã non multis ab hinc annis supremo correptus morbo, & desperata iã à Medicis salute decumberet, audito à religioso Viro eiusdem Ordinis, sibique amicissimo mortis, quæ iam sibi è proximo instabat, nuncio; nil territus, nil vultu immutatus, oculos in Cœlum attollens, in hæc plane verba annuncianti respondit: *Gratias* (inquit) *Deo; & si enim Mors mihi amplius merendi omnem apud Deum facultatem adimit, certe tamen peccandi, & Deum ipsum, cui tantum debeo, vel leuiter posthac offendendi facultas proculdubio amplius non suppetet; ob quod vnum mihi in præsens maxime lætandum, gaudendum est*. Qui & feliciter postmodum diem clausit. Ingens namque purgatis mentibus mortali vita absolui, nec tam diutius viuere, quàm citò *Mori* (vt Apostolus docet) *lucrum est*.

Frater Nicolaus Riccardus Sacri Apostolici Palatij Magister Ordinis Prędicatorum Theologorũ præstantissimus.

Accepto mortis nuncio lætatur, quia posthac non possit Deum suum peccando offendere.

18. Nec minori autem id ipsum pietate, ac spiritus feruore nostra itẽ ætate religiosus Vir, doctus æque, ac sapientissimus, de Sanctorum historijs, & tota simul Dei Ecclesia laboribus suis optime meritus, Ioannes Bolandus è Societate Iesu, Ex Iulij Montis Oppido apud Limburgensem Ducatum ortus, laudabiliter præ cunctis præstitit; qui pie, ac generose, ac ipso, ac vita superior, morti occurrens, cum semper in terris, ac si quotidie moriturus inter mortales vixisset, pręter communem tamen mortalium morẽ, haud aliter, quam semper Cœlo victurus mori debuit. Cum igitur pijs perfunctus laboribus, ac meritis diues, attrita iam studijs morbisq; ætate, excruciãdo insuper quibusuis modis corpori, patiendi desiderio adductus non pepercit, de quo isthęc à Godefrido Henschenio Societatis Sacerdote, nobisque, ac nostrorum singulis amicissimo in ipsius gestis, narrantur: *Is pie* (inquit) *crudelis in suum corpus licet hernia, calculo, alijsque doloribus vexatum satis, vtebatur oblongo ex horridis pilis cilicio, per modum tunicę brachijs trunca defluente ad genua, item contexto æneis filamentis flagello, funiculisque nodosis, atque inserto ferreo aculeo asperis, nec non acutissimis armillis: Quæ omnia crebro attrita vsu, & elicito rubentia sanguine circa lectum eius reperta sunt*. Hæc præferuide Viro ad immortalitatem festi-

Godefridus Henschenius in actis tom. 2. mensis Septembris.

Io: Bolandus è Societate Iesu vir doctissimus Leto animo morti occurrit, pœnitentiæ summoperè addictus.

Corpus morbis, ac studijs attritum, varijs modis pœnitentiæ causa affligẽdo excruciat.

bonam animi frugem pœnitendo traducat. Quod certe in B. Vuilhelmi Roschildensis Abbatis in Dania gestis compertum satis redditur. In huius etenim funere vbi duobus adolescentibus superna ipsius felicitas diuinitus innotuit, magno vtrisq; visio ad virtutẽ documento fuit. Alteri enim ex his vir Dei Angelis circũstipantibus, ringentibus tartareis præ liuore hostibus quod ipsi haud præcludere aditum potuissent, cœlum conscendere visus est; alteri verò haud absimili se videndum aspectu obijciens ad melioris vitæ normam feliciter adduxit. At scriptoris interim, qui tanti viri discipulus fuit, gratis verba auribus excipiamus: *Alter* (inquit) *ex his Nicolaus nomine à Monasterio aufugerat, & dabat operam literis Hildesij, quod est Saxoniæ Oppidum. Is vidit personam quamdam sibi ignotam in stola candida cœlum scandere, & intra albicantes nubes ità recipi, vt tantùm pedes, et externæ vestes cernerentur. Stetit igitur affixis cœlo oculis admirabundus; sed mox adest quidam sciscitans, quid ità miraretur? ac deinde subiungens: Hic, quem vidisti in cœlum recipi, Abbas tuus est, qui multa patientia vicit sæculi persequutiones: nunc autem coronatur, quia fideliter permansit in mandatis Domini sui. Expergefactus Nicolaus ducitur pœnitentia, reditquè ad suũ monasterium, et emendationi se offerẽs, hanc visionem omnibus narrauit.* Hæc ille obiecta beati viri e cœlo alterius aberrantis monachi oculis felicitate, quæ ipsum è castris transfugam, & non secus ac prodigum alterum filium ad monasterij septa immò ad domum ipsam paternam, & è longinquo remeantem perduxit, suaquè pœnitentiæ iugo, ac regularis disciplinę institutis colla spontè submittere cõpulit, nec tã verbis monẽdo ac docẽdo, quã diuina virtute euincendo suasit. Ex quo fit, vt laborẽ in sæculo mortalium nemo refugiat, dũ perennem, quæ in Dei Regno promittitur requiem attendit; Augustini vtiquè verborum memor: *Quanto labore* (inquit) *digna est requies, quæ non habet finem?* & dum sapida insuper Hieronymi dicta recolit: *O quanta beatitudo, pro paucis magna recipere, æterna pro breuibus, et habere Dominum debitorem.* Sed iam ad alia progredimur.

B. Vuilhelmus Roschildẽsis Abbas duobus iuuenibus gloriã, quã perfruebatur ostendens ambos Christo lucrifecit.

Apud Suriũ tom. 2. die 6. Aprilis.

Nicolaus qui longe à se ipso aberrabat, cœlestis visu recreatus ad Ordinem redit.

Augustinus in manual. c. 7. de gaudio parad.

Hieronym. in epist.

CAPVT XI.

Pœnitentes, nè iterum peccent, viuere diutius renuunt.

1. **C**ondemnat (inquit Sapiens) *iustus mortuus viuos impios, et iuuentus celeriùs consumata longam vitam iniusti.* Virtutum namque, ac meritorum magis cumulo, quàm dierum, atque annorum numero, iuxtà diuinum Sapientis calculum fallax, si quid est, mortalium vita subsistit; adeoquè omnis, qui hic diù inter homines fuit, haud diù in terris vixisse pariter censendus est; Anniquippe, qui probitatis luce destituuntur, inutiles prorsus, ac nullius apud Deum momenti verè sunt computandi. Quapropter homo, qui diutiùs hic, nõ tam in vitæ, quam in mortis regione vixit, si virtutis luce caruit ità planè *vixit, vt* (Augustino teste,) *cum esse dèsierit, non fuisse putetur.* Hinc fit, vt hominis haud annis vita, & senectus, imò virtutibus, ac vitę meritis constet, quibus magis, quam luce viuendo clarescit: *Senectus quippe venerabilis est, non diuturna, neque annorum numero computata*; adeoque aptè ob id vnum plerisque Sanctorum iustè illud ipsius Ecclesiæ oraculo quadrat elogium: *Mortuus est in senectute bona, ac plenus dierum.* In sacris namque historiarum tabulis, in quibus non nisi anni, qui apud Deum virtutum splendore fulgent, Deo vtpote grati, acceptique perenni quoque apud homines memoria digni censentur, cum reliqui ingrato penitus silentio inuoluantur. Quò sanè solemne illud cunctis Dei famulis verbum occinit: *Et dies pleni inueniũtur in eis.* Pleni verò dicendi sunt, si non frustra ac perfunctorie cordatis hominibus percurrant, sed magno semper bonorum operum prouentu, ac animi (quod cœteros fallit) lucro prætereant; *Satis namque longa vita est,* (vt moralis aiebat Philosophus) *si tota bene collocetur.* Futilis ergo, ac delira prorsus est; quæ mortalium iugiter ob huius vitæ breuitate ore vsurpatur querela: *Ita est* (inquit Philosophus,) *non accepimus breuem vitam, sed fecimus, nec inopes eius, sed prodigi sumus,*

Sapientia cap. 48. verb.

Haud omnes, qui diu in hoc seculo sunt diu vixisse dicẽdi sunt.

Augustinus in serm.

Sapientiæ c. 4. verb. 8.

Bene, ac diu viuere simul iunguntur.

Seneca epist. ad Paulinum de breuitate vitæ cap. 1.

Vitę breuitatem, ipso vitæ tempore abutentes incusamus.

mus &c. Vita etenim, quę bene disponenti multum patet, &c. vbi per luxum, et negligentiam defluit, etc., quam ire non intelleximus, transisse sentimus. Hæc ille inter gentiles oculatissimus.

Seneca vbi supra.

2. Hinc Abrahamus credentium pater ac haud semel Dei ore, ac digno semper suis pro meritis elogio laudatus, non nisi in senectute bona moriturus tandem asseritur, vt mortalium cunctos, qui gratis hic viuunt. (Ambrosio teste) laudabilis vitæ prærogatiua non lateat: *Non longa dixit, sed bona* (inquit Ambrosius) *quia iustus bene senescit, iniustorum autem nemo &c.* Ille autem vere senescit, qui virtutibus bene senescit; *Cani enim sunt sensus hominis &c.* Diuturna itaque hominis ætas virtute, ac meritorum potiùs, quàm dierum, atque annorum apud Deũ numero adimpletur, nec quicquam prodest multũ viuere nisi quis innata, insolitaq; interim vitia exuens totis pariter animi neruis ad virtutum apicem bene viuendo contendat. Hinc meritò vir ille sanctitate præcipuus assidua mortalium vel in prorogandis vitæ momẽtis assidua tum vota, tum sollicitudinem deridens. *Quid prodest* (inquit) *diù viuere, quando tam parùm emendamur, etc. longa vita non semper emendat, sed sæpe culpam magis auget*. Vita igitur hominis dicenda est, si homo intime Deo inhærens charitate viuat, & ob ipsius amorem, vbi opus est, ac ipsi placet, finem quoque viuendi libenter faciat: *Charitas* (inquit Augustinus) *tunc maxima est in hac vita, quandò pro ipsa contemnitur vita*. Quod sapidi quique mortalium serio animaduertentes, sibi vtpote suæ imbecillitatis conscij, nè iterum post arrepta pœnitentię subsidia, sibi in prælio deficere, & ad priores sæculi nugas, ac deliramenta redire contingeret, inter innumera huius vitæ pericula diutius viuere, inuicto prorsus animo recusarunt, vt ex narrandis infrà exẽplis luce clarius vnicuiq; patebit.

Genesis cap. 15. n. 15.

Non longa, sed bona sibi vita exoptanda ex Ambrosio.

Ambrosius lib. 2. de Abraham cap. 9.

Quid prodest diu viuere, quando tam parum emẽdamur.

Thomas Kempis lib. de imitatione Christi.

Augustinus lib. de Nat. & gratia.

3. Enim vero viri, qui se totos semel Pœnitentiæ dicarunt, sic procul à peccatis fieri cupiunt, vt mori mundo, quàm cum peccandi periculo vel ad momentum in mundo inter homines viuere maluerint. Quod Anastasio, & alijs in Nepesino Monasterio sub arctiori norma vitam degentibus Gregorio in suis Dialogis narrante accidisse liquet. *Quadam* (inquit) *nocte, cum iam omnipotens Deus, eiusdem venerabilis viri Anastasij labores remunerare decreuisset, ab alta rupe vox facta est, qua producto sonitu clamaret, dicens: Anastasi, veni, quo vocati alij quoque septem fratres ex nomine suo sunt vocati. Paruo autem momento ea, quę fuerat emissa vox siluit, & octauum fratrem vocauit. Quas cum apertè voces Congregatio audisset, dubium non fuit, quin eorum, qui vocati fuerant, obitus propinquasset. Intrà paucos ergò dies primus venerandus vir Anastasius eductus est. Cęteri autem, eodem ordine extrà carnem educti sunt, quò de rupis vertice fuerant vocati. Frater verò ille, ad quem vocandum vox parùm siluit, atque cum ità nominauit, morientibus alijs, paucis diebus vixit, & tunc vitam finiuit, vt aperte monstraretur, quia interiectum vocis silentium paruum spatium viuendi designauerat. Sed mira res contigit, quia dum venerabilis vir Anastasius de corpore exiret, erat quidam frater in Monasterio, qui super eum viuere nolebat. Hic prouolutus eius pedibus, cępit ab eo cum lacrymis postulare, dicens: Peto à te per illum, ad quem tu vadis, nè septem dies super te in hoc mundo faciam; Antè cuius septimum diem etiam ipse defunctus est, qui tamen in illa nocte inter cæteros non fuerat vocatus, vt aperte clarescceret, quia eius obitum sola venerabilis Anastasij intercessio potuisset obtinere.* Vir namq; totis iam viribus pęnitentiæ addictus, inter naufragæ vitæ huius syrtes prolixius viuere ac longas in mortis regione moras trahere, velut quid maxime acerbum, & nobili indignum animo recusauit. Quapropter pro suo quantocyùs è vita discessu Deum instantissime orans, pro ingenti non tam vitam beneficio quàm mortẽ putauit.

Tutus homo magis mortẽ, quam inter vitæ pericula sospes dicendus.

Anastasius monachus è vitæ periculis euocatur.

S. Gregorius in Dialog. lib. 1. cap. 8.

Alij cum ipso interiectis vocibus euocantur.

Ordine, quo vocati moriuntur, quorum vnus diu viuere recusat.

4. Quod quidem viri olim sanctitate illustres animaduertentes, ipsa acerbius morte vitã in corpore diù hic trahere haud incongrue existimarunt; Omnis enim mora Deum impensè amantibus mors est. Quapropter ad Dominum, vt ipsos quantocyus de corpore mortis huius eriperet, proclamantes: *Heù mihi* (psaltes inquit) *quia incolatus meus prolongatus est*. & Apostolus item: *Cupio dissolui, & esse cum Christo & Quis me libera-*

Quælibet hic vitæ mora, ad Deum ire cupientibus mors est.

Psal. 119.

Apostolus rom. 7. 24.

berabit de corpore mortis huius. Quibus insuper miræ alter sanctitatis præsul, Bernardus videlicet Clarauallensium Abbas sapientissime inhærens, dum lectulo infirmus aliquandò decumberet, & non iam sibi vitam, imo potius mortem protrahi diutiùs videns, de suis apud Deum discipulis grauiter conquestus est, vt ipsius vitę Auctor his verbis tradit; *Infirmabatur &c. adeò vt illa iam in infirmitate ipsius perfici virtus, & iam imminere exitus videretur. Intereà fratres instare supplicationibus, & obsecrationibus, quibus poterant apud Deum. Vndè etiam sanctus ipse cognoscens eorum precibus desiderium suum differri, cum aliquantò meliùs secundum corpus habere cœpisset, congregatis fratribus hac eadem verba loquutus est: Quid tenetis miserum hominem? fortiores estis, & inualuistis: Parcite, quæso, parcite, finite me abire &c.* His planè vir ingens, ac præferuidum, quo tenebatur, palam cunctis desiderium fecit, & quod sibi proficiscendi ad Deum in votis erat, suis manifestè voluntatis propositū aperuit, ipsum æmulatus Christi Apostolum; cuius illa vox est: *Desiderium habens dissolui, & esse cum Christo*. Itaq; sua differri aliorum precibus vota, ac meritorum vnà simul cumulum moriendi cupidissimus augeri sentiens, suum interim non tam solatium, quam vitæ iugiter tormentū flere, ac pati exilij moras flendo compulsus est.

Apost. Rom. 7. n. 24.

Gofridus in vit. S. Bernar di Abb. Clar. lib. 5. c. 7.

S. Bernardus suorum precibus sibi vi am protrahi causatur.

Apostolus ad Phil. lib. 1. 23.

5. Nec verò viri duntaxat ob vitæ sanctitatem laudabiles, sed & non pauci sectandæ austerioris vitæ, ac pœnitentię desiderio adducti, mortalem hanc vitam contempsêre dum seria etenim superioris vitę errata mente recolunt, suas itē assiduis lacrymis culpas prosequētes immortali Deo sollicite, pro his facere satis curant; Verum quia probè norunt, haud aliter hominem in sæculo, quàm innumera inter mala, nec absque periculo versari, hinc non immerito peccatum magis, quàm mortem timent adeoq; mori potiùs quàm viuere præoptandum sibi proponunt. Quapropter vnà cum Apostolo cordatus quisque, pœnitens ait; *Mihi viuere Christus est, & mori lucrum* Sed vt exemplis res comprobetur, hæc apte in rem nostram Venerabilis inter scriptores Beda: *Erat* (inquit) *quidam Presbyter, & Eremita, vita, & morum probitate venerabilis, nomine Herebertus, qui iuxtà insulam stagni vitam ducens solitariam, annis singulis Cudbertum Episcopum visitare, & monita perpetuæ ab eo salutis audire solebat. Hic cum audiret eum ad Ciuitatem Lugubaliam deuenisse, venit ex more, cupiens salutaribus eius exhortationibus ad superna desideria magis, magisquè accendi. Qui se alterutrum cælestis vitæ poculis ebriarent, dixit inter alia Antistes: Memento frater Hereberte, vt modò quidquid opus habes, me interroges, mecumquè loquaris; postquam enim ab inuicem digressi fuerimus, non vltrà nos in hoc sæculo carnis obtutibus inuicem aspiciemus. Certus sum namque, quia tempus meæ resolutionis instat, & velox est depositio tabernaculi mei. Qui hac audiens, prouolutus est eius vestigys, & fusis cum gemitu lacrymis: Obsecro (inquit) per Dominum, ne me deseras, sed tui memor sis fidelissimi sodalis, rogesquè supernam pietatem, vt cui simul in terris seruiuimus, ad eius videndam gratiam simul transeamus ad Cælos; nosti enim, quia ad tui oris imperium semper viuere studui, & quidquid ignorantia, vel fragilitate deliqui, æquè ad tuæ voluntatis examen mox emendare, curaui. Incubuit precibus Antistes, statimquè edoctus in spiritu impetrasse, quod petebat à Domino: Surge (inquit) frater mi, & noli plorare, sed gaudio gaude, quia quod rogauimus, superna nobis clementia donauit. Cuius promissi, & prophetiæ veritatem sequens rerum astruxit euentus, quia & digredientes ab inuicem, non se vltrà corporaliter viderunt, sed vno, eodemquè die, hoc est Kalendarum Aprilium tertia decima egredientes è corpore spiritus eorum, mox beata inuicem visione coniuncti sunt, atque Angelico ministerio pariter ad regnum cæleste translati. Sed Herebertus diutina priùs infirmitate decoquitur, illa, vt credibile est, dispensatione Dominicæ pietatis, vt si quid minus haberet meriti à B. Cudberto, suppleret hoc, castigans longa ęgritudinis dolor, quatenus ęquatus gratia suo intercessori, sicut vno, eodemquè tempore cum eo de corpore egredi, ità etiam vna, atque indissimili sede perpetuæ beatitudinis meruisset recipi.* Mori quippe non nisi ingens mortalibus lucrum, est, vbi salus animæ in tuto reponitur, & peccandi posthac periculis locus non remanet.

Pœnitentię sectādæ cupidi vitam contempsêre.

Beda lib. 4. histor. eccles. c. 29. Apostolus.

Apostolus vbi supra.

Herebertus presbyter cœlestium desiderio æstuis de ijsdem loquitur.

Cudbertus Episcopus quid illi suggerat de vitæ fine.

Orat, vt ambo pariter e terris ad Deū perueniant.

Vno, eodēque die ambo decedūt.

Herebertus diutina infirmitate decoquitur.

6. Enim

6. Enim verò qui ob Dei gratiam, terrenę huius a se vitæ desiderium, ac sui ipsius amorem penitus abdicant, sic quidem viuunt, vt tanquam sibi ipsis omnino, ac mundo mortui, soli Deo viuant; Quo sanè animi ac pietatis studio Christiani olim milites sic exercendis pœnitentię operibus institere, vt pœnas pro delicijs haberent, patriam pro exilio, exilium pro patria ducerent, mortem deniq; vitam ac vitam mortem sapienter computarent, vt Eques Christianus in tolerandis sub duro, ac ferreo Saracenorum, ac seruitutis iugo laboribus suo olim exemplo cunctos admonuit, de quo isthæc Thomas Cantipratanus: *Circa illud* (inquit) *tempus, quo annus Domini M. CC. III. voluebatur, expeditio peregrinorum validissima facta est in terram sanctam, vt saracenos, qui Christianorum fines innaserant, proculsarent. Factis autem congressionibus plurimis, multi ex vtroque populo ceciderunt, plurimi etiam in captiuitatem redacti sunt: inter quos ex populo Dei duo milites, vnus ex Gallia, alter è Brabantia cum quodam nobilissimo viro in terram Gentilium sunt adducti, & contra natales suos, & consuetudinis vsum grauissimis manuum laboribus annis tribus addicti: Vt igitur mihi vnus militum enarrauit, die quodam sedebant sub æstu Solis, grauissimis manuum laboribus fatigati: cumque optarent milites cum graui cordis suspirio esse in terra sua, ille nobilissimus eorum, in pœna socius, segnitiem eorum redarguis, dicens: O miseri quid optatis? redibitis forsan, & eritis miseriores in iniurijs pauperum, quàm ante fuistis; hic autem, si velletis, possetis vtiquè finem felicissimum expectare; & hoc dicens, flexis genibus ad cælum manus tetendit, & oculos: nunquam mihi Deus omnipotens redire concedat ad patrios portus* (inquit) *sed hic sinat me mortem peracta pænitentia prestolari. Mira respondentis constantia, nec minùs mira dispensatio Saluatoris: ambos milites liberatos posteà vidimus, & fortè malis, quàm antea, maioribus irretitos; pro illo autem nobilissimo, & beatissimo viro cum Rex Hierosolymitanus, & alij multi nobiles laborassent, nunquam tamen efficere potuerunt, vt eum à captiuitate Gentilium liberarent. Insuper & hoc ipsum de eo miles socius eius, qui mihi hæc retulit, referebat, quod tantum post quotidianos labores de nocte orationibus incumbebat, quod ei ad modum camelorum calli in genibus accreuissent.* Cordatus plane iste inter Christianos miles, qui laboribus se ipsum iugiter, ac Pœnitentiæ præsertim operibus exercens, dum supernam vere patriam suspirat, se mundi exulem, & cœli ciuem, mortalem hanc refugiendo vitam, ac mortem veraciter exãbiendo ostendit.

Rainaldus an. 1203. n. 31.

Miles Christianus è duro Saracenicę seruitutis iugo ad cœli præmia pertingit.

Thomas Cantipratan. lib. 2. c. 26.

Exercetur prius ærumnis, vt supernæ felicitate potiatur.

Vnus labore nil absterritus, cęteros redarguit.

Redire in patriam liber ne vitijs iterum captiuus fiat, audacter recusat.

Post diutnos labores nocturn in orationibus vigilat.

7. Hinc autem meritò fit, vt qui plus animæ, quàm corporis curam diligit, mori eum magis, quàm amplius cũ moriendi periculo in regione mortis viuere delectet, & Sapientis illud probe experimento sapiens mente verbum repetat: *Melior est dies mortis die natiuitatis. In illo enim* (inquit Ambrosius) *nascimur ad pericula, in isto eripimur à periculis.* Quod sapide Christianus alter miles intelligens, inter hostium arma pro fide morti succumbere lucrum & quidem maximum duxit, vt Cęsarius his verbis tradit: *In Diœcesi Traiectensi* (inquit) *Vnigerius in artibus militia nominatissimus, in prima expeditione, Dei munere compunctus, cruce signatus mare transiuit, tam fortiter, & tam instanter Saracenos impugnans, vt tam Regi Hierosolymitano, quàm cæteris Christianis dilectus esset, & inimicis Christi nimis odiosus. Qui cũ per annum integrum Saluatori ibidem strenuè, vt dictum est, militasset, & repatriare cogitasset, die quadam in oculis eius in conflictu seruus eius occisus est, cuius animam in specie columbæ cælos videns penetrare compunctus visione, dicebat intrà se: Quid agere proponis, ò miser? si reuersus fueris, vitia repetes dimissa, & erunt nouissima tua peiora prioribus. Ex tunc fortiùs agens solito, die quadam conflictum intrauit, & occubuit, cuius caput Saraceni præcidentes, cum multa gloria circumtulerunt; Christiani verò corpus rapientes, atque sepelientes, Ecclesiam desuper ipsum fabricarunt.* Haud profectò aliter vir Pœnitentiæ amantissimus vitam ærumnis, ac periculis plenam, quò perennè sibi lucraretur, contemnens, mori debuit, vt mortuus videlicet sibi, ac mundo, Deo æternum in cœlis posthac viueret: adeòq; ipsi Sapientis aptè oraculum occinat: *Raptus est, ne malitia immutaret intellectum eius, aut ne fictio deciperet sensus eius.* Mors

Ecclesiastici c. 4. 1. 3. Ambros. ser. 18. in psalm 118.

Melior est dies mortis die natiuitatis.

Cæsarius lib. XI. de miraculis cap. 23. pag. 388.

Vnigerius è Traiectensi diœcesi cum Tartaris pugnans, animi virtutem prodit.

Seruum videns ab hostibus interemptum mori pro Christo desiderat.

Felix ipsius vitæ finis.

Sapientiæ cap. 4.

quippe transitus proculdubio ipsi ad vitam exstitit.

8. Quapropter, ne noster a susceptæ narrationis proposito sermo recedat, viri olim sapientes, & sanctitate illustres cum vel ipso satis, superque experimento nossent, quod *homo natus* (vt Iobus ait) *de muliere breui viuens tempore repletur multis miseriis*; & quia innumeris vita hæc periculis subest, facta sibi magno Dei beneficio, si vellent, iterum post mortem viuendi potestate, viuere omnimodis recusarunt. Quod Petrus Parentius, egregius orthodoxæ religionis cultor simul, ac propugnator, ab Innocentio III. Romano Pontifice ciuibus Vrbeuetanis præfectus, suo olim exẽplo monstrauit, qui cum ad extirpandã Manichæorum hæresim illuc directus, in rem totus incumberet, exercendo præfecturæ intentus muneri, hæreticos, infensos vtpote fidei hostes acrius insectari non destitit; hæc enim Vallicellanę bibliothecæ monumenta exhibent: *Hic* (inquit) *alios alligauit ferreis nexibus compeditos, alios censuit publicè verberibus flagellandos, alios extrà Ciuitatem coegit miserabiliter exulare, alios pœna mulctauit pecuniæ, quæ amissa veris lacrymis ab auaris possessoribus deploratur, ab aliis accepit pignora copiosè, domos etiam fecit dirui plurimorum. Rector itaque nostræ Ciuitatis via regia incedendo, nec ad sinistram, nec ad dexteram declinabat.* Dum igitur hæc, aliaquè in ipsos imperterrito Parentius animo præstat, hæretici in ipsum, velut in commumem hostem, sibique apprime inuisum conspirantes, Radulphum ipsius famulum dolis instructum, & Iudæ ob perfidiã simillimum, repromissa magna vi auri, vt ipsum illis proderet, aggressi expugnant; qui inito pacto intempestæ noctis silentio impiis eorumdem manibus Dominum per summum scelus mactandum tradidit: *At hæretici* (vt Rainaldus ait) *cum ipsum frustra metu concuterent, et se nihil proficere in ipsum animaduerterent, alij in iras efferati caput ictibus contundere, alij gladijs latera perfodere conati sunt, quam ille inflictam religionis tuendæ causa mortem inuicto prorsus animo pertulit, ac se diuina instar victimæ numini deuotissimè obtulit.* Vir itaque cœlo dignus, martyrij, quod præferuide cupiebat, palmam Deo aspirante consequitur, patentibusq; subinde signorum portentis se apud eum in cœlis viuere ostendit, quem viuens in terris totis semper animi viribus dilexerat, & pro cuius honore morti se ipsum adeo prompte obtulerat. At diuina subinde è cęlo in perditos, innocui sanguinis reos vltio non defuit; breuissimo namque temporis interuallo singulis tristi, funestoque mortis genere absumptis, Radulphus maximè proditor acerbissimo, vt par erat, fato diem infeliciter clausit.

9. Porrò vir omni laude dignissimus, qui pro fide vitam cum morte commutauit, quid boni mors apud Deum pariat, & quantum ab hac mortali vita homini timendum supersit, viuere recusando, ostendit; hæc enim ex ipsius actis Rainaldus: *Sed à lugubribus* (inquit) *scelestorum supplicijs ad martyris præmia, ac gloriosissimos triumphos oculos, conuertamus. Inuentum à Catholicis sacrum ipsius corpus ingenti pompa funebri elatum est, ac post multos dies non grauem modò vllum odorem non efflauit, sed corruptionis expers, atque ità tractantibus molle, ac si viueret, repertum, quamuis tunc maxime æstas arderet, ac leui panno serico tegeretur. Quod verò maiorem longè admirationem concitare potest, recipienda pristinæ mortalis vitę à Numine data optio est, cuius miraculi aditus vir pius testis extitit, qui vocem hanc cęlitus missam: Vis resurgere Petre: inaudijt, atque aliam respondentem: nolle se præterita vitæ pericula adire. Sed ne hæc leuia, et commentitia putentur, quæ vnius, vel paucorum testimonio fulciantur, edidit Deus ad martyris sui in luce collocandã gloriam plura prodigia, etc.* His planè Beatus Christi, pugil, ac vir Deo dignus insana mortalium vota, ac immodicum propagandæ vitæ desiderium palam cunctis visus est improbasse. Qui autem, quæ ad sanctissimum virum spectant, nosse cupit, edita nuper in lucem ab Antonio Cartario Vrbeuetano præclaræ indolis, ac ingenij, necnon pietatis adolescente monumenta consulat.

10. Meritò igitur momentanea corporis pro immortali animę vita contemnenda est: Vita quippe tot culpis obnoxia, *Mors est*, (Gregorio teste) *potiùs dicenda, quàm vita*; adeoque viri superno lumine

Iob. cap. 14.

Rainaldus an. 1199. n. 35. 36.

Petrus Parentius, egregius orthodoxæ religionis cultor,

M. S. Vallicellana Bibliotheca.

Eiusdem ad uersus hæreticorum perfidiam zelus

Rainaldus vbi supra.

A seruo, vti Christus olim a Iuda proditus.

Sanguine Christi fidē imperterritus profitetur.

Rainaldus vbi supra n. 36.

Sacrum corpus à catholicis repertum nobili triumpho esfertur.

Petrus data sibi e cęlo resurgendi optione, vitã recusat.

Miraculis mortuus e cęlo fulget.

Gregorius hom 37. in Euang.

lumine afflati hanc hominibus, quos vnice diligebant, ipsorum vtpote animabus detrimento futuram, haud pro libitu impetrandam curarunt. Quapropter Cunegundis Cracouiæ Ducissa, cum Ladislaus Polonorum Rex Andream fratrem à sicarijs illuc missis, per dolos interimi præcepisset, ac pia fœmina hominem ab his in flumē demersum & ex vndis subinde extractum, suis in vitam precibus reuocasset, re bene perspecta ipsum à lethalis piaculi labe immunem tunc obijsse, & pluribus, si posthac vixisset, peccatis inquinandum fore diuinitus edocta haud ipsum viuere, sed mori potius pari posthac tum beneficio tum miraculo impetrauit; hæc enim Longinus in historiarum Polonicarum monumentis tradit: *Pro cuius* (inquit) *à morte resuscitatione sanctimonialium importunis precibus deuicta, feruentissima supplicationis oratione in priuato Oratorio insistentes Moniales, varijs, & vicarijs exauditis vocibus, videlicet Hertrudis, Aldegundis, & Grizimislauia ad Oratorium prædictum, in quo & corpus præfati Ducis Andreę iacebat exanime, accurrunt, & videntes fœminam beatam Cunegundim splendore cælesti illustratam, etiam illam cum quibusdam personis, quorum neque essentiam, neque personam videre poterant, colloquentem, quærentem quoquè, & responsa accipientem percipiunt. Vident & in corpore Andreæ Ducis pridē vndis apud Chrobere suffocati, filij Stephani Vngariæ Regis viuificationis, et resurrectionis signa, at quod benedicta fœmina Cunegundis Gracouiensis Ducissa accedens, & pedes illius tangens, surgere illud prohibuit: Quiesce (inquit) quiesce, quoniam ità clementissimo tuo, et meo Saluatori beneplacitum est, et tua saluationi congruum, in pace. Et illicò signis vitæ ad imperiosa verba euanescentibus, funeri sua, et mortis signa reddita sunt, corpusquè sepulchro mandatum. Cum autem fœmina benedicta Cunegundis per religiosas, et deuotas sui Ordinis sorores, cur mortuum corpus nepotis sui, Ducis Andreę resurgere non siuisset, quæreretur, silentio multifarijs modis absoluit quæstionem. A sororibus autem identidem vexata, rupto silentio, quærentium molestiam euasura, tres fuisse causas diuinitus sibi reuelatas, propter quas mortui Ducis Andreæ cadauer ad preces suas viuificatum non extitit, edixit: vnam, quod mors illi salubris, et nullo peccato mortali pro ea vice irretito acciderit, cui si vita donaretur, plerisque scitus erat inquinandus sceleribus: secundam, quia multus Christianorum sanguis sui occasione veniebat fundendus: Tertiam, quòd viuificatio illius in vulgarem gloriam apud Polonici, et Vngarici generis populares homines, quæ meritum præteritorum operum benedictę fœmina mutilasset, verteretur.* Mors igitur viro, qui vitę si redditus fuisset, se ipsum culpis turpiter fœdasset; mors inquam magis, quàm vita profuit, nec aliter quidem quam Dei famula salubriter præstitit ipsemet, vt suę vtiliter animæ negotium ageret, data sibi vitæ, aut mortis optione, eligere debuisset.

Reinaldus an. 1290. n. 39. 40.

Mortalis vita, mors est potius dicenda quam vita ex Gregorio.

Longinus hist. Polon. lib. 7.

Cunegundis Cracouiæ Ducissa Andreã regis Polono rum fratrem peremptum in vitam redire non sinet.

De mortuo haud in vitã reuocando consiliũ init.

Interrogata cur hominē vitę reddi non permiserit, quid respondeat.

Nonnullis adductis sapide rationi bus dictum coosirmat.

11. Iusto itaque Sapientis calculo, Mors, quæ peccando finem imponit, non nisi summo Dei beneficio est adscribenda: *Laudaui* (inquit) *magis mortuos, quàm viuentes, et vtroque feliciorem, qui necdum natus est*. Congruè etenim, sapienterq; mortui, Ambrosio teste, viuentibus, anteferuntur: *Mortuus* (inquit) *præfertur viuenti, quia peccare desinit, et vtrique, qui necdum natus est, quia peccare nesciuit*. Quapropter nonnulli ex pęnitentium numero, vt peccando finem facerent, viuendi quoque à Deo finem consequi pręoptarunt; quod sane cuidam olim contigisse Cęsarius sic narrat: *Theodoricus* (inquit) *de Nuhant vir potens, & diues deuotionis gratia profectus est Hierosolymam. Prostratus ante sepulchrum Dominicum huiusmodi fudit orationem: Domine Iesu Christe, qui omnia nosti, si non habeo me emendare à vitijs pristinis, non me permittas redire in terram meam sed vt hic mihi mori liceat, concede. Audiuit hanc orationem alius miles compater eius, et ait: Orastis nè bene hodie compater? etiam (inquit) dicente illo; Et cui vultis dimittere vxorem, et liberos vestros? Respondit Theodoricus: meliùs est, vt illos deseram, quàm animam meam perdam. Quid plura? exaudita est oratio religiosi militis, et post dies paucos defunctus, coniunctus est ciuibus Ierusalem cælestis*. Felix profectò qui momentaneam corporis mortem contemnens, perennem animæ vitam in altero sæculo lucratus est, adeò, vt qui viuens erat aliquando moriturus, sic morien-

Ecclesiastici cap. 4. 2. & 3.

Cur mortui viuentibus anteferendi sint.

Ambrosius ser. 18. in ps. 118.

Cesarius lib 11 de morientibus cap. 23. pag. 389.

Theodoricus de Nuhant ante Christi domini sepulchrũ quid Deum orans petierit.

Apud Hierosolymam mori, vt salu ti consultum sit, à Deo postulat.

Vir pius exauditus est ad salutem.

do,

do, fit Deo immortalis semper victurus.

12. Pœnitentiæ autem virtus, præ optatam nedum homini culparum à Deo indulgentiam obtinet, sed miram quoque, ac inusitatam cordi lætitiam affert; Iuxtà enim illud Christi Oraculum: *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.* Quod adeo verum est, vt qui anteactæ vitæ culpas hic assidue interim pœnitendo lugent & iuxtà prophetæ verbum seminant in lacrymis demum sub vitæ finem non nisi in gaudio metant, ipsisque mira diuinitus cordis exultatio pro mercede contingat: *Et ridebit* (inquit sapiens) *in die nouissimo.* Quod sane olim homini inter latrones famoso, dum ad patibulum duceretur, summa omnium admiratione affulsit vt Nyderus his verbis narrat: *Cum de ciuitate* (inquit) *insignis quidam latro duceretur ad patibuli locum, quod satis distat, per totum spatium itineris in magna multitudine populi tam alacriter incedebat, & hilari vultu, imò iucundus verbis, & nutibus adeò, vt eum sponsę ad thalamum præsentandum putasses, læto vultu sibi notos inuocauit, vt pro eo apud Deum intercederent. In via alta voce canebat metra quædam vulgaria, & deuota, quę dudum didicerat & in stuporem omnium mentes concitauit.* Causam vero lætitiæ & cur adeò festinus iret ad mortem; ipsemet adstantibus prodidit: *Scio me grauiter Deũ* (inquiẽs) *offendisse, credo me deinde remissionem meorum facinorum per pęnitentiæ sacramentum recepisse, quia experior mihi displicere, quod Creatorem meum offendi, et & si fas esset me mortem euadere, tamen emendationis propositum omninò fortiter retentare vellem, quod etiam pro præsenti gero; sed scio quod non expedit, vti euadam mortem; nimis enim offendi Deum, & homines, quare iuste morior & meam voluntatem diuinæ iustitiæ in hoc conformo; Hac considerans, nunquid non lętus mori debeo. Diutius enim viuendo, fortasse in taberna occiderer meis in peccatis. Quod enim hoc malum hactenus euasi, donum Dei est, non meritum; Igitur gratias Deo ago. Ascendit ergò lignum supplicij, & laqueo vita reo erepta cum perseuerantię patentibus signis.* Hæc ille. Quibus post lacrymas risum, & post pœnitentium labores vna cum vitæ tędio cordis lætitiam, ac perennem denique homini requiem suppetere constat.

Matt. cap. 5.

Io. Nyder. lib. 4. Formicar. c. 12. p. 324. Prouerb. 31. 25.

Facinorosus pœnitens ad mortem, vti ad nuptias properat.

Post acceptã culparum veniam, ne iterũ peccet vitam refugit.

13. Enim vero, vt narratis isthæc adijciamus, nil prorsus homini prodesse vitam euincitur, si bonorum operum, ac pœnitentiæ lucro destituitur. *Charitas enim, quæ* (vt Apostolus ait) *benigna, & patiens est, & omnia suffert,* pœnas item quarum hæc vita adeo prodiga est, ac redundans pœnitentiæ causa suscipiẽdas indicit, ferendaquè interim prompto, libentique cuncta isthæc animo, & nedum mortem, sed ipsam pro Deo, vitam ac proximorum salute salubri consilio reijciendam proponit, vt Raynerius Seraphici Capuccinorum Ordinis suo olim exemplo docuit, de quo isthæc in suis paginis Bouerius: *Cum Raynerius* (inquit) *Aesio ad Oppidum, quod vulgò Rocca Contrada nuncupatur, in Agro Piceno vetustissimum profectus esset, ibi Baldum quemdam mercatorem, virum cum primis ergà Capuccinos beneuolum, grauissima disentheria laborantem offendit, qui cum vita item desperata, ob id maximè conquereretur, quod imparatum, ac bonorum operum inopia laborantem importuna mors interciperet; Is vbi suauibus ęgrum verbis consolatus est, atque in diuina misericordia spem illius animum duxit, cum eum minùs ad extremum vitę occasum dispositum cerneret, vberiori charitate incensus, his illum verbis affatur: Balde, quandoquidem te inopinata mors terret, ampliorem què ad supremum illum diuini Iudicij diem bonorum cumulum tibi longiori vita comparandum optas; id ego, si tu ipse annueris, efficiam, vt precibus Deo oblatis necem, qua te hinc eripere parat, mihi ipsi ob tui in nostros beneuolentiam impetrem; Tu verò incolumis ad longiorem vitæ lineam serueris, quò cœlestes tibi opes vendicare valeas. Assensit vir vitæ, & incolumitatis cupidus. Raynerius verò Aesium reuersus, cum ardentius Dominum pro ægroti vita exorans, suam vltrò illi in sacrificium obtulisset: Baldus quidem breui ab ægritudine conualuit; is verò Baldi dysenteria hoc ipso tempore correptus, pro charitate paulò post animam fudit, suamquè vitam alterius bono postponens supremum illud in morte charitatis testimoniũ prodidit, quo maiùs nullum excogitari posse, Saluator in Euangelio his verbis testatus est: Maiorem hac dilectionem nemo habet, quàm vt animam suam ponat quis pro amicis suis.* Sic ob Dei, & proximi charitatem

Ad Corint. 1. c. 13.

Charitas ergà Deum, & ad se ipsum quæuis patiẽ rei ferenda suadet.

Fr. Zacch. Bouerius Anal. Capuc. an. 1581. n. 62.

Baldus mercator in Piceno grauiter ægrotans ad pœnitendũ à Capuccino adducitur.

Ipsum morte periculo vindicat, ac le ipsius vice moriturum affirmat.

Sic charitas de morte pœnitentia de peccatis triumphat.

Ioannis cap. 15.

tatem, & pro ipsius pœnitentiæ operibus contempta interdum vita valde homini ad meritorum cumulum, & magis quàm longior apud Deum vita proficit.

Apost. ad Philip. 1. c. 1.

13. Congruè autem huic Apostoli verbum quadrat: *Mihi viuere Christus est & mori lucrum*; Quippe qui charitate succensus mortem potiùs, quàm vitam Dei amore, & proximi lucrandi causa sibi amplectendam proponit ad quod Auctor imperfecti in Matthæum his palam verbis visus est allusisse: *Si ergò* (inquit) *post modicum morituri sumus nulla Dei causa proposita, quare non ante modicum in causa Dei cum gloria morimur; vt fiat voluntarium, quod futurum est necessarium, vtque offeramus Deo pro munere, quod reddetur, pro debito*. Digna itaque, & grata inprimis Deo oblatio, mors ipsa censenda, quæ vnicuique, iusta vti pœna decreta diuinitus, antiqui profectò debiti solutio est. Qui enim mori volunt, nè Deum, ac vitam perdant, *pœnam propaginis* (inquit Gregorius) *vertunt in instrumentum virtutis*; Adeoquè apte Fulgentius Gallam viduam. Simmachi Cons filiam salubri verborum magisterio quid vitæ munus, ac beneficium pariter sit, optimè instruens: *Sancta* (inquit) *scriptura nos docet, & in hoc sæculo Christianis fidelibus non vitam longam prodesse, sed bonam*. Væ igitur homini, qui momentaneæ interim mortis metu seruilè in morem frangitur, æternæ autem perditionis, ne minimum quidem iuxta Augustini dictum timore concutitur: *Timet* (inquit) *ad modicum mori, & non timet in æternum mori*.

Auctor, operis imperfecti in Matt. cap. 10.

Homo necessario post modicum moriturus, cur Dei gratia ante modicum libēs non moriatur.

Gregorius lib. 5. moral. c. 30.

Christianis in hoc sæculo non tam longa prodest vita quā bona ex Fulgentio.

Fulgentius Epist. ad Gallam.

Augustinus ser. 18. in verba Apost.

14. Homines igitur, qui cordati vtpote, ac sapientes, quæ Dei sunt, haud terrena sapiunt, & quibus tum sua, tum aliorum salus cordi est, certo iam probe experimento mortalis vitæ pericula edocti, vbi quis culparum se à Deo veniam consequutum sperat, haud vltrà moras in terris viuendo trahere sed quantocyus mori, corporisque absolui vinculis ardentissime optant illud serio Apostoli Petri vsurpantes verbum: *Vt peccatis mortui, iustitia viuamus*. Quod vt exemplis quoque in præsens comprobetur, quid olim vni inter S. Philippi alumnos præcipuo, qui pridem longioris vitæ desiderio tenebatur, contigerit, hic ex Beati viri gestis repetamus: *Gabriel Tana* (inquit) *Mutinensis iuuenis vita integerrimæ, quem à mundi illecebris iam pridem Philippus ad pietatis studia traduxerat, & inter præcipuos habebat alumnos, morbo correptus vltimam vitę horam valde formidans, ac viuere diutius cupiens, breui etiam conualescendi spem concepit inanem. Quas diaboli insidias præsentiens Philippus (vt qui de eius morte diuina reuelatione cognouerat) petit ab eo, vt quid quid suæ incolumitatis esset, id omne suo committeret arbitrio. Paruitque alacriter Tana. Tum Philippus astantibus orare iussis preces pro eo fundere aggressus est; eoque orante tantum mox illum præsentis vita odium cæpit, vt mutato protinus consilio diceret cum Apostolo: Cupio dissolui & esse cum Christo: palamque profiteretur nil iam se magis cupere, quam sui corporis dissolutionem; Vnde Philippum his verbis compellare cæpit: Ora pater, vt in Paradisum quantocyus ingredi merear: Vita odium cępi; vitaque mihi molesta valde est, ea causa, vt cum Deo sim. Astantesque subinde respicient in has sæpe prorumpebat voces: Vita præsens (credite) mihi fastidio est, mori vellem, vt Deum meum contemplari possim assidue: iterumque Philippum appellans: ad hanc diem rogaui te pater (dicebat) vt cum Deo ageres, vt saluti me restitueret, nunc rogo te, vt orationibus me tuis ex ergastulo corporis liberes, atque absoluas. Interea deficientibus in eo corporis viribus die sequenti (qui fuit eius vitæ postremus in id totus incubuit vt se ad piè, christianeque moriendum prepararet &c. Cum in vesperam inclinaret dies, quo tempore iterum dicere capit æger; In cœlum proficisci cupio Pater: hoc vnum ex omnibus mihi cordi est; Cui cum responderet Philippus: Si Deo placeret, vt præsentem morbum diutius sustineres, non ne voluntatem eius tuæ cupiditati præferres. Tū Gabriel: Et quid est hoc verbum. Iam dixi tibi sæpius ex corporis vinculis in cœlum emigrare ardenter cupio; adeo totus Dei videndi ardeo cupiditate, vt nulla res me grauius afficiat, quam hic manere diutius &c. Tum Philippus quod petisti consequeris; id tamen te monitum, velim, Demonem multas sibi paraturum insidias, varijsque tentationibus animi tui constantiam aggressurum, sed nulla in re, crede mihi, nocere tibi poterit, si memoria vel maxime retinebis te voluntatem tuam dedisse Deo: Caueas, ne*

Iusti mori cupiunt.

Petri secunda ad Philipp. cap. 2.

Petr. Iacobi Baccius in vit. S. Philippi lib. 1. c. 31.

S. Philippi alumnus qui vitæ desiderio tenebatur, iam vitæ deposita spe, mori cupit.

Quam intente vitę finē à Deo sibi expetat, ob vitæ tędium.

Vit Dei tentationes, quę ipsi à dęmone imminēt, prædicit.

quid-

quidquam formides; Christus in te vincet omnia. Hæc ibi. At acerbis subinde pulsatus tentationibus Beati Patris iuuatus precibus constans, & victor perstitit, & post acerbissimam luctam, Philippo adstante ingenti spiritus feruore, & mira in Deum spe roboratus momentaneę vitæ fallaciam contemnens placidissime spiritum Deo reddidit; illud suo cunctis exemplo inculcans, pœnitentibus post condonatas à Deo culpas nil optabilius morte, & gratum nil magis posse contingere, quam vita, ne Deum posthac quis viuendo offendat, summo ipsius beneficio, ac peccandi simul periculo absolui.

Feliciter in Domino obdormit.

15. Plerisque autem post acceptam à Deo peccatorum, ipsius Pœnitentiæ subsidio indulgentiam satius esse mori, quam diutius viuere & salubriter magis, ne quandoque inter luctandum in prælio deficiant, mortem, quam vitam expetendam factis Vir Dei suos haud semel docuit; *Mors quippe* (vt Tertullianus ait) *commune est Christianorum votum*. Sed mirum illud est, quod primariæ in Vrbe fœminæ olim, contigit, vt in S. Philippi gestis sic traditur. *Mulier primaria in Vrbe, ad vltimum summa vi morbi adducta venerat. Hanc Philippus visit, fusisq; pro illa precibus mox, vt alium ægrotum inuiseret, abijt: Inter eundum autem ità secum ipse eloqui cępit: Heù miseram illam? Heù miseram, quam indiget, auxilio! Inter hæc aliquantulum progressus: Atqui (inquit) illi omninò subueniendum est, ac ijs, qui secum aderant: Reuertamur (inquit) ad moribundam. Mirantibus illis, & de mutato consilio sciscitantibus: Ad eam (inquit) diuinitus euocari me sentio. Diutius si vixerit, cum graui periculo fiet. Demum reuersus, ac iterum cubiculum ingressus, eam egregie adhuc robustam, & ad alterum saltem diem spiritum omninò traducturam reperit, Astantibus nihilominus recedere iussis (præter suos, ac fęminas non nullas quæ rei exitum expectantes in proximum cubiculi angulum concesserant) ad ægram propius accedens in eius faciem semel atque iterum exsufflat; tum preces pro ea ad Deum fundens, ipsamque sermone de rebus diuinis perbreui confirmans, oculis in eam defixis, in hac tandem verba prorupit dicens: Iubeo te anima Dei nomine ex hoc corpore excedere, quibus dictis extemplo mulier (cunctis qui aderant stupentibus, factumque initio non credentibus) spiritum efflauit. Sic Beati viri imperio non minùs iussa abire, quam reuocatę ad corpus animæ parebant, & qui vitam oratione producere consueuerat, nouo commiserationis genere huic temporariam mortem accelerauit, ne incurreret ęternam*: Ità plane absolui vitæ tum vinculis, tum periculis optandum magis homini, quam mortalem in longum vitam protrahere. *Maxima etenim* (Hieronymo teste) *Insania est in breui vita, quę ad modicum tanquam vapor patet, nunquam finiendos comparare dolores, & æterna acquirere tormenta*.

Expedit interdum homini magis mori, quam diutius viuere.

Tertul. in apol.

In Severanus lib. mort. pretios. pag. 447.

Fœmina illustris in extremis laborans, ne cedat, à S. Philippo citò mori iubetur.

16. Cum tot igitur malorum incommodis, periculisque inconstans mortalis vita constet adeo vt *Mors* (Ambrosio teste) *remedium putetur esse, non pęna*. Quis non tam homini vitam, quam vitæ ipsius finem votis maxime expetendum, exoptandumque non videt. Quod sane olim Nicolaus Lilius Gallus, Congregationis Oratorij presbyter, & inter primos S. Philippi Nerij discipulos virtutibus apprimè excultus, probe recolens, dum lectulo graui oppressus, ex quo postea decessit, morbo decumberet, ac Beatus in Christo parens fatiscentem sæpius inuiseret; quippe qui vnice ipsum diligebat, illis ab eo aliquando interrogatus est verbis *Nicolae* (inquit) *vis conualescere*. Cui haud alijs ipse interroganti respondit, quam sic dicens: *Ad quid Pater? Ad quid?* Cunctis profectò, qui tunc adstabant, pro certo habentibus pristinam infirmo viri Dei precibus, si dictis annuisset sanitatem proculdubio restituendam. Decessit hic non nisi certa salutis spe, vt sanctus edixerat. Cui merito Antonius Gallonius Romanus, Congregationis sacerdos isthæc in Beati Philippi gestis pro elogio verba inscribit: *Fuit hic* (inquit) *præter cętera pietati ità addictus, vt vocatus à Deo nihil habuerit antiquius, quàm obliuisci populum suum, & domum patris sui. Propinquorum adeo oblitus erat, vt eorum literas è Gallia Romam allatas non modo non legeret, sed fasciculum etiam, vt erat ligatus, abijceret in ignem. Orationi deditus erat: Obedientiam ità amabat, vt nemo magis. Sui ipsius despicientia excellebat. &c. Diem obitus sui prius-*

Nicolaus Lilius S. Philippi discipulus, oblatum sibi vitæ beneficium recusat.

Moriens in Cœlum euolat, qui & mortem prędixit, ac præ dixit, & digna ipsius elogia.

quam

quā lectulo decūberet, prœuidit, prædixit. Morti proximus Sacramentis Ecclesię munitus supremū diem maxima cum significatione pietatis expleuit. An nonagesimo primo supra millesimum, quingentesimum, XVIII. Kal. Iulias. Sic plane momentaneam fastidiens vitam, vt perennem sibi conquireret, non tam libenter dimittendo reliquit, quàm vti manifestum naufragandi periculum, tardamque ad optatum salutis portum aspiranti remoram penitus odiendo contempsit. Pari quoque desiderio Ioannes Mathæus Ancina Fossanensis, nostræ Congregationis Sacerdos, ac dignus S. Philippi Discipulus miris excultus virtutibus, ac meritis apprime diues, dissolui pariter cupiens, & esse cum Christo mortem suspirans iugiter, dum supremo correptus morbo decumberet, ac nostros pro ipsius sanitate Deum instanter orantes cerneret, omninò vetuit, ipsismet S. Bernardi Claraualensis Abbatis vsus verbis: *Quid tenetis* (inquit) *miserum hominem? Fortiores estis & inualuistis precibus vestris apud Deum. Parcite quæso, parcite: sinite me abire*. Qui demum meritis, & signis quoque tum viuens, tum mortuus à Deo illustratus, Anno salutis 1638. plenus dierum, eximia apud omnes relicta virtutum fama, in Domino fęliciter obdormiuit, cuius memoria in benedictione est.

Ioannes Mathæus Ancina Cō greg. Orat' Sacerdos mori cupidissimus.

In gestis S. Bernardi. 16.

17. Demum, vt narrandi isthęc sit finis, nedum Pœnitentes, qui peccatis, dum viuerent, fuere aliquandò obnoxij, ne post acceptam à Deo veniam, peccandi posthac periculum incidant, de corpore mortis huius liberari cupientes, diutius in hoc sęculo viuere detrectant; sed & Viri item dignissimi, ac innocentis vitæ moribus pręcipui, vt se omni penitus peccandi metu liberos viderent, maximi instar beneficij mortem à Deo postulantes aliquando examblunt. Quam obrem Fr. Nicolaus Riccardus Ianuensis, Ordinis Prædicat. & Sacri Apost. Palatij Mag. eximius diuini ad Sacr. Cardd. Collegium verbi præco, scientiarum fere omnium, & sacrarū literarum, ac Theologiæ in primis doctrina prę cunctis sua ætate summæ apud omnes famæ, qui ob ingenij acumen, memoriæ profunditatem, docendi in scholasticis rebus subtilitatē plane mirabilis Monstri vulgo sibi apud Hispanos Regis ab ore cognomentū promeruit, cū iā non multis ab hinc annis supremo correptus morbo, & desperata iā à Medicis salute decumberet, audito à religioso Viro eiusdem Ordinis, sibique amicissimo mortis, quæ iam sibi è proximo instabat, nuncio; nil territus, nil vultu immutatus, oculos in Cœlum attollens, in hæc plane verba annuncianti respondit: *Gratias* (inquit) *Deo; & si enim Mors mihi amplius merendi omnem apud Deum facultatem adimit, certe tamen peccandi, & Deum ipsum, cui tantum debeo, vel leuiter posthac offendendi facultas proculdubio amplius non suppetet; ob quod vnum mihi in præsens maxime lætandum, gaudendum est*. Qui & feliciter postmodum diem clausit. Ingens namque purgatis mentibus mortali vita absolui, nec tam diutius viuere, quàm citò *Mori* (vt Apostolus docet) *lucrum est*.

Frater Nicolaus Riccardus Sacri Apostolici Palatij Magister Ordinis Prędicatorum Theologorū præstantissimus.

Accepto mortis nuncio lætatur, quia posthac non possit Deum suum peccando offendere.

18. Nec minori autem id ipsum pietate, ac spiritus feruore nostra itē ætate religiosus Vir, doctus æque, ac sapientissimus, de Sanctorum historijs, & tota simul Dei Ecclesia laboribus suis optime meritus, Ioannes Bolandus è Societate Iesu, Ex Iulij Montis Oppido apud Limburgensem Ducatum ortus, laudabiliter præ cunctis præstitit; qui pie, ac generose, se ipso, ac vita superior, morti occurrens, cum semper in terris, ac si quotidie moriturus inter mortales vixisset, pręter communem tamen mortalium morē, haud aliter, quam semper Cœlo victurus mori debuit. Cum igitur pijs perfunctus laboribus, ac meritis diues, attrita iam studijs morbisq; ætate, excruciādo insuper quibusuis modis corpori, patiendi desiderio adductus non pepercit, de quo isthęc à Godefrido Henschenio Societatis Sacerdote, nobisque, ac nostrorum singulis amicissimo in ipsius gestis, narrantur: *Is pie* (inquit) *crudelis in suum corpus licet bemia, calculo, alysque doloribus vexatum satis, vtebatur oblongo ex horridis pilis cilicio, per modum tunicę brachijs trunca defluente ad genua, item contexto æneis filamentis flagello, funiculisque nodosis, atque inserto ferreo aculeo asperis, nec non acutissimis armillis: Quæ omnia crebro attrita vsu, & elicito rubentia sanguine circa lectum eius reperta sunt*. Hæc præferuide Viro ad immortalitatem festi-

Godefridus Henschenius in actis tom. 2. mensis Septembris.

Io: Bolandus è Societate Iesu vir doctissimus Lęto animo morti occurrit, pœnitentiæ summoperè addictus,

Corpus morbis, ac studijs attritum, varijs modis pœnitentiæ causa affligēdo excruciat.

O

festino gradu curren ti, non secus ac in Pœnitentium militum castris tum arma, tum calcaria fuere.

19. Quàm constans verò inter ipsas mortis angustias hic vnus extiterit, dum ad ipsius aspectum non expalluit, quinimmò gestijt, propinquo sibi denunciato interitu satis, superque ostendit, vt scriptor sic tradit: *Superiori*(inquit)*indicanti sub initium morbi, periculosum eum videri, è quo fortasse non resurgeret, respondit: se sane nunc libentissimè mori: petijsse aliquando dum anno M. DC. LXI. aliquo in discrimine vita iaceret, vt sibi vita protraheretur tantisper, dum reduces ex Italia socios videret.* Erant hi religiosissimi Patres Godfridus Henschenius, & Daniel Papebrochius, qui ad perscrutanda, exquirendaque SS. acta, diuersas Orbis lustrātes regiones, Romæ diu cōsistentes Vallicellanā quoq; nostram Bibliothecam sępe ac sæpius inuisere, quinimmo potius sui vt ita dixerim, Congregationis vnà cum Bibliotheca domum præsentia illustrarunt, vt abunde, & perhonorificè ipsimet in humanissima inscripta Operi, & directa ad nos præfatione, quæ secundo mensis Martij tomo præponitur testantur. *Eo inquam* (aiebat ipse) *se voto, potitum nil habere amplius, per quod diutius optaret viuere: gratias agere Deo, cuius beneficio in Societate Iesu vixerit, ac moreretur, cętera prudentissima eius dispositioni relinquere. Idque sic fecit, vt totis illis quatuordecim diebus nullam de studijs suis, nullam de allectis literis, nullam de negotijs illis admiserit, feceritue mentionem. Et reuera ex illo tempore quo socij Antuerpiam sunt reuersi, tam frequens ei de morte breui obeunda sermo fuit & cogitatio, vt istud Simeonis Iusti haud dubie cognosceretur, animo identidem suo versari: Nunc dimittis seruum tuum Domine.* Cœlo quippe Vir Dei iugiter contemplando, ac diuinis Sanctorum exquirendis, perscrutandisque totus rebus intentus non nisi cœlestem sub vitæ finem maxime patriam cogitabat.

Mortis nun cium imperterritus audit; & quid annuncianti responderit.

Quā à terrenis cunctis alienus, vt Deo ac sibi vacet.

20. Porrò vt mira inuicti animi ipsius cunctis palam fieret virtus, & sibi bene semper vel in aduersis constans probaretur fortitudo hi, qui languentem tunc sollicite inuisebant, audiebantque de diuinis loquentem testes sunt nobis, vti scriptor sic tradit: *Ad vltimam* (inquit) *vsque mortem, quæ fuit inter sextam feriam, & Sabbatum media omnes ad se venientes cognoscebat Bolandus & ad cunctorum respondebat interrogata, quamuis impedita multum voce, & difficulter intelligibili. Annuebat iaculatorijs precibus pie sibi suggestis, & interdum nil repetebat. Crucifixo auide figebat oscula, & ad Cælum pie suspirabat, donec VIII. die Septembris absumptus est.* Sic plane mortalis homo, ipsaque imperterritus morte ad immortalitatem festinans, lætusque ac si ad nuptialem thalamum, non ad sepulchrum properabat. Quibus prò digno tanti viri, ac meritorum ipsius elogio Petri Possini doctissimi Societatis item Iesu sacerdotis apte verba subtexenda hic sunt; Ipse enim hæc ad Religiosos Societatis rescribens: *Cælum*(inquit) *hunc viuum inuidit terris, aut potius sui ad se traxere Sancti, repræsentaturi mercedem vigiliarum, & exantlatorum ingentium laborum in eorum, & Dei prouehenda gloria.* Quibus tanto Viro hic vel obiter narratis patentasse, voluimus: sed ne Lectori tædiū afferamus Augustini apte de vitæ huius tempore loquentis hic sub finem verba subteximus. *Quod tibi*(inquit)*videtur longum, breue est; omnia cito transeunt. Quid est longa vita hominis ad æternitatem Dei?* Sed de his hactenus.

Pia Bolandi inter suprema vitæ horas virtutum acta.

Elogium ip si à Petro Possinio post mortē meritò decantatum.

August. tom. ser. in psl. 9.

CAPVT XII.

Pœnitentes seuere pro leuioribus culpis plectuntur.

1. Christus omnimodam suis, exactamquè diuinorum in Euangelio mandatorum obseruantiam iniungēs, ac vel de minimis quibusquè haud exiguam, minimamquè ab eis curam, & sollicitudinem poscendo requirens: *Iota vnum* (inquit) *aut vnus apex non præteribit à lege, donec omnia fiant.* Quanti verò apud Altissimum momenti leuissima quæuis subinde præcepti violatio sit, suo quasi digito demonstrans: *Qui soluerit* (inquit) *vnum de mandatis istis minimis, minimus vocabitur in Regno Cælorū.* Deus quippe immortalis haud parum ab hominibus proculdubio contemnitur, si suprema ipsius maiestas, vel dum quid paruum

Mandatorū Dei vel in minimis preuaricatio minimi haud momēti.

Matthei c. 5.

Matt. c. 5.

parui, & quæ leuioris momēti sunt, præcipit, contēnatur; Quod meritò Hieronymus aliquandò inculcans: *Non leue est* (inquit) *Deum in exiguo contēnere, qui non tantum ad qualitatem peccati respicit, quantum ad ipsum contemptum. Propter quod non solùm homini attendendum est, quale sit, quod iubetur, sed etiam quantus sit ille, qui iubet.* Inde fit, vt vel minimæ contemptu rei, reatus immanè augeatur, dum iubentis Dei auctoritas, ipsiusque vel in magnis, vel in minimis quibusque magnitudo attenditur. Quod quidem aptè, eleganterquè idem, suoque ex more Hieronymus expendens sic rem prosequitur: *Nescio* (inquit) *an possimus leue aliquod peccatum dicere, quod in Dei contemptum admittitur; estque ille prudentissimus, qui non tam considerat, quod iussum sit, quàm illum, qui iusserit, nec quantitatem imperij, sed imperantis cogitat qualitatem.* Hæc in rem nostram Hieronymus.

Non leue Deum in leuioribus itē rebus contēnere ex Hieronymo.

Hieronymus in Regul. Monach. de Obedientia.

Hieronymus epist. 46. ad Celantiam.

In mandatis Dei non tam quod iubetur, quam ipse, qui iubet, attendendus.

2. Congruè igitur, vel vnum temere supremæ bonitatis præceptum violasse, adeò grauis apud Deum Iudicem piaculi res est, vt præuaricator, non secus ac mandatorum omnium, ac totius insuper Decalogi reus iuxtà diuinum Iacobi Apostoli præscriptum pronunciandus, eius proculdubio indignationem incurrat: *Qui offendit in vno* (inquit) *factus est omnium reus.* Quod sane ità mortaliū auribus insonat, vt non minus ab vno parui momenti violando Dei præcepto, quàm à cunctorum grandium capitali reatu cauendum homini maximè sit, ac formidandum, adeoquè quis interdum ob leuioris culpæ noxam in sacrarum literarum monumentis mulctatus morte legitur; Quemadmodum exemplis inde petitis lectori compertum satis redditur.

Mandatorū Dei ea est grauitas, vt qui offendit in vno, fiat omnium reus.

Iacobi epist. cap. 2. v. 10.

3. Enimuerò haud numero pauci, vt Dei ipsius testimonio comprobatur, ob veniales, quas vulgo dicimus, ac nullius fere iuxta communem hominum existimationem momenti culpas, morte diuinitus mulctati sunt, vt ex infra recensendis luce clarius patet. Hinc ille quondam Prophetarum à Deo in Bethel ad minas Ieroboramo Regi intentandas, qui prophano Idolorum abductus cultu grauissimè peccabat, directus, cum manifestis iniunctam sibi è cœlo prouinciā signorum portentis confirmasset, & ab alio item, qui se Prophetam pariter iactabat, ad comedendum vnà cum ipso præter Dei præscriptum inuitatus, deceptusquè, hæc demum inter edendum sibi à Deo, Prophetæ ipsius ore auribus satis tristia, & mortis nuncium pro responso accepit: *Hæc dicit Dominus: quia non obediens fuisti ori Domini, & non custodisti mandatum, quod præcepit tibi Dominus Deus tuus; & reuersus es, & comedisti panem, & bibisti aquam in loco, in quo præcepit tibi, ne comederes panem, neque biberes aquam, non inferetur cadauer tuum in sepulchrum patrum tuorum. Cumquè comedisset, et bibisset, strauit asinum propheta, quem reduxerat. Qui cum abysset, inuēnit eum Leo in via, et occidit, et cadauer eius proiectum in itinere; Asinus autem stabat iuxtà illum, et Leo stabat iuxta cadauer.* Hæc quidem in sacris historiarum paginis. Quibus hominem vel grauiter in Deum peccasse, qui tam grauiter punitus est, sed lugubri, ac funesto momentaneæ mortis exitu admissum culpæ reatum expiasse, vel certè si venialiter tantum deliquit, morte quoque ob minimas quandoque culpas hic homines in sæculo iustissimè Dei calculo plecti euincitur, vt rem disertè modernus sacros inter scriptores disertissime, ac his planè verbis prosequitur: *Multa* (inquit) *peccata, quæ venialem gradum non excedunt, corporali morte fuisse punita, non solùm humana historia, sed etiam canonica docemur. Peccauit quidem Moyses ad aquam contradictionis, vt est communis Sanctorum opinio, venialiter; ità Abulensis in cap. 20. numeri quæst. 14. Ibidem Cornelius; & tamen ob eam culpam è conspectu terræ promissionis, ad quam multis antè annis cum incredibili labore contenderat, quam salutare potiùs, quàm adire potuit, iubente Domino mortuus est. Venialiter quoq. peccasse existimatur vxor Loth; & tamen in statuam salis conuersa est. Nec ille grauiùs videtur peccasse, qui percutere Prophetam noluit infrà cap. 20. & 36. & tamen à leone occisus esse dicitur. Si ergò hic Propheta venialem videtur admisisse culpam, cum à grauiore illum multi liberent, quia deceptus ab eo, quem Prophetam putabat, & à Deo habuisse mandatum, vt ipsum*

Nonnulli ob veniales culpas morte mulctati.

Regum lib. 3. 3. ver. 28.

Gaspar Sanctius in locum citat.

Propheta qui Dei mādato non paruit ab alio deceptus, & à Leone occisus dat pœnas.

Regum lib. 3. cap. 13.

Veniales quoque, ac leuis momēti culpæ morte interdum expiantur.

Gaspar Sanctius in c. 13. lib. 3. Regum n. 17.

Abulensis & Cornelius à Lapide.

Plures in sacris scripturis ob id morte mulctati.

ſum ad ſumendum cibum è via reduceret, quia ſciebat, Deum aliquandò mutare, aut moderari, quod priùs præcepiſſet, pro rerum opportunitate, quia non ſpontè videtur profectus, ſed quaſi vi adductus, cum priùs quoque, quod potuit, recuſarit, obtendens, quod aliter eſſet imperatum à Deo. Ità ſanè putat Caſſianus, & Abulenſis indicat quæſt. 19. vbi paruum dixit exiſtimari peccatum, & cum quæſt. 15. oſtenditur multis peccaſſe Prophetam, qui cum oppoſitum haberet in mandatis à Deo; debuit diligentiùs examinare ſenis illius verba, in quibus aliquid fraudis latere poterat, & Deum ipſum orando, aut alia ratione conſulendo, ſciſcitari, quid factum eſſe vellet; In quæſtione tamen 16. culpam illius multùm extenuat. Idem ex veniali culpa tenet Cornelius à Lapide in cap. 19. Gen. vbi tam vxoris Loth, quàm huius Prophetæ venialem fuiſſe dicit inobedientiam. Dionyſius autem lethale peccatum fuiſſe dicit, aut veniale craſſum. Hoc certè dixit Caſſianus non obſcure collat. 7. nam cum cap. 25. docuiſſet viros ſanctos corporaliter traditos eſſe Sathanę, & grauia paſſos in corpore propter peccata leniora, ſtatim cap. 27. exempla produxit optima aliquorum, qui propter peccata vſque adeò leuia, vt vix in illis maculam venialem agnoſcens, grauibus tamen tam à Dæmone, quàm à dolorum acerbitate, ac fœditate morborum affecti ſunt incommodis, quibus occiſi à Leone Prophetæ exemplum annumeratur. Lege vtrumque caput, & diſces, quàm non ſint contemnenda illa, quæ homines leuia eſſe putant venialia, quãdo Deus illa, cum tamen id agat miſericorditer, tanta ſeueritate caſtiget. Hæc aptè, appoſiteq; prælaudatus in rem præſentem ſcriptor.

Iuxta Caſſiani, & Abulenſis ſententiam quid dicendum.

Abulenſ. q. 19. in lib. Regum.

Cornelius à lapid. in c. 19. bereſ.

Caſſianus collat. 7.

Propter peccata item leuia, nonnulli traditi Satanæ puniendi ex Caſſiano.

Peccata, quæ homines leuia putant, haud contemnenda.

4. Peccatum igitur, ob quod Propheta è viuis ſubita morte ſublatus eſt, aut leue dicendum proculdubio eſt, aut certè ſi graue, vbi is à Propheta ſeniore admonitus mortem ſibi impendere ob Dei violatum imperium intellexit, tunc pœnitens intimum corde dolorem concipiens, omnem pœnitus dolendo labem abſtulit, aboleuitque; adeo vt culpa liber, expiatuſque è vita deceſſerit. Sic enim Gregorius præ cœteris vltrò, conſtanterque aſſerit: *Vir Dei* (inquit) *contra Samariam miſſus, qui per inobedientiam in itinere comedit, hunc Leo eodem in itinere occidit. Sed ſtatim illic ſcriptum eſt, quod ſtetit Leo iuxtà Aſinum, & non comedit Leo de cadauere. Ex qua re oſtenditur, quod peccatum inobedientiæ in ipſa fuit morte laxatum; quia idem Leo, quem viuentem præſumpſit occidere, contingere non præſumpſit occiſum. Qui enim occidendi auſum habuit, de occiſi cadauere comedendi licentiam non accepit, quia is, qui culpabilis in vita fuerat, punita inobedientia iam iuſtus ex morte fuit. Leo ergo, qui priùs peccatoris vitam necauerat, cuſtodiuit poſtmodum cadauer occiſi.* Hæc ille; quibus profectò cunctis palam fit, vel ſub vitæ finem dolendo grauioris Prophetam culpę reatum diluiſſe, aut certe non niſi leuiorem ipſius culpam iuſte tamen diuinitus morte punitam.

Gregorius lib. 4. Dialogorum c. 24

Cur propheta à Leone occiſus, ab eo intactus relictus?

5. Verùm enimuerò, ſi curioſus quiſpiam anteacta in hiſtoriarum paginis ſæcula, attenta percurrens mente non obſcura antiquæ memoriæ pœnitentium geſta recolat, haud ſemel leuioris culpæ reos, ob debitum quandoque Dei præceptis, vel certè Sanctorum reliquijs cultum, haud ex contemptu, ſed ob incuriam quandoque poſthabitum, vita haud ſemel rigidè animaduerſionis exẽplo mulctatos diuinitus comperiet; ac ſi talis, ac tantus Deo, ac Sanctis cum ipſo regnantibus, eorumdemquè ſacris honor exuuijs debeatur, vt qui iſthæc non quo par eſt, deuotionis obſequio attingere aliquandò, ſed vel ſaltem perfunctoriè ſacrorum pignorum theſauros perſcrutari auſus eſt, acerbas continuò in hoc itẽ ſæculo leuiſſimi, ſi qui adfuit, reatus pœnas exoluat, ac viuendi finem faciens ſubita, quod leuiter peccatum eſt, irreparabiliter morte compenſet. Ad quod ſanè comprobandum, Gregorius Papa prolatis in medium exemplis teſtatiſſimus teſtis accedit. Enimuero cum nonnulli ad Corpus Beati Petri Apoſtolorum Principis, & ad ipſius coapoſtoli Pauli tumulum quædam olim pio licet obſequio innouanda haud impunè tentauit, quorum alter metu edoctus ab incœpto abſtinuit, alter vero ſubita morte deceſsit. Sed ipſius Gregorij ad Conſtantiam Auguſtam, quæ ſacrum Beatiſſimi Apoſtoli Pauli caput præcipuo erga ipſum deuotionis affectu permota expetebat, verba hic repetamus:

Baronius an. 594. num. 21.

Ob leuis interdum momenti noxas non nulli ſeuere mulctati in Sanctorum geſtis.

Ad Beati Apoſtoli Pauli tumulum quidam dum exornare contendit ſubita morte corripitur ex Gregorio.

S. Gregorius epiſt. ad Conſtantiam Auguſtam.

Sere-

Serenitas (inquit) *vestræ pietatis religionis studio, & sanctitatis amore conspicua propter eam, quæ in honorem S.Pauli Apostoli in Palatio ædificatur Ecclesiam, caput eiusdem S.Pauli, aut aliud quid de corpore ipsius suis ad se missionibus ad me præcepit debere transmitti. Et dum illa mihi desiderarem imperari, de quibus facillimam obedientiam exhibens, vestram ergà me amplius potuissem gratiam prouocare: maior me mæstitia tenuit, quod illa præcipitis, quæ facere non possum, nec audeo. Nam corpora SS.Petri, & Pauli Apostolorum tantis in Ecclesijs fuit coruscant miraculis, atque terroribus, vt neque ad orandum sine magno illuc timore possit accedi. Denique cum beatæ recordationis decessor meus: quia argentum, quod suprà sacratissimum B.Petri Apostoli erat, longè tamen ab eodem corpore ferè quindecim pedum spatio mutare voluit: Signum ei non parui terroris apparuit. Sed & ego quid simile ad sacratissimum corpus S.Pauli Apostoli meliorare volui, & quia necesse erat, vt iuxtà sepulchrum huiusmodi effodi altiùs debuisset: Præpositus loci ipsius, ossa aliqua non quidem eidem sepulchro coniuncta reperit, quæ quoniam leuare præsumpsit, atque in alium locum transponere, apparentibus quibusdã tristibus signis, subita morte defunctus est.* Et suo quidem hic exemplo haud impunè aliquando Sanctorum Reliquijs manus admoueri promeritumque, vel leuiter præteriti cultum honoris edidicit, subitò nec secus, ac grauioris culpæ reus è vita Deo vlciscente præreptus.

Baronius vbi supra.

Ad Apostolorum corpora non absque magno timore accedendum.

Quid Pontifici ad Apostolorum Principis sepulchrũ contigit.

6. Idem ferè monachis, ac mansionarijs eodem Gregorio narrante funeste cõtigit; Qui enim,dũ B.Laurentij Martyris corpus,vel casu inter perscrutandum apparuit, interfuere; singuli è vita successiuo sublati ordine seueram Dei leuiora quæque vlciscentis manum experti sunt, vt Gregorius his verbis tradit: *Post hæc* (inquit) *sa: me: decessor meus itidem ad corpus S.Laurentij Martyris quædam meliorare desiderans, dum nescitur, vbi venerabile corpus ipsius esset collocatum, & effoditur exquirendo, subitò sepulchrum ipsius ignoranter apertum est, & ijs, qui præsentes erant, atque laborabant monachi, & mansionarij, quia corpus eiusdem martyris viderunt; quod quidem minimè tangere præsumpserunt, omnes intrà decem dies defuncti sunt, ità vt nullus vitæ superesse potuisset, qui sanctum iusti corpus illius viderat.* Hæc ille.

Baronius vbi supra n. 22.

S. Gregorius epist. supra cit.

Qui casu Beati Laurentij martyris corpus viderunt, intra decem dies moriuntur.

7. Leuioribus itaque, & iustè mortalium culpis sic Deus aliquando irascitur, vt mortem hominibus ad iracundiã vltrò concitatus intentet. Quod sanè, vt alijs item exemplis constet, monialibus olim in Canonicis horis Deo persoluendis per segnitiem, ac oscitantiam se habẽtibus,peste correptis,ac morti addictis, ipso Cantipratano teste, contigit; hæc enim ille: *Lutgardis* (inquit) *virgo sanctissima sæpe reprehẽderat moniales in valetudinario manenses, quod parum attentè persoluerent preces canonicas diuinitus institutas. Cum autem dimidio ante obitum suum anno non videret diuinæ maiestate, & reuerentia dignam in sororibus emendationem, ait: Scio equidem, quod post decessum meum culpam hãc manus Domini in sororibus vindicabit: & tunc memores verborum meorum castigatæ cum multa humilitate se corrigent, & Dominus mox retrahet manum suam, quam iam extenderat ad vltionem. Quàm autem veraci spiritu hæc illa prædixerit, res ipsa neminem sinit ambigere. Nam vbi illa excessit è vita, confestim dira pestis inuasit in illud monasterium, & breuissimo temporis interuallo quatuordecim probatissimæ sorores extinctæ sunt. Ego verò eodem tempore illuc veni, & duas carne, ac spiritu sorores vno, eodemquè momento animam reddentes, oblato pro eis sacrificio, in vno tumulo sepeliui. Cum se autem infirmæ sorores in valetudinario in dicendis Canonicis precibus correxissent, Domino manum suam retrahente, pestis illa protinus sopita est.* Ità planè minimas quasq; Deus erga res diuinas in seruis suis culpas plectendo vindicat, adeoquè ob id vnum interdum irascitur, vt ipsis mortem iustissime animaduertendo inferat.

Thomas Cantipratanus in vit. S. Lutgardis apud Surium lib. 2. c.10 Iunij 6.

Moniales parum attentè horas Canonicas recitantes grauiter puniuntur.

Lue post mortem ingruente quatuordecim ex ijs absumuntur.

Cum reliquæ se correxissent, à puniendo Deus continuit.

8. Tanti etenim Deus,qui diues alioqui in remunerãdo est, cęlestis regni gloriã, & Sanctorũ felicitatẽ computat, vt haud gratis hanc aliquãdo largiatur, sed vel ob minutiores animi labeculas ab æternis gaudijs interdum possidendis homines, vtì indignos ad tempus retardet. Quod sanè vir pius, ac religiosus ob modicę,ac pręter religiosi Ordinis leges vsurpatum rei vsum, Cæsario his verbis

Cæsarius lib. 11. de mirac. c.35.

Ob leuioris rei violatū promissum, à Sāctorum felicitate quispiam reijcitur.

verbis narrante, expertus est: *Conuersus quidam* (inquit) *de Cynna, quæ domus est Ordinis nostri, cum die quadam missus ab Abbate suo, nauigio transiret per flumen Albim, qui fluit per Saxoniam, nauta ab eo naulum requisiuit, qui cum diceret, nihil se habere ad manum de pecunia; Respondit ille: Date mihi pro pignore cingulum, vel cultellum vestrum: Non possum (inquit) carere his, & adiecit: Ego promitto vobis cum Ordine meo, quod dimidium denarium vobis remittam, & dimisit eum nauta. Recedens ab eo Conuersus eo, quod res modica videretur, promissum paruipendit, nihil remittens: Non multò post infirmatus cum omnibus, qui aderant, mortuus videretur, anima egressa cum ad requiem ascendere vellet, prædictum dimidium denarium, cuius in confessione non meminit, antè oculos habebat, qui adeò creuit, vt mundo maior videretur: cumquè sursum nitenti semper obsisteret, neque aliud esset, quod impediret, ad Angelorum petitionem permissa est redire ad corpus. Mirantibus cunctis visionem retulit, & missus est ab Abbate nauta integer denarius sub omni celeritate, quem vt ille recepit, eadem hora secundùm considerationem Conuersus expirauit. Hæc mihi narrauit Abbas Liuoniæ, asserens sibi recitata à prædicto Abbate. Vnde Religiosi, quãtò sæcularibus maius premium sperant, tantò esse debent solliciti, ne morientes aliquid pulueris secum trahant.* Sic planè pro re modica, & parui momenti labecula iste adeò grauiter monachus, cæteris exemplo futurus, ad Dei tribunal pœnis est expetitus. Sed hęc satis.

Ad corpus rediens, vbi impleuit, quod promiserat, mox cœlo admissus.

CAPVT XIII.

Qui pœnitentiæ, aliaque pietatis opera negligenter obeunt, acerbas postmodum pœnas exoluunt.

1. Congruè Apostolus mortalium cunctos, ac diuino præsertim dicatos obsequio, at per socordiam subinde, ac mentis torporem bonis perfunctoriè operibus vacantes, salubri ad cœteros in officio continendos metu percellens: *Horrendum est* (inquit) *incidere in manus Dei viuentis*. Contempta quippè immensa Dei Bonitas suorū haud obscure iudiciorum ipsis mortalibus magnitudinem prodit, vt vel iusta pœnarum compensatione, seuera in altero sæculo punientis censura nō lateat. Indè enim iustus magis, magisquè rigor iudicantis augetur, quò maior Dei miserantis benignitas hominibus interim è cœlo affulsit. Exacta itaquè acceptorum vnumquemque bonorum ratio, & ad Dei tribunal post magna indulta gratiarum munera, non nisi rigida sub vitæ finem iudicandos expetit animaduersio: *Oportet* (inquit Apostolus) *nos præsentari ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque, quod gessit siuè bonum, siue malum*. Supremus itaque Iudex, iustus pariter censor, ac operum item nostrorum futurus aliquando vindex, exactam inquirendo à singulis rationem exiget, qui scilicet modo, sua elargiendo mortalibus dona, liberalis adeo noscitur extitisse: *Quidquid enim* (vt Gregorius ait) *nobis cum mansuetudine precepit, cum districtione exiget*. Congruè autem idem homini decretus est Iudex tandem, ac testis, remunerator, & vindex, iustus pariter, & misericors. *Qui enim*, (vt Emissenus ait) *tantū contulit, scit, quantum reposcat*. Quò graui subinde iudicio cuncta repetit, & sua appendit exleges in trutina debitores. Eius namque tremendo conspectui mortaliū quisque ad reddendi acceptorum rationē oblatus, & cōfusione proculdubio respersus obmutescet: *Vnde* (inquit) *misericordiam petiturus est, primùm de misericordiæ contemptu iudicandus?* Adeoque iniustus quisque se inter iustitiam, ac misericordiā tunc periclitantē videbit, quãdo ipsa tum iudicantis Maiestas, tum iudicij ab ipso exercendi rigor, ac semel prolata haud vnquam retractanda sententia, iudicandorum exaggerãdo infelicitatem ostendet: *Ego* (inquit) *iustitias iudicabo*. In primis etenim Iustitiæ opera à Deo iudice seuera Iudicij trutina pensanda sunt, & quæ item sanctiora habentur, rigidiore ipsius calculo discutiēda. Quò nimirum illa Bernardi verba altiùs mortalium auribus insonent: *Quid in Babylone* (inquit) *tutum, si in Hierusalem manet scrutinium?* Cuncta igitur, quæ hominum oculis laude digna plerumque sunt,

Apostolus epist. ad Hebręos c. 10.

Contempta Dei bonitas, ac miseliias, seuerā contemptoribus censuram infert.

Apost. epist. ad heb. cap. 10.

Deus cum mansuetudine præcipit, & cum seueritate exigit.

Gregorius hom. 29. in euang.

Euseb. Emissenus hom. de symbolo.

Eusebius Emissenus vbi supra.

Psal. 74. v. 2.

Deus iustitias iudicat, quia rigide, quæ præcepit, in trutina expendit.

Bernardus ser. in Cant.

funt, ac pietatem se ipsis redolent Dei oblata conspectui, non nisi acerbis erunt tandem pœnis à Deo Iudice mulctanda.

2. Iusto itaque, ac seuero in primis ad Dei Tribunal scrutinio expetūtur, qui salutis animarum, & suæ præsertim negocium per socordiam, manifestamque Dei iniuriam contemptui habētes, ipsum salubriter aut monentem, aut vocantem negligunt: *Seruus quippe sciens voluntatem Domini sui, & non fecit, vapulabit multis*. Purgatorij namque igne his vel ferò pœna exoluenda remanet, nec aliter, quàm per ignem ad Cœlum contendentibus in refrigerium denique aditus patet, adeoque his proximè diuinum Apostoli Oraculum occinit; *Sic saluus erit, sed quasi per ignem*. Leuiorum autem culparum maculas ignibus expiandas, si quis pertingere cupit ad Regnum, Apostolus palam cunctis, disertèque inculcans: *Si quis autem* (inquit) *superædificat super fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fœnum, stipulam, vniuscuiusque opus manifestum erit. Dies enim Domini declarabit, quia in igne reuelabitur, & vniuscuiusque opus quale sit, ignis probabit*. Quod conceptis, appositisquè subinde verbis Christiani doctor Orbis edisserens, hæc addit: *Si cuius opus manserit, quod superædificauit, mercedem accipiet; si cuius opus arserit, detrimentum patietur; ipse autem saluus erit, sic tamen, quasi per ignem*. Qui igitur iusta fidei opera, idest argentum, & aurum superædificat, virtutes nempe iustam, dignamque proculdubio mercedē accipiet: *Aurū quippe, vt Thomas* (Doctor inquit Angelicus) *est Charitas, argentum Sapientia, & Contemplatio, lapides pretiosi sunt virtutes aliæ*. Vbi econtrà lignum, fœnum, ac stipulæ sunt peccata, non gratuia tamen, & mortalia (vt Chrysostomus docet). Ignis verò iste, cuius hic homines abstertēdi gratia Paulus meminit, purgatorius profectò iuxta Concilij Florentini calculum subintelligēdus est, quo vniuscuiusq; opera diligenter probanda, ac expianda ad supremum tādem Dei Tribunal remanent.

Lucæ cap. 12. 47.

In purgatorio igne leuiores culpæ exoluendæ iuxta Apostolum.

Apostolus 1. ad Chorint. cap. 3. ver. 12.

Multiplex culparum & pœnarum genus.

Ad Chorint. vbi supra v. 13. 14. 15.

S. Thomas 3. part. q. 100. art. 7.

Congruæ culpis pœnę respondent.

Chrysost. in epist. Pauli vbi suprà.

Cornelius à Lapide in locum, vbi supra.

3. Purgatorium itaque ignem, qui nonnisi abolendis leuioribus culpis, expiandisquè seruatur, extimescendum disertè Augustinus aliquando inculcans: *Quia dicitur* (inquit) *saluus erit, hinc ignis ille contemnitur; sed grauior erit, quàm quidquid homo pati potest in hac vita*. Cui & D. Thomas adstipulādo: *Pœna* (inquit) *Purgatorij est grauior, quàm pœna qualibet huius Mundi*. Quamplurium etenim calculo idem Purgatorij ignis est cum ipso Inferni igne. Quapropter iustum cunctis Bernardus metum incutiens: *Quod hic* (inquit) *neglexinus, illic centuplum reddemus*. Huic item Anselmus, paribusquè verbis consonat: *Si propter tormenta* (inquit) *vitanda hîc Regi paremus pareamus volūtati Dei, vt ignem istum acerbiorē omnibus tormentis euadamus*. Quē sanè piacularis censuræ ignem, ne vti iustus Dei vindex nos tandem exurat nonnisi pœnitentię hîc interim restinguendū operibus opportunè Chrysostomus admonet: *Pœnitentię* (inquit) *tempus nūc est, præoccupet pœnitentia pœnā; preoccupemus faciem eius in confessione, rogum peccatorum extinguimus nō tam aquis multis, sed paucis lacrymis*: Satius quippe est fonte, quàm igne purgari, potiusquè in pœnitentię interim purgatorio, vel totius vitæ curriculo salubriter versari, quā in ipsius ignis purgatorij, vel vnius dumtaxat breuis horæ spatio excruciari. Sed nō tam verbis, quàm exemplis, lydio veluti lapide interim comprobanda res est.

Purgatorij ignis maximè cunctis extimescendus.

Conc. Florentinum.

Augustinus in ps. 37.

Theodoretus S. Thomas.

Bernardus de obitu Hūberti.

Anselmus vbi supra.

Chrysostom. hom. 5. de pœna.

Satius lacrymarum fonte, quam purgatorij igne purgari

4. Iusta siquidem tardigrados in Dei obsequio, pigritantesque, ac suæ salutis immemores vltio demum non præterit, vt certus quidam satis rigidam, indictam sibi pro culpis in altero sæculo mulctam, & causam pariter eiusmodi pœnarum in vitis Patrum denunciās testatus est aliquando: *Senex quidam* (inquit) *enarrauit nobis, cùm Thebaidem venissemus, quòd senex vnus morabatur extra Ciuitatem Antinoum, magnæ virtutis Vir, qui in cella sua egerat annos LXX. Erant autem illi Discipuli decem, ex quibus vnus erat valdè negligens sui; Senex ergò sæpius illum corripiebat, & hortabatur, dicens: Frater sollicitudinem gere pro anima tua; habes enim mori, & nisi te emendaueris, in supplicium tendes. Frater autem ille semper seni inobediens erat, nec ea, quæ ab ipso dicebantur, admittebat. Contigit autem, vt post aliquantum temporis iste moreretur*.

In Prato Spirituali c. 44.

Monachus apud Antinoū in Thebaide sui val dè negligēs, à Præfecto corripitur, Purgatorij pœnis illi obiectis.

Con-

Contristatus verò senior super illo valdè (sciebat enim, quòd in magna desidia, & negligentia de seculo exysset) cœpit orare, & dicere: Domine Iesu Christe verax Deus noster, reuela mihi, quid sit circà fratris animam. Aspexit autem in excessu mentis effectus fluuium ignis, ingentemquè in ipso igne multitudinem, ac medium fratrem illum ad medium vsque demersum. Tunc ait illi senior: nonne te propter hanc pœnam orabam, vt curam animę ageres fili? Respondit frater, & ait seni: Gratias ago Deo Pater, quòd vel caput meum requiem habet. Per orationes enim tuas supra caput Episcopi sto. Condignas itaque negligentioris vitæ, qui dum posset in claustro viuens, corrigi haud curabat, acerbissimas in altero seculo pœnas exoluit.

Post mortē Monachus igneo fluuio immersus appares.

5. Seuero itaque negligentiores præsertim in sacro Dei obsequio homines ad ipsius Tribunal iudicio sunt expetendi. Quod adeò verum est, vt alter, qui segniter olim, ac perfunctorie in claustro alios inter Monachos vixerat, sed sub ipsum vitæ finem hilari postmodum vultu, ac magna præter omnium expectationem moriturus iam, suffultus spe videbatur, non exiguum de se cunctis metum, atque admirationem simul afferret. Paterna verò Senioris charitate admonitus, & si ob negligentię in Cœnobio admissæ culpas ad Dei Tribunal reus, ob pia tamen humilitatis, & fraternę dilectionis à se hactenus exhibita officia, plenæ absolutionis ac indultę sibi diuinitus indulgentiæ peroptatum se paulò ante nunciū excepisse testatus est, de quo ipse Anastasius Synaita isthæc: *Monachus quidam* (inquit) *cum negligentissimè per summum otium vitam suam omnem exegisset, infirmatus est ad mortem. Cùmque iam vltimum spiritum duceret, suā ipsius mortem nequaquam perhorrescens, summa voluntate, magnaque cum gratiarū actione (exolutus vinculis) excedebat. Ad quem assidentium Patrum vnus: Frater (inquit) persuasum tibi habeto, & putasse nos, & vidisse summa negligentia, animique remissione vixisse te ad hoc vsque tempus; & vnde hæc tibi tanta securitas? Cui respondit Frater; Est ità omnino Patres, vitam per summam negligentiam duxi, sed Angeli Dei eadem hac ipsa hora, peccatorum meorum ad me chirographum attulerunt; cùmque ea, quæ fecissem, (postquàm seculo renunciassem) peccata legissent, nunquid agnoscerem, rogauerunt: Quibus ego: maxime verò (inquam) agnosco; sed idem ex quo renunciaui seculo, vitamque institui monasticam, nec iudicaui quemquam: nec ab vllo mihi factam iniuriā meminisse volui. Igitur Domini verba ad me quoque pertinere opto, & oro, qui dixit: Nolite iudicare, & nō indicabimini; dimittite et dimittetur vobis. Quæ postquàm Angelis dixi, chirographum peccatorum meorum conscciderunt, & ideò nunc summa cum lętitia, & securitate proficiscor ad Dominum. Hęc vbi Frater ille narrauit Patribus, Domino in pace spiritum reddidit.* Congrue autem hunc mox ad iustum pauendumque Dei Tribunal post mortem prę̄sentandū ob negligentioris vitæ inter Monachos exactę culpas, iustis, acerbisque pariter expetendū pœnis tū ipse, tū alij haud temerè coniectādo arguebāt; sed quia *Charitas* (vt ille ait) *defectuum est supplementum* quidquid negligentior ipsius vita, ac torpēs in Dei obsequio opera pęnarū iustissimè exigebant, feruēs inter Fratres charitas, & in alienis dimittendis excusandisq; erratis humilitas culpam omnē, ac pœnā pariter in Dei iudicio abolendi vim habuit.

Baron. an. Christi 599. n. 50.

Anastasius Synaita Episc. Antiochenus orat. de Synaxi.

Negligentia in his, quę ad Dei cultum pertinent, grauiter punitur.

Monachus ob negligētiā Deo pœnitendus ob charitatem, & humilitatē pęna absoluitur.

Lucæ cap. 6.

Audit ab Angelis sibi dimissas negligentioris vitæ culpas.

6. Porrò nedum pœnas suis debitas culpis negligentiæ, sed vel pro alienis sponte susceptas, ac per supinam subinde in bono operam, mentisqueincuriam pia pœnitentiæ opera exequi detrectantes, atrocibus in purgatorio igne sunt tormentis addicti, vt Petrus Damiani, Vir omni fide dignus his planè verbis exequitur: *Monachus erat* (inquit) *in Aretini territorij Cœnobio, quod dicitur ad Pinum, multis peccatorum nexibus inuolutus. Cui cum iuxta quantitatem lapsuum austerior, & longa nimium pœnitentia fuisset indicta, ille Fratris cuiusdam, cui complexior amicitia familiariùs adhęrebat, ad comportandum amicitiæ pondus auxilium petyt. Quod Frater prędictus deuotè suscipiens, condignam pœnitentiæ partem tulit, atque à persoluendo huius debiti canone securum manere præcepit. Sed dum ille partim leuigatus onere ad strictioris vitæ censuram remittitur, ille sibi ad solutionem, prolixioris vitæ spatium pollicetur. Aliquantò post in ęgritudinem cecidit, ac subitò mortem,*

Petrus Damianus epist. 6. ad beatum fratrem.

Qui pœnitētię opera pro suis culpis, vel pro alienis post promissa negligunt, dant pęnas.

Monachus in Aretino Cœnobio pia pro alio opera promissa intermittens, in purgatorio igne luit.

mortem, quam procul esse sperabat, incurrit. Fuerat autem Frater ille, quantum ad se, irreprehensibilis vitæ, & opinionis inter Fratres. Non multis verò postmodum diebus pænitenti Monacho in somnis apparuit. Cui ille protinus inquisiuit: Quid ergà te, Frater, agitur? quomodò tibi est? Cui querulis admodum vocibus respondit: Malè (inquit) ac durè, sed propter te; nam liber à proprijs, quia tuis me vinculis innodaui, & alienæ cautionis obnoxium reddidi, nec persolui, flagellis atteror; vnde quæso te, & qua valeo supplicatione deposco, vt vigiles pro te, ac liberes me. Vade itaquè, & Sanctum huius loci precare Conuentum, vt debita meę sponsionis à me neglecta persoluant, sicquè me ab istis, qua præsto sunt, supplicijs, eruant. Expergefactus ille Fratribus, quod viderat, retulit, quod audierat, intimauit, preces exposuit, efficaciter impetrauit. Porrò autem cum iam Fratres præfixam illius pænitentiæ quantitatem diuersis argumentorum spiritualium exercitijs impleuissent, præfato Monacho Frater ille per visum rursus apparuit, eiquè serenos satis, & alacres vultus ostendit. Interrogans iterum, quid haberet, respondit: se per orationes Fratrum non solùm à pœnalibus incommodis erutum, sed etiam ad electorum sortem mirabili dexteræ Excelsi nuper mutatione translatum. Benedicta diuina Clementiæ dispensatio, quæ per mortuos etiam instruit viuos, & dum alios verberat, alios, qualiter à verberibus eripiantur, informat. Audisti Frater historiam, esto prouidus ad cautelam. Hęc ille; acerbis in altero sęculo cruciatibus experti, qui negligentes, dum viuerent in Dei fuere obsequio, affirmãs.

Expletis pijs operibus à Cœnobij Monachis alter ad requiem transit.

Deus per mortuos instruit viuos, & quosdam verberat, vt alijs à verberibus eripiatur.

Baronius an. 1062. n. 83.

7. Haud parui itaque momenti res apud Deum censetur, vel promissis alios interdum precibus fraudare, vel certè pias bonorum operum exercitationes, aut quę in Dei honorem cedunt, oscitanter, nec condignè, vt par est, mentis obsequio munia obire. Id enim ipsi immanè adeò displicet, vt vel in viris sanctitate pręcipuis iustè, acriterque in Purgatorij ignibus vltus sit aliquandò, vt idē Petrus Damiani se ab Adlardo viro prudēte, & religioso accepisse his verbis testatur: *Clericus* (inquit) *Coloniensis Ecclesię vadũ fluminis transibat, & ecce beatus Seuerinus* (*vel Peregrinus, vt Baronius legendum putat*) *eiusdem Ecclesię nuper Episcopus, equi eius habenas apprehendit, cumquè retinens sistit. Cumquè ille ad stuporem versus, & grauiter admiratus: Cur illic tam clarus, & tam celebris famę Vir moraretur, inquireret: Da mihi (ait) manum tuam, & quę circa me sunt, non auditu disce, sed tactu: cumquè datam manum fluctibus immersisset Episcopus, tantus eam ardor absorbuit, vt vndiq; carnes eius resolutæ diffluerent, & ossa nudata vix hærentibus articulis remanerent. Ad quem Clericus: Cum nomen, inquit, tuum in tanta benedictione sit apud nos, & fama tua consonis totius Ecclesię præconijs celebretur, cur te pestilens hæc vorago constringit, tantoquè (proh dolor!) incendio cruciaris? Ad quem Sanctus Episcopus: Nihil (ait) aliud in me remansit vltione plectendum, præter hoc tantùm, quia in aula regia constitutus, Imperialibus me consilijs vehementer implicui, Canonicę synaxis officia per distincta horarum spatia non persolui. Manè quippe simul omnia coaceruans, tota diè negocijs ingruentibus secura libertate vacabam. Ob hanc itaquè negligentiam horarum, ardoris huius fero supplicium. Tu verò Omnipotentis Dei Clementiam humiliter implora, vt manum tuam, in salutis pristinæ restituat statum. Quod cum factum fuisset: Valde (inquit) fili obsecra Fratres nostros Ecclesiæ Clericos, & alios spirituales viros, vt pro me preces fundant, indigentibus subsidia conferant, sacrificiorum votis insistant. His enim peractis ego mox de vinculo pœnæ huius indubitanter expediar, & expectantibus me Beatorum choris lætus adiungar.* His planè totam Damianus historiam concludit, qua vir Dei suam strenuè visus est pro obtinēda venia efficaciter verbis causam perorasse; quem vnius dumtaxat culpæ obnoxium, tam acerba ignis, ac intolerabilis Purgatorij pœna constrinxit.

Petrus Damiani cap. 7. ep. 14. ad Desiderium. libatem.

Peregrinus Colonien. Episcopus post mortem Purgatorij pœnæ cruciatur.

Adlardo apparens, suis non auditu, sed tactu pęnas vult explorandas.

Pro leui culpa acerbè punitur.

Pro se à Sacerdotibus offerri preces postulat Coelo iam inserendus.

8. Seuera igitur, at iusta Dei in viros tepidè, oscitanterquè sibi deseruientes, ac promissis quoquo modo fraudem adhibentes censura in altero sæculo animaduertit; cuius nedum ipsos in Purgatorio detentos rei testes, sed ipsosmet obseruatioris vitę, ac Instituti Monachos alienis auribus præcones, assertoresquè haud semel habuit; sed ipse hac super re Damianus audiendus hic nobis est; hæc enim ille: *Idem* (inquit), *quem dixit Adlardus, dum in Burgundiæ regno mihi commorator*

Petrus Damiani vbi supra c. 8.

uiator incederet: In hoc (inquit) loco, per quem nunc transitum habemus, aliquid contigit, quod si dixerimus, non videtur ociosũ. Frater quidam nostri Cænobij piæ mentis, & rectè conuersationis vir hic aliquando transibat, & ecce crinitus quidam quasi ex Hierosolymitana peregrinatione veniens, palmam ferebat in manu. Cumquè peregrinus, & Monachus inuicem obuij se se altrinsecus pertransissent, ait ille: Completoriũ in lecto est nec salus, nec profectus. Quod Frater audiens admiratus expauit, ac repentè post terga respiciens, eũ videre non potuit: Mox enim, vt verbum protulit, omninò disparuit. Ille verò ad conscientiã mox reuersus, inuenit, quia pridiano vespere laxus de via rediérat, & fessa in lectulum membra proyciens, iacendo Canonicas horas expleuerat. Vtrùm Angelus ille fuerit, an reuera (sicut videbatur) homo, Dei ducimus relinquendum iudicio. Hæc Petrus, dum leuioris in persoluẽdis Dei laudibus piaculi reos sic exagitatos diuinitùs suggillat.

Diuinas in lectulo horas recitans, grauis ad Deum reus piaculi.

Ab alio sibi apparente monitus, ritè, rectèq; post hac cũ Deo rem agit.

7. Verùm (quod maius est) suis Dæmones in eiusmodi homines, qui diuinis turpiter in rebus torpescunt, sannis, latratibusque inuectos eodem Petro vbi supra narrãte, comperimus; Hæc enim ille: *Prior quidam (inquit) fuerat nomine Ioannes, qui lentis quibusdam infirmitatibus macilentus videbatur semper, & gracilis. Hac itaque sui corporis imbecillitate confisus, in lecto Completorium decurrebat. Accidit autem, vt Dæmoniacus quidam non procul abesset, qui multa hominum secreta, & obscęnos actus impudens propalaret. Cũquè præfatus Ioannes Dęmonem exire praciperet, & quibusdam exorcismi quæstionibus flagellaret: Tunc (ait) ille es, qui sub Cotto quotidiè Completorium insusurras, & modò me quasi Sanctus eijcere, & iuris mei vasculum de meo vis dominio liberare? Hoc audito Frater erubuit, quia rei veritatem etiam per mendacij cognouit auctorem.* Dęmon quippe Dei coactus imperio, stertentes inter sacri cultus obsequia, & non secus ac inter sanctiora Christianæ religionis munia ludẽtes, ac rem per iocum agẽtes, iustè aliquando, sapienterq; derisit.

Petrus Damiani, lib. de Miraculis.

Diabolus Ioannem Monachum diuinas laudes minus deuotè persoluentem increpat.

Cõfunditur Monachus rei veritatẽ per mendacij patrem intelligens.

8. Quoniam verò opportuna hic Dei laudũ, ac religiosi quoq; in persolue ndis ijsdem cultus opportuna nobis mentio recurrit, prælaudatus quidem Petrus, Ostiensis Episcopus, & S. R. E. Cardinalis, dum Legationis Apostolicæ munus in Gallijs obiret, à Vualthero Archiepiscopo Bisuntino, notæ virtutis, ac celebris famę Antistite, quem ipse summoperè extollit, exceptus, nonnulla eidẽ aptè, sapienterq; in rem præsentem suggesit. Ipsum namque corripuit (vt Baronius ait) quem correctione ex eo dignum putauit, quòd ipse paterétur Ecclesiæ ministros sedentes psallere; hæc enim postea ad ipsum scribens appositè suggerit: *Vnum præterea* (inquit) *corporis, ac desidiæ signum in tua Ecclesia vidi, quod & tunc, pro vt expeditionis dictabat hora, corripui, & nunc apicibus tradere non superfluum duco. Plerique siquidem ibi Clericorum resident, dum vel Canonica horarum celebrantur officia, vel etiam ipsa Missarum offeruntur terribilia Sacramenta. Cuius torporis ignauiam per Galliarum partes nonnullis inesse etiam Monachis deprehendi. Quod profectò prauę consuetudinis vitium, & correctione dignum, & de stadio militantis Ecclesię in his, qui incolumes sunt, constat penitùs eradendum, &c.* Hæc ille quibus subinde Baronius isthæc subtexit: *Qui haud visus* (inquit) *satis sibi tunc corripuisse de his Episcopum, reuersus, ad eundem eodem argumento prolixam satis eam epistolam scripsit, cuius est exordium: Non ignoras venerabilis Pater, &c. qua ex pluribus Diuinę scripturæ locis laborauit ostendere, nullo modo neque Clericis, neque Laicis in Ecclesia sedendum (nisi labores quis infirmitate) dum Diuina officia persoluuntur. Quod vt primùm ipse in sua Ecclesia corrigat, inde in alijs quoque corrigendum procuret, admonuit.* Quæ quidem hìc obiter meminisse voluimus, dum rigidis, acerbisque in Purgatorio, qui negligenter isthęc viuentes obirent, pœnis non ignoramus addictos.

Baronius an. 1062. n. 85.

Petrus Damiani Archiepiscopũ Bisuntinum arguit, quòd ipsius Clerici sedentes Deo laudes persoluerent.

Petr. Dam. vbi epist. sup. ad eundem.

Baronius vbi supr.

Ipsum nedũ corripiti sed & amarulentas super hoc epistolas dirigit.

9. Vt ad susceptæ autem narrationis propositum nunc nostra redeat oratio; acerbiores profectò in Purgatorij igne pœnas exoluunt, qui benignam Dei ad pœnitendum vocantis audire vocem negligunt, ipsiquè (vt par est) morem gerere detrectant. Quod iuueni pręsertim accidit, qui moras in peragenda pœnitentia protrahens, corde licèt compunctus è vita decessit; Hæc enim Cantipratanus tradit: *In villa* (inquit) *prope Louanium Oppidum Brabantię, Iuuenis quidam disso-*

Graue piaculum ad Dei vocem, dum ad pœnitentiam vocat, obsurdescere.

Thomas Cantipratanus lib. 2. Exemplorum cap. 53. §. 21.

dissolutus, & leuis, languore decubuit. Rogatu ergò Matris Lambertus Presbyter, leprosorum, vir pius, & zelator maximus animarum, venit ad iuuenem, & eum ad Confessionem peccatorum, & pœnitentiam sedulus inuitauit. Quo mox in multa valdè contritione confesso, & non multò post mortuo, Mater pro eo continuauit interpolatè ieiunia, & vsque ad quinque annos quasi irremediabilibus lacrymis protelauit. Ergò vt ipsum tempus expletum est, die quadam Dominica, dictus Lambertus Presbyter mortuus est, & sepultus; Sequenti autem quinta feria prædictus iuuenis manifestè apparuit Matri suæ dicens: Ecce nunc Mater charissima adiutorio tuo ad requiem transeo de grauissimis pœnis, quas pertuli pro peccatis, & mecum Dominus Lambertus Presbyter, qui me ad cognitionem, & Confessionem peccatorum meorum salubriter prouocauit: pro quo, & alijs multis, quos ad pœnitentiam salutis adduxit, multa mercede cumulabitur præmiorum, &c. Quàm seuerè igitur, qui animæ, ac salutis negocium, ac Dei insuper voces negligunt, in altero puniantur sæculo; & quàm celeriter à pœnis liberi ad refrigerij locum conuolent, qui alios ad pœnitentiam, & Dei gratiam adducere satagunt, satis, superquè ex iam narratis probè vnusquisq; intelligit.

Iuuenis apud Louanium seuerè, quia salutis negligens, post mortem plectitur.

A pœnis tandem liber apparês Matri, gratias pro precibus exoluit.

9. A Mortalibus itaquè admissæ, parui licet momenti in hoc sæculo culpæ, & quàmuis laudabiliter quisque, ac iuxtà pœnitentium morem vixerit, in altero tamen sæculo, nedum dignis pœnitentium animas pœnis torquendo cruciant, (sed quod acerbius est) à Dei conspectu, & supernis gaudijs & Sanctorum felicitate retardant; Quod quidem nonnullis ob pia hìc interdum prætermissa charitatis officia iustissimè contigit, acReligioso præsertim viro laudabilis vitæ, ac probatissimis moribus prædito, de quo isthæc Franciscus Gonzaga in suis historiarum paginis narrat: *In Conuentu (inquit) Conceptionis B. Virginis Palme mortem obijt sub Annum Domini 1541. admirandæ religionis Pater Ioannes de Via, cuius perdeuotus quidam Frater nouitius nomine Ascensius curam gesserat. Cumquè is nouitius post aliquot dies à præfati Patris Ioannis transitu orationi feruentiùs instaret, maxima se claritate circumdari, atque Fratrem quendam summoperè resplendentem sibi approximari prospexit. Quod cum sibi tertiò accidisset, resumptis vtcumque viribus in prima siquidem, atque secunda visione tanto fuit timore correptus, vt nec verbum proferre potuerit, ab huiusmodi Fratre, quid sibi vellet, & quisnam esset, petijt. Cui ille: Frater (inquit) Ioannes de Via ego sum, qui ex maxima Dei misericordia Cælicolis adnumeratus existo. Veruntamen nè id statim assequar, impedimento sunt quædam Defunctorum officia à me obliuioni tradita. Quamobrem à te obnixè peto, vt ea quàmprimùm ex charitate persoluenda cures, statimquè eiusmodi visio euanuit. Cumquè igitur Frater Ascensius visionem loci Guardiano retulisset, illequè præfata Defunctorum officia à Fratribus perlegenda curasset, apparuit denuò eidem Fratri Ascensio præfatus Pater Ioannes de Via, multò maiori claritate præfulgidus, sibiquè maximas ob præstitum beneficium gratias egit: Insuper & significauit eorum alterum, qui ei à dextris adstares (aderant siquidem illi duo Viri graues Minoritico habitu amicti) esse Seraphicum Patrem Franciscum, alterum verò Beatum Patrem Bernardinum.* Sic planè Deus leuiora, quæ quis per obliuionem incurrit seuerè adeo vindicans, in suis seruis piacula plectit: vt negligentiores quique à peccando homines maxime sibi cauendum intelligant.

Leuiores culpæ acerbis apud Deum Purgatorij pœnis homines obnoxios reddunt.

Franciscus Gonzaga de Origine Seraph. Ord. p. 4. n. 7.

Ioannes de Via Monachus se non nisi ob intermissa piorū operum suffragia purgatorio igni addictum narrat.

Re à Fratribus peracta Cœlum ascendit.

10. Talem quippe Deus ab his, qui Cœlo sunt inserendi, vitæ puritatem, ac morum innocentiam requirit, vt ne dum perexiguus minimusque in pijs exercendis operibus labeculæ næuus occurrat, qui impedimento sit; sed nec cogitationes ipsæ aliquando illuc contendentibus aditum prohibeant. Cogitationibus quippe, quæ vitio subsunt, haud parua in Purgatorio iustam, rigidamque à suis Deo vltionem reposcente pœna remanet, vt ipsemet, qui acerbissimè ob id olim post mortem mulctatus est, vel suo restatissimo cunctis exemplo testis futurus, ac præco id docuit; de quo isthæc Iordanus: *Quidam Frater (inquit) mihi notus, singularis vitæ, & magni status in Ordine, vno anno post mortem apparuit in visione cuidam viro pio dicens: catenus se fuisse in atrocissimis tormentis, sed nunc Dei miseratione fore liberatum, & cælesti familia associatum. Admirans autem ille, quod tantæ sanctitatis, qualis ipse fuerat, ab hominibus reputatus, tanto tempore pœnas gen-*

Iordanus à Saxonia lib. de Communione spirituali cap. 30.

Monachus laudabilis vitę, ob prauas cogitationes nō statim reiectas acerbis Purgatorij pœnis cruciatur.

hemnales sustinuisset, interrogauit eum, ob quam causam tanto tempore tantas pœnas luisset. At ille respondit: ob cogitationes prauas, quibus sæpe in corde inquinabar, quas per pœnitentiam non luissem, licet à fœdis actibus Diuina propitiatio me custodierit. Seuera quippe nedum opera, sed & ipsas ad Dei Tribunal cogitationes cēsura expetit, ac ipsius, dum adhuc homines viuerent, pœnitentię contemptus reatum culpæ auget, ac iustum pœnarum tum modum, tum mensuram irreparabiliter in Purgatorio exoluendam indicit.

Ob cogitationes malas quis plectitur.

11. Leuiores igitur vitæ culpas, quia Deo in suis maximè displicent, condignis in hoc sæculo pœnis compensandas nemo prudens est, qui non videat, adeoque Viri Sanctitate præcipui has haud contemnentes flendo, pœnitendo sollicite diluendas curarunt. Quapropter Paula Romanarum, & simul pœnitentium nobilissima nil antiquius habuit, quā lacrymis iugiter se ipsam abluere, de qua isthæc Hieronymus: *Lauabat* (inquit) *per singulas noctes lectulum suum: oculos eius fontes crederes lacrymarum. Ità lenia plangebat peccata, vt illam grauissimorum criminum crederes ream &c.* Sciebat quippe offensum haud aliter sibi Deū placandum. Quod item Ioannes Monachus adolescens pro leuissimis quibusque culpis valde sub vitæ finē sollicitus præstitit, de quo isthæc Petrus Venerabilis: *Ioannes* (inquit) *Monachus adolescens statim vt se grauari morbo sentit, totum cor, totam operam ad ea, quæ post mortem sequuntur, conuertit: & licet non dum desperaret de vita, integro sensu vigente, & ratione animi in nullo diminuta, cuncta, quæ de præterita vita sua occurrere potuerunt, integerrime confessus est: Flebat autem ità de leuibus, ac si de grauissimis peccatis & quantum poterat, sincerissima, ac luctuosa confessione, animam, corpusque suum benigno Saluatori affectuosissimè commendabat &c.* Sic præferuidus iuuenis leuiores animi labes moriturus visus est expauisse, dum sibi haud lacrymis parcendum, rigidas alterius sæculi pœnas contemplando indixit.

Paula Matrona lacrymis labeculas expiat.

Hic in Epist. Paulæ.

Petr. Vener. ab. lib. 5. Ep. 39. de Ab. de Rupibus.

Ioannes monachus adolescens moriturus minutiores culpas deflet.

Seueranus lib. Pretiof. mort. Instor. pag. 394.

12. Demum acerbè post momentaneam hanc vitam in Purgatorio igne nedum cruciantur, qui pietatis (vt vidimus) opera negligenter hic obeunt, verùm etiam qui collata sibi diuinitus dona per otium, ac socordiam frustrà possident, ac Deum iisdem non vt par est deuoto grati animi obsequio colunt; Quod quidem proculdubio exemplis euincitur, ac ipsæ haud semel defunctorum animæ per visum testatæ sunt viuentibus. Sed quid præ alijs Pico Mirandulano Principi olim contigerit, Martino Delrio narrante, hic accipiamus: *Franciscus Picus* (inquit) *Comes Mirandulanus in vita Ioannis Pici Patrui scribit, non longo post obitum Ioannis Pici tempore spectrum Ioannis apparuisse Hieronymo Sauonarolę, eique dixisse, torqueri se pœnis expiatorijs, eo quòd non satis diligenter, & fœcundè talentum sibi à Deo creditum eruditionis, & ingenij multiplicasset: & quia non quanti par erat, fecisset internas Dei suggestiones, inspirationesq; quę adhortabātur honestos labores, quos incohoants, nō abrumpere, & quæ sibi animo proposuerat, ea instanter operari, atque perficere. Quæ Hieronymus mox in concione proposuit, & omnium precibus Picum commendauit*. Hęc ille. Deus quippe haud hominum impunè aliquando socordiam in acceptis ab ipso donis fideliter pertractandis, exercendisquè præterit, dum sic homines acceptorum immemores post vitæ cursum plectit, pœnisquè acriùs instando exagitat; adeò vt aptè diuina Gregorij verba singulis occinant: *Sollicitè* (inquit) *considerare nos admonet, ne nos, qui plus cęteris in hoc mundo accepisse aliquid cernimur, ab Auctore mundi grauiùs inde iudicemur*. Proinde Vir sanctissimus dicti rationē afferens: *Cum enim augentur* (inquit) *dona, rationes etiam crescunt donorum. Tantò ergo esse humilior, atque ad seruiendum Deo promptior quisque debet ex munere, quàm se obligatiorem esse conspicit in reddenda ratione, &c.* Qui demum tum serui in ipsius Domini obsequio præferuidi, tum alterius in suo explendo munere torpentis exemplo alliciens cunctos, vnà simul ac terrens; sic suum aptè sermonem cunctorum documento concludit: *Bene* (inquit) *operantes pro apportato lucro remunerat, seruum verò à bono opere torpentem damnat*. Vt ex iam præmissis satis, superquè innotescit. Quibus Lectori delibatis supremam huic libro manum, narratisque hactenus ad alia orationis stylum conuertentes, finem ipsius Bernardi verbis imponimus: *Bonus* (inquit) *finis Vita æterna, bonus finis, qui non habet finem*.

Martianus Delrio Disquisit. magic. quæst. 26 sect. 5.

Ioannes Picus Mirandulanus ob dona sibi à Deo præstita non fideliter expensa, acerbè in Purgatorio igne exuritur.

Drauoulsius catbechis. hist cap. 6 tit. 22 ex 8.

Gregorius hom. 9. in Euangelia.

Cum Dei dona augentur, rationes etiam dono rum crescūt ex Gregorio.

Gregorius vbi supra hom. 9. in Euangelia.

Gregorio vbi supr.

Ber. ser. in psal 90.

SELE-

SELECTÆ POENITENTIVM MORTES

LIBER SECVNDVS

POENITENTIAE virtus adeò grata, & iucũda Deo est, vt hac nil acceptius, & nihil præ cunctis desideratum magis arrideat: *Est Deo* (inquit Origenes) *magna festiuitas humana salus*. Quod aptè item Hieronymus, sapienterquè aliquandò inculcans: *Quanta* (inquit) *lætitia*, *vt de salute nostra exultent cœlestia*. Enim verò quia Deus maximè Pœnitentia hominum delectatur, & gaudet, inde fit, vt peccatores diù, ac patiẽter nunc tolerans, ipsos non tam perdere, quàm lucrari, ac saluos tandem fieri cupiat: *Dissimulans* (vt Sapiens ait) *peccata hominum propter Pœnitentiam*. Quod disertis haud semel Christus in Euangelio verbis edisserens: *Gaudium est* (inquit) *in Cœlo super vno peccatore pœnitentiam agente, quàm super nonaginta nouem iustis, qui non indigent pœnitentia*. Immensa quippè Dei bonitas vel ipsis indiget peccatoribus, vt suam indigentibus benignitatem indulgendo demonstret. Quapropter appositè Tertullianus Angelorum super hominum ad Pœnitentiam reditu, nec suo satis pro merito lętitiam demiratus. *Lętantur* (inquit) *Angeli Pœnitentia hominum. Vides, vbi de te, ò peccator, gaudeatur?* Iure igitur Christus Dominus ad sua, suorumque complenda gaudia in Mundum olim veniens, id potissimùm sibi propositum habuit, vt festinus deuios fe-sti-

Origenes hom. 3. in libros numer. Hieronymus Epist. 46. ad Rusticum.

Quantum Deo curæ hominum salus.

Sapientiæ 11. 24.

Lucæ cap. 15.

Deus peccatoribus ad miserendum indiget.

Pœnitentia hominum, & lacrymę, Angelis gaudiũ.

Tertullianus lib. 9. de Pœnitentia.

sum ad sumendum cibum è via reduceret, quia sciebat, Deum aliquandò mutare, aut moderari, quod priùs præcepisset, pro rerum opportunitate, quia non spontè videtur profectus, sed quasi vi adductus, cum priùs quoque, quod potuit, recusarit, obtendens, quod aliter esset imperatum à Deo. Ità sanè putat Cassianus, & Abulensis indicat quæst. 19. ubi paruum dixit existimari peccatum, & cum quæst. 15. ostenditur multis peccasse Prophetam, qui cum oppositum haberet in mandatis à Deo; debuit diligentiùs examinare senis illius verba, in quibus aliquid fraudis latere poterat, & Deum ipsum orando, aut alia ratione consulendo, sciscitari, quid factum esse vellet; In quæstione tamen 16. culpam illius multùm extenuat. Idem ex veniali culpa tenet Cornelius à Lapide in cap. 19. Gen. vbi tam vxoris Loth, quàm huius Prophetæ venialem fuisse dicit inobedientiam. Dionysius autem lethale peccatum fuisse dicit, aut veniale crassum. Hoc certè dixit Cassianus non obscure collat. 7. nam cum cap. 25. docuisset viros sanctos corporaliter traditos esse Sathanæ, & grauia passos in corpore propter peccata leniora, statim cap. 27. exempla produxit optima aliquorum, qui propter peccata vsque adeò leuia, vt vix in illis maculam venialem agnoscens, granibus tamen tam à Dæmone, quàm à dolorum acerbitate, ac fœditate morborum affecti sunt incommodis, quibus occisi à Leone Propheta exemplum annumeratur. Lege vtrumque caput, & disces, quàm non sint contemnenda illa, quæ homines leuia esse putant venialia, quãdo Deus illa, cum tamen id agat misericorditer, tanta seueritate castiget. Hæc apte, appositeq; prælaudatus in rem præsentem scriptor.

Iuxta Cassiani, & Abulensis sententiam quid dicendum.

Abulens. q. 19. in lib. Regum.

Cornelius à Lapid. in c. 19. Genes.

Cassianus collat. 7.

Propter peccata item leuia, nonnulli traditi Satanæ puniendi ex Cassiano.

Peccata, quæ homines leuia putant, haud contemnenda.

4. Peccatum igitur, ob quod Propheta è viuis subita morte sublatus est, aut leue dicendum proculdubio est, aut certè si graue, vbi is à Propheta seniore admonitus mortem sibi impendere ob Dei violatum imperium intellexit, tunc pœnitens intimum corde dolorem concipiens, omnem pœnitus dolendo labem abstulit, aboleuitque; adeo vt culpa liber, expiatusque è vita decesserit. Sic enim Gregorius præ cœteris vltrò, constanterque asserit: *Vir Dei* (inquit) *contra Samariam missus, qui per inobedientiam in itinere comedit, hunc Leo eodem in itinere occidit. Sed statim illic scriptum est, quod stetit Leo iuxta Asinum, & non comedit Leo de cadauere. Ex qua re ostenditur, quod peccatum inobedientiæ in ipsa fuit morte laxatum; quia idem Leo, quem viuentem præsumpsit occidere, contingere non præsumpsit occisum. Qui enim occidendi ausum habuit, de occisi cadauere comedendi licentiam non accepit, quia is, qui culpabilis in vita fuerat, punita inobedientia iam iustus ex morte fuit. Leo ergo, qui priùs peccatoris vitam necauerat, custodiuit postmodum cadauer occisi.* Hæc ille; quibus profectò cunctis palam fit, vel sub vitæ finem dolendo grauioris Prophetam culpæ reatum diluisse, aut certe non nisi leuiorem ipsius culpam iuste tamen diuinitus morte punitam.

Gregorius lib. 4. Dialogorum c. 24

Cur propheta à Leone occisus, ab eo intactus relictus?

5. Verùm enimuerò, si curiosus quispiam anteacta in historiarum paginis sæcula, attenta percurrens mente non obscura antiquæ memoriæ pœnitentium gesta recolat, haud semel leuioris culpæ reos, ob debitum quandoque Dei præceptis, vel certè Sanctorum reliquijs cultum, haud ex contemptu, sed ob incuriam quandoque posthabitum, vitæ haud semel rigidè animaduersionis exẽplo mulctatos diuinitus comperiet; ac si talis, ac tantus Deo, ac Sanctis cum ipso regnantibus, eorumdemquè sacris honor exuuijs debeatur, vt qui isthæc non quo par est, deuotionis obsequio attingere aliquandò, sed vel saltem perfunctoriè sacrorum pignorum thesauros perscrutari ausus est, acerbas continuò in hoc itẽ sæculo leuissimi, si qui adfuit, reatus pœnas exoluat, ac viuendi finem faciens subita, quod leuiter peccatum est, irreparabiliter morte compenset. Ad quod sanè comprobandum, Gregorius Papa prolatis in medium exemplis testatissimus testis accedit. Enimuero cum nonnulli ad Corpus Beati Petri Apostolorum Principis, & ad ipsius coapostoli Pauli tumulum quædam olim pio licet obsequio innouanda haud impunè tentauit, quorum alter metu edoctus ab incœpto abstinuit, alter vero subita morte decessit. Sed ipsius Gregorij ad Constantiam Augustam, quæ sacrum Beatissimi Apostoli Pauli caput præcipuo erga ipsum deuotionis affectu permota expetebat, verba hic repetamus:

Baronius an. 594. num. 21.

Ob leuis interdum momenti noxas non nulli fuere mulctati in Sanctorum gestis.

Ad Beati Apostoli Pauli tumulum quidam dum exornare contendit subita morte corripitur ex Gregorio.

S. Gregorius epist. ad Constantiam Augustam.

Sere-

Serenitas (inquit) *vestræ pietatis religionis studio, & sanctitatis amore conspicua propter eam, quæ in honorem S.Pauli Apostoli in Palatio ædificatur Ecclesiam, caput eiusdem S.Pauli, aut aliud quid de corpore ipsius suis ad se missionibus ad me præcepit debere transmitti. Et dum illa mihi desiderarem imperari, de quibus facillimam obedientiam exhibens, vestram ergà me amplius potuissem gratiam prouocare: maior me mæstitia tenuit, quod illa præcipitis, quæ facere non possum, nec audeo. Nam corpora SS.Petri, & Pauli Apostolorum tantis in Ecclesijs suis coruscant miraculis, atque terroribus, vt neque ad orandum sine magno illuc timore possit accedi. Denique cum beatæ recordationis decessor meus: quia argentum, quod suprà sacratissimum B.Petri Apostoli erat, longè tamen ab eodem corpore ferè quindecim pedum spatio mutare voluit: Signum ei non parui terroris apparuit. Sed & ego quid simile ad sacratissimum corpus S.Pauli Apostoli meliorare volui, & quia necesse erat, vt iuxtà sepulchrum huiusmodi effodi altiùs debuisset: Præpositus loci ipsius, ossa aliqua non quidem eidem sepulchro coniuncta reperit, quæ quoniam leuare præsumpsit, atque in alium locum transponere, apparentibus quibusdã tristibus signis, subita morte defunctus est.* Et suo quidem hic exemplo haud impunè aliquando Sanctorum Reliquijs manus admoueri promeritumque, vel leuiter præteriti cultum honoris edidicit, subitò nec secus, ac grauioris culpæ reus è vita Deo vlciscente præreptus.

Baronius vbi supra.

Ad Apostolorum corpora non absque magno timore accedendum

Quid Pontifici ad Apostolorum Principis sepulchrũ contigit.

6. Idem ferè monachis, ac mansionarijs eodem Gregorio narrante funeste cõtigit; Qui enim, dũ B.Laurentij Martyris corpus, vel casu inter perscrutandum apparuit, interfuere; singuli è vita successiuo sublati ordine seueram Dei, leuiora quæque vlciscentis manum experti sunt, vt Gregorius his verbis tradit: *Post hæc* (inquit) *fa: me: decessor meus itidem ad corpus S.Laurentij Martyris quædam meliorare desiderans, dum nescitur, vbi venerabile corpus ipsius esset collocatum, & effoditur exquirendo, subitò sepulchrum ipsius ignoranter apertum est, & ijs, qui præsentes erant, atque laborabant monachi, & mansionarij, quia corpus eiusdem martyris viderunt; quod quidem minimè tangere præsumpserunt, omnes intrà decem dies defuncti sunt, ità vt nullus vitæ superesse potuisset, qui sanctum iusti corpus illius viderat.* Hæc ille.

Baronius vbi supra n. 22.

S. Gregorius epist. supra cit.

Qui casu Beati Laurentij mart. corpus viderunt, intra decem dies moriuntur.

7. Leuioribus itaque, & iustè mortalium culpis sic Deus aliquando irascitur, vt mortem hominibus ad iracundiã vltrò concitatus intentet. Quod sanè, vt alijs item exemplis constet, monialibus olim in Canonicis horis Deo persoluendis per segnitiem, ac oscitantiam se habétibus, peste correptis, ac morti addictis, ipso Cantipratano teste, contigit; hæc enim ille: *Lutgardis* (inquit) *virgo sanctissima sæpe reprehẽderat moniales in valetudinario manentes, quod parum attentè persoluerent preces canonicas diuinitus institutas. Cum autem dimidio ante obitum suum anno non videret diuina maiestate, & reuerentia dignam in sororibus emendationem, ait: Scio equidem, quod post decessum meum culpam hãc manus Domini in sororibus vindicabit: & tunc memores verborum meorum càstigatæ cum multa humilitate se corrigent, & Dominus mox retrahet manum suam, quam iam extenderat ad vltionem. Quàm autem veraci spiritu hæc illa prædixerit, res ipsa neminem sinit ambigere. Nam vbi illa excessit è vita, confestim dira pestis inuasit in illud monasterium, & breuissimo temporis interuallo quatuordecim probatissimæ sorores extinctæ sunt. Ego verò eodem tempore illuc veni, & duas carne, ac spiritu sorores vno, eodemquè momento animam reddentes, oblato pro eis sacrificio, in vno tumulo sepeliui. Cum se autem infirmæ sorores in valetudinario in dicendis Canonicis precibus correxissent, Domino manum suam retrahente, pestis illa protinus sopita est.* Ità planè minimas quasq; Deus erga res diuinas in seruis suis culpas plectendo vindicat, adeoquè ob id vnum interdum irascitur, vt ipsis mortem iustissime animaduertendo inferat.

Thomas Cantipratanus in vit. S. Lutgar dis apud Surium lib. 2. c. 10. Iunij 6.

Moniales parum attẽte horas Canonicas recitantes grauiter puniutæ.

Lue post modum ingruẽte quatuordecim ex ipsis absumũtur.

Cum reliquæ se correxissent, à puniendo Deus conti nuit.

8. Tanti etenim Deus, qui diues alioqui in remunerãdo est, cęlestis regni gloriã, & Sanctorũ felicitatẽ computat, vt haud gratis hanc aliquãdo largiatur, sed vel ob minutiores animi labeculas ab æternis gaudijs interdum possidendis homines, vti indignos ad tempus retãrdet. Quod sanè vir pius, ac religiosus ob modicę, ac pręter religiosi Ordinis leges vsurpatum rei vsum, Cæsario his verbis

Cæsarius lib. 11. de moribus c. 35.

Ob leuioris rei violatũ promissum, à Sãctorum felicitate quispiam reijcitur.

verbis narrante, expertus est: *Conuersus quidam* (inquit) *de Cynna, quæ domus est Ordinis nostri, cum die quadam missus ab Abbate suo, nauigio transiret per flumen Albim, qui fluit per Saxoniam, nauta ab eo naulum requisiuit, qui cum diceret, nihil se habere ad manum de pecunia; Respondit ille: Date mihi pro pignore cingulum, vel cultellum vestrum: Non possum (inquit) carere his, & adiecit: Ego promitto vobis cum Ordine meo, quod dimidium denarium vobis remittam, & dimisit eum nauta. Recedens ab eo Conuersus eo, quod res modica videretur, promissum paruipendit, nihil remittens: Non multò post infirmatus cum omnibus, qui aderant, mortuus videretur, anima egressa cum ad requiem ascendere vellet, prædictum dimidium denarium, cuius in confessione non meminit, antè oculos habebat, qui adeò creuit, vt mundo maior videretur: cumquè sursum nitenti semper obsisteret, neque aliud esset, quod impediret, ad Angelorum petitionem permissa est redire ad corpus. Mirantibus cunctis visionem retulit, & missus est ab Abbate nauta integer denarius sub omni celeritate, quem vt ille recepit, eadem hora secundùm considerationem Conuersus expirauit. Hæc mihi narrauit Abbas Liuoniæ, asserens sibi recitata à prædicto Abbate. Vnde Religiosi, quãtò sæcularibus maius præmium sperant, tantò esse debent solliciti, ne morientes aliquid pulueris secum trahant.* Sic planè pro re modica, & parui momenti labecula iste adeò grauiter monachus, cæteris exemplo futurus, ad Dei tribunal pœnis est expetitus. Sed hęc satis.

Ad corpus rediens, vbi impleuit, quod promiserat, mox cœlo admissus.

CAPVT XIII.

Qui pœnitentiæ, aliaque pietatis opera negligenter obeunt, acerbas postmodum pœnas exoluunt.

1. Congruè Apostolus mortalium cunctos, ac diuino præsertim dicatos obsequio, at per socordiam subinde, ac mentis torporem bonis perfunctoriè operibus vacantes, salubri ad cœteros in officio continendos metu percellens: *Horrendum est* (inquit) *incidere in manus Dei viuentis*. Contempta quippè immensa Dei Bonitas suorũ haud obscure iudiciorum ipsis mortalibus magnitudinem prodit, vt vel iusta pœnarum compensatione, seuera in altero sæculo punientis censura nõ lateat. Indè enim iustus magis, magisquè rigor iudicantis augetur, quò maior Dei miserantis benignitas hominibus interim è cœlo affulsit. Exacta itaquè acceptorum vnumquemque bonorum ratio, & ad Dei tribunal post magna indulta gratiarum munera, non nisi rigida sub vitæ finem iudicandos expetit animaduersio: *Oportet* (inquit Apostolus) *nos præsentari ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque, quod gessit siuè bonum, siue malum*. Supremus itaque Iudex, iustus pariter censor, ac operum item nostrorum futurus aliquando vindex, exactam inquirendo à singulis rationem exiget, qui scilicet modo, sua elargiendo mortalibus dona, liberalis adeo noscitur extitisse: *Quidquid enim* (vt Gregorius ait) *nobis cum mansuetudine præcepit, cum districtione exiget*. Congruè autem idem homini decretus est Iudex tandem, ac testis, remunerator, & vindex, iustus pariter, & misericors. *Qui enim*, (vt Emissenus ait) *tantũ contulit, scit, quantum reposcat*. Quò graui subinde iudicio cuncta repetit, & sua appendit exleges in trutina debitores. Eius namque tremendo conspectui mortaliũ quisque ad reddendi acceptorum rationẽ oblatus, & cõfusione proculdubio respersus obmutescet: *Vnde* (inquit) *misericordiam petiturus est, primùm de misericordiæ contemptu iudicandus?* Adeoque iniustus quisque se inter iustitiam, ac misericordiã tunc periclitantẽ videbit, quãdo ipsa tum iudicantis Maiestas, tum iudicij ab ipso exercendi rigor, ac semel prolata haud vnquam retractanda sententia iudicandorum exaggerãdo infelicitatem ostendet: *Ego* (inquit) *iustitias iudicabo*. In primis etenim Iustitiæ opera à Deo iudice seuera Iudicij trutina pensanda sunt, & quæ item sanctiora habentur, rigidiore ipsius calculo discutiẽda. Quò nimirum illa Bernardi verba altiùs mortalium auribus insonent: *Quid in Babylone* (inquit) *tutum, si in Hierusalem manet scrutinium?* Cuncta igitur, quæ hominum oculis laude digna plerumque sunt,

Apostolus epist. ad Hebræos c. 10.

Contempta Dei bonitas, ac maiestas, seueri contemptoribus censuram intentat.

Apost. epist. ad hæb. cap. 10.

Deus cum mansuetudine pręcipit, & cum seueritate exigit.

Gregorius hom. 29. in euang.

Euseb. Emissenus hom. de symbolo.

Eusebius Emissenus vbi supra:

Psal. 74. v. 2.

Deus iustitias iudicat, quia rigide, quæ præcepit, in trutina expendit.

Bernardus ser. in Cant.

sunt, ac pietatem se ipsis redolent Dei oblata conspectui, non nisi acerbis erunt tandem pœnis à Deo Iudice mulctanda.

2. Iusto itaque, ac seuero in primis ad Dei Tribunal scrutinio expetũtur, qui salutis animarum, & suæ præsertim negocium per socordiam, manifestamque Dei iniuriam contemptui habẽtes, ipsum salubriter aut monentem, aut vocantem negligunt: *Seruus quippe sciens voluntatem Domini sui, & non fecit, vapulabit multis*. Purgatorij namque igne his vel serò pœna exoluenda remanet, nec aliter, quàm per ignem ad Cœlum contendentibus in refrigerium denique aditus patet, adeoque his proximè diuinum Apostoli Oraculum occinit; *Sic saluus erit, sed quasi per ignem*. Leuiorum autem culparum maculas ignibus expiandas, si quis pertingere cupit ad Regnum, Apostolus palam cunctis, disertèque inculcans: *Si quis autem* (inquit) *superædificat super fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fœnum, stipulam, uniuscuiusque opus manifestum erit. Dies enim Domini declarabit, quia in igne reuelabitur, & uniuscuiusque opus quale sit, ignis probabit*. Quod conceptis, appositisquè subinde verbis Christiani doctor Orbis edisserens, hæc addit: *Si cuius opus manserit, quod superædificauit, mercedem accipiet; si cuius opus arserit, detrimentum patietur; ipse autem saluus erit, sic tamen, quasi per ignem*. Qui igitur iusta fidei opera, idest argentum, & aurum superædificat, virtutes nempe iustam, dignamque proculdubio mercedẽ accipiet: *Aurũ quippe, vt Thomas* (Doctor inquit Angelicus) *est Charitas, argentum Sapientia, & Contemplatio, lapides pretiosi sunt virtutes aliæ*. Vbi econtrà lignum, fœnum, ac stipulæ sunt peccata, non grauia tamen, & mortalia (vt Chrysostomus docet). Ignis verò iste, cuius hic homines abstertẽdi gratia Paulus meminit, purgatorius profectò iuxta Concilij Florentini calculum subintelligẽdus est, quo vniuscuiusq; opera diligenter probanda, ac expianda ad supremum tãdem Dei Tribunal remanent.

3. Purgatorium itaque ignem, qui nonnisi abolendis leuioribus culpis, expiandisquè seruatur, extimescendum disertè Augustinus aliquando inculcans: *Quia dicitur* (inquit) *saluus erit, hinc ignis ille contemnitur; sed grauior erit, quàm quidquid homo pati potest in hac vita*. Cui & D. Thomas adstipulãdo: *Pœna* (inquit) *Purgatorij est grauior, quàm pœna qualibet huius Mundi*. Quamplurium etenim calculo idem Purgatorij ignis est cum ipso Inferni igne. Quapropter iustum cunctis Bernardus metum incutiens: *Quod hic* (inquit) *negleximus, illic centuplum reddemus*. Huic item Anselmus, paribusquè verbis consonat: *Si propter tormenta* (inquit) *vitanda hìc Regi paremus pareamus volũtati Dei, vt ignem illum acerbiorẽ omnibus tormentis euadamus*. Quē sanè piacularis censuræ ignem, ne vti iustus Dei vindex nos tandem exurat nonnisi pœnitentię hìc interim restinguendũ operibus opportunè Chrysostomus admonet: *Pœnitentię* (inquit) *tempus nũc est, præoccupet pœnitentia pœnã; præoccupemus faciem eius in confessione, rogum peccatorum extinguimus nõ tam aquis multis, sed paucis lacrymis*: Satius quippe est fonte, quàm igne purgari, potiusquè in pœnitentię interim purgatorio, vel totius vitæ curriculo salubriter versari, quã in ipsius ignis purgatorij, vel vnius dumtaxat breuis horæ spatio excruciari. Sed nõ tam verbis, quàm exemplis, lydio veluti lapide interim comprobanda res est.

4. Iusta siquidem tardigrados in Dei obsequio, pigritantesque, ac suæ salutis immemores vltio demum non præterit, vt certus quidam satis rigidam, indictam sibi pro culpis in altero sæculo mulctam, & causam pariter eiusmodi pœnarum in vitis Patrum denuncias testatus est aliquando: *Senex quidam* (inquit) *enarrauit nobis, cùm Thebaidem venissemus, quòd senex vnus morabatur extra Ciuitatem Antinoum, magnæ virtutis Vir, qui in cella sua egerat annos LXX. Erant autem illi Discipuli decem, ex quibus vnus erat valdè negligens sui; Senex ergò sępius illum corripiebat, & hortabatur, dicens: Frater sollicitudinem gere pro anima tua; habes enim mori, & nisi te emendaueris, in supplicium tendes. Frater autem ille semper seni inobediens erat, nec ea, quæ ab ipso dicebantur, admittebat. Contigit autem, vt post aliquantum temporis iste moreretur*.

Con-

Marginalia: Luca cap. 12. 47. — In purgatorio igne leuiores culpæ exoluendæ iuxta Apostolum. — Apostolus 1. ad Chorint. cap. 3. vers. 11. — Multiplex culparum & pœnarum genus. — Ad Chorint. vbi supra v. 13. 14. 15. — S. Thomas 3. part. q. 100. art. 7. — Congruæ culpis pœnę respondent. — Chrysost. in epist. Pauli vbi suprà. — Cornelius à Lapide in locum, vbi supra. — Purgatorij ignis maximè cunctis extimescendus. — Conc. Florentinum. — Augustinus in ps. 37. — Theodoret. S. Thomas. — Bernardus de obitu Hũberti. — Anselmus vbi supra. — Chrysostom. hom. 5. de pœna. — Satius lacrymarum fonte, quàm purgatorij igne purgari. — In Prato Spirituali c. 44. — Monachus apud Antinoũ in Thebaide sui valdè negligẽs, à Prefecto corripitur, Purgatorij pœnis illi obiectis.

Contristatus verò senior super illo valdè (sciebat enim, quòd in magna desidia, & negligentia de sęculo exijsset) cœpit orare, & dicere: Domine Iesu Christe verax Deus noster, reuela mihi, quid sit circà fratris animam. Aspexit autem in excessu mentis effectus fluuium ignis, ingentemquè in ipso igne multitudinem, ac medium fratrem illum ad medium vsque demersum. Tunc ait illi senior: nonne te propter hanc pœnam orabam, vt curam animę ageres fili? Respondit frater, & ait seni: Gratias ago Deo Pater, quòd vel caput meum requiem habet. Per orationes enim tuas supra caput Episcopi sto. Condignas itaque negligentioris vitæ, qui dum posset in claustro viuens, corrigi haud curabat, acerbissimas in altero sęculo pœnas exoluit.

Post mortē Monachus igneo fluuio immersus appares.

5. Seuero itaque negligentiores præsertim in sacro Dei obsequio homines ad ipsius Tribunal iudicio sunt expetendi. Quod adeò verum est, vt alter, qui segniter olim, ac perfunctorie in claustro alios inter Monachos vixerat, sed sub ipsum vitæ finem hilari postmodum vultu, ac magna præter omnium expectationem moriturus iam, suffultus spe videbatur, non exiguum de se cunctis metum, atque admirationem simul afferret. Paterna verò Senioris charitate admonitus, & si ob negligentię in Cœnobio admissæ culpas ad Dei Tribunal reus, ob pia tamen humilitatis, & fraternę dilectionis à se hactenus exhibita officia, plenæ absolutionis ac indultę sibi diuinitus indulgentiæ peroptatum se paulò ante nunciū excepisse testatus est, de quo ipse Anastasius Synaita isthæc: *Monachus quidam* (inquit) *cum negligentissimè per summum otium vitam suam omnem exegisset, infirmatus est ad mortem. Cùmque iam vltimum spiritum duceret, suā ipsius mortem nequaquam perhorrescens, summa voluntate, magnaque cum gratiarū actione (exolutus vinculis) excedebat. Ad quem assidentium Patrum vnus: Frater (inquit) persuasum tibi habeto, & putasse nos, & vidisse summa negligentia, animique remissione vixisse te ad hoc vsque tempus; & vnde hac tibi tanta securitas? Cui respondit Frater; Est ità omnino Patres, vitam per summam negligentiam duxi, sed Angeli Dei eadem hac ipsa hora, peccatorum meorum ad me chirographum attulerunt; cùmque ea, quæ fecissem, (postquàm sęculo renunciassem) peccata legissent, nunquid agnoscerem, rogauerunt: Quibus ego: maxime verò (inquam) agnosco; sed idem ex quo renunciaui sęculo, vitamque institui monasticam, nec indicaui quemquam: nec ab vllo mihi factam iniuriā meminisse volui. Igitur Domini verba ad me quoque pertinere opto, & oro, qui dixit: Nolite iudicare, & nō indicabimini; dimittite et dimittetur vobis. Quæ postquàm Angelis dixi, chirographum peccatorum meorum conscîderunt, & ideò nunc summa cum lętitia, & securitate proficiscor ad Dominum. Hęc vbi Frater ille narrauit Patribus, Domino in pace spiritum reddidit.* Congrue autem hunc mox ad iustum pauendumque Dei Tribunal post mortem prę́sentandū ob negligentioris vitæ inter Monachos exactę culpas, iustis, acerbisque pariter expetendū pœnis tū ipse, tū alij haud temerè coniectādo arguebāt; sed quia *Charitas* (vt ille ait) *defectuum est supplementum* quidquid negligentior ipsius vita, ac torpēs in Dei obsequio opera pęnarū iustissimè exigebant, feruēs inter Fratres charitas, & in alienis dimittendis excusandisq; erratis humilitas culpam omnē, ac pœnā pariter in Dei iudicio abolendi vim habuit.

Baron. an. Christi 599. n. 10.

Anastasius Synaita Episc. Antiochenus orat. de Synaxi.

Negligentia in his, quę ad Dei cultum pertinent, grauiter punitur.

Monachus ob negligētiā Deo puniendus ob charitatem, & humilitatē pęna absoluitur.

Lucæ cap. 6.

Audit ab Angelis sibi dimissas negligentioris vitæ culpas.

6. Porrò nedum pœnas suis debitas culpis negligentiæ, sed vel pro alienis spontè susceptas, ac per supinam subinde in bono operam, mentisque incuriam pia pœnitentiæ opera exequi detrectantes, atrocibus in purgatorio igne sunt tormentis addicti, vt Petrus Damiani, Vir omni fide dignus his planè verbis exequitur: *Monachus erat* (inquit) *in Aretini territorij Cœnobio, quod dicitur ad Pinum, multis peccatorum nexibus inuolutus. Cui cum iuxta quantitatem lapsuum austerior, & longa nimium pœnitentia fuisset indicta, ille Fratris cuiusdam, cui complexior amicitia familiariùs adhęrebat, ad comportandum amicitiæ pondus auxilium petijt. Quod Frater prędictus deuotè suscipiens, condignam pœnitentiæ partem tulit, atque à persoluendo huius debiti canone securum manere præcepit. Sed dum ille partim leuigatus onere ad strictioris vitæ censuram remittitur, ille sibi ad solutionem, prolixioris vitæ spatium pollicetur. Aliquantò post in ęgritudinem cecidit, ac subitò* mortem,

Petrus Damianus epist. 6. ad beatum fratrem.

Qui pœnitētię opera pro suis culpis, vel pro alienis post promissa negligunt, dant pœnas.

Monachus in Aretino Cœnobio pia pro alio opera promissa intermittens, in purgatorio igne luat.

mortem, quam procul esse sperabat, incurrit. Fuerat autem Frater ille, quantum ad se, irreprehensibilis vita, & opinionis inter Fratres. Non multis verò postmodum diebus pœnitenti Monacho in somnis apparuit. Cui ille protinus inquisiuit: Quid ergà te, Frater, agitur? quomodò tibi est? Cui querulis admodum vocibus respondit: Malè (inquit) ac durè, sed propter te; nam liber à proprijs, quia tuis me vinculis innodaui, & alienæ cautionis obnoxium reddidi, nec persolui, flagellis atteror; vnde quæsò te, & qua valeo supplicatione deposco, vt vigiles pro te, ac liberes me. Vade itaquè, & Sanctum huius loci precare Conuentum, vt debita meę sponsionis à me neglecta persoluant, sicquè me ab istis, quæ præstò sunt, supplicijs, eruant. Expergefactus ille Fratribus, quod viderat, retulit, quod audierat, intimauit, preces exposuit, efficaciter impetrauit. Porrò autem cum iam Fratres præfixam illius pœnitentiæ quantitatem diuersis argumẽtorum spiritualium exercitijs impleuissent, præfato Monacho Frater ille per visum rursus apparuit, eiquè serenos satis, & alacres vultus ostendit. Interrogans iterum, quid haberet, respondit: se per orationes Fratrum non solùm à pœnalibus incommodis erutum, sed etiam ad electorum sortem mirabili dexteræ Excelsi nuper mutatione translatum. Benedicta diuinæ Clementiæ dispensatio, quæ per mortuos etiam instruit viuos, & dum alios verberat, alios, qualiter à verberibus eripiantur, informat. Audisti Frater historiam, esto prouidus ad cautelam. Hęc ille; acerbis in altero sęculo cruciatibus experti, qui negligentes, dum viuerent in Dei fuere obsequio, affirmãs.

Expletis pijs operibus à Cœnobij Monachis alter ad requiem transit.

Deus per mortuos instruit viuos, & quosdam verberat, vt alij à verberibus eripiãtur.

Baronius an. 1062. n. 83.

7. Haud parui itaque momenti res apud Deum censetur, vel promissis alios interdum precibus fraudare, vel certè pias bonorum operum exercitationes, aut quę in Dei honorem cedunt, oscitanter, nec condigno, vt par est, mentis obsequio munia obire. Id enim ipsi immanè adeò displicet, vt vel in viris sanctitate pręcipuis iustè, acriterque in Purgatorij ignibus vltus sit aliquandò, vt idẽ Petrus Damiani se ab Adlardo viro prudẽte, & religioso accepisse his verbis testatur: Clericus (inquit) Coloniensis Ecclesię vadũ fluminis transibat, & ecce beatus Seuerinus (vel Peregrinus, vt Baronius legendum putat) eiusdem Ecclesię nuper Episcopus, equi eius habenas apprehendit, eumquè retinens sistit. Cumquè ille ad stuporem versus, & grauiter admiratus: Cur illic tam clarus, & tam celebris famę Vir moraretur, inquireret: Da mihi (ait) manum tuam, & quę circa me sunt, non auditu disce, sed tactu: cumquè datam manum fluctibus immersisset Episcopus, tantus eam ardor absorbuit, vt vndiq; carnes eius resolutæ diffluerent, & ossa nudata vix hærentibus articulis remanerent. Ad quem Clericus: Cum nomen, inquit, tuum in tanta benedictione sit apud nos, & fama tua consonis totius Ecclesię praconijs celebretur, cur te pestilens hæc vorago constringit, tantoquè (proh dolor!) incendio cruciaris? Ad quem Sanctus Episcopus: Nihil (ait) aliud in me remansit vltione plectendum, præter hoc tantùm, quia in aula regia constitutus, Imperialibus me consilijs vehementer implicui, Canonicę synaxis officia per distincta horarum spatia non persolui. Manè quippe simul omnia coaceruans, tota diè negocijs ingruentibus secura libertate vacabam. Ob hanc itaquè negligentiam horarum, ardoris huius fero supplicium. Tu verò Omnipotentis Dei Clementiam humiliter implora, vt manum tuam, in salutis pristinæ restituat statum. Quod cum factum fuisset: Valde (inquit) fili obsecra Fratres nostros Ecclesiæ Clericos, & alios spirituales viros, vt pro me preces fundant, indigentibus subsidia conferant, sacrificiorum votis insistant. His enim peractis ego mox de vinculo pœnæ huius indubitanter expediar, & expectantibus me Beatorum choris lætus adiungar. His planè totam Damianus historiam concludit, qua vir Dei suam strenuè visus est pro obtinẽda venia efficaciter verbis causam perorasse; quem vnius dumtaxat culpæ obnoxium, tam acerba ignis, ac intolerabilis Purgatorij pœna constrinxit.

Petrus Damian. tom. 7. epist. 14. ad Desiderium Abbatem.

Peregrinus Colonien. Episcopus post mortem Purgatorij igne cruciatur.

Adlardo apparens, suis non auditu, sed tactu pęnas vult explorandas.

Pro leui culpa acerbe punitur.

Pro se à Sacerdotibus offerri preces postulat Coelo iam inserendus.

8. Seuera igitur, at iusta Dei in viros tepidè, oscitanterquè sibi deseruientes, ac promissis quoquo modo fraudem adhibentes censura in altero sæculo animaduertit; cuius nedum ipsos in Purgatorio detentos rei testes, sed ipsosmet obseruatioris vitę, ac Instituti Monachos alienis auribus præcones, assertoresquè haud semel habuit; sed ipse hac super re Damianus audiendus hic nobis est; hæc enim ille: Idem (inquit), quem dixit Adlardus, dum in Burgundiæ regno mihi con-

Petrus Damiani vbi supra c. 8.

uiator incederet: In hoc (inquit) loco, per quem nunc transitum habemus, aliquid contigit, quod si dixerimus, non videtur ociosū. Frater quidam nostri Cœnobij piæ mentis, & rectè conuersationis vir hic aliquando transibat, & ecce crinitus quidam quasi ex Hierosolymitana peregrinatione veniens, palmam ferebat in manu. Cumquè peregrinus, & Monachus inuicem obuij se se altrinsecus pertransissent, ait ille: Completoriū in lecto est nec salus, nec profectus. Quod Frater audiens admiratus expauit, ac repentè post terga respiciens, eū videre non potuit: Mox enim, vt verbum protulit, omninò disparuit. Ille verò ad conscientiā mox reuersus, inuenit, quia pridiano vespere laxus de via rediderat, & fessa in lectulum membra proijciens, iacendo Canonicas horas expleuerat. Vtrùm Angelus ille fuerit, an reuera (sicut videbatur) homo, Dei ducimus relinquendum indicio. Hæc Petrus, dum leuioris in persoluēdis Dei laudibus piaculi reos sic exagitatos diuinitùs fuggillat.

Diuinas in lectulo horas recitans, grauis ad Deum reus piaculi.

Ab alio sibi apparente monitus, rite, rectéq; post hac cū Deo rem agit.

7. Verùm (quod maius est) suis Dæmones in eiusmodi homines, qui diuinis turpiter in rebus torpescunt, sannis, latratibusque inuectos eodem Petro vbi supra narrāte, comperimus; Hæc enim ille: *Prior quidam (inquit) fuerat nomine Ioannes, qui lentis quibusdam infirmitatibus macilentus videbatur semper, & gracilis. Hac itaque sui corporis imbecillitate confisus, in lecto Completorium decurrebat. Accidit autem, vt Dæmoniacus quidam non procul abesset, qui multa hominum secreta, & obscœnos actus impudens propalaret. Cūquè prafatus Ioannes Demonem exire praciperet, & quibusdam exorcismi quæstionibus flagellaret: Tunc (ait) ille es, qui sub Cotto quotidiè Completorium insusurras, & modò me quasi Sanctus eijcere, & iuris mei vasculum de meo vis dominio liberare? Hoc audito Frater erubuit, quia rei veritatem etiam per mendacij cognouit auctorem.* Dæmon quippe Dei coactus imperio, stertentes inter sacri cultus obsequia, & non secus ac inter sanctiora Christianæ religionis munia ludētes, ac rem per iocum agētes, iustè aliquando, sapienterq; derisit.

Petrus Damiani, lib. de Miraculis.

Diabolus Ioannem Monachum diuinas laudes minus deuotè persoluentem increpat.

Cōfunditur Monachus rei veritatē per mendacij patrem intelligens.

8. Quoniam verò opportuna hic Dei laudū, ac religiosi quoq; in persoluendis ijsdem cultus opportuna nobis mentio recurrit, prælaudatus quidem Petrus, Ostiensis Episcopus, & S. R. E. Cardinalis, dum Legationis Apostolicæ munus in Gallijs obiret, à Vualthero Archiepiscopo Bisuntino, notæ virtutis, ac celebris famę Antistite, quem ipse summoperè extollit, exceptus, nonnulla eidē aptè, sapienterq, in rem præsentem suggesit. Ipsum namque corripuit (vt Baronius ait) quem correctione ex eo dignum putauit, quòd ipse paterentur Ecclesiæ ministros sedentes psallere; hæc enim postea ad ipsum scribens appositè suggerit: *Vnum præterea (inquit) corporis, ac desidiæ signum in tua Ecclesia vidi, quod & tunc, pro vt expeditionis dictabat hora, corripui, & nunc apicibus tradere non superfluum duco. Plerique siquidem ibi Clericorum resident, dum vel Canonica horarum celebrantur officia, vel etiam ipsa Missarum offeruntur terribilia Sacramenta. Cuius torporis ignauiam per Galliarum partes nonnullis inesse etiam Monachis deprehendi. Quod profectò prauę consuetudinis vitium, & correctione dignum, & de stadio militantis Ecclesię in his, qui incolumes sunt, constat penitùs eradendum, &c.* Hæc ille quibus subinde Baronius isthæc subtexit: *Qui haud visus (inquit) satis sibi tunc corripuisse de his Episcopum, reuersus, ad eundem eodem argumento prolixam satis eam epistolam scripsit, cuius est exordium: Non ignoras venerabilis Pater, &c. qua ex pluribus Diuinę scripturæ locis laborauit ostendere, nullo modo neque Clericis, neque Laicis in Ecclesia sedendum (nisi laboret quis infirmitate) dum Diuina officia persoluuntur. Quod vt primùm ipse in sua Ecclesia corrigat, inde in alijs quoque corrigendum procuret, admonuit.* Quæ quidem hic obiter meminisse voluimus, dum rigidis, acerbisque in Purgatorio, qui negligenter isthęc viuentes obirent, pœnis non ignoramus addictos.

Baronius an. 1062. n. 85.

Petrus Damiani Archiepiscopū Bisuntinum arguit, quòd ipsius Clerici sedentes Deo laudes persoluerent.

Petr. Dam. vbi epist. sup. ad eundem.

Baronius vbi supr.

Ipsum nedū corripit, sed & amaruleotas super hoc epistolas dirigit.

9. Vt ad susceptæ autem narrationis propositum nunc nostra redeat oratio; acerbiores profectò in Purgatorij igne pœnas exoluunt, qui benignam Dei ad pœnitendum vocantis audire vocem negligunt, ipsiquè (vt par est) morem gerere detrectant. Quod iuueni prȩsertim accidit, qui moras in peragenda pœnitentia protrahens, corde licet compunctus è vita decessit; Hæc enim Cantipratanus tradit: *In villa (inquit) prope Louanium Oppidum Brabantię, Iuuenis quidam disso-*

Graue piaculum ad Dei vocem, dum ad pœnitentiam vocat, obsurdescere.

Thomas Cantipratanus lib. 2. Exemplorum cap. 53. §. 25.

dissolutus, & leuis, languore decubuit. Rogatu ergò Matris Lambertus Presbyter leprosorum, vir pius, & zelator maximus animarum, venit ad iuuenem, & eum ad Confessionem peccatorum, & pœnitentiam sedulus inuitauit. Quo mox in multa valdè contritione confesso, & non multò post

Iuuenis apud Louanium seuerè, quia salutis negligens, post mortem plectitur.

mortuo, Mater pro eo continuauit interpolatè ieiunia, & vsque ad quinque annos quasi irremediabilibus lacrymis protelauit. Ergò vt ipsum tempus expletum est, die quadam Dominica, dictus Lambertus Presbyter mortuus est, & sepultus. Sequenti autem quinta feria prędictus iuuenis manifestè apparuit Matri suæ dicens: Ecce nunc Mater charissima adiutorio tuo ad requiem transeo de grauissimis pœnis, quas pertuli pro peccatis, &

A pœnis tandem liber apparēs Matri, gratias pro precibus exoluit.

mecum Dominus Lambertus Presbyter, qui me ad cognitionem, & Confessionem peccatorum meorum salubriter prouocauit: pro quo, & alijs multis, quos ad pœnitentiam salutis adduxit, multa mercede cumulabitur præmiorum, &c. Quàm seuerè igitur qui animæ, ac salutis negocium, ac Dei insuper voces negligunt, in altero puniantur sęculo; & quàm celeriter à pœnis liberi ad refrigerij locum conuolent, qui alios ad pœnitentiam, & Dei gratiam adducere satagunt, satis, superquè ex iam narratis probè vnusquisq; intelligit.

9. A Mortalibus itaquè admissæ, parui licet momenti in hoc sæculo culpæ, & quàmuis laudabiliter quisque, ac iuxtà pœnitentium morem vixerit, in altero tamen sæculo, nedum dignis pœnitentium animas pœnis torquendo cruciant, (sed quod acerbius est) à Dei conspectu, & supernis gaudijs & Sanctorum felicitate retardant; Quod quidem nonnullis ob pia hìc interdum prætermissa charitatis officia iustissimè contigit, ac Religioso præsertim viro laudabilis vitæ, ac probatissimis moribus prædito, de quo isthæc Franciscus Gonzaga in suis historiarum paginis narrat: *In Conuentu* (inquit) *Conceptionis B. Virginis Palmæ mortem obijt sub Annum Domini 1541. admirandæ religionis Pater Ioannes de Via, cuius perdeuotus quidam Frater nouitius nomine Ascensius curam gesserat. Cumquè is nouitius post aliquot dies à præfati Patris Ioannis transitu orationi feruentiùs instaret, maxima se claritate circumdari, atque Fratrem quendam summoperè resplendentem sibi approximari prospexit. Quod cum*

Leuiores culpæ acerbis apud Deum Purgatorij pœnis homines obnoxios reddunt.

Franciscus Gonzaga de Origine Seraph. Ord. p. 4. n. 7.

sibi tertiò accidisset, resumptis vtcumque viribus in prima siquidem, atque secunda visione tanto fuit timore correptus, vt nec verbum proferre potuerit, ab huiusmodi Fratre, quid sibi vellet, & quisnam esset, petijt. Cui ille: Frater (inquit) *Ioannes de Via ego sum, qui ex maxima Dei misericordia Cælicolis adnumeratus existo. Veruntamen nè id statim assequar, impedimento sunt quędam Defunctorum officia à me obliuioni tradita. Quamobrem à te obnixè peto, vt ea quàmprimùm ex charitate persoluenda cures, statimquè eiusmodi visio euanuit. Cumquè igitur Frater Ascensius visionem loci Guardiano retulisset, illequè præfata Defunctorum officia à Fratribus perlegenda curasset, apparuit denuò eidem Fratri Ascensio præfatus Pater Ioannes de Via, multò maiori claritate præfulgidus, sibiquè maximas ob prę̄stitum beneficium gratias egit: Insuper & significauit eorum alterum, qui ei à dextris adstaret (aderant siquidem illi duo Viri graues Minoritico habitu amicti) esse Seraphicum Patrem Franciscum, alterum verò Beatum Patrem Bernardinum.* Sic planè Deus leuiora, quæ quis per obliuionem incurrit seuerè adeo vindicans, in suis seruis piacula plectit: vt negligentiores quique à peccando homines maximè sibi cauendum intelligant.

Ioannes de Via Monachus se non nisi ob intermissa piorū operum suffragia purgatorio igni addictum narrat.

Ro d Fratribus peracta Cœlum ascendit.

10. Talem quippe Deus ab his, qui Cœlo sunt inserendi, vitæ puritatem, ac morum innocentiam requirit, vt ne dum perexiguus minimusque in pijs exercendis operibus labeculæ næuus occurrat, qui impedimento sit; sed nec cogitationes ipsæ aliquando illuc contendentibus aditum prohibeant. Cogitationibus quippe, quæ vitio subsunt, haud parua in Purgatorio iustam, rigidamque à suis Deo vltionem reposcente, pœna remanet, vt ipsemet, qui acerbissimè ob id olim post mortem mulctatus est, vel suo testatissimo cunctis exemplo testis futurus, ac præco iā docuit; de quo isthæc Iordanus: *Quidam Frater* (inquit) *mihi notus, singularis vitæ, & magni status in Ordine, vno anno post mortem apparuit in visione cuidam viro pio dicens: eatenus se fuisse in atrocissimis tormentis, sed nunc Dei miseratione fore liberatum, & cælesti familiæ associatum. Admirans autem ille, quòd tantæ sanctitatis, qualis ipse fuerat, ab hominibus reputatus, tanto tempore pœnas ge-*

Iordanus de Saxonia lib de Communione spirituali cap. 30.

Monachus laudabilis vitę, ob prauas cogitationes nō statim reiectas acerbis Purgatorij pœnis cruciatur.

biennales sustinuisset, interrogauit eum, ob quam causam tanto tempore tantas pœnas luisset. At ille respondit: ob cogitationes prauas, quibus sæpe in corde inquinabar, quas per pœnitentiam non luissem, licet à fœdis actibus Diuina propitiatio me custodierit. Seuera quippe nedum opera, sed & ipsas ad Dei Tribunal cogitationes cēsura expetit, ac ipsius, dum adhuc homines viuerent, pœnitentię contemptus reatum culpæ auget, ac iustum pœnarum tum modum, tum mensuram irreparabiliter in Purgatorio exoluendam indicit.

Ob cogitationes malas quis plectitur.

11. Leuiores igitur vitæ culpas, quia Deo in suis maximè displicent, condignis in hoc sæculo pœnis compensandas nemo prudens est, qui non videat, adeoque Viri Sanctitate præcipui has haud contemnentes flendo, pœnitendo sollicite diluendas curarunt. Quapropter Paula Romanarum, & simul pœnitentium nobilissima nil antiquius habuit, quā lacrymis iugiter se ipsam abluere, de qua isthæc Hieronymus: *Lauabat* (inquit) *per singulas noctes lectulum suum: oculos eius fontes crederes lacrymarum. Ità leuia plangebat peccata, vt illam grauissimorum criminum crederes ream &c.* Sciebat quippe offensum haud aliter sibi Deū placandum. Quod item Ioannes Monachus adolescens pro leuissimis quibusque culpis valde sub vitæ finē sollicitus præstitit, de quo isthæc Petrus Venerabilis: *Ioannes* (inquit) *Monachus adolescens statim vt se granari morbo sensit, totum cor, totam operam ad ea, quæ post mortem sequuntur, conuertit: & licet non dum desperaret de vita, integro sensu vigente, & ratione animi in nullo diminuta, cuncta, quæ de præterita vita sua occurrere potuerunt, integerrime confessus est: Flebat autem ità de leuibus, ac si de grauissimis peccatis & quantum poterat, sincerissima, ac luctuosa confessione, animam, corpusque suum benigno Saluatori affectuosissimè commendabat &c.* Sic præferuidus iuuenis leuiores animi labes moriturus visus est expauisse, dum sibi haud lacrymis parcendum, rigidas alterius sæculi pœnas contemplando indixit.

Paula Matrona lacrymis labeculas expiat.

Hieron. Epist. Paulæ.

Petr. Vener. ab. lib. 5. Ep. 39. de Ab. de Rupibus.

Ioannes monachus adolescens moriturus minutiores culpas defler.

Seueranus lib. Pretios. mort. Iustor. pag. 309.

12. Demum acerbè post momentaneam hanc vitam in Purgatorio igne nedum cruciantur, qui pietatis (vt vidimus) opera negligenter hic obeunt, verùm etiam qui collata sibi diuinitus dona per otium, ac socordiam frustrà possident, ac Deum iisdem non vt par est deuoto grati animi obsequio colunt; Quod quidem proculdubio exemplis euincitur, ac ipsæ haud semel defunctorum animæ per visum testatæ sunt viuentibus. Sed quid præ alijs Pico Mirandulano Principi olim contigerit, Martino Delrio narrante, hic accipiamus: *Franciscus Picus* (inquit) *Comes Mirandulanus in vita Ioannis Pici Patrui scribit, non longo post obitum Ioannis Pici tempore spectrum Ioannis apparuisse Hieronymo Sauonarolę, eique dixisse, torqueri se pœnis expiatorijs, eo quòd non satis diligenter, & fæcundè talentum sibi à Deo creditum eruditionis, & ingenij multiplicasset: & quia non quanti par erat, fecisset internas Dei suggestiones, inspirationesq; quę adhortabātur honestos labores, quos incohoant, nō abrumpere, & quæ sibi animo proposuerat, ea instanter operari, atque perficere. Quæ Hieronymus mox in concione proposuit, & omnium precibus Picum commendauit.* Hęc ille. Deus quippe haud hominum impunè aliquando socordiam in acceptis ab ipso donis fideliter pertractandis, exercendisquè præterit, dum sic homines acceptorum immemores post vitæ cursum plectit, pœnisquè acriùs instando exagitat; adeò vt aptè diuina Gregorij verba singulis occinant: *Sollicitè* (inquit) *considerare nos admonet, ne nos, qui plus cęteris in hoc mundo accepisse aliquid cernimur, ab Auctore mundi grauius inde iudicemur.* Proinde Vir sanctissimus dicti rationē afferens: *Cum enim augentur* (inquit) *dona, rationes etiam crescunt donorum. Tantò ergo esse humilior, atque ad seruiendum Deo promptior quisque debet ex munere, quàm se obligatiorem esse conspicit in reddenda ratione, &c.* Qui demum tum serui in ipsius Domini obsequio præferuidi, tum alterius in suo explendo munere torpentis exemplo alliciens cunctos, vnà simul ac terrens; sic suum aptè sermonem cunctorum documento concludit: *Bene* (inquit) *operantes pro apportato lucro remuneras, seruum verò à bono opere torpentem damnas.* Vt ex iam præmissis satis, superquè innotescit. Quibus Lectori delibatis supremam huic libro manum, narratisque hactenus ad alia orationis stylum conuertentes, finem ipsius Bernardi verbis imponimus: *Bonus* (inquit) *finis Vita æterna, bonus finis, qui non habet finem.*

Martinus Delrio Disquisit. magic. quæst. 26 sect. 5.

Ioannes Picus Mirandulanus ob dona sibi à Deo præstita non fideliter expensa, acerbè in Purgatorio igne exuritur.

Drauoultius catechis. hist. cap. 6 tit. 22 ex 8.

Gregorius hom. 9. in Euangelia.

Cum Dei dona augentur, rationes etiam donorum crescūt ex Gregorio.

Gregorius vbi supra hom. 9. in Euangelia.

Gregorio vbi supr.

Ber. ser. in psal 90.

SELE-

SELECTÆ POENITENTIVM MORTES

LIBER SECVNDVS

POENITENTIAE virtus adeò grata,& iucũdaDeo eſt,vt hac nil acceptius, & nihil præ cunctis deſideratum magis arrideat: *Eſt Deo*(inquit Origenes) *magna feſtiuitas humana ſalus*. Quod aptè item Hieronymus,ſapienterquè aliquandò inculcans: *Quanta* (inquit) *lætitia*, *vt de ſalute noſtra exultent cœleſtia*. Enim verò quia Deus maximè Pœnitentia hominum delectatur, & gaudet, inde fit, vt peccatores diù, ac patiẽter nunc tolerans, ipſos non tam perdere, quàm lucrari, ac ſaluos tandem fieri cupiat: *Diſſimulans*(vt Sapiens ait)*peccata hominum propter Pœnitentiam*.Quod diſertis haud ſemel Chriſtus in Euangelio verbis ediſſerens: *Gaudium eſt*(inquit)*in Cœlo ſuper vno peccatore pœnitentiam agente, quàm ſuper nonaginta nouem iuſtis, qui non indigent pœnitentia*. Immenſa quippè Dei bonitas vel ipſis indiget peccatoribus, vt ſuam indigentibus benignitatem indulgendo demonſtret. Quapropter appoſitè Tertullianus Angelorum ſuper hominum ad Pœnitentiam reditu, nec ſuo ſatis pro merito lętitiam demiratus. *Lętantur* (inquit) *Angeli Pœnitentia hominum. Vides, vbi de te, ò peccator, gaudeatur?* Iure igitur Chriſtus Dominus ad ſua, ſuorumque complenda gaudia in Mundum olim veniens,id potiſſimùm ſibi propoſitum habuit, vt feſtinus deuios feſti-

Origenes hom. 3. in libros numer. Hieronymus Epiſt. 46. ad Ruſticum.

Quantum Deo curæ hominum ſalus.

Sapientia 11. 14.

Lucæ cap. 15.

Deus peccatoribus ad miſerendum indiget.

Pœnitentia hominum,& lacrymę, Angelis gaudiũ.

Tertullianus lib. 9. de Pœnitentia.

ſtiuuſquè homines ad nuptialem Pœnitentiæ thalamũ inuitando adduceret, perditoſquè omnimodis in ſalutis reuocando ſemitam in tuto reponeret. Quod adeò verum eſt, vt non tam iuſti, quàm peccatores Deo in terras veniendi, ac tanti inſuper eius ob ipſorum reditum gaudij in cauſa fuerint: *Non enim* (inquit) *veni vocare iuſtos, ſed peccatores ad pœnitentiam.* Ad quod item Auguſtinus alludens *Non eum* (inquit) *de cœlo noſtra merita, ſed peccata traxerunt.* Pœnis quippe ob lucrifaciẽdas hominum animas, hominum Cõditor nedum affici, ſed & inſuper ſaginari, magnum ſanè ſibi lucrum, & ſimul gaudium computauit.

Aduentus Dei in Mundum peccatores in cauſa.

Luc. cap. 15. Auguſtin. in verba Euangelin. Luc.

2 Inter præcipuas verò Pœnitentium Mortes, quæ hìc Lectori cõtemplandæ ob oculos proponuntur, opportuna quoque de his mentio eſt, qui multimodis ſingulari Dei beneficio ad Pœnitentię ſinum euocati, magno demum ſalutis emolumento amplam in Cœlo mercedem ſunt conſequuti. Primum igitur de ipſius Pœnitentiæ, & Contritionis dono diuinitus quandoque peccatoribus, ac inter peccata aliorum precibus impertito. De his ſubindè, qui è vita lacrymis ſalubriter expiati deceſſere hìc nobis, ſermo occurrit. Quibus verò potiſſimùm id auxilijs pœnitendo præſtiterint, vel ex eo conſtat, quòd eorum nonnulli, audito Dei Verbo, ad bonam ſe illicò frugem recepere; Alij Diuino deſuper magiſterio edocti, voluptatum, ac ſæculi vanitate perſpecta, religioſæ mox vitæ nomen dedere. Verùm quia occultis, inuſitatiſque modis ſumma Dei Benignitas hominibuſ præſtò eſt; Malorum quoque incommodis plerique traducti ſimul feliciter ad Deum ſunt: Flagellis etenim nonnulli, ærumniſque attriti ab animi culpis reſipuere. Alij item doloribus, nec nõ multiplici corporis infirmitate vexati, ſanam diuinitus mentem, ad Pœnitentiæ confugiendo remedia receperunt. Quinimmò quoniã præpotentis Dei nutu omnia cooperantur in bonum, triſti, funeſtoque è vita nonnulli prępepti exitu, perennem deniq; animæ vitam morte lucrati ſunt. Quidam verò vel inter ipſas fugientis vitæ anguſtias, quò Cœli latitudine potirentur, deprehenſi anxia, inſurgentium intus in animo Scrupulorum ſollicitudine cruciati; Nonnulli inſuper patienter illatas ſibi dictis, factiſque moleſtias perferendo; Alij itẽ aduerſantium vltrò iniurias condonando, peccatorum à Deo veniam promeruere. Pœnitentes demum Sanctorũ precibus, ne tentantium Dęmonum dolis, ac inſidijs ſuccumberent, ſub vitæ finem adiuti, & omni inſuper inter mortis angores ſolatio deſtituti, ipſoſque interim conſolatores ſortiti Angelos, recto denique in Cœlum itinere perueniſſe noſcuntur.

Rerum hoc libro pertractandarum Catalogus.

Cuncta ſummatim, quæ ſuis capitibus explicantur.

Ad Rom. cap. 8.

Varij Pœnitentium modi.

CAPVT I.

CAPVT PRIMVM.

Pœnitentiæ tempus opportunè vnicuique à Deo exhibetur.

3 OPPORTVNA siquidem Deus, *qui non vult* (vt Prophetæ hic verbis vtamur) *mortem impij*, *sed vt conuertatur impius à via sua*, *& viuat*, opportuna inquam Pœnitentiæ, quæ ad consequendam salutem maximè necessaria est, remedia hominibus deesse non patitur; Ipse etenim, *Cuius opus*(vtMagnus inquit Leo)*misericordia est*, miserendi hominibus finem haud vnquam facit, nec vllum proinde mortalium indulgendi culpis terminum ponit. *Non vsque septies*(Christus inquit) *sed vsque septuagies septies*. Semper quippe iuxtà Prophetæ verbum, suæ ostensurus diuitias bonitatis: *expectat Dominus*, *vt misereatur*, *& exaltabitur parcens vobis*. Quod conceptis item ipse aliquandò verbis Apostolus inculcans, ac immensam Dei tum bonitatem largiendo, tum expectando, & veniam peccatoribus exhibendo patientiam demiratus, illis peccantium singulos verbis interpellat: *An diuitias* (inquit) *bonitatis eius*, *& patientiæ contemnis? ignoras*, *quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit*. Altissimus igitur, qui suo certum Iudicio diem præscripsit, tempus omne, cunctaquè miserendo, vitæ hominum tempora, & quæuis ad pœnitendum mortalibus sæcula prouidus destinauit, vt vel suam in hoc maximè longanimitatem ostenderet, ac suæ item Mundo misericordiæ Sacramenta reuelaret; Deus quippe parcendo semper, ac indulgendo homini præstò est: *Pœnitentia etenim* (vt Arnoldus ait) *non arctatur numero*, *non clauditur fine*, *nullas omninò habet metas diuina Clementia*: *fit*, *qui innocet*, *erit*, *qui indulgeat*. Nemo igitur à Pœnitentiæ sinu repellitur, nec à Dei imploranda misericordia mortalium quisquam excluditur, vt optimè in rem aliquando Tertullianus inculcat: *Omnibus*(inquit)*delictis*, *seù carne*, *seù spiritu*, *seù facto*, *seù voluntate commissis*, *qui pœnam per Iudicium destinauit*, *idem veniam per Pœnitentiam spopondit*. Pari quippe gradu, & hominum peccando malitia, & Dei parcendo bonitas procedunt.

Ezechielis, cap. 33. 11.

Pœnitentia hominibus semper Dei munere præsto est.

S. Leo Papa ser. 2. de Natiuitate Dom.

Mathæi c. 18.

Isaia c. 30.

Benignitas Dei hominē ad pœnitentiam adducit.

Ad Romanos cap. 2.

Arnoldus de pœnit.

Pœnitentia vera nunquā sera ex Arnoldo.

Tertullianus lib. de pœnitentia cap. 4.

Deus per Iudicium peccati pœnam minatur, & veniam per pœnitentiā repromittit.

2. Immensa itaque Dei Bonitas, quæ semper hominibus condonando subuenit, sua nunquā vel ingratis ad Pœnitentiam confugientibus auxilia denegat, sed maximis quibusque scelerum piaculis, ad Deum Pœnitentiæ aditus patet, vt suis optimè, paribusque Nazianzenus, Dei Clementiam, hominumquè malitiam dictis exaggerans, suis eleganter hunc in modum carminibus adumbrat.

Ecquem scelerum superauit mole Manasses?
Vrbibus ex cunctis Niniue, cui crimine cessit?
Denique quid dextra Publicani nequius vsquam?
Attamen hos etiam Christus commissa dolentes
Crimina, donauit venia, noxasquè remisit.

Nazianz. in carm. ad Vitalianum.

Immensa Dei bonitas & hominum malitia metricè à Nazianzeno ostenditur.

Summa igitur Dei commiserantis pietas, nedum se, suaque in bonos gratiarum dona effundit, sed& erga impios, ac sibi rebelles maximè vbique condonādo, affulget, vt Nazianzenus aptè prosequitur.

———Nec gratia summi
Numinis, ac in re posita est, vt ritè colentem
Munera iustitiæ, nexu sibi copulet arcto,
Sed magis vt facilem se det, placidumquè cadenti.

Nazianzen. vbi supra.

Summa Dei pietas erga bonos & malos.

Altissimus quippè auxiliarem tum iusto, tum peccatori manum exhibet, vnum scilicet suis gratiarum donis fouendo, alterum verò è malis, quibus premitur, releuando. Quapropter mortalium quisque inexhaustam Dei bonitatem, eiusq; par-

parcendo Clementiam seriò attendens, dum emergendi à vitijs spem vltrò concipit, qua posthac securus ad ipsum, velut ad totius misericordiæ, & gratiarum fontem recurrat; adeoquè Augustinus proposito sibi ob oculos peccatorum maximè exemplo, qui pœnitendo à culpis, se ad Deum feliciter ipsius veniæ obtentu traduxere, ad ipsum diuinitatis asylum profugiendi certam proculdubio fiduciam deriuabat; *Animant me*(inquit) *publicani, & peccatores, qui è mortis faucibus momentanee eruti, finibus excipiuntur pastoris*. Inde fit, vt proculdubio innumeri fere recensendi nobis hic suppetant, qui varijs obnoxij culpis, vnius tamen Pœnitentiæ subsidio peccatorum veniam, ac Dei simul gratiam sunt consequuti.

Augustin. in meditationibus.

Spem magnam veniæ, ac certam Augustinus ab ipsis peccatoribus deriuat.

3. Pœnitentia igitur, cum præcipuum miserantis Dei donum sit, iusto item ipsius consilio, & quo cuncta perpetuo reguntur arbitrio, vni quidem conceditur, alteri verò econtrà denegatur: *Miserebor* (inquit Propheta) *cui voluero, & clemens ero, in quem mihi placuerit*. Enimuerò cùm peccatorem benigna Dei pietas è Cœlo respicit, mox ipsum è malis præreptum ad suæ thronū gratiæ miserādo adducit, vtsuis Magnus Leo verbis testatur: *Misericordia Dei* (inquit) *nec mensuras possumus ponere, nec tempora definire: ad quem nullas patitur venire moras conuersio, dicente spiritu Dei per Prophetam: Cum conuersus ingemuerit, tunc saluus eris*. Et sanè præpotentis Dei, quę nunquam deficit bonitas, & misericordia, quæ finem nescit, quàm multis interdum è Cœlo affulsit, ipsiusque pariter Iustitia in alijs pluribus, qui in suis miseri culpis obduruere, palam se cunctis prodit. Quod Augustinus aliquando, ac seriò secum expendens, Nabuchodonosor videlicet, & Pharaonem, vnum ex his ad Deum salubriter conuersum, alterum verò corde penitus obduratum, ac cæteris exemplo contemplandos proponens, hæc habet: *Nabuchodonosor* (inquit) *non ne post innumeras impietates flagellatus pœnituit, & Regnum, quod perdiderat, rursus accepit? Pharao autem ipsis flagellis durior est effectus, & perijt? Hic mihi rationem reddet, qui diuinum consilium nimium alto, sapientiquè corde diiudicat, cur medicamentum vnius Medici manu confectum, alij ad interitum, alij valuerit ad salutem, nisi quia Christi bonus odor alijs est odor vitæ in vitam, alijs est odor mortis in mortem? Quantum ad naturam, ambo homines erant; quantum ad dignitatem, ambo Reges; quantum ad causam, ambo captiuum Dei populum possidebant, quantum ad pœnam, ambo flagellis clementer admoniti. Quid igitur fines eorum facit esse diuersos, nisi quòd vnus Dei manum sentiens, in recordatione propriæ iniquitatis ingemuit; alter verò libero contrà Dei misericordissimam veritatem pugnauit arbitrio?* Amborum igitur, cum suo quisque rem ageret, ac pugnaret arbitrio, quòd vnus Deo vocanti subitò paruit, alter verò pertinaciter obstitit, id vni profectò Dei misericordia benignè contulit, quod alteri iustè, & absque alterius iniuria denegauit, vt sic rem idem Augustinus prosequitur: *Cùm aliquos* (inquit) *à Deo traditos desiderijs suis, aut obduratos legimus, ac relictos magis in peccatis suis, hoc ipsos meruisse profitemur, quia talia eorum crimina præcesserunt, vt ipsi sibi pœnam debuerint, qua eis etiam supplicium verteretur in reatum. Atque ità nec de iudicio Dei querimur, quos deserit, meritò deseri: & misericordiæ eius gratias agimus, qua liberat non meritos liberari*. Hæc ille; quibus, quæ doctus, sapidusque inter recentiores scriptor, apteque in rem præsentem in suis paginis tradit, subtexere haud piget; *Nec verò* (inquit) *quisquam hominum potest iure Numini quæstionem mouere, quando vnum perire finit in flagitijs, non alterum; temperat enim pulcherrima varietate Deus in hoc Orbe misericordiam suam cum iustitia; & quemadmodum ei, qui voluntate sua grauiter improbus est, non debetur lege iustitiæ amplius Diuinæ bonitatis fauor; gratiaquè auctior: adeoquè si interit, sua culpa interit; sic nihilominus potest gratis, & ex sola misericordia ita in scelestum Deus affici, vt eidem conferre velit, gratiam non debitam, cuius prauidet appendicem fore conuersionem, & salutem, iuxtà illud: Miserebor, cui voluero; & clemens ero, in quem mihi placuerit. Nisi velimus potentiam Dei infra humanam deprimere. Scimus apud Pharaonem Aegypti Monarcham offendisse olim grauiter pincernam, & pistorem. Vtrumque igitur in carcerem, & in vincula missa* vtriusq;

Exodi c. 33. ver. 19.

Misericordia Dei, ipsius dūtaxat donum.

S. Leo Papa Epist. ad Theodoru in Forojulens. Episcopum.

Cur Nabuchonosor cō punctus, & Pharao obduratus ex Augustino.

Augustin. lib. de predestin. & gratia cap. 15.

Nō nisi Dei bonitas, ipsiusq; hominis malitia in causa.

Augustin. vbi supra.

Zebentner in Promont. malis spei lib. 3. cap. 3. n. 19. pag. 393.

Cur è tot numero hominum vnus saluetur, alter verò pereat.

Exodi c. 33. v. 19.

Tota in Deum & in hominẽ pariter diuersitatis ratio refunditur.

vtriusque postea adhuc captiui recordatus fuit inter epulas, vtrique vitã poterat gratiam facere, Iustitia nihil contradicente, multum applaudente misericordia, & tamen pistorem capite damnauit, atque in cruce escam coruis obiecit; pincernam officio restituit, itemque ad regię mensę ministerium recepit. Itaque homo possit in immeritos dispensare gratiam suam, & non possit Deus? Hæc ille, qui ineffabilia Dei Iudicia grato, deuotoque honoranda silentio, & haud curiosiùs perscrutanda inculcans, sic tandem concludit: *Nimis* (inquit) *mortales cæci sumus, quando etiam ad hunc Solem oculatissimi Sancti se fassi sunt vespertiliones, & noctuas.* Humana itaque vnà cum suis rationibus ratiocinandi potentia, ac mortalium, quæuis iudicia sileant oportet, vbi in culpis per Pœnitentiam condonandis sola Dei misericordia affulget, ac est facientis simul, ac faciendi ratio.

Ineffabilia Dei iudicia silentio honoranda.

Zehentner vbi suprà.

Guil. Dux Aquit. apud Surium 10. Feb.

Zehentner. vbi supr.

4. Quoniam verò sublimis merito Pœnitentiæ virtus Deo, ac hominibus accepta in primis est, tanti hæc apud Deum plerũmq; valet, idquè in animarum profectu vitium habet, vt homines ex terrenis cœlestes, quin ex Dæmonibus quodammodò Angelos faciat; quod tum antiquæ, tum recentis memoriæ exempla cunctis palam ostendunt; Atqui præcipuum inter innumeros pœnitentium greges Guillelmus Aquitanorum Princeps sibi iure merito locum vindicat, qui etsi cunctis fere sceleribus obnoxius, ac vitiosus adeò, vt se ipsum vitijs, nedum alios, ac delinquendo superaret; demũ tamen Deo aspirante, compunctus, ac verè pœnitẽs, antiquum in se ipso postmodũ è Saulo Paulũ exhibuit. Sed cũ pluribus insignia hominis huius & tum vitijs, tum virtutibus gesta contemplanda in historiarum Tabulis proponantur, nos breui rem totam verborum compendio ipsius Zehentner verbis delibandam hic volumus. *Ab æconomo* (inquit ille) *ad Ducem Aquitaniæ vocor, Guillelmum, inquam, qui ingentia scelera pari pœnitentia castigauit. Coniugio fraternæ vxoris Herodi aliquandiù non impar vixit. Ad duella cogebat obuios, non inuitabat; neque iam Ducem se Aquitaniæ putabat, nisi factionis quoque, quæ contrà Innocentium Pontificem pugnabat, Dux esset. Mellea verba Bernardus ingesserat, fel merum retulit; minas addideras, maiores audiuit. Ergò secundum Diuina, ipso iam Eucharistico Numine armatus Diuus, hominem sibi proterue refractarium non tam humi sternit, quàm fulminat. Ità tandem pœnitens factorum Guillelmus, & victam Deo manum daturus, ab Anachoreta consilium accipit, vt nudum corpus posthac ferrea loricâ, caput galea frigida tegeret, seipsum longè maximum hostem expugnaturus asperitate nouæ vitæ. Talis ergò ad Innocentium Pontificem, inde Hierosolymam tendit. Ibi antrum lacrymis implet, & gemitibus. Tandem solitudines, montesquè mutat, donec vltimò in stabulo Rhodis obijt feliciùs vtiquè, quàm in Palatijs vixerat.* His bellè, eleganterquè totam hominis in alterũ planè immutati, & tam fœdam hominis inter peccandum faciem, quàm pulchram inter pœnitendum subinde, ac pœnarum squallores imaginem, suo ad viuũ stylo Auctor in Tabula adumbrat. Cui illa Psalmistæ diuinitùs pro elogio verba occinunt: *Hęc mutatio dexterę Excelsi.*

Guillelmus Aquitanorũ Princeps, pœnitens, magnum diuinę bonitatis argumẽtum.

Zehentner in Promont. malæ spei. lib. 4. §. 5.

Pręcipua ipsius scelera, & pœnitẽtię virtus tum egregiè in Tabula adumbrantur.

Eucharistię sacramento sacrilegus expugnatur.

Feliciter cõpunctus, ac poenitens in stabulo moritur, qui in Palatijs infeliciter vixit.

Psal. 76. v. 11.

5. Perditis itaque proculdubio hominibus si culparum seriò ipsos pœniteat, spes imperrandæ à Deo veniæ suppetit, at præter innumera tũ ex antiquis, tum recentibus historiarum monimentis, quæ non desunt, argumenta, satis id ipsum in D. Brigittę reuelationibus traditur, vbi hæc: *Quidam* (inquit) *magnus Dominus secundum Mundum, qui diù non fuerat confessus, grauiter infirmabatur: Cui compatiens Sponsa (S. Brigitta) orabat pro eo. Christus verò apparens tunc Sponsę, loquebatur ei dicens: Dic Confessori tuo, vt illum infirmum visitet audiendo confessionem eius. Cui venienti respondit infirmus, non se indigere Confessione, testans se sępissime confessum. Iterum verò sequenti die iubetur à Christo Confessor redire, qui veniens ad infirmum, similẽ (sicut prius) recepit responsum. Tertio autem die, iterum veniens Confessor ad infirmum, ex reuelatione Christi Sponsę facta, sic dixit ei: Christus filius Dei viui, & Diaboli Dominus dicit tibi: Tu habes in te septem Demonia, Venus sedet in corde, ligans illud, ne de peccatis compugnaris; secundus sedet in oculis, ne videas vtiliora animæ tuæ; Tertius sedet in ore, ne loquaris ea,*

Ex reuelat. S. Brigittæ lib. 5. c. 97.

In Promont. malę spei apud Zehentner lib. 3. §. 3. pag. 382.

Famosus & peccatorum numero salutẽ à Deo sperare iussus ex Brigitta.

ea, quæ sunt ad honorem Dei; Quartus sedet in inferioribus tuis, ideò dilexisti omnem impuritatem: Quintus est in manibus tuis, & pedibus, ideò homines spoliare, & interficere non verebaris; Sextus est in interioribus tuis, & ideò gulæ deditus es, & ebrietati; Septimus est in anima tua, vbi Deus sedere deberet, & modò ibi sedet Diabolus inimicus eius; ideò pœnitere citiùs, quia adhuc Deus propitiabitur tibi. Tunc infirmus ille cum lacrymis respondit, quomodò mihi persuadere poteris veniam, qui tot publicis sceleribus sum irretitus: Respondit Confessor: Iuro tibi, quia expertus, quòd etiam si maiora fecisses, per Contritionem saluaberis. Tunc ille iterum cum lacrymis dixit: Ego desperabam de salute animæ meę, quia homagium feci Diabolo, qui mihi multoties loquutus est; ideo iam sexagenarius nunquam feci Confessionem, nec sumpsi Corpus Christi; sed finxi mihi negocia, quando alij communicabant. Iam verò confiteor tibi Pater, quòd tales lacrymas, quales nunc habeo, nunquam recordor me habuisse. Igitur illo die quater confessus est, & sequenti die etiam post Cōfessionem communicauit. Post hæc autem sexto die mortuus est, de quo Christus ad Sponsam sic loquebatur dicens: Iste homo seruiuit latroni, cuius periculum ostendi tibi priùs; ab eo iam fugit Diabolus, cui homagium fecerat, & hoc fuit propter Contritionem, quam habuit: et iam venit ad purgationem, et huius liberationis signum est Contritio, quam habebat in fine. Sed potes quærere; Quare meruerit Contritionem homo, qui tantis sceleribus inuolutus erat? Respondeo tibi, hoc fecit dilectio mea. Pœnitentia quippe, ac intima cordis compunctio, quæ gratis, nec cunctis, sed cui Deus vult, misericorditer ab ipso confertur, gratuitum dumtaxat Dei donum, haud debitum est, ac promerentis hominis opus.

Quæ, & quāta huius scelera.

Homagium cum Dęmone fecerat, & sexagenarius sacramentalem Confessionē nesciebat.

Ingenti donatus Contritione, ac breui purgatione expiatus Cœlum obtinet.

6. Altissimus igitur, qui (vt Apostolus ait) *misericordiarum Pater est*, calamitates, quas peccatoribus eorundem exigentibus culpis, ad iracundiam prouocatus è Cœlo intentat, haud misericordiæ inter irascendum oblitus, ipsorum denique, quos sic plectit iratus, in bonum aliquando conuertit; *Dominus enim mortificat, et viuificat, humiliat, et sublenat, deducit ad Inferos, et reducit.*

2. ad Corinth. 13.

Lib. 1. Regum c. 2. v. 6.

Quemadmodùm enim quo tempore fatale, funestumquè sub Noemo vniuersam Terræ faciem diluuium operiendo inundauit, horum quamplures sub extrema ipsius vitæ momenta, & dum aquis iam naufragi obruerentur, ad Pœnitentiæ tabulam recurrendo, misericordissimam à Deo pietatem impetrarūt, haud aliter, dum acerbissima redempti Orbis Anno 1348. vniuersū ferè Mūdum lues serpendo depasceret, absumeretque mortales, certè ex his complures, vel dum ipsos pestilens subitò inuadens morbus demetit, antiquarum pertæsi culparū, & ad Deū pœnitēdo conuersi, mox peccatorum veniā, & animæ salutē inter vitę, ac mortis angustias feliciter sunt adepti. Enimuerò mortales sub ipso mortis aspectu validè absterriti, & vt Rainaldus ex Nauclero in suis paginis tradit, toto corde compuncti priùs culpis, ac vitijs malebant, quàm sibi, & vitæ, ac Mūdo mori; adeò vt præcurrēs lacrymis Pœnitentia peccando prius, quàm viuendo finem imponeret. Hæc enim scriptor: *Proxima mortis imagine* (inquit Rainaldus) *omnes consternati, sæpiè ad deflenda crimina, ac Sacramēta frequentanda comparasse referunt; et quod mirum est, adeò pietatis sensu plerosque delibutos, diuino mulcente Numine mortis acerbitatem, leui quodam proxima ęternæ felicitatis pragustu, vt mori gauderent.* Hæc ille. Sed iuxtà Naucleram, qui tragicam exactè historiam scribit, immensamquè communis omnium luctus acerbitatem in suis paginis ob oculos contemplandam exhibet, haud alia re, vt tradit, quàm pœnitentium lacrymis, atque animarum lucris immensam vbiq; Terrarum doloris, malorumquè acerbitatem compensari contigit: *Ferunt* (inquit) *solatio fuisse huic tanto luctui, quòd pueri innocentes morituri pleriq; & iubilando, & gaudēdo laudes Dei dixerint: peccatores, priusquàm sentirent vim pestilentiæ, totis animis pœnituisse, adeò vt etiam vltrò mortē expectarent.* Hæc scriptor, dum tristem, funestamque tot pereuntium stragem, non absque ingenti animarum extitisse lucro affirmat.

Plures inter diluuij aquas Noemi tempore pœnitentia expiati.

Rainaldus an. 1348. num. 32.

Ingens lues an. Christi 1348. fæuiēs multos ad pœnitendū adducit.

Rainaldus vbi sup.

Nauclerus gen. 45.

Sub ipsum mortis aspectum plures compuncti, læti mortem expectant.

7. Porrò haud Christi duntaxat fideles eiusmodi malis edocti, & calamitate compuncti, ad meliorem frugem sunt

sunt Deo aspirante, traducti; sed & ipsi pariter infideles ob impietatem, & Sectæ superstitionem se iustè exagitatos diuinitùs rati, ad Christianorum sacra pro vitanda mortalitate solliciti profugere, licet posteà cum diram apud Christianos quoque luem grassari, ac inualescere comperissent, ad pristinos redierint suæ impietatis errores, vt Vualsingamus his verbis tradit: *Sed comperto* (inquit) *quòd in Secta Christiana eadem pestis inualescit, iterum ad vomitum reuertuntur. Sed infidelium calamitas cum ipsorum calamitate conferenda non est.* Hęc ad rē ille. Et Deus siquidem peccatores, dum publicas calamitates immittit, ad salutem, non ad interitum flagellis impetere consueuit, vt malorum videlicet instar seruorum verberibus attriti, à malis se contrahendo, ad Diuinum paternæ pietatis sinum concito gradu recurrant, vt ex historialibus Cortusiorum paginis, in quibus deploranda eiusmodi lues, his verborum præludijs describitur: *Deus omnipotens, qui non vult mortem peccatoris, sed vt conuertatur, & viuat; primò minatur, secundò verò percutit ad correctionem humani generis, non ad interitum volens affligere humanum genus, plagis maximis inauditis. primò in extremis partibus Mundi in Orientis plaga cæpit suum Iudicium horrendum. Cùm verò iam percussisset Tartaros, Turcas, & genus infidelium vniuersum in M.CCC.XLVIII. die XXV. Ianuarij hora XXIII. fuit maximus terręmotus per horam mediam ad terrorem Christianorum: post quem pestis inaudita transiuit mare, scilicet in partes Venetiarum, Lombardiæ, Marchiæ, Tusciæ, Alemanniæ, Franciæ, & ferè per Mundum vniuersum. Hanc quidem infecti venientes de partibus Orientis detulerunt. Hi solo visu, vel tactu, vel flatu omnes occidebant. Erat hęc infectio incurabilis; non poterat euitari; vxor fugiebat amplexum chari viri, pater filij, frater fratris; & è conuerso talium domus, et vestis occidebant. Sepelientes, portantes, videntes, vel tangentes, subitò multoties expirabant. Sic ouis infecta inficit totum gregem. Sic vnius domus decedentem vnum semper moriendo cæteri sequebantur vsque ad canes. Corpora etiam nobilium manebant insepulta. Multi pretio à vilibus sepeliebantur sine Presbyteris, et candelis. Veneti verò vbi centum millia perierunt, nauibus redemptis magno pretio corpora ad Insulas portabant: Ciuitas erat quasi desolata. Vnus solus incognitus venit Paduam, qui Ciuitatem infecit in tantum, quòd forsan in toto Comitatu tertia pars defecit. Ciuitates cupientes euitare talem pestem, omnibus extraneis prohibebant ingressum: sic Mercatores de Ciuitate ad Ciuitatem non poterant ambulare. Hac clade fuerunt destitutæ Ciuitates, et Castra: non audiebantur voces, nisi Heù, doloros, et planctus. Tunc cessauit vox sponsi, et sponsæ, sonus cytharæ, cantus iuuenum, et lætitia. Pestes verò imminentes tempore Pharaonis, Dauid, Ezechiæ, Gregorij Papæ respectiuè possunt nunc pro nihilo reputari; hæc enim pestis circuit totum Orbem. Deus enim tempore Noe tantas animas vix consumpsit, cui possibile est humanum genus etiam de lapidibus restaurare.* Hæc ibi de funesta hominum, quæ adeò vbiq; Terrarū inualuit, clade.

Infideles flagello eru diti ad Christi fidem cōuolant.

Vualsingamus hist. Angl. in Eduar. 3.

Cortus. hist. lib. 9.

Eiusmodi calamitas apte in Cortusiorum paginis describitur.

Tristis, ac funesta Orbis, ac rerū facies.

Miseranda hominum strages, ac luctus vbique.

Noe diluuiò calamitas comparatur.

8. Verùm vt acerba eiuscemodi lue Diuinum terris Numen ob mortalium culpas exacerbatum, repetitis adeò flagellis iustè ipsorū ceruicibus exitium intentasse probè vnusquisque intelligat; quænam mala pestilentiæ morbum, & quæ item bonorum commoda communem calamitatem sint consecuta, in eadem historia his verbis traditur: *Huius* (inquit) *pestis erant pessimè alij infecti, vt supra; Quidam euomendo sanguinem, expirabant subitò: alij morbo cancri, vel vermis. In signum verò mortis quasi omnibus nascebantur glandulæ circà genitalia, vel sub brachijs, vel alijs partibus, venenosis febribus sociatę. Hi prima, vel secunda die expirabant. Post tertiam, licet rarò esset aliqua spes salutis, aliqui somno capti, nunquàm excitati transibant. Contra hoc Medici profitebantur, se nescire remedium, quorum hac peste potissima pars defecit.* Et infrà hęc addit: *Hæc pestis durabat sex mensibus communiter à sui principio in qualibet regione.* Quibus narratis sæuam item bellicorum tumultuum cladem eo tempore inter funestę luis incommoda obstrepentem subdit: *Hoc* (inquit) *tempore Christianitas in quinque locis furebat in armis, etc.* Verùm in communi hac omnium calamitate procul auertenda non decet, qui eleemosynis, ieiunijs, pijsque Diuinam indignationem operibus

Cortus. hist. vbi suprà.

Quæ secum mala lues afferret.

Nonnulli iratum hominibus Deum placare studebant.

bus placare satagerent: *Humanum* (inquit) *genus sic afflictum, sciens se non posse addere, vel auferre ijs, quæ Deus facit, vt timeant; Sanctorum limina visitabat, orationibus, eleemosynis, & ieiunys se iuuabat.* Hactenùs Cortusiorum historia. Quantum verò vniuersus Terrarum orbis immanè eiusmodi clade exhaustus sit, in M.S. Vaticanæ Bibliothecę his verbis traditur: *Huius* (Clementis scilicet) *tempore fames valida fuit penè per totum vniuersum. Item anno quinto suæ coronationis mortalitas terribilis, & fortissima incepit per totum vniuersum Mundum, & durauit per tempora, ita & taliter, quòd de centum personis tam marium, quàm mulierum, & tam iuuenum, quàm senum vix superuixerunt in exitu dictæ mortalitatis, siue Epidimia decem personæ, vt in aliqua parte Mundi penè quinque de centum.* Hæc ibi.

Orbis immensa eiusmodi clade exhaustus.

MS Bibliot. Vat. sign. n. 20. 40. in Clem. 6.

Vix quinque de centum superstites.

9. Atqui fatalem eiusmodi Orbis, ac Vrbis pariter calamitatem Petrarcha vnà cum alijs Scriptoribus, amarulentis complexus verbis, deplorat, dum ait: *Iam annus integer, iamq; alterius bona pars abijt, ex quo nihil viro dignum, non dicam facere, sed ne loqui quidem contigit, tonante vndique, ac fulminante ferociter fortuna. Qua in re benigno sub iudice forsan excuser, si ad examen veneris. Illud quoque non leue aliquid, sed M. CCC. XLVIII. sextæ ætatis annum esse, quem lugeo, qui non solùm nos amicis, sed Mundum omnem gentibus spoliauit. Cui si quid defuit, sequens ecce annus illius reliquias demetit, & quidquid illi procellę superfuerat, mortifera falce prosequitur.* Ex quibus vnusquisque manifestam Dei iram, ac satis luctuosam orbis Terrarū faciem agnoscit. His autem ad sæuientis tunc atrocitatem morbi adumbrandam à scriptore præmissis, suum consultò à grassante flagello ad mortalium culpas, quæ id, aliaque plura merebantur, stylum, vt ad pœnitendum excitet, intorquens: *Meremur hæc quidem* (inquit), *& grauiora, non inficior: sed & maiores nostri meriti sunt, atque vtinam non & posteri mereantur. Quid est ergò Iudicum iustissime, quid est, quod insigniter adeò in nostrum tempus vltionis tuæ feruor incubuit? Quid est, quod cum culpę non desint, desunt exempla supplicij? Cum omnibus peccauimus, flagellamur soli: soli, inquam; audeo enim affirmare, quòd si omnium seculorum flagella post arcam illam famosissimam, reliquias mortalium informi pelago circumferentem, cum præsentibus æstimentur, delicię fuerint, & ludus, & requies: neque enim cum his malis conferri decet bella quantalibet, in quibus & remediorum multa sunt genera, & (quod vltimum est) viris saltem mori licet: est autem solamen mortis eximium benè mori. Hìc remedij nihil prorsus, nihilquè solatij est: cumuloquè cladis additum mali causas, principiumquè nescire, nam nec ignorantia, nec ipsa quidem pestis odiosior magis fabulis quorundam hominum, qui professi omnia, sciunt nihil.* Hæc ille, qui subinde ex peccatis hominum; quæ magis, magisq; increbescebant, quas meminimus clades, prouenire sic disertis verbis affirmat.

Franc. Petrarca Epist. famil. lib. 8.

Amarulento stylo Petrarcha Orbis vastitatem deplorat.

Petrarcha vbi supra

Nunquam, bellico tot hominum numerus absorptus.

Mali causa, & principium latens.

10. *Sed ad inquisitionem* (inquit) *meam redeo. An verò sicut longum iter agentibus euenit, vt alia via pars fatigationem faciat, alia fateatur; sic nobis accidit, vt lenitas tua Deus, humanis paulatim lassata criminibus, & iugi decessione prægrauata, num potissimùm victa subsederit; tuquè nos Vector optime, tolerare amplius non valens, in terga proieceris, atque à nobis misericordiæ tuæ oculos iratus auerteris? quod si est, non nostrorum modò, sed paternorum simul criminum pœnas damus: an peiores illis, nescio, sed certè miseriores. An illud fortasse verius, quod magna quædam ingenia suspicata sunt, Deum mortalia non curare. Sed absit à mentibus nostris hæc amentia. Si non curares, illa non subsisterent. Nam de his, qui nostri curam non Deo tribuunt, sed naturæ, quid sentiendum nobis sit, veritatis tuæ studio deditis, cum Seneca ingratissimos omnium appellet, qui mutato nomine dissimulent Dei munus, & cauillando impiè, supernę debitum abnegent Maiestatis? Curas profectò nos, & nostra Deus: sed aliquid latitantis, & ignota nobis causa est, cur ex omnibus sæculis dignissimi visi sumus, qui acerrimè plecteremur, non idcircò minore iustitia, quod occulta est: namque iudiciorum tuorum imperscrutabilis, & humanis sensibus incerta profunditas; vel ergò pessimi omnium verè sumus, quod negare velim potiùs, quàm ausim: vel ad futura bona præsentibus malis exercitatiores; purgatioresquè seruamur; vel omninò, aliquid est,* quod

Petrarch. vbi supra.

Non nisi irati Numinis argumentum.

Petrarch. vbi supra.

Prouido Dei nutu haud casu mala quæque accedunt.

Arcana Dei iudicia in ipsis flagellis pœnitentium elucēt.

quod nec cogitare sufficimus. *Cæterùm quacumquè sint causę, quantùmlibet abditæ, effectus apertissimi sunt*. Quibus profectò Deum mortalium ceruicibus acerbam adeò cladem ad humanæ coercendam improbitatis contumaciam, & ad peccatores, ad bonam frugem adducendos, & non nisi salubri intentasse consilio euincitur. Vt enim Gregorius ait: *Mala, quę nos hìc premunt, ad Deum ire compellunt*. Sic planè tunc hominibus contigit, quorum multos ad cor calamitas adduxit.

Greg. in Moral.

11. Ex prænarratis igitur illud certum, compertumquè omnibus redditur, quòd Pœnitentia videlicet quantùmuis sera, si vera tamen sit, ad promerendam quorumcunque grauissimorum delictorum veniam apud Dei clementiam efficacissimè prodest: *Nec serum* quippe *est* (vt inquit Cyprianus) *quod verum est*. In quacunq; enim hora ingemuerit peccator, mox Deus ex irato placatus, peccatorum eius non recordabitur amplius. Sed ne rem gratis asserere videamur, Quid olim perdito sua inter vitia homini insordescenti contigerit, videamus, hæc enim in suo malę spei Promontorio Zehentner: *Neque verò* (inquit) *hìc, tantùm vnus iam inter vitia sua, sceleraquè consenescens vetulus, quando ad mortis iussa hinc migrandum erat, singulari Numinis beneficio, gratiaquè donatus est, vt perfectissimo doloris sensu præterita vitę piacula, magnis eò vsque accessionibus cumulata posset expiare, &c. Ex his vnum ego sisto, iuuenem Brabantinum, illustre tum improbitatis, tum Diuini fauoris exemplar. Hic lubrica statim ætate deflectere cępit à regia honestatis via: nec iam ire, sed magnis passibus currere ad flagitia. Voluptas, libertasquè blandæ vitiorum conciliatrices, mollem, cereumquè adolescentem traxerunt ad impetus animi sui, cui licebant omnia, quę semel libebant, præsertim in aleis, poculis, Venere frequens erat. Et velut hęc non satis essent pudenda dedecora, etiam turpissimis furtis se foedauit; immò & Parentes suos, & familiam vniuersam, vt metu haud vano, timere inciperent in sanguine suo, visuros se aliquando longum probrum, aut ex rota, aut ex patibulo suspensum*. Nec temerè autem ex vitijs coniectabant; sed vt rem prosequamur.

Haud serũ est, quod verum est, ex Cypriano.

Cyprianus lib. de mort.

Zehentner in Promont. malæ spei lib. 3. c. 3. num. 9. pag. 388. Speculum expl. Dist. 10. exem. 15.

Brabantinus iuuenis & si omni scelere obnoxius Dei bonitatem pœnitendo expertus.

12. *Ea res*, (inquit) *quia sollicitos habuit, tum Parentes, tum Consanguineos, Iudicis tribunali iuuenem sistunt, & quoniam iam sæpius patrasset morte luenda facinora, rogant, vt sontem clam expediat; ne olim cum æterna familię suę ignominia publico supplicio, exemploquè plecti debeat. Exoratus Iudex ad preces tam æquas, vt videbantur, ligatum adolescentulum in saccum iubet mitti inter aquas suffocandum: compellat tamen eum priùs suauiter, sibi vt ignosceret, facturo, quod iura exigunt; quod vterque Parens, quod animi pro gratia efflagitant. Nil tum condemnatus aliud Iudici respondit, quàm illum obstinatæ mentis verbum, nunquàm se ipsi, nunquàm sanguini suo huius facti condonaturum veniam; esto vel apud Inferorum æternas flãmas hoc suum propositum necesse esset luere. Ità inclusus sacco, iuit ad aquas, atque, vt videbatur Iudici, etiam ad stygios ignes. Sed quantum errauerit, paulò post intellexit, ea scilicet nocte, qua insomnis, atque secum admirabundus reuoluit proterui iuuenis obitum; tunc enim ad lectuli sui latus præsentem habuit, quem iam inter auernales focos crediderat ardere. Itaque vt Iudex resumpto à pauore animo, propè sibi assistentem, & notum à specie, sciscitatus est hominem; quæ eum altero Orbe fortuna, statusquè conditio comprehendisset, sic interrogatus respondit: Equidem grauia suprà, quàm credi potest, aut dici, patior tormenta admensas sceleribus meis pœnas, sed mitigat doloris acerbitatem beatitudinis certitudo. Nam si nescis, in Beatorum syllabum relatus sum, nunquàm ampliùs hoc albo expungendus. Historiam ità accipe: Iam inter sacci angustias, & corpus meum profundo cęperat emergi, & anima tartaro: cum ecce tibi, adhuc luctantibus inter aquas vita, & morte, irradiare me cępit bonus Deus, & adeò gratia suæ lumine collustrare mentem, vt eam grauissima subiret pœnitudo criminum: nihil magis tunc displicuit, doluitquè, quàm Deum à se offensum fuisse. Vna læsi Numinis recordatio grauior illi erat mille interfluctus, ignes, ferrum, crucem, mortibus; & ò (inquiebam) inter verissima cordis mei suspiria, ò Seruator hominum Deus, accipe sinu pietatis tuæ hanc naufragam animam, atque in securum salutis portum statue; quasi his vlteriùs in terris hospitio corpusculi sui deberet vti, nequaquàm se*

ad

Sacco inclusus, & aquis demersus, sub vitæ occasum pœnitens, Deo viuere incipit.

Iudex quem ad ignes iuisse credebat, ad Cœlum pertigisse ab eo apparẽte audit.

Intimus peccatorum dolor cuncta in aquis peccata absorbuit.

ad nouas iniurias lacesseret. Et quoniam amore tui omnibus iam Mortalibus offensas condono: tu, ò Amor æterne, etiam meas clementi spongia dele. Inter eiusmodi vota, & pios animi sensus, aqua sacco illapsa, & gulæ, multa adhuc molientem intercepit, animamquè de corpore exclusit. Sed qua Dei Bonitas est, non item Cœlo. Hæc vbi iuuenis dicendo absoluit, Iudicem ad verba sua stupentem reliquit, & disparuit. At ille calidis superfusus lacrymis: Vale (inquit) desperatio, & siquidem Dei misericordia tam profligato pepercit, credo, etiam mihi propitia erit. Atque vt certiùs olim clementiam Numinis sentiret, mutauit Mundum Religione, Tribunalis potestatem cum Chartusiæ solitudine. Sic profectò vel inter vndas, & mortem naufragus, & iam à terra ob sua immania scelera exclusus, in ipsius maris profundo, spei anchoram in Deū iaciens, sic inter naufragandum, ac moriendum felix salutis portum inuenit; Contritionis quippe, ac Pœnitentiæ, quæ *secunda est post naufragium tabula*, inhęrens, ab aquis & gehennæ ignibus iā saluus, & mox Cœlo inferendus emersit, suoq; ipsummet Iudicem desperabundū, & naufragio proximum exemplo in spē bonam erexit, adeò vt ad Religionis sinum suis quoque lacrymis salubriter expiandum adduxerit; Haud contentus videlicet, se vnum, quamtùmuis graui peccatorum mole obrutum, naufragio diuinitùs videre liberum, nisi & alterum è perditionis barathro erutum, ipsaquè inter subsellia à morte summo Dei beneficio, & Cœlo diuinitùs inseri contigisset.

Iudex alteri vt exemplo spem veniæ concipiens, sęculū, mox cum Religione permutat.

13. Demum (vt alia multa, quę possent hic repeti, silentio prætereamus) qui futurorum prouidus haud frustra vitę tēpus conterit, sed suæ animæ prudenter negotium agit, securus tandem, ac lętus è vita proculdubio decedit; secus verò qui totus terrenis rebus inhiat, ac perditè viuens de fallacis vitę decursu, ac de ęternitate nil penitus cogitat, nonnisi infeliciter, improuidusquè, & dum minimè putat, consumpto frustra pœnitentiæ tempore, imparatus tandem è vita tollitur, vt certo cuidam contigit, de quo isthæc Robert. Card. Bellarminus ęternę mem. ac Vir Cœlo planè dignissimus, vt eius Christiano Orbi, virtutes testantur; Hæc igitur ille: *Ego* (inquit) *inuisens aliquando ægrotum morti propinquùm, cùm inciperem loqui de præparatione ad exitum de præsenti vita, respondit constanti animo, & sine vllo metu, ac dixit: Ego Domine cupiui alloqui te, non pro me, sed pro Coniuge mea, & filijs meis: Ego enim propero ad Inferos, neque est, quod aliquid pro me agas. Hęc verò protulit animo tranquillo, ac si de itinere ad villam, vel Oppidum aliquod loqueretur. Ita nimirum Diabolus animam eius sibi subiecerat, & spem omnem abstulerat. Et quidem professionem exercebat valdè periculosam, & intentus lucro per fas, & nefas; oblitus videtur, non solùm Dei, sed etiam animæ suæ. Summa est, cum multis verbis illum ad meliorem mentem reuocare tentassem, nihil efficere potui. Cupiet fortè aliquis nosse, quam artem exerceret; Dicam, vt eius interitus alijs similibus prosit, vt resipiscant. Procurator causarum erat ex illorum numero, qui non multùm laborant; vtrùm causam iustam, vel iniustam defendendam suscipiant: atque interim vtrique parti iniuriam faciunt, parumquè curant, modò marsupium impleant.* Hæc Bellarminus. Satiùs quippe misero huic fuisset, dum sibi pœnitentiæ tempus Deo miserante suppeteret, omne pro æternitatis periculo lucrum cōtemnere, nec animæ (quod sarciri haud vnquam potest) saluis terrenis cunctis, detrimentum subire.

Salutis suæ prouidi, tuti e vita abeūt.

Robertus Card. Bellarminus de arte bene moriendi cap. 11.

Procurator moriturus Bellarminū consulens nullum de animæ negocio verbum, sed de temporalibus facit.

Intentus lucro iustam causam, vel iniustam defenderet, nihil curabat.

14. Quoniam igitur opportunè, vt diximus, ac præcipuo Dei munere mortalibus ad pœnitendum nunc tempus patet, haud quisque ingratus, morosusquè, nec peccandi finem faciens, durum se, ac Deo contumacem benignè adeò ad Pœnitentiam vocanti exhibeat: ex sibi videlicet impensis gratiarum muneribus, delinquendi; Tertulliano teste, per scelus occasionem captando: *Nemo* (inquit) *idcircò deterior sit, quia Deus bonus est.* Enimuerò qui malè interim agendo, Pœnitentiam in aliud vitæ tempus reijciunt, miseri profectò Pœnitentia, ac vitę vnà simul tempore se tandem orbatos amarissimè flebunt: *Quæretis me* (inquit Christus) *& non inuenietis, & in peccato vestro moriemini.* Quinimmò vbi acceptū atque opportunum pœnitendi iam tempus effluxerit, Frustrà Pœnitentiam à benignis Dei manibus vnà cum stultis virginibus, inquirendo clamabunt: *Et clausa*

Tertullian. lib. de Pœnitentia.

Nemo fit deterior, peccādo, quia Deus bonus est indulgendo ex Tertulliano.

Ioannis 8.

sa est (inquit Christus) *ianua*. *Nouissimè autem veniunt & reliquę virgines dicentes: Domine, Domine aperi nobis; at ille respondens ait: nescio vos*. Sic tandem vel suo ac simul votis frustrati miseri sub vitæ occasum pœnitendi necessitatem experimento edocti, Pœnitentiam, ac Dei misericordiam inaniter inuocabunt; sed vtpote indigni, ad salutem minimè exaudientur, pari cum eo proculdubio iudicio plectendi, de quo isthæc in suis paginis Marchantius: *Tandem* (inquit) *miser ad extrema deductus inclamabat: O Pœnitentia vbi es? O Pœnitentia vbi es? & hęc repetens, infelicem animam sine Pœnitentia exhalauit, æterna sine fructu Pœnitentia cruciandam*. Quibus aptè illa Sapientum Magistri verba appendicis instar occinunt: *Ne tardes conuerti ad Dominum; subitò enim veniet ira eius*. Quod pleriq; salubriter è pœnitentiū numero (vt vidimus) animaduertentes, maxima ad id celeritate adhibita salutem in tuto, nec serò, sed seriò pœnitentes collocarunt, Augustini vtique oraculi memores: *Praeueniat* (inquit) *Pœnitentia, ne præcurrat sententia*. Sed ad alia interim stylum conuertimus.

Mathei c. 25.

Marchantius in Rational. tom. 2. trac. 3 Sect. 17.

Quidam sub vitæ finè in clamat. Pœnitentia vbi es?

Eccles. c. 5.

August. in serm.

CAPVT II.

Magna Contritionis vis ad quæque pœnitentium abolenda peccata.

1 Contritioni, ac intimo per Pœnitentiam cordis dolori ea diuinitùs insita vis est, vt peccatum ipsum, quod in Deum admittitur, omnemquè vnà simul, tum culpæ, tum pœnæ reatū efficaciter dicto citiùs aboleat, & Deum insuper (quod amplius est) homini ex irato propitium, ex offenso placatum, ac denique sibi beneuolum maximè reddat. Quapropter hæc vna, ac præ cunctis præcipua vno passim SanctorumPatrum ore Cōtritionis prærogatiua describitur: *Contritio* (inquiunt) *est dolor cordis, & animæ amaritudo pro peccatis, quæ quis admisit*. Intimus namq; animi dolor omnem, quā Deo prauus, noxiusque fuimet ipsius, ac Mundi amor offensam intulit, ipsum Deo hominem cōciliando diuinitùs aufert. Quod sanè conceptis Propheta verbis efficacem apud Altissimum Contritionis aptè, eleganterq; virtutem adumbrans, sic planè ad viuum aliquando expressit: *Dole* (inquit) *& satage filia Sion, quasi parturiens*. Quidquid enim per scelus anima peccando deliquit, totum subindè efficaciter dolendo abolet, & parturientis in morem morbidā, ac vetitam omnem peccati illecebram, voluptatemquè vnà simul salubri ad Dei Tribunal dolore compensat. Tota quippe compunctionis vis, suisquè omnibus absoluta numeris Pœnitentiæ forma breui admodùm sermonis, ac meritorum compendio illis verbis concluditur: *Dole* (inquit) *& satage*: Pars namque vna dolori, satisfactioni altera iure merito est tribuenda, quæ Pœnitentię intimo, ac necessario quodam glutino iungitur, adeoquè simul vtraque iuncta, præsentaneum abolendo peccato remedium fit, & gratissimum Deo insuper holocaustum. Vbi verò opportuna adeò curando homini è Cœlo medela suppetit, si ingratus ipse non vtatur, suam vel in hoc maximè malitiam prodit; Deum summoperè, & plusquàm dici potest, Chrysostomo teste exacerbando. *Non dolere* (inquit) *quia peccaueris, magis indignari, & irasci facit Deum, quàm id ipsum, quod ante peccaueras*. Dolore etenim, nec aliter animæ vulnus, quod noxio insani amoris morbo contractum est, curatur: & vbi anima, vti par est, dolet mox per Pœnitentiam Deus dolenti reconciliatus proculdubio adest, qui Contriti super quęuis holocausta, cordis oblationem diligit. Quapropter hi meritò, appositisquè Prophetæ verbis redarguuntur, qui sola duntaxat, dum ipsos maximè pœnitet, vestimentorum laceratione contenti, nil prorsus de opportuna animi contritione secū ipsi re cogitant, quos iustot Deus calculo perstringens: *Scindite* (inquit) *corda vestra, et non vestimenta vestra*. Pœnitendi etenim mos iste, qui intimo cordis sensu censendus est.

Contritio ipsum, quod in Deum ad mittitur, peccatum abolet.

Ex Concilio Tridentino sess. 14.

Dolor Pœnitentię, pec cati volupta tem compēn sat.

Michea cap. 4.

Chrysost. hom. in Epist. Pauli.

Vnum altera opponitur, ac se inuicē pugnando excludunt.

Ioelis cap. 2. n. 13.

2. Solus itaq; in his, quæ animæ tunicam attingunt, spiritualium malorum damnis præsentaneum dolor remedium affert, vt Apostolus disertis quoque verbis ostendit: *Quæ* (inquit) *secundum Deum tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilem*

Peccatoris tristitia ad peccati remedium apprime vtilis ac necessaria.

1. Corint. c. 7.

lem operatur; sæculi autem tristitia mortem operatur. Enimuerò si quis in ærumnis, quæ fortuitò in dies accidunt, ob rerum suarum dispendia doleat, haud profectò isthæc dolendo reparat; Solus autem intimus contriti cordis, indictusque sibi ob peccata dolor, omne protinus damnum reintegrat: *Peccauit quis*(inquit) *tristatus est, peccatum deleuit, dissoluit debitum*. Haud aliter verò Rex Dauid peccatum, necnon peccati insuper damnum, pœnitentia suffultus, instaurasse legitur, dum suum acerbè erroris piaculum deflens, quia onus supra se haud ferendum pre immanitate sentiebat, amarulenter dolens: *Peccatum*(inquit) *meum contrà me est semper*. Adeoquè conrriti pœnam cordis æqua sapientis iudicij trutina expendens, ac præ cæteris Augustinus inculcans: *Bene*(inquit) *rogas, vt Deus auertat faciem à peccato, si tu inde non auertis faciem*. Fleuit itaque suum condignè peccatum, qui peccati atrocitatem probè nouerat, ipsamquèmet culpæ amaritudinem suo opportunum morbo, Ambrosio teste remedium fecit: *Hoc* (inquit) *bona mentis est, vulnus sentire peccati; Nam qui expertes doloris sunt, non sentiunt vulneris acerbitatem, quod est immedicabilis ægritudinis; Vbi enim doloris sensus, ibi sensus est vita*. Ita planè: bene sperandum homini, si doloris ipsa inter vulnera sensu percellitur, & culpa, plusquàm igni, ac ferro saucius obdolet; Viuit namque proculdubio, qui culpam taliter sentit; secus verò qui omninò, doloris sensu destituitur, perijsse proculdubio dicendus est, nec inter viuos veraciter computandus. Sed vt ab his, quorū & apte Christi Apostolus meminit: *Vt peccatis*(inquit) *mortui, iustitia viuamus*, narrandi initium sit; quid ipsis Contritionis maximè sit dono diuinitùs præstitum, videamus. Theodosius siquidem Romanorum Princeps, necnon clarissimus alter Pœnitentium signifer, hìc se primò nobis offert, qui cum Ambrosio iustè ipsum, suamquè ob culpam increpanti, Dauid quoque Iudæorum regem peccasse olim, se ipsum turpiter excusando, respōdisset, illis acrirer subinde iaculis potius, quàm verbis eiusdem ore dignissimè increpatus est: *Si sequutus est*(inquit) *errantem, sequere pœnitentem*. Tantumquè sapiens, ac pro-

Chrysost. vbi supr. in Epist. Pauli.

Psal. 50. August. in Psal. 50.

Psalm. 50.

Dauid dolendo, & flēdo culpę veniam promeruit.

Psal. 50.

Ambrosius Apolog. de Dauid c. 9.

Apostolus.

Theodosius Romanorū Imperator, & pœnitētium signifer.

Paulinus in vit. S. Ambrosij.

uldus Christianos inter Principes dolendo ob culpam, ac se post culpā humiliter accusando profecit, vt dignus pœnitendo sanctissimi Dauidis æmulator extiterit.

3. Theodosius itaque Theodosij strenuissimi olim Ducis filius, hìc iure optimo inter cæteros Pœnitentiæ cultores, vnicum veluti Christianorum pœnitentium exemplar, adnumerandus est, qui etsi Patre per summam iniuriam interempto, in apertum vitæ discrimen venit: A Gratiano tamen Imperatore in Parentis demortui locum adscitus Orientalis Imperij partes administrandas suscepit. Et quidem eius, qui Pœnitentiam adeò dilexit, haud mysterio, haud luce laudis nomen caret. A Genitoribus quippe Theodosius, idest à Deo datus appellari meruit, vt Aurelius Victor prænuncium futurorum nomen eidem à Parentibus inditum his verbis testatur: *Huic ferunt nomen somnio Parentes monitos sacrauisse, vt latinè intelligimus à Deo datum*. Vnus verò hic est, qui inter tot, tantosquè Romanorum Imperatores (vt Baronius ait) *Claudiani sententia inuentus, qui non quæsierit purpuram, sed ipse quæsitus sit ab ea*. De eo quippe hæc cecinit.

> *Hæc sunt innumeris per te quæsita trophæis:*
> *Non generis dono, non ambitione potitus;*
> *Digna legi virtus: vltrò se purpura supplex*
> *Obtulit, & solus meruit regnare rogatus.*

4. Verùm enimuerò summis Gratianus laudum præconijs ob ascitum sibi Theodosium in Imperio consortem celebrandus est, vtpote qui publicę potius, quàm priuatæ rei, ac omnium vtilitati prospiciens, dimidium fortissimo Duci volens, libensquè vltrò Imperium, concessit, cum reliqui fratrem dimidij iam ante consortem fecisset. Quapropter ob id vnum à S. Augustino illis summoperè verbis commendatur: *Gratianus Theodosium regni participem fecit, cum paruulum haberet & fratrem, auidior fidæ societatis, quàm nimia potestatis*. Hæc ille. Porrò nec virtus, nec vana spes Gratianum isthęc molientem fefellit; Nam Theodosius secundis semper alitibus dimicare

Baronius an. 379. n.

Eius, qui Pœnitentiā dilexit haud caret mysterio nomen, datus nimirū à Deo.

Aurelius Victor in Theodosio.

Baronius vbi supra.

Claudianus de 4. Consul. Honorij.

Theodosius non purpuram quæsiuit, sed quę situs à purpura.

Gratianus ob ascitum in Imperio Theodosiū summè laudatus.

Augustin. de ciuit. Dei lib. 5. c. 25.

micare assuetus, cùm primùm palmas ex Gothis nobiles reuexisset apud Thessalonicam, corporis languore præuentus, salutari ibidem Baptismo ab Acholio sanctissimo Præsule initiatur. Postquàm autem Barbaros vicit, seuerissimis legibus oppugnare hæresim aggressus est, illud districtè præcepit, decreuitquè, vt cuncti fidem à B. Petro Romanis gentibus traditam, & à B. Damaso custoditam, illibatam seruarent; Catholicis item Ecclesias ab Arrianis vsurpatas reddidit, de ipsismet Barbaris Vir clemẽtissimus optimè adeò meritus, vt Summis Athanarico Gothorum Regi tum viuenti, tum mortuo delatis honoribus, ipsis non tam metuendus, quàm amandus, desiderandusquè admirationi esset, ac haud posthac, vllum ipsi in Imperio facessere negocium sint ausi. Quin contra hæreticos opportunè rescribens, validè Iudæos qui Christianos à fide auerterent, compressit, necnon causas Episcoporum, atque aliorũ Ecclesiasticorum ad Laicorum Tribunal deferri districtè vetuit.

Ipsius, pro orthodoxa tuenda fide zelus, & studia.

5. Atqui Vir pios inter Principes adeò suspiciendus, omniquè maior laude, dum se vlciscendis iniurijs præcipitem agit, quam præferebat, lauream non parum visus est, ac turpiter denigrasse. Apud Antiochiam quippe, cum Placillæ Augustæ vxoris biennio ante emortuæ statuam lapidibus impeti contigisset, datis libellis, ac Iudicibus ad vlciscendum directis, ad iracundiam, suumque præter morem, qui clemens adeò fuerat, immanè exarsit. In hos etenim concitatus acriter, exarcebatusquè ipsâ vnâ cum Ciuibus Ciuitatem fuerat perditurus, nisi Monachorum opera, ac Flauiani potissimùm eiusdem Ciuitatis Episcopi, vix tandem Legatione placatus furentis iracundiæ impetus mitigasset. Verùm quàm tristis, ac funesta tunc potissimùm Tessalonicensium Vrbis facies extiterit, dum Imperatoris iussu digna ex perduellibus vltio expetebatur, illis Chrysostomus orationibus, quas Græci (vt Suidas testatur) Adriantas nominant, nempe de statuis, luculenter visus est adumbrasse, quarum omnium prima illa censenda est, quam post dies septem à perpetrato facinore, ante Iudicum (qui illuc ab Imperatore directi sunt) adnentum, in Ecclesia habuit; est autem eius exordium: *Quid dicam? aut quid loquar? lacrymarum præsens tempus, non verborum, luctuum, non sermonum, deprecationis, non concionis, & communem lugendi calamitatem*. Hæc ille, qui inter suprema rerum discrimina publicam calamitatem deflebat. Et siquidem acerbitatem facinoris, aptis, conceptisquè prosequi verbis non destitit, dum dolens isthæc habet: *Quis nobis* (inquit) *inuidit charissimi, quis nobis zelatus est? vnde tanta facta est mutatio, &c. luctu interdicitur mihi doctrinæ sermo*. Hæc ille. Quibus quæ tragicè obuenerant, tristè satis & amarulenter lugens, Populum audientem ad luctum pariter excitauit.

Baronius an. 388. n. 1

Thessalonicensibus ob Placillæ statuam saxis impetitam amarulenter irascitur.

Baronius vbi supra.

Suidas in Theodosio.

Armatorum militum manu vltionem ex ipsis parat.

Chrysostom. orat. ad Theodosium.

6. Atqui cùm Monachi ex abditis, semotisquè locis, in quibus degebant, veluti classico ob Populi lamentum ad bellum euocati in Vrbem, ipro eodẽ supplices conuenissent, mox Theodosius Flauiano Episcopo perorante mitescens, irã cohibuit, placatumquè se votis, dictisquè eiusdem exhibens, veniam vltrò concessit. Porrò ea Vir tantus fuit animi, morumquè mititate præditus, vt Maximo tyranno armis deuicto, vbi vinctus ad illius conspectum à militibus adductus est; milites, qui eius probè mores nouerant, & iam ad parcendum eidem pronum cernerent, tyrannum protinus contrucidarint. Verùm Theodosius haud suam frustra clementiam sustinuit, qui enim erga hostem misericordiam exercere non valuit, sui ac nobiliori triumpho victor effectus, Ambrosio alacriter exhortante, cunctis, qui ex aduerso erant, eiusdemquè in primis tyranno affinitate iunctis liberaliter veniam indulsit.

Chrysost. vbi supra.

Baronius vbi supra n. 39.

Flauiani Episcopi perorantis voce placatur.

Theodosius parcendo hostibus, hostes, ac se ipsum vincit.

7. Porrò de hostibus nobilem, ac se dignum haud semel triumphum indulgendo, reuexit; Cùm enim Thessalonicenses seditione oborta gladiũ aduersus Imperatoris Ministros perstringendo, Bothorerium militum Præfectum occidere non dubitassent, oblatam noui occasionem tryumphi arripuit. Vbi enim capitale Imperatorem facinus delatum est, ipse ira excandescens protinus ferro vindicandum præcepit, vt Sozomenus his verbis: *Instante autem* (inquit) *solemni equestri certamine, Populus Thessalonicensis illum veluti ad eam concertationem necessa-*

Baronius an. 390. num. 4.

Sozomenus lib. 7. cap. 24.

In Thessalonicenses iterum ob obtruncatos Ministros ira excandescit.

cessarium dimitti postulabat. Quod quoniam non impetrabat, in grauem seditionem efferbuit, ac tandem etiam Bothorerium ipsum interfecit. Qua re nunciata Imperator pręter modum excanduit, & certum eorũ numerum (qui adfuerant) interfici precepit; ex quo Ciuitas multis iniustis cędibus impleta fuit. Hęc Sozomenus de arrogāte Thessalonicensium facinore, ac decreta in eos, vt par erat, à Theodosio vindicta. Accessit autem haud multò post, pro ijs deprecaturus Ambrosius, iamquè daturum se Imperator veniam promiserat; sed ipso postmodùm inscio mucronis gladius ad vlciscendum desęuijt, vt Paulinus in Ambrosij gestis hunc modũ tradit: *Promiserat* (inquit) *Ambrosio Imperator, se veniam daturum Ciuibus supradictę Ciuitatis: sed agentibus Comitibus occultè cum Imperatore, ignorante Sacerdote, vsque in horam tertiam gladio Ciuitas est grassata, atque plurimi interempti innocentes.* Comites quippe Imperatori suaserant, Deum quidem Principem misericordiam adhibere, & indulgentiam; pro arbitrio tamen, vbi opus est aliquando, rigore temperare Iustitiæ, adeòque habendam interdum rationem temporum; & à plectendo tunc maximè Principi abstinendum, cùm rerum experimento, subditos magis interdum contumeliosos inde, proteruosquè, atque ad delinquendum faciliores reddi innotescit.

Ambrosius apud Theodosium pro venia deprecatur.

Paulinus in vit. S. Ambrosij Episc.

8. Porrò vindicta ab Imperatore Thessalonicensium iugulo decreta, feralis in insontes æquè, ac sontes, ipsiusque violentus, ceù turbo, gladius infremuit, vt Ruffinus his verbis testatur: *Ad Circenses* (inquit) *inuitari Populum, eiquè ex improuiso circumfundi milites, atque obtruncari passim, vt quisquam occurrisset gladio, iubes, & vindictam dari non crimini, sed furori.* Neque verò sęuiens intra Circi duntaxat fines furentium ira militum constitit, sed foras erumpens, cunctos, quos habuit obuios, manifestos vti hostes confodit. *Namque Ciuitas* (vt Sozomenus ait) *multis iniustis cędibus adimpleta fuit.* Et quidem eò vsque cęsorum hominum strages prosilijt, vt septem hominum millia cęsa tunc fuerint, vt Theodoretus affirmat, necnon ad trium duntaxat horarum spatium gladio sęuire permissum Paulinus testatur; tantus si quidem in vlciscentibus furor æstuabat. Funestissimè quidem hęc in Oriēte peragebantur, eùm mox fama nuncio in Occidentem perlato, S. Ambrosium Mediolanensem Episcopum ad Regi exprobrandum, reposcendasquè iustas ex eo pœnas extimulauit; Vnus enim ipse, ac si solus lęsus fuisset, acerrimus pro cunctis vindex insurgens, armisquè, quibus licuit, spiritualibus scilicet, ipsum præfidenter aggressus, primum omnium missilibus quibusdam longè adhuc positum literis inuasit, quibus ob patratas tot hominũ cædes ipsũ Ecclesiastica se cōmunione indignum prorsus reddidisse, sacrisquè Ecclesiæ limitibus extorrem denunciat: sed illi vnam duntaxat salutis viam relictam esse, vt seriò videlicet Pœnitentiam agendo, effusis lacrymis culpam sanguinis diluens, indulgentiam expiatus tandē cōsequeretur. Missa igitur Epistola hęc illi inter alia, & ad pœnitendum prouocando suggerit.

Baronius an 490. n. 10.

Vltionis gladius in insōtes ęque, ac sontes desęuit.

Sozomenus lib. 7. cap. 24. Theodoretus lib. 5. c. 7.

Septem hominum millia breui perempta.

Ambrosius ob immanē stragem, ac si solus læsus fuisset, vindex pro omnibus exurgit.

Ecclesiæ ingessu Imperatorē, prohibens, ad poenitendũ prouocat.

9. *Tacerem* (inquit) *sed quod miserrimum foret omnium, alligaretur conscientia, vox eriperetur: Et vbi illud; sed si Sacerdos non dixerit erranti: is, qui errauerit, in sua culpa morietur, & Sacerdos reus erit Pœnitentiæ, quia non admonuit errantem. Accipe illud Imperator Auguste. Quod habeas fidei studium, non possum negare: Dei timorem non diffiteor. Sed habes naturæ impetum, quem si quis lenire velit, citò vertes ad misericordiam; si quis stimulet, in maius exuscitas, vt eum reuocare vix possis. Vtinam si nemo mitigat, nullus accendat.* His, atque alijs Ambrosius meritò in Imperatorem inuehitur, facinus illi acerbissimum citò expiādum proponens. At Imperator Mediolanum subinde reuersus, ipsum valdè sibi indignatum reperit, quem paulò antè scriptis à longè minitantem audierat Ambrosium, adeò vt Christi Sacerdote seueriùs cum eo agente, ad pœnitentię remedia vltrò sibi procurrendum intellexerit, quod Paulinus his verbis tradit: *Copiam* (inquit) *Imperatori ingrediendi Ecclesiam denegauit, nec priùs dignum iudicauit cœtu Ecclesiæ, vel Sacramentorum communione, quàm publicam ageret Pœnitentiam. Cui Imperator contrà asserebat Dauid adulterium simul, & homicidium perpetrasse, sed responsum illicò est:*

Baronius vbi supra n. 13.

Ambrosius Epist. 28.

Ambrosius Theodosium laudat vnà simul, & capit.

Paulinus in vit. S. Ambrosij vbi supra.

Ipsum non nisi poenitētia expiatum in Templum admittit.

cò est: Qui sequutus est errantem, sequere corrigentem. Quod vbi audiuit clementissimus Imperator, itá suscepit animo, vt publicam Pœnitentiam non abhorreret: cuius correctionis profectus secundam illi parauit victoriam. Hæc ille. Sed Theodoretum prolixiore isthæc sermone enarrantem, qui vult, in Annalibus consulat.

Exemplo Dauidis acriter Imperatorē se excusantē perstringit.

10. A sacris igitur Ecclesiæ limitibus Imperatorem Ambrosius remouit, neque illuc nisi Pœnitentia expiatum admitti voluit: At Imperator vel suis malis sapiens, ac Medici austeritate compunctus, promptum humiliter se ad illius vota adhibens, veniamquè deprecaturus, haud ad Templum ire sustinuit, sed indulgentiam sibi à Sacerdote impertiri supplex poposcit, vt Theodoretus disertis verbis testatur, sic loquentem Imperatorem inducens: *Tuum est* (inquit) *medicamenta ostendere, eaquè temperare, & vulnera, quæ egriùs curantur, obligare; meum autem, quæ sunt adhibita accipere.* Quibus Imperator vltrò, libenterquè se ad omnem subeundam pœnam, vt Deo faceret pro scelere satis, facilem, promptumquè ostendit; neque id verbis tantùm, sed & factis insuper comprobauit; Nam sacrum in Templum reconciliatus paulò post ab Episcopo intromissus, mira, ac noua cunctis Christianæ humilitatis, ac Pœnitentię documēta præstitit, vt Theodoretus his verbis asserit: *Itaque Imperator fidelissimus in sanctum Templum ingressus non stans, &c. Sed pronus, humi abiectus versum illum David recitauit: Adhæsit pauimento anima mea, &c.* Patienter igitur Princeps raro pœnitentium exemplo tunc se à Christi Sacerdote corripi sustinuit, qui Ecclesiasticis se paulò ante censuris ab eo innodatū iustissimè agnoscens, altiùs ingemuerat; sed quid subinde Theodoretus in rem præsentem narret, excipiamus: *Taneis* (inquit) *& tam eximijs virtutis ornamentis, enituit tum Episcopus, tum Imperator. Vtrumque enim admiror, alterum propter facilem obedientiam, illum propter Diuini zeli ardorem, &c.* Hæc ille de admiranda Theodosij Imperatoris Pœnitentia, cuius item præconia pœnitentibus S. Augustinus his planè verbis recolenda proponit.

Baronius vbi supra n. 22. & 23.

Theodoretus lib 5. c. 7.

Ambrosio Princeps humiliter pœnitens paret.

Baronius vbi supra n. 28.

Theodoretus vbi supra.

Quanta in pœnitendo Imperatoris demissio.

Miranda nō minus Ambrosij iubendo constātia, quàm Theodosij Obedientia.

11. *Quid autem fuit* (inquit) *eius religiosa humilitate mirabilius, quando in Thessalonicensium grauissimum scelus, cui iam Episcopis intercedentibus promiserat indulgentiam, tumultu quorumdam, qui cohærebant, vindicare compulsus est, & Ecclesiastica coercitus disciplina, sic egit Pœnitentiam, vt Imperatoriam Celsitudinem pro illo Populus orans magis fleret videndo porstratam, quàm peccando timeret iratam.* Hæc Augustinus. Sed quid narratis hactenus opportunè Ambrosius subtexit, audiamus: *Dilexi* (inquit) *Virum, qui magis arguentem, quàm adulantem, &c. probaret. Strauit omne, quo vtebatur, insigne regium; defleuit in Ecclesia publicè peccatum suum, quod ei aliorum fraude obrepserat, gemitu, & lacrymis orauit veniam. Quod priuati erubescunt, non erubuit Imperator publicè Pœnitentiam agere, neque vllus posteà dies fuit, quo non illum doleret errorem.* Hæc ipse. Atquì ipsius Theodosij exemplo iam clarior toti quodammodò Christiano Orbi Pœnitentia, quæ dudum vilis habebatur, ipsum meritò Augustinum in viros Imperatoria longè impares dignitate, alijsquè Præfecturis conspicuos acriter concitauit; quippe qui publicam de peccatis publicè admissis, in Ecclesia ipsius Theodosij exemplo edocti, Pœnitentiam subire detrectant. Sed ipse hìc Augustinus audiendus est: *Resistit mihi* (inquit) *filius pestilentię, & erubescit genu figere sub benedictione Dei, quod non erubuit Imperator, erubescit nec Senator; sed tantùm Curialis? &c. erubescit plebeius, siue negociator, quod non erubuit Imperator? &c.* Supremus itaque omnium Princeps furentis iræ culpam sua adeò clementia abstersit, expiauitquè, vt qui vxoris statuas lapidibus impetitas impatienter adeò est vltus, seipsū posteà dicterijs, susurrisq; impunè carpi, suiq; lædi Maiestatem nominis permiserit, lege aduersus eos agi prohibēs, & sic in ipsos hostes mitē se exhibuit, vt Eugenio tyrāno sublato, cunctis (qui ex hostibus superstites fuerant) veniam, libenterquè indulserit; ac peremptorum filijs benignum se præbens, misericordiam vltrò adhibendam voluerit.

Augustinus de Ciuit. Dei lib. 5. cap. 26.

Baronius vbi supra n. 30.

Quæ in Theodosio omni digna laude Ambrosius recolit.

Ambrosius orat. in fun. Theodosij.

Poenitentia magis, quàm regali purpura clarus prę cunctis Theodosius.

Ambrosius vbi supra.

Hostibus vltro parcēs Princeps, ac vlciscendi immemor multipliciter se ipsum vicit.

12. Demum, vt Theodosij, qui Pœnitentiæ adhuc viuens, obsequio se totum dicarat, exitus quoque pœnitentium laurea clarus à nobis recolatur; Illud haud hìc silentio obuoluendum est;

Baronius an. 395. n. 25.

Imperator Poenitens pijs operibus se ad vitę exitum compa- rat.

Impetatori videlicet, antequàm è vita decedetet, nil antiquius fuisse, quàm pijs vitę finem operibus præmuniendo, lege data, Templa Deorum claudere, ac Idolorum sacrificia omnimodis prohibere, vt S. Ambrosius his quidem verbis testatur; *Imitatur(inquit) Iacob supplantauit perfidiam tyrannorum, qui abscondit simulacra gentium: Omnes enim cultus Idolorum fides eius abscondit; Omnes enim ceremonias obliterauit*. Quin insuper, vt ipse misericordiam à Deo consequutus, ampla cunctis clementiæ documenta præberet, annonaria item tributa sub idem fere tempus laxata ab eo ex Testamenti tabulis fuere, vt idem S. Ambrosius tradit, eiusquè pariter Testamento indulgentiæ legem demandatam scriptis affirmans, sic ait: *Præcepit (inquit) dari legem Indulgentiæ, quam scriptam reliquit. Quid dignius, quàm vt Testamentum Imperatoris lex sit?* Quod verò ad filios spectat; S. Ambrosio ipsos non secus ac Parenti commendatos, ac tutelæ ipsius traditos idem, qui supra, affirmat: *De filys enim nihil habebat nouum, quod conderet, quibus totum dederat, nisi vt eos præsenti commendaret Parenti*: Qui igitur moriens, *Populi* (vt Baronius ait) *curam gessit, relaxando tributa, atque hostium quoque voluit bene mereri, tribuens eis Testamento indulgentiam, filijsquè diuisit Imperium, ac tradidit fidei Stiliconis, Ecclesiarum obliuisci non potuit; nam de eo hęc S. Ambrosius: Dilexi Virum, qui cum iam corpore solueretur, magis de statu Ecclesiarum, quàm de suis periculis angebatur*. Hæc ille, quibus sanè pijssimus Princeps officijs suum præmunire è vita decessum, Deumquè sibi propitium reddere conatus est, & dum totis neruis fouendæ Ecclesiæ, ac fidei pariter propagandæ intentus, anteactæ vitæ culpas salubri consilio diluit, pro ijsquè Deo suam vltrò operam deuotus impendit sanctissimè, ac digno planè, qui Christianum Principem decet, vitam fine tandem conclusit.

Ambrosius Orat. in fun. Theodosij.

Quæ moriturus in Testamēti tabulis se digna conscribit.

Paulinus in vit. S. Ambrosij.

Baronius vbi supra.

Magis de statu Ecclesiarū, quàm de suis periculis anxius ex Ambrosio.

Ambrosius Orat. in fun. Theodos.

13. Theodosius igitur vita piè postmodùm functus, Ambrosium (quem correctorem, obiurgatoremquè acerrimum habuerat) laudatorem, suarumquè eximium virtutum præconem iure merito sortitus est; vt ipsemet in illa, quam tunc habuit in funere eiusdem, oratione testatur, vbi hæc inter alia: *Eius ergò (inquit) Princeps & proximè conclamauimus obitum, & tunc quadragesimum celebramus, assistente sacris Altaribus Honorio Principe; quia sicut S. Ioseph Patri suo Iacob quadraginta diebus humationis officia detulit, ita & hic Theodosio Patri iusta persoluit*: Hæc Ambrosius; qui item perorando significat, eo subindè perfuncto ab Honorio Christianæ pietatis officio mox ipsius corpus leuandum, & Constantinopolim euehendum, hæc enim ait: *Fles etiam Imperator Auguste, quod non vsque Constantinopolim reuerendas reliquias ipse prosequeris, eadem tibi causa nobiscum est: omnes, si fieri posset, deductores tecum esse cuperemus*. Hæc Ambrosius dignus vtique Principis Pœnitentiæ titulo clari, ipsiusquè laudum præco. Restat nunc, vt Theodosio nobili adeo ob Pœnitentiæ exemplum exitu sublato, condignum pietati, ac Pœnitentiæ monimentum statuis quibuscunque longè augustius, ac magnificentius statuamus; cui ijsdem Baronij verbis parentandum volumus; his enim ille pijssimum ipsius exitum verbis, de funere loquutus, concelebrat: *Sic enim (inquit) decuit tantū Imperatorē post liberatum Occidentale Imperium à tyranno, triumpho magis suo, quàm funere sepeliri; immò ad Cælum triumphali quadriga ferri cum cęlesti militia eo, qua vixerat triūphaturus, &c*. Hæc aptè, eleganterquè Baronius Theodosio Principi, qui Christianam (vt par est) Pœnitentiam coluit, dilexitquè, perpetui amoris, & laudum monimenta insculpsit, de quo item ipsiusmet Zosimi scriptoris Ethnici, calūniatorisquè omnium pessimi sententia pro illius laude; *Non iam noui Imperatoris auspicys* (vt Baronius ait) *illud acclamandum, deprecandumquè foret: Melior Traiano; sed illud: melior Theodosio, publicis vocibus, ac votis optandum*. Etsi autem falsas, subdolasquè Ethnicorum calumnias Principem verè pium, Christianumquè post mortem subire contigit, tamen aduersus eorundem Gentilium sannas longè potentiorem, disertumquè in primis pattonum Vir iustissimus nactus est; Nam ipsum Romanæ nobilitatis decus, ac satis dignum Christianę Religionis exemplar Pontius Paulinus literis clarus, ac fama celebris aduersus perperā subsannan-

Ambrosius Orat. in fun. Theodosij.

Theodosij post mortem Ambrosius laudator, qui viuenti corrector extitit.

Ambrosius Orat. in fun. Theod.

Ambrosius funus ipsius ab Honorio curandum vult.

Baronius an. 395. n. 28.

Theodosij laudes summatim à Baronio collectæ.

Baronius vbi supra. Zosimus in Traiano.

ſannantes ſtylum intorquens, Theodoſij famam à calumnijs ſtrenuè vindicandam ſuſcepit; Rogatus quippe a pio Viro, quo familiariter vtebatur (vt Paulinus ipſe ad Seuerum ſcribens teſtatur) luculentam in primis lucubrationem edidit, vbi plura, & digna quidem in laudatiſſimi Principis laudem habet. Cui paribus quoq; Hieronymus laudum præconijs cõſonat, dũ in ipſomet epiſtolæ ad ipsũ conſcriptæ exordio hæc tradit: *Quid enim* (inquit) *in nobis, aut quantum eſt, vt doctæ vocis mereamur præconium. Vt illo ore, quo religioſiſſimus Princeps defenditur, humiles nos, modicique laudemur.* Si quis autem noſſe cupit quanti elucubratum eiuſmodi à Paulino opus momenti fuerit, Hieronymum ad eundem Paulinum ſic ſcribentem conſulat: *Librum* (inquit) *tuũ, quem pro Theodoſio Principe prudenter, ornateque compoſitum tranſmiſiſti, libenter, &c.* Et plura infrà tanto digna Principe ſubtexit. Quibus vnicum illud condignum Theodoſio Principe elogium meminit; quod ſanè innumeris aliorum præconijs longè præſtat, videlicet: *Felix Theodoſius, qui à tali Chriſti Oratore defenditur, &c.* Nobis verò Principem Pœnitentiæ amantiſſimum noſtris hiſce paginis conſignaſſe, eundemquè, tum viuentem, tum mortuum viuis in tabula coloribus adumbraſſe, mortalibuſq; cunctis imitandũ & ſi aliquantis perimmorando propoſuiſſe ſufficiat.

Paulinus Epiſt. 9. ad Seuerum.

Certatim vno SS. Patrum, ore digniſſimus Princeps celebratur.

Hieronymus epiſt. ad Paulinum.

Hieronymus vbi ſupra.

Baronius vbi ſupra an. 395. nu. 36.

Et Hieronymi præſertim ſtylo extollitur.

14. Verùm Pipinus item Dux præclariſſimus, & inſignis Pœnitentiæ æmulator iure merito recenſendus hic eſt, cui Clotarius, Francorum Rex decedens, adminiſtrandi regni Prouinciam iniunxit, ac dignus item Carolomani filius, qui & inſuper Ittę ſanctiſſimæ fœminæ coniugium nactus eſt; ſub quo Francorum res, quouſque Dagobertus ipſius conſilijs inhæſit, felici prouentu donari contigit; Vir quippe, etſi cunctis præfulgeret virtutibus, cùm Regem tamen liberè, & vt probo par eſt Viro, admonere, vbi opportunum foret, non ceſſaret, acriter ipſum offendit, adeò vt eius nedum conſilijs acquieſceret, ſed conſulentem inſuper permoleſtum, exoſumque habens de ipſo per ſcelus è medio tollendo cogitaret. Verùm Vir tantus ſe ipſo maior, ac metu ſuperior vtpote, qui rectum, ac pietatem ex corde ſectabatur, Deum duntaxat reueritus, ea cordis cõpunctione afficiebatur, vt inter pœnitentes digniſſimè computandus, mirificè in hoc præfulſerit: Enimverò dum ad exomologeſim peccatorum de more faciendam accederet, nonniſi detractis S. Vuironem calceis adire conſueuit, vt in geſtis S. Vuironis in Scotia Epiſcopi apud Surium his verbis traditur: *Dux autem Pipinus tanta eum veneratione habuit, vt tanquam Præſuli animæ ſuæ, vitæquè patrono propter eximiam ſanctitatem ſua illi peccata confiteri ſolitus ſit, nec erubuerit ad faciendam Confeſſionem detractis calceis eum adire, eiuſquè oris imperio parere: Sæpius autem volebat, eum intereſſe communibus conſultationibus maiorum, &c.* Inſigne igitur à tanto Viro pœnitentis, compunctiq; animi exemplum cunctis palam propoſitum eſt, qui ſuas tanta cordis humilitate culpas apud Sacerdotes Chriſti expiaret. Verùm vt tanti Viri virtutes Lectori magis innoreſcant, hæc de eo auctor in conſcriptis S. Modaldi Epiſcopi geſtis tradit: *Fuit namque probatiſſima vita, ac puriſſimæ fama, Sapientiæ domicilium, conſiliorum theſaurus, defenſio legum, controuerſiarum finis, munimentum patriæ, decus Curiæ, via Ducum, & diſciplina Regum.* Et inferiùs de eodem: *Clarebant tunc temporis in Palatio Viri ſtrenuiſſimi, ijdemquè religioſiſſimi. Inter quos exiſtebat Pipinus Carolomani filius, Dux clariſſimus, & Maior Domus ſub Clotario, Dagoberto, & Sigeberto potentiſſimis Regibus, &c.* Et paulò poſt hæc ſubinfert: *Ea tempeſtate* (inquit) *Dagobertus rerum potiebatur, ſub quo idem Dux dignitate modicùm à ſublimitate Regia differente præditus, omnia Regni negocia prudentiſſima diſpoſitione ordinabat, præſtabatquè tam in bello fortitudine, quàm iuſtitia in pace. Erat enim erga Regem fidei ſeruantiſſimus, erga Populum verò tenaciſſimus æquitatis, & in diſceptanda vtrorumque cauſa fortiſſimo animi iudicio perſiſtẽs, nec munera Populi ad ſubuertendum ius regium reſpiciebat, nec gratiam Regis ad obruendam Populi iuſtitiam attendebat. Siquidem Regem Deum Regi homini præferebat, &c.* Eiuſdem verò laudes ſummatim ſcriptor complexus, digna, promeritaq; præclari Viri præconia, qui tum Deo, tum Regi, tum Regno, ac ſibi quæ ſua ſunt red-

Pipinus Dux clarus, inſignis Pœnitentiæ cultor.

Baronius an. 631. num. 8.

Summa Francorum regni adminiſtrãdi à Clotario ipſi commiſſa.

In geſtis Vuironis Epiſcopi apud Surium die 8. Maij.

Detractis calceis humillimè ad Exomologeſim peccatorum accedit.

Stephanus in S. Modaldi geſtis lib. 2. apud Suriũ.

Quales virtutes in ipſo præluxerent.

DeumRegi, & quod iuſtum eſt, cũctis antefetebat.

reddere, diligenti studio didicerat, & pœnitentis vnà simul de se cunctis formam, ex hoc magis, magisque mirandus exhibuit. Quibus coronidis instar, Baronij verba subtexenda hìc sunt: *Vidisti* (inquit) *Lector, quanta pietas Principis huius fuerit, vt non nisi ob Pœnitentiæ signum discalceatus consueuerit sua Sancto Viro confiteri peccata*. Hæc ille.

Ob pœnitentiæ cultū præ cunctis ex Baronio admirandus.

Baronius vbi suprà nu. 7.

15. Guillelmus quoque primus Angliæ Rex hìc aptè Pipino sociandus est, qui sæculari fretus potentia, cum in Deum, atque homines aliquando deliquisset; adeò vt in Regnum Francorum grassatus,& in Philippi Regis odium,nec Ecclesijs parceret, quæ iu Madacensium Ciuitate inuentæ sunt, quam & incendio cōcremauit; At Deū scelerum vindicem haud multò post acerbissimis ad vsq; obitum doloribus excruciatus sensit, ac facti pœnitens admissam publica Cōfessione, atque intimo animi dolore culpam, ac digno prius, quàm diem obiret Christianæ virtutis expiauit exemplo; Sed Vuilhelmus rerū Anglicanarū scriptor audiendus hìc est, qui suo isthæc satis exactè stylo prosequitur: *Quo audito* (inquit) *per Medicos nuncio, querimonia Domum repleuit, quòd eum praeoccuparet mors,emendationem vitę iam antè meditantem. Resumpto animo, quæ Christiani sunt, exequutus est, in Confessione, & Viatico*. Hæc ille, qui & de eius vitæ institutis isthæc: *In primis* (inquit) *Dei famulis humilis, subiectus, facilis, in rebelles inexorabilis eras: Religionem Christianam (quantùm sæcularis poterat) frequentabas, vt quotidiè Missæ assisteret, vespertinos, & matutinos hymnos audiret*. Hæc ille. Verùm quod scriptor asserit, Regem tristi, funestoquè mortis per Medicos responso accepto, totam regiam lamentis Domum cōpleuisse, quod se anteactæ emendationem vitæ meditantem subita præoccuparet mors; Ex ijsdem profectò,quæ scriptis demandata sunt, tanti Regis pietas innotescit: *Is nimirum ex abundantia cordis* (vt ait Baronius) *exuberante intrinsecus Contritione, parùm habuit peccata sua* (quod & præstitit) *secreta ex præscripto Ecclesiæ Confessione Sacerdoti ostendere, sed ea cunctis, qui aderant, audientibus propalasse voluit*; Et nedum ea, quæ succensis Ecclesijs iniquè præstiterat, sed quę primùm,& impubes adhuc olim deliquisset,nec his cōtentus post Confessionē à satisfactione vti verus pœnitens,recensendo aggressus.Sed cū ipse præ suorū magnitudine peccatorū, ac memoria deficeret,spem suam omnem in precibus collocans, hæc ait: *Multis* (inquit) *ò amici, grauibus peccatis onustus contremisco; & mox ad tremendum Dei examen rapiendus, quid faciam, ignoro. In armis enim ab infantia nutritus, & multi sanguinis effusione admodū pollutus sum. Nullatenus enumerare possum mala,quę feci per sexaginta quatuor annos, quibus in hac ærumnosa vita vixi, pro quibus absque mora rationem reddere nunc cogor ęquissimo Iudici. Dum Pater meus, &c.* His planè sua Vir pœnitēs flere peccata,& ab eo potissimùm tempore incœpit, quo adhuc impubes moderandum (vt Baronius ait) Northmanniæ Ducatum accepit, subinde verò ad eos (qui aderant) Sacerdotes conuersus, sic eos alloquitur.

Guillelmus Primus Angliç Rex compunctus iam moriturus publicè confiteri vult.

Baronius an. 1087.nu.26.

Vuilhelmus lib.3.rerum.

Ipsius egregiæ virtutū dotes.

Baronius vbi suprà.

Vuilhelmus vbi suprà num. 3.

Conceptis verbis,ac intimo ex corde dolēs cūctas vitæ culpas deflet.

16. *Vnde* (inquit) *vos, ò Sacerdotes, & Ministri Christi suppliciter obsecro, vt orationibus vestris me commendetis Omnipotenti Deo; vt peccata, quibus admodùm premor, ipse remittat, & per suam infatigabilem Clementiam inter suos me saluum faciat. Thesauros meos iubeo dari Ecclesijs, & pauperibus, et quę congesta sunt ex facinoribus, dispergantur in Sanctis Sanctorum vsibus, etc.* Quibus narratis, felicem eius sub Deiparæ patrocinio finem vitæ his verbis, nec dignis absque laudibus prosequitur: *Denique* (inquit) *quinto Idus Septembris feria quinta, iam Phebo per Orbem spargente clara radiorum spicula excitus Rex sonum maioris signi audiuit in Metropolitana Basilica, percontante eo, quid sonaret: Responderunt Ministri: Domine, hora prima iam pulsatur in Ecclesia S. Marię. Tunc Rex cum summa deuotione oculos ad Cælum erexit, et sursum manibus extensis dixit: Dominę meę S.Genetrici Marię me commendo, vt ipsa suis sanctis precibus me reconciliet charissimo filio suo Domino nostro Iesu Christo. Et his dictis expirauit*. Anno Christi videlicet, vt Baronius tradit. M.LXXXVII.

Vuilhelmus vbi suprà.

In Sacerdotum maximè ad Deū precibus suā spē collocat,

Ad impetrandam veniam diuinā rum Thesauros io pauperes, atque Ecclesias vult erogādos.

Vuilhelmus vbi suprà.

Fixis in Cœlum oculis, extensisquè manibus sic pœnitens spiritū reddit.

Baronius an. 1087. n. 31.

17. Atquì dū demortuo Regi funebria iā essent de more persoluenda, satis locuples humanę in ipsius cadauere human-

mādo infelicitatis, & haud obscurū cunctis argumētum affulsit, vt sic Auctor narrat. *Porrò dū corpus in Sarcophagum mittitur, & violenter (quia vas per imprudentiam cementariorum breue strictum erat) complicaretur, pinguissimus venter crepuit, & intolerabilis fœtor circumastantes personas, & reliquum vulgus impleuit. Fumus thuris, aliorumquè aromatum de thuribulis copiosè ascendebat, sed deterrimum putorem excludere non praualebat. Sacerdotes itaque festinabant exequias perficere, & actutum sua cum pauore mapalia repetere.* Hactenus de funesto Regis funere, quibus subinde hęc addit: *Ecce subtiliter* (inquit) *inuestigaui, & veraciter enucleaui, qua in lapsum Ducis Northmanniæ preostendit dispositio Dei. Non fictilem tragediam venundo, non loquaci comœdia cachinnantibus parasitis faueo; sed studiosis Lectoribus varios euentus veraciter intimo. Inter prospera patuerunt aduersa, vt terrerentur terrigenarum corda. Rex quondam potens, & bellicosus, multisq; Populis per plures Prouincias metuendus, in arca iacuit nudus, & à suis, quos genuerat, vel aluerat, destitutus; aere alieno in funebri cultu indiguit, ope gregarij pro sandapila, & vespillonibus conducendis eguit, qui tot hactenus, et superfluis operibus nimis abundauit.* Hæc, & alia scriptor præmemoratus magno mortaliū cūctis exemplo amplam de sua mortalitate philosophandi materiam relinquens.

Haud dubiū in ipsius cadauere humana infelicitatis argumentum.

Vuilhelm. vbi supra.

Quæ ipsius consequuta sunt funus lacrymis, & admiratione digna.

18. Verùm etsi Deus peccatorum pœnitenti Regi veniam, vt piè credendum est, misericorditer indulsit, haud tamen pœnam omninò abstulit, quam in filios, ac nepotem iustissimè est prosequutus, vt scriptor sic tradit: *Locus est* (inquit) *quem Vuilhelmus Pater hic, de quo agimus desertis Villis, subrutis Ecclesys per triginta, et eò amplius milliaria in saltus, & lustra ferarum redegerat, infando prorsus spectaculo, vt vbi ante vel humana conuersatio, vel Diuina veneratio feruebat, ibi cerui, et capreoli, et cętera illius generis bestię petulanter discurrerent, nec illa quidem mortalium vsibus communiter exposita.* Cuius rei causa (vt scriptor tradit) Riccardus filius, dum ceruorum aliquando venationi operam daret, ex tabido aere morbum contraxit; quo perculsus, viuente adhuc Patre, defunctus est. At post ipsius Regis obitum portentosa, quæ ibidem consecuta sunt funera, his Auctor verbis narrat. *Pro vero* (inquit) *asseritur, quòd in eadem sylua Vuilhelmus filius eius, qui ipsi successit in regnum, et nepos Richardi filius Roberti Comitis Northmannię, Matrē offenderint; seuero Dei iudicio, ille sagitta percussus (vt suo loco pluribus dicetur inferius. Iste collum traiectus, vel vt quidam dicunt, arboris ramusculo fauces appensus.* Hæc auctor, quibus satis ampla humanæ infelicitatis, mortalium tum menti, tum oculis isthæc narrādo argumenta, & Diuinę insuper irę haud obscura in vlciscendo signa visus est demonstrasse: Pœnas quippe, Deus nec serò paternæ tum à filijs, tum à nepote culpæ seuerissimè exegit; Regem verò agnita culpa, & Contritionis dolore saucium è vita cum magna salutis spe abire contigit.

Vuilhelm. vbi supra.

Pœnitenti Deus & si veniam indulsit, pœnas à filijs omninò nō abstulit.

Vuilhelmus vbi supra.

Filius ipsius, ac nepos in felici exitu sublati ex Vuilhelmo.

19. Atquì intimus animi dolor, qui acerbiores quasque Dei offensas abolet, vbi semel cordi pœnitentium insederit, futilem, quo solent affici homines, ruborem longiùs ablegans, omnem spontè, libenterque pro Deo coram hominibus confusionem amplectitur; adeò vt peccator ex corde pœnitens, magis semel coram Deo peccasse, quàm vel perpetuò cunctis coram hominibus confundi iugiter erubescat. *Est enim confusio* (vt Sapiens ait) *adducens peccatum; & est confusio adducens gloriam.* Quapropter non defuere, qui Pœnitentia extimulati, sua haud Sacerdoti priuatim peccata aperuisse contenti, publica item Confessione hæc patefacere non detrectarunt. Inter quos Henricus iunior Angliæ Rex, Henrici filius, quem Pater in S. Thomæ Cantuariensis Episcopi contemptum regia per Eboracensem Episcopum corona insigniri voluit, postquam verò semel, atq; iterum Ecclesiæ reconciliatus, iterum ad scissuras, discordiasquè temerè, ac turpiter redit, vlciscente tandem Numine, suæ condignas cōtumaciæ pœnas dedit; sed Deo (qui benignus, & misericors est) commiserante, memorandā post innumera, ac satis enormia peccata, Christianæ Pœnitentiæ de se cunctis documenta reliquit, dum cilicio indutus, ac fune collo inserta, haud contentus præ vehementi, quo agebatur, doloris æstu apud Sacerdotem singulas animi sordes expiasse, eadem palam cunctis

Pœnitens haud hominem ab hominibus cōfundi refugit.

Baronius an. 1183. n. 4.

Prouerb.

Eccl. 4. 6. 23.

Hēricus iunior Angliæ Rex digna pœnitentis animi argumenta exhibet.

Cilicio indutus, & fune collo iniecta confitetur culpas.

ctis facere, ac ignominiosa quæque vltrò, libenterquè sibi in criminis pœnā iniuncta amplecti voluit, vt Rogerius his verbis.

Rogerius in Henrico Anglia Rege.

20. *Rex filius* (inquit) *deficiente sibi pecunia, perrexit ad S.Mariam de Rupe Adamatoris, & decorticauit feretrum Sancti Adamatoris, & thesauros Ecclesiæ asportauit. Paucis post elapsis diebus idem Rex filius, cùm vidisset, se non posse multùm nocere Patri suo; ex indignatione, & animi rancore in grauem incidit infirmitatem in Villa, quæ dicitur Mortel non longè à Ciuitate Lemouicensi. Primò enim arripuit eum febris, deinde fluxus ventris, & contriuit eum vsque ad mortem. Qui cùm sensisset mortem sibi imminere, misit pro Domino Rege Patre suo, qui ad eum venire noluit; timuit enim insidias illius. Rex igitur filius conuocatis eoram se Episcopis, & viris Religiosis, qui aderant; primùm secretò, deinde coram omnibus sua confessus peccata, pœnitentiam, & suorum recepit absolutionem peccatorum, & tradidit Vuilhelmo Marescallo familiari suo Crucem suā Hierosolymam deferendam. Deinde depositis melioribus indumentis, cilicium induit, & ligato fune in collo suo, dixit Episcopis, & cæteris Viris religiosis circumstantibus: Trado me peccatorem indignum culpabilem, & obnoxium per funem istum vobis Ministris Dei, postulans; vt Dominus noster Iesus Christus, qui latroni confitenti in cruce peccata dimisit, per preces vestras, & per suam ineffabilem misericordiā misereatur infelicissimę animæ meę: et responderunt omnes, Amen: Et ipse ait illis: Trahite me à lecto isto per hunc funem, et imponite lecto illi cinereo, quem sibi præparauerat. Et fecerunt, sicut ipse præcepit illis, et apposuerunt capiti, et pedibus suis duos lapides magnos quadratos, et omnibus ritè peractis, ipse præcepit corpus suum deferri in Northmanniam vsque Rothomagum, et ibidem sepeliri. Et his dictis ipse sacrosancti Corporis, et Sanguinis Domini Viatico munitus, in timore Domini emisit spiritum. Quod cùm Domino Regi Patri suo renunciatum esset, lacrymatus corruit in terram, et vehementer planxit filium.* Hęc ille, quibus eximiam Regis sic pœnitendo virtutem Christiano Orbi testatam facit.

Rex filius ex indignatione in morbum incidit.

Secretò primum, deinde publicè seipsū apud Sacerdotem accusat.

Fune se vel reū pertrahendum vult ab Episcopis, & Sacerdotibus.

Baronius vbi suprà n.5.

Sacramētis Ecclesiæ munitus decedit.

21. Pœnitens itaque, ac intimè pro suis culpis dolens è vita abscessit. Sed amantissimum Patrem amarè pro filij obitu lugentem Petrus Blessensis, dignā recolendamq; Viri Pœnitentiam sub vitæ finem in primis illi ob oculos proponens solari his planè verbis non destitit. *Audiui*(inquit)*et conturbatus est venter meus, etc.* Quibus subinde, vt Parentis dolorem leniat, ac lugenti quoquo modo lachrymas inhibendo, abstergat; idem Petrus recolendum iugiter pœnitentis animi exemplar, quo filius è vita abscedens, anteactę vitæ culpas diluere contenderat, his verbis disertè ineulcat, cōmendatquè: *Sed sit quæso* (inquit) *dolendi modus, ne vos dolor rapiat vltra modum, temperantior debet esse apud vos erga defunctum filium dolendi occasio, quia christianissimè abyt, ne dicam obyt, et dolendo pœnitens dolores æternos euasit. Nobis eum flentibus iam securissimè dixit: Nolite flere super me, sed super vos ipsos flete. Planxit Dauid filium parricidam Absalon, Planxit super Saul, et Ionatham, finem eorum deplorans, quos dominium mortis inuoluerat sine fine. Verùntamen si circa filium vestrum pium est flere, pium est, et gaudere. Si enim Petrus Apostolus, si Magdalena suos defleuerunt excessus; iste licet Adolescens, et inter malitiæ incentores, et (vt ità loquar) tanquàm lilium inter spinas, in omnē se deiecit Pœnitētię humilitatem, Mūdi gaudia conuertens in planctum, et delicias in dolorem. Conuersus est planctus eius in gaudium, conuertatur et vester, cedat vobis ad plenitudinem gaudiorum, talem filium de lumbis vestris Processisse, in quem naturæ dotes vniuersę confluxerant, etc. Exemplum dedit vobis, vt et vos sequamini vestigia pœnitentis.* Hæc ille. Quibus sanè Vir tantus paterno haud exiguum visus est dolori leuamentum exhibuisse, dum intimo filium cordis dolore saucium de perpetratis vehemētiùs culpis obdoluisse, easdemque flendo diluere omnimodis conatum satis vltrò demonstrat. Pœnitenti quippe tot apud posteros doloris nunquàm morituri monimenta statuit, quot ad exprimendam Pœnitentiæ magnitudinem verba consultò apposuit; hæc enim ille: *Nemo* (inquit) *fuit in Confessione humilior, in sui accusatione contritior, in emendatione deuotior, in propria carnis afflictione crudelior, in omni satisfactione feruentior, etc.* Quem igitur humiliter adeò peccata, quæ olim admisit, accusantem, plangentem, ac voluntaria in seme-

Petrus Blesensis Epist. ad Henricū Regem.

Petrus Blesensis Patrē ipsius cōsolatur.

Petrus Blesensis vbi suprà.

Pœnitentiæ ipsius mētio opportunum solandi argumentum.

Dolor in gaudium ob conuersionē vertendus.

Petrus Blesensis vbi suprà.

Quia ipsius pœnitentis cōtritio pro miraculo extitit.

semetipso pœnarum castigatione vindicantem quasi pennicillo adumbrans ob oculos ponit, hunc proculdubio Pœnitentiç armis probè munitum, ac optima salutis suffultum spe decessisse nemini addubitandum est.

Rainaldus an. 1335. n. 58.

22. Dignum quoque in Anglia, Anno redempti Orbis 1335. Mulier, quæ procul pudorem abijciens, omni se turpiter libidinum cœno fędauerat, Pœnitentiæ, ac contriti pariter cordis præbuit exemplum, cuius alibi quoque opportuna mentio erit. Talem enim, ac tantum (vt Rainaldus in suis Annalibus tradit) hęc vna ob anteactæ vitæ, ac scelerũ turpitudinem animo dolorem concepit, vt cum illius magnitudinem ferre haud posset, deficiens extemplò viribus, vt spiritu posthac Deo viueret, sibi ac Mundo moriens spiritum feliciter exhalauerit. Sed rem à Vualsinghamo his planè verbis descriptam excipiamus. *Hoc* (inquit) *anno in Ecclesia de Edeligh Vuintonensis Diœcesis, et Decanatu de Aulton in die Palmarum post prædicationem cuiusdam Sacerdotis literati Ioannis de Vecca nomine, mulier quędam Ioanna coram Populo à iuuentute sua corpus suum libidini, et obscænitati fuisse expositum, ac alia facinora lacrymabiliter cõfessa inaudita, obnoxiè flagitans Pœnitentiã à Sacerdote prædicto sibi imponi salutarẽ. Sacerdos quoq; de Diuina misericordia confidens, post sacrę scripturę exempla nominata, ne desperaret, sed in Domino peccatores ad Pœnitentiam expectante spem poneret, sex dierum ieiunium in pane, et aqua in suorum remissionem indixit delictorum. Illa quoque Pœnitentiam talem suorum respectu facinorum parum fore, seu nihil asserente, Pœnitentiam qualemcunque agere posset, sibi iniungi suppliciter exorauit. Ille verò diebus postea tribus in petitione mulierc perseuerante, in expiationem omnium peccaminum suorum indixit ieiunium. Prostrata verò illa coram imaginibus Ecclesiæ flens, et eiulans, ac preces ad Deum deuotè fundens, pronamquè in terram se prosternens, in corporis Christi eleuatione exanimis, et albissima est reperta.* Quibus sanè vnicuique compertum fit, quàm ingens ad omnem abolendam scelerum maculam, sordesquè animi expiandas, pœnitentis fœminæ amoris, ac doloris vnà pariter vis cordi insedit, quæ debitam sibi iniunctam pro peccatorum expiatione à Sacerdote pœnam minui potiùs, quàm adaugeri meruit, adcò vt lacrymis, ac suspirijs ritè exculta, quàm culpis intus obnoxiam pręseferebat cõscientiam extemplò absterserit, ac pœnitens mori, quàm Deo offenso viuere concepti vtique doloris impatiens maluerit; Illi quippe Diuinum Prophetę carmen occinuisse videtur: *Magna est vėlut mare contritio tua, quis medebitur tui?* Dolor igitur, qui ex immani peccatorum obiectu intus adfuit, appositum, ac præsentaneum abolendo peccato pharmacum extitit.

Ioanna impura mulier in Anglia ... trum Compunctionis exemplum.

Vualsing ... hist. Anglic. in Eduardo 3.

... suas coram sacerdoti ac ... mani Populo turpitudines confitetur.

Dolens, ac pœnam culpis condignã imponi postulans vitam rumpit.

Dei amor, & culparũ dolor fœminæ cor sauciãt

23. Verùm hęreticus homo, qui contriti cordis prærogatiuam, miramquè Pœnitentiæ virtutem exccratus, omnem eius à Christianorum cordibus vim eliminandam contendit, insignem Diuinæ pietatis peccatrici mulieri exhibitę indulgentiam, non secus ac anilem fabulam, ac futile vti commentum reijciendo deridet; Sed ipsius hìc Rainaldi verba repetenda à nobis sunt: *Traduxit illustre* (inquit) *hoc Diuinæ misericordiæ in peccatricem exemplum, vt inane commentum Vir hæreticus, qui notas Vualsinghamo marginales apposuit, vtpote cui ex insita hæresi Christiana Pœnitentia non placeat. Sed Auctori potiùs, quàm notularum scriptori fidem adhibẽdam cordatus Lector agnoscet.* Absit igitur, vt pro Catholico is habeatur, qui sic Pœnitentiæ detrahit, & pœnitentium hominum exempla nedum gratis, deuotisque vt par est, auribus non accipit, sed & rabido insuper ore carpit, & canino plusquàm dente rodit, ac Diuinæ assertores pietatis subsannans, sic pœnitentibus Cœlum, veniam peccatoribus denegando claudit.

Hęreticus homo Pœnitentiæ hostis, indultã fœminæ veniã pro nugis habet.

Rainaldus vbi supra num. 58.

24. Porrò eadem prorsus dilectionis vis est, ac mortis, ad homini animam terrenis cunctis expiandam, adeoquè illud meritò in Minoritarum familię tabulis, haud narratis absimile traditur, quod Platus item refert: *In Franciscanorum* (inquit) *historijs legimus non longè post illius Ordinis initia contigisse, quòd tempore, quo Bertoldus, Vir eiusdem familiæ insignis in Germania, inter prædicandum Dei verbum acriùs in vitium quoddam inuectus esset: mulier, quæ eo vitio tenebatur, Pœnitentię, ac Contritionis vi in media concione*

Eadem fere vis dilectionis, ac mortis.

Hieronymus Platus lib. 1 de bono Status Relig. c. 5.

In Fr. Minoritarũ Chronicis.

ne mortua cecidit. Verùm cum omnibus in preces procumbentibus paulò post reuixisset, narrauit mortis causam, iussamquè se ad corpus redire, vt peccatum illud Confessione expiaret, adiecit etiam tum alia multa, quæ viderat, tum illud in primis horribile, & dictu etiam mirabile, cùm ipsa ad Dei Tribunal accessisset, adducta simul esse sexaginta animarum millia, quæ in omnibus Mundi partibus fidelium, & infidelium varijs casibus excesserant ex hac vita, atque ex his omnibus tres tantùm addictas Purgatorio, reliquas omnes ad ignem æternum damnatas; vnum autem ex Franciscanis Fratribus eodem ipsum quoque temporis articulo defunctum per Purgatorij quidem locum transijsse, sed tamen non modò ibi diutiùs non commoratum, verùm etiam par animarum, quæ præcipua cum eo amicitia fuerunt coniunctæ, secum in Cælum adduxisse. Contritionis itaque singularis prærogatiua est, vt animam peccato absoluat, & si vehementissimus sit charitatis feruor, ac diligendi modus, ipsam tum peccatis, tum vitæ nexibus animam eximat nec non cunctis liberam poenis Coelo inferat.

Mulier vitijs quondam captiua Contritionis emotitur inter audiendū Dei verbum.

Dei beneficio, vt peccata confiteretur, ad corpus redit.

Multorum animas ad Dei Tribunal delatas, & tres tantùm saluas testatur.

24. Contritionis verò, quæ diuinitùs cordi infunditur, ad promerendam veniam efficax adeò virtus est, vt etsi multis liquidò exemplis constet, saltem ex his, quæ Cantipratanus edisserendo tradit, satis comprobetur: Dum enim certus quidam Vir pius verba ad Populum Diuinis de rebus aliquando faceret, ipsi (vt quod infrà narrabitur) contigit, vt prælaudatus scriptor sic meminit: *In vlterioribus* (inquit) *partibus Angliæ quidam Vir sanctus, & bonus prædicationis officio præeminebat. Eo autem in statione publica prædicante, quadam peccatrix mulier amarissimè contrita, vt patuit, in Populo cum lacrymis exclamauit: Miserere mei Serue Dei, audi miseram, & absolue me à peccatis. Tunc ille, vt potuit, eam compescuit, & vsque post finitum sermonem expectare præcepit. Quid plura? iterum post paululum cum clamore surrexit, & petijt mox audiri. Sed cum iam finiendum sermonem promitteret Prædicator, & illa parùm quiescerct, surgit iam tertiò, clamat horrificè, cadit in faciem, expirat. Turbatus igitur non modicè eum Populo Prædicator, orat omnes præsentes cum lacrymis orare Deum, vt alicui, quid sit factum de anima peccatricis, ostendere dignaretur. Interim per tres dies clausus in cella Prædicator nil obdormiuit, neque gustauit, sed continuè in oratione permansit. Tertia ergo nocte anima defuncta lucidior super Solem apparuit præstolanti: Adsum (inquit) anima, pro qua oratis, ab omni pæna soluta sum, nihil restat, nisi ad Cælum statim auolare. Tunc nimiùm illi interiùs hæsitanti respondit anima: Hoc signum tibi, quòd non deciperis: Quidam Magister Ioannes in partibus Brabantiæ in Monasterio de Origniès Leodiensis Diœcesis ista nunc hora obijt, & sicut in vita semper super afflictos, & pauperes pius fuit, ita & & nunc cum post mortem ante locum Purgatorij, in quo innumerabilis multitudo detinebatur, eius felix anima ab Angelis deferretur, & ibidem multos recognosceret, quorum auctor salutis extiterat, pietate commotus, pro eis suppliciter Dominum exorauit, vt à pæna Purgatorij soluerentur. Nec mora, exauditus à Domino, & non tantùm cum illis, pro quibus orauerat, verùm etiam cum alijs multis & ego pariter liberata, ad Cælos cum maxima gloria est susceptus. Hæc dicens anima ab oculis mirantis euanuit. Ipse verò in transmarinis partibus existens, statim directo cum literis nuncio, sicut anima pro signo dederat, diem, horamquè beati Viri migrantis inuenit.* Ità planè subita Cōtritionis cordi vis diuinitùs illapsa delictorū omnium culpas abolet, & poenis animam præpotenter absoluit.

Cantipratanus lib. 2. Apum c. 35. par. 3. 4. 5.

Peccatrix Mulier in Angliæ partibus audito verbo Dei compūcta.

Exclamat præ Contritione ter absolui postulans.

Ob vehemē tiam doloris expirat.

Concionator Deum precibus pro defuncta sollicitat.

Peccatricis anima se pœnitentia, a dolore expiatam nunciat.

Multos à Purgatorij poenis liberatos narrat, & se in Coelum cum illis ascendere.

25. Nonnullis demum ea repentè Contritio ipsius Dei munere è Coelo affulsit, vt innumeris ferè mox culpis expiatos Coelo protinùs dignos reddiderit, & nonnisi inaudito mira, ac subita eiusmodi resipiscentia sit adscribenda portento. Quod sanè cuidam eleemosynis apprimè dedito contigisse olim, Augustino Manno Congregationis Oratorij Presbytero, qui se à Societatis Iesu Patribus accepisse tradit, enarrante comperimus; hæc enim ille: *Apud Hispanos* (inquit) *in Ciuitate Valentiæ fuit quidam iuuenis, qui sæculi vitam amplexus, & obscœnis concupiscentijs obtemperans, tempus in Diuinorum præceptorum transgressionibus conterebat. Quapropter odio habens, & fastidiens ea, quæ spiritus sunt, abhorrebat diuina Sacramenta, & ad confitenda Sacerdotibus peccata, quasi funibus constrictus ire non pote-*

Augustin. Manus lib. selecti. hist. c. 313. pag. 472.

Iuuenis apud Hispanos ob scœnis voluptatibus deditus repentè conuersus.

poterat: Multiquè præterierant anni, quibus peccata sua confessus non fuerat. Tandem improuisa quadam peccatorum detestatione tactus intrinsecus, profectus est ad Templum Venerabiliũ Patrum Societatis Iesu, vbi tanta cordis compunctione, tot oculorum lacrymis sua confessus est peccata, vt Confessarius eius admiraretur, & sciscitaretur ab ipso, qua bona opera peregisset vnquam, vndè meruisset hanc misericordiam à Deo impetrare; Respondit iuuenis: Ego multa, & grauissima mala in vita mea me commisisse recordor, totumquè tempus, quod vixi, consumpsi penè peccando, & viuendo in fœdis luxurijs. Tot malis operibus vnum tantùm bonum opus admiscui; delectabar enim facere eleemosynas, & pauperibus benefacere, cum se occasio offerebat. Et pergens per viam, si pauper aliquis occurrebat, diuidebam illis nummos, vt poteram. Quod si aliquando contigisset, me non habere in crumena pecuniam, quam indigenti præberem, in proximam aliquam officinam ingrediebar, & petebam à Mercatore, vt mutuaret nummos, cui si fortè notus non fuissem, loco pignoris ensem, quo eram accinctus, & pugionem relinquebam. Hic igitur iuuenis expleta Confessione, & obtenta peccatorum absolutione ægrotauit, & post biduum mortuus est, & vt credi potest, cum salute à misericordi Deo receptus est, &c. Sic planè iuuenis tot peccatis onustus, quia ipse tamen in pauperes misericors fuit, incredibilem simul cordis contritionem pro mercede lucratus, viuendi feliciter finem sortitus est.

Insitata Compunctionis spiritu ob eleemosynas, quibus intendebat, donatur.

Mira hominis in eleemosynis elargiendis pietas.

Diem feliciter expiatus claudit.

Robert. Card. Bellarm. lib. de arte bene Moriendi c. 6.

26. Intimus itaque de admissis in Dei Bonitatem culpis animi dolor, & amarulenti cordis Contritio, vti certam homini fiduciam sperandæ salutis affert, ità ipsius è contrà sub vitæ finem iusto Dei iudicio, & cùm maximè opus est, subtractio, ipsum in magno, apertoque æternæ salutis discrimine hominem constituit; adeoquè peccatis maximè obnoxij, & peccando item assueti, suiquè, ac Dei omninò immemores, qui Contritionis, pium omninò vsum ignorant, & cum ingenti quidem vitæ periculo, & non sine magno item, apertoquè salutis discrimine tandem moriuntur, cuius rei testis Robertus Card. Bellarminus bon: mem: qui probè rem eiusmodi exemplo confirmat: *Cùm inuiserem* (inquit) *amicum virum diuitem, & nobilem, qui ex peccato quodam graui perpetuo in morbum lethalem inciderat, atque ei dicerem, nihil ei salutarius in eo temporis articulo esse posse, quàm veram peccatorum suorum Pœnitentiam, & Contritionem, quia Deus cor contritum, & humiliatum nunquam despicit: Respondit ille, Et quid est Contritio? non capio, quid à me requiras; subieci ergo: Hoc requiro, vt ex vero corde displiceat tibi, quòd in Deum peccaueris, & omninò statuas, si diutiùs vixeris, nunquàm ampliùs Deum offendere; idquè totum procedas ex vero amore Dei, qui tibi innumerabilia beneficia præstitit, cui tu ingratissimus pro beneficijs iniurias reddidisti. Respondit ille: Non intelligo, non sum capax rerum istarum. Ità obijt, signa damnationis suæ satis aperta nobis relinquens.* Hæc ille. Quibus sanè illa Augustini misero huic, ac cæteris eiusmodi iusta sententia quadrat: *Hac* (inquit) *animaduersione percutitur peccator, vt moriens obliuiscatur sui, qui viuens oblitus est Dei.* Contritionis quippe omninò, qui peccat assiduè, ignarus; quinimmò & Dei iam contemptor, non nisi certam animæ proculdubio iacturam sic faciendo expectat. Sed de his hactenus.

QuiDeum viuentes obliuiscuntur, morientes quoque sui ac Dei sunt immemores.

Bellarm. vbi supra de arte bene moriendi.

Robertus Card. Bellarminus Contritionem ægro inculcans, rei hominem ignarum omnino offendit.

Non intelligo non sum capax (inquit) homo rerum istarũ.

Augustin. in psal.

Ignorãs haud dubia damnationis suæ signa relinqui.

CAPVT III.

Pœnitentiæ nonnulli donum aliorum meritis, precibusq; à Deo obtinent.

1. IMmortalis Deus, qui suam cunctis largiendo misericordiam exhibet, *& Dominus omnium* (vt Apostolus ait) *diues est in omnes, qui inuocant illum; &* Qui insuper iuxta Apost. Iacobi verbum, *dat omnibus affluenter, & nemini improperat*: Quàm multa hominibus interdum sua haud vnquàm contentus liberalitate concedit, alioquì absque præcedentium merito precum, ac patrocinantium suffragio minimè concessurus. Alienis itaque plerùmque votis, precibusquè gratiarum munera, & quæ minimè accipientium debentur meritis, Altissimus vltrò, libenterquè largiri mortalibus consueuit, vt illud Augustini decantatum ore probè cunctis innotescat oraculum: *Quia Deus non tam nostra merita, quàm sua mu-*

Ad Rom. cap. 10. v. 12. Iacobi Epist. 1. v. 5.

Deus sua hominibus donaaliorum precibus cõcedit.

nera largiendo coronat; & vt precum insuper dignitas impetrandi honore clarescat. Enimuerò sic quondam in primis Apostolo inter profundi maris procellas deprehenso, cæterisquè vnà cum ipso, & certo iam naufragio laborantibus immensa Dei è Cœlo bonitas præstò fuit, vt se, ac cunctos, qui simul nauigio ferebantur, periculo eruendos facto sibi diuinitùs verbo edisceret: *Ne timeas Paule*(inquit) *nullius animæ erit amissio; Ecce donauit tibi Deus omnes, qui nauigant tecum.* Et congruè; Vnius quippè interdum fides, & vnà simul charitas postulando, quod alij accipere non merentur, & quod aliena quandoque peccata præpediunt, efficaciter à Deo impetrat, & quantocius ipsius Dei bonitas inter ipsas mortis angustias periclitàtibus subuenit. Et sanè ille Martyrum antesignanus, Stephanus Beatissimus pro incredulis, ac lapidantibus aliquando Iudæis orabat, & Saulo inter lapidum imbres, ictusque omnium vestimenta seruanti: *vt enim*(inquit Augustinus) *in omnium lapidantium manibus esset, ipse omnium vestimenta seruabat*, salutem, atque Apostolatum vnà simul orando promeruit. Enimuerò quidquid ipsi postmodum ad Christianorum stragem in præceps currenti in via contigit, nonnisi Stephani merito, precibusquè desuper Augustino teste est adscribendum: *Si Stephanus*(inquit)*non orasset, Saulum Ecclesia non haberet*. Tantùm quippè ardens, atque inuicta Srephani Charitas, ipsiusquè inter moriendum supplex oratio ad impetrandum profuit, & apud Deum inualuit, vt Saulus ad Christum conuersus, & iam ex lupo agnus (*Beniamin* etenim *lupus rapax*) omnimodam præpotentis è Cœlo vim cunctis palam fecerit; Nam dum magis, magisquè in Christi Discipulos adhuc spirans minarum, & cędis in via prosternitur, Leuitæ profectò Beatissimi, quem Iudæi extrà Ciuitatem eiectum lapidarunt, orantis, debellantisquè virtutem imbellis ipse ad resistendum redditus sensit, prompti vtique, profusiquè inter lapides cruoris è Cœlo beneficiũ expertus: *Charitatis* quippe(vt Fulgentius ait) *virtute subnixus vicit Saulum crudeliter sæuientem, & quem habuit in terra persequutorem, in Cœlo meruit habere consortem*. Hoc planè nobili Stephanus ex lapidàtibus lucro, ac tryumpho diues, cumulato supernorum Ciuium gaudio Cœlum intrauit, dum Saulum ex persequutore eiaculatos inter lapidum imbres Apostolum Cœlo peperit, ipsumque Christi Ecclesia ex Saulo Paulum, cunctarũ Orbis Gentium Doctorem feliciter sortita est.

Augustinus lib. de Gratia, & libero arbitrio.

Actuum Apostolor. cap. 27. 24.

Nauigantes cum Paulo à certo naufragio ipsius meritis liberantur.

Augustinus serm. 14. de ss.

Saulus Beati Stephani Protomartyris prece ex persequutore in Apostolum conuertitur.

Augustin. in acta Apost.

Dum magis per odiũ in Christum, & Christianos sęuit, à Christo è Cœlo vocatur.

S. Fulgent. ser. de S. Stephano.

2. Quapropter apposité Augustinus, vt quis pro alijs Deum enixiùs oret, quò dignus Christo fiat, ac Cœli vnà simul consortio donetur, inculcans, isthæc aptè in rem præsentem, subtexit: *Pro eis* (inquit)*oremus, vt prædestinentur; fortasse enim ità sunt prędestinati, vt nostris orationibus concedantur*. Enimuerò sic se habet quorundam hominum salus, vt non nisi aliorum precibus decreta diuinitùs, ac prædefinita existat. Qui ergò grauioribus est culpis obnoxius, profectò ad impetrandam à Deo veniam, piorum hominum tum vota, tum lacrymas plurimùm quidem valere, occultamquè ad Dei consequendam misericordiam obtinere vim proculdubio intelligat; vt paribus quoque Ambrosius verbis edocet. *Etsi graue* (inquit)*peccatum est, quod Pænitentia lacrymis ipse lauare non possis, fleat pro te Mater Ecclesia, quæ pro singulis tanquam pro vnicis filijs vidua Mater interuenit.* Ad impetrandam igitur præoptatam contriti cordis gratiam, & pœnitentiæ potissimũ, qua ab homine fit Deo satis, donum; magni profectò iustorum preces, ac Dei amicorum vota momenti sunt, adeò vt homini clemens vltrò Dei benignitas refundat, quod pia aliorum desideria postulant, vel certè quod indigna peccantium se ipsa improbitas obtinere neutiquàm sufficit.

Quidam nõ nisi aliorum apud Deũ precibus prędestinati ex Augustino.

Augustin. in serm.

Ambrosius lib. 3. tom. in Lucam cap. 7.

Efficax apud Deum totius Ecclesiæ oratio.

3. Quanti verò piæ præsertim preces, necnon grata deprecantium suffragia ad Deum vel offensum, iratumquè placandum, & ad ipsius grauioribus promerendam culpis veniam, momenti sint, Theophilus olim Græcorum Imperator sat cunctis palam ostendit, qui sacris bello imaginibus indicto, & in aciem velut Inconomachorum signifer prosilire ausus, facti postmodùm vel serò pœnitens, correptusque, & à Deo flagellis per visum ipsa Angelorum manu expetitus, cùm duodecim annos regnasset, sacris

Baronius an. 842 n. 32.

Theophilus Græcorum Imperator Iconomacorum signifer vim precum expertus.

Angelorum manu flagellis atteritus resipiscit.

cris honorem imaginibus deferens, easq; ab omnibus honorandas palam edicens; mox promptam à Deo, qui cunctis misericordiæ sinum aperit, mirabiliter veniam consequitur; adeò vt Theodora Augusta, ipsius vxor præostenso sibi viso impertitæ à Deo Imperatori Indulgētiæ fieri certior meruerit, vt ex Annalibus Ecclesiasticis è sacro Græcorū Triodio à Theodoro Studita his verbis traditur. *Hic igitur Theophilus multos Sanctorum Patrum pœnis, & tormentis inauditis cùm afflixisset propter sanctas imagines, Iustitiæ nihilominus studiosissimus fuit; vt cùm aliquando, si quis esset in Vrbe, qui alteri molestiam afferret, sciscitaretur, nullus (vt aiunt) multis diebus fuit inuentus. Cùm autem duodecim regnasset annos, & dysenteriç morbo, correptus, è viuis excedere deberet, os suum supra modum aperuit, ità vt etiam interiora ipsa intueri liceret; Augusta verò Theodora, maximo propterea dolore afflicta, vix ad somnum conuertitur, & visionem huiusmodi intuetur. Immaculatā scilicet Dei Genitricem infantem ante omnia secula genitum vlnis gestantem, & Angelis lucidissimis circumseptam, Theophilum autem eius Coniugem ab ipsis flagris, & contumelijs affectum. Cùm igitur somnus ipsam dimisisset, & Theophilus parùm respirasset, vehementer exclamauit: Hei mihi misero, qui propter sanctas imagines percutior! Qua re audita Imperatrix quàm primùm Dei Genitricis imaginem super ipsum collocat, illam multis cum lacrymis deprecans. Theophilus verò, licet ità se haberet, cùm vidisset adstantium quendam imaginem paruam collo alligatam gestantem, illam arreptam obsculabatur, & venerabatur. Quapropter continuò illud os, quòd antea aduersus imagines rugiebat, & guttur, quod ità turpe apertum cernebatur, ad priorem statum conuersum est; & à frequenti illa angustia, & molestia requieuit, & obdormiuit, cum anteà apertè confessus esset, bonum esse Sanctas imagines honorare, & venerari. Cùm itemq; Imperatrix è suis areulis venerandas, & Sanctas imagines eduxisset, toto pectore nitebatur Theophilum adducere, vt illas veneraretur; Paulò autem post tempore Theophilus excedit è vita, & Theodora reuocatis illis omnibus, qui in exilio, & carceribus detinebantur, vt liberè agerent, illis precepit, etc. At Christi Confessor Methodius ipsam Patriarchalem sedem assumit, multa anteà passus, et in sepulchro in vinculis vitam agens.* Imperator itaque suum agnoscens errorem, dum ipsum ex corde admissorum pœnitet, à Deo veniam obtinuit.

Theodorus Studita in Triodio.

Nocte per visum causam, cur plectatur, addiscens commeritur.

Theodora Augusta pro ipso Deum ac Deiparam exorat.

Venerandas imagines Theophilo venerandas proponit.

Tandem Princeps è vita pœnitens abit.

4. Mortuo autem subinde Imperatore, Theodora Augusta omnibus, qui religionis causa exulabant, ad patrios lares reuocatis, sacrarumquè imaginum reddito cultu, S. Methodium Patriarcham Constantinopolitanum, & Episcopos enixiùs orat, vt assiduas pro Theophili Coniugis salute ad Deum preces effundant; quem pro viro suo instanter Altissimum deprecata, tandem piorum precibus, vt per visum palam fieri contigit, quod fiducialiter à Deo petebat, benignè obtinuit; Sic enim Theodorus Studita prosequitur. *Quæ (inquit) cùm ità se haberent, Theodora Imperatrix diluculo sextæ feriæ somno detenta, sibi videbatur apud columnam, quæ dicitur Crucis, reperiri, & quosdam illac magno cum strepitu præterire, diuersa tormentorum genera secum ferentes, in quorum medio cinctus agebatur Imperator Theophilus manibus retrò reninctis, quem cùm agnouisset Imperatrix, consequebatur & ipsa illos, qui eum ducebant; cùm autem ad æneam portam peruenissent, vidit virum quendam aspectu mirabilem, qui antè imaginem Christi sedebat: ad hunc cùm Theophilum illi addnxissent, stiterunt eum. Quibus visis Imperatrix pedibus eius prouoluta, pro Imperatore intercedebat. At ille dixit aperto ore: Magna est fides tua ò mulier. Scito igitur, quòd propter tuas lacrymas, fidemquè tuam, necnon propter preces, & intercessiones seruorum meorum, & Sacerdotum, Theophilo viro tuo ignosco. Deinde ait illis, qui eum adducebant: soluite ipsum, & tradite vxori suæ, quę illo recepto recessit exultans, & gaudens, & continuò somnus illam dimisit. Hæc quidem Theodora Imperatrix vidit in somnis.* Sic Deus itaque pijs, assiduisquè fidelium precibus clementer annuens Theophilo, pro quo adeò instabant, animæ salutem concessit, & à Purgatorij, quibus tenebatur pœnis erutum, ipsum in requiem mirabiliter eduxit.

Theodora Methodium Patriarchā, vt Deū pro mortuo exoret, instanter precatur.

Baronius an. 842. n. 31. 33.

Theodorus studita vbi suprà.

Visio de irrogatis Theophilo pœnis. & Theodorę aspectui oblatis.

A Christo exauditę Mulieris preces.

Theophilus Morbo præuentus inno xij hominus sanguinem fundit.

5. Porrò admiranda magis ex eo Theophili ad bonam frugem conuersio redditur, quòd cùm subindè Imperator

ob

ob acceptas ab hostibus clades mœrore tabescens, in lethiferum morbum incidisset, quo tandem consumptus vitam clausit; dum lecto decumberet, illud ad sæuiendum Herodis instar, & iam breui moriturus adiecit, vt suas innoxij viri sanguine manus respergeret; hæc enim de eo Curopalates: *Vt sibi*(inquit) *vitæ finem adesse nouit Theophilus, in maximè obscurum carcerem Theophobum conyciendum curat ad Bucoleonem(hunc enim de affectatione Imperij calumnijs impetitũ fuisse pluribus idem narrat Auctor) Iamquè appropinquante fine, caput ei amputatum sibi afferri iussit. Quo accepto, manibus capillos contingens, hoc verbum dixit: Neque posthac ego ero Theophilus, neque tu Theophobus.* Ità plane miser hac nouissima in virum innocentissimum excitatus (vt inquit Baronius) crudelitate, ad vitæ finem appropinquauit. Verùm non nisi Pœnitentiæ tandem subsidio releuatus admissorum scelerum veniam à Deo obtinuit, qui alioqui præceps adeò festinusque ad vitę non tam exitũ, quàm ad exitium currebat. Theophilus igitur cùm iam morti proximus, vitæ spiritum iam iam esset exhalaturus, sui ipsum erroris pœnituit, ac misericordiam à Deo compunctus corde requirens, sicut optabat, est consequutus; vt Gennadius Patriarcha ex antiquioribus monimentis in expositione, quam pro Concilio Florentino habet, sess. 5. his verbis tradit: *Imaginum* (inquit) *oppugnator Theophilus diuinorum, & Sanctorum virorum, & Augustę seruatus est precibus.* Quasi autem, quod dixerat, haud satis ad credendum foret, paulò post isthæc consultò subijcit: *Neque enim* (inquit) *nec Sanctorum virorum preces, aut Augustæ studium pro Theophilo valuissent, nisi priùs ille suum peccatum confessus esset, sanctasquè imagines colere, & honorare iustum esse asseruisset.* Hæc de Theophilo, cùm ipsum vita deficeret, animæ vitam adepto Gennadius asserit; quæ magnam vel sub vitę finem pœnitentibus consequendæ veniæ fiduciam præbent, sed vt alterum hìc aptè proferamus exemplum.

Curopalates in Theophilo.

Theophobũ ob affectati regni suspicionẽ è medio tollit.

Baronius vbi suprà n. 6.

Crudele ipsius in occisi capite pertractando facinus.

Poenitet ipsũ ex corde sub vitæ finem, & veniam à Deo obtinet delictorum.

Gennadius in expos. Conc. Floren. sess. 5.

6. Ecgbertus nobilis inter Anglos Monachus, dum anteactæ vitæ seriò culpas secum ipse recoleret, vberrimis faciem lacrymis respergens, ac intimo doloris sensu, & animi contritione perculsus, vitam sibi à Deo non tam ad viuendum, quàm ad pœnitendum concedi instanter poposcit, & ad culpas, quas à puerili ætate incurrisset, salubriter diluendas. Vouit enim se peregrinationem suscepturum, nec vnquam in Britanniam, in qua natus erat, rediturum; vt Poenitentia iugiter attritus, consumptusque diutinis laborum incommodis, condignas scelerum in hoc sæculò pœnas exolueret. Nec his contentus se Psalterium diebus singulis recitaturum, ac singulis insuper hebdomadæ diebus ieiunaturum promisit; Demum nonagenarius, (vt diuinitùs enunciatum est, bonis operibus cumulatus è vita decessit; hæc enim Beda: *Cumquè finitis* (inquit) *lacrymis, precibus, & votis domum rediret, inuenit Sodalem dormientem: & ipse quoque lectulum conscendens, cœpit in quietem membra laxare; & cum paululùm quiesceret, expergefactus Sodalis respexit eum, & ait: O Frater Ecgberte, ò quid fecisti? sperabam, quià pariter ad vitam æternam intraremus: veruntamen scito, quia quæ postulasti, accipies. Didicerat enim per visionem, & quid ille petysset, & quia petita impetrasset. Quid multa? Ipse Edilhunus proxima nocte defunctus est.* Hæc in historicis Anglorum tabulis.

Baronius an. 664. n. 17.

Ecgbertus nobilis inter Anglos Monachus amarulenter ex corde vitę culpas moriturus recolit.

Multa Deo promittit, & nonagenarius tandem decedit.

Exauditum à Deo, & vitæ superstes promissa adimplet.

Beda lib. 3. histor. Angliæ, c. 28.

7. Vitam igitur sibi Dei beneficio posthac indultã haud frustrà ille accepit, sed vt quę animo conceperat, opere fideliter adimpleret; Quapropter è morbo repètè cõualescens, sacerdotali insignitus munere, bonis subinde operibus intendẽs Pœnitentiæ post diuturnos labores cumulo diues, ad Deum tandem lætus migrauit, vt sic idem Beda: *At verò* (inquit) *Ecgbertus decussa molestia ægritudinis, conualuit, ac multo post tempore viuens, acceptumquè sacerdotij gradum condignis ornans actibus, post multa virtutum bona, vt ipse desiderabat, nuper, idest annorum nonaginta migrauit ad Regna cælestia. Duxit autem vitam in magna humilitatis, mansuetudinis, continentiæ, simplicitatis, & iustitię perfectione; Vnde genti suæ, et illis, in quibus exulabat, nationibus Scotorum, siue Hybernorũ & exemplo viuendi, & libertate corripiendi, et pietate largiendi de his, quæ à diuitibus acceperat, multum profuit:* Exactam quippe virtutum, ac Pœnitentię

Beda vbi suprà.

Sacerdotali munere insignitus, Deo fideliter inseruit:

tiæ potissimùm formam exhibens, multùm cæteris ad salutem profuisse visus est laudabiliter viuendo, de quo isthæc Beda summatim refert: *Exemplo videlicet viuendi, instantia docendi, libertate corripiendi, & pietate largiendi multùm profuit*. Hæc ille.

Baronius vbi supra.

8. Quo autem pietatis, & animarũ zelo tantus Vir teneretur, dum gentibus in Germania Christi prædicare Euangeliũ cupetet, ex his, quæ Beda meminit, palã fit; hæc enim ille: *Eo tempore venerabilis, & cum omni honorificentia nominandus famulus Christi, & Sacerdos Ecgbertus, quem in Hybernia insula peregrinam ducere vitam pro adipiscenda in Cælis patria retulimus, proposuit animo pluribus prodesse, idest inito opere Apostolico verbũ Dei aliquibus earum, quæ nondum audierant, gentibus euangelizando committere; quarum in Germania plurimas nouerat esse Nationes, à quibus Angli, vel Saxones, qui nunc Britanniam incolunt, genus, & originem duxisse noscuntur: vndè hactenus à vicina gente Britonum corruptè Germani nuncupantur; Sunt autem Frisones, Rugini Danni, Hunni, antiqui Saxones, Boruchtuarij: Sunt etiam alij perplures ijsdem in partibus Populi paganis adhuc ritibus seruientes, ad quos venire præfatus Christi miles circum nauigata Britannia disposuit; si quos fortè ex illis ereptos Sathanæ ad Christum transferre valeret; vel si hoc fieri non posset, Romam venire ad videnda, & adoranda Beatorum Apostolorum, & Martyrum Christi limina cogitauit*. At Diuinis Vir pius oraculis se nõ ad isthæc euocari intelligens, signisquè è Cœlo edoctus, Pœnitentiæ intentus operibus, in solitudine perstitit, & post frustrà tentatum annunciandæ fidei gratia transmarinum iter, & à Deo prohibitus, suis in Hybernia prædicandi munus magnõ cũ fructu expleuit. Hęc enim in eius laudẽ Beda: *Tunc* (inquit) *reuersus ad dilecta locum peregrinationis, solito in silentio Domino vacare cæpit: & quoniam exteris prodesse ad fidem non poterat, suis amplius ex virtutum exemplis prodesse curabat*. Pœnitentium itaq; vitam pro se ad Deum sollicitus agens, pœnitentium quoque coronam, & finem sortitus est.

Animarum zelo succẽsus Christi Euangeliũ prędicare cupit.

Meritis dites in Hibernia diẽ clausit.

Beda vbi supra.

9. Eduinus quoque Edemundi Anglorũ Regis filius, qui Edelredo mortuo in Regno suffectus nõnisi aliorum precibus Pœnitentię donum obtinuit; Vir perditis quippè moribus fuit, ac lasciuiæ eũ in modum deditus, vt voluptatis, obscenarumquè rerum gratia, sacrarum quoque legum contemptor fieri non dubitauerit: Quapropter ipso suscepti Regni exordio S. Dunstanum Episcopum ob id vnum ab Ecclesiæ throno extorrẽ fecit; quia eum, vt Regio honori consultum foret, ab impudentissimæ mulieris sinu violenter abstraxerat. Quod Osbertus in S. Dunstani gestis hunc in modum tradit: *Erat in illis diebus mulier quædam ex magna, & alta progenie filiam adultam secum habens. Viramque, quantùm ad corpus spectat, formosa species decorabat. Sed quod pudicis mentibus non parua offensioni erat, libidinosus animus, & habitus, qui iuxtà in eis operabantur, eandem validè decolorabant. Hæ præfato Regi Eduino assiduè adhærebant suis blanditijs, & nutibus illecebrosis, pro viribus operam dantes, quatenus vnam carnem in coniugium copularet. Ad quas ille impudico illiciti amoris desiderio ferueus, indecenti amplexu, nunc hanc, nunc illam, neutrius ad aspectum in hoc erubescens distringebat. Prætereà die, quo ipse Eduinus in Regem est consecratus, à loco conuiuij, in quo cum Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, totiusquè Regni Principibus sedebat, iam pransus exilijt, & relictis omnibus in cameram, vbi præfatæ fæminę erant, secedit, capitiquè corona sublata, se inter illas medium iecit. Quod Optimates cognoscentes, oppidò indignati sunt, & rem tractantes inter se, Odonem Archiepiscopum Cantuariensem, qui dignitate cæteris eminebat, vnanimiter hortari cæperunt, quatenus viros mitteret, qui Regem siue volentem, siuè nolentem festinè reducerent*. Hæc ille. Sed quid Præsules deliranti vesanos inter amores Principis animo facerent? cùm omnes præsertim ipsius fœminarum inter nugas, blanditiasque stertentis subire odia in primis vererentur. Sed isthæc eodem narrante scriptore videamus.

Baronius an. 959. n. 7.

Eduinus Anglorum Rẽgis filius per ditis moribus aliorũ precibus Pœnitentiæ donũ obtinet.

Osbertus in vita S. Dunstani apud Surium die 19. May & Flor. hist. Mart. Vuemonost. hoc anno.

Foeminarũ lasciuarum consuetudine vitiatus

Inter Regni inauguratio nis solemnia incontinentię exemplũ palam exhibet.

10. *Ad quod* (inquit) *agendum cum hi, & illi regiam iram metuentes, se excusarent, tandem super Dunstanum, & eius Consanguineum Kinsinum Episcoporum sententia versata est, qui præcepto Summi Pontificis, & aliorum omnium ingressi ad Regem, cum, vt*

Osbertus vbi supra.

Dunſtanus impudicas acriter mulieres, ac Regem ſubinde increpat.

Vt dixi, in medio duarum illarum decubantem repererunt. Tunc Dunſtanus primùm in ignominioſas mulieres aſpera increpationis verba vultu, & voce contorquens, laſciuias earum, ſicut verum caſtitatis amatorem decuit, deteſtatus eſt. Deinde Regem, vt ſe tibi opprobry exortem faceret, monens, ad Proceres eum redire, eoſquè ſua præſentia exhilarare ſubmiſſa voce precatur. Qui & animi ſui furore ſimiliter, & vultus ſui rubore perfuſus, dum ſe rediturum omninò negaret, Dunſtanus manum illius arripuit, & à loco violenter abſtractum, impoſito capiti eius diademate ad conniuantes introduxit. Quod mulieris ignominia nullatenus æquanimiter ferens, ſæuis verborum inuectionibus in Virum ſurrexit, & ſe eum confuſioni perpetuæ tradituram garrula conteſtatione deuouit. Et hoc quidem deteſtabile votum; non tepeſcente malitia eius, facto exercere ſollicita poſtmodum fuit. Effecit namque apud Regem, vt cuncta, quæ in Dunſtani Monaſterio habebantur, diripi, ac deuaſtari, ipſumque è Regno eliminatum in exilium pelli iuberet.

Regem à mulieribus abſtractis, & ad Proceres regnicreducit.

His igitur ab impio Rege præſtitis, non multò poſt ipſe, Deo vlciſcente, in exilium pulſus, ac impudentiſſima mulier, quæ cauſa malorum fuerat, ab ipſis perſequutoribus Regis promeritæ crudeliter neci tradita fuit. Verùm calamitatibus Rex attritus, eruditusquè ſalubriter, quippe qui meretricijs impulſus amoribus magis, quàm propria adductus voluntatis malitia peccauerat; ſuas, priuſquàm è vita abiret, ſeriò compunctus, culpas retractans, illud Dunſtani meritis, qui acceptas haud vlciſci, ſed beneficijs vltrò iniurias compenſare didicerat, eſt aſſequutus, vt pœnitens tandem è vita decederet, certamque animæ moriendo perditionem euaderet. Sed Osbertum iſthæc narrantem audire præſtat: *Intereà* (inquit) *Eduinus è vita præſenti ſubtractus eſt, & anima ipſius Dunſtano in orationibus occupato à quibuſdam teterrimis hominibus curſim è veſtigio eſt præſentata. Cuius miſeriam miſeratus, ſuarum iniuriarum immemor; pro liberatione eius immenſos omnipotenti Deo lacrymarum imbres effudit, nec ab eis deſtitit, donec ſe pro eo exauditum agnouit. Facto igitur non grandi interuallo, Mauri illi ad Dūſtanum ſua præda vacui redeunt. Et quia ſuas iniurias vlciſci ſuperuacuè venerant, calumnioſa voce depromunt; quorum ille furores nihili penſans, Deo ſuper ineffabili miſericordia eius gratias egit.* Hæc quidem ſcriptor. Miſer itaque Eduinus, qui muliebris potiùs amoris lenocinante impulſu, quàm ingenij prauitate deliquerat, haud omninò malus (vt Baronius ait) ex Regina vtpotè Sancta progenitus, cuius precibus factum eſt, vt ſuorum ſub vitæ finem ſcelerum pœnitens & cum ſalutis ſpe ex hac vita deſceſſerit. Et hæc interim de ipſius geſtis hìc narraſſe ſufficiat.

Mulier, quæ ſcandalorum, & Dunſtani exilij cauſa fuit, malè perit.

Eduinus Dūſtani precibus pœnitendi gratiā conſequitur.

Cœleſti viſu poſt mortem ſaluus renunciatur.

11. Et Sanctorum quidem precibus Contritionis, ac Pœnitentiæ donum, plenèque mortalibus à Deo, nulloquè præuio meritorum ſuffragio, refundi ex his, quæ Rainaldus in ſuis Annalibus affert, palam, conſtanterquè euincitur; Hæc enim ipſe à probæ fidei ſcriptoribus accepta tradit: *Oſtendit Deus* (inquit) *hoc anno inſigni prodigio apud Ciuitatenſes in Hiſpania, quanta Epiſcopis in altera vita maneant ſupplicia, qui commiſſorum ſibi Populorum prætermiſſa cura, in delicias ſe effundunt, quantoquè ſit miſeris peccatoribus ad Deum præſidio Sanctorum patrocinium. Petrus Diaz Epiſcopus Ciuitatenſis, voluptatum, irretitus illecebris, cùm morbo laterali eſſet implicitus, quamquàm monitus à Cubiculario ob ſpectra Dæmonum ipſius animæ inſidiantium viſa, vt ſacra Confeſſione crimen expiaret, conſilia deriſit. Demum vt conuinceretur non inania fuiſſe ſomnia, cùm iuberetur à quodam Minorita per obiectam ſpeciem Cubicularius ſollicitare Epiſcopum ad Pœnitentiam, illequè ſignum poſceret, iuſſus digitum in ardentis picis cacabum Epiſcopo morituro paratum immittere, mox aduſtum extraxit, eoquè impœnitentem conuicit, iuſſitquè, vt Sacerdotem vocaret: ſed extorta Confeſſio parùm valebat. Exceſſit in eo ſtatu è viuis, atque in Templum delatus, quarto die ſepulchro mandandus, è feretro caput erigit, ſequè ob improbam actam vitam ad diuinum Tribunal raptum defixis horrore ſpectatoribus enarrat, & cruciatibus æternis damnatum: ob ſuum tamen ſingulare in S. Franciſcum ſtudium, illius precibus flexam miſericordiam, vt ad vitam reuocaretur, peracta diebus viginti ſcelerum Pœnitentia, iterum moriturus: Cuius ſepulchro affixum epitaphium etiamnùm hiſtoriæ veritatem teſtatur.* Sic planè S. Franciſci precibus contigit,

Rainaldus an. 1343. num. 88.

Vualſingh. an. 1342. nu. 34. Marian. Mar. lib. 8. c. 50.

Petrus Diaz Epiſcopus Ciuitatenſis, vt à lubrico pedem contrahat, ſpectris apparentibus territus.

Mortuus B. Franciſci meritis, vt in vitā rediens Pœnitentiā agat, à Deo impetrat.

tigit, vt vel iam Inferno adiudicandus, resurgens, condignam agendo pro suis culpis pœnitentiam, veniam pariter à Deo consequeretur.

15. Archisius verò Dux Beneuentanæ Vrbis hìc iure merito in Pœnitentium numero recensendus, admirandusquè pariter est; qui in cunctos beneficus, cunctisque prodesse curans, assiduis se Pœnitentiæ donum suis tū lacrymis, tū aliorum quoque meritis à Deo obtinuisse ostendit; subditus in primis Deo, subiectos sibi Populos habuit, ac Principis vtiq; optimi de se cunctis, ac vnà simul verè pœnitentis bona inter opera exemplum exhibens, sic se ipsum, ac alios subinde sapiĕter rexit, adeoq; pius, ęq; ac corde iugiter cōpunctus describitur, adeo vt quēadmodum sepulchralis titulus edocet, Diuinorū auidissimus eloquiorum cultor integras in lacrymis noctes insumeret; hoc etenim nobile tumulo ipsius insculptum carmen pro digno ipsius elogio extat:

Baronius an. 787. n. 54.

Integras noctes lacrymādo transigit.

Peruigil in lacrymis tempora noctis agens.

Pœnitentium quippe Dux pius armis, lacrymis videlicet, suum præmunire è vita exitum satagit; vt nobile igitur tanto Viro inscriptum, eiusquè eximiæ pietatis, ac virtutum monimento futurum sepulchralem hunc titulum ex Paulo Diacono acceptum statuamus; hęc ille habet.

Paulus Diaconus in eius epitaphio.

Nobilis, ac tāto dignus Viro sepulchralis titulus.

Lugentum lacrymis Populorum roscida tellus
Principis hac magni nobile corpus habet.
Hic namque cunctis recubans celeberrimus Heros
Præpollens Arichis; ò decus, atque dolor.
Tullius ore potens, cuius vix pangere laudes,
Vt dignum est, possit, vel tua lingua Maro.
Stirpe Ducum, Regumquè satus, transcenderat ipse,
Nobilior gentis culmina celsa suæ. Et infrà.
Strenuus eloquÿ Diuini cultor, et index,
Peruigil in lacrymis tempora noctis agens. &c.
Sic nostrum solamen erat, solamen egentum,

Baronius an. 787. n. 65.

Virtutes sūmatim collectę à Paulo Diacono.

Hos satagens verbis, hos releuare manu.
Ornasti patriam doctrinis, mœnibus altis;
Hinc in perpetuum laus tua semper erit. &c.
Planctus vbique sonat; te luget sexus, & ætas
Omnis, & ante omnes tu Beneuente doles &c.
Solatur tantos spes hæc vtcunque dolores,
Quòd te pro meritis nunc Paradisus habet.

Miræ hominis virtutes.

16. Hæc vtique inscriptum à Paulo Diacono, Viro omnium dignissimo epitaphium pręsefert; cui hæc, quæ sequuntur, iure merito subtexenda sunt: *Vixit autem quinquaginta tres annos; obÿt septimo Kal. Septembris, &c.* Hæc in præmemorato titulo; Regino item pręclaras viri, in Francorum Annalibus, laudes his verbis meminit; *Carolus* (inquit) *Magnus Romam venit, & à Pontifice Hadriano susceptus, ibi aliquot dies moratus est. Quod cùm audisset Archisius Dux Beneuentanorum, timore perterritus, misit Romualdum filium suum cum magnis muneribus ad Regem, postulans pacem, & promittens se omnem voluntatem eius facturum. Sed his suasionibus minimè Apostolicus credidit, (quod peculiare esse Principum Longobardorum fidem frangere sæpe fuisset expertus) Sed magis exhortatus est Regem, vt Beneuenti fines intraret, quod & fecit, &c.* Ne igitur Beneuentanus Populus cladem ob Regis indignationem incurreret, Archisius irati Regis faciem præueniens, eundem oblatis per Episcopos muneribus placare, ac promereri studuit; Hoc enim iustè illi pro laude inscribitur.

Paulus Diaconus vbi supra.

Archisius apud Carolum Magnū pro pace exorat.

Oblatis ipsiū muneribus publicæ vtilitati consulens placat.

Sollicitus gratam pacem seruauit amator.

Paulus Diaconus vbi supra.

Publicam verò adeò rem, patriæ zelo permotus, amasse fertur; vt ipsam si quà opus foret, vitam vltrò, libenterque impenderet, vt præmemoratus titulus patentibus Lectorem notis docet.

Insuper & patriæ promptus amore mori.

Patriæ tuendæ causa mori promptus.

Et hæc in Archisÿ laudem, qui pietatis, & Pœnitentiæ pariter cultu intet lugendum, ac benefaciendum præfulsisse describitur, narrando, tanti merito Viri

Molier vitijs quondam ea ptiua Contritionis emori tur inter audiendũ Dei verbum.

ne mortua cecidit. Verùm cum omnibus in preces procumbentibus paulò post reuixisset, narrauit mortis causam, iussamquè se ad corpus redire, vt peccatum illud Confessione expiaret, adiecit etiam tum alia multa, quæ viderat, tum illud in primis horribile, & dictù etiam mirabile, cùm ipsa ad DeiTribunal accessisset, adducta simul esse sexaginta animarum millia, quæ in omnibus Mundi partibus fidelium, & infidelium varys casibus excesserant ex hac vita, atque ex his omnibus tres tantùm addictas Purgatorio, reliquas omnes ad ignem æternum damnatas; vnum autem ex Franciscanis Fratribus eodem ipsum quoque temporis articulo defunctum per Purgatorij quidem locum transysse, sed tamen non modò ibi diutiùs non commoratum, verùm etiam par animarum, quę præcipua cum eo amicitia fuerunt coniunctæ, secum in Cœlum adduxisse.

Dei beneficio, vt pecca ta confiteretur, ad corpus redit.

Multorum animas ad DeiTribunal delatas, & tres tantùm saluas testatur.

Contritionis itaque singularis prærogatiua est, vt animam peccato absoluat, & si vehementissimus sit charitatis feruor, ac diligendi modus, ipsam tum peccatis, tum vitæ nexibus animam eximat nec non cunctis liberam pœnis Cœlo inferat.

24. Contritionis verò, quæ diuinitùs cordi infunditur, ad promerendam veniam efficax adeò virtus est, vt etsi multis liquidò exemplis constet, saltem ex his, quæ Cantipratanus edisserendo tradit, satis comprobetur: Dum enim certus quidam Vir pius verba ad Populum Diuinis de rebus aliquando faceret, ipsi (vt quod infrà narrabitur) contigit, vt prælaudatus scriptor sic meminit: *In vlterioribus (inquit) partibus Angliæ quidam Vir sanctus, & bonus prædicationis officio præeminebat. Eo autem in statione publica prædicante, quædam peccatrix mulier amarissimè contrita, vt patuit, in Populo cum lacrymis exclamauit: Miserere mei Serue Dei, audi miseram, & absolue me à peccatis. Tunc ille, vt potuit, eam compescuit, & vsque post finitum sermonem expectare præcepit. Quid plura? iterum post paulلum cum clamore surrexit, & petyt mox audiri. Sed cum iam finiendum sermonem promitteret Prædicator, & illa parùm quiesceret, surgit iam tertiò, clamat horrificè, cadit in faciem, expirat. Turbatus igitur non modicè cum Populo Prædicator, orat omnes præsentes cum lacrymis orare Deum, vt ali-*

Cantipratanus lib. 2. Apum c. 35. par. 3. 4 5.

Peccatrix Mulier in Angliæ partibus audito verbo Dei compũcta.

Exclamat pia Contritione ter absolui postulans.

Ob vehemẽtiam doloris expirat.

cui, quid sit factum de anima peccatricis, ostendere dignaretur. Interim per tres dies clausus in cella Prędicator nil obdormiuit, neque gustauit, sed continuè in oratione permansit. Tertia ergo nocte anima defunctæ lucidior super Solem apparuit præstolanti: Adsum (inquit) anima, pro qua oratis, ab omni pœna soluta sum, nihil restat, nisi ad Cælum statim auolare. Tunc nimiùm illi interiùs hæsitanti respondit anima: Hoc signum tibi, quòd non deciperis: Quidam Magister Ioannes in partibus Brabantiæ in Monasterio de Origniès Leodiensis Diœcesis ista nunc hora obyt, & sicut in vita semper super afflictos, & pauperes pius fuit, ita & & nunc cum post mortem ante locum Purgatorij, in quo innumerabilis multitudo detinebatur, eius felix anima ab Angelis deferretur, & ibidem multos recognosceret, quorum auctor salutis extiterat, pietate commotus, pro eis suppliciter Dominum exorauit, vt à pœna Purgatorij soluerentur. Nec mora, exauditus à Domino, & non tantùm cum illis, pro quibus orauerat, verùm etiam cum alys multis & ego pariter liberata, ad Cœlos cum maxima gloria est susceptus. Hæc dicens anima ab oculis mirantis euanuit. Ipse verò in transmarinis partibus existens, statim directo cum literis nuncio, sicut anima pro signo dederat, diem, horamquè beati Viri migrantis inuenit. Ità planè subita Cõtritionis cordi vis diuinitùs illapsa delictorũ omnium culpas abolet, & pœnis animam præpotenter absoluit.

Concionator Deum precibus pro defuncta sollicitat.

Peccatrix anima se pœnitentia, a dolore expu tam nunciat.

Multos à Purgatorij pœnis liberatos narrat, & se in Cœlum cum illis ascendere.

25. Nonnullis demum ea repentè Contritio ipsius Dei munere è Cœlo affulsit, vt innumeris ferè mox culpis expiatos Cœlo protinùs dignos reddiderit, & nonnisi inaudito mira, ac subita eiusmodi resipiscentia sit adscribenda portento. Quod sanè cuidam eleemosynis apprimè dedito contigisse olim, Augustino Manno Congregationis Oratorij Presbytero, qui se à Societatis Iesù Patribus accepisse tradit, enarrante comperimus; hæc enim ille: *Apud Hispanos (inquit) in Ciuitate Valentiæ fuit quidam iuuenis, qui sæculi vitam amplexus, & obscęnis concupiscentijs obtemperans, tempus in Diuinorum præceptorum transgressionibus conterebat. Quapropter odio habens, & fastidiens ea, quę spiritus sunt, abhorrebat diuina Sacramenta, & ad confitenda Sacerdotibus peccata, quasi funibus constrictus ire non pote-*

Augustin. Manus lib. select. hist. c. 323. pag. 472.

Iuuenis apud Hispanos ob scęnis voluptatibus deditus repentè conuersus.

poterat: Multiquè præterierant anni, quibus peccata sua confessus non fuerat. Tandem improuisa quadam peccatorum detestatione tactus intrinsecus, profectus est ad Templum Venerabiliũ Patrum Societatis Iesu, vbi tanta cordis compunctione, tot oculorum lacrymis sua confessus est peccata, vt Confessarius eius admiraretur, & sciscitaretur ab ipso, quæ bona opera peregisset vnquam, vndè meruisset hanc misericordiam à Deo impetrare; Respondit iuuenis: Ego multa, & grauissima mala in vita mea me commisisse recordor, totumquè tempus, quod vixi, consumpsi penè peccando, & viuendo in fœdis luxurijs. Tot malis operibus vnum tantùm bonum opus admiscui; delectabar enim facere eleemosynas, & pauperibus benefacere, cum se occasio offerebat. Et pergens per viam, si pauper aliquis occurrebat, diuidebam illis nummos, vt poteram. Quod si aliquando contigisset, me non habere in crumena pecuniam, quam indigenti præberem, in proximam aliquam officinam ingrediebar, & petebam à Mercatore, vt mutuaret nummos, cui si fortè notus non fuissem, loco pignoris ensem, & pugionem relinquebam. Hic igitur iuuenis expleta Confessione, & obtenta peccatorum absolutione ægrotauit, & post biduum mortuus est, & vt credi potest, cum salute à misericordi Deo receptus est, &c. Sic planè iuuenis tot peccatis onustus, quia ipse tamen in pauperes misericors fuit, incredibilem simul cordis contritionem pro mercede lucratus, viuendi feliciter finem sortitus est.

Inusitato Compunctionis spiritu ob eleemosynas, quibus intendebat, donatur.

Mira hominis in eleemosynis elargiendis pietas.

Diem feliciter expiatus claudit.

26. Intimus itaque de admissis in Dei Bonitatem culpis animi dolor, & amarulenti cordis Contritio, vti certam homini fiduciam sperandæ salutis affert, ità ipsius è contrà sub vitæ finem iusto Dei iudicio, & cùm maximè opus est, subtractio, ipsum in magno, apertoque æternæ salutis discrimine hominem constituit; adeoquè peccatis maximè obnoxij, & peccando item assueti, suiquè, ac Dei omninò immemores, qui Contritionis pium omninò vsum ignorant, & cum ingenti quidem vitæ periculo, & non sine magno item, apertoquè salutis discrimine tandem moriuntur, cuius rei testis Robertus Card. Bellarminus bon: mem: qui probè rem eiusmodi exemplo confirmat: *Cùm inuiserem* (inquit) *amicum virum diuitem, & nobilem, qui ex peccato quodam graui perpetuo in morbum lethalem inciderat, atque ei dicerem, nihil ei salutarius in eo temporis articulo esse posse, quàm veram peccatorum suorum Pœnitentiam, & Contritionem, quia Deus cor contritum, & humiliatum nunquam despicit: Respondit ille, Et quid est Contritio? non capio, quid à me requiras; subieci ergo: Hoc requiro, vt ex vero corde displiceat tibi, quòd in Deum peccaueris, & omninò statuas, si diutius vixeris, nunquàm ampliùs Deum offendere; idquè totum procedat ex vero amore Dei, qui tibi innumerabilia beneficia præstitit, cui tu ingratissimus pro beneficijs iniurias reddidisti. Respondit ille: Non intelligo, non sum capax rerum istarum. Ità obijt; signa damnationis suæ satis aperta nobis relinquens.* Hæc ille. Quibus sanè illa Augustini misero huic, ac cæteris eiusmodi iusta sententia quadrat: *Hac* (inquit) *animaduersione percutitur peccator, vt moriens obliuiscatur sui, qui viuens oblitus est Dei.* Contritionis quippe omninò, qui peccat assiduè, ignarus; quinimmò & Dei iam contemptor, non nisi certam animæ proculdubio iacturam sic faciendo expectat. Sed de his hactenus.

Robert. Card. Bellarm. lib. de arte benè Moriendi c. 6.

QuiDeum viuentes obliuiscuntur, morientes quoque sui ac Dei fiunt immemores.

Bellarm. vbi supra de arte bene moriendi.

Robertus Card. Bellarminus Contritionem ægroto inculcans, rei hominem ignarum omnino offendit.

Non intelligo non sum capax (inquit) homo rerum istarũ.

Augustin. in Psal.

Ignorãs haud dubia damnationis suæ signa relinquit.

CAPVT III.

Pœnitentiæ nonnulli donum aliorum meritis, precibusq; à Deo obtinent.

1. Immortalis Deus, qui suam cunctis largiendo misericordiam exhibet, & *Dominus omnium* (vt Apostolus ait) *diues est in omnes, qui inuocant illum;* & Qui insuper iuxta Apost. Iacobi verbum, *dat omnibus affluenter, & nemini improperat*: Quàm multa hominibus interdum sua haud vnquàm contentus liberalitate concedit, alioquì absque præcedentium merito precum, ac patrocinantium suffragio minimè concessurus. Alienis itaque plerùmque votis, precibusquè gratiarum munera, & quæ minimè accipientium debentur meritis, Altissimus vltrò, libenterquè largiri mortalibus consueuit, vt illud Augustini decantatum ore probè cunctis innotescat oraculum: *Quia Deus non tam nostra merita, quàm sua mu-*

Ad Rom. cap. 10. v. 12. Iacobi Epist. 1. v. 5.

Deus sua hominibus donaaliorum precibus cõcedit.

nera largiendo coronat; & vt precum insuper dignitas impetrandi honore clarescat. Enimuerò sic quondam in primis Apostolo inter profundi maris procellas deprehenso, cæterisquè vnà cum ipso, & certo iam naufragio laborantibus immensa Dei è Cœlo bonitas præstò fuit, vt se, ac cunctos, qui simul nauigio ferebantur, periculo eruendos facto sibi diuinitùs verbo edisceret: *Ne timeas Paule*(inquit) *nullius anima erit amissio; Ecce donauit tibi Deus omnes, qui nauigant tecum.* Et congruè; Vnius quippè interdum fides, & vnà simul charitas postulando, quod alij accipere non merentur, & quod aliena quandoque peccata præpediunt, efficaciter à Deo impetrat, & quantociùs ipsius Dei bonitas inter ipsas mortis angustias periclitàtibus subuenit. Et sanè ille Martyrum antesignanus, Stephanus Beatissimus pro incredulis, ac lapidantibus aliquando Iudæis orabat, & Saulo inter lapidum imbres, ictusque omnium vestimenta seruanti: *vt enim*(inquit Augustinus) *in omnium lapidantium manibus esset, ipse omnium vestimenta seruabat*; salutem, atque Apostolatum vnà simul orando promeruit. Enimuerò quidquid ipsi postmodum ad Christianorum stragem in præceps currenti in via contigit, nonnisi Stephani merito, precibusquè desuper Augustino teste est adscribendum: *Si Stephanus*(inquit)*non orasset, Saulum Ecclesia non haberet.* Tantùm quippè ardens, atque inuicta Srephani Charitas, ipsiusquè inter moriendum supplex oratio ad impetrandum profuit, & apud Deum inualuit, vt Saulus ad Christum conuersus, & iam ex lupo agnus (*Beniamin* etenim *lupus rapax*) omnimodam præpotentis è Cœlo vim cunctis palam fecerit; Nam dum magis, magisquè in Christi Discipulos adhuc spirans minarum, & cędis in via prosternitur, Leuitæ profectò Beatissimi, quem Iudæi extrà Ciuitatem eiectum lapidarunt, orantis, debellantisquè virtutem imbellis ipse ad resistendum redditus sensit, prompti vtique, profusiquè inter lapides cruoris è Cœlo beneficiũ expertus: *Charitatis* quippe(vt Fulgentius ait) *virtute subnixus vicit Saulum crudeliter sæuientem, & quem habuit in terra persequutorem, in Cœlo meruit habere consortem.* Hoc planè nobili Stephanus ex lapidãtibus lucro, ac tryumpho diues, cumulato supernorum Ciuium gaudio Cœlum intrauit, dum Saulum ex persequutore eiaculatos inter lapidum imbres Apostolum Cœlo peperit, ipsumque Christi Ecclesia ex Saulo Paulum, cunctarũ Orbis Gentium Doctorem feliciter sortita est.

Augustinus lib. de Gratia, & libero arbitrio.

Actuum Apostolor. cap. 27. 24.

Nauigantes cum Paulo à certo naufragio ipsius meritis liberantur.

Augustinus serm. 14. de S.

Saulus Beati Stephani Protomartyris prece ex persequutore in Apostolum conuertitur.

Augustin. in acta Apost.

Dum magis per odiũ in Christum, & Christianos sęuit, à Christo è Cœlo vocatur.

S. Fulgent. ser. de S. Stephano.

2. Quapropter appositè Augustinus, vt quis pro alijs Deum enixiùs oret, quò dignus Christo fiat, ac Cœli vnà simul consortio donetur, inculcans, isthæc aptè in rem præsentem, subtexit: *Pro eis* (inquit)*oremus, vt prædestinentur; fortasse enim ità sunt prędestinati, vt nostris orationibus concedantur.* Enimuerò sic se habet quorundam hominum salus, vt non nisi aliorum precibus decreta diuinitùs, ac prædefinita existat. Qui ergò grauioribus est culpis obnoxius, profectò ad impetrandam à Deo veniam, piorum hominum tum vota, tum lacrymas plurimùm quidem valere, occultamquè ad Dei consequendam misericordiam obtinere vim proculdubio intelligat; vt paribus quoque Ambrosius verbis edocet. *Etsi graue* (inquit)*peccatum est, quod Pænitentia lacrymis ipse lauare non possis, fleat pro te Mater Ecclesia, quæ pro singulis tanquam pro vnicis filys vidua Mater interuenit.* Ad impetrandam igitur præoptatam contriti cordis gratiam, & pœnitentiæ potissimũ, qua ab homine fit Deo satis, donum; magni profectò iustorum preces, ac Dei amicorum vota momenti sunt, adeò vt homini clemens vltrò Dei benignitas refundat, quod pia aliorum desideria postulant, vel certè quod indigna peccantium se ipsa improbitas obtinere neutiquàm sufficit.

Quidam nõ nisi à aliorum apud Deũ precibus prę destinati et Augustino.

Augustin. in serm.

Ambrosius lib. 3. tom. in Lucam cap. 7.

Efficax apud Deum totius Ecclesiæ oratio.

3. Quanti verò piæ præsertim preces, necnon grata deprecantium suffragia ad Deum vel offensum, iratumquè placandum, & ad ipsius grauioribus promerendam culpis veniam, momenti sint, Theophilus olim Græcorum Imperator sat cunctis palam ostendit, qui sacris bello imaginibus indicto, & in aciem velut Inconomachorum signifer prosilire ausus, correptusque, & à Deo flagellis per visum ipsa Angelorum manu expetitus, cùm duodecim annos regnasset, sacris

Baronius an. 842 n. 32.

Theophilus Græcorum Imperator Iconomacorum signifer vim precum expertus.

Angelorum manu flagellis atteritus resipiscit.

cris

cris honorem imaginibus deferens, easq; ab omnibus honorandas palam edicens; mox promptam à Deo, qui cunctis misericordiæ sinum aperit, mirabiliter veniam consequitur; adeò vt Theodora Augusta, ipsius vxor præostenso sibi viso impertitæ à Deo Imperatori Indulgẽtiæ fieri certior meruerit, vt ex Annalibus Ecclesiasticis è sacro Græcorũ Triodio à Theodoro Studita his verbis traditur. *Hic igitur Theophilus multos Sanctorum Patrum pœnis, & tormentis inauditis cùm afflixisset propter sanctas imagines, Institiæ nihilominus studiosissimus fuit; vt cùm aliquando, si quis esset in Vrbe, qui alteri molestiam afferret, sciscitaretur, nullus (vt aiunt) multis diebus fuit inuentus. Cùm autem duodecim regnasset annos, & dysenteriæ morbo, correptus, è viuis excedere deberet, os suum supra modum aperuit, ità vt etiam interiora ipsa intueri liceret; Augusta verò Theodora, maximo propterea dolore afflicta, vix ad somnum conuertitur, & visionem huiusmodi intuetur. Immaculatã scilicet Dei Genitricem infantem ante omnia secula genitum vlnis gestantem, & Angelis lucidissimis circumseptam, Theophilum autem eius Coniugem ab ipsis flagris, & contumelys affectum. Cùm igitur somnus ipsam dimisisset, & Theophilus parùm respirasset, vehementer exclamauit: Hei mihi misero, qui propter sanctas imagines percutior! Qua re audita Imperatrix quàm primùm Dei Genitricis imaginem super ipsum collocat, illam multis cum lacrymis deprecans. Theophilus verò, licet ità se haberet, cùm vidisset adstantium quendam imaginem paruam collo alligatam gestantem, illam arreptam osculabatur, & venerabatur. Quapropter continuò illud os, quòd anteà aduersus imagines rugiebat, & guttur, quod ità turpe apertum cernebatur, ad priorem statum conuersum est; & à frequenti illa angustia, & molestia requieuit, & obdormiuit, cum anteà apertè confessus esset, bonum esse Sanctas imagines honorare, & venerari. Cùm itemq; Imperatrix è suis arculis venerandas, & Sanctas imagines eduxisset, toto pectore nitebatur Theophilum adducere, vt illas veneraretur; Paulò autem post tempore Theophilus excedit è vita, & Theodora reuocatis illis omnibus, qui in exilio, & carceribus detinebantur, vt liberè agerent, illis præcepit, etc. At Christi Confessor Methodius ipsam Patriarchalem sedem assumit, multa anteà passus, et in sepulchro in vinculis vitam agens.* Imperator itaque suum agnoscens errorem, dum ipsum ex corde admissorum pœnitet, à Deo veniam obtinuit.

Theodorus Studita in Triodio.

Nocte per visum causam, cur plectatur, addiscens conuertitur.

Theodora Augusta pro ipso Deum ac Deiparam exorat.

Venerandas imagines Theophilo venerandas proponit.

Tandem Princeps è vita pœnitens abit.

4. Mortuo autem subinde Imperatore, Theodora Augusta omnibus, qui religionis causa exulabant, ad patrios lares reuocatis, sacrarumquè imaginum reddito cultu, S. Methodium Patriarcham Constantinopolitanum, & Episcopos enixiùs orat, vt assiduas pro Theophili Coniugis salute ad Deum preces effundant; quem pro viro suo instanter Altissimum deprecata, tandem piorum precibus, vt per visum palam fieri contigit, quod fiducialiter à Deo petebat, benignè obtinuit; Sic enim Theodorus Studita prosequitur. *Quæ (inquit) cùm ità se haberent, Theodora Imperatrix diluculo sexta feriæ somno detenta, sibi videbatur apud columnam, quæ dicitur Crucis, reperiri, & quosdam illac magno cum strepitu præterire, diuersa tormentorum genera secum ferentes, in quorum medio cinctus agebatur Imperator Theophilus manibus retrò reuinctis, quem cùm agnouisset Imperatrix, consequebatur & ipsa illos, qui eum ducebant; cùm autem ad æneam portam peruenissent, vidit virum quendam aspectu mirabilem, qui antè imaginem Christi sedebat: ad hanc cùm Theophilum illi adduxissent, statuunt eum. Quibus visis Imperatrix pedibus eius prouoluta, pro Imperatore intercedebat. At ille dixit aperto ore: Magna est fides tua ò mulier. Scito igitur, quòd propter tuas lacrymas, fidemquè tuam, necnon propter preces, & intercessiones seruorum meorum, & Sacerdotum, Theophilo viro tuo ignosco. Deinde ait illis, qui eum adducebant: soluite ipsum, & tradite vxori suæ, quæ illo recepto recessit exultans, & gaudens, & continuò somnus illam dimisit. Hæc quidem Theodora Imperatrix vidit in somnis.* Sic Deus itaque pijs, assiduisquè fidelium precibus clementer annuens Theophilo, pro quo adeò instabant, animæ salutem concessit, & à Purgatorij, quibus tenebatur pœnis erutum, ipsum in requiem mirabiliter eduxit.

Theodora Methodium Patriarchã, vt Deũ pro mortuo exoret, instanter precatur.

Baronius ann. 842. n. 31. 33.

Theodorus Studita vbi supra.

Visio de incentatis Theophilo pœnis, & Theodoræ aspectui oblatis.

A Christo exauditæ Mulieris preces.

Theophilus Morbo præuentus inno xij hominis sanguinem fundit.

5. Porrò admiranda magis ex eo Theophili ad bonam frugem conuersio redditur, quòd cùm subindè Imperator

ob

ob acceptas ab hostibus clades mœrore tabescens, in lethiferum morbum incidisset, quo tandem consumptus vitam clausit; dum lecto decumberet, illud ad sæuiendum Herodis instar, & iam breui moriturus adiecit, vt suas innoxij viri sanguine manus respergeret; hæc enim de eo Curopalates: *Vt sibi*(inquit) *vita finem adesse nouit Theophilus, in maximè obscurum carcerem Theophobum conyciendum curat ad Bucoleonem(hunc enim de affectatione Imperij calumnijs impetitũ fuisse pluribus idem narrat Auctor)Iamquè appropinquante fine, caput ei amputatum sibi afferri iussit. Quo accepto, manibus capillos contingens, hoc verbum dixit: Neque posthæc ego ero Theophilus, neque tu Theophobus*. Ità plane miser hac nouissima in virum innocentissimum excitatus (vt inquit Baronius)crudelitate, ad vitæ finem appropinquauit. Verùm non nisi Pœnitentiæ tandem subsidio releuatus admissorum scelerum veniam à Deo obtinuit, qui alioquì præceps adeò festinusque ad vitę non tam exitũ,quàm ad exitium currebat. Theophilus igitur cùm iam morti proximus, vitæ spiritum iam iam esset exhalaturus, sui ipsum erroris pœnituit, ac misericordiam à Deo compunctus corde requirens, sicut optabat, est consequutus; vt Gennadius Patriarcha ex antiquioribus monimentis in expositione, quam pro Concilio Florentino habet, sess. 5. his verbis tradit: *Imaginum* (inquit) *oppugnator Theophilus diuinorum, & Sanctorum virorum, & Augustę seruatus est precibus*. Quasi autem, quod dixerat, haud satis ad credendum foret, paulò post isthæc consultò subijcit: *Neque enim* (inquit) *nec Sanctorum virorum preces, aut Augustæ studium pro Theophilo valuissent, nisi priùs ille suum peccatum confessus esset, sanctasquè imagines colere, & honorare iustum esse asseruisset*. Hæc de Theophilo, cùm ipsum vita deficeret, animæ vitam adepto Gennadius asserit; quæ magnam vel sub vitę finem pœnitentibus consequendæ veniæ fiduciam præbent, sed vt alterum hìc aptè proferamus exemplum.

Curopalates in Theophilo.

Theophobũ ob affectati regni suspicionẽ è medio tollit.

Baronius ubi suprà n. 6.

Crudele ipsius in occisi capite pertractando facinus.

Poenitet ipsũ ex corde sub vitæ finem, & veniam à Deo obtinet delictorum.

Gennadius in expos. Conc. Floren. sess. 5.

6. Ecgbertus nobilis inter Anglos Monachus, dum anteactæ vitæ seriò culpas secum ipse recoleret, vberrimis faciem lacrymis respergens, ac intimo doloris sensu, & animi contritione perculsus, vitam sibi à Deo non tam ad viuendum, quàm ad pœnitendum concedi instanter poposcit, & ad culpas, quas à puerili ætate incurrisset, salubriter diluendas. Vouit enim se peregrinationem suscepturum,nec vnquam in Britanniam, in qua natus erat, rediturum; vt Pœnitentia iugiter attritus, consumptusque diutinis laborum incommodis, condignas scelerum in hoc sæculo pœnas exolueret. Nec his contentus se Psalterium diebus singulis recitaturum, ac singulis insuper hebdomadæ diebus ieiunaturum promisit; Demum nonagenarius, (vt diuinitùs enunciatum est, bonis operibus cumulatus è vita decessit; hæc enim Beda: *Cumquè finitis* (inquit) *lacrymis, precibus, & votis domum rediret, inuenit Sodalem dormientem: & ipse quoque lectulum conscendens, cœpit in quietem membra laxare; & cum paululùm quiesceret, expergefactus Sodalis respexit eum, & ait:O Frater Ecgberte, ò quid fecisti? sperabam, quià pariter ad vitam æternam intraremus: veruntamen scito, quia quæ postulasti, accipies. Didicerat enim per visionem, & quid ille petysset, & quia petita impetrasset. Quid multa? Ipse Edilhunus proxima nocte defunctus est*. Hæc in historicis Anglorum tabulis.

Baronius an. 664. n. 17.

Ecgbertus nobilis inter Anglos Monachus amarulenter et corde vitę culpas mon turus recolit.

Multa Deo promittit,& nonagenarius tandem decedit.

Exauditur à Deo,& vitæ superstes promissa adimplet.

Beda lib. 3. histor. Anglic. c. 27.

7. Vitam igitur sibi Dei beneficio posthac indultã haud frustrà ille accepit, sed vt quę animo conceperat, opere fideliter adimpleret;Quapropter è morbo repetè cõualescens,sacerdotali insignitus munere,bonis subinde operibus intendẽs Pœnitentiæ post diuturnos labores cumulo diues, ad Deum tandem lætus migrauit, vt sic idem Beda: *At verò*(inquit) *Ecgbertus decussa molestia ægritudinis, conualuit, ac multo post tempore viuens, acceptumquè sacerdotij gradum condignis ornans actibus, post multa virtutum bona, vt ipse desiderabat, nuper, idest annorum nonaginta migrauit ad Regna cælestia. Duxit autem vitam in magna humilitatis,mansuetudinis, continentiæ, simplicitatis, & iustitię perfectione; Vnde genti suæ, et illis, in quibus exulabat, nationibus Scotorum, siue Hybernorũ & exemplo viuendi, & libertate corripiendi, et pietate largiendi de his, quæ à diuitibus acceperat, multùm profuit*: Exactam quippe virtutum, ac Pœnitentię

Beda vbi suprà.

Sacerdotali munere insignitus, Deo fideliter inseruit:

tiæ potissimùm formam exhibens, multùm cæteris ad salutem profuisse visus est laudabiliter viuendo, de quo isthæc Beda summatim refert: *Exemplo videlicet viuendi, instantia docendi, libertate corripiendi, & pietate largiendi multùm profuit.* Hæc ille.

Baronius ubi supra.

8. Quo autem pietatis, & animarũ zelo tantus Vir teneretur, dum gentibus in Germania Christi prædicare Euangeliũ cuperet, ex his, quæ Beda meminit palã fit; hæc enim ille: *Eo tempore venerabilis, & cum omni honorificentia nominandus famulus Christi, & Sacerdos Ecgbertus, quem in Hybernia insula peregrinam ducere vitam pro adipiscenda in Cælis patria retulimus, proposuit animo pluribus prodesse, idest inito opere Apostolico verbũ Dei aliquibus earum, quæ nondum audierant, gentibus euangelizando committere, quarum in Germania plurimas nouerat esse Nationes, à quibus Angli, vel Saxones, qui nunc Britanniam incolunt, genus, & originem duxisse noscuntur: vndè hactenus à vicina gente Britonum corruptè Germani nuncupantur; Sunt autem Frisones, Rugini Danni, Hunni, antiqui Saxones, Boructuarij: Sunt etiam alij perplures ijsdem in partibus Populi paganis adhuc ritibus seruientes, ad quos venire præfatus Christi miles circum nauigata Britannia disposuit; si quos fortè ex illis ereptos Sathanæ ad Christum transferre valeret; vel si hoc fieri non posset, Romam venire ad videnda, & adoranda Beatorum Apostolorum, & Martyrum Christi limina cogitauit.* At Diuinis Vir pius oraculis se nõ ad isthæc euocari intelligens, signisquè è Cœlo edoctus, Pœnitentiæ intentus operibus, in solitudine perstitit, & post frustrà tentatum annunciandæ fidei gratia transmarinum iter, & à Deo prohibitus, suis in Hybernia prædicandi munus magno cũ fructu expleuit. Hęc enim in eius laudẽ Beda: *Tunc* (inquit) *reuersus ad dilecta locum peregrinationis, solito in silentio Domino vacare cæpit: & quoniam exteris prodesse ad fidem non poterat, suis ampliùs ex virtutum exemplis prodesse curabat.* Pœnitentium itaq; vitam pro se ad Deum sollicitus agens, pœnitentium quoque coronam, & finem sortitus est.

Animarum zelo succẽsus Christi Euangeliũ prędicare cupit.

Meritis dies in Hibernia diẽ claudit.

Beda ubi supra.

9. Eduinus quoque Edemundi Anglorũ Regis filius, qui Edelredo mortuo in Regno suffectus nõnisi aliorum precibus Pœnitentię donum obtinuit; Vir perditis quippè moribus fuit, ac lasciuiæ cũ in modum deditus, vt voluptatis, obscenarumquè rerum gratia, sacrarum quoque legum contemptor fieri non dubitauerit: Quapropter ipso suscepti Regni exordio S. Dunstanum Episcopum ob id vnum ab Ecclesiæ throno extorrẽ fecit; quia eum, vt Regio honori consultum foret, ab impudentissimæ mulieris sinu violenter abstraxerat. Quod Osbertus in S. Dunstani gestis hunc in modum tradit: *Erat in illis diebus mulier quædam ex magna, & alta progenie filiam adultam secum habens. Vtramque, quantùm ad corpus spectas, formosa species decorabat. Sed quod pudicis mentibus non parua offensioni erat, libidinosus animus, & habitus, qui iuxtà in eis operabantur, eandem validè decolorabant. Hæ præfato Regi Eduino assiduè adhærebant suis blanditijs, & nutibus illecebrosis, pro viribus operam dantes, quatenus vnam earum in coniugium copularet. Ad quas ille impudico illiciti amoris desiderio feruens, indecenti amplexu, nunc hanc, nunc illam, neutrius ad aspectum in hoc erubescens distringebat. Prætereà die, quo ipse Eduinus in Regem est consecratus, à loco conuiuij, in quo cum Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, totiusquè Regni Principibus sedebat, iam pransus exilyt, & relictis omnibus in cameram, vbi præfata fæminę erant, secedit, capitiquè corona sublata, se inter illas medium iecit. Quod Optimates cognoscentes, oppidò indignati sunt, & rem tractantes inter se, Odonem Archiepiscopum Cantuariensem, qui dignitate cæteris eminebat, vnanimiter hortari cæperunt, quatenus viros mitteret, qui Regem siue volentem, siuè nolentem festinè reducerent.* Hæc ille. Sed quid Præsules deliranti vesanos inter amores Principis animo facerent? cùm omnes præsertim ipsius fœminarum inter nugas, blanditiasque stertentis subire odia in primis vererentur. Sed isthæc eodem narrante scriptore videamus.

Baronius an. 959. n. 7.

Eduinus Anglorum Rẽgis filius per ditis moribus aliorũ precibus Pœnitentiæ donũ obtinet.

Osbertus in vita S. Dunstani apud Surium die 19. May & Flor. hist. Mart. Vuemonast. hoc anno.

Foeminarũ lasciuiarum consuetudine vitiatus

Inter Regni inaugurationis solemnia incontinentię exemplũ palam exhibet.

10. *Ad quod* (inquit) *agendumcum hi, & illi regiam iram metuentes, se excusarent, tandem super Dunstanum, & eius Consanguineum Kinsinum Episcoporum sententia versata est, qui præcepto Summi Pontificis, & aliorum omnium ingressi ad Regem, eum,* vt

Osbertus ubi supra.

Dunstanus impudicas acriter mulieres, ac Regem subinde increpat.

Vt dixi, in medio duarum illarum decubantem repererunt. Tunc Dunstanus primùm in ignominiosas mulieres aspera increpationis verba vultu, & voce contorquens, lasciuias earum, sicut verum castitatis amatorem decuit, detestatus est. Deinde Regem, vt se tanti opprobrij exortem faceret, monens, ad Proceres eum redire, eosquè sua præsentia exhilarare submissa voce precatus. Qui & animi sui furore similiter, & vultus sui rubore perfusus, dum se rediturum omninò negaret, Dunstanus manum illius arripuit, & à loco violenter abstractum, imposito capiti eius diademate ad conuiuantes introduxit.

Regem à mulieribus abstrahit, & ad Proceres regni reducit.

Quod mulieris ignominia nullatenus æquanimiter ferens, sanis verborum inuectionibus in Virum surrexit, & se eum confusioni perpetuæ tradituram garrula contestatione deuouit. Et hoc quidem detestabile votum; non tepescente malitia eius, facto exercere sollicita postmodum fuit. Effecit namque apud Regem, vt cuncta, quæ in Dunstani Monasterio habebantur, diripi, ac deuastari, ipsumque è Regno eliminatum in exilium pelli iuberet. His igitur ab impiò Rege præstitis, non multò post ipse, Deo vlciscente, in exilium pulsus, ac impudentissima mulier, quæ causa malorum fuerat, ab ipsis persequutoribus Regis promeritæ crudeliter neci tradita fuit.

Mulier, quæ scandalorum, & Dunstani exilij causa fuit, malè perit.

Verùm calamitatibus Rex attritus, eruditusquè salubriter, quippe qui meretricijs impulsus amoribus magis, quàm propria adductus voluntatis malitia peccauerat; suas, priusquàm è vita abiret, seriò compunctus, culpas retractans, illud Dunstani meritis, qui acceptas haud vlcisci, sed beneficijs vltrò iniurias compensare didicerat, est assequutus, vt pœnitens tandem è vita decederet, æternamque animæ moriendo perditionem euaderet. Sed Osbertum isthæc narrantem audire præstat: *Intereà (inquit) Eduinus è vita præsenti subtractus est, & anima ipsius Dunstano in orationibus occupato à quibusdam teterrimis hominibus cursim è vestigio est præsentata. Cuius miseriam miseratus, suarum iniuriarum immemor; pro liberatione eius immensos omnipotenti Deo lacrymarum imbres effudit, nec ab eis destitit, donec se pro eo exauditum agnouit. Facto igitur non grandi interuallo, Mauri illi ad Dūstanum sua præda vacui redeunt. Et quia suas iniurias vlcisci superuacuè venerant, calumniosa voce depromunt; quorum ille furores nihili pensans, Deo super ineffabili misericordia eius gratias egit.* Hæc quidem scriptor. Miser itaque Eduinus, qui muliebris potiùs amoris lenocinante impulsu, quàm ingenij prauitate deliquerat, haud omninò malus (vt Baronius ait) ex Regina vtpotè Sancta progenitus, cuius precibus factum est, vt suorum sub vitæ finem scelerum pœnitens & cum salutis spe ex hac vita descesserit. Et hæc interim de ipsius gestis hìc narrasse sufficiat.

Eduinus Dūstani precibus pœnitendi gratiā consequitur.

Cœlesti visu post mortem saluus renunciatur.

11. Et Sanctorum quidem precibus Contritionis, ac Pœnitentiæ donum, plenèque mortalibus à Deo, nulloquè præuio meritorum suffragio, refundi ex his, quæ Rainaldus in suis Annalibus affert, palam, constanterquè euincitur; Hæc enim ipse à probæ fidei scriptoribus accepta tradit: *Ostendit Deus* (inquit) *hoc anno insigni prodigio apud Ciuitatenses in Hispania, quanta Episcopis in altera vita maneant supplicia, qui commissorum sibi Populorum prætermissa cura, in delicias se effundunt, quantoquè sit miseris peccatoribus ad Deum præsidio Sanctorum patrocinium. Petrus Diaz Episcopus Ciuitatensis, voluptatum, irretitus illecebris, cùm morbo laterali esset implicitus, quamquàm monitus à Cubiculario ob spectra Dæmonum ipsius animæ insidiantium visa, vt sacra Confessione crimen expiaret, consilia derisit. Demum vt conuinceretur non inania fuisse somnia, cùm iuberetur à quodam Minorita per obiectam speciem Cubicularius sollicitare Episcopum ad Pœnitentiam, illequè signum posceret, iussus digitum in ardentis picis cacabum Episcopo morituro paratum immittere, mox adustum extraxit, eoquè impœnitentem conuicit, iussitquè, vt Sacerdotem vocaret: sed extorta Confessio parùm valebat. Excessit in eo statu è viuis, atque in Templum delatus, quarto die sepulchro mandandus, è feretro caput erigit, seque ob improbam actam vitam ad diuinum Tribunal raptum defixis horrore spectatoribus enarrat, & cruciatibus æternis damnatum: ob suum tamen singulare in S. Franciscum studium, illius precibus flexam misericordiam, vt ad vitam reuocaretur, peracta diebus viginti scelerum Pœnitentia, iterum moriturus: Cuius sepulchro affixum epitaphium etiamnùm historiæ veritatem testatur.* Sic planè S. Francisci precibus contigit,

Rainaldus an. 1343. num. 88.

Vualsingh. an. 1342. n. 34. Marian. Mar. lib. 8. c. 50.

Petrus Diaz Episcopus Ciuitatensis, vt à lubrico pedem contrahat, spectris apparentibus territus.

Mortuus B. Francisci meritis, vt in vitā rediens Pœnitentiā agat, à Deo impetrat.

tigit, vt vel iam Inferno adiudicandus, resurgens, condignam agendo pro suis culpis pœnitentiam, veniam pariter à Deo consequeretur.

15. Archisius verò Dux Beneuentanæ Vrbis hîc iure merito in Pœnitentium numero recensendus, admirandusquè pariter est; qui in cunctos beneficus, cunctisque prodesse curans, assiduis se Pœnitentiæ donum suis tū lacrymis, tū aliorum quoque meritis à Deo obtinuisse ostendit; subditus in primis Deo, subiectos sibi Populos habuit, ac Principis vtriq; optimi de se cunctis, ac vnà simul verè pœnitentis bona inter opera exemplum exhibens, sic se ipsum, ac alios subinde sapiēter rexit, adeoq; pius, ęq; ac corde iugiter cōpunctus describitur, adeo vt quēadmodum sepulchralis titulus edocet, Diuinorū auidissimus eloquiorum cultor integras in lacrymis noctes insumeret; hoc etenim nobile tumulo ipsius insculptum carmen pro digno ipsius elogio extat:

Baronius an. 787. n. 54.

Integras noctes Lacrymā do ti aungit.

Peruigil in lacrymis tempora noctis agens.

Pœnitentium quippe Dux pius armis, lacrymis videlicet, suum præmunire è vita exitum sategit; vt nobile igitur tanto Viro inscriptum, eiusquè eximiæ pietatis, ac virtutum monimento futurum sepulchralem hunc titulum ex Paulo Diacono acceptum statuamus; hęc ille habet.

Paulus Diaconus in eius epitaphio.

Nobilis, ac tāto dignus Viro sepulchralis titulus.

Lugentum lacrymis Populorum roscida tellus
Principis hæc magni nobile corpus habet.
Hic namque cunctis recubans celeberrimus Heros
Præpollens Arichis; ò decus, atque dolor.
Tullius ore potens, cuius vix pangere laudes,
Vt dignum est, possit, vel tua lingua Maro.
Stirpe Ducum, Regumquè satus, transcenderat ipse,
Nobilior gentis culmina celsa sua. Et infrà.
Strenuus eloquij Diuini cultor, et index,
Peruigil in lacrymis tempora noctis agens. &c.
Sic nostrum solamen erat, solamen egentum,
Hos satagens verbis, hos releuare manu.
Ornasti patriam doctrinis, mœnibus altis;
Hinc in perpetuum laus tua semper erit. &c.
Planctus vbique sonat; te luget sexus, & ætas
Omnis, & ante omnes tu Beneuente doles &c.
Solatur tantos spes hæc vtcunque dolores,
Quòd te pro meritis nunc Paradisus habet.

Baronius an. 787. n. 65.

Virtutes sūmatim collectę à Paulo Diacono.

Miræ hominis virtutes.

16. Hæc vtique inscriptum à Paulo Diacono, Viro omnium dignissimo epitaphium prǽsefert; cui hæc, quæ sequuntur, iure merito subtexenda sunt: *Vixit autem quinquaginta tres annos; obijt septimo Kal. Septembris, &c.* Hæc in præmemorato titulo; Regino item pręclaras viri, in Francorum Annalibus, laudes his verbis meminit; *Carolus* (inquit) *Magnus Romam venit, & à Pontifice Hadriano susceptus, ibi aliquot dies moratus est. Quod cùm audisset Archisius Dux Beneuentanorum, timore perterritus, misit Romualdum filium suum cum magnis muneribus ad Regem, postulans pacem, & promittens se omnem voluntatem eius facturum. Sed his suasionibus minimè Apostolicus credidit, (quod peculiare esse Principum Longobardorum fidem frangere sæpe fuisset expertus) Sed magis exhortatus est Regem, vt Beneuenti fines intraret, quod & fecit, &c.* Ne igitur Beneuentanus Populus cladem ob Regis indignationem incurreret, Archisius irati Regis faciem præueniens, eundem oblatis per Episcopos muneribus placare, ac promereri studuit; Hoc enim iustè illi pro laude inscribitur.

Paulus Diaconus vbi supra.

Archisius apud Carolum Magnū pro pace exorat.

Oblatis ipsū muneribus publicæ vtilitati consulens placat.

Sollicitus gratam pacem seruauit amator.

Paulus Diaconus vbi supra.

Publicam verò adeò rem, patriæ zelo permotus, amasse fertur; vt ipsam si quà opus foret, vitam vltrò, libenterque impenderet, vt præmemoratus titulus patentibus Lectorem notis docet.

Insuper & patriæ promptus amore mori.

Patriæ tuendæ causa mori promptus.

Et hæc in Archisij laudem, qui pietatis, & Pœnitentiæ pariter cultu inter lugendum, ac benefaciendum præfulsisse describitur, narrando, tanti merito Viri

meminisse voluimus.

17. Aliorum verò haud semel (vt titulus præfert) nonnulli precibus Pœnitentiæ donum, ac Deo inseruiendi gratiam sunt adepti, ipsiusquè tandem beneficio in tuto salutem animæ collocarunt, vt in S.Elizabethæ Vngariæ Reginæ gestis; Adolescentula (quæ sæculi vanitatibus diffluens) se totam nimio corporis cultui, tũ suo, tum aliorum periculo impēdebat, feliciter est experta; de qua isthæc in prælaudatę, ac dignę Christi famulæ gestis: *Contigit (inquit) vt puella quadam capillis ornatissima, tanquàm statutæ legis præuaricatrix Domina Elisabeth iudicio offerretur, quæ visa capillorum eius pulchritudine, iussit eos continuò circumcidi. Quo facto cæpit Adolescentula alta voce eiulare. Aderant quidam dicentes eam innocenter punitam: Venerat non eleemosynam acceptura, sed sororem suam infirmam visitatura. Quibus Domina Elizabeth: Bene (inquit) pro ea factum est; his capillis choreas de cętero non frequentabit. Quæ cùm vocata fuisset, et ad eius venisset præsentiam; quæsiuit, si quando melioris vitæ propositum habuisset. Puella Respondit: Dudum (inquit) Domino in habitu Religionis famulatum exhibuissem, si non me tantùm cęsariei meæ claritas pulcherrima delectasset. Ecce quomodò grauabat eam cęsaries? Verè cum Absalone pulcherrimorum capillorum suspendio interysset, nisi eam Dominus per famulam suam Elizabeth, totondisset. Quo audito, dixit Elizabeth castitatis amatrix: Plus igitur gaudeo de tuorum præcisione capillorum, quam de fily mei gauisura forem in Romanum Imperium prouectione. O verbum gratię! Sermo regalis de fonte prodiens sincerissima charitatis. Assumpsit ergò eam pyssima Domina, mutato seculari habitu in hospitali perpetuò seruituram.* Sic profectò, & nonnisi ipsius sanctissimæ fœminæ precibus adolescentula, quæ sua adeò capillorum pulchritudine delectabatur, sanam præcisis, & non secus ac maximis animi impedimentis soluta capillis, mentem accepit, ac Religiosum item Deo posthac pœnitens inseruitura tum animum, tum vestem induit.

Iacobus Mōtan. S Elisabethę Reginæ Vngariæ gestis c.15. apud Surium.

Nonnulli aliorum precibus à Deo pœnitentię donum impetrant.

Adolescentula vanitatibus dedita B. Elisabethę precibus ad Deũ conuertitur.

Capillis præcisis puella omne sæculi amorē à se præscindit.

Sancta mulieri pœnitē. ti meritò gratulatur.

18. Contritionis itaq; ac Pœnitentię donum, vbi Sanctorũ precibus ad impetrandum res agitur, facilè immeritis quoque interdum Deo miserante affulget, vt sacra historiarum monimenta testatissimam cunctis fidem faciunt, & in ipsius D. Francisci præsertim gestis Diuus Bonauentura his planè rem admirandam verbis tradit: *In Castro (inquit) Montis Marani prope Beneuentum mulier quadam S.Francisco peculiari deuotione cohærens, viam vniuersæ carnis intrauit. Conuenientibus autem Clericis ad ex equias, & vigilias cum Psalterio decantandas, subitò cunctis cernentibus erexit se mulier super lectum, & vnum de adstantibus Sacerdotem, Patrinum videlicet suum aduocans dicens: Volo confiteri Pater: Ego enim mortua duro erã carceri mancipanda, quoniam peccatum, quod tibi pandam, necdum confessa fueram; Sed orante (inquit) pro me S.Francisco (cui, dum viuerem, deuota mente seruiui) redire nunc ad corpus indultũ est mihi, vt illo reuelato peccato, sẽpiternã promerear vitã. Et ecce vobis vidẽtibus; postquam illud detexero, ad promissam requiem properabo. Tremens ergo trementi Sacerdoti confessa, post absolutionem receptam quietè se in lecto collegit, & in Domino feliciter obdormiuit.* Et hæc quidem mulier perierat, ni Contritionis, & Confessionis insuper ipsius B.Francisci meritis impertito sibi diuinitùs beneficio, in vitam mox rediens, expletisquè ritè cunctis, ac expiata culpis vitam feliciter sub Pœnitentiæ salutari vexillo conclusisset.

S.Bonauentura in gestis S.Francisci Assis. cap. 5.

S.Franciscus fœminę post mortem, pœnitendi spatiũ impetrat.

Confitetur mulier, & confessa in pace quiescit.

19. Maximè igitur nonnullis, vt ex prolatis in medium hactenus videre est, interdum profuit pijs aliorum, tum precibus, tum meritis, tum etiam consilijs in arcto, & satis ambiguo salutis negotio iuuari; vt Cæsarius testatissimo prę cęteris sic rem exemplo confirmat: *Parisys (inquit) iuuenis quidam suggerente humani generis inimico, talia quadam peccata commiserat, quæ obstante erubescentia, nulli hominum confiteri potuit: cogitans tamen, quę malis præparata sunt tormẽta gehennę, & quæ bonis abscondita sunt gaudia perennis vitæ; timens etiam quotidie iudicium Dei super se, intus torquebatur morsu Conscientiæ, & foris tabescebat in corpore. Quid plura? Tandem miserante Domino timor ille seruilis verecundiam vicit, qui sicut seta filum, charitatem inducere cõsueuit. Veniens ad S.Victorem, Priorem vocauit, &*

Cæsarius lib. 2. de Contrit. cap. 10.

Quidam sua enormia peccata Sacerdoti exponere erubescit.

Accedēs ad Confessariũ compũctus, pudore abiecto se ipsum vincit.

& quia confitendi gratia venisset, indicauit. Ille paratus ad tale officium, sicut omnes sunt Fratres eiusdem Monastery, statim venit in loco ad hoc deputato; Sedit, &c. Mira res, tantam hora eadem pius Dominus, cuius natura bonitas est, cuius voluntas potestas est, cuius opus misericordia est, cordi eius contulit Contritionem; vt quoties Confessionem inciperet, toties singultibus intercepta vox deficeret, in oculis lacrymæ, suspiria in pectore, singultus erant in gutture. Hac vt vidit Prior, dicebat scholari; vade, scribe peccata tua in schedula, & defer ad me. Placuit consilium iuueni, abijt scripsit, die altera redijt, & si confiteri posset, iterum tentans, vt priùs defecit; & cùm nihil proficeret, schedulam Priori porrexit. Legit Prior, & obstupuit, dixitquè iuueni: Non sufficio tibi solus dare consilium; vis, vt ostendam Abbati? & licentiauit eum. Venit Prior ad Abbatem, & porrexit schedulam legendam, rem ei per ordinem exponens. Quid deinde gestum sit, audiant peccatores, & consolentur desperati, & recreentur. Mox enim, vt Abbas chartulam ad legendum aperuit, totam eius continentiam deletam inuenit; Impletumquè est in eo, quod Dominus per Isaiam dicit: Deleui vt nubem iniquitates tuas, & quasi nebula peccata tua. Et ait Abbas Priori: quid legam in schedula ista? nihil in ea scriptum est. Hac vt Prior audiuit, schedulam simul cum Abbate respexit, dixitquè, &c. Vt video, misericors Deus, qui maximam iuuenis Contritionem attendit, culpã iam sufficienter punitam iustè deleuit. Deletio siquidem totius scripti, abolitionem significat totius delicti, & aduocantes scholarem, ostenderunt schedulam, dicentes eius peccata diuinitùs esse deleta: quam cùm perspexisset, et ex signis benè cognouisset, in tantum cor eius ex magnitudine gaudij est dilatatum, inquantum priùs ex magnitudine tristitia erat angustiatum, etc. Sic cordis Contritio præcipuam ad maxima quæque obliteranda peccata vim obtinet.

In oculis lacrymę, suspiria, & singultus in ore confitentis.

Peccata, quæ narrare non potuit, scribere in carta à Confessario iubetur.

Pagina peccatorũ omnino notis deletis munda diuinitùs apparuit.

20. Verùm haud vno duntaxat susceptæ narrationis propositum exemplo euincitur. Quàm multis etenim extremo ob scelera supplicio addictis, Sanctorum meritis, precibusquè Contritionis donum miro Dei beneficio contigit, vt in gestis S. Philippi Nerij Congregationis Oratorij Fundatoris sic traditur: *Silentio (inquit) prætereundum non est, quonam pacto quidam cognomento Paleologus eius opera heresim abiurauit. Detinebatur is vti haresiarcha* (tempore nimirũ Gregorij XIII.) *apud Sacra Inquisitionis Tribunal, et quoniam tentatis omnibus, in sua obfirmatus persistebat hæresi, flammis addictus fuerat. Dum igitur ad supplicium deducitur, Philippus (qui in ædibus S. Hieronymi per id tempus agebat) re comperta, confestim per viam à Peregrino dictam peruolans, Paleologo occurrit; atque inter confluentem turbam prolapsus, satellitum cuneos intrepidus penetrat, reumquè amplectitur, ac peramanter admonet, vt resipiscat. Cumquè ad patibuli locum iam ventum esset, Philippus ea præcipiendi auctoritate, quam eo momento contulerat ei Deus, Ministros consistere iubet: Obtemperant. Interim Philippus verbis etsi paucis, vim tamen diuinitùs inferentibus, ad veritatis agnitionem hæreticum perduxit, eumquè iubet scamnum conscendere, et publicè hæresim execrari, qui circumspectante Populo, impiè dicta pijssimè abiurauit, atque proscripsit. Obtinet deinde Philippus, vt reus in carcerem reducatur; vbi vt faciliùs pænitentis cor demulceat, præter id, quod singulis diebus Sacræ Inquisitionis Administratores ad victum suppeditabant à Gregorio XIII. amplissimam illi eleemosynam erogandam curauit; et ne à pio suscepto proposito recederet, eum fermè quotidiè inuisebat, ac de ijs duntaxat, quæ ad pietatem pertinent, cum illo agebat: quem vt ad superbię tumorem infringendum, comprimendumquè iuuaret, quo fermè peccato irretiri solent hæresis labe inquinati. Beatorum Ioannis Columbini, et Iacoponij gesta legenda obtulit; asserens hoc genus hominum faciliùs resipiscere Sanctorum exemplis, morumquè simplicitate, quàm rerum subtilitate, et disputationibus: Quamobrem idem Paleologus dolebat plurimùm in Philippum iam pridem non incurrisse, eumquè non habuisse amicum. Attamen diutiùs in bonæ mentis proposito non perstitit; quod Philippus his ferè verbis præsagierat: Haud mihi vndequaque placuit viri huius conuersio; suis tamen precibus, ac lacrymis à Deo obtinuit, vt ipsum rursus ad Pænitentiam reduceret. Verùm tanquàm relapsus non sine veræ Contritionis argumento, demum*

Petr. Iacobus Baccius in gestis S. Philippi Nerij lib. cap. 12. n. 2.

Palęologus heresiarcha dum ad patibulum ducitur S. Philippi precibus conuertitur.

Hæresim publicè à Philippo admonitus execratur.

In carcerem iterum, vt saluti probè consulat, deducitur.

Haud diu in bono mētis proposito perstat; sed relapsus subinde pœnitens capite plectitur.

capite mulctatus est. Cui *Philippi iussu suam operam porrexere Cæsar Baronius, et Ioannes Franciscus Bordinus, vt in extremo illo mortis confinio eius animum in fide confirmarent.* Qui igitur in fide titubans, post semel recantatam hæresis palinodiam, iterum naufragari cœpit; gladio tandem addictus, verè pœnitens suam morte culpam diluit, & bonum mentis propositum moriendo stabiliuit.

Petr. Iacob. Baccius in vit. S. Philip. Ner. lib. 2. cap. 6. n. 14.

Quidam patibulo destinatus, ac desperans, Philippi verbis compunctus diem feliciter claudit.

21. Porrò Vir Dei superno lumine, ac Sapientiæ dono afflatus iuxta id, quod tempus, & occasio tum precibus, tum minis interdum in deducendis ad salutis viam perditis quibusq; & cum imperio quādoq; instabat; Hinc qui mitis adeò, & blandus videbatur, rigidus quoque, ac austerus apparuit, vt de ipso sic Baccius: *Vocatus* (inquit) *olim, vt reum suspendio addictum suis verbis ad cor reuocaret, Sacellum ingressus, in quo miser ille vociferās humi iacebat; Diuina actus virtute, iniectis collo manibus apprehensum ad terram allisit, insonuitque: Sile, Sile. Reus hoc tantùm verbo siluit, cōtremuit, & conuersus est: mox Confessario admisso, bis peccata confessus, forti animo mortem subiuit.* Didicerat quippe Christi famulus, multorum salutem à Deo fortiter, suauiterque disponi, ac Dei potissimū verbo (*quod quasi malleus est conterens petram*) plerùmque duriora quæque saxis hominum corda, ac precibus maximè interdum diuinitùs frangi, ac expugnari.

Ieremia 23. 29.

22. Illud demū præcipuo Dei munere, aliorumquè precibus haud semel contigit, quo iuxta Dei verbum subita cordis Compunctio, ac intimus, inusitatusquè animi dolor ad vitę abolendas culpas, quantùmuis enormes diuinitùs sacris in paginis homini repromittitur: *Auferā* (inquit) *cor lapideū de carne vestra, et dabo vobis cor carneū, etc.* Id sanè (vt cætera sileamus) eiusdē S. Philippi precibus est Adolescens aliquando expertus, qui cum peccatorum Confessionem non ritè, sed fraudulenter obiret, tantam subindè ipsius meritis à Deo vim Contritionis obtinuit, vt sibi miraculo esset; de quo in suis paginis Petrus Iacobus Baccius isthæc: *Nobilis* (inquit) *Adolescens peccata ex verecundia subticebat. Animaduertit id Philippus, illumquè fixis oculis intuēs, vim cœpit lacrymarū profundere: interim dū luget, tam vehementem peccatorū dolorem à Deo obtinet pænitenti; vt protinus et ille vberes in lacrymas eruperit. Flebat vterq; vterque silebat; neuter nisi post longum temporis interuallum à fletu destitit: Iuuenis tandem procumbit in genua, omnesquè prauę conscientiæ sinus Philippo aperit, quē pius Pater peramanter amplexus, Confessione excepta, à culpis absolutum, animoque pacatum à se dimisit, etc. Adolescens post hęc totius vitæ culpas, cui solebat, Sacerdoti detexit, et aliquot elapsis diebus ad Philippum reuersus ei peccatorum omnium Confessionē peregisse enunciat. Cui Pater, etsi* (inquit) *hanc tuam totius vitæ Confessionem auribus non perceperim; omnes tamen, et singulas, quas antè hac perpetrasti culpas, me adamussim cognitas habere certò scias, etc. Ille subdit: Rogo, Pater, vt mihi solidam cordis Cōpunctionem à Deo precibus obtineas. Vix dixerat, cùm extemplò adeò intensus illi cęlitùs infusus est dolor; vt asseruerit, nullum sibi vnquàm obtigisse maiorem.* Iuuenis itaque alioquì perditus, ac Deo maximè ob sacrilegam Confessionem iniurius, Philippi precibus nedum Pœnitentiæ donum, sed & Cōtritionis insuper, & lacrymarum à Deo vim tantam sortitus est; vt verè pœnitens suę posthac saluti totus incumbens, rem suam probè, ac perseueranter egerit. Sed de his hactenùs.

Ezech. c. 36. 26.

Subita cordis compūctio præcipuum Dei donum.

Petrus Iacobus Baccius in vit. S. Philippi lib. 2. cap. 4. n. 2.

Adolescens, qui peccata ex rubore tacebat, S. Philippi precibus Cōtritionis donum obtinet.

Nullus vnquā ipsi anteà dolor de culpis intensior cordi accidit.

CAPVT IV.

Nonnulli voluptatum, ac sæculi vanitate perspecta, Pœnitentiæ causa ad religiosa Claustra conuolant.

ALtissimus, qui cūctarum mirus semper opificio rerum in suis potens æque, ac sapiens operibus affulget, rectū quidem ab initio hominem condidit, ac inter lubrica subinde, præruptaq; sęculi inoffenso pede gradientē ad Cœlū vocans, quà ad Cœlū itur, vnicuiq; demonstrās: *In montē* (inquit) *saluum te fac.* Enimuerò, ni fidelis ille, ac recolendus inter Dei famulos Loth de Sodomis à Deo salubriter monitus, pedem submouens montana loca conscendisset, vbi opportunum summo Dei beneficio, Mundi inter

Ecclesiast. c. 7. Genesis 19. v. 7.

Deus, qui homines ad se venire præoptat, viam quoque, qua veniant demonstrat:

ter

Fugiendum à periculis. ter Mūdi huius pericula fugienti asylum parabatur, elementorum vi,& flammarū proculdubio ipse pariter vnà cum reliquis vlciscente desuper Numine incendio perijsset. Idem planè his similiter contigit,qui in sæculo agunt, & quæ sæculi sunt in præceps blandimenta sectantes, non nisi certum denique peccando naufragium fecere; Deo quippè misericorditer ad Pœnitentiā vocante, accepta subindè ab ipso peccatorum venia,omnisquè pertęsi moræ, vltroneam sibi è sæculo fugam indixere; & ne vel inposterum labi contingeret, celeri ad altiora currendum pede, contendendumquè velociter existimarunt: *Lubricum quippe* (vt Ambrosius ait) *est sæculum, & citò labimur.* Quis enim lutea vasa portans, non sordescit in luto?Itaq; salubris duntaxat fugæ præsidio certa hominis salus innititur, & in elongando se à periculis, tutò se quisque reponit.Quapropter meritò aliquando Hieronymus hominem supernis ditescentem muneribus, & Cœlo denique suis pro meritis inserendum, aptis planè in rem verbis ad fugam è lubrico arripiendam exhortans: *Quid agis* (inquit) *in sæculo, qui maior es sæculo?* ac si altiori ad Cœlum mente ne quis cœno demersus pereat,omni reiecta mora currendum quantocyus sit.

Ambrosius in Psalm. 118.

Lubricum est sæculum, adeoque citò quis labitur ex Ambrosio.

Hieronymus in Epist.

2. Nec verò sibi quisquam de sui ipsius virtute, ac meritis inaniter blandiatur:*Nil enim*(inquit Hieronymus)*Monacho fortius, qui vincit Diabolum, sed nihil imbecillius, qui à carne superatur.* Quoniam igitur homini lucta cū Diabolo est, nudi cum nudo luctari debemus, & nequis inter pugnandum succumbat, vestimenta abijciat, ne habeat, vnde teneatur,victusque hosti cedat triumpho. Plerique igitur prouidè è peccatorum labe eruti, ad perfectioris vitæ apicem currentes, esse ampliùs in sæculo renuunt; adeòque dum sui duces itineris sanctissimos sibi Viros proponunt,illud Hieronymi vel ipsis meritò occinit: *Nos habeamus propositi nostri Principes, Paulos, Antonios, Hilarios, Macarios.* Hi profectò omnia vnà cum Apostolo arbitrantes vt stercora, quò Christum lucrifacerent, relicto confestim sæculo, ad Deū profugiendo, illud Apostoli, Apostolorumquè exemplo factis exhibuere: *Circumierunt* (inquit) *in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat Mundus.* Pro salute etenim animæ è Mundo fugam,ac certū pro corona haud fortiter arripere certamē recusarunt. Nil quippe his,quibus animæ salus cordi est, curandum, quærendumquè magis, quàm vt inoffenso pede ad montana procurrant;quod apte Hieronymus certo cuidam homini inculcans: *Nulli*(inquit)*parcas,vt soli animæ parcas.* Enimuerò haud pro argento, & auro; sed pro anima, quæ omni pretiosior est auro, homini negotium adest.

Hieronymus Epist. ad Rusticum.

Lucta homini cum Diabolo, à quo nemo tutus.

Hieronymus Epist. 13. ad Rusticum.

Ad Heb. Ep. 11.

Nemini parcendum, vt quis animæ parcat ex Hieronymo

Hieronymus vbi supra

Qui diuitijs igitur inopes, at virtutibus diuites, se illibatos, ac Deo dignos seruare præoptant, vtpote qui Cœlo in Terris militant; quantùm sibi virtutis decor in pretio sit, luce clariùs demonstrant. Tanti namque rudem olim Pauli tunicam Antonius fecit, vt hac solemnioribus duntaxat diebus vteretur; & in ipsius laudem Hieronymus isthęc iure merito decantarit: *Si mihi* (inquit) *Dominus optionem daret, multò magis eligerem tunicam Pauli cum meritis suis, quàm Regum purpuram cum suis Regnis.* Quoniam ergò sola apud Deum paupertas, atque humilitas in pretio est, hinc qui sibi Pœnitentiam sedulo sectandam ob oculos proponunt; cuncta primùm terrena abijcere, sequè cunctis sponte abdicātes honoribus,sic Deo vtiq; placere cōtendunt; quod & Hieronymus rem vti grandem admiratus, reiquè proinde meritum inculcans,sic Christi militem & ad ipsum ire cupientem alloquitur: *Nudum* (inquit)*Christum nudus sequere; durum, grande,difficile, sed magna sunt præmia.* Id sanè olim quammulti, & ex Pœnitentium pręcipuè, numero (vt mox narrabitur) probè assequuti, Cœlo potiùs, quàm terrę, ac Deo magis, quàm sęculo, in terris adhuc positi militarunt.

Hieronymus Epist. de Gestis S. Pauli prim. Erem.

Religiosa paupertas Regum thesauris anteferēda.

Hieronymus Epist. 13. ad Rusticum.

Pauperes pro Christo, sunt diuites.

3. Enimuerò quàm futilia, quàm vana, & lubrica demum sint sæculi gaudia, & quàm amaris insuper intus in cute noxiæ mundanarum voluptates rerū, assiduis ęrumnarum stimulis scateāt, duo quondam illi in Romanorum Imperatoris Aula sat præ cæteris demōstrarunt; qui(vt apposite Augustinus tradit) inter legendum res Magni Antonij gestas mirantes, omnem illicò à se mundanam vnà

Duo ex Imperatoris Aula, ad Christi obsequiū transeunt.

vnà cum sæculo spem abijcientes, religiosam in solitudine viam, vitamquè arripiendo, se totos Christo vt Cœlum feliciter tandē lucrifacerent, pro Christo dicarunt; Quorū historiam à Potitiano acceptam, his planè verbis Augustinus prosequitur: *Et erat* (inquit) *Mediolani Monasterium plenum bonis Fratribus extrà Vrbis mœnia sub Ambrosio nutritore, & non noueramus: pertendebat ille, & loquebatur adhuc, & nos intenti tacebamus; vnde incidit, vt diceret, nescio quando se, & tres alios contubernales suos, nimirum apud Treuiros; cùm Imperator promeridiana Circensium spectaculo teneretur, exisse deambulatum in hortos muris contiguos, atque illic, vt forte combinati spatiabantur, vnum secum seorsum, & alios duos itidem seorsum, pariterquè digressos, sed illos vagabundos immissos in quandam casam, vbi habitabant quidam serui tui spiritu pauperes, qualium est Regnum Cælorum, & inuenisse ibi codicem, in quo scripta erat: Vita Antonij, quam legere cœpit vnus eorum, & mirari, & accendi, & inter legendum meditari arripere talem vitam, & relicta militia sæculari, seruire tibi; Erat autem ex eis, quos dicunt agentes in rebus, tunc subitò repletus amore sancto, & sobrio pudore, iratus sta sibi, coniecit oculos in amicum, & ait illi: Dic, quæso te, omnibus istis laboribus nostris quò ambimus peruenire? quid quærimus? cuius rei causa militamus? maior-ne esse poterit spes nostra in Palatio, quàm vt amici Imperatoris simus? & ibi quid non fragile, plenumque periculis, et per quot pericula peruenitur ad grandius periculum? & quandiù istud erit? amicus autem Dei, si voluero, ecce nunc fio. Dixit hoc, et turbidus parturitione noua vitæ, reddidit oculos paginis, et legebat, et mutabatur intus, vbi tu videbas, et exuebatur Mundo mens eius, vt mox apparuit. Namque dum legit, et voluit fluctus cordis sui, infremuit aliquandò, et discreuit, decreuitquè meliora, iamquè quietus ait amico suo: Ego iam abrupi me ab illa spe nostra, et Deo seruire statui, et hoc ex hora hac in hoc loco aggredior, te si piget imitari, noli aduersari. Respondit ille adhærere se socio mercedis, tantæquè militię, et ambo iam tui ædificabant turrim sumptu idoneo relinquendi omnia, et sequendi te. Tum Potitianus, et qui cum eo per alias horti partes deambulabant, quærens eos, deuenerunt in eundem locum, et inuenientes admonuerunt, vt redirent, quoniam declinasset iam dies. At illi narrato placito, et proposito suo, quoquè modo in eis talis voluntas orta esset, atquè firmata, petiuerunt; ne sibi molesti essent, si adiungi recusarent. Isti autem nihilo mutati à primis, fleuerunt se tamen (vt dicebat) atque illis piè congratulati sunt, et commendauerunt se orationibus eorum, et trahentes cor in terram, abierunt in Palatium: Illi autem affigentes cor Cœlo, manserunt in casa. Et ambo habebant sponsas, quæ postea quàm hęc audierunt, dicauerunt etiam ipsæ virginitatem tibi. Narrabat hæc Potitianus etc.*

Augustin. Confess. lib. 8. cap. 6.

Apud Treuiros duo aulici ex Antonij vita spe sæculi abiecta, iter ad Christū addiscunt.

Ambo in solitudine, pedem figunt, vt ad Christum impigrè currant.

Cor Cœlo affigunt, & socij terrenis altius demerguntur.

Sic planè Deo afflati, terrenisque repentè sarcinis expediri, sæculi vtpotè impedimentis soluti, ambo isti sęculo se ipsos abdicantes, asperam Pœnitentium, vt Cœlo tandem potirentur, vitæ normam, & haud sibi parcēdo Christi vestigia sunt sectati.

Marcella Albinæ filia, fœminarum nobilissima ipsius sæculi fuga nobilior apud Deum.

Baronius an. 383. nu. 37.

Cerealis Imperatorum sanguine illustris connubium ob Christum respuit.

4. Porrò vt susceptæ narrationis proposito intenti, alios quamplures, qui se Mundi voluptatibus Pœnitentię causa reiectis abdicarunt, consultò recenseamus: Marcella Albinæ filia, Pammachij consobrina, nobilitate generis Romanas inter fœminas clarissima voluptatibus nuncium remittens, austeriorem Pœnitentiæ formam amplectens, sic eam dilexit, vt virtutis studio, & seruādæ pudicitiæ amore succensa, septem post menses (quibus cum viro fuerat) vidua relicta, Cerealis, qui Romanorum Imperatori sanguine iunctus erat, connubium præcelso animo respuens, factis Monachorū Institutis, ipsius Hieronymi edocta exemplo, vltrò constanterquè inhæserit, aliasque insuper illustres fœminas ad sectandam salubriter arctioris vitæ semitam perduxerit, quæ à Gothis primùm iniurias perpessa, ab ipsis honori postmodùm habita est; sed quàm multùm ingenio præstaret, & quanta se ipsam humilitate aliorum iudicio, subiecerit, idem Hieronymus his planè verbis testatur, quæ nobile virtutum ipsius monimentum sunt. *Cùm me* (inquit) *Romam cum Sanctis Paulino, et Epiphanio Ecclesiastica traxisset necessitas, quorum alter Antiochenam Syriæ, alter Salaminiam Cypri rexit Ecclesiam, et verecundè nobilium fœminarum oculos declinarem, ita egit (Marcella*

Hieronymus Epist. 16.

cella scilicet) secundum Apostolum importunè opportunè, vt pudorem meum sua superaret industria. Et quia alicuius nominis esse existimabar super studio scripturarum, nunquàm conuenit, quin de scripturis aliquid interrogaret; nec vt statim acquiesceret, sed moueret è contrario quaestiones, non vt contenderet, sed vt quaerendo disceret earum solutiones, quas opponi posse intelligebat. Et mirae profectò humilitatis, ac virtutis foemina, quae sacras probè callens scripturas, & apprimè literis Diuinis exculta; suam humiliter tamen ceruicem, non Deo duntaxat, sed & homini edocenti submitteret, nec se plus aliquid, quàm ceteras rudes mulierculas reputaret; quod quidem in foemina literis apprimè exculta grande miraculum; Quaenam verò in foemina fuerint ornamenta virtutum, S. Hieronymus his verbis prosequitur.

Mira foeminae in sacris scripturis peruoluendis peritia.

Hieronimus vbi supra.

5. *Quid* (inquit) *in illa virtutum, quid ingenij, quid sanctitatis, quid puritatis inuenerim, vereor dicere; ne fidem credulitatis excedam, et tibi maiorem dolorem incutiam recordanti, quanto bono carueris. Hoc solùm dicam, quod quidquid in in nobis longo fuit studio congregatum, et meditatione diurna, quasi in naturam versum, hoc illa libauit, didicit, atque possedit; ita vt post profectionem nostram, si in aliquo testimonio scripturarum esset oborta contentio, ad illam iudicem pergeretur. Et quia valdè prudens erat, et nouerat illud, quod appellant Philosophi Πρέπον, idest dicere, quod facias: sic ad interrogata respondebat, vt etiam sua, sua non diceret, sed vel mea, vel cuiuslibet alterius; vt in eo ipso, quod docebat, se Discipulam fateretur: sciebat enim dictum ab Apostolo; Docere autem mulieri non permitto, ne virili sexui, et interdum Sacerdotibus de obscuris, et ambiguis sciscitantibus facere videretur iniuriam.* Haec in praeclarae huius inter caeteras foeminae laudem Hieronymus, haud obscura profectò nobilissimi ingenij, & Christianę simul pietatis, atque humilitatis documenta.

Cunctae in ipsa virtutũ dotes Soli magis emicant.

Sapientiam humilitas apud Deum, & homines commēdat.

6. Verùm admiranda cunctis in saeculo mulier, à tumido saeculi fastu sic abhorruit, vt delicias magno, imperterritoquè animo proculcans, quo nam mentis affectu Monasticae vitae Instituta dilexerit, isthaec in alias quoque Romanas suo item exemplo foeminas deriuando monstrauit. Hęc namq; de ipsa, dũ Poenitentiae iugiter operam dantem describit, Hieronymus meminit: *Suburbanus* (inquit) *ager vobis pro Monasterio fuit, et rus electum pro solitudine, multoquè ità vixistis tempore, vt ex imitatione vestri, et conuersione multarum gauderemus Romam factam esse Hierosolymam: crebra Virginum Monasteria, Monachorum innumerabilis multitudo; vt pro frequentia seruientium Deo, quod priùs ignominiae fuerat, esset postea gloriae.* Eius quippe exemplo aliae nec vulgares quidem foeminę, Mundum contemnere, & cuncta, vanaquè saeculi gaudia despiciendo calcare, sublimiore mentis fastu didicere, quę subinde in Poenitentium Castra se recipientes, vel in saeculo ipso de Mundi tum pompis, tum honoribus triũphando altiora sapere didicerunt.

Hieronymus vbi supra.

A saeculi fastu abhortēs monasticum Institutum in alias foeminas deriuat.

Adeo vt quod prius ignominiae fuerat, esset postea gloriae ex Hieronymo.

7. Albina quoque Marcellae Mater, haud suis absque laudibus praetereunda, quę filia pietate non impar, & sacras literas discendi cupida, suis Hieronymum impensè, ac frequenter studijs coluit: de qua ipse. *Certè* (inquit) *cùm Romae essem, nunquam tam festina me vidit, vt non de scripturis aliquid interrogaret; neque verò more Pytagorico quidquid respònderam, rectum putabat. Nec sine ratione praeiudicata apud eam valebat auctoritas, sed examinabat omnia, et sagaci mente vniuersa pensabat, vt me sentirem non tam Discipulam habere, quàm Iudicem.* Haec de Albina Hieronymus, vt Christianarum mulierum ingenia, & Christianae item pietatis studio praecellentium probè cōpositos ad virtutem mores, ex pijs earundem institutis, prompta vnusquisque quasi manu deprehendat. Albina verò, dum alactiùs in Dei obsequio, & virtutum stadio currit, diem in Vrbe feliciter clausit, de cuius obitu nuncium Hieronymus accepit, cum sua super epistola Pauli ad Galatas est aggressus commenta: de cuius transitu haec quidem ille in praefatione eiusdem Epistolae: *Pauci admodùm* (inquit) *dies sunt, ex quo Epistolam Pauli ad Philemonem interpretatus, ad Galatas transcenderam, multis retrorsum in medio praetermissis: Et ecce subitò literae mihi de Vrbe allatae sunt, nunciantes, et Albinam venerabilem anum praesentię Domini red-*

Hieronymus in praefat. in epist. ad Galatas.

Albina Marcellae Mater quàm cupida res sacras discendi.

Foeminę virtutibus exculta finis.

Baronius an 386. n. 35.

Hieronym. praefat. in Epist. ad Galat. lib. 1.

redditam, et S. Marcellam Matris contubernio deſtitutam. Hanc quidem ipſe ſuo digniſſimã ſemper vti Matrem obſequio veneratus eſt, & iam ſenio ſubinde confectam, necnon pio ac ſtudioſo religionis cultu magis, quàm ętate prouectam. Ad Aſellam namque ſcribens, eius his planè meminit verbis: *Saluta Matrem Albinam* & ad Marcellam filiam ſcribens ait: *Albinam communem Matrem valere cupio; de corpore loquor, vt ſpiritu valeat, non ignorans: eamquè per te ſalutari obſecro, et duplici pietatis officio focillari, quod in vna, atque eadem Chriſtiana ſimul diligatur, et Mater*. Et hæc nos in Albinæ clariſſimæ fœminę laudem, hìc vel obiter meminiſſe voluimus.

Hieronymus mortis ipſius accepto nuncio vehementer dolet.

Hieronym. Epiſt. 100. ad Aſellam.

Hieronym. Epiſt. 74.

8. Atquì vt modò à fœminis ad viros orationis ſtylus recurrat, laudatiſſimus quidem in Dei Eccleſia hominum pœnitentium, ac in remotioribus locis Deo, ac ſibi vacantium mos olim viguit, ingentiquè ſubinde meritorum prouentu iam vſu receptus, mirificè adeò Terrarum vbique propagatus eſt, vt Inſulas planè ipſas huiuſmodi genus hominum diues virtutibus, ac Cœlo planè dignum repleuerit; qui dignas nimirum antiquarum culparum valido Pœnitentiæ ſtimulo incitati, à ſemetipſis pœnas repoſcerent, ac inter ſyluarum abdita, vti nobiles è Mundo transfugæ, exuleſque, illibatis planè Deo moribus inſeruirent: Ieiunijs quippe, lacrymis, orationibus, cæteriſque intenti iugiter eiuſcemodi afflictationum operibus carnem aſsiduè macerantes diſcruciando, ſe non in vanum currere, ac aerem verberare; ſed in acie aduerſus carnem, ac Diabolum ſtrenuè, ipſis Deo militare factis comprobarunt, ad quos auxiliares ſubindè precum copias Chriſtiani Imperatores, ac orbis Terrarum Proceres, petituri; dum validis ſæculi, ac tribulationum procellis exagitarentur, magna ad impetrandum ſpe ſuffulti conuolarent, vt ſuo infrà loco narrabitur.

Pius Deo in remotis locis inſeruiẽdi mos antiquus, vſitatuſque in Eccleſia.

Baronius an. 998. n. 49.

Inſulę Monachorum incolatu celebres.

9. Mirum autem dictu (quod & Baronius adnotat) vt cùm primùm ex Aegypto Monachalis in Vrbem vitę inſtitutio inuecta eſt, longè, latèque magnis vbiq; incrementis adaucta, & propagata claruerit; adeò vt Inſulas quoque pia Sanctorum Monachorum, velut florentiſſima Apum examina, ac pœnitentium Virorum agmina ipſius terræ faciem repleuerint. Etnicus namque homo ille (vt ſupra iam vidimus) dum ſui itineris ſtationes relegit, Monachorum (qui Caprariam potiſsimùm incolebant Inſulam) perditus per iocum deriſor ſapientiſsimos ſubſannando Viros meminit, illiſq; demum carminibus amarulentoque in Monachos (quos oderat) ſtomacho, ac ſimul Chriſtianæ inuidus religioni inſultando concludit.

Baronius vbi ſupra n. 52.

Ex Aegypto florentiſſima religio ſeu agmina in varias Inſulas ſecedunt.

Rutil. Numant in Itiner. lib. 1.

Sic nimię bilis morbum aſſignauit Homerus

Bellerophonteis ſollicitudinibus.

Hæc impius quidem, ſuaſquè inter prophanas carminum ſtrophas malè ſanus capite, qui toto ipſa inter verba Cœlo aberrans, Angelicam, & Cœlo dignam arctioris à cunctis procul ſæculi deliramentis vitæ normam, inſaniam ipſe omnium, inſaniſſimus ampullanti ore appellat, homineſquè eiuſcemodi vitæ genus vſurpantes ſuis omninò carminibus deliroſcenſuit; quos ſi Diuino fidei imbutus lumine intus & in cute agnouiſſet, beatos proculdubio, ac vere felices, ipſoſmet, quos triſtes, ac miſeros putabat, ſapido iudicij calculo renunciaſſet.

Auſterioris vitæ norma ipſis Gentilibus deriſui, ne dum horrorem attulit.

10. In ſemota igitur à mortalium oculis, & à terreſtri conſuetudine rudi, ignotaquè Inſula, Viri planè Cœlo digniſsimi, ac Deo probè noti, necnon Pœnitentiæ armis, precibuſquè validiſſimè inſtructi latebant, quibus hoſtiles, ac barbaras (vbi opus foret) Caſtrorũ acies vinci, ac nullis expugnari haud ſemel armis contigit; ad quos nõ ſecus ac ad muniтиſſima Orbis terrarum propugnacula, qui varijs moleſtiarum anguſtijs tenebantur, profugientes, non raró in bellis præſens Dei auxilium ſunt experti; & ne noſtra longiùs aberret oratio, Maſcezil Gildonis tyranni frater, ſub Romanis Arcadio, & Honorio Principibus, armis aduerſus eundem acturus, ad Caprariam Inſulam pauperum Virorum, atque imbellium incolarum preces ſibi in primis fore propitias ratus, ſe contulit; nec ſua ſpe, ac votis fruſtratus eſt, vt Oroſius his verbis in rem præſentem tradit: *Ad hunc iam vt hoſtem bello inſequendum Maſcezil Frater miſſus eſt, quem idoneum procurandę Reipublicæ fore, propriæ orbitatis recens dolor pollicebatur. Igitur*

Ignota, ac penitus inculta Inſula homines Cœlo dignos cultores habet.

Baronius vbi ſupra.

Oroſius lib. 7. cap. 36.

Maſcezil Gildonis tyranni Frater Sanctorum Virorum preces imploraturus Inſulã adit;

Ma-

Masfeezil Gildonis Tyranni frater armis actus, Dei Virorū preces imploraturus Insulā adit. Orosius c.36. Baronius num. 53.

Masfeezil iam inde à Theodosio sciens, quantum in rebus desperatissimis oratio hominis per fidem Christi à clementia Dei impetraret, Caprariam Insulam adyt, vnde secum sanctos Seruos Dei aliquot permotos precibus suis sumpsit. Cum his orationibus, ieiunijs, Psalmis dies, & noctes continuans, sine bello victoriam meruit, ac sine cade vindictam. Hæc ille. Sine bello igitur absterriti milites terga vertere, ac pœnitentium armis victi, statimquè palmam victori Mafcezil longè clarissimam cedere compulsi sunt. Quinque etenim millia virorum nobilem de septuaginta millibus triumphum reuexere, vt Orosius tradit: *Nulla* (inquit) *aguntur insidiæ, nulla corruptio, septuaginta millia hostium vincuntur penè sine pugna: Fugit victus ad tempus, ne plus audeat victor iratus. Transportatur in diuersum locum, vt nesciat frater occidi, qui vindicatur occiso.* Quibus narratis ad Monachos, qui Pœnitentię armis in Capraria Insula degentes feliciter pro ipso pugnarunt, orationis stylum post victoriam conuertens, Rutilium eosdem suis deridentem cachinnis, hìc ipsismet (si libet) Baronij verbis alloquamur: *Ecce*(inquit)*quantum valeant lucifugæ tui, ò Rutili, & apud Deum intercessio opportuna Sanctorum. Pœnitentium quippe arma, cùm Deum omnipotentem vincant, hostem quoque validis licèt armis, innumerisquè circumuallatum bellantium phalangibus ludum; ac triumphum exhibent concertanti; Pœnitentiæ quippe, ac lacrymis illud optimè consonat: Tua est potentia, tuum est Regnum, vincis inuincibilem, ligas Omnipotentem.* Et hęc de viris, omni quidem reiecta voluptate, Pœnitentiæ studio addictis, ac Cœlum propugnantibus.

Quinque pugnatorum millia de septuaginta millibus triumphum referunt ex Orosio.

Deridendi, qui DeiSeruos vti fatuos deridunt.

11. Quoniam verò de his, qui à terrenis procul se abdicando in ipsomet sæculo de sæculi pompis, atque oblectamentis plusquàm de Barbaris hostibus triumpharunt, opportunus hìc sermo est: Nepotianus Presbyter omni virtutum genere egregiè ab Heliodoro Auunculo excultus, præcipuam sibi inde laudem promeruit, quòd vitam Pœnitentię operibus, pijsquè exercitationibus Cœlo dignus excoluit. Hic primùm cùm apud Romanorum Principem apprimè clarus in Aula militaret, vnà cum militari cingulo monasticę item vitæ disciplinam nouo, inusitatoquè totius Orbis exemplo coniunxit, de quo isthæc Hieronymus, condigna laudum ipsius monimenta: *Referret* (inquit) *alius, quòd in Palatij militia sub clamide, & candenti lino corpus eius cilicio tritum sit, quod stans ante sæculi potestates lurida ieiunijs ora portauerit: quòd adhuc sub alterius indumentis alteri militauerit, & ad hoc habuerit cingulum, vt viduis, pupillis, orphanis, oppressis, miserisquè subueniret; mihi non placent dilationes illæ imperfectæ seruitutis Dei, &c.* Quantùmuis igitur summis hominem, eiusquè vitæ genus dignum laudibus videret; attamen quòd potiora, quæ animo conceperat, ac si vinculis præpeditus differret, ipsum haud sibi Hieronymus laudandum putauit: Verùm factus iam Clericus, quæ, & quanta laudabiliter præstiterit, qui sanctitate sic præfulsit in Aula, ex his (quæ S. Hieronymus narrat) luculenter euincitur, ad quem item insignem de Clericorum vita libellum conscripsit; Clericalis quippe disciplinæ omnibus absolutam semper numeris, ac semper in Ecclesia vigentis formam suis hic vnus virtutibus æmulandam cunctis exhibuit.

Baronius an. 396. n. 12.

Hieronymus epist. 3. ad Heliodorum.

Nepotianus vbique clarus, monasticæ vitæ iam normā Clericus sectatur.

Hieronym. vbi supr.

Ad ipsum Hieronymus libellū de vita Clericorum scribit.

12. Omnibus quippe charus, & ob morum item probitatem clarus apud omnes, & laudabilis, ingens sui moriens desiderium reliquit, luctumquè vnà simul moriendo indixit; adeò vt eum meritò altissimarum virtutum præcellētem, tota (vt Hieronymus ait) Italia luxerit. Porrò cùm Vir tantus iam esset è proximo moriturus, sui vti Patris Hieronymi, ipsius memor, sacerdotalem ipsi, qua vti in sacris consueuerat, perpetuo futuram amoris monimento vestē legauit, cuius pij adeò muneris, & eximię charitatis officij idem Hieronymus in sua testatissimis verbis epistola meminisse voluit, dum ait: *Quis crederet in tali illum tempore, & nostræ necessitudinis recordari, & luctante anima studiorum scire dulcedinem? Apprehensa Auunculi manu, hanc (inquit) tunicam, qua vtebar in ministerio Christi, mitte dilectissimo mihi ętate Patri, Fratri, Collegę, & quidquid à te Nepoti debebatur affectus, in illum transfer, quem pariter diligebas. Atque in talia verba defecit, Auunculi manum mei recordatione contrectans, &c.* Hæc quidem ille; Decedens igitur è vita,

Hieronymus epist. 3. ad Heliodorum.

Moriens sui desiderium cunctis relinquit.

Quæ sub vitæ finem laudabiliter præstitit.

Baronius vbi supra n. 11.

Gratis semper officijs Hieronymũ coluit.

è vita, Hieronymi, quem (dum viueret) Patris instar habuerat, ac suum vti Magistrũ dignis sēper obsequijs officiosè coluerat, gratam vtique memoriam exhibens, totam Auunculi, à quo impensè adeò diligebatur, in ipsum quodammodò beneuolentiam refundendo transtulit, & sacri indumenti munusculo sui palàm illi testata esse voluit amoris nunquàm morituri signa pariter, & documenta. Qui viro Pœnitentiæ operibus egregiè exculto, Heliodorum Auũculum Altinensem Episcopum solandi gratia, Epitaphium nobile virtutum ipsius monimentum inscripsit, quod qui vult, apud ipsum consulat. Hieronymus insuper ad Oceanum scribens, gratam Nepotiani mentionem ingerit, cùm ait: *Quarta (inquit) ætatis circulus voluitur, ex quo ad Heliodorum Episcopum, Nepotiani scribens epitaphium, quidquid habere potui virium, in illo tunc dolore consumpsi, etc.* Et Nepotianus quidem omni virtutum laude, & Pœnitentiæ præsertim, atque austerioris vitæ cultu, ad quem S. Hieronymus de Clericorum vita libellum scripsit, clarus vbique adeò fuit, vt communem toti moriens Italiæ luctum indixerit. Sed de his nunc satis.

Qui ad Heliodorũ eius Auunculum, nobile ipsius epitaphium scripsit.

Hieronymus epist. 30. ad Oceanum.

S. Hieronim. epist. 30.

13. Ab huius autem consortio, virtutum meritis haud in sæculo impar Nebridius minimè seiungendus est, qui nutritus in Palatio, contubernalis item, & consobrinus Romanorum Imperatorum, Honorij, & Arcadij, & in literarum studijs Collega, tum generis, splendore, tum Christianis præsertim virtutibus admirationi extitit; adeò vt in ipso adolescentiæ flore à sæculi voluptatibus continens, mirum pudicitiæ, ac Religionis specimen exhibendo, non secus ac omnium religiosissimus à cunctis meritò suspiceretur, & licèt Saluinæ Gildonis filiæ Matrimonio iunctus, vitæ tamen, ac virtutum exemplo, & à voluptatibus abhorrens, cæteris longè præcelleret, eleemosynarum præcipuè munificentia dives, & Christiana in primis præ cunctis humilitate sublimis: Sed eius hic laudes ipsius Hieronymi verbis retexendæ à nobis sunt; hæc enim de eo in suis paginis: *Sic* (inquit) *Religiosus fuit, ac amator pudicitiæ, vt virgo sortiretur vxorem: Sic timens Deum cum omni domo sua, vt oblitus dignitatis, omne consortium cum Monachis haberet, & Clericis, tantasq; eleemosynas faceret Populis; vt fores eius pauperum, ac debilium obsiderent examina: certè sic semper orans Deum; vt illi, quod optimum esset, eueniret. Raptus est, ne malitia mutaret mentem eius, &c.* Hęc tanto Viro, qui in sæculo degens ingi virtutes Monachorum studio æmulatus, sic ad viuum easdem in se vno, maximè in hoc admirandus expressit, S. Hieronymus perenne hoc monimentum statuit.

Nebridius adolescēs generis nobilitate, ac morum probitate illustris.

Baronius an. 398. n. 56. 60.

Hieronymus epist. 9.

Ipsius laudes à Hieronymo decātatæ.

14. *Mirum* (inquit) *dictu est, nutritus in Palatio, contubernalis, & condiscipulus Augustorum, quorum mensæ ministrat Orbis, & terræ, & maria seruiunt, inter rerum omnium abundantiam; in primo ætatis flore, tantæ verecundiæ fuit, vt virginalem pudorem vinceret, & ne leuem quidem obscæni rumoris in se fabulam daret. Deinde purpuratorum propinquus, socius, Consobrinus, ijsdem cũ ambobus studijs eruditus (quæ res etiam externorum mentes sibi conciliat) non est inflatus superbia, nec cæteros homines obducta fronte contempsit; sed cunctis amabilis, ipsos Principes amabat vt fratres, venerabatur vt Dominos, & in illorum salute suam salutem positam fatebatur: Ministros autem eorum, & vniuersum Ordinem Palatij, quo Regalis frequentatur ambitio, sic sibi charitate sociaret; vt qui merito inferiores erant, officijs se pares arbitrarentur. Difficile factu est gloriam virtute superare, & ab ijs diligi, quos præcedas. Quæ vidua non huius auxilio sustentata est? Quis pupillus in eo non reperit Patrem? Totus Orientis Episcopi ad hunc miserorum preces, & laborantium desideria conferebant. Quidquid ab Imperatore poscebat, eleemosyna in pauperes, pretium captiuorum, misericordia in afflictos erat: vndè & ipsi Principes libentes præstabant, quod sciebant non vni, sed pluribus indulgeri.* Hæc ille, aliaquè in Nebridij Adolescentis optimi laudem. Qui demum virtutibus clarus ex Saluina Gildonis filia, liberos relinquens, masculum videlicet suo dictum ex nomine, & infantulam; ad laborum præmia, & ad Cœli gaudia, perpetuò victurus euolauit. Sed vt alios hic omni dignos laude recenseamus.

Hieronym. vbi supra, epist. 9.

Puritas vitę ac summa animi demissio.

Amabilis cunctis, & admirandus.

Munificētia in pauperes.

Laudabiliter relictis ex se filijs decedit.

15. Aytonus illustris Armeniæ Rex cũ

pro

Rainaldus an. 1276. num. 70.

Aytonus Armeniæ Rex virtutum laude conspicuus.

pro Liuono filio ex Aegyptiaco carcere liberando apud Aegypti Soldanum egisset, certisq; nonnullis firmatis conditionibus, voti tandem compos effectus; vt se ipso maior, ac sæculo, nobiliori item auctus triumpho, de contempto magis sæculo, quàm de filio ex hostium manibus vindicato gauderet, & ceteris insuper raro virtutum præfulgeret exemplo, postquàm quinque annos supra quadraginta regnasset, ac multa item in Christianos piè, ac laudabiliter præstitisset, sponte suauissimo Christi iugo colla submisit, Regiarumquè infularum pertæsus, filio sceptrum relinquens ad Religiosorũ castra Christo posthac perpetuò militaturus transiuit, vbi Pœnitentiæ operibus assiduè intentus, laboribusque dignè perfunctus, ad Cœli tandem præmia feliciter euolauit, vt Aytonus in suis historiarum paginis sic tradit. *Postquàm* (inquit) *Rex Aytonus bon. mem. qui quadraginta annis Regnum tenuerat, & multa bona fecerat Christianis, Regnum, & dominium suum contulit, et concessit filio suo Domino Liuono de Aegypti carceribus liberato; et ipse renuncians pompis huius sæculi est Religionem ingressus, et vocatus fuit Macarius mutato proprio nomine secundum consuetudinem Armenorum, qui quandò ingrediuntur Religionem, mutari faciunt sibi nomen. Et post modicum temporis spatium Rex Aytonus requieuit in pace Anno Domini M.CC.LXX.* Hæc ille de Aytono Rege, qui se Regno pro Christo libenter abdicans, Pœnitentiæ, arctiorisquè vitæ iugum sceptro, ac regalibus delicijs prætulit, & tritam, ac seruilem sub Christo tunicam Magnatum purpuræ, & infulis longè anteferendam duxit; quem item Scriptores Macarij auctum nomine, & claustralis disciplinæ obseruantia præstantem, vsque ad annum septuagesimum secundum vitam propagasse referunt.

Liuonum filium ex Aegypti carceribus pugnando vindicat.

Aytonus. hist. Orietal. c. 33.

Religiosæ vitæ Macarij assumpto nomine seipsũ dicans, feliciter obit.

Iordanus M. S. Vatic. sign. 1960.

16. Hìc verò Iacobus Arragonum Rex silentio prætereundus non est, qui post reiectas obscœnarum illecebras voluptatum, quibus diù fræna laxarat; & post plura, quæ turpiter admisit scelera, pœnitens tandem austeriori se ipsum vitæ deuouit: Etsi enim primùm Constantiam filiam Petro, Manfredi tyranni filio vxorem despondens, Pontificijs subinde litteris, nè affinitatem huiuscemodi contraheret, dehortantibus admonitus, paternis (vt par erat) imperijs aurem non præbuit; certè tum in hoc, tum in alijs multis grauiter deliquit: Nam cùm audacter, suoque pro libitu ius Ecclesiæ lædens, foedis Berengariæ amoribus indulgeret, etsi plura laude digna pro Religione obiret; iustè tamen a Clemente Romano Pontifice, huius nominis Quarto, correptus, & vel tunc ad transfretandum in Terræ Sanctę subsidiũ, & sacro manum admouere bello cogitans, illud à Pontifice pro respõso accepit, ipsius nempe sacrificiũ gratum Deo nequaquam fore, ni à vetitis, impurisquè fœminæ blanditijs, atque incesto ipsius fœminæ contubernio abstineret; his enim ipsum literis admonendo conuenit: *Tuę* (inquit) *Serenitatis literas recepimus, inter alia continentes, quòd ad transfretandum in Terræ Sanctæ subsidium pro vindicanda Crucifixi iniuria te disponere proponebas, etc. Quod licèt cum gaudio receperimus, scire tamen te volumus, quòd illius obsequium Crucifixus non recipit, qui incestuoso contubernio se commaculans, in se ipsum iterum crucifigit. Ideoquè Serenitatem tuam, sicut aliàs, sic et nũc iteratò familiariter rogamus, monemus, & hortamur attentè, quatenus nobilẽ mulierem Berengariam, quàm in carnale commercium, non absque nota incestus, et salutis tuæ discrimine admisisti, à te prorsus abyčias, nec ei vlteriùs copula misceàris carnali: aliter enim complacere non poteris Crucifixo, nec iniurias eius redimere, si alterius iniurijs ipse nolueris abstinere. Insuper autem scire te volumus, nisi nostris monitis acquieueris, nos te ad dimittendam eandem per censuram Ecclesiasticam compulsuros, etc.* Hæc Clemens Iacobo Regi à rectò longiùs aberranti paterna olim, & Pontificia tum charitate, tum auctoritate suggessit; & cùm iniquo Rex animo Pontificias obiurgationes, ac minas ferret, ac phreneticorum more, qui sua Medicorum manu attrectari vulnera haud patienter sustinent, in ipsum querulus oblatraret; remedijs Pontifex acrioribus vsus inuicto sacerdotalis animi vigore, atque Apostolico suffultus imperio, appositis obluctantem verbis amarulenter (vt par erat) perstrinxit, & ad meliorẽ frugem hominem non absque magno aliorum scandalo isthæc audentem adduce-

Rainaldus. 1276.

Iacobus Arragonũ Rex ante actæ vitæ scelera pœnitentiæ rigore compensat.

Rainaldus an. 1267. n. 23. Surrita lib. 3. c. 74.

Pia ipsius consilia.

A Clemente Quarto paternè obiurgatus corripitur, & in bono non confirmatur.

Libellus Clementis PP. IV. num. 53.

ducere conatus est: Hęc enim ille. *Desineret* (inquit) *sceleratè viuere, ac lasciuire, nec ferret grauiter se paterno amore corripi.* Hæc illi Pontifex.

17. Atqui Rex facti postmodum pœnitens, dum arripiendis in Terræ Sanctæ subsidium armis, quo suis pro culpis faceret Deo satis, intendit; blandis iterum impuræ fœminę verbis illectus sanæ mentis propositum deserens, ob super inductã denuò adulterã Pōtificis ore admonitus, & dũ suũ turpiter scelus excusat, asperrimè obiurgatus, Ecclesiasticis item censuris ad condictum diem fœminam à se dimittere compulsus est. A malo igitur resipiscens, dum suas pœnis culpas rediměndas decernit, lethali ex bellicis laboribus correptus morbo, austeram se Monachorum Cistercientium disciplinam suscepturum vouet: Rebus autem Regni probè dispositis, totus pœnitentiæ subinde operibus inhærẽs; pio tãdem exitu è vita præreptus est, de quo isthæc Rainaldus in suis paginis: *Planxit* (inquit) *adeò acerbè præterita flagitia, ob quæ à Clemente, & Gregorio correptum vidimus, vt Regno in filium transfuso, Cisterciensium veste purpuram mutaret; atque ad Populetum Cænobium reliquam vitã exigere, eodemquè in Monasterio humari decerneret: Susceptis itaque ritè omnibus Sacramentis, sexagesimo tertio Regni anno obijt.* Hæc Rainaldus, qui piè decedentis è vita Regis recolenda in suis paginis signa meminit. Cui item sepulchralis instar tituli, quæ Mariana item scribit, postremo loco à nobis sunt inscribenda: *Obijt Valentiæ, Iulij die vigesimo septimo, fama ob magnitudinem rerum gestarum immortali. Religione, cuius studio ad duo millia templa extructa fuisse memorantur: dedicata arbitror ex ritu Christiano, Mauricæ superstitione expiata. Militia laudes, cuiuis veterum Ducum comparandus. Trigesies cum Mauris signa contulit secundo semper preliorum euentu; vnde preliatoris nomen tulit: tres, & sexaginta annos Regnum tenuit.* Et hæc de eo dixisse sufficiat; Cui post lubricas sæculi voluptates ad Deum feliciter traducto, dignas quoque arreptus Pœnitentiæ rigor laudes promeruit.

Iterum à praua mulieris consuetudine comminatis cēsuris abducitur;

Rainaldus an. 1276. n. 23.

Sub finem pœnitēs Cisterciēsium austeriora Instituta se suscepturum decernit.

Mariana lib. 14. c. 2.

Duo millia templa studio ipsius extructa, seu à prophano ritu vindicata.

Pœnitentia expiatus decedit.

18. Demum Magnus Suecię Rex, qui regnandi adductus cupiditate, Vualdemaro fratri Sueciæ Regnum abstulit, & illi Gothiæ sceptrum restituit; illud tamen laudabiliter præstitit, quod à Lincopensi Episcopo, alijsquè Proceribus admonitus, fratrem ob turpes, ac obscęnos (quibus diffluebat) amores, custodiæ, vt resipisceret, mulctando mancipauit. Verùm si quæ, humana fretus potentia, regias adeptus infulas, in administrando Regni clauo deliquit; toto ipse postmodum corde execratus, plura, pio quidem, & Christiano vri par est Principe, virtutum exempla præbuit. Nam cùm atrox pridem inter ipsum, & Brynolphum Scarensem Episcopum cōtrouersia fuisset oborta, hic Viri sanctitatem admirarus, suumquè seriò errorem agnoscens; flexo ante illum genu humiliter supplex ab eo veniam exoraturus, eidem accidit, ac multis item Ecclesiam honoribus, priuilegiorumque indulris cumulauit, & acerbissimas fratri demum iniurias condonando, sibi quoque à Deo veniam promeruit; quibus sollicitè suum è præsenti vita exitũ præmuniendum curauit, quem illi feliciter postmodum ex Gothicarum rerum monimentis contigisse constat, vt Ioannes Magnus egregius rerũ Gothicarum scriptor his verbis tradit: *Currente anno* (inquit) *à nato Christo M.CCXC. Rex Magnus considerans vitæ suę terminum aduenisse, complures Regni Proceres ad se conuocauit, eosq; ex lecto ægritudinis, quo decumbebat, multis, & saluberrimis consilijs adhortatus est ad publicam, & domesticam concordiam, ac pacem, quæ sola, atque vnica spes esset patrię conseruandæ. Hac exhortatione pręmissa, vnum ex præsentium Procerum numero Turgillum Canuti, Regium dapiferum, Regni gubernaculis vsq; ad maturam filij sui Birgeri ætatem admonuit; cui etiam præsentem Reginam, ac liberos sub multa verborum elegantia, & grauitate per manus commendauit. Postremò non sine adstantium lacrymis veniam erratorum precatus, rogabat suum funus apud pauperes Fratres S. Francisci in Stocholmia sepeliri: Sicquè sumptis more Christiani Principis Christianę fidei Sacramētis, transitorij Imperij sollicitudinem æterna felicitate feliciter commutauit.* Magnus igitur vt probè suo responderet nomini non sine magno, splendidoquè Christianarum vir-

Rainaldus an. 1290. num. 45.

Magnus Suecię Rex in Regni culmine post culpas pœnitens.

Deo, a se digna quam multa pęstat.

Magnus hist. Goth. & Sueon. lib. 20. c. 9.

Aegrotus Regno benè administrādo sapienter consulit.

Birgerum filiũ curę alterius cōmittens, veniam à cūctis poscit.

virtutum cumulo, ac simul exemplo, nec absque amplo meritorum, præmiorumquè prouentu, vitam à momentaneo ad æternum Christi Regnum properando conclusit. Sed haud vulgaria à tanto Principe Christianæ pietatis erga Deum exhibita virtutum documenta, idem, qui supra, prosequitur; dum auctas ipsius munificentia Ecclesias, & amplissimum ab eo Monasterium à fundamentis in B. Claræ honorem erectum his verbis meminit.

19. *Vix* (inquit) *in amplissimo Gothorum, & Suecorum Principatu Ecclesia, aut Monasterium, immò vix Sacellum, aut Altare aliquod inueniebatur, quod non fuerit eius liberalitate ornatum, aut magnificè dotatum. Cęterùm in Clerum, & Ecclesię libertatem pio, atque integerrimo studio ferebatur, summoperè contendens Christianum Sacerdotium per omnes terminos Imperij sui adeò felix efficere; vt nec Dani, nec Theutones, aut alia terræ liberaliores in Christi Ecclesiam videri potuissent. Fatendum tamen est inter eum, & Diuum Brynolphum, Scarensem Episcopum, ex illustri Folchunghorum familia natum aliquandò, grauem controuersiam incidisse. Sed cùm Rex multis argumentis considerasset eius sanctimoniam, & vitæ integritatem, prostratus ad pedes eius, suppliciter veniam impetrauit. Quas autem, & quàm gratiosas literas sub suæ Maiestatis sigillis in fauorem, & conseruationem Cleri, atque Ecclesię libertatem edidit, hic fortè in medium afferrem, ostenderemquè Gothorum, & Suecorum Principes semper fuisse sempiterna laude dignos, quòd suæ gentis Sacerdotes in summo honore præ cęteris nationibus habuerint; nisi hac nostra infelici tempestate tam infamis licentia subirrepserit, vt inter præclara opera habeatur, antiquorum Regum priuilegia in fauorem Ecclesiarum concessa rumpere, aut rapidis flammis abolere. Sed an hęc bonum finem sortiantur, futura tempora palam ostendent.* Hæc Magnus; qui, cùm hæresis in Suecia serpens acriùs vbiq; preualere cępisset, isthæc scriptis tradidit, acceptaquè ab Adriano VI. conscribendæ Gothicæ historiæ, ac Religionis tuendæ prouincia, ex impiorum, audacterque furentiū, ac debacchantium se manu subducere coactus; funesta, quæ sub hæc nostra tempora ab impijs Nouatoribus mala Ecclesiæ contigere, diuino afflatus Spiritu, suo quasi digito visus est præsagiendo monstrasse.

Magnus vbi supra lib. 20. cap. 7.

Pietas ipsius erga Deum, & mirus cultus religionis.

Supplex ad Brynolphi Scarensis Episcopi pedes ab eo veniam petit.

20. Insigne autem Christianæ tum pietatis, tum mansuetudinis exemplum tunc Magnus exhibuit, cum Vualdemarum fratrem, cum quo implacabiles iras, ac intestinas iugiter inimicitias exercebat, bello, armisquè deuictum, sibiquè pro vita supplicem, ipse nedum à se indignato animo non respuit; sed fraterni tunc potissimùm sanguinis, atque amoris memor, blandis tum verbis, tum officijs satis benignè excepit; adeò vt Gothorum Regnum volens, libensq; vltrò ipsi concederet, vt Magnus scriptor his verbis testatur. *Adductus* (inquit) *Vualdemarus, primùm supplex effectus, misericorditer secum agi rogabat. Deinde Regnum ad manus fratris reponens, asseruit se priuata vita sorte contentum, dummodò sibi saltem medietas in paterna hereditate permitteretur. Tum Dux Magnus sua innata bonitatis rationem habens, respondit: Scio, quia fratres sumus, & nimis inhumanum esse fraternam necessitudinem violare; quocirca si me in meo iure liberè permisisses, nec me tam graui odio ad tuę Coniugis suggestionem persequutus fuisses, nequaquam hoc bellum in te suscepissem. Agam tamen tecum ea, quæ me deducit humanitas; vt omnes agnoscant, me maximis beneficijs maximas iniurias compensasse. Statimquè conuocatis Proceribus, & Regni Consiliarijs, assignauit ei totum Regnum Gothorum, contentus in Regno Sueonum, sopitis illius domesticę discordię fomentis regnare. Itaque restituta fratrum concordia, tota patria cumulatissimo gaudio affecta exultauit.* Ingenti itaque fraternæ, ac recolendæ charitatis, ac miro insuper, insperatoque post iniurias indulgendi exemplo Rex virtute, ac nomine Magnus Christiano in Orbe præfulsit; dum non tam germanum fratrem, quàm iuratum sui hostem, nil tale cogitantem, promerentemquè, nouis sibi vltrò, ac inauditis beneuolentiæ signis obstrinxit, acceptasq; prestitis subindè beneficijs (quod rarū est) iniurias cōpensauit, certè ob id vnū dignus, qui Superum post mortem Choris, Pœnitentiæ clarus meritò aggregaretur. Et de his hactenus.

Rainaldus an. 1278. n. 63.

Quæ in Vualdemarum fratrem laudabiliter Christianæ charitatis signa exhibuit.

Magnus hist. Goth. lib. 19. n. 22.

Maximis beneficijs maximas iniurias compensat.

Magnus iustè ob magna virtutum exempla dicendus.

CAPVT

CAPVT V.

Pœnitentes lacrymis expiati è vita decedunt.

1 GRandem profectò apud Deum pœnitentium lacrymę vim, ac mercedem pariter obtinent, quarum *ea est* (Hieronymo teste) *magnitudo, vt aquarum diluuio comparentur*. Quæ item iuxta Ambrosij oraculum, *veniam non postulant, sed merentur*. Quapropter iure Propheta certam lugentibus, copiosamquè vnà simul remunerationem diuinitus repromitteus: *Quiescat* (inquit) *vox tua à ploratu, & oculi tui à lacrymis, quia est merces operi tuo*. Iudaicus quippe Populus de Babylonica erutus captiuitate non iam Babylonem plorabundis oculis, sed Hierosolymam vltrò inter respiciendum, & quasi præ lætitia gestiens cogitabat; & quia suam probè iam experimento captiuitatem nouerat, dilectam subinde lætus patriam, festinusquè suspirans, id ipsum (quòd pœnitentibus contingit) Diuino planè munere, & Sacramento occultiore, & quasi intéto digito prænūciabat. Lacrymę etenim offenso, iratoquè Deo; hominem, peccata protinus soluendo, ac diluendo conciliant, omnemquè interdum tam culpæ, quàm pœnæ reatum abolent; adeoque meritò Ambrosius: *Pænitentium* (inquit) *lacrymę apud Deum pro Baptismate reputantur*. Mūdus igitur ex immundo, torius que expers maculæ redit, qui ad Diuinum, & salubertimum hoc animi lauacrum accedit; nec dubię vnquam apud Deū fidei mortalium Pœnitentia existit, quæ compuncti cordis amaritudinē, profusis vltrò lacrymis portendit, ipsasque suæ testes, assertoresque apud Deum fidelitatis præfefert. *Sicut enim Pænitentiæ* (inquit Augustinus) *comes dolor est, ità lacrymę testes sunt doloris*. Compunctionis namque, & contriti cordis lacrymæ sunt, quę Deo inprimis placent, atque hominum potenter culpam diluunt, vbi enim gratis istæ in sortem peccatori obueniunt, Deumquè è proximo attingunt, nemini de obtenta proculdubio indulgentia, est ambigendum.

Hieronymus Psal. 31. n. 6.

Lacrymæ Pœnitentiū veniam non postulāt, sed merentur ex Ambrosio.

Ambrosius in Lucam.

Ieremia cap. 3. vers. 16.

Pœnitentiū lacrymę apud Deum pro Baptismate reputantur.

Ambrosius in Lucam.

Augustinus lib. de Pœnitentia.

Dolor Pœnitentiæ comes est, & lacrymę doloris testes ex Augustino.

2. Porrò vna hæc potissima lacrymarū prærogatiua agnoscitur, vt Cœlum propugnando, vim Deo faciant, ipsumquè hominum votis propitium, ac facilem reddant; vt probè rem, apposirèquè Ambrosius aliquando edisserens: *Vim* (inquit) *facimus Deo, non compellendo, sed flendo; non prouocando iniurijs, sed lacrymis exorando; &c. Beata violentia, quę elicit bonitatem à vim patiente, & vtilitatem tribuit inferenti*. Sic haud semel profectò immortalem Deum vim ab hominibus pari, & Cœlum diuinitus expugnari contigit; Sic Magdalena, sic Petrus, sic Publicanus, sic Cananæa, sic demum Augustinus, & quiuis alius ob culpā ingirer mœstus, ac lugens Pœnitentium Chorus suam non nisi lacrymis vim prodit, obtentaque proinde salubriter venia, de Deo tandem triumphat: *Deus enim* (vt ait Hieronymus) *qui nullis viribus superari potest, Publicani precibus vincitur*. Quod quidem haud satis ille Virorum Sanctissimus aliquando miratus, nec suis lacrymarum merita verbis æquare sufficiens: *O humilis* (inquit) *lacryma, tuum est Regnum, tua est potentia. Aspectum Iudicis non vereris, accusatoribus silentium imponis, &c. Si sola intres, vacua non redibis, vincis inuincibilem, ligas Omnipotentem*. Quibus sanè nil dictū maius, nil opere excellentius adinueniri potest, quandoquidem imbellis lacryma aduersus inuictū Dei fortitudinē pugnando sic præualet, quod & in Sanctis quibusque, qui aliquando fragiles vti homines peccarunt, sed posteà expiati lacrymis feliciter sunt, videre est, quorum vnus, ac omnium signifer Dauid, cùm olim à Propheta corriperetur; *Confessus* (ait Ambrosius) *ingemuit culpa dolore, &c. Peccauit Dauid, quod solent Reges, sed Pænitentiam gessit, fleuit, ingemuit, quod non solent Reges. Confessus est culpam, obsecrauit indulgentiam, humi stratus deplorauit ærumnam, ieiunauit, orauit, Confessionis suæ testimonium in perpetua sæcula vulgato dolore transmisit, &c.* Quantùm verò Regio homini lacrymæ suam fatenti culpam profuerint, indulta mox illi diuinitus venia ostendit: *Denique* (inquit Ambrosius) *Dominum dolor intimi mouit affectus, vt Nathan diceret: Quoniam pænituit te, & Dominus transtulit peccatum tuum. Maturitas*

Ambrosius ser. 1 de Pœnitentia.

Vis Deo fit non compellendo, sed flēdo ex Ambrosio;

Hieronym. Epist. 26. ad Damasum.

Pœnitentes suis vim Deo nōnisi lacrymis faciunt;

B. Laurentius Iustinianus lib. de ligno vitæ cap. 9.

Quāta lacrymarum vis.

Ambrosius Apol. Dauid. cap. 2.

Dauid pro culpa dolēs, culpam diluit.

Ambrosius vbi supra.

Petrus post culpam amarè flens, pro culpa satis Deo fecit.

tas itaque veniæ profundam Regis fuisse Pœnitentiam declarauit, quę tanti erroris offensam traduxerit. Petrus autem sic fœdam suæ post Dauidem negationis noxam diluit, sic lacrymis expiauit; vt magis, magisquè flendo in Dei amore, benignam ipsius cumulatissimè gratiam cõsequutus profecerit: *Conuersus Dominus respexit Petrum, &c. & exiens foras fleuit amarè.* Quod & in rẽ aptè Augustinus expendens: *Petrus* (inquit) *doluit, & fleuit, qui errauit vt homo. Non inuenio, quid dixerit; scio quod fleuerit, lacrymas eius lego &c.* Sic suam profectò Pœnitentium lacrymæ apud Deum causam perorant, vt citò certam salutis spem, ac veniam vltrò flentibus è Cœlo reportent.

Lucæ 23.61.

Augustin. super Psal. habet can. de pœnit. d. 2. §. quia apud Deum.

3. Itaque peccator, vbi pœnitendo lacrymas fundit, suam Deus desuper gratiam infundit, & mox lugentibus, quemadmodum & ipsis Cœlum Martyribus patet, quia accedentes de facie agnosci duntaxat; probari autẽ opus non habent, qui vel per sanguinem, aut certè per lacrymas in Cœlum admitti, Chrisostomo teste, postulant: *Magna* (inquit) *lacrymarum est vis. Vis dicam? Maximum virtutis munus est martyrium; quia Martyres sanguinem fundunt. Et vt quanta sit lacrymarum vis, intelligas; meretrix illa sanguinem fudit? lacrymarum fontes effudit, & sic peccata diluit.* Tantum igitur ad abluendas, expiandasquè animi labes, lacrymæ se ipsis valent, vt velut aqua corporis sordes, sic lacryma animi labes potenter vltrò diluat; adeoq; aptè idẽ Chrysostomus: *Peccata tua* (inquit) *in libro scripta sunt, spongia autem instar sunt lacrymæ; lacrymas mitte, & obliterantur; lacrymas mitte, & purus liber inuenitur.* Vt assertionis verò propositum, tum antiquæ, tum recentis quoque memorię exemplis firmetur, nonnulla ex his, quę in præsentem rẽ faciunt, recẽsendo; Certè siquidẽ lacrymæ, & si lingua taceat, nec quid postulet; à Deo tamen flentibus veniam merentur, vt & suo olim Augustinus, vbi primũ ad Deum conuersus est, satis experimento probauit. Ipse etenim, vt quiuis alius è Pœnitentium numero Deum fiducialiter alloquẽs, illud meritò vsurpare potuit: *Deus* (inquit) *annunciaui tibi; posuisti lacrymas meas in conspectu tuo.* Suas namque dum seriò culpas aliquando recogitans, vitam pariter prauis exactam libidinum irritamentis ante Deum recoleret, & lacrymis vtpotè salubriter expiari intelligens, in suis ille Confessionum libris præsentaneum Mundo remediũ prodidit; hæc enim habet: *Vbi* (inquit) *à fundi arcano alta consideratio contraxit: & congessi totam miseriam meam in conspectu cordis mei, oborta est procella ingens, ferens ingentem imbrem lacrymarum; Et vt totam effunderem eam vocibus, surrexi ab Alipio: solitudo mihi ad negotium flendi aptior suggerebatur. Et recessi remotiùs, quàm vt posset esse mihi onerosa eius præsentia. Et ego sub quadam fici arbore straui me, nescio quo modo, & dimisi habenas lacrymis, & proruperunt flumina oculorum meorum acceptabile sacrificium tuum. Et non quidem his verbis, sed in hac sententia multa dixi tibi: Vsquequò Domine irasceris in finem? Ne memor fueris iniquitatum nostrarum: Sentiebam enim ab eis teneri, & iactabam voces miserabiles: Quandiù, quandiù? cras, & cras. Quare non modò? Quare non in hac hora finis turpitudinis meæ? Dicebam hæc, & flebam amarissima Contritione cordis mei.* Deus igitur ipsius lacrymas in suo conspectu posuit, vt manifestè facta è Cœlo vox, altiùsq; cordis auribus insonãs docuit: *Tolle, lege; Tolle, lege Augustine.* Quo quidem ille desuper vocis sonitu, vt Apostolicum, quem propè habebat, Codicem aperiret, admonebatur. Legens igitur suis illa potissimùm obiecta oculis verba offendit: *Non in cubilibus, & impudicitijs, non in contentione, & æmulatione; sed induimini Dominum Iesum Christum.* Statimq; post largum lacrymarum imbrem, ac turbati inter cordis procellas tam magna verę, ac beatæ perennitatis lux ipsius menti affulsit; vt tenebræ è conspectu omnes procul, dicto citiùs aufugerent.

Chrys. hom. 2. in Psal. 50.

MartyrDeo sanguinem, Pœnitens lacrymas offert, ex Chrysostomo.

Chrysost. vbi supra.

Deus Pœnitentium lacrymas in conspectu reponit.

Ambrosius super Lucam. Psal. 55. n. 9.

Augustinus Confess. lib. 8. Conf. 12.

Augustinus post lacrymarum imbrem, animi tranquillitatem recuperat.

Augustin. Confessionũ lib. 6. vbi supra.

Lugens, è Cœlo vt sacrus Codicem Apostolicum legere iussus.

Ad Rom. cap. 13.

4. Atqui supernam Pœnitentiũ lacrymæ lugentibus consolationis gratiã Cœli gaudia vti certum salutis pignus afferũt, ipsiusq; Christi ore pro mercede operis, Beatitudinem vitę repromittunt: *Beati* (inquit) *qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.* Quod sanè Ludouicus Cardinalis Alebretensis, SS. Petri, & Marcellini dictus, vel suo cunctis experimento testatus est. In ipso etenim iuges *lacrymæ factę sunt fons aquę salientis in vitam æternam:* Quem item ob suauissimos mores, ac

Qui lugent culpas, à Deo consolationem accipiunt.

Matthæi c. 5.

Ioan. cap. 4.

Rainaldus an. 1465. n. 15.

ac præclaras animi dotes Iacobus Cardinalis Papienſis dignus eiuſdem collegæ Sacri Cardinalium Collegij amorem, ac delicias miro planè meritorum elogio nuncupat; is verò ſuam tum vitam, tum mortem, vtpote aſſiduè plorans, & inter lacrymas reſpirando ſuauiter contabeſcens, lacrymis decorauit, eiuſquè obitum auctor recenſens Franciſco Piccolomineo Cardinali Senenſi, qui poſteà Romanus Pontifex, Pij III. nomine ſalutatus eſt, his planè verbis exponit: *Admirabilis*(inquit)*fuit hic tranſitus eius. Moriturum ſe noſcens, cogitare, & loqui alia de re, preterquam de ſalute animæ non paſſus eſt: fuerunt ſibi lacrymę ſuę panes, dum recogitauit annos preteritos; cubiculum eius aſſiduis queſtibus, & compunctionibus cordis repletum eſt. Sacramentum Domini Noſtri Ieſu Chriſti ſumpturus, è lecto ſe in terram iuſſit deponi, nec aliter Deo ſuo communicandum putauit; horas Canonicas non ante dimiſit, quàm à voce eſt ipſe dimiſſus: inter orandum, ſi quandò labente iam memoria alicuius verſiculi eſt facta amiſſio, toties iterauit, donec quod exciderat, eſt aſſecutus.* Cùm ab ijs vacabat, *Paſſio Saluatoris noſtri legebatur aſſiduè, inter audiendum non ceſſabat ſuſpirium, & fletus.* Pijs verò ſubindè eius narratis actibus, ad preces pro Ludouici anima è purgatorijs pœnis releuanda ſic Franciſcum Cardinalem ſubmonet: *Dilectio*(inquit)*noſtra, ſi fructuoſam eſſe optamus, in orationibus ſit, & pijs ſuffragijs: hęc ego præſtiti, & preſto, quantum poſſum, idem queſo, faciat bonitas tua. Commendatur permultùm hæc pietas, dicente ſcriptura: Sancta, & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare; vt à peccatis ſoluantur. Tricenas Miſſas Gregorianas animæ fratris, & collegæ inſtitui, ſi totidem inſtitueris tu, rem meo iudicio piam, & ſalutarem inſtitues: Menſura illa metietur nobis, qua nos alijs menſi fuerimus; vt habeamus, qui noſtri ſint memores, cùm moriemur, mortuorum nos habeamus memoriam.* Ludouicus igitur vel ſub mortem ſemper Deo viuendi cupidus, miram in Deum pietatem exhibens, Minoritarum Ordinis veſtem aſſumens, ipſius & cultu indui ſe voluit, quo & ipſius cadauer in Araceļitana Virginis ædc marmoreo ſepulchro illatum, Lucas Vuaddingus in ſuis Annalibus tradit; ſic ſuis condignam lacrymis, ac ſingultibus veniam à Deo ſub vitę finē vir Cœlo planè dignus, cunctiſque futurus exemplo exorauit.

Ludouicus Card. Alebretēſis pro dignus miri ſice in lacrymis profundeodis.

Iacob. Card. Papienſis Epiſt. 136.

Eius præconia Iacobus Cardinalis Papienſis celebrat.

Fuerunt ipſi lacrymæ panes die, ac nocte culpas recolenti.

Iacob Card. Papien. vbi ſupra.

Sub vitę finē Minoritarum veſtem, purpurę pertæſus induit, & ſic obit.

Lucas Vuaddingus in Annal. Min. an. 1465. n. 9.

5. Et lacrymæ quidem, vbi offenſi præſertim, ac iuſti faciē Iudicis præueniunt, mox ipſum peccatori propitium, & ex irato placatum reddunt; adeoquè: *Tribunal Iudicis*(vt ille ait)*non verentur, accuſatoribus ſilentium imponunt*: Quod certè Carolus Ambaſianus, apud quem tum Gallici in Italia exercitus, adminiſtrandiquè belli imperium erat, ſe ipſo ſatis oſtendit. Cœleſtibus namq; ad Pœnitentiā portentis nedum inuitatus, ſed & terroribus item compulſus profecit, ac humilī à ſe admiſſi in Pōtificem reatus contumaciam Confeſſione, & triſti poſtmodū fato ab ſumptus expiauit. Cùm iam enim ipſe Mutinæ Vrbi, quæ tunc ſe Pontificiæ ditioni ſubiecerat, ſuis maximè infeſtus armis obſidionem pararet; à S. Geminiano eiuſdem olim Ciuitatis Epiſcopo, noctu per viſum territus, mox vel inuitus animi conſilium mutauit. Erumpentes quippè Vir Sanctus è Mutina armatorū hominum phalanges illi videndas obtulit: Quo viſo Gallorū ſubindè exercitus Mutinenſium prędis inhians, ſpectris eiuſmodi à furendo cohibitus, ſe protinus in fugam dedit, liberamquè ab iniurijs, & à prædando Vrbē reliquit; vt in MS. Gallonij res fuſius traditur: *Itaq;* (inquit) *factum eſt, vt B. Geminianus ſub ſenis ſpecie Carolo Ambaſiano ibidem occurreret, ſeque nuper ex Vrbe profectum ſimulans, his verbis percontaretur: Quò tenetis iter, Mutinam ne tenditis? eam fortè imparatam offendere putatis? Heù miſeri! quàm longè falſa ſit opinio veſtra, mox videbitis, & c. proculdubiò impetum ſuſtinere minimè poteritis, & c. ad vnum omnes obſidione occidemini. Confeſtimquè digito eis oſtendit erumpentem porta exercitum, eorumquè viſus eſt videri oculis, itemquè auribus audiri tympanorum horribilis ſonus, tubarumquè clarus clangor. Quibus viſis, auditiſquè, tantus ferocibus, ac inuictis animis iniectus eſt terror; vt diſſipati, ac palantes, nullius rei, niſi fugæ memores, vanis hoſtibus terginerſarentur, ac in traiectu effuſi iam fluminis ſexcenti ferè milites ſubmergerentur, cæteri partim Herberiam, partim Regium, alij Corrigium fugientes ſe reciperent, & c.* Carolus verò triſti, funeſtoquè ſuorum caſu, & cœ-

B. Laurent. Iuſtinianus lib. de Ligno vitæ cap. 9.

Lacrymę Tribunal Iudicis non verentur.

Rainaldus an. 1511. n. 66.

Ex MS. Gallonij Vallicel. Biblio. ſign. lit. B pag. 323.

Carolus Ambaſianus Gallorum exercitus Dux poenitentia culpas expiat.

Rainaldus vbi ſupra.

& cœlesti item visu præmonitus, ac sibi postmodum instare vitæ finem intelligēs, sucepti per scelus aduersus Romanam Ecclesiam belli piaculum ex corde retractans, atquè amarulenter dolens, cùm ipsum gestarum hactenus rerum pœniteret, misso confestim Oratore, patrati à se criminis veniam; & vt Pontificijs, quibus innodatus fuerat ob malè Pontificē habitum, censuris absolueretur, supplex ab eo petijt: Antequàm verò indultæ sibi veniæ nuncium acciperet, verè contritus, ac verè pœnitens è vita migrauit, vt ex M.S. supra recensitis constat: *Carolus* (inquit) *ipse Ambasianus Corrigium aufugit, ibiquè seu visa rei horrore, seu fugiendi labore, vel alia quapiam causa vi morbi correptus; cùm propè esset, vt mortem cum vita commutaret, Reuerendo Patri Angelo de Fauentia Ordinis Prędicatorum inter suorum peccatorum Confessionem, quod nocte viderat, reuelanit; & venerandi senis relationem, omniaquè ex ordine visa peregit, &c.* Pœnitens igitur, ac dolens intimè, ipsaque in arma ad pœnitendum è Cœlo edoctus, culpæ à se in Pontificem admissæ supplex veniam precatus, magna salutis spe viuendi finem fecit.

Suorum clade, & obiecto visu diuinitus terretur.

MS. Gallonij vbi supra. Bibliotheca Valli celi.

Modo correptus Sacerdoti peccata confitetur, & quod viderat, reuelat.

6. Porrò Pœnitentium lacrymę supernis gratę, acceptęquè adeò sunt Ciuibus; vt tam in peccatoribus, quàm in ipsismet iustis carum Deus maximè aspectu arridendo delectetur. Quo illud lugentibus Chrysostomi oraculum meritò consonet: *Nihil* (inquit) *est lacrymis iucundius. Quonit risu hę incundiores. Sciunt, qui lugent, quantam hac res habeat consolationem.* Quod item Ambrosius inculcās: *Nō solus dolor* (inquit) *lacrymas habet, habet, & lætitia lacrymas suas. Lacrymæ ergò pietatis indices, non illices sunt doloris.* Quapropter meritò vera à Deo cōsolario Pœnitentium lacrymis iuxta Chrysostomi verbū refunditur. *Itaque si vis* (inquit) *consolari, luge*: Ita planè religioso Viro olim accidit, qui totus Pœnitentiæ addictus, ac lacrymis vberrimè perfusus, ad Coeli demum gaudia feliciter euolauit; de quo isthæc in Fratrum Eremitarum gestis: *Erat quidam Frater iuuenis in Reatina Ciuitate, nomine Ioannes, simplex, humilis, & semper iucundus, &c. Hic Frater solitus erat ingredi hortum Conuentus, & dum exiret, visus est sæpius lacrymas fudisse, & interrogatus quadam vice, cur fleret? Respondit; Quia video herbas, arbores, & arbusta, volucres, & terram cum suis fructibus obedire Deo; & homines, quibus pro obedientia promissa est vita ęterna, transgredi præcepta Creatoris sui. Hæc gemo, & defleo. Huic Fratri felicis memoriæ per aliquot dies ante obitum philomena veniens singulis diebus ante fenestram suā, dulciter cantabat. De quo mirantibus Fratribus, & interrogantibus, quidnam hoc esset? Respondit subridendo quasi iocularitèr, Sponsam suam esse inuitantem eum ad Paradisum. Quadam autem die, ministrante ipso ad Missam, vidit super Altare lucem cælicam, & eadem die cœpit decumbere, & cum magna deuotione spiritum reddidit ei, qui fecit illum. Et infra eundem annum Deus per ipsum Sanctum Fratrem fecit circiter CL. signa gloriosa.* Et miris planè signis istius è Cœlo probari lacrymæ meruere, vt mirus apud Deum earundem Pœnitentibus valor innotesceret.

Chrysost. in psalm. 6. & hom. 5. in cap. 5. Epist. ad Coloss. Amb. Orat. de obit. Valentiniani.

Pœnitentibus consolatio à Deo promittitur.

Ex Magno speculo Exemplorum dist. 7. exemp. 66.

Religiosus in lacrymas compunctionis soluitur.

Qui lacrymis diù vacauit, conuerso in gaudiū luctu lętus moritur.

7. Tanto quippe apud Deum in honore Pœnitentium lacrymæ habentur, & flentibus ipsis dulces adeò; vt tùm Deo, tum homini suaues semper accidant, arrideantquè, adeoquè vel compunctionis, vel potiùs consolationis lacrymę nuncupandæ meritò sint. Quod præsertim in Beato olim Petro à Rosia Eremitarum item Ordinis S. Augustini assulsit, qui vulgò ob lacrymarum (quibus iugiter madebat) imbrem, vulgò plorans dictus est; de quo isthæc in Fastis Senensibus Auctor: *En iterum* (inquit) *Petrum amarè flentem, sed nullum abnegati Magistri ob crimen, nec medias modò inter tenebras à gallo excitatum ad lacrymas immò profusis ploratibus dies, noctesquè vacantem. Neque verò ex Heracliti sententia; perspectis humanę conditionis miserijs, illas lacrymas dabat; quando ei se officio ipso nascentis vita in limine abundè satisfecisse sciebat, quo primùm tempore nomen suum inter ærumnosos vallis lacrymarum incolas professus est. Sed liquidissimi illis commiserantis cordis argumentis profequi studebat Petrus Reparatorem suum Cruci defixum, hoc est ipsam Cæli letitiam tetrè doloribus funestatam. Si quando obijci sibi ex Apostolo accipiebat, hilarem à Deo datorem diligi, respondere solebat: Quin ergò me Deus prolixiùs diligat hilarem quoq; datorem lachrymarum?* Eadem,

Fasti Senens. pag. 45 Herera in Alphabeto Augustin. lit. P. ex Torello Centur. 2. Augustin. illustriū cap. 80.

B. Petrus de Rosia Eremitarum S. Augustini ob ingens lacrymas, dictus vulgo plorans:

Egregius Petri Apostoli flentis æmulator;

dem, qua doloris filia, lætitia Parens est lachrymarum: Hac planè cordis mei voluptas vnicè iucunda est, dolenti Domino condolere, &c. Sic Petrus suo contra vetus dictum exemplo probabat, lacrymis vena Diuini amoris irriguis nil tardius arescere. Cæterùm Beati Viri cor tanta perennis fletus redundantia nequaquam diffluxit, sed planè integerrimum mansit, vinidaquè virtutum omnium perstitit firmitate, &c. Et verò si lacrymas tandiù seuit, quid superaret, nisi vt ex Regij vatis oraculo gaudia meteret. Sic lacrymæ tum Deum amantibus, tum Pœnitẽtibus ob eius seruandam, aut certè promerendam gratiam præstò semper in oculis sunt. Quo & illud Augustini adimpletur: *Quia dulciores* (inquit) *sunt lacrymæ orantium, quàm gaudia Theatrorum*. Ità planè.

Cor assiduis lacrymis madidũ, Diuinis quoque virtutibus foecundum.

8. Suã itaq; à lacrymis mortaliũ culpę, quantùmuis insordescentes, quantùmuis enormes, gratiã accipiunt; & non secus ac saluberrimi fonte Baptismatis, lacrymarũ imbre, ac velut diluuio in maris profundo abolentur: Nedum etenim ipsis illico pœnitentium sordes expiantur, quemadmodũ & ipsęmet, in quibus peccata adnotanda sunt, paginę lacrymis quandoque respersæ confitentem diuinitus absolutum, ipsasq; peccatorum labes omninò ablatas, deletasque cunctis ingenti quandoque prodigio testantur; vt ex supra narratis in iuuene illo accidisse constat, qui, cùm grauioribus culpis obnoxius immanè se ipsum, ac peccata horreret: Sed præ nimia cordis Compũctione oretenus hæc Sacerdoti confiteri haud posset, Religiosus Vir potestate sibi ab eo facta conscriptam ipsius schedulam, in qua singula quoque notabantur peccata, Abbati pro congrua ipsi iniungenda Pœnitentia ostendens; lacrymarum, & Contritionis vim probè in ipsamet schedula magno pœnitentium documento didicit. Hæc enim Auctor: *Respiciens* (inquit) *Abbas, nihil in ea scriptum reperit; dicitquè Priori, cur schedulam talem, in qua nihil scriptum sit, porrigat? Hac vt Prior audit, miratur, respicit & ipse, nihilquè videt. Tum ad Abbatem, &c. Vt video, misericors Deus illius lacrymas, & Contritionem attendens, culpam iam sufficienter punitam ipse deleuit, siquidem ipsius scripti obliteratio, lacrymarum eius effectus est, & delicti abolitio. Aduocant igitur Pœnitentem, exhibent schedulam, peccata diuinitus ei deleta significant: & nullam ei iniungentes satisfactionem, monent; quatenus Deo de perceptis beneficijs gratias agat, & de cætero cautiùs viuat. Statimquè in tantum cor eius ex magnitudine gaudij est dilatatum, in quantum priùs ex tristitia magnitudine fuerat angustiatum.* Hæc Cæsarius. Quo sanè portento Pœnitentium culpas lacrymis potenter dilui, ac penitus quod aduersus nos scriptum est, quandoque obliterari chyrographum è Cœlo desuper ostensum est.

Cæsarius lib. 2. c. 12. mir. 1. cul.

Iuuenis culpas, quas prę dolore confiteri non poterat diuinitus vi lacrymarum deletas intelligit.

Maior vis lacrymis ad obliteranda peccata, qui aquis ad obliterandas schedulæ notas.

9. Demum vel sola interdum ad obtinendam pro maximis quibusque culpis peccatori indulgentiam lacryma, si intimo ex corde proueniat, abundè sufficit; adeoq; vel vnica magnas, innumerasquè criminum notas in Dei libro conscriptas sic protinus delet, vt quod olim de Magni Alexandri Matre apud filiũ pro reo morti destinato patrocinante dictum profertur: *Vel vnica Matris lacryma multas delebit epistolas*. Idem planè peccatori vnica dolentis animi, & compuncti cordis lacryma proculdubio præstat, quæ ad abolendas immanium criminum notas satis, ac se ipsa efficax est. Cùm igitur lacrymæ tantum ad expiandos quibusuis culpis animos virium obtineant, suam vnusquisque apud Deum non tam verbis, quàm lacrymis tutò causam peragit. Indulgentia etenim contritis corde deesse haud vnquam potest, vbi lacrymæ ad exorandum, implorandumquè non desunt. Quapropter Marchantius nouissimi sæculi scriptor, & libri (qui Hortus Pastorum dicitur) Auctor, in rem præsentem hęc habet: *Audiebam* (inquit) *ego quondam militis cuiusdam septemnalem Confessionem varijs criminibus refertam, cùmquè eius statum peruidissem, sollicitus eram de Contritione, quia satis suè more militari sua eloqui videbatur. Interrogabam semel, & iterum, & vrgebam, an verè, & ex animo Contritionem haberet adeò enormium peccatorum? Respondebat mihi, quòd sic; sed sat languidè. Subieci ego, me ambigere de ipsius vero dolore, quòd tam languidè, & sic peccata illa grauia confitendo sese gereret, & quasi sine spiritu, & sensu. At ipse: crede mihi (inquit) ego de illis plurimùm doleo; statimquè in his verbis*

In gestis Alexandri Magni.

Suam vnicuique apud Deum lacrymis salutis negotium agendum.

Marchant. in Horto Pastorum tract. 5. Candelabr. Mysti pag. 656.

Miles septẽnalem peccatorũ Confessionem apud Sacerdotem instituens, dolorem cordis lacrymis prodit.

bis percutiens pectus, cum profundo suspirio vnum, vel alteram lacrymam excussit. *Respondi ego: Sat nunc mihi est manifesta. Vtique pluris feci à tali viro vnum singultum, aut lacrymam, quàm multas lacrymas alicuius mulierculæ ex teneritudine quadam naturali facilè fluentes, etiam sine profunda Contritione; vel quàm verbosas protestationes aliquorum de dolore, quem sæpius plus exteriùs preferunt, quàm sit interiùs.* Hæc ille. Quibus aptè solemnis, quam deuotus inter scriptores Thomas à Kempis refert, sententia consonat: *Opto* (inquit) *magis sentire Compunctionem, quàm scire eius definitionem.* Sed iam de Pœnitentium lacrymis narrandi finis; vt tamen ad Deum placandum dolendi, ac plangendi quiuis Pœnitens finem haud vnquam faciat.

Optandum magis sentire Compunctionem, quàm eius scire definitionem.

Thomas à Kempis in libro de Imitat. Christi.

CAPVT VI.

Qui Deum grauiter aliquando offenderant, condignis pœnis culpas redimunt.

1. HAec siquidem ritè, veraciterq; Pœnitentium forma, ac iusta item eorundem, illibataq; post acceptam à Deo peccatorum veniam lex est; vt rectè in posterum semper agendo, mores potiùs, quàm vestes, ac vitam magis, quàm nomen haud perfunctoriè pœnitendo immutent, ac vitia denique prioris vitæ exuentes, pari mentis studio, ac animi sollicitudine virtutes induant, & sic ad vlteriora expediti contendant. Quapropter Regius Psaltes sui vnumquemque officij sedulò admonens: *Declina* (inquit) *à malo, & fac bonum; inquire pacem, & prosequere eam.* Ab horum quippe vno pari ad aliud gressu in virtutum stadio proceditur, nec vnum quis absque altero, Hieronymo teste, consequi valet: *Nisi oderimus* (inquit) *malum, bonum amare non possumus; & pax quærenda est, vt bella fugiamus.* Enimuerò quid tandem homini prodest verbo duntaxat Pœnitentiam, haud factis ipsâ præferre; nec tam sordidos mores, quàm vestimentorum sordes deponere: *Inanis quippe est* (vt Augustinus ait) *Pœnitentia, quam sequens culpa coinquinat; & nihil prosunt lamenta, si iterantur peccata.* Hinc congruè aliquandò Hieronymus illos iustissimè carpit, conceptisq; perstringit verbis, qui sæculo se abdicantes; at nil de sæculi moribus immutando, se tamen Deo inseruire arbitrātur, cùm hi alioqui ex illorum sint numero habendi: *Qui postquam* (inquit) *renunciarunt sæculo, vestimentis duntaxat, & vocis professione, non rebus, nihil de prima conuersatione mutarunt.* Quo quidem viuendi genere, ac Pœnitentium moribus, cùm ipsius Pœnitentiæ normam, nō tam verè sectentur, quàm per dolum simulent; nil quidem solidum, ac stabile, nil Deo dignum, Hieronymo affirmante, protenditur: *Summæ* (inquit) *stultitiæ est renunciare sæculo, dimittere patriam, Vrbes deserere, Monachum profiteri; & inter maiores Populos periculosiùs viuere, quàm quis erat victurus in patria.* Haud secus, si quis ad Pœnitentes suū à Monachis sermonē inflectat: Stultus planè inter Pœnitentiæ cultores, & in ipsius Christi schola simulator procul dubio renunciandus est; qui solo pœnitentium nomine, ac pallio contentus, nil Deo, & Pœnitentia re ipsa dignum in moribus exhibens, periculosiùs adhuc sibi malè, ac inter bonos malosque blandiens, in virtutis palestra sola duntaxat boni larua contentus inimicè viuit.

Duo pœnitentibus ex Dei iussu facienda. Recedendum à malo, & bonum faciendum.

Psalmo 36. 27.

Hieronymus epist. 13. ad Rusticum.

August. in serm.

Inanis Pœnitentia, quā sequens culpa coinquinat ex Augustino.

Hieronymus epist. 13. ad Rusticum.

Hieronymus vbi supra.

Haud solo pœnitens nomine, sed re debet esse cōtentus.

2. Mores igitur, vt seriò quis, ac veraciter Pœnitentiam foris exhibeat, sunt immutandi, quo & illud Apostoli adimpleri contingat: *Exuentes* (inquit) *veterem hominem cum actibus suis, induite nouum hominem, qui secundum Deum creatus est;* adeoquè vnicuique probè solemne illud occinat, quod manifestum Pœnitentiæ symbolum est: *In nouitate vitæ ambulemus.* Quæ vitæ nouitas tunc potissimùm nouitas elucet, cū procul culpis abdicatis omninò, pari Christianæ virtutes animi contentione quæruntur vt ipse aliquando Apostolus cunctis à praua sæculi via recedentibus, sapienter hunc in modum inculcat: *Sicut* (inquit) *exhibuistis membra vestra seruire iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibe te seruire iustitiæ in sanctificationem.* Haud enim blandis sæculi nugis, ac vetitis itē rerum carnalium gaudijs carere satis est; nisi quis noxias pœnis vltrò sibi præscri-

Apostolus ad Ephes. 4. v. 24.

Quantum vitijs, tantū item virtutibus studij, ac laboris impendendum.

Apostolus ad Romanos 6. v. 4.

ptis voluptatum illecebras, & lacrymis, vana sæculi, ac deliciarum oblectamenta compenset. Quantum enim ipsum aberranti peccatum in delicijs fuit, tantum sibi pœnitendo postmodum luctum indicat, necesse est, quò *dignos* (vt Ioannes monet) *faciat Pœnitentiæ fructus*. Quod sanè verbum haud perfunctoriè olim Ioannes in deserto, ipso Gregorio teste, sed grandi profectò Pœnitentium lucro simul, ac documento insonuit: *Per hoc* (inquit) *quod dicitur: facite fructus dignos Pœnitentiæ, vniuscuiusque conscientia conuenitur; vt tantò maiora acquirat bonorum operum lucra per Pœnitentiam, quantò maiora sibi intulit damna per culpam*. Pœnitentia igitur homini aduersus se ipsum ad faciendum Deo satis, bellum indicit, ac iustis, promeritisque anteactas scelerũ culpas subinde mulctis vindicare non desinit, promptè adeò, libenterquè; vt pœnis postmodùm saginari exambiens, cruciamenta pro lucro, ipsaque pro ludo tormenta ducat: Quapropter Pœnitentium quisque iuxta solemne Augustini verbum, dum se in Deum deliquisse meminit; æque pro animæ vita, sollicitus est, quàm hominum quisq; pro vita corporis anxius esse deprehenditur: *Cum gaudio* (inquit) *debet facere immortalis futurus, quæ faceret pro differenda morte moriturus*. Quod sanè Pœnitentium nonnulli acerbis post culpas seipsos pœnis exercendo, de quibus hic sermo est, non absque magno, tum labore, tum fructu præstitere.

Lucæ Ep. 3.

Digni Pœnitentiæ fructus faciendi.

Gregorius hom. 20. in Euang.

Quid sit dignos facere Pœnitentiæ fructus ex Gregorio, & Augustino.

Augustin. in serm.

3. Id sanè Reecensuinthus olim Hispaniarum Rex sui exemplo docuit, qui cùm pridem sæculari fretus potentia, multa hominis instar peccasset, in alterum planè Virum Deo aspirante mutatus, & ex lupo agnus euadens, cùm S. Idelphonsum Toletanum Episcopum, quem vltrò monitorem sentiebat, iniquè admodum ferret; præstito subinde ad Sanctę Leocadiæ Virginis sepulchrum quodam diuinitus portento, sui resipiscens agnouit errorem. Enimuerò dum præsens ibi esset, ipso recurrente festiuæ solemnitatis die (vti mos est) eiusque reserato subinde tumulo velum, quo corpus Virginis tegebatur, prodire foras contigit, non secus, ac sponte ipsamet adstantibus sua præcidendum manu offerret: Tunc igitur Rex cultrum ad incidendum præbens, abscissa inde particulam minimè apud se; sed intra thecam postea argenteam, quid veluti sanctitatem redolens, claudēdum voluit. Quoquidem viso Regium tum fastum, ac animi ferociam mitescendo deponere, tum Sancto Viro se facilem præbens, posthac se humiliter hominem agnoscendo, gerere didicit: Sed isthæc Iulianus Ecclesię Toletanæ Diaconus in prædicto volumine S. Idelphonsi de intemeratæ Dei genitricis Mariæ laudibus, ipsiusmet Idelphonsi res gestas describens, sic meminit.

Baronius an. 672. num. 15.

Recensuinthus Hispaniarum Rex pœnitens in alterum penè mutatus.

Portentum illi exhibitũ.

Baronius an. 657. n. 45.

4. *Sed & Princeps* (inquit) *quondam Recensuinthus, qui eo tempore erat, gloria, & ferocitate terrena deposita, qui cum (ob iniquitates suas increpitus) superbo oculo intuebatur, cultrum modicum, quem in theca manu tenebat, cum lacrymis offerebat, & collo submisso supplices manus à throno suo extendens; vt eum illi deferrent, instanter deprecabatur, postulans vt indignum non iudicaret sua cum lacrymis offerentem. Quem ille apprehendens, quod manu laua iam modicum tenebat, dextera præcidit; & cultrum ipsum vnà cum eisdem reliquijs, thecis argenteis collocauit, indignum indicans, vt qui sancta præciderat, vltrà pollnta tangeret*. Hæc ille, qui & de Rege ipso ad solemnia Assumptæ B. Virginis celebranda ad Ecclesiam prodeunte, isthæc habet: *At vbi ventum est ad eius solemnitatem, supradictus Rex minùs de timore Dei sollicitus, & de suis iniquitatibus malè conscius ad audienda solemnia solemni de more accessit*. Rex igitur, qui dudum peccauerat, vt pro suis Deo culpis faceret satis, deuotam pijs operibus manum admouens, Ecclesiam in honorem S. Ioannis Baptistæ exædificauit, hoc nobili carminum tituli adinstar elogio decoratam.

Ex fastoso, & feroci humilis, ac mitis.

Iulianus Diac. in gest. S. Idelphonsi.

Pia Regis in Deum, & erga res sacras religio.

Præcursor Domini, Martyr Baptista Ioannes,
Posside constructam in æterno munere sedem,
Quam deuotus Rex Reccensuinthus amator
Nominis ipse tui proprio de iure dicaui,
Tertio post decimum Regni Comes inclytus annos,
Sexcentũ decies AEra nonagesima nonã.

Baronius an. 661. n. 3.

Templum in honorem S. Io: Baptistæ ædificat.

Rex

Rex quippè, qui antè multa deliquerat, Pœnitentiam sectari cupiens, vt suis à Deo veniam culpis consequeretur; Ioannis Baptistæ, præcipui Pœnitentię præconis, ac Pœnitentium in deserto olim antesignani patrocinium sibi apud Deum conciliare studuit.

5. Recensuinthus igitur cùm laudabiliter viuendo pœnitens, totus anteactis vitæ culpis expiandis intenderet, & se tum erga Deum in primis pium, & erga Catholicam religionem, & subditorum pacem valdè studiosum exhiberet, postquam annos viginti duos, & sex menses à Patris obitu regnasset, desiderium sui, vtpotè Regis optimi, & de Ecclesia optimè meriti cunctis relinquens, diem feliciter obijt; de quo isthæc Tudensis: *Hic fidem (inquit) Catholicam in tantum dilexit, vt semper perquireret Viros literatos, qui frequenter coram ipso conferrent de articulis fidei: delectabatur enim in Diuinis scripturis, & Altare Christi auro, argento, gemmis, & sericis summo studio decorabat. Ter Synodum cum Episcopis Toleti peregit, & leges apud decessores suos editas firmauit, atque quasdam addidit omninò honestati conuenientes. Cunctos mirè dilexit, & ab omnibus valdè dilectus fuit: Erat enim adeò mitis, & humilis; vt inter subditos quasi vnus ex illis videretur. In pace Regnum sibi subiectum rexit, & in Villa nomine Gerticos, quæ in Monte Lauriensi sita est, propria morte decessit sub Imperatore Constantino*. Hæc Tudensis; quæ quidem Regi claræ memoriæ, atque eximio Pœnitentię cultori perpetui instar monimenti nostris hisce paginis consignasse voluimus.

Baronius an. 672.n.15.

Viros literatos semper de rebus fidei, & sacris scripturis cõsulere solitus.

Lucas Tudensis in hist.

Mira ipsius laudum præconia.

Feliciter diẽ obit.

6. Veremundus quoque (vt sermo susceptæ narrationi insistat) Ordonij, tertij huius nominis Hispaniarum Regis filius, Pœnitẽtię operibus præfulsit, ac subindeRaimiro III. Regi, qui eo adhuc impubere Regnum occupauerat, in Legionensi administrando Regno successit, cuius quidem gesta sub Regni initia (vt Baronius adnotat) omni laudum fuere digna præconio; quippe qui antiquas Regni leges centenario ferè annorum decursu, ipsoque vsu abolitas in pristinum obseruantiæ vigorem restituit, suum non ciuilibus tantum robur; sed & Ecclesiasticis quoque rebus asserendo. Ad quod illud laudabiliter adiecit, vt Romanorum Pontificum Decreta exactè, diligenterque seruari, edita vltrò ab se lege præceperit. Præterea, vt se Religionis amplificandę apprimè cupidum, studiosumque exhiberet, suis Ecclesias priuilegiorum indultis communiuit; primumquè omnium Compostellanæ Ecclesiæ id Rex pius præstitit; quibus præclarè, ac laudabiliter gestis, cunctis se non absque admiratione Christiano dignũ sceptro, re ipsa, ac nomine exhibuit. Verùm non multò post optimi regiminis, cuius suspicienda adeò fuere primordia, gloriam non parum denigrasse, moresquè haud pietati consonos, ac pio dignos Rege visus est prætulisse; cùm ob persequutionem Ataulpho Compostellano Episcopo illatam infamis redditus, inter malos quoque Principes (vt Baronius monet) à Maioribus iure merito adnumeratus est. Siquidem Princeps parùm sibi in bono constans, ac prauis seruorum accusantium dolis contra ipsũ Dominũ delatis, præter ius omne, aurem, fidemquè adhibens, in Episcopum fraudulenter, ac dolo accitum; diram, inexpectatamque de insonte Viro vindictam sumpturus, ferocem Taurum, indomitumquè in ipsum immisit: Sed Deus miris è Cœlo portentis pro Sacerdote pugnans, periclitanti propitius adfuit, eumquè à nece, quam Rex per scelus inferre parabat, diuinitus planè defendit; ferox quippe Taurus ad hominẽ perdendum concitatus, ex indomito repente mitescere visus est, & periclitanti mansuetudinem exhibens, concessa sibi à natura in Episcopi manibus feriendi, nocendique arma, deuoto ipsum obsequio, ac venerabundus mulcendo deposuit, cornua scilicet; ac si patentibus vltrò Sacerdoris Christi innocentiam signis contestatus, se ad eiusmodi lædendos Viros, impetendosquè imbellem prorsus re ipsa ostenderet. *Res planè admiranda* (inquit Baronius) *à tribus antiquioribus historicis enarratur, à Pelagio Episcopo Ouetensi, Luca Tudensi item Episcopo, & Roderico Episcopo Toletano*; Sed quomodò tam falsi accusatores, quàm Rex persequutor diram à Deo vindictam iustissimè subierint, ijdem Scriptores pluribus narrant.

Baronius an. 988.num. 1.

Veremũdus Ordonij Hispaniarum Regis filius Pœnitentiæ operibus insignit.

Romanos Põtifices adeo veneratus, vt eorum decreta seruari lege sanxerit.

Baronius an. 986.n. 6.

Ataulphus Episcopus innocens portẽto mitescentis Tauri à nece seruatus.

Baronius vbi supra.

7. Sub Veremundo igitur Rege, Deo ad vltionem iustissimè concitato, res Hi-

Hiſpanorum, quæ mirificè pridem floruere, ità miſerando ipſius interitu attritæ ſunt, atque proſtratæ; vt amiſſo Legionenſi Regno, & Galleciæ Ciuitate Compoſtella exciſa, Eccleſiiſquè dirutis, vix ſepulchro Beatiſſimi Apoſtoli Dei ope ſaluo, illibatoque in ſupremum diſcrimen venerint. Atqui cùm ſuos Deus poſt calamitatum procellas reſpiciens, eorundem misereri decreuiſſet, Chriſtianorum Principum vires, quæ ciuilium bellorum armis nedum concuſſæ; ſed & mutuis inſuper nutantes cladibus, debiliores euaſerant, aduerſus Almazorem Arabum Regem numeroſiſſimo inſtructum exercitu, inſurgendo, nedum viriliter pugnando reſtitere: ſed & inualeſcendo inſuper nobilem victoriæ palmam retulere, deſideratis ex eorum numero peditum (vt Maurorum produnt hiſtoriæ) ſeptuaginta millibus, equitum verò quadraginta inſuper millibus. Cùm & ipſe Dux exercitus deſperatis iam rebus, omni abſtinens cibo, funeſtæ adeo acceptæ ab hoſtibus cladi fieri ſuperſtes noluerit. Nulla verò eiuſmodi victoriæ palma nobilior, aut certè Hiſpanorum rebus commoda magis extitit, vel certè opportuniori tempore, prouido è Cœlo Dei nutu affulſit; vt vnanimes, tum veteres, tum recentiores rerum hiſtoriarum Scriptores affirmant.

Sub Veremũdo Rege vires Hiſpanorum attritæ.

Baronius vbi ſupra.

Nobilis ſubinde de Mauris victoria Hiſpanis affulget.

8. Porrò Veremendus Rex, qui regali pridem ſuffultus potentia, ac ſæculi perperam auctoritate abductus, in Chriſti Sacerdotem, & in Eccleſię iura immanè adeò, arrogantetq; deliquerat, ad meliorem frugem (Deo aſpirante) traductus, boniſquè pro expiandis culpis totus intentus operibus; tandem ex corde pœnitens, ac certa obtinendæ à Deo venię erectus ſpe, roboratuſquè Anno 999. è vita feliciter deceſſit. Quod perbreuis ipſius ſepulchro inſculptus titulus, legentibus hunc in modum teſtatur.

Veremundus anteactas culpas Poenitentia expiat.

H. R. Rex Veremundus Ordoni. *Iſte in fine vitę ſua dignam Deo Pœnitentiam obtulit, & in pace quieuit.* AEra M. XXXVII.

Baronius vbi ſupra.

Summo itaque Rex Dei beneficio anteactæ errores vitæ retractans, piiſquè culpas operibus compenſando, ſuum è vita exitum ſollicitè præmunire ſategit; vt ſic ſecurus tandem decederet, illaſquè ſuo nobiles incidi ſepulchro notas meruerit: Quapropter licèt ſic aliquãdo peccauit; dignum tamen de ſe Deo Pœnitentię ſacrificium obtulit. Quod quidem velut quid arduum, ac perdifficile, & rem vti planè admirandam, Ambroſius ſermonem de Pœnitentibus ingerens, celebri olim elogio decantauit: *Facilius* (inquit) *inueni, qui innocentiam ſeruauerint, quàm qui congruè egerint Pœnitentiã*, Rex igitur, qui nedum ſuas poſt culpas Chriſtianorum more Pœnitentiam; ſed & dignam inſuper Deo Pœnitentiam obtulit, præcipuo laudum apud poſteros honore concelebrandus, meritò in noſtris hiſce paginis recenſeri dignus videtur.

Bonis operibus diem mortis præuenit.

Laudandus Rex, quidignè, poſtquã peccauit, pœnituit.

Ambroſius lib de Pœnitentia.

9. Atquì præmemoratis Regibus Ottho III. Romanorum Imperator opportunè adiungitur; qui cùm Principum more, ſuiſque potius armis, ac viribus, quàm legibus tum humanis, tum Diuinis (vt par eſt) deferens oppignoratam homini fidem per ſcelus violando in Deum periurus deliquit. Capta quippe validis tandem armis armatorumque copijs Roma, quam ira furens oppugnabat, ſe iure iurando per Thammum Theutonicum Creſcentio Vrbis Tyranno, qui tunc Hadrianam Arcem occupans, ipſi vnà cum ſuis validè tum armis, tum viribus reſiſtebat, veniam vltrò, ac pacem; ſi à propugnando deſiſteret, daturum ſe promiſit: At poſtmodum Arce potitus, iuratam illi fidem temerè infringens, pro venia necem intulit, eiuſque ſibi vxorem (vt Petrus Damiani refert) in concubinam aſciuit; Quapropter Deo & ſimul, homini iniurius immani ſe ob id piaculo obſtrinxit, pro quo (vt Deo faceret ſatis) Beato Romualdo Claſſenſium Abbati Monachum ſe futurũ promiſit. Interim verò dum moras nectens id, quod promiſerat, adimplere negligit, acerbis ſe ob contumaciam pœnis alioquì dignum exhibuit. At Romualdus inter hęc diuinitus Otthoni vitæ finem imminere prænoſcens, ſuis eò magis Regem dictis vrgebat, vt relicto ſæculo Monaſticę vitæ Inſtitutum quantocyus aſſumeret, quod & ipſe ſibi antè promiſerat. Ille autem ob friuolas quaſdam, paruique momenti, quas obtendebat rationes, id in aliud tempus faciendum reiecit. Verùm cùm

Baronius an. 996. n. 30.

Ottho Tertius Romanorũ Imperator ob violatam alteri fidem reus ad Poenitentiam confugit.

S. Romualdo Abbati ſe Monachum ſe futurum promittit.

Ab eodem; qui vitæ finẽ ipſi impendentem nouerat, ad opus vrgetur.

Im-

Imperator suæ conditionis, ac muneris modum excedēs, se in Romanorum Pontificum electione per scelus immisceret; diuinitus tandem ad infelicitatis cumulum tum Imperio, tum vita mulctatus est, adeò vt ipse, & tota simul Otthonorum gentis stirps Deo vlciscente deficeret, ac ille veneno insuper (vt historiæ docent) sibi clam propinato è vita abscesserit. Cū verò multa Christiano digna Principe laudabiliter viuens præstitisset, moriens subinde non absque immortalis vitæ, ac salutis spe mortalem vitam conclausit: Primùm igitur is Regali corona à Romano Pontifice donandus, in Vrbem veniens, cùm ibi augusta, ac exoptata Imperialis insignia muneris suscepisset, præclara quoque Pœnitentię exempla, Romualdo Viro Sanctissimo exhortante ad expiandum periurij piaculum exhibuit; hæc enim de eo Petrus Damiani in eiusdem B. Romualdi gestis conscribit.

Petrus Damiani in Vit. S. Romualdi Abbat.

10. *Ipse quoque Imperator* (inquit) *ex eodem crimine Beato Viro confessus, Pœnitentiæ causa nudis pedibus de Romana Vrbe egrediens, sic vsque ad Garganum Montem ad S. Michaelis perrexit Ecclesiam.* Id verò (vt Baronius ait) postmodum pœnitens præstitit. Susceptæ autem ab eo austerioris vitæ, exactamquè Pœnitentiæ normam sic idem Petrus prosequitur: *Per totam autem* (inquit) *Quadragesimam in Classensi Monasterio B. Apollinaris paucis sibi adhærentibus mansit, vbi ieiunio, & psalmodiæ, prout valebat, intentus, cilicio ad carnem indutus, aurata desuper purpura tegebatur. Lecto insuper fulgentibus palijs strato, ipse in florea de papyris confecta tenera delicati corporis membra tenebat. Promisit denique B. Romualdo, quòd Imperium relinquens, Monasticum susciperet habitum, & cui innumeri mortales erant obnoxij, iam ipse pauperculo Fratri cæpit esse subiectus.* Hæc quidē Ottho, qui haud tritę, vulgarisque Pœnitentiæ, Petro Damiani teste, cunctis de se specimen prebuit.

Baronius vbi supra nu. 30. 31.

Imperator Beato Viro confessus, nudis pedibus ob Pœnitentiam ad Garganum Montem se confert.

Petrus Damiani in Vit. S. Romualdi. Ab.

Pœnitens quæuā per totā Quadragesimam prębat.

11. Verùm enimuerò cùm impendens Imperatoris capiti è proximo fatum B. Romualdus renunciasset, ipsum moras nectentem totis ad Monasterium adducere neruis adnitebatur; sed hìc ipse Damianus in Beati eiusdem gestis est audiendus, qui hæc habet: *Regem* (inquit) *Romualdus protinus adijt, & accepta promissionis exactor, vt Rex Monachus fieret, insistere vehementiùs cæpit. At ille facturum se quidem, quod exigebatur, assensit; si tamen priùs Romam, quæ sibi rebellabat, impeteret, & ea deuicta, Rauennam cum victoria remearet. Cui Romualdus: Si Romam (inquit) ieris, Rauennam vlteriùs non videbis, et apertissimè illi mortem propinquam esse denuncians; quia eum reuocare non potuit, proculdubio de eius certus interitu ab eo recessit. Dum verò Rex Romam properat, Romualdus nanim ascendens, ad Ciuitatem Parentium transfretat. Rex itaque secundum Beati Viri prophetiam, vix è Roma reuerti incipiens, mox languore correptus, apud Paternum defunctus est.* Hæc ille de interitu Otthoni prophetico ipsius B. Romualdi ore prænunciato, qui subinde Anno 1002. (vt ille edixerat) adamussim contigit. Cùm igitur Ottho sę prèter B. Romualdi consilium Romam contulisset, turbas ibidem populares, nec non varia pericula incurrens; & vt euaderet, clam aufugiens, ira abductus multa Romanis exacerbatus inferre damna meditabatur. Sed quæ interim, ipsis edoctus calamitatibus, aduersisque exagitatus, mutato animi consilio Pœnitentię signa exhibuit, ex Damiano nobis repetenda hìc sunt: Hæc enim ille. *Conueniente tunc* (inquit) *cum Heriberto Sanctæ Sedis Agrippinæ Archiepiscopo plurima fidelium turba, Imperator lætatur, & quàmuis exteriùs vultu semper hilari se simularet; tamen conscientiæ secreto plurima ingemiscens facinora, noctis silentio vigilijs, et orationibus intentus, lacrymarum quoque riuis abluere non destitit. Sæpenumerò omnem hebdomadam, excepta quinta feria, ieiunus producens, in eleemosynis valdè largus extitit.* Hæc profectò sunt, quę de Otthonis Pœnitentia Damianus refert.

Baronius an. 1001. n. 13.

Romualdus Imperatori omnem post promissa abrumpenda in poenitend i moram inculcat.

Petr. Dam. in vit. S. Romualdi.

Iuxta ipsius verbum Imperator vix Vrbe e gressus morte ręę uentus.

Baronius vbi supra n. 15.

Ieiunijs, ac lacrymis sub vitę finem intentus.

12. Cæterùm Roma Imperator profectus, cùm in Germaniam vnà cum suis contenderet, graui apud Paternum correptus morbo, è vita abijt; hęc enim de ipso Damianus: *Appropinquante* (inquit) *eius obitu, multa preuenere importuna: Nam nostri Duces, et Comites non sine conscientia Episcoporum multa contra eum conspirare nituntur, Henrici Ducis Bauariæ postea Successoris sui ad hoc auxilium postulantes. Et Imperator hoc statim comperiens, & patienti ferens animo in Paterna vrbe Pustel-*

Ditmarus lib. 4.

Aduersis, ac bellorū procellis Imperator à Deo exagitatus.

lis interiora prementibus, et interdum paulatim erumpentibus infirmatur, qui facie clarus, et fide præcipuus IX. Kal. Febr. Romani corona Imperij exiuit ab hoc ſæculo, ſuis inſuperabilem relinquens mœrorem; quià tempore eo non fuit vllus largior, ac per omnia clementior illo, etc. Hæc de Otthonis obitu Ditmarus.

Sui cunctis deſiderium relinquit.

Baronius an. 1002. n. 2.

13. Porrò nonnulli hanc vnam ipſius obitus cauſam recenſent; quòd nimirum propinato ſibi veneno deceſſerit: Hæc enim Rupertus Abbas Tuitinenſis in Heriberto eiuſdem Otthonis tunc itineris comite, & præcipuo in rebus agendis Cōſiliario narrat: *Qui* (inquit) *nimirū Imperator ſi vt in cæteris, ita et in cauſa, per quam mortem incurrit, conſilium Beati Viri attendiſſet, multò melius ſapientiæ appropinquaſſet, & non pœnituiſſet eum, etc. Quod quià non fecit, incidit in inſidias mulieris malæ, videlicet eius, cuius virum Creſcentium ſibi rebellantem, captum iuſſerat capitalem ſubire ſententiam, et ab illa non præcauens; quàmuis à Sancto Viro ſæpe eſſet commonitus, veneno intra cubiculum dormiens infectus eſt: Obijt itàque Romæ anno poſt ordinationem Beati Viri tertio. Erat autem nunc quoque Sanctus idem cum illo, vtpote ad diſponenda perneceſſarius maxima Regni negotia: Cui cùm die ſequenti confeſſus fuiſſet, peſtem, quam perceperat, ſequè mori perſentiret; id quoque ſupremum ab eo poſtulauit, quatenus corpus eiuſdem Aquiſgrani ſepeliendum tranſferret.* Hæc ille de Otthonis III. obitu; ſed de eius funere idem, qui ſuprà, meminit. Quam potiſſimùm verò ob cauſam nobile adeo, ac florens regnantum Othonum ſtemma iuſto Dei, qui Regna transfert, nutu extinctum denique ſit, qui vult ex Baronio repetat, cùm à noſtro id alienum propoſito videatur.

Rupertus Abbas cap. 10. apud Suriū Tom. 2. die 16. Martij.

Veneno ſublatus è vita à nō nullis creditur.

Othonorū ſtirps Dei ſua nutu extincta ex Baronio.

14. Verùm hic, vbi de Otthone ſermo incidit, Thamnus quoque Theutonicus ei intimè familiaris ſilentio prætereundus non eſt; qui cùm ſe periurio vnà cum Imperatore obſtrinxiſſet, S. Romualdi imperio, ac monitis acquieſcens, Pœnitentiæ cauſa ſæculo ſe abdicans, Monaſticam vitam amplexus eſt, vt in S. Alberti Pragenſis Epiſcopi geſtis, his planè verbis traditur: *Apud prædictam quoque Ciuitatem conuertit Beatiſſimus Vir Thamnum quendam Theutonicum, qui (ſicut dicitur) in tantum Regi familiaris, et charus extiterat; vt vtriuſque veſtes vtrūque protegerent, et amborum manus vna paropſis communi ſæpe conuiuio ſatiaret, etc.* Ac cùm ſubinde is fraudis, & periurij ab Otthone præſtiti, dum ſuā Creſcentio Senatori pro ſecuritate fidem oppignoraſſet, conſcius neci traditus alter fuiſſet, à B. Romualdo, vt ſæculo ſe in culpæ pœnam abdicaret, iniunctum eſt: Sic enim Auctor: *Quia igitur* (inquit) *Thamnus et fraudis conſcius, et periurio tenebatur obnoxius; idcircò à B. Romualdo iuſſus eſt relinquere ſæculum. Qui mox à Rege licentiam expetens, non modò facilem reperit; ſed nimis alacrem fecit, etc.* Sic planè is fraudis, & periurij exinde cauſa à ſæculo ſe abducens, pœnas dedit; & Ottho Imperator aſperum item peregrinationis iter ſubire Pœnitentium more compulſus eſt. Sed de his hactenus.

Baronius vbi ſupra.

Thānus Theutonicus S. Romualdi conſilio ſæculo ſe abdicat.

In geſtis S. Adalbert. Prag. Archiep. apud Surium.

Baronius an. 996. n. 30. 31.

Vt periurij reatum apud Deū expiat.

15. Atquì Pœnitentia, quæ dignam vbique meritorum virtutem prodit, ſuumque vnà ſimul, Deo aſpirante, tam in ſummis, quàm in infimis decorem explicat; ſe quoque proximo anteactæ ſæculo, vel in ruſtico præſertim homine, Chriſtiano Orbi ſuſpiciendam obtulit, cuius opportuna hic nobis ex faſtis Senenſibus mentio recurrit; hominis videlicet, qui rigidioribus antiquas culpas pœnis exoluens, ſanctitatis quoque pœnitendo apicem attigit. *Bartholomæus Caroſius hic dictus eſt, genere quidem (vt in faſtis traditur) ruſticus, at in rebus præuidendis, prædicendiſquè diuinitus, et certior haruſpex.* Hic igitur ſemetipſum, ſuamquè vitam omnem à Confeſſario iuſſus, hunc in modum deſcripſit: *Ruſticum* (inquit) *ego, et durum ex agris, è Petris, et Senarum ex Oppido Petri genus duco: Sed me primùm vitioſa, et inolita morum ruſticitas hominibus, cælitibuſquè odioſè reddidit inurbanum. Tamen ad bonam Diuinæ vrbanitatis frugem redij poſt annos natus duo de quadraginta; et cum terram colere deſij, fortuito vulnere propemodum exoculatus, Cælum aliquando ſuſpexi. Aulicum ergò campum Ranutiorum fodiebam, cùm ſubitò ex ictà ligone ſilice diſſectum fruſtum diſſiluit, et lęuam mihi pupillam inſiliens vehementer læſit: Ex illa oculari plaga menti ſanitas, et lumen: Indè vxoris hortatu frequens pijs concionibus interſum:*

Bartholomæus Caroſius ruſticus ingens Pœnitentium exemplar.

Ex faſtis Senenſibus pag. 123. die 14. Maij Herera in Alphabet Auguſtiniano rū lit. B. Aloyſius Torellus Centur. 4. c. 99. Zaccharias Bouerius Annal. Capuc. & alij.

Vitæ originem & geſta Confeſſarij imperio conſcribit.

sum: et anteacta vitæ noxas per sacram Confessionem ore expio, et oculis elue. Sed audi rem cognitione dignam, quæ me maximè perculit, meque ex bipede monstro reformauit, ac veluti recoxit in Virum. Solebat ex illius vsu temporis Euangelij Præco in hebdomadæ sanctioris feria sexta Christi Domini cruciatus non verbis modò, sed & factis exhibere, diuinamquè tragœdiam gemino aurium, & oculorum spectaculo simul vsurpandam dare. Quare apud Montem Fullonicum in actorum numerum sic ascribi volo, vt latronem frugi Tragicus Roscius agere implorarem. Igitur qua die actus in Crucem nudus pependi, fui ne tecum in Calnaria Monte, bone Iesu, an in Paradiso? Et quidem patibulum illud flagitijs ità par meis erat, vt me non in templo aliquo; sed in patibulorum veteri esse Caluaria existimarem. Quanquam eadem horrida scena è socia Christi Cruce mihi floruit in Paradisum. Proh quanto me dies illa gaudio beauit, qui Christo confixus esse Cruci cœpi! Mutatam ex illo mentem cœpit obliuio uxoris, cognationis, & domus: subytquè ingens cupido irrisionum, & pœnarum pro Crucifixo Deo perferendarum. Quin & afflatu Diuino sæpius impulsus, Christiani Orbis magnam partem peregrinabundus pedes obibam, perquè Vrbes, perquè Oppida, perquè Villas, lineo sacco albatus genuum tenus, cetera nudus: prolixa coma, & barba impexus, & hispidus, facie ieiunys exesa horridus, robusta voce intonans, prælato Crucis signo, & humani capitis esse, vel manibus eloquens, peccantes ad Pœnitentiam reuocabam, contumacibus bellum, famem, ac pestilentiam comminabar: salubriter tamen asperum monitorem contumelijs, crebroquè fustuario excipiebat ingrata mortalitas, meque stultorum stultissimum caput inclamabat. Ego verò fruebar assiduo illo vbique Terrarū obuio, vetera mea dictorum, factorumquè crimina plectente supplicio. At cur mihi vita inter supplicia diuturnior, & pertinacior? nempe Diuinis viribus fiebat, vt inedia nutrirer, & mortibus reuiuiscerem. Quoties in longinquis, & ferè annuis ad Sacram Diui Iacobi ædem in Gallecia obitis peregrinationibus ex innumeris vitæ periculis mirè corpus exemit, qui mortuo pridem animo vitam redonauerat? Quot me carceribus arctissima hospitij vincula obligarunt? Quot incussos robustos Scipiones

Aduenis ærnditus pro ficit.

Christi passionem ecco... ad per... rendum ... nimatur.

Mutatur in virum alterum.

Orbem sacco indutus excurrit.

Alios ad Pœnitentiam prouocat.

victrice tolerantia debellaui, & infregi? Quoties post accepta lethalia vulnera ex ipsa morte conualui, vt sæpius pro Christo morerer. Iam verò quæ referam, si certa publicæ fides argumenta non suppeterent, incredibilia videantur. Romanum ego excidium, quod imminebat perdius, ac pernox horrendo per Vrbem clamore vaticinabar; Sed iniqua vaticinio merces respondit: Nam sæpius exilio mulctatum, ac dein culeo, siuè sacco inclusum cum adiuncto lapidis magni pondere in profluentem Tyberim me vatem proyciunt, minati cum voce, me tum demersuri. Attamen innocens breui veritas enatauit: Ad suburbanam S. Pauli ædem propter Portam Trigeminam diuinitus incolumis emersi, & postero die in Vrbem repedabam, &c. Exhorruere omnes aspectum, & vocem hominis à naufragio rediuiui. Exitus hic breuiter tragicus fuit: Ego trudor in carcerem, ne publica, & libera vox vltrà consternatam attonet Romam. Mox improuisus adest belli fulmen Borbonius, neque de Cœlo, sed Ianiculi aureo de monte irrumpens, Vrbem vniuersam miserabili tangit excidio. Vix elapsus Pontifex ad Vrbis veteris prærupta perfugit munimenta: Conciliata ex euentu verbis meis popularis fides me credidit ex fatuo fatidicum. Iam quàcunque ingrediebar, velut ad Oraculum Italia confluebat, videndi, audiendiquè auida. Præter vaticinandi afflatum, alijs me donis planè mirandis suspiciendum reddidit Deus. Demum post enarratam funestam Senarum Vrbis obsessæ, ac expugnatæ, & in seruitutem redactæ cladem hæc habet: *Sed ego vt ad me reuertar (inquit) annis sex, & sexaginta prisca in libertate nutritus, cum illa expirante expiraui pridie Idus Martias, anno à Virgine puorpera millesimo quingentesimo quinquagesimo quarto, &c. Inter labores, doloremquè communis mali senilis, sanitas & vita morbo, mortiquè succubuit. In ædibus Ioannis Baptistæ Bonsigni ad fontem, cui fecere nomen à Sancto Iuste, septuagenarius morior, genibus flexis supplex, & erans, vt è temporaria in sempiternam libertatem transmigrarem. Sic moribundus inter preces mihi prior iusta persolui.* Haud aliter profectò Vir Pœnitens, qui Deum grauiter aliquandò offenderat, aduersaquæque, calamitatesquè innumeras perferendo, suas condignis pœnis culpas redimens, Cœlum adiuit.

Ieiunijs, ac pœnis se ipsum excruciat.

Vrbis, quod impendebat excidium, cunctis palā enuuciat.

In Tyberim actus in præceps, saluus ex aquis emergit.

Aduenienete Borbonio armatorum Duce, capta vrbe ex fatuo fatidicus agnoscitur.

Pœnitens septuagenarius labores, ac pœnis cō sumptus moritur.

16. Demum nec suis mulieres, quæ in Deum grauiter quondam deliquerant, promeritisquè postmodum pœnitentes apud Deum perferendo honoribus, ac laudibus carent; pari etenim Christianæ pietatis zelo, ac præferuido compunctionis stimulo adductæ se ipsis, ac sæculo fortiores, vt viros virtute, etsi non viribus vincerent, austerioris vitæ semitam sectantes, B. Mariæ Magdalenæ, quæ cunctarum Dux Pœnitentium, & Magistra diuinitus extitit, vestigijs inhærendo; totiChristianorum Orbi admirationi simul, ac documento fuere. Illa siquidem, quę peccatrix olim in Euangelio describitur, Pœnitens subinde duram, horridamquè ad triginta annos sub austerioris obseruantiæ cultu vitæ rationem, vel post à Christo acceptam, indultamquè sibi Diuino ipsius ore indulgentiam protraxit. Cùm enim rabido Iudæorum odio, fracto, vetustoquè nauigio ad certum vitæ discrimen, absque velis, remisquè vnà cum cæteris imposita, vastissimoquè pelago credita, ad Marsiliæ portum appulisset, fortis mulier, & lacrymis adhuc madida, Pœnitentiæ gratia continuò in solitudinem secessit; vt pedibus Domini assueta, totaque orandi studio intenta, se ipsam Diuinis, ac supernę iugiter Beatitudini contemplandæ dicaret: Spelunca autem illa, in qua beata diù fęmina pœnitendo, se ipsa, ac sexu fortior spectaculum, ipsoCœlo dignum constanstissimè perstitit; quę item vel solo cunctis aspectu horrorem incutit, velut nobile inuisæ hactenus terris Pœnitentię, ac pœnitentis vnà simul fœminæ monimentum ad hanc vsque diem oculis patens ostenditur, ad quàm cùm aliquandò Franciscus Petrarcha, Poetarum nobilissimus, deuotione adductus perueniss et, pijs locum deuoti animi obsequijs, gratisq; verborũ insuper officijs consalutando, ornatissima in suæ peregrinationis memoriam carmina ibidem relinquendo affixit, quæ ab exemplari, quod in Oratorio illic penè obliterato Ludouicus Viualdus Prædicatorum Ordinis exscripsit, vt ipse in aureo illo, quod de Contritionis veritate conscripsit, opere tradit: Vbi speluncam, dignum vtpote Beatissimę suas inter acerbiores pœnas fœminæ domiciliũ; ac nobile vniuerso Terrarum orbi Pœnitentium exemplar piè alloquens, dum præcipua loci, eiusque laudum pręconia retexit, ipsum Christum Dominum intrà horridæ speluncæ ambitum benignis vltrò oculis Pœnitentem èCœlo mulierem, dignum vti spectaculum respicientem, post multa hunc in modum alloquitur.

Magdalena Poenitentiũ antesignana.

Augustinus Mannus lib. Select. hist. c. 64.

Franciscus Petrarcha speluncã B. Magdalenæ Poenitentia illustrem in uisens, carminibus celebrat.

Ludouicus Viualdus Ord. Prædic. lib. de Contrit. veritate.

> *Te quoque digressus Terris, & ad Astra reuersus*
> *Bis tria lustra tibi nunquam mortalis egentem*
> *Rupe sub hac aluit, tam longo tempore solis*
> *Diuinis contenta epulis, & rore salubri;*
> *Hæc domus arcta tibi stillantibus humida saxis,*
> *Horrifico tenebrosa situ, tecta aurea Regum*
> *Delicias omnes, & ditia vicerat arua,*
> *Hìc inclusa libens, longis vestita capillis*
> *Veste carens, alios ter denos passa Decembres*
> *Diceris, hìc non fracta gelu, nec victa panore:*
> *Namque famem, frigus, durum quoque saxa cubile,*
> *Dulcia fecit amor, spesquè alto pectore fixa.*
> *Hìc hominum non visa oculis, stipata cateruis*
> *Angelicis, septemquè die subuecta per horas,*
> *Cælestes audire Choros, alterna canentes*
> *Carmina, corporeo de carcere digna fuisti.*

Francisci Petrarchæ in laudem speluncæ B. Mariæ Magdal. carmen.

Sacri loci horror meo ce descriptus.

Poenitentis amor poenas dulces facit.

Hæc ille Poetarum laudatissimus in locũ Beatissimæ pœnitentis fęminæ præsentia, ac longo item incolatu sacrum, ac Mundo celebrem. Cuius quidem ea est religio, vt Carolus Rex Siciliæ, & Prouinciæ Comes Anno salutis 1279. nauali bello cum Rege Aragonum, inter pugnandum victus, vinctusquè, & apud Barcinonem subinde duro, diroque carceri mancipatus, omniquè humana ope, ac emergendi spe destitutus, à Religioso Prædicatorum Ordinis Viro præmonitus; vt Magdalenam, quę in locis ipsius ditioni subiectis constiterat, prædicauerat, fleuerat, pœnituerat, ac feliciter demum obie-

CarolusRex Siciliæ àMagdalena mirabiliter è carcere liberatur.

Syluester Rier. in aurea Rosa in expo sit. Euãg. Fer. 5. infr. Oct. Pascha.

obierat, pijs supplex vltrò precibus inuocaret. En tibi hoc præstito Beata è Cœlo mulier videndam se illi noctù præbens, mox ipsum è carcere eductum, se itineris illi ducem, ac comitem præbens, in tutum quendam sui intra fines Principatus locum eduxit, cui subinde immortales pro insigni accepto beneficio gratias referens, hæc demum ab ipsius ore diuinitus accepit. *Et locum* (inquit) *meæ mortis, & mea Pænitentiæ Fratribus meis, idest Prædicatoribus tradas; qua postea dispares hominem reliquit.* Cuncta verò deuotissimus Princeps pio, gratoque animo, & in libertatem vindicatus haud gratiarum immemor fideliter præstitit. Sed nos interim, vel obiter in rē præsentem, isthæc narrasse voluimus.

Locus ipsius Pœnitentiæ, ac morte insignitus religiosè colendus.

CAPVT VII.

Peccatores Dei flagellis attriti resipiscunt.

1. Flagella, quibus mortales Altissimus in hoc sæculo probat, & ad coronam prouehit, ipsosquè interdū peccantes sapiens vti Magister sollicitus à rectò deuios, aberrantesquè virga, & calcaribus in stadio virtutis ad currendū exercet; certa proculdubio amoris haud irarum, & indignationis indicia sunt: *Non erudit quippe Pater* (vt Hieronymus ait) *nisi quem amat.* Quapropter suam olim erga Hierusalem iustissimè iram, ac zelum pariter demonstrans, faciemq; suā ab ipsius peccatis auertens, amotis subinde flagellis, se haud ipsi iratum, quin immo propitium posthac futurū contestans: *Iam* (inquit) *non irascar tibi, zelus meus recessit à te: quem enim diligit Dominus corripit, et castigat omnem filium, quem recipit.* Qui igitur inter Dei flagella filius, inter Mundi subinde prospera nonnisi adulterinus profectò agnoscitur, magisquè plangendus; dum Mundus illi arridet, quàm commiserandus, dum iratus è contra Mūdus in ipsum acerbissimè sæuit. Hinc iure merito Augustinus ipsi inter flagella homini maximè gratulandum affirmat: *Seruat enim* (inquit) *tibi Deus hæreditatem. Noli dolere, quòd te Deus flagellat.* Haud enim homo Deum,

Flagella Dei, nonnisi amoris signa.

Hieronymus epist. 38. ad Castruc.

Ezecchielis cap. 16. ad Heb. 12.

Augustin. in psal. ad Heb.

amantissimum vti Patrem, nec suam filius à flagellis liber conditionis dignitatem agnoscit. Dolendum itaque homini potiùs, cùm ipsum Deus peccantem prætérit, flagellisque parcens, liberum omninò à pœnis inter culpas relinquit, quàm cum flagellis vrgendo prosequitur: *Si exemptus es* (inquit) *à numero flagellatorum, exceptus es à numero filiorum, flagellat enim omnem filium, quem recipit.* Nulla quippe supernæ obtinendæ spes hæreditatis manet, nisi quis flagellis interim probatus vti filius agnoscitur: *Medicus* (inquit Hieronymus) *si curare cessauerit, desperat.* Vt bene igitur de se homo speret, hic à Deo aduersis percutitur.

Exceptus à numero filiorum, qui non est è numero flagellatorum.

Augustinus vbi suprà.

Hieronymus vbi suprà.

2. Sic planè Iobus Diuino in primis cōmendatus oraculo, nonnisi flagellis demū Diabolo teste adhibitis, ne quid illi ad coronam deesset, probandus videbatur: *Nunquid frustrà* (inquit ille) *Iob timet Deum, etc.* Vbi verò Diabolus facta sibi desuper in ipsum potestate multimodis ærumnarum plagis, & calamitatum ictibus ad deijciendum tentauit, velut aurum in igne rutilans, non absque ingenti meritorum cumulo, dignisquè præconijs Dei voce, ipsiusquè Diaboli, qui ad tentandum poposcerat, confusione laudatus, muneratusquè est: *Tu autem* (inquit Deus) *commouisti me aduersus eū, vt affligerē eū frustrà; etc. Erat quippe Vir simplex, et rectus, ac timens Deū, et recedens à malo, et adhuc retinens innocentiam.* Vir igitur tantus, quibusq; tantū aduersis profecit, vt magis magisquè flagellis impetitus, ne minimùm quidem à rectò tot inter plagas deflexerit. Cui enim non fit meritò hic vnus Martyrum coæquandus, qui quoties flagellis non cessit, toties Martyr ipsius Chrysostomi calculo est renunciandus.

Iob Dęmonis ipsius iudicio quis nā esset, flagellis ante probandus.

Iob. cap. 1. v. 9.

Iob. cap. 2. v. 3.

Chrysost. in hom.

3. Tantùm itaque mortalium quisque virtutibus inter flagella proficit, vt vel scelestissimus olim Pharao, qui se Deum nescire, haud ipsius subdi imperio volens iactabat: *Nescio* (inquit) *Dominū, et Israel non dimittam;* Flagellis attamen perculsus, mox seipsum, ac Deum pariter agnoscens, Moysen vltrò, atque Aaron, vt pro ipso Deum exorent, quò suā à flagellis manum contineat, instantissimè obsecrauit: *Rogate* (inquit) *Dominum, vt auferat ranas, etc.* Hinc congruè Ori-

Pharao quoque flagellatus à Deo profecit, Deū agnoscendo.

Exodi cap. 5. v. 6.

genes illum Dei flagellis honorem tribuit, vt Dei notitiam hominibus vltrò ingerant, & cordis penitus duritiem ab hominum corde auferant, adeoq; haud viliter isthæc pensanda, atq; abhorrenda; sed vtiliter amplexanda potius sunt, atq; hominibus exābienda. *Nemo* (inquit) *flagella Dei pernicium petet, dum ipsemet Pharao* (vt ille ait) *flagellatus proficit*. Verū quod Pharao haud intimo ex corde compunctus, sed flagellis tantùm pulsatus, atq; absterritus fecit; vt vel serò à malis tandem, haud tamen seriò resipisceret, quàm multi egregiè postmodum suorum pertęsi errorum, ipsumq; æmulando præstitere. Et sanè Augustinus magnum sibi à Dei flagellis lucrum prouenisse testatur, vt nimirum à lubrico pedem retrahens, cōpunctus tandem, ac pœnitens ad Deum confugerit: *Inhiabam* (inquit) *honoribus, lucris, coniugio, & tu irridebas; patiebar in eis amarissimas difficultates, te propitio tantò magis, quò minus sinebas mihi dulcescere, quod tu non eras*. Quapropter præpotentem Medici suos vel flagellis salubriter adeò sanantis manum expertus, ipsum; ne inter curandum eiaculandis desuper flagellis parceret, instantissimè postulabat: *Hìc vre* (inquit) *hìc seca, vt in æternum parcas*. Suis quippe iam diù malorum morbis eruditus, quantum ad salutem animi flagella conducant, & quàm isthæc intermissa, ac Deo interdum dissimulante ab impiorum procul ceruicibus, iram Dei foueant probè, sapienterque non ignorabat: *Magna quippe* (aiebat Hieronymus) *ira, quando peccantibus non irascitur Deus; & libenter nunc tormenta patiar, vt futura mihi gloria reseruetur*. Sed vt suus Dei flagellis honor, haud horror sit; nonnulli hìc, qui non aliter profectò à peccatis resipiscendo profecere, consultò à nobis sunt recensendi.

Origenes in lib. Exodi c. 5.

Augustinus se Dei flagellis profecisse testatur.

Augustinus Confess. lib. 6. c. 6.

August. in Psal.

Deum, ne flagellis parcat, enixe precatur.

Hieronymus epist. 38. ad Castrucium.

4. Vt à fœminis autem narrādi initium sit. Eudocia Attica Augusta, Leontij Philosophi filia, ac Theodosij iunioris vxor hìc primò se nobis offert; mulier nempe virtutibus aliquando, ac pietate simul conspicua: Voti enim causa Hierosolymam profecta, Melaniam notæ sanctitatis fœminam illuc venientem excepit; à qua pristinæ non absque ingenti meritorum pronentu sanitati reddita, multa Hierosolymis ædificia, suæ vtpote haud obscura pietatis monimenta erexit. Verùm hæc nonnisi Diaboli deinde impulsu inimicitias in Flauianū Constantinopolitanum Episcopum sanctitate præcipuum exercere cœpit, necnon inuidiæ liuore tabescens cum Pulcheria Augusta Theodosij sorore, lectissima virgine duriùs agere, atq; adeò, vt Imperatoris à sorore omni laude dignissima animum abduxerit. Pulcheria verò, etsi publicis administrādis rebus nata, Imperio tamen regendo; vt sibimet vacaret, nuncium remittens, se quātocyus, ab Aula receptui canens amouit. Quod cùm Theodosius postmodum, cui cuncta satis feliciter, cùm eius vteretur consilijs, cesserant, iniquè ferret; Eudociam, quæ dissensionibus, ac sororis item abdicandæ in causa fuerat, suis acriter dictis increpauit. Theodosio autem è viuis prærepto, ipsa Hierosolymam se recipiens, Eutichyanorum miserè intercepta dolis, deceptaquè illam ceù turbo Ecclesiam miserandum in modum aliquandiù concussit; donec perlectis B. Leonis Papę literis ad ipsam directis corde resipiscens, & ad sanam, illibatamquè amplexandam fidem suo quàm plures ad resipiscendum exemplo prouocans, regressa est?

Eudocia Augusta Theodosij iunioris vxor flagellis Dei perculsa, à malis resipiscit.

Baronius an. 455. n. 18.

Flauianum Episcopum notę sanctitatis persequitur.

Pulcheria Augustæ inuides, Theodosij animū ab eius amore auertit, & ipsam exulare cogit ab Aula.

5. Porrò, vt tantorum hìc bonorum causam consultò exponamus, aduersitas profectò mulierem, quæ sub sceptro altiùs delirabat, ad sanā mentem reduxit; cùm enim sub Geinserico Vuandalorum Rege Eudoxiā, ac filias captiuas in Africam adductas comperisset, condignis ipsa flagellis iusto Dei consilio perculsa, prauaq; hæresi eiurata, dignā planè operis mercedem à Deo recepit. Nam, vt hæc obiter percurramus, eiusdem filia à barbaro Rege in Africam vnà cum cęteris ducta, captiuitatis iugo miserrimè est addicta, vt Miscellæ Auctor his verbis tradit: *Geinsericus* (inquit) *continuò vacuam præsidio ciuitatem capit, & occursu Leonis Papæ mitigatus, ab incendio, cędibus, atque supplicijs Vrbem immunem seruauit: omnibus tamen opibus ablatis, multa inde captiuorum millia cum Augusta Eudoxia, & eius filiabus Chartaginem reuexit*. Hęc ille. Funesta igitur Eudociæ, ac filiarum, quæ præter omnium spem captiuitas obtigit, Eudociæ Matri (vt Baronius ait) itidem Augustę, vxori quondam

Paulus Diaconus lib. 15.

Calamitas Eudoxiæ ipsius filiæ à Geinserico Vuandalorū Rege captiuę in Africā ductæ Eudociæ ad salutem profuit.

Baronius an. 455. n. 8.

Theo-

Theodosij iunioris Hierosolymis agenti, in primis ad salutem, profuit. Enimuerò cum Eutychianam hæresim amplexa, ita eius venena hausisset; vt ipsa, cęteris resipiscentibus, obstinatior in suscepto semel errore persisteret, iusto Dei iudicio flagellis attrita, sanam denique mentem recipiens, hæresim (quàm hactenus pertinaciter fouerat) execrata est, ipso in primis Sācto Viro Euthymio adnitente. Sed præstat hic Cyrillum Monachum fideliter isthæc narrantem audire; vbi enim prauos Eudociç aduersus Catholicam fidem conatus subdolo illo Theodosio exmonacho Pseudo episcopo ipsam instigante, & mala simul recensuit, hæc subdit.

Euthychianam Hæresim suis edocta malis abijcit.

6. *Postquàm* (inquir) *iustitia aggressa est Theodosium, & sæpe mittuntur literæ ad Imperatricem Eudociam hac de causa; vt Eutychianistarum relicta communione, sequatur ea, quæ decreta fuerant ab Ecclesia Catholica. Illa autem primùm quidem cunctabatur, & differebat mutationem, neque sciebat, quemadmodum dimitteret eam, quæ sibi visa fuerant; postquàm verò intellexisset suū Generū (nempe Valentinianū Imperatorem) fuisse interemptum in Vrbe, filiamquè, & eius filiam esse in potestate hostium, & captiuas adductas Carthaginem, corde valdè sauciata, & rerum charissimarum amissione ea repensa arbitrata, inuenit calamitatem Magistram eius, quod rectè habet: Ita enim (inquit) disciplina tua me docebit. Et ad rectam, & veram fidem per illam reducta, statuit deinceps Viris diuinis vacare, & vti ducibus ad salutem.* Sic calamitatum non nisi probè magisterio Augusta, quę pridem altè inter prospera, & blanda sęculi gaudia cæcutiebat, edocta, impia procul prauorum errorum dogmatā à se abiecit; ac ipsam è Tartari captiuitate animam in Dei obsequium vindicans, omnem penitus moram ad Orthodoxam se recipiendi fidem sollicitè, constanterque abrupit. Itaque mulier inter pœnas, quas iustè pati contigit, oculos (quos culpa clauserat) adaperiens, Sanctos profectò sibi, haud subdolos, perfidosquè Viros consulendos decreuit, ac prę cunctis Simeonem Stylitā, à quibus sanam orthodoxæ fidei veritatē salubri magisterio edisceret. Quamobrē nuncios ad ipsum misit, dignaq; ab eo salutis monita, haud parum sibi profutura retulit; hæc enim ab eo pro responso accepit.

Cyrillus in S. Euthymij gestis apud Baronium die 20. Ianuj.

Baronius vbi supra n. 18.

Calamitas Eudociæ, veritatis magistra extitit.

Psal. 17.

Sanctos Viros orthodoxos, & Syneonē Stylitam præ alijs cōsulit.

7. *Scias* (inquit) *quòd malignus videns opes tuarum virtutum, expetiuit te; vt cribraret sicut triticum, & per pestiferum illum Theodosium tuam corrupit animam. Sed esto bono animo: non enim defecit fides tua, &c. & infrà ab ipso, vt Diuinum Euthymium consuleret, monita, ipsumquè adiens, hac illi: Nunc (inquit) cognoui, quòd Dominus me visitauit. Ille autem cùm eam solita impertiisset benedictione: Sed oportet (inquit) ò filia, te tibi deinceps attendere, & in futurum diligenter cauere; Nam quoniam vel parum abducta fuisti vnà cum Theodosio, propterea tibi molesta eueniunt in rebus charissimis.* Porrò Beatissimi Viri præsentia magno Augustæ emolumento fuit; suum illa quippe errorem agnoscens, dignisque ab eo verbis, monitisquè edocta, in bono insuper confirmatur, vt sic idem Auctor disertè affirmat: *Illa autem* (inquir) *statim re ipsa exequuta est, quæ mandata fuerant, &c.* Eadē ferè habet Nicephorus. Quibus sanè magno Dei beneficio factum est, vt fœmina in sæculo potens, ac hæresi insuper infeliciter abducta; at non nisi molestijs subinde perculsa, sapiens, Virisque Sanctissimis Simeone, atque Euthymio adhortātibus, ad bonam denique frugem, & ipsa pluribus item, salutis causa existens, feliciter se traduceret.

Baronius vbi supra n. 19.

Lucæ c. 22.

Quę à Simeone Stylita, & ab Euthymio pro responso accepit.

Baronius vbi supra n. 21.

8. Porrò mulier ad Deum conuersa, ac Pœnitentiæ operibus laudabiliter insistens; vniuersam Palestinæ regionem bonorum operum exemplis, ac prçcipuè Ecclesiarum constructionibus illustrans, sexagesimo sexto ætatis anno in pace quieuit, vt Nicephorus his verbis tradit: *Postremò* (inquir) *Templū amplitudine, & forma prçclara ex ipsis fundamentis admirando illi, & primo Diacono simul, & Martyri Stephano, stadio vno ab Hierosolymis Eudocia erexit; quo in loco à persecutoribus Domini saxis obrutus ille immarcescibilem coronam reportasse dicitur: In quo Templo & ipsa aliquo pòst tempore, cùm ad immortalem migrasset vitam, condita est, &c. Porrò Hierosolymis vndecim annos transegit; ex eo autem tempore quatuor vixit annos, vniuersalis Synodi Chalcedonensis acta non probans: postquàm autem Synodi eius* Decre-

Nicephorus lib. 14. c. 19.

Ad sanam fidem conuersa bonis operibus incumbens tēpla erigit.

Decreta rata, grataquè habuit, alios etiam transegit quatuor, & tandem mortua est. Hęc in Eudociæ laudem quot verba, tot ipsius virtutum elogia Nicephorus in suis paginis. Piam itaque, ac gratam immortali Deo vitæ normam Hierosolymis degens Augusta exegit, ac Pœnitens præteriti subinde lapsus dispendia, farciendo pari tum laude, tum salutis spe diem clausit; adeoquè à B. Euthymio, de impendente sibi fato, præmonita, ac suum bonis operibus finem præueniens, opportunè se ipsam præmunire non destitit: Hęc enim apud Surium Auctor, dum B. Euthymij gesta describit; B. quippe Euthymiū Eudociæ loquentem inducēs. *Ille verò* (inquit) *eam sic priùs compellat: cùm tuus decessus sit in foribus; cur sollicita es ò filia, & distraheris circa plurima? Illa sunt tibi solùm parata, quæ pertinent ad excessum ex hac vita. Nostri autem ne memineris quantum ad redditus, & pecunias; sed communis Domini memineris, apud quem rogamus, vt nostri potiùs recorderis.* Hæc illi Euthymius.

Eudocia ab Euthymio impendentis è proximo sibi interitus certior facta.

In gestis S. Euthymij apud Surium vbi supra.

9. Haud obscuris itaque verbis, quod sibi è proximo impendebat, fatum edocta est; vt ad Deum mentem traducens, suæ sollicitè salutis negotio, cunctarum rerum oblita intenderet. Quod & illa feliciter præstitit, dum totis animi neruis pietati insistens, bonisquè ad extremum vsque diem operibus vacans, sic suum opportunè exitum preueniendum curauit, vt Auctor his verbis: *His illa auditis, &c. Cùm quatuor* (inquit) *menses iam preteriissent post dedicationem, ipsa quoque humana vita relicta excedit ad Dominum.* Bonis igitur operibus diues, pœnitensquè in Domino obdormiuit. Cui ipsius Baronij verba appendicis instar subtexenda hic sunt: *Hunc tandem* (inquit) *felicem finem consequuta est Eudocia Augusta, de qua verè dixerim, planè miraculum contigit; vt fœmina potens in hæresim lapsa, diuquè in ea versata, resipuerit, demumquè sancto fine clauserit diem extremum.* Id enim plerumq; & nōnisi raro, ac præcipuo Dei munere contigit. Sed & hic obiter silentio prætereundum non est, Eudoxiam iuniorem huius Neptem, ac Eudoxię, & Valentiniani iunioris Imperatoris filiam, quæ Henrico Genserici Vuandalorum Regis filio nupta fuerat, arrepta clam fuga, Hierosolymam se contulisse; vbi ipsa pariter degens, pijsque operibus insistens, viuendi finem fecit, & apud præmortuæ Eudociæ Auiæ ossa sepulturæ locum obtinuit, vt Nicephorus ait; *Iunior Eudocia, filia videlicet Valentiniani & Eudoxię, &c. Auiam Eudociam imitata, ad sancta loca concessit, & sepulchrum illius longè post osculata est; Vbi & ipsa non diù vixit, sed somno beato sopita, iuxta Auia tumulum in preclaro posita est monumento. Quidquid autem ei erat facultatū, id pauperibus, & sanctæ Christi Resurrectioni consecrauit.* Et de his hactenus.

Baronius an. 460. vbi supra n. 22.

Pijs vitæ finem operibus præueniens feliciter obit.

Baronius n. 24.

In gestis S. Euthymij.

Mirū quod in hæresim lapsa, ab hæresum errore viriliter emerserit.

Baronius an. 471. nu. 28.

Nicephorus vbi supra.

Eudoxia iunior Auiam imitata, ad sacra Hierosolimæ loca se confert, ibique obdormit.

10. Sed vt nunc à fœmina imbelli ad virum apprimè strenuum, ac bellicosum sermo recurrat; Belisarius Dux militum sub Iustiniano Imperatore, vnus præ cunctis, vtriusque in se fortunæ aleam ad viuum luculenter mortalibus exhibuit, qui cùm summos honorum apices, fortuna non tam arridente, quàm illudente, suisque tecnis lenocinante proue&us; inuersis postmodum rebus, in summam, miserandamquè infelicitatem præceps, sui portentum sæculi, fortunę non tam ludus, quàm ludibrium factus impegit. Qui ergo Dei suffultus ope, miras ex hostibus palmas, domi, forisq; haud semel clarus reuexit; ac Vrbem à Gothorum cladem minitantium impetū, ac seruitutis iugo vindicasset, dignis laudum præconijs celebrandus fuit: At dum arridentibus subinde prosperis, hominem se esse oblitus, Deumquè immortalem, non(vt par est) reueritus, infelix sponsam Christi Ecclesiam proculcare; ac sacrilegas Syluerio Sanctissimo Romano Pontifici manus inijcere non dubitauit, quò sibi Theodotam videlicet, adblandiendo demereretur, auro ipsius Vigilij manu sibi oblato, & auaritia, atque auro pariter plusquā ferro captiuus, cęcatusq; in supremā repente cunctorū miserrimus calamitatem impegit. Sed condigna demum infelicitate perculsus, oculisquè corporis per vim orbatus, Deum ipsum iustum scelerum vindicem nosse compulsus, iustissimè hìc pœnas exoluit; vt futuri sæculi supplicia, Deiquè animaduersionem arcano ipsius iudicio euaderet.

Baronius an. 541. n. 6.

Belisarius militū Dux flagellis eruditus.

Inter prospera desipit, & sæpe incipit in ter aduersa.

11. At tanti primùm Viri laudes, Procopio narrante, recensendæ hìc sunt: cuius

cuius ille haud æquiparandam notis patientibus gloriam, viuisquè in tabula coloribus visus est adumbrasse, dum ait: *Erat*(inquit)*Byzantinis Ciuibus voluptati Belisarium intueri in forum quotidie prodeuntem, vel se domum inde recipientem, atque adeò vt tanti spectaculi hos nulla satietas caperet: Nam eius pompa spectatior ob prætereuntium turbam, & subsequentium erat, vt quem Vuandalorum, Gothorumquè, & Maurusiorum multitudo se quereretur nō mediocris,&c.* Eius verò laudes egregiè his Auctor verbis complexus: *Erat item*(inquit)*Vir continentior, qui præter desponsatam sibi uxorem noverit nullam: Nam ex Vuandalis, Gothisquè tanta multitudine, & forma egregia fœminas, quas bello cepisset, earum nullam vel in eius conspectum venire, vel se alloqui quoquo pacto permisit, &c. In rebus trepidis bene sperare, nec terrore aliquo capi: Non prosperis insolens esse, nec vitam in delicijs agere. Nec quisquam vnquam hominum fuit, qui temulentum eum viderit.* Tam frugis itaque, tam sobrius, ac pudico quidem, animo, bellator præ cunctis spectatissimus fuit; vt et palmis onustus, ac ipso affluentium diuitiarum contemptu supra omnes abundè diues, publicos inter honores, ac Populi plausus, suisquè omnium sibi animos singularis beneuolentię moribus conciliaret, vt ex his, quę Procopius narrat, satis liquet. Hæc quidem de Belisario inuicto Romani exercitus Duce inter homines sæculi felicissimos adnumerando Procopius habet; & meritò nisi impiæ Theodoræ votis nimium obsequens, eiusdem nutu, atque imperio dira, ac indigna item facinora perpetrasset. Sed ęquo postmodum Dei consilio factum est, vt ob id vnum, quod ipsum, quem cunctis anteferre debuerat, fœminæ Deum posthabuit, acerbissimas infausto rerum obuentu calamitates meritò perpeti compulsus sit.

Procopius de bello Gothico.

Ingens rerū humanarum prodigium Belisarius.

Egregię ipsius laudes à Procopio adumbrantur.

Baronius an. 541. n. 6.

Theodorę Augustæ nutibus obsequi volens, se ipsum perdit.

12. Nonnullis igitur aduersus Iustinianum conspirantibus, Belisarius in suspicionem adductus, bonis illicò, & dignitatum infulis exutus, dignas vel serò scelerū poenas dedit. Qua super re variæ scriptorum sententiæ extant; alij enim eundem oculis cęcatum, & sic vsque in vitæ finem cunctis miserandum perstitisse: Alij in eo tantùm consentiunt, vt è sublimiori rerum apice deiectus, in pristinum subinde statum sit redditus. Sed de his Ioannis Græci inter scriptores iambos perbellè cuncta decantantis, gratis hic si libet auribus accipiamus.

Baronius an. 561. n. 2. & 3.

Conspirationis in Iustinianum suspicione e summo deiectus.

Iste Belisarius Imperator Magnus,
Iustinianeis existens temporibus Imperator,
Ad omnem quadrantem Terræ cum explicuisset victorias,
Posteà inuidia excæcatus (ò fortunam instabilem.)
Poculum ligneum detinens, clamabat plebi in stadio:
Belisario obulum date Imperatori;
Quem fortuna quidem clarum, excæcauit inuidia.
Alij dicunt Chronici non excæcatum fuisse hunc,
Ex honoratis autem infamem profectò factum esse,
Et iterum ad reuocationem æstimationis venisse prioris.

Ioannes Græcus in suis Iambis.

Fortunæ ipsius tum prosperæ tum aduersæ facies metrice descripta.

Hæc ipse: Atqui de Belisario post infelicitatem in pristinum fortunæ gradū restituto, *Altum*(vt Baronius ait) *apud Græcos silentium.* Et certè Zonaras, cunctis ipsum bonis expoliatum, de rebus verò posthac immutatis nil prorsus meminit; adeò vt à fortuna deiectus, ac derelictus, haud amplius in lucem è tenebris, ac pristinū honoris gradū emerserit: Sed & Glycas minimè ipsum primæuæ felicitatis splendori restitutum affirmat. Idem fere Cedrenus, qui de eodem hæc tradit: *Adeò autem* (inquit)*acceptus fuit Iustiniano, vt is percusso nummo in altera parte, in altera Belisarium armatum effinxerit cum inscriptione hac: Belisarius Romanorum decus. Verùm enimuerò inuidia, vt solet rebus prosperrimè succedentibus insidiari, Belisarium quoque ità adorta est, vt is per calumniam delatus, & Magistratu, & honore sit exutus.* Hæc Cedrenus de Belisario, cui fortuna inter secundos rerum obuentus, vt alijs plerùmque contingit, adblandiendo illusisse visa potiùs est, quàm arrisisse. Sed & Constantinus Manasses, dum præclari Viri commiserando sortem condolet, idipsum in suis Annalibus constanter affirmat, amarulentisque Iustinianum Romanorum Principem pro re tam turpi, adeoquè immani facinore verbis, atque ingratum vtpote hominem vehementiùs istius-

Baronius ubi supra n. 4.

Quod Belisarius è suis calamitatibus emerserit haud probatã à scriptoribus sententiã ex Baronio.

Glycas, Cedrenus in Belisa.

Baronius ubi supra n. 5.

Cedrenus in Belisario.

istiusmodi inuectiua insectatus, vbi res à Belisario præclarè gestas meminit, ille sic habet: *Sed hęc* (inquit) *inuidiæ sceleratissima non placebant propter honestissimam Ducis famam, &c.* Constantinus quippe in inuidiam veluti maleficam, malorumquè omnium causam, & originarium fontem, suum denique acriter stylum ibi intorquens; quin & alij in eodem dicendi argumento versantes, fortunam, quæ humanis rebus nunc maximè cũ arridet, illudere consueuit, proditionis constantissimè arguunt.

Baronius vbi supra n.6.

Constantinus Manasses Imperator ipsum vti ingratũ carpit.

13. Verùm si quis in eiusmodi humanarum rerum, non tam casu, quàm portento altiùs philosophando, & infelicem Belisarij sortem, Christianorum more expendens, ad sua apte, sapienterque initia deriuet; Diuino id potiùs consilio, ac iustis desuper æternæ Prouidentiæ nutibus, quàm cæco fortunæ imperio, ac rerum humanarum tum causis, tum casibus adscribendum censebit: Antiquas quippè hominis culpas, & quę in Theodoræ Augustę gratiam erga Syluerium Sanctissimum Romanum Pontificem sacrilegis audacter manibus præstitit, mente recolens, totum iustissimè proculdubio factum diuinitus affirmabit; vt his Baronius appositè verbis edisserit. *Sed Ethnicorum* (inquit) *sunt ista lamenta, altiùs afsigit oculos Christi fidelis, &c. haud casum incusat, atque fortunam; vt reuerà ob inopiam compulsus sit mendicare.* Iusto igitur Numinis, & miserantis quidem consilio Dux tantus è summo rerum fastigio decidit, vt pœnas videlicet suis iustè debitas culpis, vel in sæculo calamitatibus, attritus; dum toto Pœnitens corde agnoscit, obdoletquè, vel serò exolueret, ac gehennam, cui plectendus alioquì impœnitens seruabatur, expiatus euaderet, iuxta illud: *Non consurget duplex tribulatio.* Ità plane.

Dei nutu Belisarius in calamitates impingit, quia Syluerĩu Rom. Pont. persequutus.

Casus haud fortunę, sed Deo adscribendus.

Baronius vbi supra n. 7.

Nahum. 1. v. 9.

14. Ipsa siquidem tribulatio aberrantes plerumque ad Deum reuocat, adeò vt quos nimiùm felix, ac prospera rerum alea à Deo abduxerat, hos suum aduersitas reatum agnoscere, ac Deum insuper, ac se ipsum probè nosse compellat; *Et vexatio* (inquit) *dabit intellectum.* Quod sanè permultis accidisse constat, qui, cùm prospera sibi arrideret fortuna, insanæ aduersus Deum mentis supercilium attollentes, ipsi in primis contumeliosi extitere, verùm pressuris postmodum exagitati, honorem Deo exhibentes, se ipsos agnoscere, culpam vltrò fateri, ac intimo cordis dolore anteactę errores vitæ execrari cœpere; *Multi enim* (ait Gregorius) *tantò amplius in culpa proficiunt, quantò minùs ex pœna feriuntur.* Id certè patentissimo Andronici Græcorum Imperatoris, vel potiùs tyranni olim exẽplo egregiè comprobari visum est; qui cùm pro Alexio Imperatore pugnans, fortis in acie stetisset, vbi Imperij perduelles, qui aduersus ipsum decertabant, armis deuicit, imperãdi miser ambitu illectus, Imperatorem noctũ, reste illius collo iniecta, è viuis crudeliter abstulit, & mox Imperij clauũ per scelus occupauit: Quin cũ Alexio Protosebasto oculos eruisset, in Latinos (qui Constantinopoli morabantur) grassatus, funestã eisdem cladẽ iniquissimè intulit; Sed miser tãdem captus, catenisq; indomita vti bellua vinctus, ac diris ad vltionẽ modis expetitus, sub ipsum vitæ finem, ac inter supremas vitæ ærumnas reum seipsum agnoscens, amarissimè fleuit, ac humillimis à Deo precibus misericordiam implorando, non absque spe veniæ, iusto in hac vita Dei iudicio mulctatus est ob id felix, quòd diem mortalium scelestissimus infeliciter clausit; adeò vt verum sit, quod Gregorius habet: *Plus* (inquit) *in hoc Mundo honor, quàm despectio occupat; & magis prosperitatis sublimitas, quàm necessitatis aduersitas grauat.* Hæc in rẽ aptè Vir sapientissimus.

Ierem. 28. v. 19.

Vexatio hominibus dat intellectum.

Gregorius Moral. lib. 8. cap. 8.

Baronius an. 1183. n. 19.

Andronicus Græcorum Imperator ob sua scelera flagellis appetitus.

Gregorius Moral. l. 5.

Verberatus à Deo resipiscit.

15. Atqui immensam planè hominis crudelitatem, cœdes item, aliaque turpissima, ob quæ subinde à Deo punitus est, scelera Nicetas cunctis contemplanda ob oculos ponit, quibus profectò Dei in se iram, in omne improbitatis facinus audacter impingens, ac nullum peccandi finem faciens iustissimè concitauit, vt apud Baronium videre est: *Tantam ille* (inquit) *tragœdiam inumbrans potiùs, quàm describens, cùm plurima preterijt horrenda auditu, amore suorum, quæ ex eiusdem temporis scriptore hic consultò narranda à nobis sunt.* Quæ igitur Vuilhelmus Tyrius scriptor fidelissimus in rem præsentem afferat, excipiamus. *Nosti* (inquit) *post prostratum* (*vt audisti*) *Protosebastum, &c. vniuersam regionem subitò conuertunt*

Baronius an. 118, n 9.

Quę, & quã ta ipsius scelera ex Niceta.

Vuilhelmus Tyrius in Andronico.

in

in fauillam, mulieribus, & paruulis, senibus, & valetudinariis incendio consumptis; Monachis autem, & Sacerdotibus primas irrogabant iniurias, & exquisitis perimebant cruciatibus, &c. Quibus ab ipso tragicè hunc in modũ narratis Robertus itẽ rerum huius temporis compilator, immane, quod in Ioannem S. R. E. Cardinalem in publica clade patratum, est facinus his verbis recenset: *Cùm autem Latini occiderentur per crudelitatem, &c. tunc* (inquit) *irruentes in eum Græci perfidi, occiderunt eum, & ligantes canem cum eo, ità quòd cauda canis esset in os eius, traxerunt per vicos Ciuitatis, & facta fouea ibi combusserunt eum; & postea Viri religiosi de fouea tulerunt corpus eius, & optimè sepelierunt illud, vbi crebrò fiunt miracula.* Hæc ille. Porrò diram, horrendamquè barbari hominis carnificinam Vuilhelmus hunc in modũ prosequitur: *Sed nec mortuis* (inquit), *quibus omnis parcere cõsueuit impietas, tuta erat quies, &c.* Hæc ille.

Furor hostiũ in Monachos, & Christi Sacerdotes, ac in reliquum vulgus.

Robertus in Andronico. Baronius ubi suprà nu. 12.

16. Verùm Diuina haud multò post aduersus Andronicum ira è Cœlo iustissimè exarsit, & impium hominem, tot insontium cruore madidum ad pœnas vltrò meritas expetiuit, vt his Nicetas verbis tradit: *Itaque* (inquit) *in Amena Castellum duabus grauibus catenis eum ferreis feris superbo collo iniectis, & compedibus oneratus; vt captiuos tractari moris est, coniicitur; eoquè habitu ad Isaacium perducto contumeliosis verbis insultatur, alapæ impinguntur, nates pulsantur, barba vellitur, dentes excutiuntur, capilli euelluntur. Publicè omnium ludibriis expositus, etiam à mulieribus pugnis cæditur; iis præsertim, quarum maritos aut occiderat, aut excæcarat. Deinde præcisa dextra, in idem Castellum reducitur, sine cibo, sine potu, sine vllo cuiusquam officio. Post aliquot dies altero oculo effosso, scabioso camelo impositus, per forum triumphi specie traducitur, caluo glabra instar aridæ quercus, & ouo nudiore, & breui tunicula tectus, spectaculum miserabile, quod riuos lacrymarum elicere queat ex oculis non inhumanis. Sed stolidissimi, & petulantissimi Vrbis incolæ præsertim fartores, coriarii, opifices, & circumforanea, sordidaquè turba, muscarum instar verno tempore ad mulctras, & pinguia cymbia conuolantium, nulla ratione habita, quòd is nudiustertiùs Imperator Regio diademate ornatus, ab omnibus laudatus, celebratus, adoratus esset: quòdquè sanctissimo iureiurando fidem, & beneuolentiam suam erga illum testati essent, efferatis animis sine vlla ratione ruentes, nihil mali prætermiserunt, quod in Andronicum per nefas non efficerent. Alii clauas in caput eius impegerunt, alii stercore nares eius fœdarunt, alii spongias excrementis hominum, & pecudum fœdatas in faciem eius expresserunt; alii verbis obscænis Parentes eius infestati sunt. Erant & qui verberibus latera eius pungerent: Impudentiores quidam lapidibus coniectis rabidum canem eum appellabant. Scortum quoddam impudens ollam feruenti aqua plenam è culina raptam in faciem eius effudit: Nemo denique erat qui non malefaceret Andronico. Ità ignominiosè in theatrum ridiculo triumpho perductum, ac misero illo camelo detractum, iuxtà duas columellas, quibus supernè lapis incumbit prope æneam lupam, & Hyenam, qua inflexis ceruicibus, quasi altera in alteram impetum factura, concitatæ adstant, pedibus suspendunt fune alligatis. Tot mala perpessus, & alia sexcenta, quę prætermisimus; tamen generoso adhuc animo illata mala tolerabat, ac mente integra ad affluentem turbam, & tacentem conuersus, nil dicebat aliud, nisi:* DOMINE MISERERE: QVID CALAMVM CONTRITVM INFRINGITIS? *Cæterùm dementissima Populi turba ne tum quidem afflictissimo pepercit Andronico, postquam pedibus suspensus fuit: Sed direpta tunicula, virilia eius vexauit, & quidam homo nefarius longum ensem per fauces eius vsque ad intestina adegit; duo verò Latini generis ensem ambabus annixi manibus, in nares eius adegerunt, vt periculum facerent, vter esset acutior ictus, dexteritate gloriati. Post tot ærumnas, & clades ægrè vitam abrupit, dextera cum dolore ad os admota, vt multi putarent eum calidum ex ea sanguinem ob recentem plagam adhuc distillantem exugere. Imperauit annos duos, vnum verò rerum potitus est sine purpura, & regio diademate.* Et infrà, quæ ipsum post mortem funestissimè consequuta sunt, tragico rerum compendio narrans.

Andronicus ad pœnas iustè à Deo reposcitur.

Nicetas in Adronico.

Miseranda ipsius inter hostium manus conditio.

Omnibus inuisus, ab omnibus crudeliter pertractatur.

Sæuiendi in ipsum nullus modus.

Ignominiosè in theatrum camelo impositus, & cunctis ludibrio adducitur.

Quibus modis sit toto corpore trucidatus.

17. *Post dies aliquot* (inquit) *ex alto illo miserabili detractus, & in theatri forniceum quendam vt bestia proiectus iacuit, donec quidam humanitate adducti, nec ira*

Nicetas Chron. in Andronico.

nimium indulgentes, cadauer eius inde sublatum, quod ad Xenxippum est, in quodam infimo loco posuerunt, &c. His planè nostis tristem, funestumque Andronici exitum Nicetas velut viuis in tabula coloribus contemplandum proponit. Quibus sanè homo cunctorum infelicissimus ad Pœnitentiæ inter sæculi huius procellas naufragus recurrens tabulam, pœnis ad compensandas anteactæ vitæ culpas vltrò, patienterque susceptis veniam à Deo, eiusque sibi gratiam visus est promeruisse, vt Baronius testatur: *Quibus* (inquit) *significatur haud absque spe indulgentię à Deo consequendæ Pœnitentem Andronicum esse defunctum, quem in aliquibus commendatione dignum ostendit; vt illud in primis, quòd studiosissimus esset S. Pauli Apostoli, cuius & epistolas præ manibus habere soleret. Apostolum verò ipsum Andronicum non despexisse, sed intercessionibus adiuuisse, cladisquè super eum venturę prænuncium illi fuisse.* Hæc Baronius.

Mortuus in loco bestijs deputato sepelitur.

Baronius vbi supra n. 1.

Pœnitens Dei misericordiam cōsequutus creditur.

18. De veneranda autem Beatissimi Apostoli imagine Nicetas hæc tradit: *Imago verò* (inquit) *cælestis illius Oratoris Pauli, antiquæ manus opus, quam auro exornatam in illa ęde reposuit, imminente ei exitio, lacrymauit. Quo is audito, explorari iubet, an verum sit.* At misso ad explorandum certo quodam homine, ac rei certior factus, certū indè sibi mortis diem instare intellexit; hæc enim Auctor: *Quod vbi alter cum admiratione retulit, Andronicus graui dolore perculsus, & diù agitato capite cum gemitu dixit: Paulum videri sua causa lacrymasse, ac grauissimam sibi cladem impendere. Se enim ex animo amare Paulum, & eius dicta maximi facere, & à Paulo vtique redamari.* Beatissimi igitur Apostoli patrocinantibus meritis sub extremam vitæ periodum, ac supremis vitæ calamitatibus interceptus, Contritionis donum, ac intimum animo sensum doloris, quo ipsius ante obitum salubriter pœnitendo peccata aboleretur, obtinuit, eò quòd in Christi Apostolum se impensè adeò studiosum, ipsius iugiter epistolas perlegendo exhibuisset. Ad quod illud item dignum laude, coronidis instar accedit, quòd tenacissimus semper Catholicę fidei sectator, & illibatus custos existens, quidquid Catholicæ Religioni quoquo modo derogare videretur, in disputationem haud vnquam adduci permitteret: quin & probos insuper, honestosquè homines, ac sacris præsertim literis excultos impenso animi studio diligeret, promeritisq; cumularet honoribus. Hæc igitur, aliaq; sūmis laudum digna præconijs de Andronico Nicetas meminit; de quo ingens illud, ac omni maius præconio his nostris paginis dignè subtexitur, quòd videlicet post tam immania, quibus se ille obstringens Deum exacerbauit scelera, ad se ipsum reuersus, pœnitens tandem, pœnisque etsi crudeliter, iustè tamen absumptus, sic vel serò apud Deum gratiam inuenerit.

Nicet. vbi supra.

Singularis eius erga Paulū Apostolū deuotio.

Nicetas Chron vbi supra in Andronico.

S. Pauli imago ob Andronici cladem proximam illacrymare visa.

Baronius an. 1185. n. 13. 14. 16.

In aliquibus laudandus.

Eius intercessione sub vitæ finem compunctus.

19. At iustam quoque Dei in se vltionis iram haud taliter experti sunt, qui contra ius admitentes, quæ alteri aliquando promiserant, per scelus postmodum fidem infringendo præstare detrectarunt; adeò vt hi pariter, qui diù flagellis obdurverant, & quorum salus desperanda penitus videbatur, aduersis desuper impetiti, ceruicem tandem inflectere compulsi sint. Hinc Leopoldus Austriæ Dux, qui pro dimittendis obsidibus à Richardo Anglorum Rege fuerat apud Cęlestinū incusatus, interpellatusq; Cùm Pontificijs imperijs nō acquiesceret, anathematis subindè iaculo perculsus, in multas demum calamitates miserabiliter impegit. Quibus apprimè eruditus, ac humiliter semetipsum retractans, ab solutionis benignè gratiā sortitus, pœnitēs sub vitę finē pro culpis Deo faciēdo satis, expiatusque decessit, ac bonam de se cunctis spem dereliquit. Sed hìc interim Mathæus Paris audiendus, qui isthæc sic narrat: *Cùmque* (inquit) *& alia multa coram Summo Pontifice Regij Nuncij allegassent, Dominus Papa illico post trinam admonitionem, quam Dux exaudire recusauit, surgens cum suis Cardinalibus, ipsum Ducem nominatim excommunicauit, &c.* Flagellis itaque superbam hominis ceruicē Deus (*qui superbis resistit*) potenter ad parendum inflexit, quibus dum pertinaciter refractarius homo obluctans, à malis, quibus tenebatur, non desisteret; tandè in ipsius caput exacerbati Numinis ira deseuijt, ac superbientem equorum pedibus humi deiecit, vt homo tandem humiliari Deo disceret, qui hacte-

Baronius an. 1195. n. 4

Leopoldus Austrię Dux flagellis atteritur, vt resipiscat.

Mathæus Paris in Ricardo.

Dura hominis ceruix anathemate percellitur.

nus

nus aduersus homines, ipsiusquème Christi Vicarium, iussa contemnendo, adeò superbire didicerat; hæc enim Auctor, qui supra. *Sed cum his* (inquit) *omnibus non sit auersus furor Ducis, immò in deterius aggrauatus; ipse Diuino iudicio terribiliter percussus est. Die siquidem S.Stephani cùm equitando lusum pergeret, socijs comitantibus; equus, cui Dux insidebat, violenter pedem offendens, tibiam sedentis cum pede insanabiliter contriuit. Nā tibia cum pede protinus coniuncta, nigredine quadam intumescens, nullo Medicorum potuit cataplasmate sedari, quin igne, quem infernalem vocant, tumori admixto, intolerabiliter cruciaretur. Quem Dux cruciatum ferre non valens, pedem à crure fecit detruncari, ipso interim dolabrum tenente, cæteris omnibus præ nimio horrore hoc facere renuentibus. Sed non sic doloris cruciatus euasit: nam illicò femur cum corpore reliquo igne illo execrabiliter depascebatur.* Quoniā verò oculos, culpa (vt monet Gregorius) claudit, pœna aperit; flagellis pulsatus profecit; vt scriptor sic docet.

Equo insidens eo ad lusum pergens tibiam insanabiliter frangit.

Dolore nimio excruciatus.

Matthæus Paris vbi supra.

20. *Tandem verò* (inquit) *culpam recognoscens iniquam, quam in Reges, & suos malitiosè exercuerat; suadentibus Episcopis (qui aderant) obsides absoluit, & residuum pecuniæ de redemptione Regis, & quod receperat, se redditurum spopondit, atque Ecclesiasticæ censuræ se deinceps pariturum promisit. Tunc Episcopi, qui aderant, videntes eum in tanta miseria, & calamitate constitutum, à sententia excommunicationis absoluentes, ad Communionem fidelium admiserunt: & sic cum intolerabili cruciatu spiritum exhalauit. Cuius corpus diutius iacuit inhumatum, donec horribilibus scateret vermibus: eò quòd filius eius mandatum exequi nollet: Sed tandem ab amicis compulsus obsides absoluit, & repatriandi licentiam concessit.* Sic infelix profectò Dux vel inter mortis deprehensus angustias, flagellisque à Deo attritus errorem agnoscere, ac semetipsum eius nutibus subdere compulsus, supplex, humiliterque ad Pœnitentiam profugiens, Communioni fidelium redditus est, vbi cuncta se fideliter præstiturum spopondit. Pœnis itaque, ac acerbissimis dolorum aculeis expeditus, è vita Pœnitentiæ subsidio releuatus decessit.

Tandem inter flagella resipiscens ceruicem Deo inflectit.

21. Ingruentes igitur rerum aduersarum procellæ quàmplurimos in sæculo naufragos, rectà plerumque ad portum salutis adducunt, eosdemque terris vehementer impulsos, exagitatosq; cor Cœlo affigere, ac expeditos eitius ad Deum currere haud semel salubri magisterio simul docuere. Quod præ alijs Gerardus S.Bernardi frater suo olim comprobauit exemplo, qui nonnisi aduersis acerrimè extimulatus, ac inter contrarios Mundi fluctus portum denique salutis inuenit; de quo isthæc Gulihelmus Abbas in vita S.Bernardi: *Secundus natu* (inquit) *post Guidonem Gerardus erat miles in armis strenuus, magnæ prudentiæ, benignitatis eximiæ, & qui ab omnibus diligeretur. Qui cæteris, vt dictum est, primo auditu, & prima die acquiescentibus, vt mos est Sapientiæ sæcularis leuitatem reputans, obstinato animo salubre consilium, & fratris monita repellebat. Tum Bernardus fide iam igneus, & fraternæ charitatis zelo mirum in modum exasperatus: Scio (inquit), scio, sola vexatio intellectum dabit auditui, digitumquè lateri eius apponens: Veniet (inquit) dies, cum lancea lateri huic infixa peruium iter ad cor tuum faciet consilio salutis tuæ, quod aspernaris, & timebis quidem, sed minimè morieris. Sic dictum, sicquè factum est. Paucissimis interpositis diebus circumuallatus ab inimicis, captus, et vulneratus iuxta verbum fratris lanceam gestans ipsi lateri, eidemquè infixam loco, cui ille digitum applicuerat, trahebatur, et mortem quasi iam præsentem metuens clamabat: Monachus sum, Monachus sum Cisterciensis. Nihilominus tamen captus, et reclusus in custodia est. Vocatus est Bernardus per celerem nuncium, sed non venit: Sciebam (inquit) et prædixeram, quòd durum esset ei contra stimulum calcitrare; nec tamen ad mortem ei vulnus hoc, sed ad vitam. Et factum est ità: Siquidem de vulnere præter spē citò conualuit, propositum verò, seu votum, quod vouerat, non mutauit. Cumquè iam liber ab amore sæculi, hostilibus adhuc vinculis teneretur, et hoc solum esset, quòd conuersionis eius propositum retardaret, in hoc etiam citò adfuit misericordia Dei. Venit frater eius laborans, vt erui posset; sed non profecit. Et cum nec loqui ei permitteretur, accedens ad carcerem clamauit: Scito frater Gerarde,* quia

Flagellorū procellæ in salutis portum adducunt.

Guilhelm. Abbas in vit. S. Bernard. Abb. lib. 1. c. 3.

Gerardus S. Bernardi germanus frater flagellis pulsatus, conuertitur.

Acceptum in latere vulnus animæ sanitati profuturum Bernardus prędicit.

Vulneratus se Monachū esse inclamat.

quia ituri sumus in proximo, et Monasterium introituri. Tu verò, quandoquidem exire non licet, hic Monachus esto; sciens, quod vis, et non potes, pro facto reputari, etc. Ità planè res homini ex voto accidit: solutis etenim Dei virtute extemplò vinculis saluus, & liber è custodia ad Claustrum, Poenitentiæ initiũ facturus, ibidẽquè perseueraturus vsque in finem conuolauit.

Rainaldus an. 1203. n. 24.

22. Flagellis quippe magna diuinitus, tum ad probè expiandos à culpis homines, tum ad ipsos probandos, & in Dei obsequio prouehẽdos, quin & à peccatis posthac omninò auocãdos, absterrẽdosquè, vt vno Sancti quique viri ore fatentur, mira planè vis inest; Sed vt exẽplis interim res magis, magisq; elucesceat, optimè in rem præsentẽ venit, quod Cantipratanus in suis aptè paginis docet; Christianos videlicet captiuos sub diro Saracenorum iugo apprimè virtutibus excultos profecisse, libertati autem redditos, atque in patriam regressos vitijs deditos maximè itẽ periclitatos; Hęc igitur ille: *Circa illud (inquit) tempus, quo annus Domini M.CC.III. voluebatur, expeditio peregrinorum validissima facta est in Terram Sanctam; vt Saracenos, qui Christianorum fines inuaserant, propulsarent. Factis autem congressionibus plurimis, multi ex vtroque Populo ceciderunt, plurimi etiam in captiuitatem deducti sunt; inter quos è Populo Dei duo milites, vnus ex Gallia, alter ex Brabantia cum quodam nobilissimo Viro in terram Gentilium sunt adducti, et contra natales suos, et consuetudinis vsum grauissimis manuum laboribus, annis tribus addicti: Vt igitur mihi vnus militum narrauit, die quodam sedebant sub æstu solis, grauissimis manuum laboribus fatigati; cùmquè optarent milites cum graui cordis suspirio esse in terra sua, ille nobilissimus eorum in pœna socius, segnitiem eorum redarguit dicens: O miseri, quid optatis? redibitis forsitan, et eritis miseriores in iniurijs pauperum, quàm antè fuistis; hic autem si velletis, possetis vtique finem vitę felicissimum expectare; et hoc dicens, flexis genibus ad Cœlum manus tetẽdit, et oculos: Nunquam mihi Deus Omnipotens redire concedas ad patrios portus (inquit) sed hic sinat me mortem peracta Pœnitentia præstolari. Mira respondentis constantia, nec minùs mira dispensatio Saluatoris! Ambos milites liberatos postea vidimus, et fortè malis, quàm antea, maioribus irretitos: pro illo autem nobilissimo Viro cùm Rex Hierosolymitanus, et alij multi nobiles laborassent, nunquam tamen efficere potuerunt, vt eum à captiuitate Gentilium liberarent. Insuper et hoc ipsum de eo miles socius eius, qui mihi hæc retulit, referebat; quòd tantum post diurnos labores de noctu orationibus incumbebat, quòd ei ad modũ Camelorum calli in genibus accreuissent.* Hæc ille; quibus sanè miro Dei consilio flagellis hic interim probari homines; vt in Christianarum virtutum stadio, eorundem stimulo incitati proficiant: Secus verò inter prospera plerosq; pigritantes deficere, ac certum ipsis ad pristina vitia redeuntibus, virtutes pati naufragium constat.

Christiani sub iugo Saracenorum captiui valde in virtute proficiunt.

Thom. Cantiprat lib. 1. Apum cap. 6.

Duos milites Christianos sub iugo ferreo laborantes, & solum cupientes alter socius pie redarguit.

Orat Deum pro se, ne ab eiusmodi iugo absolui sed mori permittat.

Noctu post diurnos labores assidue orabat, & quod petebat, ibi moriẽs obtinuit.

23. Temporalia igitur, quæ mortales interim sub onere fatiscentes premũt, & in sæculo exercent, mala; ad Deum profectò, & ad cœlestis Regni bona laborantes, Gregorio Teste, perducunt: *Mala quippe (ait ille) quę hic premunt, nos ad Deum ire compellunt.* Quod in Augustino Nouello inter aduersa potissimũm in salutis, immò & ad sanctitatis portum feliciter appulso innotescit, de quo isthęc in Fastis Senensibus sub Christi Anno M.CCC.X. *Neminem æquè vnquam secunda, ac Augustinum aduersa reddidit fortuna felicem, etc. Adolescens suauis indolis, ingenijquè perspicacissimi specimen dedit. Mox humaniorum, grauiorumquè disciplinarum laureis insignis, è magno Lycei Bononiensis exedra sacri iuris oracula euoluens eximio cum plausu exceptus est. Placuit tum Mathæo (sic enim priùs vocabatur) ex Palladis ad Fortunę palestram, regalem scilicet Aulam transire, præsertim alliciente iuuenem comitate, qua Manfredus Sueuus Senenses, eo tempore complectebatur. Breui spectata viri virtus, & industria Regis animum ità cepit; vt in secretorum, & consiliorum omnium communionem admissus, vnus omnia posse videretur. Sed fortuna, quæ in Mathęi sinum se penitus infundere visa erat, vt Scorpius vltima sui parte percutiens, supremis Regis ruinis gratiosissimum quoque aulicum propemodum inuoluit. Manfredo quippè à Carolo Andegauensi S. Ludouici Galliarum Regis germano*

Mala, quæ hic premũt ad Deũ ire compellũt.

Gregorius in moral.

Ex fastis Senensibus an. 1310 die 10. Maij pag. 128. ex B. Iordane de Saxonia in vit. Frat. Eremit.

Augustinus Bononiẽsis aduersis ad virtutem proficit.

In Manfredi obsequiũ ad Aulam pergit.

mano pugna memorabili deuicto, & cæso, vix Mathæus imminens fatum occulta in Siciliæ insulam fuga valuit euadere. Sed ecce tibi nouum in portu ipso naufragium, ex lethali videlicet morbo, quem ex animi angoribus, & grauissima prelij, fugaquè maritima iactatione contraxit. Diuina verò prouidentia salutem per ipsa discrimina afflicto, iacentiquè molita, animum eius ad feriam de relinquenda omni sæculi vanitate cogitationem adduxit: quippe cura non mediocri exercitum vehementer, ac sollicitum habebat, quod manifestè ab officio Christiani hominis discessisse videbatur, qui Manfredi Romanæ Ecclesiæ perduellis, ac diris, & anathemate Pontificio deuoti partes sequutus esset. Vt igitur in æterni Principis gratiam planè bona fide rediret, ex voto illi se obstrinxit, si meritam aduersus se iram non distringeret, sed productiori vita tempus Pænitentiæ largiretur, ad reliquos dies intra religiosa Claustra, quàm posset sanctissimè exigendos. Supplicem receptum in gratiam esse recuperata repentè virium firmitas abundè prodidit, &c. Accepto religioso habitu, nomen ab Ordinis Fundatore, quod in primis optauerat, sortitus est. Ingenium, doctrinamquè à tanto nomine minimè abhorrentem à singulari humilitatis studio occultare constituit, quo veteri animi elationi, & immodicæ gloriæ cupiditati efficaciùs mederetur; eaquè de causa dissimulata priùs omni literarum notitia, inter Conuersos, vt appellant, adscribi curauit; maiore nunc studio in sui vilitatem, & contemptionem intentus, quàm quò ad gloriam olim, & potentiam nisus est. Sic planè recens Augustinus, & alter iam tum re, tum nomine sub Christianæ humilitatis pallio dignus ipsius æmulator delitescere, quo se Deo probaret, cupiebat; sed agnita subinde mira hominis doctrina maiorem ob humilitatis prærogatiuam honoris lauream ipsius Dei calculo tulit: Hæc enim ibi.

Inter exorti belli arma vix in Aula mortem effugit.

Morbo lethali perculsus ipsa inter pericula de salutis portu cogitat.

Religiosum habitum e sęculo profugus induit, Conuersorũ numero aggregatus.

24. *Cæterùm (inquit) Augustinus in sordidis, contemptisquè ministerijs summa cum Christianæ modestiæ laude versatus, vbi primùm cognoscendæ eius virtutis copia fuit, summo in pretio esse, omnium sermonibus, & prædicatione celebrari; nihilquè tam arduum, ac tam sublime, quod industria, fideiquè eius rectè committi non posset, iudicari cœpit. Itaquè iussu Clementis de Auximo suprematunc Augustinianorum Ordinis Magistri sacris Ordinibus initiatus, à Nicolao Quarto Summo Pontifice Romam euocatus est, & summa cum potestate exercendo Apostolica Pænitentiariæ munere Præfectus, in cuius administratione prouincia adeò prudentiam suam, grauitatemquè non modò Nicolao, sed & Cælestino, & Bonifacio Nicolaum sequutis probauit, &c.* Quæ autem subinde fuerint dignissimi apud Deum Viri merita, obiecto diuinitus portento cunctis palam demonstratum est; Sic enim in fastis. *Morti iam proximum densa innotui luce conspexere Religiosi Patres, aliiquè quàmplurimi Senarum Ciues, qui ad supremum obsequij munus accurrerant; donec discreto à membris spiritu radiosa serenitas simul euanuit: Scilicet nonnisi personata ad illum accedere mors est ausa, erubuitquè propria in specie se sistere triumphatori suo, à quo duo corpora erepta olim sibi, atque ad vitam reuocata meminerat.* Sic tantus profectò Vir flagellis in Christi schola luculenter instructus, adeò in religiosa virtutum palestra, & in Christianæ præsertim humilitatis disciplina edoctus profecit; vt dignus Beatissimi Augustini Sectator, eiusquè ęmulatus virtutum exempla, Pœnitentiæ Magister, nonnisi ingenti Pœnitentium lucro inter Superum plausus fit visus tandem moriens Cœlum conscendere. Sed hæc satis.

In fastis Senensibus vbi supra.

Latere doctus velit inter indoctos voluit, sed non potuit agnitus.

Euocatus à Nicolao IV. in Vrbem sacræ Poenitẽtiariæ muneri pręficitur.

In fastis Senens. vbi supra.

Portento supernæ lucis in obitu illustratus.

25. Verùm enimuerò etsi plura item pręcipuorum hominum, qui Dei flagellis attriti, non parum in Dei via profecere, exempla hic recolenda non desint: Amadæus tamen Sabaudiæ Comes, vnus præ cunctis testatissimus nunc Testis accedat, qui cùm aliquando se oborto per summum scelus schimati aduersus Vrbanum VI. immiscuisset, varijs suorum subinde militum exercitu morbis absũpto, Comes insuper dysenteria perculsus, iustisquè à Deo pœnis exagitatus; pœnitens tandem damnati pridem schismatis, & culti à se in Ecclesia non tam Pontificis quàm idoli flagitium execratus, à Deo supplex veniam quæsiuit, ac prioris item vitæ actibus Pœnitentia salubriter expiatis, culpam fatendo, ac petendo veniã, feliciter decessit, vt Vualsingamus sic narrat: *Circà tempus* (inquit) *Paschale Comes de Sauoye, qui cùm viginti octo millibus profectus fuerat, cum Duce An-*

Rainaldus an. 1383. nu.

Amadæus Sabaudiæ Comes flagellis ad bonam frugem adductus.

Vualsingamus hist. Angl. in Riccardo 2. Summontius lib. 4. cap. 1.

Andegauiæ contrà Papam, & Carolum de Pace, cùm diutinam moram fecisset in illis partibus, sed damnosam agnouit manum Domini contra eum missam. Nam qui in patria sua subdi Deo noluit, & communem Mundi Patrem venerari; sed potius dimissa quiete, qua diù gauisus fuerat, statuit persequi; in remotis partibus iusto Dei iudicio miserabiliter percussus, Antiochi more perijt in terra peregrina, contestatus priùs, quòd iustum est subditum esse Deo, eiusquè vero Vicario, quòdquè peccauit enormiter, Patrem filius persequendo. Quapropter filio suo, & heredi dedit mandata salutaria, nè Vrbanum Papam exemplo paterno persequeretur, & si quid fortè contra eum tentasset, celeri satisfactione corrigere niteretur, ac ad vnitatem Ecclesiæ se conferret. Augebant autem non solùm dolorē suum, sed & Pænitentiam eius mortes infandæ suorum militum, quos conduxerat, qui omnes præter octo ante ipsum dysenteria perierunt; talique fine consummatus est Comes, & penè sui cuncti milites, Duci Andegauiæ, si fuisset in gratia, manifestum resipiscendi relinquentes exemplum. Flagellis itaque Comes à Deo immissis probè admonitus, ac seriò admissi facinoris culpam agnoscens, retractansquè, ob spem veniæ à Deo impetrandæ ingenti ad Pœnitentiæ remedia animi feruore confugit.

Dùm Romanorum Pontificem armis persequitur, à Deo percussus honorem agnoscens retractat.

Milites eius omnes fato absumpti.

26. Demum, vt isthæc narrandi sit finis, nedum flagellis non nullorum plerumque, sed & publica item omnium salus prouido Dei nutu ad optatum pacis, & tranquillitatis finem aliquando perducitur; adeoquè Florentia, Vrbis Italiæ lectissima cum metu perculsa Carolum Francorum Regem venientem perhonorificè excepisset, & Ciues parùm beneuolè ab eodem pertractarentur, timerentquè vehementius, ne libertate amissa, triste ac durum ex insperato seruitutis iugum subirent, corde ad Deum compuncti, magnum sui, Niniuitarum Pœnitentium adinstar, exemplum cunctis dedere, vt Petrus Delphinus in suis ad Patauinum Episcopum literis lamentabundus sic meminit: *Commiseratus sum* (inquit) *tam fœdam inclytæ Vrbis faciem tantis implicitam curis, quæ hostili ab amicis animo pressa, blandiri eis, atque arridere cogebatur, qui de se erant quàmpessimè meriti: Solatus sum plerosque conuenientes me domi, suasiquè, vt agerent Deo gratias, quòd de magnis periculis liberati magnificè, non essent passi grauiora, & minus etiam malum pro maximo existimarent bono; siquidem castigasset eos Dominus, et morti non tradidisset eos, casos nempe illos fuisse, sed flagellis, non scorpionibus, tentatos cum fideli Abraham, si diligerent Deum, visos in tribulatione patientes, et renerà ita fuisse apertissimis deprehendi argumentis. Retulit mihi per id tempus Florentiam Ciuitatem magnam itinere dierum trium, quæ conuersa est ad prædicationem Ionæ; vidisses hoc aduentu Domini abstinere ab esu carnium, neque permissa edicto publico aperiri macella. Templa vbique solitò amplius Confessoribus; ac pœnitentibus plena, totquè vtriusque sexus sacrosanctum Corpus Christi Dominico Natali die perceperunt, vt Paschalem solemnitatem retulerint. Si perstiterint in fide, neque declinauerint à mandatis Domini, timere non poterunt surrecturos in Iudicio secum Viros Niniuitas, sequè condemnaturos; quoniam sicut illi ad prædicationem Prophetæ, ita isti ad proborum Religiosorum hortamenta optimè conuersi sunt.* Hæc optimè in rem Delphinus, dum Florentini iustum inter metum, malorumquè impendentium procellas animo fluctuantes; propterea ad Deum supplices, humilesq; Niniuitarum in morem, eorundē vestigia ad Pœnitentiæ contentionē vsq; sectarentur. Magnum profectò animarum inter tot tum priuatæ, tum publicæ rei pericula simul, ac detrimenta lucrum, dum sic pœnitendo ad Deum, veniam ab eo implorantes, humiles compunctos, dolentesquè transfugere salubriter contigit.

Rainaldus an. 1494. nu. 25.

Flagellis nedum priuata, sed & publica quoque salus prouehitur.

Petrus Delphinus lib. 4. Epist. 24.

Florentini libertatis sub Carolo Francorum Rege amittendæ metu cõcussi Niniuitarũ more ad Poenitentiæ arma confugiunt.

Quanta laudabiliter eis præstiterint magno animi profectu.

27. Quod verò (vt pauca isthæc narratis subtexamus) vitæ huius interdū incommodis homines à malo resipiscant, Regius olim Psaltes iam probè semel edocuit, dum tribulationem ad prauos, & exlegum corrigendos hominum mores vim legis, ac fræni quodammodò, efficacem sortiri vim affirmat. *Constitue* (inquit) *Legislatorem super eos, vt sciant Gentes, quoniam homines sunt*. Quod quidem cùm Vir superioribus annis prauis irretitus amoribus, & suorum semper frustrà errorum resipiscentiam proponens, at peccando nunquā finem faciens, suo iam satis, superque experimento intelli-

Psalm. 9. 21.

Flagellis à Deo homines erudiuntur, vt se ipsos agnoscãt.

telligeret, S.Philippum Nerium tutelarem sui Patronum post nuncupatum Deo votum exorauit, vt ad se ab insolito turpium lasciuiarum cœno, & simul vitio abstrahēdum, quidpiā sibi aduersi è Cœlo, suis vtpote malis remedio futurū impetraret; quo nimirùm saucius corpore, animo subinde cōualescens, sanus tandē à libidinis morbo euaderet. Quid multa? Orauit, exauditusq; è Cœlo est: Ipsius namque votis Sanctus Pater clementer annuit, eò magis propitius, quò magis iratus, & cum plectendo vindex, tum maximè erigendo, iuuando Patronus oranti adfuit. Quodā etenim die dū equo vir nobilis per Vrbem vectus excurrit, à recalcitrante subinde excussus, ac tota vi calce in pectore percussus, mox in terram semianimis corruit: At sanum tunc maximè mentis concipiens propositum, errores anteactæ vitæ ex corde retractans, prauam inueterati amoris consuetudinē intimo animi sensu execratus, iam alius profectò ab eo, qui pridem fuerat, & antequam caderet, & cadendo iam assuetus post casum è terra surrexit; adeoquè votiuam quamprimùm, intus magis, quàm foris sanus ad S.Philippi sepulchrum tabellam, accepti ab eo beneficij testem, his planè notis signatam, Beatissimi Pauli Apostoli similitudinem exhibens detulit: *Percussit me, & liberatus sū*. His planè, quod Diuinæ iuxta Prophetæ verbum, dexteræ proprium est, quasi digito innuens: *Dominus mortificat, & viuificat, deducit ad Inferos, & reducit; humiliat, & subleuat*. Enimuerò hic corpore quidem ob ictum saucius, at ob inde acceptū lumen mēte omnino sanus, vegetusque surrexit; adeoquè dum Sanctus Pater suppliciter ab eo exoratur, iam percutiens, & sanans, haud impar homini, quàm si totum sanasset, beneficium contulit. Sed ad alia interim stylum conuertimus.

Ex votiua ad S.Philippi tumulum delata tabella in Ecclesia B.Mariæ in Vallicella.

Vir lasciuiarum morbo vitiatus, à S. Philippo, vt quid sibi aduersi contingat, supplex poscit, & exauditur ad salutem.

Tabellam votiuam ipsius tumulo affigit.

Regum 1. c. 2. v. 6. 7.

CAPVT VIII.

Doloribus, aut corporis infirmitate vexati, Pœnitentes obeunt.

1 GLoriabatur, & meritò aliquando Apostolus in suis sollicitè adeo exambiendis infirmitatibus, eò quòd ampla inde sibi virtutis occasio, nec paruus meritorum apud Deum cumulus, originario velut è fonte manaret: *Libenter* (inquit) *gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Christi*. Infirmo etenim, ac languente iugiter corpore ea ipsi è Cœlo virtus refundebatur; vt pari tum infirmitas corporis, tum animæ virtus certatim gradu procederet, ampliorēsque ex imbecillitate vires inter languendum contraheret: *Cùm infirmor* (aiebat) *tunc potens sum*. Sciebat quippe Diuinarum rerum scientissimus tunc magis vigere spiritu hominem, cùm cato languens magis affligitur, magisquè inter aduersa debilitatibus premitur. *Afflictio quippe* (vt ait Hieronymus) *materia præmiorum est*. Itaquè cùm Sanctos Viros corporis imbecillitas corripit, & carnis infirmitas arcano plerumq; acium sto Dei consilio exercendo atterit, pœnitentes quoq; malorum eiusmodi tolerantia haud intactos præterit; ne quis videlicet, alieno admonitus exemplo aduersus Dei voluntatem, se impatienter gerens ferendo, atque oblatrando per socordiam pugnet, vt optimè in rem præsentem Hieronymus sic improbis aliquando inculcat: *Cùm Sanctos* (inquit) *è contrario sciamus ægrotationibus, miserijs, & egestate torqueri, qui forsitan dicunt; ergò frustra iustificaui cor meum, & laui inter innocentes manus meas*. Si ergò iustos sic Deus in stadio ad virtutem, & ad coronam exercet, pios quoque Pœnitentiæ cultores ad faciendum Deo satis pro anteactæ vitæ culpis vtiliter pronehit, & ad ferendum pariter, quæ carni permolesta sunt accendit: *Libenter quippe* (vt ait Hieronymus) *tormenta patiar, vt mihi gloria referuetur*. Quid aliud verò patienter se inter isthæc malorum incommoda habentibus, nisi indulgentia, nisi palma, & vitæ corona seruatur? *Si tamen* (inquit Apostolus) *compatimur; vt & conglorificemur*. Ità prorsus.

2. Quemadmodum ergo firma corporis sanitas, animæ interdum bono & ipsa virium fortitudo, robori spiritus plerumque obest; sic pariter membrorum languor, & ægritudo, sic perfractæ vires, debilitates, & quæ aduersæ accidunt incommoda valetudinis prodesse plu-

2. Ad Corinth. c. 12. 9.

In infirmitatibus Dei seruis gloriā dum.

Ad Corinth. 2. ad Corint. 10. v. 5.

Hieronymus epist. 48. ad Castruccium.

Infirmitate corporis anima proficit, sospitate lāguescit.

Hieronymus epist. ad Castruccium.

Hieronymus vbi supra.

Doloribus salus, laboribus quies, languoribus sanitas animi comparatur.

Apostolus ad Rom. c. 8.

plurimùm homini experimento euincitur. Hinc sapienter Hieronymus dum morborum aliquando, ipsorumque vtilitatis meminit: *Melius est* (inquit) *caput dolere, quàm mentem*. Et cæcitatem insuper, quæ malis cunctis molestior accidit, seriò cogitans: *Multò melius est* (inquit) *spiritu videre, quàm carne, & illos oculos possidere, in quos peccati festuca non possit incidere*. Enimuerò vbi languores, vbi morbi, vbi dolores, debilitatesq; ac cætera eiusmodi hominem vexant, non secus ac iustus Dei exactor dignas peccatorũ à nobis pœnas reposcunt, admonentq; hominem; vt ad Pœnitentiam procurrens, patienter cuncta ferendo mala, quæ sustinet, in bonum conuertat, & de necessitate virtutem faciens, momentaneis interim pœnis exoluendo redimat, quod sempiternis in altero sæculo cruciatibus fortasse sibi fuerat exoluendum. Innumeri autem sunt, si quis rem curiosiùs expendat, quos infirmitas corporis Cœlo tandem mente sanos, vegetosquè feliciter inuexit, ac temporalibus pertentatos languoribus, solida, ac perenni Deus sospitate donauit.

Hieronymus epist. ad Castruccium.

Quanta ex infirmitatibus, ac ęgrum nis bona iux ta Sanctorũ sententiam.

3. Paula siquidem Romanarum nobilissima, integro mentis robore, ac spiritu fortis, crebrosquè inter languores sexu, ac se ipsa in dies fortior, illud ipsa, Hieronymo teste: *In languoribus, & crebra infirmitate dicebat. Quando infirmor, tunc fortior sum; & habemus thesaurum istum in vasis fictilibus, donec mortale hoc induat immortalitatem, & corruptiuum vestiatur incorruptione*. Fęmina etenim omniũ Sanctissima, & sic planè vti vna è Pœnitentiũ numero, eorũdem haud meritò impar exercebatur; vt nec laboribus, nec ieiunijs, assiduisquè attrita languoribus, sibi vnquam perferendo parceret: *Nulla* (inquit Hieronymus) *iuuenum puellarum sano, & vegeto corpore tantùm se dederat continentia, quanta ipsa fracto, & senili, debilitatoquè corpusculo*. At mirum dictu, quantum hæc ex infirmitate proficeret, & quas inde tanquam è virtutum palestra, ac meritorum promptuario, animi vires, ac mentis quotidie robur accerseret: *Quoties* (inquit) *infirmitate corpusculi, quam incredibili abstinentia, & duplicatis contraxerat ieiunijs, vexabatur, hoc in ore habebat: Subijcio* (inquit) *corpus meum, & redigo in seruitutem spiritus, &c. & totum lectum meum versasti in infirmitate*. Sic planè mulier se ipsa, ac sexu robustior constanter in acie perstans celeri ad brauium pede currebat, vt ipse Hieronymus vltrò testatur: *Inter dolorum* (inquit) *aculeos, quos mira patientia sustinebat, quasi apertos sibi Cælos aspiceret, loquebatur: Quis mihi dabit pennas sicut columbæ, et volabo, et requiescam*. Hæc ille.

Hieronymus epist. ad Eustochium super obitu Paulæ.

Paula Romanarum nobilissima corpore infirmo vegeta spiritu, ac fortis fuit.

2. ad Chorint. 4.

Pia ipsius crebros inter lãguores studia, & exercitationes.

Hieronymus ubi supra.

Hieronymus epist. vbi supra ad Eustoch.

4. Infirmitas igitur, quę corpori nõnisi prouido Dei nutu accidit, cùm tanta, spiritui bona præstet, quid velut ingratum haud reijcienda; immò exopranda potius homini, qui se interim Pœnitentiam in sæculo agere profitetur: *Grauis quippe* (vt Sapiens ait) *infirmitas sobriam facit animam*: Et nedum vexando hominẽ expiat verùm etiam à culpis laborantem, seruando immunem, sic à pœnis insuper absoluit. Quapropter Timothęus multis olim detentus languorum incommodis, toti licet Ecclesiæ ipsius maximè perutilis opera, ac necessaria foret; minime tamen ab Apostolo à suis curari omnino morbis meruit, sed potiùs, vt virtute amplius proficeret, caueretque sibi imposterum ab animi malis, vexari multipliciter haud casu permissus est, modici duntaxat vini potu ipsi benignè indulto: *Vtere* (inquit) *modico vino propter stomachum, et propter frequentes tuas infirmitates*. Hæc ille.

Psal. 54. v. 7.

Ecclesiast. 31. v. 2.

Grauis infirmitas sobriã facit animã.

Apost. epist. ad Timotheum 1. c. 5. 23.

Timotheus Pauli Apost. Discipulus infirmitatibus laborat.

5. Quantum verò integra homini sanitas detrimentum afferat, Iudæorum quidem ex Aegypto ad Palæstinorum Regionẽ ipsis diuinitus repromissam, per deserta loca sub Moyse Duce properantium exemplo satis ostenditur, qui nullũ incommodæ valetudinis vitium diutino itineris cursu perpessi, crebrò item in Deum peccando, & aduersus Moysen rebellando, suis subinde frustrati votis, ad vnum in deserto omnes, præter Iosue, & Caleb tandem periere: *Et non erat* (inquit Psaltes) *in tribubus eorum infirmus*. Quod seriò pijssimus Rex Ezechias aliquando recolens, vt Iudæorum genti à culparum lapsu sollicitè præcaueret; Salomonis librum, in quo de singulis lignis, ac herbis, earumq; virtute disputando singulis apposita morbis remedia suppetebant, vltricibus flammis absu-

Longa sospitas Israelitis ad repromissam terram properantibus noxia.

Eusebius Cæsareensis apud Anastasium Nicenum.

absumendum dedit; Iudæos scilicet infirmari satius ducens, quàm firma iugiter sanitate potitos in Deum per scelus insurgẽdo recalcitrare. Hęc enim ille: *Propterea* (inquit) *quod Populus morborum inde accipiens medelas, nihil duceret à Domino accipere curationem*. Quantum verò boni infirmitas pœnitentibus afferat, & quanti ad abstergendas animi culpas emolumenti sit, videamus.

6. Carolus Martellus in primis Francorum Rex, regijs plusquam par est, elatus infulis, ac se hominem oblitus, vbi languoribus à Deo perculsus est, seriò se ipsum agnoscens, mox & ad Pœnitentiæ medelam, ac lamenta confugiens, nedum sapere inter languores didicit; sed & plurimùm infirmitate, ac malis edoctus profecit. Enimuerò cùm ipse suo cuncta pro libitu agens, Ecclesiæ bona per scelus vsurparet, demum facti pœnitens, conscientiam sub vitæ finem salubriter expiandã curauit, ac Deo pro culpis faciẽdum satis voluit: Longa quippè diutini morbi molestia pulsatus, condignas in hoc sęculo pœnas dedit, vt optatam animæ salutem in altero tandem consequeretur; hæc enim Lupus ad Valdonem scribens meminit: *Cùm Carolus* (inquit) *Princeps cognomento Martellus longa febrium vexaretur molestia, ac sibi, potiusquè fastidio vitæ periculum incurrisset, ei Beatus Maximinus capienti somnum apparuit, vtquè se ad suam abeuntem sequeretur memoriam, demonstrauit; expergefactusquè Carolus satellitem, qui sibi fortè assidebat, percontatur, si videret Beatum Maximinum, qui secum paulò ante contulisset sermonem; illo verò negante: modò (inquit) foras egreditur, atque imperauit; vt se continuò sequerer, apud eius tumulum salutis compos futurus. Ità illum in lectica deportatum, & in soporem resolutum S. Maximinus iterum alloquitur, seque pro illo Domini postulasse clementiam ostẽdit; illum verò, ne se vltrà dedas vitijs, admonet. Mox vt euigilauit Carolus, exurrexit, & promotis promissis in sacrarium secessit, ibiquè offerendos cibos poposcit, qui triginta diebus proximis sumendorum alimentorum sibi possibilitate sublata, vix vitam solius aqua haustu retinuerit. Escis itaque sumptis amissas redire vires persensit, huiusquè non immemor beneficij, Cœnobium S. Maximini, prædijs auxit, &c.* Ex quibus à Carolo auctas liberaliter bonis Ecclesias satis constat, quas nonnulli pridem ab eo expoliatas fuisse tradunt, & B. Maximini precibus ipsum veniam à Deo impetrasse. Sed de ipsius Caroli pietate ingens, ac nobile extat Ludouici Imperatoris elogium, qui ad Hilduinum Abbatem scribens, plura tanto digna Viro præconia recenset. Sãctus item Bonifacius in Epistola, quam ad Ethelbaldum Merciorum in Anglia Regem scribit, vt hominem scelestissimum ad Pœnitentiam reuocet, inter alia plura Regum exempla meminit, qui ob immensa ipsorum scelera nonnisi malè demum periere; adeò vt vnà cum corpore animæ subeuntes dispendium, perpetuis Inferorum sint pœnis addicti, vbi de Carolo (vt Baronius adnotat) præcipuam mentionem faciens, isthæc consultò apponit.

7. *Carolus quoque* (inquit) *Princeps Francorum, multorum Monasteriorum euersor, & Ecclesiasticarum pecuniarum in vsus proprios commutator, longa torsione, & veranda morte consumptus est*. Hęc ille de Carolo, qui si è vita impœnitens abijsset, haud isthęc silentio præterijsset, sicut de alijs ibidem apertè dixerat. Verùm etsi diù ob dolorum acerbitatem cõtabescens morte abreptus est; haud tamen impœnitens, & absq; exomologesi viuendi finẽ fecit, sicuti quę ex Ludouico Imperatore excerpta sunt, satis superq; demonstrant. Quibus & illud ex Baronio accedit, laudatam scilicet summam Caroli pietatem testatissima duorum Romanorum Pontificum fide, Gregorij Secundi videlicet, & alterius Gregorij eius Successoris eiusdemquè nominis Tertij, cuius dignissimum illud de eodem Carolo Martello asserentis præconium extat, quòd Dei ope, & Caroli eiusdem opera S. Bonifacius centum millia Germanorum paganorum feliciter ad Christi fidem, illibatamque Religionem traduxerit; adeò vt eodem teste Baronio nobis planè & ipsũ salutem vnà cum pijs Regibus, à Deo consequutum affirmare haud temerè liceat. *Etsi enim* (inquit) *peccator extiterit (vt solent Reges sępe delinquere) per exomologesim illam factam, qua suam animam per S. Dionysium præsentandam adeò sollicito studio commendauit, bene de eius salute sit speran-*

Baronius an. 741. n. 88.

CarolusMartellus, Rex Francorum languoribus pulsatus, post infirmitatem nentis fastũ deponit.

Lupus in gestis S. Maximini Episcopi Treuirensis.

S. Maximinus ei apparens, vt à vitijs abstineat, ipsum sequatur, admonet.

Baronius an. 15.

Carolus dictus parens, pristinos vitæ mores immutat.

Baronius vbi supra n. 19.

Baronius vbi suprà nu. 10.

Surius die 9. Octobris in S. Dionysio Areop.

Doloribus in tumè vexatus animæ curã aggreditur.

Baronius vbi supra. n. 10.

Culparum exomologesim instituit, & cum spe salutis decedit ex Baronio.

Centum millia Germanorum gentilium ipsius ope à S. Bonifacio ad Christum traducta.

randum, cùm & insuper ab ipso S. Bonifatio Germanorum Apostolo satis laudatus inueniatur. Hęc apud Baronium, quibus pium Regem haud dubijs Pœnitentiæ signis, atque operibus decedentem, æternæ salutis beneficio donatum quis meritò credere, ac enunciare valet.

Baronius an. 976. n. 6.

8. Euphraxius item (vt susceptam hìc narrationem prosequamur) è Constantinopoli ad administrandas occidentales, Italię videlicet, & Calabriæ regiones directus, corporis haud parum infirmitate profecit. Cùm enim infelix vitijs immanè irretitus, ac superbiæ nimis fastu tumidus, luxuria item turpiter diffluerct; adeò vt naturę ipsi inferret iniuriam, sceleribus denique seipsum vincens, B. Nilo insuper contumeliosus extitit. At Vir Dei piam, ac se dignam ex eo vltionem pro iniurijs exoptans, assiduis in Monasterio pro illius salute Deum precibus exorabat. Enimuerò cùm repentina ipsius capiti mors immineret, Beato Viro Deū supplicante, ad salutem dilata hæc est: Morbo quippe superbus homo correptus, Deo honorem dedit, ac hominibus ceruicem inflectere vel nolens didicit; supplex extemplò, qui paulò ante ferox adeo minabatur, atque insultabat, cunctorum præter spem effectus: Cùm tribus igitur annis pessimus secretiores corporis partes morbus, ad expiandas luxuriæ labes inuadens, iam fere absumpsisset, necnō salutem infirmus Serui Dei precibus, ac opera humiliter à Deo exposceret; tandem B. Nilus ad ipsum accessit, ac tot, tantisque Euphraxius lacrymis Beati Viri pedes abluit, vt supplex peccatorum, suspirijs intimi cordis veniam humiliter petens, monastico indutus habitu, non nisi maximè compunctus, ac valde pœnitens è vita decesserit: Sed ex B. Nili isthæc actibus repetenda sunt.

Euphraxius Vir clarissimus, fastu tumidus, & S. Nilo contumeliosus, morbo attritus resipiscit.

9. *Cùm itaque reuersus esset Euphraxius cum multa elatione, & fastu, cum ab Imperatoribus constitutus ipse esset Iudex Italiæ, & Calabriæ; omnes quidem Præpositi Monasteriorum regionis illius accedebant ad eum cum muneribus, & adulationibus, orantes eum singuli, vt ipsos protegeret, & sibi opem ferret. Beatus verò Pater Nilus, ne videretur vel comminationes hominum metuere, vel confidere Principibus, quos præ contumelia filios hominum Propheta vocauit, in quibus non est salus; neque accessit adulaturus, neque donis comminationes superbiæ illius, & audaciæ lenire quæsiuit: Sed in suo manens Monasterio, & quieti incumbens, Deum rogabat pro totius Mundi salute, et pro anima Euphraxij Præfecti. Quod quidem ad maiorem furorem, & insaniam accendit cor superbi illius; quia cùm ab omnibus honoraretur, & coleretur, à B. Nilo apertè contemni videbatur. Quapropter non destitit quærere iniquitatis occasionem aduersum iustum illum, cùm non inueniret: Non enim cognosci potest vestigium colubri super petram, quemadmodum nec Principis iniquitatem in homine coronato est facile reperire. Intereà dum ille animo conflictaretur, multa mala aduersus Nilum meditatur. Repentina imminebat illi mors, sed Beati Nili oratio illam praeoccupauit.* Vir namque Dei pro homine iugiter apud Deum sollicitus, ipsius animam, cuius vita singulis diffluebat momentis, precibus lucrari cupiebat; & mors vtique satis festina, nec absque certo salutis dispendio adfuisset, nisi Vir Sanctus nedum morbo, sed morti insuper orando obstitisset: Verùm Nilus, vt improbi adeo hominis sanam redderet mentem, eundem acerbissimo quidem, vt tandem resipisceret, morbo vexari à Deo fiducialiter impetrat; hæc enim ibi.

Ex gestis B. Nili lib. 2. cap. 7.

Ferox, ac minans humiliari nescie bat.

Psal. 45.

A S. Nilo Abbate ipsius iniuriæ vltio cum fastu contemptæ.

10. *Morbus* (inquit), *qui cancer dicitur, circà glandem virilis membri cùm illi ortus fuisset, Medicorum inutilem artem esse arguebat: pœnas autem dabat luxuriæ instrumentum, propterea quod incontinentia sua naturæ legem afficiebat iniuria. Ad hæc itaque conuersus, et temeritatem suam, qua aduersus Sanctum vsus fuerat, detestatus (erat enim satis prudens Vir ille, licet potestatis magnitudine satis fuerat elatus) supplex efficitur, qui anteà comminationibus obstrepebat, si quo pacto fieri posset; vt eius aspectum tantùm intueri obtineret, et benedictionem, ac absolutionem ab eo accipere mereretur. Beatus verò Nilus præsentia quidem procrastinabatur coram cum illo agere, cùm nec eum ipse reciperet venientem ad Monasterium, nec vellet illum adire, et eius preces perficere, et adimplere, hoc pacto salutem illi procurando; Sciebat enim congruo tempore grauitate, et seueritate vti, vt par est, aduersus eos, qui sensu rationis carent. Cùm igitur tribus annis* mor-

Cancri morbo pene vius absumtur, & S. Nilo, vt ad ipsū veniat, humiliter supplicat.

In gestis B. Nili vbi supra.

Tribus annis morbi molestia vexatur.

morbus ille à Deo immissus paulatim assumpsisset occultas partes, accessit tandem principi membro, et mortem illi comminabatur eius corruptione: Tunc accessit ad eum spiritualis Medicus precibus, aduentu, et Epistolis humanissimis. Cùm igitur vidisset Euphraxius Beatum Nilum, et reuerendos eius pedes amplexus esset, tantam lacrymarum abundantiam effudit, illos deosculando; vt et ipse Sanctus Pater, et omnes, qui aderant, collacrymarentur cum eo vehementer: Nihil enim aliud licebat videre in ipsis, vel alicui comparare, quàm peccatrici illi Euangelica in Contritione tenenti pedes Domini, et remissionem ab eo petenti delictorum suorum. Cùm itaque B. Nilus vidisset ipsum lacrymis satiatum, quasi infantem proprio vbere extendens manum eius suscepit, et subleuauit. Ille verò cum omnibus praecepisset, vt egrederentur, cepit denudare ei morbum animae per corporis morbos, et lacrymans dicebat: Ecce venerande Pater, tribus annis noctu, dinquè torqueor hoc morbo grauissimo, doloribus maximis, et ineffabili fætore afflictus, quem neque multis vnguentis adhibitis, neque vestium frequenti mutatione (septies enim in die mutor) vitare potui, etc. Et sanè quod Sapiens olim opportunè præmonuit, in Euphraxio luculenter adimpletum est: Graui etenim infirmitate pulsatus sobriam recepit animam; sic profectò miser lacrymis perfusus vberrimè, sanam mentem induit, ac viuens totum se Dei obsequio postmodum moriturus despondit: Hæc enim ibi.

S. Nilus, spiritualis vti Medicus, ad infirmum accedit.

Lacrymis, ac singultibus ab ęgroto morte iā proximo excipitur.

Ecclesiastici 31. v. 2.

11. *Iterum igitur manus B. Nili Euphraxius tenens, lacrymis illas abluēdo aiebat: Miserere mei per Dominum, ò imitator Christi Domini, et dignare venerandis hisce manibus me tondere, licet omnibus vitijs plenum, et iniquitatum: Voui enim Deo fieri Monachus. Dixit autem illi B. Nilus: Non licet tibi Viro prudenti, et valdè perito vulgarium hominum verba sapere, atque proferre; omnes enim, qui sacro Baptismate sunt insigniti, et illud immaculatum ab omni peccato non custodierint, debent absque voto aliquo iterum suscipere Pœnitentiæ baptismum, quem pro magna sua misericordia, et bonitate Deus hominibus largitus est diuitibus, pauperibus, Regibus, Sacerdotibus, et Pontificibus, et omni animæ, qua voluerit in temporis momento regenerari sicut Aquilæ iuuenta, et liberari ab omnibus præteritis peccatis. Quod autem dixisti, vt te tonderem, humilis Monachus ego sum, nullum sacerdotalem gradum adeptus, etc. ego enim quid sum, vt hoc mihi sumam. Ille verò iterum manus deosculans B. Patris Nili, orabat illum, obtestando; vt hoc opus non demandaret alteri, sed per eum sanctum, et Apostolicum habitum susciperet, etc. Victus igitur lacrymis, et precibus eius, suis manibus ipsum totondit, et induit eum vestibus venerandæ humilitati statutis, eum videlicet, qui mollibus, et latis vestibus paulò ante induebatur.* Hæc ibi.

In gestis B. Nili Abb. vbi supra.

Monachalem à b ipso vestem poscit, d vouisse testatus.

S. Nilus, eo quòd Sacerdos nō esset, id facere renuit, sed tandem compulsus præstat.

12. Mira planè contriti cordis, ac indulta desuper virtus, quæ vbi pœnitentis animo insedit, eum confestim sæculo vnà cum vestibus, & delicijs pariter abdicandū, ac religiosæ vitę armis accinctum, nouam in Christo militiam, ac Dei famulatum ambitioso mentis aggredi obsequio cōpulit. Quo quidem piæ conuersionis exemplo mira Dei Bonitas, ac Potentia haud obscurum toti mirabilium suorum Orbi argumentum prębuit; adeò vt hostes ipsi Christianæ fidei iugiter infensi, ad insusitatum eiusmodi portentum, ex tumido vilem, & iā ex Præfecto Monachum videntes, Dei altiùs magnalia inclamantes satis nunquam pro merito obstupescerent; hæc enim acta Lectori exhibent: *Aderat & Iudęus ille Domnulus Medicus, cuius anteà mentionem fecimus, spectator omnium, quę fiebant. Qui egressus inde, et quod gestum erat admirans, dixit illis, qui aderant: Vidi hodie mirabilia, quę olim facta audiui. Nunc vidi Prophetam Danielem cicurantem Leones. Quis enim vnquam potuit huic Leoni manus imponere? Ille verò iunior Daniel, et comam totondit illi, et caputium iniecit. Et hæc quidem dicebat Hebræus. Euphraxius verò, postquam totum Angelicum officium peractum fuit in se ipso, hortatus omnes ad prandium; cùm se ipsum compofuisset, & accinxisset instar famuli, illis feruire satagebat, qui ante multos dies è cubili surgere non poterat, confirmatus virtute Sancti Spiritus, & gratia manuum B. Nili. Cùm autem imperatum illi esset, vt sederet prope ipsum, petijt iterum, vt sibi liceret instar famuli ministrare mensæ, & hoc facto omnes stupebant pro vigore; & promptitune Viri illius, & Deum glorificabant. Post-*

Vir armis accinctus nouam Christi militiam suscipit.

Christianę fidei hostes hominem ex Præfecto Monachum videntes obstupescunt.

In S. Nili gestis vbi supra c. 1.

Euphraxius nouo indutus habitu, S. Nilo, & cæteris conuiuio exceptis sua manus inseruit.

hæc autem cum omnia bona sua pauperibus dedisset, & Ecclesijs, & omnibus egenis, & domesticis cum aliquid legasset, & seruos libertate donasset, tertia die ad Dominum profectus est cum omni contritione, & gratiarũ. actione, fide, & spe secura ad illum properans; qui per Prophetam dixit: Nolo mortem peccatoris, *sed magis vt conuertatur, & viuat*. Hæc sunt, quæ in Beati Viri gestis traduntur.

Baronius vbi suprà n. 9.

13. Attonsa igitur Euphraxius coma, non iam Præfectum, sed humilem modò, abiectumque in Palatio Christi seruum, Monachum exhibens, & quæ Christianæ pietatis, ac humilitatis sunt, prompto, libentiquè animo munia aggressus, vilis instar famuli seruire alijs potiùs, quàm cunctis, vt pridem imperare gestiebat, & plus de nouæ arrepta vitę, ac humilitatis forma, quàm de primæua fortunæ blandientis Celsitudine gaudebat; adeoque iam alterum ad viuum exhibens hominem recenti subitę conuersionis exemplo in Dei domo sic ministrando, Zachæum, cuncta pauperibus, atque Ecclesijs elargiens, seruis libertate donatis, ac ingenti perfusus Contritionis feruore, ac gaudio non absque magna salutis spe, tertia postmodum die è sæculo ad Christi Regnum salutaribus Pœnitentię lacrymis expiatus decessit. Quibus ex gestis B.Nili narratis, coronidis instar, quæ Baronius apte subtexit, adijciamus: *Hic finis* (inquit) *Euphraxij, qui precibus Nili ex Saulo Paulus, ex spirante minas, & cædes factus est fundens lacrymas, atque preces, & ex hoste, quem habuit ante Nilum, cupijt habere pro salute suę animæ protectorē, & Ducem ad Deum, quod est feliciter consequutus*. Hæc ille de Euphraxio, cui lacrymis feliciter expiato illis Euangelici oraculi verbis quis iure merito gratulari potest: *Nunc autē gaudere oportet, quia mortuus erat, & reuixit, perierat, & inuentus est*.

Zachęi Christum in domo sua excipientis typum exhibet.

Baronius vbi supra n 9.

Pauperibus, & Ecclesijs diuitias, seruis libertatem donans pœnitens diem claudit.

Luc. cap. 9.

14. Perditis verò mortalibus ipsa, adeo interdum corporis infirmitas proficit, vt Deo salubriter pœnitẽtes conciliet, prometitasquè vltrò pœnas pœnitendo relaxet, quod Osualdus Muster insanæ mẽtis elatus fastu in se ipso olim expertus est; dum enim in sacrosanctis participandis Ecclesiæ Sacramentis haud minore contentus hostia (vt Laycis mos est) maiorem sibi inter communicandum intentatis insuper Sacerdoti minis ab ipso dari per arrogantiam exposcit, terra de sub pedibus, ac si immane facinus execrata dehiscente, iam sustinere ipsum detrectarer, adeoq; hominem adhuc, ni mox crimen dilueret, absorptura proculdubio fuisset; sic territus portento est, vt ad Deum pœnitendo confugiens, veniam humiliter Deo supplex, compunctusque subindè feliciter diem seriò pœnitens clauserit. Historiam verò Tilmannus Brendembachius ex tabula ænea, quæ in eiusdem templi pago suspensa cernitur, his verbis narrat: *Anno* (inquit) *à Natiuitate M.CCC.LXXXIV. quidam dictus Osualdus Muster ex nobili ortus prosapia in Seneld, & ibidem in Castro vulgariter Scholosperg nuncupato residens tempore Paschali, quo Christi fideles ex præcepto Ecclesiæ ad communionem Eucharistiæ Ecclesiæ accedere solent, maiore hostia, & non vt cæteri Layci, communicare nitebatur. Ex timore itaque huic Sacerdos perniciosè assentiri volebat, sed dum venerabile Sacramentum suprà linguam antedicti Osualdi poneretur, ecce miraculosè ante Altare terra se aperit, ac si ipsum Osualdum prorsus deglutire vellet, & in illam vsque ad genua cecidit; ille verò manibus latus Altaris apprehendit, sed Altare isthic tactum instar ceræ mollescere cæpit, manibusquè cessit. Osualdus præsentem Dei vindictam præsentiens, mox Pœnitentia ducitur, veniam à Deo precatur; cùmquè hostiam deglutire non posset, Deo id non permittente, Sacerdos eam in sacrarium reponit; qua etiamnum hodie isthic sanguineo colore diuinitus tincta, & ex lingua saliua non nihil contracta conspicitur, vbi etiam inde ad nostra vsque tempora plurima fiunt miracula. Ego Tilmannus Brendembachius ex Vrbe in Germaniam reuersurus, monitus à Reuerendo Domino Martino Eisengreinio, vt ad locum istum diuerterem, Altare ipsum, & in eo manus Osualdi vestigia vidi, & contrectaui, ac iuxta illud terrę hiatum, quo absorberi cæperat, modò ferreis cancellis obtectum, denique ipsam hostiam, & Castrum, in quo vixit, conspexi. Porrò Osualdus iste sic diuinitus correptus, in molestam incidit agritudinem, Pœnitentiamquè agens, & confessus, aliquanto superuixit tempore, demum mortuus in Domino.* Hęc Auctor. Sic profectò ni miser, suæ factus Deo sup-

Osualdus Muster fastu in Sacramẽto altaris participãdo delirans diuinitus terretur.

Immani portento tellus caput cõfunditur.

Rainaldus an. 1384. num. 14.

Tilman. Brendembachius lib Collat. lib 3. cap 41.

Theodosius Ruben in libro de Eucharistia.

Laicalem more Christi corpus sumere, minore haud contentus hostia recusat.

Sacram hostiam deglutire nequit.

Terrę hiatus ferreis cãcellis obsitus adhuc cernitur.

Osualdus graui morbo perculsus pœnitẽs decessit.

supplex arrogantię culpam retractasset; vita certè fuisset ab ipso vitæ Auctore orbatus, ac æternam pariter, cæteris posthac exemplo futurus, mortem incurrisset.

15. Porrò ne dum impijs, sed & pijs quoque hominibus infirmitas Pœnitentiam indicès, ac feruorem excitās ad ampliorem promerendam Dei gratiam prodest; vt probè Innocentius VIII. huius nominis, Romanus Pontifex, diutino grauatus morbo, ac ipso experimento edoctus intellexit: Hic enim biennio, torpore soporifero per viginti interdū horas immobilis, & sine vitæ sensu iacuit, & cum aduersa deinceps valetudine, varijsque malis vexatus in sua Deum præcipuè infirmitate quæsisset; morbo tandem attritus non absque magnis, apertisque è vita deuoti, ac contriti cordis, nec non Pœnitentiæ signis decessit. At pridem à Iudæo quodam impostore ægrotanti recuperandæ salutis spe repromissa, si hausto è venis à tribus Christianis pueris annorum decem (qui & paulò post mortui sunt) sanguine remedium cōficiens, ac stillatitium ex eo arte chymica pharmacum parans, Pontifici propinandum dedisset; quod ipse vbi resciuit, immane (vt par est) facinus execratus, Iudæum perditum, ni fugam sibi consulens arripuisset, reum vtpote patrati sceleris iam patibulo destinarat: At desperata iam Pontifex valetudine, totā (vt Rainaldus ait) animi sollicitudinem ad procurandam animæ salutem conuertit, spesquè caducas cum immortalitatis spe commutauit; vti probè testatus est Leonellus Episcopus Concordiensis in frequentissimo Cardinalium Cœtu. Hic enim Pontificis tum morbum, tum obitum narrando exponens: *Visitatus* (inquit) *à Domino pluribus, longisquè morbis, quos patientissimè tolerauit, multa sancta, & utilia cogitata perficere nequiuit. Adueniente demum Diuinę vocationis hora, sumptis ex ritu Christiano, deuotissimo animo salutaribus Sacramentis, spiritum reddidit Creatori; vt quasi iam compos æternæ gratiæ videretur, atque cælestem vitam cum morte commutaret.* Hæc ille. Cui Honuphrius Panuinius, & Vialardus pariter adstipulantur, dum ipsum haud obscura in Deū deuoti animi, ac pietatis documēta sub extrema vitæ tempora exhibuisse affirmant.

Innocentius Octauus graui infirmitate præuentus Deū sollicitè inquirit.

Rainaldus an. 1492. num. 19.

Papyrius Massonius in Innocentio VIII.

Curationis à Iudæo oblata spe reiecta, se Deo totum commisit.

16. Quibus verò Pontifex virtutibus præcelleret, Leonellus prælaudatus sic tradit, quæ ipsi pro condigno laudum elogio sint: *Constantissimus* (inquit) *iustitię cultor, pacis studiosissimus amator fuit, & exuberātis annonæ vigilantissimus instructor. Sedatis honorificè sibi ingruentibus bellis, peculiares Ecclesiæ Populos, & Romanos in primis quàm felicissimos peroptauit; exultauit summopere, cùm ad maiores dignitates Viros extulit eruditos, & probos: Erat enim ipsi vera insita bonitas, quæ illum ad quascunque optimas actiones propensissimum super omnia reddebat. Fuit propterea in pauperes misericors, afflictorum non minùs consolator, quàm Principum susceptor liberalis, & Dei, ac Sanctorum eius pientissimus venerator; Pontificale Palatium miro, sumptuosissimoquè opere exornauit, amplificauitquè, & multiplici, pretiosissimaquè supellectili, tam Diuinis, quàm domesticis vsibus apta largissimè decorauit.* Quo verò prælaudatus humanitatis simul, ac humilitatis sensu præstaret, his idem Auctor verbis tradit: *Cùm nihil* (inquit) (*vt Magnus Gregorius est Auctor*) *in Pontificali ceruice splendidius fulgeat, quàm humilitas, vidimus ipsum (quod sanè rarissimum est) eadem se adeuntes humanitate, affabilitate, ac benignitate suscipere, qua et Episcopus, et Cardinalis anteà consueuerat; vt idem semper, seruato tamen decore, fuisse videretur, nec immutati in eo mores, sed aucta tantùm dignitas cognosceretur. Quanta verò sermonis dulcedine, et elegantia, quanta perspicacia, atque memoria, quàm aptis rationibus, et postulata colligeret, et repetentibus responderet, nemo vnquam sine admiratione potuit audire. Obseruabat illud, quod est Principis proprium, vt siuè concedendo, siuè negando, neminem à se tristem dimitteret.* His quidem Massonus, dum dignè Pontificis merita, ac memoriam recolit, eius in publicis construendis præsertim ædificijs liberalitatem extollit.

Massonus in Innoc. VIII.

Pontificis laudes in administrāda Ecclesia.

Massonus vbi supra.

Aeque erga omnes Pōtificatus in apice benignus, ac si in priuato statu fuisset.

Nemo ab ipso siue cōcedendo, siue negādo tristis abscessit.

Stephanus Infissura in Innocentio VIII.

17. Morborum itaque, vel certè dolorum patienter toleratis in hac vita incommodis, sic homo à vitæ culpis Deo aspirante salubriter expiatur, vt ad immortalem subinde vitam promptum, expeditumquè aditum sortiatur. Id sanè (vt reliquos taceamus) morboso quondā homini diuinitus contigit, quem lepra,

quæ

Quidam leprę immanè cruciatus morbo mirũ in virtute proficit.

(quæ viuũ adhuc consũptis carnibus depascebatur) regia vti decorũ purpura canentẽ iugiter,ac exultantẽ ad Christi Regnũ prouexit,de quo isthęc inMagno exẽplorum Speculo: *Dominus quidam venando peruenit tandem ad quoddam nemus paruum, & audiuit vocem humanam satis dulcem, & iucundam. Mirabatur, vnde vox illa sonuit: Cogitauit enim, quòd non potuit esse vox seruorum. Intrauit igitur nemus, & inuenit leprosum satis horribilem aspectu, cuius carnes defluebant, quem vt vidit, erat multùm perplexus. Assumpsit tamen vires, & iuit ad eum, & salutauit eum dulciter, et quæsiuit; vnde prouenisset vox illa tam dulcis? Cui leprosus: Ego illam emisi; Tunc admirans Dominus dixit: Quomodò potes lętari in tantis doloribus constitutus? Respondit leprosus: Inter Dominum Deum, et me non medias, nisi paries de luto, hoc est corpus meum. Quo confracto, atque interstitio dissipato ad ipsum perueniam. Videns igitur quotidiè dissolui, ac debilitari corpus meum, gaudeo, et canto prę lætitia cordis, expectans dissolutionem corporis ipsius, vt sine impedimento ad Deũ fontem viuum valeam peruenire.* Nil mirum profectò si vnus iste è Pœnitentium numero morbis licet, doloribusque absumptus,suas inter pœnas è proximo post laboris certamen à Deo accepturus coronam,haud tristatur,haud dolet; quin immo vel dolens gestit,ac de dolore gaudet In hoc scilicet dignus Christi sectator; *Qui*(vt Apostolus ait)*proposito sibi gaudio, sustinuit crucem*.

In magno Speculo exemplorum distin. 9. exempl. 138.

Cum morte iam conflictans, audi.tus præ lætitia canere.

Dissolutionẽ corporis è proximo suę causam lętitiæ interrogatus respõdit.

18. Patiens itaque, ac bene sibi constans animus vel inter pœnarum ingruentium, ipsosque dolorum nil fractus aculeos martyrum quodammodò coronam attingit, quem patientiæ virtus Cœlo dignum, pœnis vtpote, ac dolotibus tentatum,probatumque renunciat; vt appositis Augustinus verbis hunc in modũ inculcat: *Quò pungeris*(inquit)*inde nascitur rosa, qua coroneris*. Quod suo itẽ insignis latro olim exemplo palam ostendit, de quo Drexellius isthæc: *Anno* (inquit) 1590. *in Austria inferiore latro quidam multis cædibus insignis, in rotam actus est cruribus tantùm fractis in exemplum aliorum; qui se virum præstitit, immò et concionatorem ex ipsa rota: Quidquid enim dixit, patientiam spirabat, et Pœnitentiam. Sed et gratias Deo egit, qui ita castigaret, vt interim etiam parceret. In illo tormento, quod vltra triduum putabatur duraturum, alterutrum orabat, vel maturitatem obitus ad finiendos dolores, vel imbris opportunitatem ad mitigandos æstus, et sitim. Vtrumque verò obtinuit. Nam sub occasum solis copiosa defluxit pluuia, et ipse paulò post pœna simul, et vita defunctus est.* Toto siquidem corde latro compunctus, ac dignè Pœnitens, acerba isthæc intentata sibi rotarum tormenta æquanimiter ferens; ex rota, in qua semianimis,cruentusque pendebat, beatam festinus æternitatem adiuit, ipsisque è tormentis, & carnificina ad Paradisi gaudia, & ad immortalẽ Sãctorum requiem liber, ac securus transiuit, illa cunctis Chrysostomi altiùs verba inculcans: *Mors* (inquit) *est requies quædam, et laborum finis, sudorumque retributio, ac certaminum pręmium, et corona.* Perfractis igitur patientissimus iste, attritisq; licet in rota cruribus velox magis ad Cœlum currere didicit, illud Tertulliani factis ad viuum exhibens: *Nihil crus sentit in neruo, cuius animus fixus in Cælo est.*

Augustinus psal. 52.

Patientia coronam sustinentibus affert.

Hieremias Drexellius in Prodrom. æternitat. cap. 2. §. 22.

Insignis latro, & multis obnoxius cędibus in rotarum pœna patientissimus.

E patibulo ad Coelum pertingit.

Chrysostom. hom. de SS. Beneric. & Prosdoc. Tertullian. in Apolog.

19. Infirmitas igitur (*quia vexatio dat intellectum*) Schola profectò virtutis est, quia Doctoris, ac Mag. præcipuo Dei nutu in terris munus obtinet; adeoque sub Diuino ingruentium calamitatum, ipsiusque Christi magisterio quisq; amplius, quàm sub excultissimis quibusque Doctoribus ad salutem prouehitur; *Constitue*(diuinùs inquit Psaltes)*legislatorem super eos, vt sciant gentes, quoniam homines sunt*. Homo quippe infirmitate pulsatus, probè Deũ, ac vnà simul se ipsum agnoscit. Quod sane olim nobili Hispanos inter Proceres Viro contigit, qui læsus & vlciscendi zelo abductus, in ipsummet filium exacerbatus, dum plus æquo iræ dat locum, impotenter exarsetat; de quo isthæc in B. Francisci Borgiæ Societatis Iesu gestis Ribadeneira tradit: *Regulus quidam* (inquit) *Hispanię à filio dissentiens grauiter, segregarat se; vt ne aspectum quidem eius ęquo animo ferret: Franciscus, qua erat pietate, ad concordiam reuocare alloquijs studens, hortatur Parentem se esse meminisset, filium ad se recipiendo, quod se dignum esset, facturum. Ille indignabundus vultu, terrebat missum facere illum sermonem. Igitur verbis Franciscus*

Isaia 28. 19.

Infirmitas virtutis schola.

Psal. 9. v. 21.

Petr. Ribadeneira in vit. B. Fran. Borgia cap. 32.

Regulus apud Hispanos in filiũ acriter exacerbatus placari à nullo potest.

repul-

repulsus, ad summum Parentem Deum confugiendum ratus, pacem venerans precatur. Venatum ille mox abyt, et ardenti correptus febre, lectulo affixus iacuit. Post in mentem venit, morbo se iustè puniri, quòd sana pŷ hominis consilia repulisset. Franciscum è vestigio accersit, veniamquè obtestatur, et illius se fidei committit, et cum filio quàm primùm in gratiam redyt. Ita planè qui Dei, ac filij, suique pridem oblitus, se Patrem esse indulgendo nesciebat, ac iratus filio pacem negabat; subito, acerboque correptus morbo, festinus filio, quò suam Deus à morborum flagellis manum contraheret, indulgentiam petenti exhibens, sospitatem continuò, sanamquè pariter à Deo mentem recepit.

Franciscus Borgia Patrem pro filio deprecans reijcitur, sed febri subinde correptus Pater filio conciliatur.

20. Quoniam verò opportunus adhuc de hominibus infirmitate, aut quouis languorum genere, nec non dolorum molestia Dei nutu pulsatis, ac summo ipsius beneficio primum quidem ad pœnitendum, & ad virtutem subinde, & Christi amorem mirificè prouectis sermo est; certè in non paucis numero solemne illud Christi adimpleri verbum contigit, cùm de Lazaro infirmitate corporis laborante certior, ab ipsius tunc sororibus factus, haud alijs planè rem verbis edixit: *Infirmitas* (inquit) *hęc non est ad mortem, sed pro gloria Dei, & vt manifestentur opera Dei in illo.* Congruè igitur Christus non languorem, quo in præsens Lazarus tenebatur, sed resurrectionis, quo erat subinde cumulandus beneficium attendens: *Distulit* (Augustinus inquit) *sanare, vt posset resuscitare.* Conceptisque verbis, haud amici sibi adeo chari mortem meminit, cui iam noua post mortem miro vita portento diuinitus parabatur: *Non est* (inquit Augustinus) *infirmitas hæc ad mortem: Quia & ipsa mors non erat ad mortem, sed ad miraculum.* Ità inusitato planè ad Christi imperium ordine in vitam redijt, qui iuxta communem naturæ legem mortis iam debitum mortalium instar exoluerat. Si quis verò Diuinum attenta oraculum mente recolit, haud solum profectò Lazarum complectitur, qui mysticè peccatores, quos Christus Dominus erat reuoraturus in vitam, neque iam tum obscuro mysteriorum typo præsignabat. Innumeris quippe post admissum culpæ reatum spiritaliter infirmis, quin immò Deo iam mortuis certa salus, & vita benigno Dei munere ipsas inter ægritudines, ac languores affulsit. Quod sanè Deus hoc nostra ętate prę cæteris Angelo Floruccio ad Nottoriam, Nursiæ Oppidum mirabiliter præstitit; cui dum repente præ manibus, non secus ac olim Ionæ, virentis hederæ præter spem frutex, corporis videlicet sanitas omninò exaruit, tunc is potissimum ad Pœnitentiæ, & Christi amorem totus exarsit, ac miris ad sanctitatis vsque prouentum virtutibus sub omniũ oculis in Vrbe floruit, quo illi apte Apostolici vox oraculi occineret: *Quia virtus* (inquit) *in infirmitate perficitur.* Itaque (vt eius hìc vel obiter dignis laudibus initia repetamus) cùm primum graui corporis infirmitate detentus ad religiosum magni nominis, ab ipso curandus, iumento impositus duceretur, inter fluuij, quà erat transeundum aquas, Asinus omninò immobilis perstitit, nec Deus, quem supplex Vir Dei inuocabat periclitanti defuit. Certus enim quidam illicò daturus opem accurrens, miserum medijs è fluctibus eductum, tutòque repositum, demonstrata via, nec pòst, nec antè ipsi de facie visus ab oculis euanuit. Non minore autem, dũ iterum subinde ægrotat, Dei beneficio auxiliarem ipsius est manum expertus: Enimuerò cùm in patria graui olim ex morbo decumberet, acerbioresque intus in animo à Consanguineis molestias patitur; en tibi quidam eremitico indutus sacco, decumbentem lectulo adiens, & Sacrosãctæ Crucis impertito signo, suis blandè, suauiterque ipsum verbis releuans: *Heus tum* (inquit) *bono sis animo; & iam pro certo habeas, nos ambo in Cælis futuros aliquando consortes.* Quibus dictis continuò pedem è cubiculo contrahens, haud amplius apparuit.

Infirmitates plerumque hominibus Dei nutu ad salutem accidunt.

Ioannes c. xi.

Augustinus trac. 49. in Ioannem.

Augustinus ibi supra.

[L]azari non mortem, [se]d ad Dei [gl]oriã infir[mi]tas.

2. ad Corint. 12.

Angelus Floruccius ex mendicantium, & debilium numero infirmitatibus summopere proficit.

Dei opem erga se multoties expertus.

21. Porrò Angelus, Angelorum ope haud semel inter pericula, variaque morborum incommoda releuatus, non nisi ipsis ductoribus in Vrbem, suis opportuna morbis, tum animæ, tum corpori remedia adinuenturus venit; nec multò post in Hospitalem pauperum debilium, ac mendicantium, vulgò Domum à Sixto V. Summo Pontifice erectam, Anno salutis 1607. receptus; Et congruè, qui fere semper fuit infirmus, suum quoque nonnisi in publico debilium, ac infirmorum diuersorio, nec alibi opportunũ debuit

buit

buit sortiri hospitium magis, quàm domicilium: Est locus hic ad Tyberis ripam, velut Abrahæ olim domus ad Conuallem Mambre publico pauperum obsequio destinatus, nec alio, meo quidem iudicio, quàm Probaticæ Piscinæ, quæ in Euangelicis tabulis à Ioanne describitur, nomine nuncupandus: *Vbi*(vt Ioannes ait)*iacebat multitudo magna languentium, cæcorum, claudorum, aridorum &c.* Ingressus itaque domum, tot miscetis refert am hominibus, ibique iugiter per totum vitę decursum mala quęque inter ægrotandum expertus, pedum quoque vsu caruit; adeo vt non nisi difficulter, ac duobus subnixus lignis ambularet. Atquì licet sic pedibus ad ambulandum præpeditus, in Dei tamen via, & Pœnitentiæ stadio alacriter progredi, & ad Deū velociter currere haud destitit; Maiores quippe ac si ex infirmitatibus ad currendum quotidie vires accerseret, illa secū Apostoli verba repetens: *Cùm infirmor*(aiebat)*tunc potens sum.* Quoniā verò suis ipse edoctus infirmitatibus infirmis quoque sub Diuino Charitatis magisterio intimè compati cum Apostolo, & simul præstōgesse didicerat: *Quis infirmatur* (inquiens)*& ego non infirmor?* Demandata sibi subinde adolescentiū quorundam mente captorum cura, Charitatis egregie munus, cunctisque mirantibus præstitit. Tot verò malorum, morborumque hic vnus incommodis assiduè premebatur; vt ad ipsius iugiter exercendam virtutem cuncti in vnum ipsum conaluisse quodamomdò morbi viderentur: Stomaci namque in primis molestia, dolore capitis, & crurium insuper debilitate perpetuò affectus in hydropisim quoque iam ferè inciderat, ob quam ardentissima siti, eaque caloris vi æstuabat, vt nec hyberno isthæc remitti tempore contingeret. At illud in Christi famulo præ cunctis mirandum, quòd cum toto ferè vitę tempore doloribus colicis excruciaretur, patienter tamen adeò pertulit; vt nulli præter Confessarium, id aperiret, ne adhibitis forte remedijs patiendi simul merces, & optata pariter patiendi sibi præriperetur occasio. Patiendi itaque ambitiosissimus, quidquid magis molestum foret, haud refugiens, vti rem sibi optatissimam requirebat. Cuncta siquidem ingruentium morborum incommoda quantùmuis grauia sic pertulit, vt quid proChristi amore pati, indignum se omninò reputans, sanctissimum Iesu nomen in ore iugiter hàbens pro molestis adeo morbis, non secus ac pro summis beneficijs gratias Deo maximas redderet. Quin immò inde intimos animi sēsus ipsomet Angelici hominis ore mortalibus prodi contigit, cùm de suis ille quandoque infirmitatibus loquens, haud aliter, quàm pretiosas margaritas, ac præcipua Dei munera, quibus desuper, ac suum in dies præter meritum cumulabatur, sapido in primis ore nuncuparet. Vt suo autem tum verbis, tum factis patiendi desiderio responderet, febri interdum correptus, quò magis morbi sentiret incommodum, in publicum infirmorum diuersorium deferri se noluit, & curam corporis omninò negligens, animi dumtaxat virtutibus excolendi, sic diligenter agendo se curam exquirere haud semel ostendit.

Genesis c.19. a.

Ioan c. 5. 4.

In domum hospitalem infirmorum, quæ Probaticę piscinæ typum præfert, recipitur.

2. Ad Corynt.12.10.

2. Ad Corint. 11. v. 29.

Patientia ipsius in tolerandis infirmitatibus.

Pro infirmitatibus, vt pro beneficijs gratias Deo agit.

22. Demum (quæ modò dicturus sum, quis crederet) vt attritæ Vir inter morbos, ac dolores ætatis, perfractisque iam viribus, corpori adhuc omnimodis excruciando non parceret. Enimuerò infirmus licet, ac debilis, se ipsum pœnis afficiens, acerbissimè flagellis ad effusionem vsq; sanguinis cædebat, cilicio carnem, ac ruida insuper, & satis aspera cinguli adinstar fune affligebat, quasi isthæc patiendi cupido, & haud morbis cōtento pro morbidis ad delicatè corpus tractandum operimentis deseruirent. Post diutinos igitur toleratos libēter proChristi amore languores, Pœnitentiæ insuper voluntaria castigatione, necnon meritis, ac patiendi potissimum desiderio diues, in eadem pauperum debilium, ac mendicantium domo Anno sal. 1633. ingenti de se cunctis, suarumque virtutum opinione relicta, vitæ huius laboribus à Deo in refrigerij locum euocatus, viuendi finē fecit. Cui Euangelicum Christi pro sepulchrali titulo egregiè oraculum occinit: *Factum est vt moreretur mendicus, et portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ.*

Pœnitentiæ operibus exercet infirmus se ipsū exercet.

Luca c.16.

23. Prememorato autem hìc iure meritò alter ex debilium pauperum, & Domus eiusdem numero, ob multiplices infirmitatum, & dolorum (quas patientissime pertulit) ærumnas, & ob patiendi, quo iugiter flagrabat, desiderium suspicieņ dus

ciendus nobis, ac recolendus, velut suo dignus Magistro Discipulus, vel certè vti charus in infirmitatibus, & in tolerando ipsi indiuiduus comes iungendus est; Bartholomęus videlicet Tanarus ex Lizzani Oppido, sub Bononiensiū ditione, qui eodem planè tempore, ac loco, nec non pari simul virtutum, ac patiendi studio inter summas paupertatis, ac infirmitatum, nec non loci illius angustias æquo sapientum Virorum iudicio clarus, Deo, ac hominibus in Vrbe præfulsit; Adeo vt tum viuens, tum mortuus de se satis amplam narrandi, & mirandi simul materiam præbuerit. Homo itaque patiendi, ac pœnitendi apprime cupidus fracto licet assiduis languoribus corpore, vix aliquando sine dolorum, ac morborum conflictu inter homines fuit, adeoque iure ipsi Diuinum Iobi Oraculum quadrat: *Homo natus de muliere breui viuens tempore repletur multis miserijs.* Quę maior enim homini, & pauperi huic præsertim miseria inter viuendum contigisse aliquando potuit, quàm vt ipse (iuxta Gregorij dictum) *angustaretur ad vitam, dilataretur ad pœnas*. Id planè Bartholomæo accidit: A prima quippe ætate comitiali acriter morbo pulsatus, inde sæpe, ac sæpius subitoquè morbi impetu præuentus, in apertum vitæ discrimen venit, & nonnisi manifesta Dei ope seruatus; Morborum igitur, ac dolorum assiduitate tabescens, vt patiendo magis apud Deum proficeret, omnium fere membrorum denique eum in modum vsu destituitur, vt immobilis, & lecto, aut ligneæ sedi quodammodò affixus permaneret. In vna item laterum parte ob humoris redundantis molestiam sic erat affectus; vt vel sedens, aut recumbens absque ingenti doloris sensu suam haud posset rem agere. Comitialis autem morbi, cum quo ipsi diù confictandum fuit, molestia, Dominicis præsertim diebus acerbiùs impetebatur. Præ dolorum verò, ac ægritudinis vehementia, ipsius corpus sic maciem contraxerat; vt pelli destituta omninò carnibus ossa inhęrendo, ipsam conscinderent, & aptè solemnia Iobi verba ipsi occinerent. *Pelli meæ consumptis carnibus adhæsit os meum*; Et quòd de magno item Basilio suo, id ipsum hic vnus in corpore ad viuum exhiberet, de quo in gestis scribitur: *Quòd tantùm spiritu viuens, præter ossa, et pellem, nulla praetereà corporis parte constare videretur*. Binis prætereà dignus Christi pauper ad meritorum cumulum inter genua, quæ incredibilem cruciatum afferrent, vlceribus premabatur.

Bartholomæus pauper assiduis pulsatus morbis.

Iob. cap. 10.

Gregorius in Moral.

Infirmitatibus consumptus suo nil præter pellē, & ossa corpore præsefert.

Iob. cap. 10.

In lect. Breui Rom. die 14. Iunij.

24. His verò (ne patiendi finem faceret) præter tot morborum recensitam hactenus strophem, illud accessit; vt tredecim annorum spatio, sumendi (vbi erat opus) fastidio cibi laborans, quæcumque offerebantur, nauseabundus stomacho languente reijciens, attritas corporis vires reficere haud posset; Iquin immò, quod de Bernardo Clareuallensi Abbate traditur, non aliter ad sumendum cibum, quàm ad tormentum accederet. Inter hæc verò vultu semper hilari, atque animo ad quæuis ob Christi amorem toleranda mirificè comparato, nec leuiter conqueri vnquam obauditus, aliquando ingens præsetulit patiendi iugiter desiderium; cùm diceret cuncta isthæc Deum diligentibus non tam pœnas, quàm delicias, nec morbos tormenta, immo potius thesauros, atque ornamenta computandos. Deus quippe cum desuper excruciando instat, suis maximè in tertis adblanditur: Quamobrem pauperculus iste inter pœnas eiusmodi solatia, & crebros inter languores dulcissima gaudia mente Cœlo fixus hauriebat. *Nil* enim (vt Tertullianus ait) *crus sentit in neruo, cuius animus fixus in Cœlo est*. Orando etenim perpetuò addictus, fere semper aut cum Deo, aut de Deo loquebatur, adeoque vulgaria quędam carmina, mira cordis simplicitate Deum alloquens, inter precandum psallebat, & quæ Confessoris subinde imperio sua manu exscripsit; quibus pium ac rudis ingenij hominem, nisi Diuino isthæc spiritu accepisse, sat cunctis innotuit, iuxtà solemne illud Prophetæ verbum: *Et cum simplicibus sermocinatio eius*. Porrò rudis homo ea diuinitus luce profūdebatur, vt altissimis de rebus, arcanisq; Christianæ fidei Mysterijs à Viris interdum sapientibus interrogatus, aptè, adeòque appositè propositis sibi vltrò quæstionibus responderet, nec Theologorum quisquam id melius præstitisset. Quod nonnulli præsertim, qui ad ipsum frequenter accedebant,

In gestis S. Bernard. Clareual.

Vitæ pœnas, & corporis molestias patienter tolerat.

Tertullianus in Apolog.

Quā sapiens iste.

Prouerb. 3. 32.

bant, non parũ sunt admirati. Inter quos Petrus Consolinus Firmanus, & Congregationis Oratorij Sacerdos, dignus, dilectusque S. Philippi Discipulus, qui virtutum meritis hac nostra ætate apprimè clarus, magna sanctioris vitæ apud omnes fama, & viuis Principibus, ac Innocentio X. summè charus Anno Christi 1643. è vita decessit: huic cum optimè Bartholomæi virtus saperet, ipsius, & Angeli item responsa demiratus, & non tam verba, quàm accepta è Cœlo oracula computans, cùm ad ipsos inuisendos interdum se conferret (quod & sępe faciebat) his & non aliter suos alloquens, vti verbis consueuit: *Eamus* (inquit) *eamus ad pauperculos Hospitalis Sixtianę domus Theologos. Ipsorum etenim hęc haud in scholis discitur, sed è Cœlo sapida prouenit scientia, nec trita vulgarium hominum sunt, qua indocti isti alioqui homines tam sublime loquendo proferunt; en surgunt indocti, & rapiunt nobis Regnum Cœlorum.* Enimuerò tam appositè, & scholasticorum more quæsitis vterque respondebat; Vt quęuis Theologorum dicta, ipsi longè anteirent. Demum Vir Deo plenus, & tum patientiæ, tum Pœnitentiæ meritis diù in pauperum Domo, & Christi schola inter crebros ęgritudinum ictus probè, excultus, expolitusq; Anno sal. 1637. Feria sexta, quæ dies Christi patientis memoriæ sacrata est; vt & ipsi, cui viuens fuerat consors pœnarum, ipsius fieret consors & gloriæ, die 21. Septembris ad Cœli præmia euocatus, requieuit in pace. Cuius gesta, & Angeli pariter eiusdem socij, multorũ votis expetita Nicolaus Balduccius nostrę Congregat. Sacerdos Italico nuper sermone exscripsit, quę typis etiã non multò post, publicæ omnium vtilitati, & documento tradentur. Sed de his hactenus.

Interrogatus de altissimis rebus Dei lumine illustratus sapiẽter respondet.

August. in Conf.

Petri Consolini Congregationis Orat. de Bartholomæi sapientia dictum.

25. Demum quià Charitas in Deum (vt narrandi iam finis sit) ac Pœnitentiæ itidem virtus, nedum infirmitatum, & languorum incommoda vltrò, libenterq; tolerando; sed & infirmorum quoque miserendo, iisdemque pia, vbi opus est, charitatis ob Christi amorem obsequia impendendo ostenditur: *Factus sum infirmis* (aiebat Apostolus) *Et ego infirmus*. Proinde haud à susceptæ narrationis proposito alienum existimauimus, si eorum sub finem, vel obiter hìc meminerimus; qui suam omnem infirmorum præsertim obsequio, pœnitendi gratia laudabiliter operam ingenti meritorum cumulo deuouere. Charitas etenim, quæ cunctarum virtutũ dignissima Parẽs est, suũ humanis cunctis actibus tum valorem, tum pręmium impertit; adeoque tantus apud Deum vnusquisque est, quantum corde Deum, ac proximum pariter diligit, ac nil amplius iusto sapientum calculo æstimandus. Cuncta etenim, quæ hominis sunt, non nisi charitate, & sanctarij pondere in Dei trutina librantur. *Si dederit* (Sapiens inquit) *homo omnem substantiam domus sua pro dilectione, quasi nihil despicient eam.* Vnius quippe Charitatis lucro quæuis mortalium detrimenta, iustè, sapienterque compensantur. Quapropter iure meritò, *defectuum Charitas supplementum dicitur*; Et sola proinde Charitatis apud Deum opera in pretio habentur, reliqua verò cuncta apud Superos in Coeli foro, futilium instar vilescunt. Nam vt Chrysologus docet: *De eo tantùm, quod accepit pauper, Christus loquitur, de cęteris tacet*. Impensa igitur Christi pauperibus Charitas, longè magni quibusuis rebus momenti præponderat: Et vt apposito in præsens res comprobetur exemplo. Insignis plane in hoc, & nostra hac prę̨sertim ætate recolendæ memoriæ Sacerdos Ioannes Baptista Pallottus, ex Caldarolæ Oppido apud Picenos ortus, & Eminentissimo Ioanni Baptistę Cardinali Pallotto sanguinis affinitate iunctus, pijsque Christianæ in pauperes Charitatis exercendis operibus extitit, qui sui in primis contemptu, ac humilitate sublimis; sed eximia item in ægrotos pręsertim pauperes, iisdem humiliter inseruiendo in Vrbe charitate præfulsit: Aiebat enim præferuidus Vir vnà cum Paulo: *Quis infirmatur, & ego non infirmor*: Triginta igitur annorum spatio in Archihospitali domo, vulgo S. Spiritus in Saxia, indefesso iugiter laboris studio, ipsis haud opera per diem dumtaxat, sed etiam noctis tẽpore ægrotis fouendis, releuandisq; sollicitè fuit intentus; adeo vt quod olim de suo Hieronymus Nepotiano Diuino Ecclesię cultui iugiter addicto, & crebrò Ecclesiam adeunte, nec se ad momentum illinc proripiente ait: Id ipsum tunc meritò

Charitas, & Pœnitentia, nedum patiendo, & cõ patiendo ostenditur.

1. Ad Corin. 9. 22.

Sap. cap. 8.

Bibliotheca Patrum c. 35.

Charitas apud Deum homines magnos facit.

Chrysol. ser. de eleemosyna

Ioannes Baptista Pallottus Charitate, & humilitate conspicuus.

2. Corinth. 9. 1.

meritò huic intra Nosocomij ambitum, & pauperum, non secus ac propriam intra domum commoranti apposite occineret: *Vbicunque eum quæreres, in Nosocomio inuenires*. Tanto erga ægrotos, ipsorumque diuersorium deuoto animi studio, ac pietate, vt & suam quoque domum honoris gratia, nec aliter Nosochomium inter loquendum appellaret. Quapropter locus plane, qui alijs ob sordes, ac decumbentium morbos molestiam naribus affert, ipsi res vti maxime grata arridens gratiam saperet, ac ipse animo sordes oblectamentum conciliarent: Nec verò recolendam huiusmodi charitatem irremuneratam Deus reliquit. Cùm enim ipse aliquando, se vel doloribus, aut mala affectum valetudine sentiebat, vbi pedem in ęgrotantium domum inferebat, protinus se quibusuis malorum incommodis releuatum expertus, id pro singulari Dei beneficio alijs narrando, se nō nisi ad inseruiendū infirmis, apertisque diuinitus euocatum signis testabatur; Cùm igitur adeo frequens apud infirmos, ipsis ministrando adesset, & ne latum quidem vnguem à loco discederet, id vnum ipsi (vt aiebat) in votis erat, vt in Hospitali tandem pauperum ægrotantium domo moreretur. Quod fane vel factis desiderium tunc palam fecit, cum morbo aliquando pulsatus, in pauperum infirmorum lectulo se ipsum reclinaret, ac ibi à Medicis morbo remedium quęreret. Quod tunc pręsertim, cum nouissimè ante obitum decubuit, firmum cunctis animi propositum ostendit, ac infirmorum se numero aggregandū volens, haud alibi decumbere curandus voluit; Et certe rem perfecisset, nisi Io: Baptista Cardinalis Pallottus fe: me:, Viri humilitatem probe sibi, ac ceteris notam demiratus, in vicinas aulici cuiusdam ędes, cum palatia, aulamque refugeret, deferri iussisset, vbi ipsum sæpius laborantem solaturus inuisit.

Hieronym. ep. 22.

Semper in Nosochomio cum pauperibus infirmis erat.

Infirmus se in pauperum lectulo curari vult.

26. In hospitali autem domo, ex toto vix vnquam otiosus adesse visus est; aut enim infirmorum corpori, aut pijs ipsorum animæ monitis præsto erat, at suam grauiorum præsertim obsequio operam impendens, illud Apostoli opere adimplebat: *Omnia* (inquit) *omnibus factus sum, vt omnes Christo lucrifaciam*. Et illud item: *Libenter me impendam, & superimpendar pro fratribus meis*. Tonsoris itaque frequēter erga pauperes, vbi conualuissent, munus exercebat, haud pediculis, quos pretiosas ipsius Charitas gemmas computabat, se ipsum præter immunditiam (quod alij abhorrent respergi recusabat. Nec his contentus, pueris, qui capite, ob putridam humoris redundantiam, vlcerato molestiam patiebantur, vnctionem olei adhibens, cunctosque molestia releuans, breui curabat; adeo vt non nulli, qui ipsius probe virtutem nouerant, miram cutanei morbi curam non tam oleo, quàm curantis manibus adscribendam assererent; *Virtus*, quippe *Domini* (vt in Euāgelio scribitur) *erat ad sanandum eos*. E Cœlo etenim sacerdos optimus vim morbos curandi, nec aliunde trahebat: Orationi namque, cum ab infirmorum seruitio vacabat, perpetuo intentus, perstitit. Oratorium nostrum Vespertinis horis vnà cum cæteris hyberno etiam tempore, ac nulli parcens laboris incommodo, etsi multum à domo sua distaret, singulis fere diebus adibat; quotidie insuper summo pietatis ardore altaris sacrificium Deo offerens, ac se ipsum Deo immolans *sapida ab altari mentis* (vt de Ambrosio Augustinus ait) *gaudia hauriebat*.

1. Corint. 13.

Mirifice Vir Dei olei vnctione morbos curabat.

Luca 5. 17.

August. de Amb. in Conf.

27. Vir itaque Cœlo dignus, ac Deo charus humilitati summopere addictus, qui ab honoribus semper abhorruit, ac se peccatorē maximum computabat, bonis diues operibus ac meritis impensè cumulatus prope septuagenarius paralysi correptus decessit, pluribus pij instituti, parisque propositi, & charitatis sectatoribus relictis, & qui vultu semper hilari fuit, lætus quoque Magni adinstar Antonij mortem aspexit, & mortuus est in osculo Domini, Anno sal. 1653. Ipsius verò, vt viuens præoptarat, in Patrum Congregationis sepulchro corpus depositum est. Cui pro sepulcrhali titulo illa Sapientis verba occinūt. *Laudent eum in portis opera eius*. Obijt autem magna virtutum, ac sanctitatis apud omnes fama, quæ tantū apud summos Pontifices Vrbanum VIII. & Innocentium X. inualuit; vt Archihospitalis Sancti Spiritus domus curam ipsius Charitati (quod ad ægrotos attinet, cōmendatam, ac ipsum hac super re con-

Septuagenarius bonis operibus dicues abiit vi ta paralysi correptus.

Prouerb. 31.

fulendum voluerint. Illud denique iam dictis subtexendum hîc est, ipsum videlicet à Viris sapientissimis, & sanctitate præcipuis dignum iustissime renunciatũ, cui superni Ciues se videndos exhiberẽt, & præsertim S: Philippi, cui illeapprime deuotus extitit frequẽti fuerit apparitione dignatus. Demum, vt à Viris fide dignis olim accepimus, qua potissimum hora Christi famulus Deo spiritum reddidit, Cœlites ipsius celebrando funeri adfuisse ferũt; mirus quippe, ac inusitatus repente musicus concentus prope domũ, vbi iacebat, & suauissimus quidem obauditus, adstantes attonitos compulit, vt apertis fenestris, vnde nã proueniret, aduerterent; sed sonus illico desijt, & neminem videntes, illud profectò arbitrati sunt, Angelos nimirum è Cœlo ad ipsius excipiendam animam delapsos canticum, ac sonos lætitiæ peragere, & tam nobili protinus thesauro potitos, illuc cum tripudio remeasse. Dignum verò ipsius elogiũ hîc in nostris tabulis Vallicellanæ Ecclesiæ, recolitur conceptũ plane his verbis. *Adm. R.D. Io: Baptista Pallotta Sacerdos Caldarolensis Pietate in Deum, Charitate in proximos mirificè refulsit in Vrbe, indefessus iugiter pauperum infirmorũ ministerio apud Xenodochium S. Spiritus in Saxia. Vilissimis quibusque officijs die, noctuque ibidem deseruiens ad triginta, & amplius annos laudabiliter perstitit. Huius, item Charitas erga Conualescentes Hospit: Sanctissimę Trinitatis & debiles Hospit: S. Sixti spectatissima extitit. Decessit Anno. salutis 1653. die 14. Nouembris hora 15. & in sepulchro nostrę Congregationis ex eiusdem Congregationis decreto ad Patres, quorum spiritu vixerat, appositus est.* Et hæc de Viro omni laude digno, nunc vel obiter in Lectoris gratiam dixisse sufficiat.

Supernorũ Ciuium & S. Philippi apparitione dignus est habitus.

In libro de sanctorum Ecclesiæ S: Mariæ in Vallicella pag. 27. lib. vltimo.

CAPVT IX.

Pœnitentes tristi, funestoque fato præuenti, animæ salutem consequuntur.

Philosophorũ Gentilium error.

1 GEntiles olim, & si mortalibus haud casu quidquam contingere, sed prouido cuncta, benignoque peragi Deorum nutu faterentur, attamen tum prospera quæque Mundi, tum aduersa, ipsi altius delirãdo Fortunæ tribuebant. Quippe qui hanc vnam, vti maximè humanis quibusq; in actibus præpotentẽ, mortales ipsos beantem, & in sinistris quoq; rerum successibus administrã miserè hac super re, noctuarumquè instar cæcutientes in Deorum numero collocabãt. Quapropter huc meritò sapidus ille Ethnicos, inter scriptores aliquãdo alludens: *Toto* (inquit) *Mundo, omnibusquè horis omnium vocibus sola fortuna inuocatur, vna nominatur, vna accusatur, vna agitur rea, vna cogitatur, sola laudatur, vel arguitur, volubilisq; existimatur, vaga, inconstans, incerta, indignorum fautrix; huic omnia ferũtur accepta, & ità sors ipsa pro Deo est, quia Deus probatur incertus.* Hæc ille. A quibus planè Christianorum nõnulli, à Christiana quidẽ fide toto Cœlo aberrantes, nil distare proculdubio videntur; dum plùs fortunæ, quàm Deo prouidentissimè cuncta administranti, ipsorumque fortunam hominum dirigenti adscribunt, adeoquè satis temerè fortunæ amplius, quàm virtuti, & prudentiæ tribuunt: ac proinde sanitatem, diuitias, honores, prosperosquè successus non tam æterno prouidoquè Dei consilio, quàm vago, incertoq; ipsius Fortunæ imperio hominibus contingere, at sinistros plerunque Deo disponente exitus haud in ipsius animæ bonum prouenire mortalium stultissimi affirmant: *Si est* quippe *malum* (vt scriptura docet) *in Ciuitate, quod non fecerit Dominus.* Si quis verò, cur toto passim in Mũdo hęc fiant, ne cuncta contingere gratis arbitretur, seria nunc mente perquirat aduersarum plerumque rerum, ac malorum proculdubio (si quæ sunt) ipsas mortalium culpas in causa fore deprehendet: *Propter peccata* (vt Gregorius inquit) *veniunt aduersa.* At nonnisi ob Pœnitentiæ fructum diù peccatores impunè à Deo in hoc sæculo tolerantur, vel citò è vita aliquando tolluntur, vt tristi, funestoq; exitu luant, quidquid per scelus viuendo exleges, flagellis, ac morte dignum admisere: *Ne dicas* (inquit Sapiens) *peccaui, & quid mihi accidit triste? &c. Subitò enim veniet ira eius, & disperdet te.* Quapropter patentissimum Deus olim in vno Dauide mortalibus Pœnitentiæ, ac miserationis item argumentum proposuit, cuius aliquan-

Plinius lib. 2. cap. 1.

Haud quaquã in Mũdo administratione casu, sed prouido Dei nutu cõtingit.

Gentiles Fortunam in fortunis rebus Dei venerabantur.

Amos 3. 4.

Non est malum in ciuitate, quod nõ faciat Deus.

Gregorius in moral.

Ecclesiast. 5. 4.

quandiù peccatum dissimulans, benignè postmodum indulgendo dimisit, sibiquè (vt Chrysostomus docet) lugentem conciliauit: *Dauid* (inquit ille) *peccata Deus diebus multis tolerauit; pœnitentem verò, verbo vno restaurauit*. In peccatoribus namque sicut diù Dei patientia elucet, ità & in pœnitentibus ipsius citò indulgentia ostenditur; adeoquè salubris Pœnitentiæ virtus & malum culpæ aufert, & bonum gratiæ infundit, culpam simul, & pœnam hominibus relaxando. Quod Dauid probè sciens, ac rebellis filij reatum seriò secum expendens, infelici demum sublatum morte amarissimè fleuit; Quippe qui fato præuentus, neque culpam (vt par est) retractans, funesta dum fugeret appensus è quercu, nonnisi infaustum, perditumque viuendi finem fecit, cunctis ob id maximè, quia se non luxit, perpetuò lugendus: *Meritò* (inquit Bernardus) *planxit super parricida filio, cui perpetuò sciret obstructum exitum de ventre mortis mole criminis*. Adeoquè illis post tristem funestumque interitum verbis filio parentans: *Absalon* (inquit) *fili mi, fili mi Absalon, quis mihi tribuat, vt ego moriar pro te*? Lugendus profectò, miser vtpote, ac Deo mortuus, & quem gehenna reum absorbens, cunctorum perpetuò lacrymis, nec vlla salutis spe dignum proculdubio fecerat.

Chrysostom. hom. 5 de Pœnitentia:

Propter peccata veniút aduersa.

Bernardus ser. 16. in Cant.

Lib. 2. Regum 19. 13.

Dauid mor[tuum] filium contumacē plangit, non [ta]n filium innocentem.

2. Verùm non pauci quidē è mortaliū numero; quos Pœnitentiæ luctus salubriter præuenit, quantumuis infelici vitam fine concludant; Cœlum tamen, vel ipsa feliciter morte lucrati, in refrigerio apud Deum sunt, adeoquè nunc illud Apostoli corum quisque iure meritò vsurpat: *Mihi viuere Christus est, & mori lucrum*. Mors quippè nonnisi aditus ipsis ad immortalitatem fuit, adeo vt in in morte potius quàm vita præsidenter, ac veraciter gloriari queant. Ex horum certè numero præcipuus extitit latro ille, quem suarum Christus pœnarum in patibulo consortem habuit, de quo isthæc apte Hieronymus: *Christus in Paradisum* (inquit) *latronem intulit, & ne quis aliquando seram conuersionem putaret, homicidij pœnam fecit martyrium*. Tanti etenim apud Deum Pœnitentię virtus momenti est, vt vel morientis patibulum, instrumentum fieret, quo transiretur ad vitam, & rectà regiaque via reus ipse perueniret ad Regnum, cunctis illud meritò Hieronymi inculcans: *Ante Christum* (inquit) *Abraham, Isaac, & Iacob in Inferno; post Christum latro in Paradiso*: Et dignum sanè Diuinæ in vno hoc misericordiæ portentum è Cœlo effulsit; dum Pœnitentia suffultus, *Crucem* (vt Hieronymi verbis loquar) *mutat Paradiso, & facit homicidij Pœnitentiā martyrium*. Tanta siquidē pœnitens iste patibulū crucis patientia, eaq; animi constantia supplicij pœnam tulit, vt iure ipsi diuinitus (Hieronymo teste) occineret: *Pœna, quæ cœpit in latrone, nouo ordine cōsumatur in Martyre*. Quod si quis consultò ad alios sermonē deriuet, haud desunt profectò multi, qui suas ob culpas infaustò è vita fine prærepti, ad Pœnitentiæ tabulam profugiendo per tristem, dedecoramquè mortem magno Dei beneficio Cœlum adepti, ad immortalem denique vitam moriendo peruenere; Qui certè si diutius hìc vixissent, ex infelici proculdubio illorum numero forēt, quos Hieronymus meminit: *Quanti hodie* (inquit) *diù viuendo portant funera sua, & quasi sepulchra dealbata plena sunt ossibus mortuorum*. Hi verò hinc abrepti, & culpis iam soluti, repromissa nunc in Cœlo pœnitentibus sorte potiti, vnà cum Sanctis Dei in gloria exultant, quorum felicitati, Regnum vtpote per tristem, infaustumquè interitum fortitis perpetuò lætandum, gaudendum, appositisquè Apostoli verbis gratulandum: *Vbi est* (inquit) *ò mors victoria tua? vbi est mors stimulus tuus? Stimulus autem mortis peccatum est*. Atquì vt nonnullos eiuscemodi, quos mors ipsa infelix felices pœnitendo redditos ad Cœlum prouexit, recenseamus; à Viris Principibus est sermo nobis auspicandus.

Apostolus ad Philipp.

[F]unestus vi[t]æ finis pœ[nit]endo mul[tis] viam ad [C]œlum pa[rau]it.

[Hie]ronymus [Ep]ist. 16. ad [Dam]asum.

[Hie]ronymus Epist.

Latro cum Christo in cruce pendens, è patibulo ad Paradisum euolat.

Hieronymus Epist. 14. ad Paulinum.

Hieronymus vbi supra ad Paulinum.

Multis non nisi infelix exitus ad sui pernam felicitatem aditus.

Apostolus Epist. 1. ad Corint. 15.

3. Mauritius in primis Romanorum Imperator, qui & olim sub Tyberio militum in Oriente Præfecturam gessit, Vir domi, forisquè clarus, ac Tyberio item apprimè charus; necnon, dum Constantinopoli degeret, ipsimet Gregorio Magno intimè familiaris extitit: Hic multis subinde fortuna arridente auctus palmis, & Imperij postmodum throno potitus; cùm leges Ecclesiasticæ libertati contrarias ferret, prius Dei (quem valdè exacerbarat) iustam meruit subire vltionem

Mauritius Romanorū Imperator infelicitate pulsatus resipiscit.

Baronius an. 601. nu. 12.

nem. Id autem ipsi potissimùm crimini datum est, quòd milites ad monasticam vitã transire cupientes, suis vltrò iniquis legibus vetuit, cuius rei causa acriter sibi Gregorium obnitentem habuit: Immensis insuper tributorum oneribus exhausto Romanorum Imperio Populos acerbissimè afflixit. Ioannem denique Constantinopolitanum Episcopum aduersus Sedis Apostolicæ Primatum cornua erigentem, ac se vniuersalem Episcopum turgido mentis fastu nuncupantem fouit: Meritò igitur Dei iram incurrens, & inde magis pœnã promeruisse visus est; quòd Sanctissimum inter Pontifices Gregorium parui pendens, ipsum non secus ac leuioris ingenij hominem derideret, subsannaretquè. Atqui Imperator post hæc vltricem Dei manum sentiens morbo præuentus, suos nuncupato Testamento inter filios Romani Imperij ditionem partitus est, felix alioquì futurus, si debitum Deo, ac Sacerdotibus (vt par est) honoris cultum detulisset, qui aliquam sibi vel ex eo laudem accepit; quòd pauperes benignè excipiẽs, suas ipsis vltrò manus elargiendo protenderet, sed dum iusto Dei nutu Phocas rebellat, ipse infelix vnà cum filijs neci traditus est. Tunc verò miser vel serò Dei vltionem agnoscens, dum iustè mortem sibi intentari fatetur, probè Christiani hominis & tum Principis, tum Philosophi specimen cunctis præbuit; Funesta porro ipsius calamitas preuijs antè signis, portentisque innotuit, adeò vt ipsemet malorum conscius, ac de fato suis impendente ceruicibus admonitus, dum culpas intimè recolit, Deum, vt in hoc potius sæculo, quàm in altero plecteretur, impensiùs exorauerit. Verùm enimuerò cum sancti pro eo ad Deum homines preces offerrent, illud pro responso ipsis Cœlo affulsit Oraculum: Mauritium videlicet non nisi temporali addictum neci saluandum. Quod & singularis vltrò patientiæ documento calamitatem perpessus factis veraciter docuit, ac præsertim dum patibulo iam destinatus, Deo iugiter inter moriendum laudes offerens verba illa repeteret: *Iustus es Domine, & rectum iudicium tuum*. Demum tunc verè pœnitens compuncti animi typum præsetulit, cùm Diuinæ prouidentiæ nutibus inter supremas calamitatum angustias ceruicem inflectens pari deuotæ mentis obsequio, & constantia se, suosque gladio feriendos obrulit; adeò vt Dei haud ipse decretis repugnando, extraneum infantem, suique loco filij neci oblatum mali pati quidquam iustus in se, ac suos vindex minime sustineret.

Ipsius In S. Gregor. Rom. Ponti ficem arrogantia, & contumelia.

Multa aduersus Ecclesiæ leges suis legibus peccat.

Baron. tom. 6. an. 602. n. 12.

A Phoca iustam scelerum vltricé experitur.

4. Porrò tragicam Romanorum Principis, ac filiorum cladem publicis apud Gregorium monumentis traditam, cunctorum documento vndecimi libri exordia his plane verbis exhibent. *In nomine* (inquit) *Domini Dei, & Saluatoris nostri Iesu Christi per indictionem sextam, die vigesima tertia Mensis Nouembris, temporibus Domini, & Beatissimi Papa Gregorij coronatus est Phocas, & Leontia Augusta septimo in Palatio, quod dicitur Secundinianas, & occisus est Mauritius Imperator cum omnibus filijs suis masculis, &c.* Quibus sanè verbis tristis, atque infelix vnà simul supremi Principis, ac suorum calamitas in suis à Gregorio tabulis ob oculos contemplanda proponitur, quam æquo Numinis calculo ipsi illatam nemo est, qui probè rerum anteactarũ conscius, vel leuiter ambigat, si res iniquè à Mauritio gestas recolens, quæ immitis Vir animi in funestissima olim Christianorum strage, quam facile oblato auri pretio à Rege barbaro redimere potuerat, argumenta satis clara meminerit; sed ipsius hic Baronij in medium verba proferre operæ pretium est; hæc enim ille: *Planè* (inquit) *accidit secũdum illud Sapientiæ: Audite Reges, & intelligite: horrendè, et citò apparebit vobis, quoniam iudicium durissimum in his, qui præsunt, fiet. Ità quidem patefactum est horrendum Dei iudicium aduersus Mauritium Imperatorem, dum de facinore haud pridem perpetrato persoluit pœnam (vt licuit) talionis. Dum enim ipse passus esset tot millia innocentium Christianorum à diro barbaro immanissimè cędi, quos minimo potuisset redimere pretio, reus factus innoxij effusi sanguinis ipse à tyranno vnà cum insontibus filijs crudelissimè necatus est, nullo adiuuante, eripiente nemine: Sentiens verò ipse manum esse hanc Domini porrectam ad vlciscendum, specimen edidit probatissimi Christiani, conficiens sibi ex calice iræ Dei poculum medicinæ, quod sibi prodesset ad peccato-*

Gregorius lib. 11 cap. 1.

Baronius vbi supra.

Sapiens c. 6.

Ipse vnà cũ innocentibus filijs gladio percelli tur.

catorum suorum purgationem, et perfectam salutem animę consequendam. Hæc Baronius. Atquì patentissima impendentis Mauritio, totiquè eius prosapiæ cladis signa, haud obscura diuinitus sunt præostensa, vt Eleusius in conscriptis à se S. Theodori Siceotæ Episcopi Anastasiapolitani gestis his verbis tradit.

In vita S. Theodori Sic apud Surium om. 2. die 22. Aprilis. Baronius vbi supra n. 12.

ntentatam bi à Phoca ecem in celeris poo am patien r subit.

5. *Antequam*(inquit)*Mauritius Imperator occideretur, cùm in Dei Genitricis Monasterio Vir Sanctus prefinitum Psalmorum numerum legeret, in Sanctuario recens exadificato lucerna, quæ semper ardet, extincta est. Quapropter vni ex Fratribus annuit, vt eam accenderet, sed cùm statim rursus extincta esset, Frater redyt, et cum precibus eam iterum accendit; repentequè rursus extincta, Vir Sanctus illum reprehendens, tanquam ineptè id fecisset, ipse accessit, et manu sua illam accendit: Sed cùm illic adhuc staret, similiter rursus extincta est. Tunc Fratribus omnibus congregatis, seuerè locutus est ad hunc modum: Signum hoc Fratres non simpliciter (mihi credite) nec temerè contigit. Vos ergo diligenter explorate, quid egeritis, et in conspectu Dei peccatum vestrum confitemini; licet enim illud vos celare conemini, Deus ipse patefaciet, etc. Et post multa, Mauritÿ cladem einsmodi signo diuinitus præmonstrari tandem post preces edixit; hæc enim scriptor. Cùmquè re (inquit) diuinitùs patefacta tristis esset, et cum gemitu diceret: Verè tu Isaia naturam hominis expendisti, cùm diceres: Omnis homo fœnum, et omnis gloria eius tanquam flos fœni, aruit fœnum, et flos eius decidit. Et dum hęc loqueretur, Fratres rogabant eum, vt rem omnibus patefaceret; quibus cùm præcepisset, vt rem nemini indicarent, prædixit eis, quo mortis genere Mauritius Imperator esset interiturus, Fratribusquè meritò id illi esse obuenturum respondentibus ob ea, quæ improbè fecisset; Sic ipse quidem, ò Filÿ (inquit Theodorus) morietur; sed post eum multò deteriora contingent, quæ hæc ætas non expectat.* Hæc ille; impendentem vtpote Imperatoris iugulo mucronis è proximo gladium prænidens, sic palam cunctis edixit. Rursus verò anno priusquam diro Imperator fato succumberet, tristia quædam Cedreno narrante præcessisse constat; hęc enim in suis Annalium paginis.

Isaia cap. 40

Portento diuinitus præostenso Mauritij mors in otescit. Theodoro Siceotæ Episcopo.

6. *Monachus quidam*, (inquit) *cuius vitæ exercitatio illustris erat, strictum gladium tenens à foro vsque ad æneam portam procurrit, omnibus prędicens, Imperatorem gladio occisum iri; sed Herodianus Mauritio palam, quæ euentura essent, denunciauit*. Quibus & alia plura rerum futurarum portenta ex Nicephoro Baronius in rem præsentem subtexit, quæ Lector apud ipsum consulat. Verùm his, quæ scriptores in suis paginis tradunt, rem planè memoria dignã disertis Cedrenus verbis hunc in modum addens narrat: *Sic igitur* (ait) *eodem anno vltimo Mauritÿ Imperatoris ipse ad se reuersus, recordatusquè Deo nihil clam esse, eumquè pro meritis cuique suis siue bona, siue mala tribuere: Tum quàm grauiter peccasset, quòd captiuos redimere noluit, expediens esse cogitauit; vt in hac vita temporaneas, et non in futura ęternas pœnas daret. Itaque libellos supplices ad omnes Patriarchas, et Monachos in omnia Monasteria, etiam Hierosolymam misit; vt à Deo peterent, vt ipse de peccatis admissis in hac vita, et non in futura pœnas lueret. Quin et in Philippicum impegit sororis suæ maritum, suspicatus ab eo cædem sibi parari ex vaticinio quodam, quo significatum esset ab PH. esse cauendum: Cæterũ Philippicus innocens iuramentis, & modis omnibus apud eum se purgare non destitit. Mauritius verò, cùm pro ipso vbique Viri pÿ Dominum precarentur, quadam nocte in somnis eiusmodi visum vidit; nempe astare se ante Saluatoris imaginem in Palatÿ porta ærea collocatam, atque vnà simul multam turbam captiuorum ipsum apud Dominum accusantium. Tum ipsum Iudicem iubere Mauritium causam dicturum sisti; Sicquè à satellitibus correptum, et in porphyretico vmbilico ibi posito constitutum ab eodem Iesu Christo Domino interrogatum fuisse, vbinam sibi pœnas rependi vellet, in hac scilicet, vel futura vita; ipsum autem Mauritium ità respondisse: Domine benignissime, iuste Iudex, hìc malo potiùs, quàm in altera vita. Nec mora statim iussum esse, vt cum vxore sua, et liberis, totaquè familia Phocæ militi trucidandus daretur. Expergefactus statim accubitorem suum misit, qui Philippicum ad se perduceret, etc. Sic Mauritius, cùm ei Philippicus in suspicionem venisset, diuinitus didicit, cuius manu neci tradendus esset; Ipsum igitur alloquutus, hęc habuit: Ignosce mihi frater, quas tibi innocenti*

Baronius vbi supra n. 24. Cedrenus in Mauritio.

Monachus cladis, quæ Mauritio impendebat, præco

Cedrenus vbi supra.

Mauritius Poenitendo sibi ante calamitatem opportune prospicit.

Ipsius in Philippicum suspicio morti hominem iniustè destinabat.

Mauritius ob sua scelera hic potius, quàm in altero sæculo puniri vult.

centi insidias tribui. Suspicabar quidem te mea vita insidias moliri, sed iam te innocentem cognoui. Hortor autem, vt dicas mihi, si quem Phocam militem in exercitu nosti: Noui(ait ille) quendam, qui pridem ab exercitu missus cum tua Maiestate iurgauit. Quærenti autem Mauritio, quo ille preditus esset ingenio: Respondit, hominem esse timidum, & crudelem: Tum Imperator; si timidus (inquit) est, & homicida. Hæc ille tragicam rem paucis adumbrando.

A quonam esset occidendus, Philippici ore iuxta Dei oraculum intelligit.

7. Atqui Mauritio funesta ipsius cædes, & inglorius è throno, ac è vita pariter exitus, nedum per visum; sed & Sanctorum Monachorum, quorum se precibus commendarat, oraculo innotuit: Hæc enim Cedrenus. *Postridie* (inquit) *Magistrianus, quem ad hoc ablegauerat Mauritius, venit à Sanctis hoc responsum ferens: Probat Deus conuersionem tuam, teque, totamque familiam tuam collocat inter electos; sed Imperij cum dedecore iacturam patieris. Quibus auditis Mauritius Deo laudes, et gratias egit.* Diro itaque Imperator Phocę gladio se addictum, salutem animæ consequuturum, probè Sanctorum Virorum confirmatus oraculo, ad cuncta, quæ suo impendebant capiti, constanter subeunda promptus, atque alacer perstitit; veniam ab eo, quem hactenus ille suspectum de paratis sibi insidijs habuerat, humiliter deprecatus. At quæ, vbi Phocas à militibus Imperator salutatus est, acciderint, Theophanes aptè suo loco tradit. Phoca igitur Imperialibus infulis aucto, quæ ipsum subinde consequuta sunt mala, videamus. Cùm(inquit) *ex more pristino in editione spectaculorum Phocas totus esset, et in Circo de loci prærogatiua oborta contentio fuisset, Populus tumultuatus Mauritium appellauit, quod nondum mortuus esset: Mouit res inexpectata inuidiam Imperatoris, qui mox excitatus missis militibus ad Mauritium, eum ad Portum Eutropij adduci iussit. Vbi ante oculos eius iussi sunt necari quinque fily masculi. Ad quæ ille alta Philosophia dixisse fertur illud Dauidicum: Iustus es Domine, & rectum iudicium tuum. Interea verò cùm nutrix subtraxisset vnum è nece, & pro illo filium suum offerret; id Mauritius fieri vetuit, infantemque suum prodidit qui visus est è vulneribus lac dare cum sanguine. Tandem verò vltimo loco Mauritius ipse occisus est, cùm se casu superiorem in omnibus demonstrasset. Horum omnium abscissa capita delata in campum iuxta Tribunal, ad fœtorem vsque ibidem permanserunt.* His planè misera, & certè lugubris Regiæ cladis, & calamitatum strophes ex antiquis scriptorum monumentis exactè describitur: Mauritij verò mortem, quæ Constantinopoli contigit, Alexandriæ vel ipso Dœmonum ministerio euulgatã innotuisse, disertis Theophanes verbis narrat; Dœmones quippe infelicem hominis casum Alexandrinis, antequam rei fama illuc perueniret, palam fecisse ex narratis ab ipso satis constat.

Cedrenus in Mauritio.

A Sanctis Monachis funesti sui exitus certior factus gratias agit.

Theophanes in Phocat.

Phoca iam imperante, orta in Circo seditio, Phoca in Mauritium acriter commonet.

Baronius vbi supra nu. 19.

Mox ab Imperatore Mauritius cum quinque filijs masculis occidi iussus,

Theophanes in Phoca.

8. Porrò præter Mauritium, ac filios, alios nonnullos insuper Phocæ gladio sublatos Nicephorus tradit. Verùm ipse acerbam præ cūctis vastitatem ęquo animo ferens, dũ anteactorum pœnitens delictorum culpam in pœna suorũ agnoscit, expiatquè; veniam à Deo, vt Sanctorum pridem oraculo didicerat, proculdubiò consequutus creditur. Nec verò Mauritio Imperatore sic extincto, Dei, qui totam eius prosapiam iustissimæ neci destinando tradiderat, ira quieuit: Nam Constantina Mauritij vxor vnà cum tribus filiabus gladio insuper addicta est, vt Theophanes in Miscella tradit. Verùm quod de Theodosio Mauritij filio, qui adhuc vitę, vt suprà dictum est, superstes credebatur, Nicephoro narrante vanum omninò extitit. Hæc autem post Mauritij cladẽ, Coniugis subindè, ac filiorum sepulchro Nicephorus tragica carminum monumenta inscripta refert.

Nicephorus in Mauritio.

Suam, ac suorum cladem patienter ferendo expiatus.

Theophanes ad Miscella.

O ego mille modis Regum miseranda duorum,
Mauritij coniux, filia Tiberij.
Edocui Regina satis, facundaquè Mater,
Quàm sint multorum commoda sceptra Ducum.
Militis infidi iaceo, Populiquè furore,
Et mecum Coniux, progeniesquè iacet. &c.
Non iam Roma meis carpes è frondibus vmbram,
Diruta Threÿcio stirps Aquilone iacet.

Constantina vxor cum tribus filiabus, & Theodosius insuper è filiorum numero superstes neci sunt traditi.

Nicephorus in Mauritio.

Sic demum Mauritio, & vxore vnà cum tota ipsius prosapia, gladio sublatis, funestis

nestis hisce carminibus parentari contigit.

Baronius an. 633. num. 61.

9. Eduinus quoque Borealium Anglorum Rex, qui pœnitens tristi demum fato sublatus est, Edelburgam Raduardi Regis filiam sibi Matrimonio iunxerat, vel dum in Gentilitatis adhuc errore maneret, haud se à Christi penitùs fide alienum prætulit. Hic Bonifacio Quinto exhortante ad Christi fidem, præostẽso sibi (dum profugus Regis insidias declinaret) diuinitùs signo, quo certa sibi animæ salus promittebatur; si dictis parens, Christo nomen daret, salutari tandem Baptismo ablutus, nobilem Deo Ecclesiam exædificauit. Eius autem exẽplo innumeri postmodum, ac filij in primis Christi fidem suscepere; At tandem bello victus, cùm in hostium manus venisset, vnà cum filijs neci traditus, spem de se bonam iuxta præostensum sibi visum reliquit. Atquì Eduinus, qui primùm Bonifacij Papę ipsum ad fidem exhortantis minimè literis acquiescens se difficilem præbuit; vbi in vitæ discrimen adductus est, obortum sibi desuper veritatis lumẽ gratis visus est oculis hausisse.

Eduinus Anglorum Borealiũ Rex præostenso sibi signo ad Christi fidẽ euocatur.

Beda l. 2. c. 9.

Enimuerò (inquit Beda) *aduersus gẽtẽ Occidentalium Saxonum progressus, bello subinde inito, vniuersos (quos in sui necem conspirasse didicerat) aut occidit, vel certè in deditionem recepit: Sicquè victor in patriam reuersus, non statim, & inconsultè Christianæ fidei Sacramenta percipere voluit; quamuis nec Idolis vltra seruiuit, ex quo se Christo seruiturum esse promiserat. Verùm primò diligentiùs ex eo tempore, & ab ipso ven. Viro Paulino rationem fidei ediscere, & suis Primatibus, quos sapientiores nouerat, curauit conferre, quid de ijs agendum arbitrarentur. Sed & ipse cùm esset vir natura sagacissimus, sæpe diù solus residens, ore quidem tacito; sed in intimis cordis multa secum colloquens, quid sibi faciendum, quę Religio seruanda tractabat.* Hæc Beda. At res iam pridem illi per visum ostensa, dũ acrioribus premeretur angustijs, reluctãtem, detrectantemquè Christi iugo colla submittere, ac Paulino exhortãti acquiescere; vbi accepto signo se angustijs omnibus liberum vidit, ad id præstandum permouit: *Eduinus quippe* (vt Beda inquit) *iuxta oraculum, quod acceperat, non tantùm Regis sibi infensi insidias vitauit; verùm etiam eidem, perempto in Regni gloriam successit.* Cùm ergo diuino Regem repugnantem Numini Paulinus cerneret, ad eum repentè ingressus, manumquè illius capiti imponens, suis (quod per visum olim signum acceperat) verbis ad suscipiendam Christi fidem alacriter perurgẽs, præter bona sibi hactenus præstita, si dictis parens, salutari Baptismo ablueretur; cęlestis profectò Regni felicitate promissa vehementer ad opus incitauit, quod & ille postmodum feliciter præstitit, vt Beda his verbis prosequitur.

Bello victus & ad Christum subinde conuersus.

Baronius an. 626. nu. 22. 23.

De rebus fidei Paulinũ consulit.

Beda c. 9. l. 2.

Eduinus iuxta pręostensum sibi signum Christi fidẽ amplectitur.

10. *Cùm ergo* (inquit) *prędicante verbum Dei Paulino, Rex credere differret, & per aliquot tempus (vt diximus) horis competentibus solitarius sederet, & quid agendum sibi esset, quæ Religio sequenda, sedulus secum ipse scrutari consueuisset: ingrediens ad eum quadam die vir Dei Paulinus, imposuit dexteram capiti eius, & an hoc signũ agnosceret, requisiuit. Qui cùm tremens ad pedes eius procidere vellet, leuauit eum, & quasi familiari voce affatus: Ecce (inquit) hostium manus, quos timuisti, Domino donante euasisti; ecce Regnum, quod desiderasti, ipso largiente, percepisti: memento, vt tertium, quod promisisti, facere non differas, suscipiendo fidem eius, & præcepta seruando; qui te, & à temporalibus aduersis eripiens, temporalis Regni honore sublimauit. Et si deinceps voluntati eius, quam per me tibi prædicat, obsecundare volueris, etiam à perpetuis malorum tormentis te liberabit, & æterni secũ Regni in Cælis faciet esse participem. Quibus auditis Rex suscipere quidem se fidem, quam docebat, & velle, & debere respondebat. Verùm adhuc cum amicis, Principatibus, & Consiliarijs suis se se de hoc collaturum esse dicebat, vt si illi eadem cum eo sentire vellent, omnes pariter in fonte vitæ Christo consecrarentur. Et annuente Paulino, fecit, vt dixerat.* Hæc ille. Habitis igitur Comitijs de Religione capessenda tractatur, & vbi de abijcienda è Regno Idololatria cordatorum hominum sententia fuit, ipse Collegij gentilitij PontifexMaximus ad Idola destruenda primus insurgens, nobile Idolorum fanum est demolitus.

Conceptis à Paulino verbis ad Christi fidẽ profitendam erigitur.

Propositis Dei tum beneficijs, tum minis in bono roboratur.

11. Porrò Eduino ad Christum traducto, optatæ pacis tranquillitas toti Bri-

Quid Christo, ac se dignũ Rex præstitit.

Beda vbi supra.

tannorum Regno affulsit, & iuncta paci securitas, vt Ven. Beda dum secũdos Regni successus his verbis narrat: *Tanta* (inquit) *eo tempore pax in Britannia quoquò versum Imperium Regis Eduini peruenerat, fuisse perhibetur, vt (sicut vsque hodie in prouerbio dicitur) etiamsi mulier vnà cum recensnato paruulo vellet totam perambulare insulam à mari ad mare, nullo se lædente, valeret. Tantùm quoque Rex vtilitati suæ gentis consuluit, vt plerisque in locis, vbi fontes lucidos iuxta publicos viarum trãsitus conspexit, ibi ob refrigerium viantium erectis stipitibus, ac aereos caucos suspendi iuberet, neque hos quisquam, nisi ad vsum necessarium contingere præ magnitudine vel timoris eius auderet, vel amoris vellet.* Ex quibus Regem optimè administrãdo Regno intentũ, rebusq; Deo aspirante ipsi ad nutum arridentibus, feliciter præfuisse innotescit.

Baronius an. 627. nu. 36.

Beda lib. 2. cap. 16.

Rex Populorum vtilitati semper intentus.

Honorius Papa Eduino per literas gratulatur.

Baronius an. 631. nu. 61. 62 & 63.

12. Atqui Honorius Papa cùm ab Eduino per manus Legatorum literas accepisset, eidem primùm de suscepta Christi fide gratulans, & Episcopis Paulino, & Honorio pallium honoris gratia mittens, Regem ad propagandam, quam nuper acceperat, fidem grauissimis verbis est adhortatus. Demum cum Britones aduersus Anglos bello agerent, Rex vnà cum filijs à Carduella eorundem Rege, qui contra ipsum rebellauerat, miserè trucidatus; vt Beda his verbis: *At verò Eduinus cùm decem & septem annis genti Anglorum simul, & Britonum gloriosissimè præesset, è quibus etiam Rex ipse (vt diximus) Christi Regno militauit, rebellauit aduersus eum Carduella Rex Britonum, auxilium præbente ei Penda viro strenuissimo de Regio genere Merciorum, qui & ipse eo tempore gentis eiusdem Regno annis viginti, & duobus varia sorte præfuit. Et conserto graui prælio in campo, qui vocatur Hethfelt, occisus est Eduinus die quarta Iduũ Octobris anno Dominicæ Incarnationis sexcentesimo trigesimo tertio, cùm esset annorum quadraginta & septem; eiusquè totus vel interemptus, vel dispersus est exercitus. In quo etiam bello ante illum vnus filius eius Elfrid iuuenis bellicosus cecidit. Alter Elfrid necessitate cogente ad Pendam Regem transfugit, & ab eo postmodum regnante Osuido contra fidem iurisiurandi peremptus* Regis Eduini hic finis extitit, quem iuxta id, quod ei Paulinus Episcopus, si fidei Christianæ manus dedisset, salutem animæ, ac cœleste Regnum promiserat, vel funesto exitu abreptum, quæ sibi à Dei famulo promissa sunt, consequutum fuisse credere par est: Illud verò ex aduersis lucratus est, vt funesto anteactas vitæ culpas decessu expiaret.

Beda vbi supra.

Eduinus cũ Carduella pugnans interemptus, eiusque atteritus exercitus.

Christi Regnum sibi à Paulino promissum pro mercede retulit.

13. Porrò Rex optimus ferro quantumuis occisus, condigno funere, ac tumulo haud caruit: Caput enim eius Eboracum in Ecclesia B. Petri, pia hominũ manu tumulari contigit, vt Beda his verbis: *Allatum* (inquit) *caput Eduini Regis Eboracum, & illatum postea in Ecclesiam B. Petri Apostoli, quam ipse cœpit; sed successor eius Osuualdus perfecit, vt suprà docuimus: positum est autem in porticu S. Papæ Gregorij, à cuius ipse Discipulis verbum vitæ susceperat.* Et hæc pio Regi, qui si quid pœna dignum viuens admisit, moriens subinde, tum sui, tum suorum clade expiando pro se Deo, & cunctis fecisse satis est visus; quò postea liber ad Dei Regnũ pertingeret, iuxta quod suis Paulinus verbis contestatus illi fuerat, sic dicens: *Et si deinceps voluntati eius, quam per me tibi prædicat, obsecundare volueris, etiam à perpetuis malorum tormentis te liberabit, & æterni secum Regni in Cœlis faciet esse participem.* Qui dictis igitur volens, libensque, Christi fidem amplexando obtemperauit, ad promissa Cœli prœmia, Deo (vt conijcere fas est) miserante, & gladio item feriente peruenit. Et hæc satis.

Beda vbi supra.

Nobili funere à suis relatus, & caput in B. Petri Ecclesiã delatum.

Baronius vbi supra.

Paulinus Eduino Cœlum repromittit.

Beda lib. 2. cap. 9.

14. Nec verò ab huius consortio pari tum gradu, tum infelicitate conspicuus Fridericus Romanorum Imperator seiungendus videtur, qui cùm multipliciter Sacrosanctæ Apostolicæ Sedi, Romanisque Pontificibus contumeliosus, negotiũ facesseret, ac simul Catholicos acriùs insectari nõ desisteret; ipsismet Pseudopõtificibus fauendo manifestus sic hostis, atq; oppugnator effectus, meritò ab Alexãdro Romano Pontifice, huius nominis Tertio, Ecclesiasticæ censuræ gladio fuerat, ni mors obstitisset, iustissimè percellendus. At diu is, alter veluti Pharao toleratus, vt Diuino tandem nomini ex ipso, gloria proueniret, & nobilior hoste deuicto, ac spontè prostrato Ecclesiæ triũphus cederet, impune in terris deliquit,

Baronius 1190. num. 11.

Fridericus Romanorũ Imperator apud Deum multipliciter reus sub vitę finem resipiscit.

vt

Baronius vbi supra nu. 35. Exodi cap. 14.

Deo tandē miseratē ipsi pęnitens tiumphos cedit.

vt Baronius his appositè, eleganterquè inculcat. *Quòd si omnium* (inquit) *malorum auctorem tardius vindicta mulctauit Fridericum Imperatorem; scias à Deo factum, quò præclarior esset de sæpè expugnato tyranno triumphus. Nam sicut de Pharaone Dominus ait: Indurabo cor eius, & persequetur vos, & glorificabor in Pharaone, & omni exercitu eius, scientque Aegypty, quia ego sum Dominus. Ità planè persimili suæ seueritatis iudicio ad gloriam sui nominis, ipsius verò opprobrium, & ignominiam seruauit Fridericum Imperatorem in viribus potentissimum; fraudibus verò vaferrimum deceptorem, ait quod de Behemot scribitur in Iob: Illudes ei tanquam aui; & per Psalmographum: formasti draconem ad illudendum ei; ludibrio expositum poneret in exemplum cunctis Principibus cornua erigentibus aduersum Sanctam Ecclesiam; cùm viderent superbissimum Imperatorem contumacem, sæpè victum, atque prostratum ad pedes Alexandri Papæ accidere, atque eos deosculari, & lambere*. Sic ille.

Quanea ipsius in Romanos Pontifices fastus & contumacia.

Superbus quippe homo Pontificis Romani humiliter pedibus aduolui, ac ipsi debitum in terris Christi Vicario honorem vel nolens, vel inuitus deferre compulsus est. Atqui aduersus Vrbanum III. priuatis de causis supercilium attollens, & in Apostolicā Sedem rebellis, ac itē recalcitrando ferus, sacra pacis fœdera infringere non dubitauit, quóusque reconciliatus Ecclesiæ, ac voti vinculo obstrictus, vt pro recuperanda Palestinorū ditione armis, illuc accinctus iter arriperet, iussus est; quod cùm pœnitentiæ causa præstitisset, ab Orientalium Græcorum Imperatore multis bellorum fatigatus incommodis. Tandem post deuictū in prælio Soldanum, Iconij & partes inferioris Armeniæ peragrando, dum se in Saleph flumine lauat, siue illum transit, rapido tandem vndarum impetu absorptus interijt. Verùm quia hac super re multiplex est scriptorum sententia, an videlicet inter lauandum, an verò inter transfretādum ipse sit Imperaror extinctus; id ex epistola certi cuiusdam, qui rebus eiuscemodi præsens fuit, proculdubio euincitur, vbi isthæc apud Baronium habentur: *Eodem* (inquit) *die cùm Dominus Imperator per quoddam compendium transiret in conuallibus montium quamdam rapidissimam aquam, saluumque se recepit in aliam partem. Facto autem ibi prandio post infinitos, & intolerabiles labores, quos per mensem iam erat passus, & vellet balneari in eadem aqua, & ita se refrigerare vellet natando; Dei iudicio lacrymabili, & inopinato submersus est*. Hæc ibi.

Bellorum atteritus incommodis in Saleph flumine absorptus.

Baronius vbi supra nu. 11.

Extat in appendic. ad Ioderici

15. At lugubris, & inopina Imperatoris, quæ contigit mors, nonnisi Deo ipsius scelera vlciscente visa est accidisse, vt his Baronius verbis tradit: *Qui igitur* (inquit) *propter peccata norunt aduersa sæpe contingere; ad illam reuocabit culpam interitum Imperatoris, quod diuturno (vt vidimus) bello iniquissimo incesserit Romanam Ecclesiam, & persequutus fuerit implacabili persecutione diù, multumquè Romanos Pontifices: Hæc enim Neubrigensis, eiusdem temporis auctor haud ignobilis, de his habet: O abyssus multa iudiciorum Dei! Vir tantus, & qui Diuino quodam feruore relictis delicys, opibusque Imperij mille se exposuerat propter Christum periculis, tam subitò misero casu absumitur. Peccatum eius tamen tantum, & tale elucet, quod fortè Imperialibus non potuerit delicys expiari, atque ideò oportuerit, nè æternaliter plecteretur, pia Diuinitatis prouisione in hac vita seuerius castigari; Siquidem nefary schismatis sub venerabili Papa Alexandro principalis fautor extiterat, & pacis Ecclesiasticæ per Imperialem potentiam multo tempore perturbator. Tandem verò perspicuè dans palmam veritati, minùs tamen in delicys Palaty piacula malorum defleuerat. Porrò ne propter hoc post mortem supplicia lueret, sed potiùs tam grande malum momentaneæ mortis casus acerbus perfectè dilueret; illa insigni deuotione, qua propter Christum relicto Imperio tantis se immersit periculis auctum credo*. Hæc Vuillhelmus Neubrigensis. Quibus sanè verbis ideò Imperatorem temporalis gladio vltionis perculsum à Deo constat, vt æternæ animaduersionis censuram, pœnis hîc tēporalibus expiatus euaderet, ac morte Deo exolueret; quòd in ipsum, eiusquè Ecclesiam iampridem per scelus insurgendo peccauerat.

Baronius nu. 12.

Immanes eiusdem cul pas iusta pœna consequitur.

Funestas mo. re punitus, vt æternam euaderet ex Vuilhelmo.

Misericordia Dei vel sic plectēdo elucet.

Rainaldus an. 1191. nu. 7.

16. Verùm enimuerò Altissimus, qui cunctorum semper bono intendit, sic suos plerùmque flagellis cædit, vt vnà simul cędendo paternè ipsos corrigat, erudiatq; ac demum à malo retrahens ad salutis portū errantes perducat; adeòque vel hîc ple-

Cc 2 ctendo

ctendo non tam iram, quàm misericordiã misericordiarũ Pater ostendit: *Quid enim* (inquit Gregorius) *non misericorditer homini à Deo præstatur? à quo ipsa tribulatio bneficium est*. Id sanè etsi pleraque historiarum monumenta deessent, ingẽtes (quæ olim Christianorũ exercitui ob defensã sacrorum Palestinę locorum ditionem Anno Christi M.CC.XCI. sub Nicolao IV. Romano Pontifice Christianos ad sacrum bellum adhortante acciderũt) clades, vniuersis proculdubio testantur: Ptolemaida quippe direpta, & Acone Vrbe à Saracenis capta, atque succensa, multisque Christianorum millibus ad internecionem cæsis, ac naufragio simul peremptis maxima tunc temporis Dei nutu calamitas sic Christianos inuasit, vt corrigeret, ac Deo lucrifaceret. Flagellis namque attriti, ad Deum tot inter angustias cõfugiendo, etsi haud victoriæ palmam, certè salutem animę sunt assequuti. Tantus quippè Saracenorum numerus sub Sultano extitisse legitur, vt Tyrannus sexaginta equitum millia, centum verò, & sexaginta insuper millia peditum in Christianos eduxerit, iuxta id, quod Sanutus tradit: *Sunt* (*vt historia perhibent*) *plurima Christianorum cæsa, spoliorum numerus prope infinitus, Vrbs à barbaris funditus deleta*. Sed B. Antoninum isthæc narrantem, Deique vel sic ipsorum miserantis consilia prorsus admiranda extollẽtem hic interim audire præstat: *Neque* (inquit) *hoc accidit sine magno, & iusto Dei iudicio; Nam habitatores eius, etsi nomine Christiani, re autem infidelibus erant deteriores, repleti omni iniquitate, & lasciuia; ideò in præsenti Deus supplicia reddidit, ne in æternum eos puniret, qui in tam sæua morte ad Deum sunt reuersi, & nè impœnitentes ex eis diutius viuentes, maiores sibi acquirerent cruciatus*. Flagella quippe, vbi homo ad salutem proficit, non tam iræ Dei, quàm misericordiæ ipsius merito sunt adscribenda; Deumque mortalibus propitium magis, quàm iratum manifestè indicant.

Gregorius in moral.

Ipsa, quæ à Deo immittitur tribulatio, beneficium est.

Acone multa Christianorum millia à Saracenis ob defensionem Terrę Sãctę interempta magno ipsorum bono

Sanutus lib. 3. par. 12. c. 21.

S. Antonin. 3. part. tit. 20. cap. 6. §. 9.

Mors temporalis ad vitam profuit.

17. Res itaque etsi funestè, miro tamen Dei consilio Christianis contigit, vt deuios, aberrantesq; in viam salutis reduceret, atque alios à futuris culpis hostili gladio præreptos culpis absolueret, tutoque tandem loco reponeret. Quàm verò lugubris tunc Christianorum facies, quã insuper miseranda ipsorum inter tranquillę pacis tempora vitiorum captiuitas, his Sanutus verbis describit: *Cùm carnalia* (inquit) *cæteraque peccata continuè augerentur in fractoribus fęderis Baptismatis, nec de malis vellent conteri, nec per pœnitentiam ad viam redire iustitiæ, assumpsit Seraf paternum propositum, eò ardentius commotus, quòd nouemdecim Saracenos mercatores Ptolemaide in loco vocato Lafunda, iuxta cambium, contra fidem treguarum crucesignati gladio peremerunt, ac poscenti iustitia denegata sit, & quasi instrumentum licet dirum seueri Iudicis negligẽtibus misericordiæ tẽpus M.CCXCI quinto Aprilis vndique obsedit Ptolemaidam Ciuitatem: In exercitu enim suo habuisse dicitur LX. millia equitum, & CLX. millia peditum. Erexit autem in locis varijs machinas multas demolientes muros Ciuitatis, & Turres. Fecit quoque plures minas, siue cuniculos respondentes ad terram nouam factam nuper ante turrem maledictam &c.* Porrò Vrbis ipsius vastitatem conceptis item hunc in modum verbis, plorans describit: *Erat* (inquit) *in mari tempestas valida vt ad magna nauigia accedere non valerent; vndique erat tremor, & pauor, & gemitus mortis. Soldanus quoque ad quatuor partes Ciuitatis fecit ignes accendi, vt ferro, & igne consumeret vniuersa*. Quibus isthæc subtexit.

Sanutus lib. 3. par. 12. c. 21.

Christiani vita varijs culpis infecta expianda.

Funesta ipsius cladis descriptio.

18. *Nũc luit* (inquit) *peccata, sed nõ abluit Ciuitas scelerata, gratijs Diuinis ingrata. Ad ipsam confluebant Reges, & Principes terræ; Ad ipsam mittebant succursum tributaria cũctæ partes occiduæ, & nunc contra eam pugnant omnia Elementa; Terra enim eius sanguinem deuorat, quæ sanguine eius tota madescit; Mare absorbet Populum, ædificia consumit ignis: aer fumo, & caligine tenebratur. Iustè proindè maledicta vocata est turris illa, qua maledicta gens Saracenica subintrauit; & qui illi nomen imposuit, euentum tam diri infortunij, nesciens quid diceret, prophetauit*. His Auctor insignem, horrẽdamque præ cũctis illatam Christianorum genti cladem amarulenter, & satis nunquã deplorat; quæ tamen iusto Dei consilio, eorum plerisque vel serò ad sanam mentẽ eiusceemodi flagello adductis, ipsis nonnisi in bonum denique, nec tam ad carnis interitum (vt videre est) quàm ad certũ animi prouentum cessit, vt illa probè Origenis ijsdem verba occcinerent: *Nemo* (inquit)

Sanutus vbi supra.

Ob ingratitudinis vitium Christiani hostium gladio traditi

Origenes in lib. Numerorum

(inquit *flagella Dei perniciem putet*. Hæc ille.

19. Porrò tristis, funestusque vitæ plerùmque finis, nedum Imperatores, ac Reges vitijs irretitos, ac Pœnitentia salubriter expiatos ad Dei gratiam prouexit; sed & perditos quoque, & tyrannidis infamia notatos, cunctisque sceleribus obnoxios Cœlo tandem mundos inseruit. Inter quos Bernabò Mediolanensium Dux iure merito adnumerandus est, qui suum per tyrannidem Principatum administrans, iniquis toties Romanos Pontifices bellis vexarat; nonnisi demùm funestè, compunctus tamẽ, apertisque pœnitentiæ signis, pio Christianorum more supremũ, Deo aspirante, diem clausit, vt Corius disertè, & alij affirmant: Aiunt enim hominem vnà cum filijs, dum Ioanni Galeatio nepoti, & genero, homini vaferrimo religiosam obtendenti peregrinationem occurrit, ab eo captum, nec nõ superbas ipsius Bernabonis ædes nobili, ac pretiosa supellectili refertas, plebi ad diripiendum propositas; reliquas verò, & quidem amplissimas, quæ rapinis, ac multorum lacrymis, ac detrimento conflatæ in Arce seruabantur, pecunias ipsi non tam in proditionis præmiũ, quã in perditionis laqueũ Dei nutu cessisse. Post rẽ tamen gestã Ioãnes Galeatius, vt omnem à se inuidię liuorem amoueret, ac proditionis crimen in ipsum Bernabonem reijceret, ipsum vti reum sceleris, conuictumquè è vita abstulit; hæc enim S. Antoninus: *Non post multos* (inquit) *dies in carcere illum veneno perire fecit; sicque crudelissimus tyrannus in multis proditor, persequutor Ecclesiæ, secundum exigentiam operum suorum mercedem cõgruam recepit Bernabò ipse.* Dignum planè Princeps indignus scelerum, & prauæ vitæ, ac improbitatis præmium tulit. Atqui veneno miser epotus, & ad pœnitentiæ antidotum, quo suæ vel serò animæ curam agens opportunè prospiceret, compunctus corde procurrens, aptum sibi sub illa momenta, ac veneno culpæ antidotum procurauit, vt sic rem Rainaldus describit: *Addit Corius* (inquit) *illum, cùm sensisset propinatum sibi venenum infusum in sculo, crimina acerbissimè planxisse, Sacramentisque se muniuisse, atque interruptis suspirijs repetisse hæc verba: Cor contritum, & humiliatum Deus non despicies.* Adiuncto autem Ioannes Galeatius paternæ ditioni Bernabonis Principatu, ac Regiã insuper dignitatem exambiens; cùm ab Vrbano, quem amplissimis sibi deuincire muneribus contenderat, hanc obtinere non posset, acerba in ipsum intus in eorde odia, furoremque concepit. Ingens verò alter sub vitæ finem, ipsiusque temporalis vitæ detrimento lucrum fecit, dũ verè pœnitens, suasque lacrymis culpas redimens, aditum sibi ad æternitatem, vel serò, seriò tamen à Deo quæsiuit.

Bernabò Mediolanensiũ Dux pęnitẽs post graues culpas saluus fit.
Rainaldus an. 1386. n. 12.

Ioannes Galeatius Bernabonis opes ac ædes diripit, ac ipsum veneno occidit.

Diar. Venetus m. 2. Corius hist. Mediol. part. 2. & alij.

Theod. Niemius lib. 3. cap. 57.

Crudelis tyrannus, & persequutor dat scelerũ pœnas.

Corius hist. Mediol. part. 3. Blondus dec. 2. lib. 50.

Venenum epotus pœnitens ad sacramenta confugit, & expiatus moritur.
S. Antonin. 3. part. tit. 23. c. 2. §. 16.

29. Congruè igitur solemne illud Sapientis verbũ hominum quàm multis occinit: *Melior est* (inquit) *dies mortis die natiuitatis. In illo enim* (vt Ambrosius ait) *nascimur ad pericula, in hoc eripimur à periculis.* Ità planè tristis, ac miserandus quibusdam vitæ finis, peccando simul finem, & immortalitati pariter initium fecit, vt apto Nyderus exẽplo, cuius & opportuna alibi mentio incidit, rem confirmat: *In principio* (inquit) *Basileensis Concilij insignis quidam fur per publicam iustitiam detentus est, fraudis suæ commenta detegebat multimoda. Sententiatus igitur ad mortem, in iudicio purè, & sacramentaliter confessus est cuidam viro Religioso; non modica enim subtraxerat, & in vestimentis homo magni generis videbatur, & exinde multis familiaris effectus fuerat. Cùm igitur de Ciuitate duceretur versus locum patibuli, læto vultu sibi notos innuocauit, & orauit, vt pro eo ad Deum intercederent. In via alta voce canebat. Cumque lictor eum sursum in scala sub furca deberet ducere, ità furcando ait: Quæso mihi respondeas, quid quæso, comedisti hodie, vt tam latus hodie moriaris? patrem etenim tui nunquam habui: Vndè ergò tibi hæc, quam in Deum habes, fiducia? Cui ille respondit: Scio me grauiter Deum offendisse, credo me deinde remissionem meorum facinorum per Pœnitentiæ sacramentum recepisse; quià experior mihi displicere; quòd Creatorem meum offendi: Sed scio, non expedit, vt euadam mortem; nimis enim offendi Deum, & homines, quare iustè morior, & meã voluntatem Diuinę iustitiæ in hoc conformo: Hæc considerans, nunquid lætus mori non debeo? Diutius enim viuendo, fortasse in taberna occiderer meis in peccatis. Igitur Deo gratias ago. Ascendit ergò lignum supplicij, & laqueo vita reo erepta cum perseuerantiæ patẽtibus signis.* Felix profectò, etiãsi funestus hominis ritè, ac probè pęnitẽtis in morem expiati è carcere, immo ex patibu-

Eccles. c. 4. 2. 3.
Ambrosius in Sapient. ser. 18. sup. psal. 118.

Ioannes Nyder in formicario lib. 4.

Insignis fur patibulo addictus post rapinas Cœlum quoque rapit.

Lætus ad mortem, ac si sponsa ad thalamum properat.

Carnifex, & adstantes stupent.

Damnatus mori magis, quàm viuere eligit.

Ideoque se libenter mori, ac læto animo respõdet, quia pœnitendo veniam se consecutum fuisse sperabat.

patibulo ad Regnum, & ex morte ad vitam transitus.

21. Quoniam verò de perditis hic hominibus, qui dum lugubri, atque infausto vitam fine clauderent inter ipsas fluctuantis Mūdi procellas, mortisque angustias, traducti ad Deum feliciter sūt, opportunus adhuc sermo recurrit; silentio prætereundum non est, quod proximè anteacto sæculo certo cuidā magnæ capitales inter exules famæ Augustinus Manuus Congregationis Oratorij Sacerdos in suis MS. paginis contigisse refert. Hic namque cùm ob atrox scelus bonis proscriptus; capitali insuper sententiæ fuisset à Prætore addictus, dum publicos agros excurrit, & alter veluti Cain à facie Dei profugus ob pœnæ metum latebras quærit, misèr in lictorum tandem manus incidit; adeoquè patibulo iam destinatus, vbi nulla euadendi spes adest, prouidè ad Pœnitentiæ remedia confugiens, dum momentaneam corporis vitam perdit funesto mulctatus exitu, verè felix salutē sic animę perditus lucrifecit. Sed (vt totius hic rei gestæ Lector, historiā ex Italico idiomate redditā latinitati habeas) *cùm (inquit) nequam homo iste præferoci ingenio prēditus desperatorum more Ecclesia ditionem totus tum rapinis, tum cędibus intentus infestat; lictorum, armatorumque, qui diù Principis iussu hominem insequebantur, de vno in alium locum migrando, nedum manus caute euasit, sed & sollicitam eorundem operam mire delusit. Quapropter inter fugiendum aliquando sylvam condensis vndique arboribus refertā subiēs, opportunas ibi (vt improborum eiusmodi, facinorosorumq; hominum mos est) latebras nactus, ibi inter opacas nemoris frondes tutus (vt sibi videbatur) constitit, & sic delusa quærentium, ac insectantium sollicitudo est; Tuto quippe profugus loco receptus, ac è persequentium armatorum manu liberum se videns, latus vti iam victor triumphum canebat. At Deus iustus semper scelerum vindex fugientem à tergo insequutus, in medio itinere, ac in suismet, quibus maximè præsidebat consilijs, ipsum comprehendit, adeoquè dum miser fugiens, tutum se magis, ac liberum omninò putat, sub ipsa Dei manu captiuum sensit. Itaque cùm ad altiorem prædicti nemoris, qui prominebat, locum densioribus opacum frondibus deuenisset, ex quo cuncta, quæ subiacent loca, & publicam vnà simul, quam armati inter excurrendum milites terebant viam, suis commodè oculis lustrabat; cui item loco, vt amænior adeuntibus foret, chrystallinus aquarū lacus substabat: Hic itaque infelix loco magis, quàm animo, ac sibi præsidens, nec secus, ac in tuto post naufragium portu subsistens consedit. Sed en tibi siluestris aper, qui ferro saucius è venatorum manu elapsus, totoquè in fugam impetu agebatur, concito ad altiora nemoris loca gradu contendens, in miserum hominem, qui laxus ex itinere post fugam ibi constiterat, casu inter currendum impingens, ipsum è summo collis in imum, subiectumque laci ambitum vi maxima præcipitem egit. Itaque dum is, casu perterritus, necnō aquis demersus fluctuat, Prætoriani, ac forenses milites, qui ipsum insectantes non multùm à loco distabant, fortuitò illac prætereuntes, ingenti obaudito fragore, & quod acciderat, oculis nosse cupidi, natantem inter vndas hominem conspicati; ne optata sibi, ac Prætori grata frustrentur prēda, & vt quoquo modo ipsum, vel viuum capiant, vel certè mortuum in suam potestatem vendicent, admota ęneis fistulis manu plumbeam inde in ipsum glandem excutere, atque ictibus demum conficere excogitabant. Sed suo infelix impendens capiti vitæ periculum videns, animaduertēsq; sic vltrò armatos, & pro vita supplex interpellat: Eia (inquit) ò milites, quaso eiaculando, ac feriendo iam parcite. Quid vltrà vobis igni, ac ferro ad inermem debellandum hostem opus est? hostem iam victum in manu habetis; cui nullus ad fugam vestris è manibus iam locus superest: Vester sum, & iam captiuus, & quātumuis nolim, in manus vestras me viuum dedo. Dei quippe (vt video) sic in Cœlo voluntas est, vt viuus profectò, haud mortuus in lictorum manus, iustas scelerum pœnas daturus deueniam; Vt ergò nō iam corporis, de quo actum (vt video) iam est, sed animæ, pœnitentiam agendo, opportunè in præsens consulam: Accurrite, accurrite, & victum vinctumque me quantocyus ad Prætorem ducite; pro meis quippe libenter excessibus mori paratus sum. Vix ille hęc dixit, cùm lictores appropinquāt, atque hominem tum ab aquis, tum à vita, ipsiusq; Inferni periculis emergentem vinculis arctissimè ligant, nullaque interposita mora, ad Vrbem, velut capta diuites prēda contendentes ante Prę-*

Augusti nus Mannus in MS. Vall. Biblio. Italico idiomate.

Capitalis exul post immania patrata scelera pœnitēs patibulo Cęlum lucratur.

Fugiens in sylua latitat.

A siluestri apro saucio fugiēte, apparitoribus proditur.

Præceps in aquas delapsus lictores nè ipsum occidant, precatur.

Vbi iam ab eorum manu profugere nequit, se Diuinæ misericordiæ committit.

Pretorem sistunt, qui summopere gauisus ipsum protinus sub arcta, fidaquè custodia recludi mandat.

22. *Reus itaque non multò post à Iudice in quaestionem vocatus, & innumera, immaniaque patrata facinorum scelera confessus, iusta mox publico totius Urbis spectaculo neci destinatus, haud quidquam posthac habuit, quo se defenderet, aut suam respondendo improbitatem excusaret. Scelerum quippe conscientia pulsatus, quae in seipso (vt ille ait) plusquam mille Testes ad accusandum instabat haud vltro quid iam conuictus responderet, habebat nisi instam, promeritāque suis deberi pœnam culpis fatendo. Mirum verò est, quàm amarè, quàm dolenter, ac piè suam miser in pœna culpam agnouit, quo item compunctionis spiritu Sacerdoti in confessione conscientiam à Deo absoluendus aperuit; & quo demum patiendi cupidus æstu ad patibulum, & alacer ad carnificinam properaret, adeò vt non iam sicarius, & publicus viarum grassator & famosus prędo, sed mirus prę cęteris pœnitens, ac felix & grata ipsius Christi pręda, gratias Deo ob intentandas sibi suppliciorum pęnas exhiberet. Dei quippe (aiebat ille) nutu, haud casu, dū magis, magisque nemus ad latendum excurro, ac deinceps sub umbra residens subsisto, vel tunc nesciens propior mortis, ac Inferni periculo, mortem, quam fugiebam repentè incurro, vt sic videlicet desperata corporis vita, mihi anima lucrari vitam contingeret, & peccatis tandem mortuus, semper (vt spes est) post hac Deo viuam.* Funesto itaque fine, ac dedecora morte mulctatus, sectisquè carnificis manu post mortem in partes plures (quæ facinorosis maximè hominibus pœna indicitur) ipsius membris. Ille dum pœnas interim viuens cunctas constantissimè subit, profectò miser, & si haud corporis, animæ tamen salubri Pœnitētia expiatus, carnificinam magno Dei beneficio euasit, cunctisquè admirantibus Cœlum rapiens, & posthac haud certè amplius Mundi exul, sed ciuis Cœli, ac Sanctorum consors effectus, illa Augustini verba pro digno mortis elogio mortalium auribus insonat: *Hic vre, hic seca, vt in æternum parcas*: sic prorsus res homini contigit.

Vinctus ad Prætorem ducitur.

Seneca in quæst. moral.

Conuictus conscientiæ testimonio, cuncta fateatur, necnon tormenta, ac mortem suis pro culpis libenter amplectitur.

Pœnitens spem vitam salubri fine concludit.

August. in ...m.

Demum, vt nobili, spectatoquè recētioris memoriæ exemplo susceptæ narrationis propositum euincatur, cunctasquè hominum in hoc Mundo res prouido Dei nutu regi, atque administrari, & vel tristia quæque, funestaquè, vbi animæ attenditur salus, prosperis plerumque, lætisquè præstare; ac potiora item à cordatis Viris habenda Lectori innotescat, quid olim funestè anteacto sæculo in Vrbe, cuius adhuc fama viget, ingenti, cunctorum documento acciderit, videamus. Sic enim tragica eiusmodi res (quam tui gratia Lector latinitati reddidimus) se habuit. Troilus Romanos inter Proceres ex illustri, præ cæteris Sabellorū prosapia ortus, quæ Viros Domi, forisque clarissimos semper habuit; licet in ipso ætatis flore, ac præcipiti adolescentiæ cursu, & si à pueritia moribus probè excultus, magnam de se cunctis spem conciliando peperisset: Patre tamen subinde orbatus, cùm aliquandiù sub Matris disciplina fuisset, quæ haud æquo erga ipsum (vt reliquæ solent mulieres) indulgentior fuit, ac sensim ipse, suūq; præter morem solutior effectus, in manifestam viuendi licentiam abiecto pudoris fręno prorupit, adeò vt nonnisi tristia, funestaque iam tum de se præsagire cunctis videretur. Voluptatibus quippè inter blandas amplissimæ Domus delicias, vitijs quoque (vt Adolescentium mos est) habenas ingruentibus relaxans, ac prauorum item hominum, cum lubrica, ac pręceps in malum adolescentia sit, praua infelix consuetudine vitiatus, & capitalium præsertim exulum, qui Ecclesiæ tūc excurrendo ditionem infestabant, consortio abductus, sana Matris, ac Gētiliū cōsilia spernēs, nec salutaribus Religiosorum hominum monitis aurem præbens, se ipso in dies deterior fiebat; adeò vt breui pręter familiæ dedecus, & publicam vitæ, ac turpem vitiorum notam atrocia quędā delicta, quibus ex Pontificiarum legum pręscripto capitis reus euaderet, audacter patrare non dubitauerit. At Mater virilis, ac præcelsi animi fœmina se, ipsam in filio, & vnà simul filij in se ipsa, ac malis fortè amarulēter deflens, infelix quotidiè nō omnē nō mouit lapidē, vt indomitum, aberrantemque iuuenculum, ac si Benoni, idest doloris filium tum à malis retraheret, tum à perditorum maximè commercio auulsum in rectam, quantocyus semitam reuocaret. Verùm cum

Cuncta Dei nutu regi, & tristes, funestosq. casus haud casu contingere experimento liquet.

Ex MS. libello Blondi super Troili Sabelli obitu.

Adolescens prosapia illustris, ob delicias in vitia sensim declinat.

Adolescentia in malū ob incentiua vitiorum prona.

Mater filiū in præceps currentem retinere frustrà conatur.

cùm nil monendo, nil exhortando proficeret, minas precibus, terroresquè blãditijs iungendos, adhibendosquè decreuit. Quapropter apud Clementem VIII. summæ virtutis, sapientiæ item, ac prudentię Pontificem supplex egit, vt filius aliquandiù arctiori, quò se à iuuenili morum licentia resipiscendo contraheret, custodiæ traderetur. Matre igitur in primis adnitente, (vt correptum subinde, filium bene morigerum, cordatumque, ac sibi ad nutum obsequentem reciperet) vinctus in Adrianæ molis Custodia, siue in S. Angeli (vt vulgo dicitur) Arce recluditur, vbi post dies aliquot in quæstionem à Prætore adductus, ac diligenti examine de prioris vitæ actibus interrogando perquisitus, nil mali arbitratus, atrocia quędam delicta, quibus violatarum apud Principem legum ipse reus, statimq; pronũciaretur, spontè corã Iudice confessus, conuictusquè, prolata postmodum sententia, capitis damnatus est.

Ob patrata crimina sub Cl. VIII. vti reus custodię traditur.

23. Misellus itaquè ac sibi parùm constans, haud tamen in hoc à suis natalibus degener, dum secum intus in animo fluctuat inter supremas rerum deprehensus angustias, serò tandem sapere didicit; adeoquè animo prorsus inuicto, omniquè superior metu, dedecoros pertæsus adolescentiæ actus, moresq; prauos retractans viuendi posthac (quia turpiter hactenus vixerat) desiderium à se penitùs ablegat, quin insuper & in mortem ipsam Deo afflatus insurgens, sic prolatam capitis sententiã, sic certum mortis nuncium, ac funesti, quod suis impendebat ceruicibus, fati acerbitatem tulit, vt se ipso, ac ætate superior, nil incompositè ageret, nil temerè per imprudẽtiã diceret, sed sub eiusmodi calamitate, virtutis probè magisterio edoctus tantùm profecit, vt non iam ille, qui pridem fuerat, sed longè à se ipso alius appareret: Dei quippe nutù res agebatur, vt cunctis palam fieret, ipsum tragico eiusmodi, & maximè (vt vulgò hominum opinio fert) infelicitatis exemplo infelicem minimè habendum, nuncupandumquè hominem, si morte præuentus, vel ante mortem verè pœnitens iam peccare desierit; quin immò gaudendum potiùs, ipsiquè congratulandum, si vel serò sapiens, ac seriò ad Pœnitentiam confugiens, suis opportunè malis remedium adhibet, totaquè animi contenrione, vel dum vita ipsum præproperè fugit, vitam sollicitus quærat, ac Dei misericordiam inter Iustitiæ mulctas imploret. Talis profectò is fuit, de quo nobis sermo est; haud enim sub extrema vitę momẽta pro se otiosus, sed totus pro animę salute negotiosus maximè id vnum curauit, vt non tam à morte eriperetur, quàm vt suis iam damnatus à Iudice pro culpis, absolueretur à Deo; Quippe qui dum machæram sibi à Prætore intentari sciebat, vnà simul à Deo Pœnitenti coronam in Cœlo parari non ignorabat, quò statim, si vellet, à patibulo euolaret ad Regnum. Tragicam verò, Viri huius, si ità nuncupare quis velit, historiam multis documento futuram, Blondus olim, & Societatis Iesu tunc Sacerdos, insignis Dei verbi præco, & præclaro iuueni inter mortis angustias à confessionibus, exactè quidem cunctis ingenti omnium fructu, ac pari simul eloquentia complexus est. Et sanè mira, ac supra fidem sunt, omnemquè hominum expectationem superant, quæ nobilis tunc temporis (vt idem ait) Adolescens sub vnius duntaxat noctis spatio, & concito ad æternitatem gradu properans, sub ipso mortis aspectu integris semper animi sensibus dixit, ac fecit, & iam iam ad paratũ mortis supplicium iusto Principis imperio ducendus.

Confessus à Prætore capitis reus damnatur.

Dãnatus se ipso fortior, abiecta viuendi spe, de solius animæ negotio recogitat.

Dum impēdentem capiti gladium ex Prætoris sententia videt, mentis oculos, ac animum ad vitę æternitatem erigit.

Blondus sacerdos tunc Societatis Iesu funestæ historiæ cõpilator.

24. Inuicti igitur animi pugil, cui tunc profectò (vt cum Apostolo loquar) *viuere Christus, & mori lucrum* erat, pro ingenti mortem beneficio computans, suisquè malis sapiens maximas proinde gratias Numini, Principi item, ac Ministris exoluendas ratus, Matri quoquo modo vltionem hac super re minimè expetendam indixit. Nil enim antiquius habuit in duro, amarulentoquè mortis conflictu, quàm humillimis à Deo precibus ipsius clementiam, ac delictorũ sibi veniam implorare, & toto insuper mentis conatu à bonorum omnium Largitore compunctionis sibi gratiam exposcere. Nec his contentus, Matrem insuper ipsi vtpotè olim ingratus pro intermissis erga eam debitis obsequiorum officijs, necnon pro contemptis eiusdem monitis, crebris, iteratisque, tum suspirijs, tum verbis veniam precando, omnem ab ipsius animo liuo-

Apostolus ad Philipp. 1. cap. 21.

Adolescens mortis sententiam virtutis exercendæ argumentum fecit.

Deo in primis, ac Principi subinde gratias retulit.

liuorem, acceptarumquè memoriam iniuriarum auertere satagebat, ipsisquè ingentes pro collatis tot beneficijs, grates rependens, suo isthęc nomine renuncianda voluit: *Scias* (inquit) *te enim alloquor Mater charissima, me ob id vnum læto, ac tranquillo in præsens animo mori, quòd cùm toties te; vti ingratus, meis prauis moribus exacerbarim, debitam nunc, condignamquè in hoc sæculo Pœnitentiam ago: Volo autem à te, & id maximè cupio, ne tu pia, ac dilecta Genitrix super tristi meo, ac funesto (vt putas) fato intemperanter doleas; aut Deum, qui sic iustè permisit, aut fortunâ (quam homines malorum causam dicunt) quoquo modo incuses: Meritò enim hac patior, quià peccaui in Deum, & in te quoque Matrem dulcissimam. Nec casu (vt putas) sed Dei prouidentia huc veni, vt momentaneam subeundo mortem, haud aliter pro meis grauissimis culpis faciens Deo satis, saluus æternùm fiam.* Hæc ille Matri. Putabat quippè cordatus iuuenis, quòd si Matri à Viris fide dignis renùnciaretur, quàm libenter ipse, quàm fiducialiter, quàm lætus, & constans denique mortem subiret, haud posthac præter modum doleret; quin immò summas Deo immortali gratias referret, nec eius voluntati minimum contrairet, qui mortem filio nonnisi ingenti futuram bono intulit, & cui ipse vltrò volens, libensquè moriendo, mentem promptus, & colla submitteret. Vbi autem sic Matri decedens prospexit, à suis item Gentilibus veniam humiliter deprecans, illos ad id, quod sibi tam funestè acciderat, patienti animo ferendum, & ad effrænem iuuentæ procaciam, qua fuerat in vitia pręceps abductus, excusandum hortari, ac suadere non destitit. Et quò vltrò sibi ignoscerent, futurum profectò aiebat, vt cunctos in Cœlo, tandem omni solutus metu, ac periculis liber reuiseret. A subditis item ob praua errorum scandala, veniam donari poposcit, amplam ipsis pro eiusmodi re in altero sæculo mercedem repromittens. Prætori quoque suo gratias reddi nomine præcepit, ac demum, vt tum infimis, tum summis deferret, à Summo Pontifice veniam supplex, ac paternam, licet omninò filij nomine (vt aiebat) indignus in supremo vitæ termino benedictionem precatus est, ac patratorũ scelerum mox suo isthæc, sanguine expiaturus, Indulgentiam percupiens, certo cuidam ab eo subinde humiliter implorandam iniunxit.

A Genetrice veniam humiliter poscit.

Ipsam, ne de sua morte tristetur, ac doleat, obtestatur;

Dei nutu & pro animi salute id sibi contingere affirmat.

Prætori, ac Principi suo nomine vult gratias referri.

25. Porrò quidquid ptidem, vel paucis annis deliquerat, tanta contritionis vi, tot suspirijs, tot lacrymis, ac singultibus Sacerdoti in confessione aperuit, eoquè spiritus feruore piaculares sibi ab eo pœnas iniungi poposcit, vt ipsi meritò Prophetæ verba occinerent: *Magna est, & velut mare contritio tua, quis medebitur tui?* Quò promptior autem funestæ morti obuiam iret, Christum Dominum in ipso ętatis flore crucis suffixum ligno, atque infami, ac violenta peremptum nece recolens, vt illius se ad patienter ferendum prouocaret exemplo, ob oculos sibi proposuit; & vt patratas culpas diluerer, carnificis mox feriendus gladio, pœnam eiusmodi tolerando, se vltrò à Deo absoluendum, nec vltra plectendum sperabat: *Deus quippe non iudicat bis in idipsum*. Quod palam subinde Sacerdotem alloquens, his planè verbis testatus est: *Scias ò Pater* (inquit) *quòd ego licet iuuenis, tamen quàm libenter in præsens morior, certus profectò, quòd Deum posthac haud ampliùs offendam, cui (vt eius mihi gratiam conciliem) non vnam, sed centum, & mille, si tot mihi suppeterent, vitas deuotus nunc offero, & pro paucis annis malè hactenus exactis, longam annorum vitæ seriem, si Deus concederet; adeoquè inter moriendum de mortis necessitate virtutem faciens, momentaneam, quam mox carnificis gladius demetet, vitam meam spontè voluntas, ac liberaliter amplectens, Deo immortali deuouet: Futurum autem spero, vt quem iratum nunc sentio Iudicem, propitium, placatumquè posthac Patrem experiar. Mori itaque non recuso, Deus qui cuncta scit, mihi sit testis, dedecora tamẽ mortis genus ad magis, magisquè anteactas vitę culpas Deo compensandas profuturum scio, & libentissimè, quod in me est, elegissem; quin immò acerbiori dignus supplicio, mitem, quam mihi modò Princeps indulget, pœnam, nedum quæsiui, nedum poposci: Quippe qui sat probè noui, quòd secundùm Dei præscriptum:* Iuxtà mensuram delicti erit, & plagarum modus; *adeoquè dum grauiter me peccasse in Deum recolo, haud parua, ac leui satisfactione mihi opus est.* Hæc ille. Cùm verò

Mirus in iuuene contritionis feruor elucet.

Hieremiæ thren. 2. 13.

Capitis dãnatus ob patratas culpas hinc se fore à Deo absoluendũ sperabat.

Se tunc libẽter mori, ne post hac Deũ culpis offenderet, palam testabatur.

Misericordiæ Dei tritum, funestumque, vt saluus heret, vitæ exitum ascribebat.

à Religiosis interim, quammultis appositisquè ad Dei, qui taliter ipsum mori decreuerat, voluntati parendum verbis admoneretur, ipsiquè in mentem reducerent, quòd Dei nutu vitæ nostrę momenta decurrunt, & suum vnicuique viuendi tempus prædefinitum est, & quòd si fortè aliàs, nec(vt in præsens)carnificis manu, & Principis iussu mori contigisset, æternùm forsitan(quod tamen cunctis in voto est)saluus haud fieret. Quibus ille, probè suo iam periculo sapiens, hunc in modum respondit: *Scio, scio,* (inquam) *quòd si me infelicem tunc mors occupasset, Infernus (vt de se Augustinus aiebat)Infernus vtique absorbuisset; at Deus mei commiseratus, mecum venatorum more egit: Hi enim excurrentes, dum feram viuam, haud ferro laceram, confectamquè habere cupiunt, inter venandum hanc potiùs minis terrent, quàm ferro trucidant. Id sanè mihi, vt video, inter suprema hac vitę momenta accidit, quod item de perdito filio Absalone Rex sapientissimus Dauid suis olim bellatoribus edixit: Seruate mihi (inquit) puerum Absalon; ipsum quippe haud mortuum, sed viuum, emendatumquè recipere volebat. Et plura quidem(vt sermonem in me ipsum inflectam, aiebat ille) ego quantumuis ætate iuuenis manifesta hactenus vitæ discrimina incurri (erat enim annum agens decimum nonum)à quibus nonnisi Dei protegente manu liber euasi: Mors verò si tunc mihi, cùm digito ab Inferno distabam, contigisset, Infernus vtiquè domus mea æternùm iam foret. Qui ergò me tam anxiè, tam sollicitè, peramanter adeò requisiuit, seruare profectò vult, haud perdere: Quapropter bona spe fretus, ad paternum Dei sinum, vti prodigus ille filius, nudus omninò meritis, sola dumtaxat egestate, ac Pœnitentia diues reuertor, dum sua ille benignitate patulis reuertentem vlnis amplectitur, & magna lætitia, ac nuptiali suam intra domum conuiuio excipit.* Hæc præferuidus iuuenis animo secum voluens, contriti cordis sensum, ac Pœnitentiæ dolorem eructans, Dei amore, & peccatorum odio, ipsius acriter extimulante præcordia, appositis Psalmorum, Diuinarumquè scripturarum dictis; & his præsertim, quæ inter sacra funebria ritè ab Ecclesia vsurpantur, se ipsum futurorum spe bonorum excitabat, dicens: *Recordare Iesu pie, quòd sum causa tuæ vię, ne me perdas illa die. Quærens me sedisti lassus, redemisti crucem passus, tantus labor non sit cassus. Iuste Iudex vltionis, donum fac remissionis ante diem rationis. Qui Mariam absoluisti, & Latronem exaudisti, mihi quoque spem dedisti. Preces meæ non sunt dignę, sed tu bonus fac benignè, ne perenni cremer igne.* His, alijsquè pijs, deuotisque precationibus inter spem, ac metum constitutus, & iam ad æternitatem in stadio currens exercebatur; adeoquè nullum precandi, nullum pro culpis dolendi finem faciens, Sanctorum Lytanias alta cunctis adstantibus voce recitare aggressus maiori (quo poterat) pietatis sensu, isthæc præsertim crebrò repetebat: *A mala morte, à potestate Diaboli, à pœnis Inferni libera me Domine.* Stupebant verò cuncti, qui aderant, iuuenem pro se eiusmodi spiritus feruore orantem, & quasi non iam ad supplicium; sed ad nuptialem thalamum properaret, gratum sibi, optatumquè præscriptæ mortis supplicium accidere, ac nullam prorsus (quod cuncti communiter adeò exhorrent homines) afferre molestiam affirmabat: illud addens, quòd si tunc mortis absolui sententia contigisset, id sibi non nisi tædio, ac molestiæ futurum: Dei quippè efficaciter, ac mirũ in modũ gratia præuẽtus, se nullam tunc maximè mentis turbationem pati, & Satanæ molestijs omninò liberum sentiens, patienter, hilariterquè se pro suis offensis, & pro Dei amore mortẽ subire testabatur; adeò alioquì inter moriendum constans, vt solus ipse non timeret, cuius vitæ ab omnibus timebatur, & solus, pro quo cuncti flebant, tunc vel minimè fleret.

26. At illud mirum in iuuene magis est, quòd totus animæ negotio intentus, ac nullam vel minimam corporis, ac virium releuandarum curam gerens, nil prorsus attenuatis viribus ad se reficiẽdũ quæsiuit; quin immo cibũ ab adstantibus vltrò oblatum respuit. Sic igitur in mortis conflictu constitutus, tanquam emeritus miles viriliter pugnabat; interrogatus verò sub vitę finem à Misericordię(vt dicunt)Confratribus, num aliquid sub illa vitæ momenta, sibi gratum peroptaret: *Nil, nil prorsus*, respondit, & digito subinde annuens. *Cælum, Cælum* (inquit)

Morte interdum temporali, mors æterna vitatur.

August. in lib soliloquiorum.

2. Regum cap.

Si mors ipsi alias contigisset se Inferni pœnis deuoluendũ iactabat.

Deus profectò seruare vult, non damnare, quem pœnitentię dolor sub vitæ finem præuenit.

In Missis funebribus in missal Romano.

Deuotas Deo, Deiparæ, ac SS. preces moriturus offert.

In litanijs pro animæ commendatione.

Adeo lętus mortem expectabat, expetebatque, vt si à morte fuisset liberatus, ęgrè id ferret.

Solus ipse non timebat cuius vitæ ab omnibus timebatur.

quit) & *prætereà nil cupio*. Et sanè optima Adolescentis educatio, ac piæ, quibus assueverat, bonorum operum exercitationes magno tunc ipsi emolumento fuere. Duobus quippe abhinc annis (vt ille aiebat) summa deuotione, ac fructu suas apud Sacerdotem confessionis Sacramento ritè expiare culpas solitus fuerat, & alia id genus Christianæ pietatis, quæ à nostræ Congregationis Patribus didicerat, opera vix vnquam intermittens, ac præcipuè erga Deiparam Virginem præferuidus adeò, vt ipsam (quod & maximæ sibi vtilitati fuit) nudis frequenter genibus salutaret. Verùm enimuerò illud in iuuene præ cunctis stupore dignū, quòd tota nimirum integra nocte cum morte luctanti sudor nè minimus quidē acciderit, & quòd de nulla item re, aut persona conqueri obauditus; quòd nunquam insuper languescere, aut lacrymas fundere, nisi inter confitendum peccata fit visus. His adde, quòd inter hæc nunquā sitiret: & ne minimum temporis laxus, obdormiret, quòd nec vultu languēs expalluit, nec viribus item defecit, quòd nil sibi ab astantibus leuamenti proposcit, quòd item cum singulis in rem, & appositè semper loqueretur. Demum integris vtens sensibus paulò antè mortem magnis lacrymis, ac singultibus, summatim, & sua perferuido contritionis spiritu peccata confiteri voluit. Vbi verò post haud obscura doloris intimi exhibita cunctis argumenta, totus sibi, ac Deo intentus, è summo Arcis per marmoreas scalas descendens ad funestam patibuli machinam peruenit; vbi cùm plures adessent, priusquàm destinatum sibi locum consēderet, adstantes, vt bene posthac viuendi, Deoquè inseruiendi normam vel suo addiscerent exemplo, monuit; sic autem subinde magno spiritus feruore incitatus inter dicendum conclusit: *Ego* (inquit) *ob Iesu Christi Domini amorem, ipsiusquè gratia: ac demum pœnitentiæ causa nunc libentissimè morior*: His dictis iterum sacramentali Confessione expiatus sacrosanctam Christi Cruci affixi imaginem, vt eius, quem cupiebat, se oblectaret aspectu, sibi ante oculos statui iubens, aptato ad excipiendum machæræ ictum collo, illis planè Christum Dominum fiducialiter verbis alloquēdo compellans ipsius opem enixiùs implorabat dicens: *O bone Iesu sis mihi Iesus*; Et inter hæc præciso capite, & manu carnificis arrepto, linguam supremis clarè, ac distinctè labijs nouissimas sacrosancti nominis IESV syllabas pronunciantem plures adstantium audiere; at ille magnā salutis spem cunctis relinquens, mox Cœlum (vt sic creditur) expiatus conscendit.

Sub extrēma momenta non nisi Coelum se peroptare affirmat.

Præcipuus ipsi erga Deiparam deuotionis cultus:

Libera mente, animo integris sensibus inter mortis angustias perstat,

Sacramentali confessione expiari iterum vult, ante quā in ferali collū gladio subijciat.

Præciso capite Sanctissimum Christi nomen summis labris enūciat.

27. Atqui in perferuidæ mētis Adolescente summa Dei bonitas singulariter affulsit; *Vbi enim abundauit delictum, superabundauit & gratia*; adeoquè inusitata cordis compunctio, mirus in pœnitendo feruor, & in culpis item ritè in Sacramento aperiendis dolor præter communem hominum morem maximè in ipso enituit. Nam Blondo Sacerdoti ex more pluries, multisque intermixtis semper lacrymis, ac suspirijs, quidquid adhuc infans deliquerat, confessus est; licet pridem Matris hortatu generalem in carcere apud Sacerdotem alterum Confessionem instituisset, admonitusquè à Blondo, vt à confitendo posthac toties confessus cessaret, id vtpote superfluum ratus, his planè Sacerdoti isthęc momenti verbis respondit: *Ah Pater* (aiebat) *Pater quorsum ad me isthæc è superfluū mihi profectò non est, qui in Deum toties deliqui; certè siquidem longè aliter nunc sentio antèactæ vitæ culpas in conscientiæ trutina probè expendens. Iam, iam quippe (vt vides) moriturus, cū ad Dei Tribunal sim præsentandus, leuiores quaq; labecula, quas olim parui faciebam, magnæ mihi in præsens oneri sunt, exonerandamque meam modò ab his conscientiam volo*. Pius itaque Adolescens apud Sacerdotem se ipsum seriò accusans, rem adeò exactè præstitit; vt si Contritionis ipsius vis, confitendi item modus, atq; ordo cūctis innotesceret: *Vrbs Roma* (Blondus inquit), *immò tota prorsus Italia vltrà quàm dici potest, ad Contritionis portentum obstupesceret*. Id vnum quippe ipsi in votis erat, idquè pro ingentis beneficij munere computabat; vt sic, vel inter confitendum, præ Contritionis vi ipsius cor in duas scindi partes contigisset. Cui iure meritò, quę Christus mulieri Pœnitētium Duci, verba protulit, appositè consonant: *Remittuntur ei* (inquit) *peccata multa, quoniam dilexit multum*.

Ipsa nocte pluries Sacerdoti confiteturi, & si paulo ante generalem exomologesin instituisset.

Quo animi feruore anteactæ vitæ labeculas flens accusaret.

Luca cap. 7.

28. Demum, vt narrandi finem faciam,

ciam, tam subita in iuuene cordis mutatio, mira item ipsius inter pœnitendum compunctio, quæ non nisi Deum auctorem agnoscit; S. Philippum Nerium Congregationis Oratorij Fundatorem, qui ipsi in Confirmationis sacramento Patrinus fuit, & qui à Matre instantissimè exoratus, vni pridem è nostris Sacerdotibus curam ipsius demandarat, & qui pro eo insuper rem instantius apud Deũ agebat, intercessorem habuit. Vir quippe Dei ipsam, qua iuuenis cum morte confligebat, noctem insomnem penitus ducens, alter veluti Moyses in monte ad Deum, Iosue interim cum hostibus in locis campestribus pugnante, manus leuabat. Quin vt ipsum magis, magisque in acie pugnantem iuuaret, binos è suis in carcerem Sacerdotes præmisit, vt ipsi vel absens quoquo modo præsens foret, & non secus ac suis à longè oculis singula conspexisset, Ianitori domus præcepit, vt vbi Petrus Consolinus redijsset, statim ad se alloquendum in cubiculũ conuolaret. Cui Vir Sanctus festiuum in morem obuiam factus, & pro re benè gesta præ cordis lætitia gestiens, intercisisque ipsum verbis alloquens: *Cuncta* (inquit) *benè profectò, cuncta faustè, feliciter cuncta (quod ad Troilum spectat) proculdubio gesta sunt, abyt, obyt; feliciter*; protẽsisq; in altum manibus, quod rectà in Cœlum abijsset, suo quasi digito monstrabat. Posthæc autem sic totam diem insuetato cordis iubilo, ac mira perfusus lætitia transegit, exultante spiritu in Deum viuum. Troili autem subindè cadauer in nostram Vallicellanam B. Mariæ, & S. Gregorij Ecclesiam delatum, vt tumulo traderetur, vtpotè dignum beatæ illius animæ domicilium, vultu tam læto, tam specioso, ac decoro apparuit, vt non homines; sed Angeli faciem intuentibus præseferret, & ipsi occineret, quod in Apostolorum actibus de Stephano Martyrum Coriphęo traditur: *Viderunt faciem eius tanquam faciem Angeli stantis inter illos*. Adeòque cuncti mirificè ipsius aspectu recreabantur. Porrò Vir Dei fores Ecclesiæ claudi iussit, subridensque adolescentis faciem, adblandientis in Patris morem, manu suauiter palpans, cuius animam rectà in Cœlũ ab Angelis deferri viderat, extremis quoq; prosequi officijs voluit, & quẽ apud Deum iam inter Beatos viuere Deo reuelante didicerat, eiusmodi lætitiæ signis gratulari, festiuisque visus est manibus plaudere. Sic profectò iuuenis terque, quaterque beatus, etsi tristi, funestoque exitu, præreptus perpetuò felix, ac inter Angelos semper victoriosus æternitatem adiuit. Decessit ætatis anno decimo nono, Redẽpti Orbis millesimo quingentesimo nonagesimo secundo. Sed de his hactenus.

Minus, ac insuetatus pœnitendi modus S. Philippi precibus ipsi à Deo contigit.

Vir Dei ipsi vel absens precando adfuit, & suis cuncta quæ ad ipsum spectabant oculis vidit.

Tota die ob eius felicem exitum lætus apparuit

Actuum Apost. c. 6. n. 15.

Mortuus Adolescens vultu ipso se ad Cœli gaudia transisse testabatur.

Historia finis.

CAPVT X.

Scrupulorum anxietate cruciati, placidè tandem, ac fiducialiter è vita decedunt.

1 MAgna profectò homini pœna, & tormentum insuper præ cunctis maximum, intolerandumque anxia iugiter, turbatique animi (Augustino edisserẽte) Conscientia: *Iussisti* (inquit) *Domine & verè sic est, vt sibi ipsi sit pœna omnis inordinatus animus*. Quod conceptis item Ambrosius verbis aliquando expendens: *Quę pęna* (inquit) *grauior, quàm interioris vulnus conscientiæ? Non ne hoc magis fugiendum, quàm mors, quàm dispendium, quàm exilium, quàm debilitas, quàm dolor est*; adeoquè summa in primis ipsius hominis felicitas, non nisi solido dumtaxat conscientiæ testimonio subsistit, sic enim mortales cunctos hæc vna in bono perficit, *vt* (iusto Ambrosij calculo) *vitã beatam efficiat tranquillitas conscientiæ, & securitas innocẽtiæ*. Quod adeo verũ est, vt Gentiles ipsi, naturæ id ductu assequuti, nil antiquius habuerint, quàm suis maximè dictis assertionis propositum roborando mortalibus demõstrare; Inter quos Oratorum præcipuus meritò virtutem (vt par est) extollens, ac efficacissimè vitia proscribens, conscientię in primis ad aptè suadendum testimonio, vtitur: *Magna* (inquit) *conscientiæ vis in partem vtramque: vt neque timeant, qui nihil commiserint, & pœnam semper ante oculos versari putent, qui peccauerunt*. Hæc quippe singulis vitæ momentis, non secus ac durus, rigidusque præ foribus exactor, ac dirus insuper tortor hominem ipsum ex aduerso reum

August. Confess. l. 1.

Conscientiæ scrupulis anxia perturbata ingens tormentum

Amb. in lib. de officijs.

Ambrosius vbi supra.

Cic. Orat. pro Milone.

Prouerb. c. 2.

Seneca in moral. quæstion.

Intolerenda prorsus animi præ malis cunctis molestia.

Prouerb 2.1.

reum perurgendo sollicitat, & ad seuerũ Tribunal Iudicis, trutinamq; iudicij suis vnumquemque ineuitabiliter pro culpis reposcens, quiescere haud vnquam finit. *Conscientia* (quippe) *mille testes*; eademq; *ante peccatum* (vt ille aiebat) *frenum est, post peccatum verò flagrum*. Quapropter congruè Sapientum Sapientissimus illud de pœnali conscientiæ reatu, & peracerbo item animi cruciatu edixit: *Cor impij quasi mare feruens, quòd quiescere non potest*. Inter piaculares quippe animi procellas fluctuantibus ab irato vix vnquam pelago tranquillitas pacis oboritur, & nõ nisi inter vndas, syrtesque ad certum quis proculdubio naufragium contẽdit. Enimuerò quid miseris triste magis, funestumque mortalibus accidit, quàm nedum in portu ipso naufragandi metu haud solui; sed & vitam insuper non absque periculo, ac mortis horrore transigere? Quę quidem proculdubiò peccantibus, ipsisque iusta Dei nutu censura, atque vltio pariter intentat: *Dabo* (inquit) *pauorem in cordibus vestris &c. Terrebit vos sonitus folii volantis*. Nec his Altissimus ad supplicij atrocitatem meritò exaggerandam contentus, tormenti, quo quisque post culpam iustissimè torquetur, magnitudinem ad viuum quoquo modo adumbrans: *Erit*(inquit) *vita tua quasi pendens ante te*. Quod sanè ille hominũ crudelissimus plectendi olim genus mulctando adhibẽs, sed & sua mortis pœnã crudelitate adaugens: *Sic sic punge* (aiebat), *vt se mori sentiat*, dum in miserum feriendo pariter, & parcendo sçuiebat.

Leuit. 26. 36.

Deut. 28. 66.

Psal. . .

2. Hæc igitur tormenti acerbitas, & pœnis ipsis nedum impijs conscientię stimulo satis nunquam pro merito exagitatis; verùm etiam pijs, ac probę interdum vitæ hominibus iusto Dei ad profectum iudicio cõtendentibus prouenit, dum pro leuioribus quãdoq; culpis, ne in grauiores labãtur, haud casu (vt homines putant) diuinitus plectũtur; adeoq; ipsas sibi Inferorũ pati aliquãdo inter homines pęnas videãtur, quos Regius Psaltes suo quasi digito monstrans: *Illic* (inquit) *trepidauerunt timore, vbi non erat timor*. Atquì id Viris quoque sanctitate præcipuis non raró contigit, vt pro exigui momenti culpis maximè in hoc interim sæculo cõtabescẽtes tristentur, angãtur, doleãt, perturbatoq; intus animo, quantùmuis toto Deum ex corde diligant; se vel maximè, vbi reatus nullus est, reos apud Deum Gregorio edisserente agnoscant: *Sanctarum* (inquit) *mentium est ibi culpam agnoscere, vbi non est*. Quod Ambrosius item palam inculcans: *Bona* (inquit) *mentis est, vulnus sentire peccati*. Nonnulli tamẽ ex perturbatis animi sensibus, sic proficiunt, vt ampliori charitatis in Deum feruore contendant. Magna siquidem pœna homini censenda est Dei ipsius offensam suo velut animo præsentem cernere, sibique non tam mortem, sed plusquàm mortem non tam pœnam, quàm culpam timere. Id sanè tormenti genus Iobus virorum ille Sanctissimus olim, quoquo modo aliorum documento expertus: *Cogitationes* (inquit) *torquentes cor meum*. Et alibi: *Verebar omnia opera mea, sciens, quia non parceres delinquenti*. Qui & suam conceptis insuper pœnam verbis exaggerans: *Posuisti* (inquit) *me contrarium sibi, & factus sum mihimet ipsi grauis*. Haud enim vlla maior præ cunctis alioqui pœna, quàm perturbatæ iugiter conscientiæ supplicium perpeti nec ad momentum pœnali eiusmodi nunquam animaduersione carendo absolui: *Venient*(inquit Sapiens) *in cogitatione peccatorum suorum timidi, & traducent illos ex aduerso iniquitates ipsorum*. Damnatur enim *vnusquisque* (vt ille ait) *Se teste, se accusatore, se iudice*. Quod certè Augustinus ita aliquando exhorruit, vt cuncta pati mala satius duceret, quàm se vel ad horam conscientiæ stimulis, ac vti reum tradi torquendum, quibus mortalium quisque fit sui carnifex: *Senti* (inquit) *de Augustino, quidquid vis, sola me in Dei oculis cõsciẽtia nõ cõdẽnet*. Reos quippe eiusmodi cẽsura expetit, at Dei amicos dedecet.

Nedum peccatores, sed & pij interdum homines conscientiæ stimulis cruciantur.

Psal. 13. 5.

Gregorius in Moral.

Ambrosius lib. 2. de Apol. Dauid.

Exacta vitæ discussio innocentiæ, ac sanctitatis indicium ex Gregorio.

Iob. 17. 11.

Iob. 9. 28.

Iob. 7. 2. 20.

Tuglais Elog. 99.

Sapientia cap. 4.

Conscientiæ testimoniũ quanti facere Augustinus.

Augustin. in moral.

3. At non nisi iusto Dei iudicio hac interdum pœnitentes pœna probati sunt, dum pro leuioribus se culpis vehementer excruciando, conscientiæ non tam stimulos, quàm aculeos experti, vel suo quanti culpæ malum æstimandum sit, exemplo cunctos docuere. Hinc Paula Romanarum Matronarum sanctissima lacrymis se ob leuia peccata respergens: *Ita* (inquit Hieronymus) *leuia plangebat peccata, vt grauissimorum criminum ream crederes*. Deus itaque diu nonnullis timorem hunc tum

Paula Matrona Sanctissima leuiores culpas flebat.

Hieronymus epist. ad Eustochium de dorm it. Paul

ctendo non tam iram, quàm misericordiã misericordiarũ Pater ostendit: *Quid enim* (inquit Gregorius) *non misericorditer homini à Deo præstatur? à quo ipsa tribulatio beneficium est*. Id sanè etsi pleraque historiarum monumenta deessent, ingẽtes (quæ olim Christianorũ exercitui ob defensã sacrorum Palestinę locorum ditionem Anno Christi M.CC.XCI. sub Nicolao IV. Romano Pontifice Christianos ad sacrum bellum adhortante acciderũt) clades, vniuersis proculdubio testantur: Ptolemaida quippe direpta, & Acone Vrbe à Saracenis capta, atque succensa, multisque Christianorum millibus ad internecionem cæsis, ac naufragio simul peremptis maxima tunc temporis Dei nutu calamitas sic Christianos inuasit, vt corrigeret, ac Deo lucrifaceret. Flagellis namque attriti, ad Deum tot inter angustias cõfugiendo, etsi haud victoriæ palmam, certè salutem animę sunt assequuti. Tantus quippè Saracenorum numerus sub Sultano extitisse legitur, vt Tyrannus sexaginta equitum millia, centum verò, & sexaginta insuper millia peditum in Christianos eduxerit, iuxta id, quod Sanutus tradit: *Sunt (vt historia perhibent) plurima Christianorum cæsa, spoliorum numerus prope infinitus, Vrbs à barbaris funditus deleta.* Sed B. Antoninum isthæc narrantem, Deique vel sic ipsorum miserantis consilia prorsus admiranda extollẽtem hic interim audire præstat: *Neque* (inquit) *hoc accidit sine magno, & iusto Dei iudicio; Nam habitatores eius, etsi nomine Christiani, re autem infidelibus erant deteriores, repleti omni iniquitate, & lasciuia; ideò in præsenti Deus supplicia reddidit, ne in æternum eos puniret, qui in tam sæua morte ad Deum sunt reuersi, & nè impœnitentes ex eis diutius viuentes, maiores sibi acquirerent cruciatus*. Flagella quippe, vbi homo ad salutem proficit, non tam iræ Dei, quàm misericordiæ ipsius merito sunt adscribenda; Deumque mortalibus propitium magis, quàm iratum manifestè indicant.

Gregorius in moral.

Ipsa, quæ à Deo immittitur tribulatio, beneficium est.

Acone multa Christianorum millia à Saracenis ob defensionem Terræ Sãctæ interempta magno ipsorum bono

Sanutus lib. 3. par. 12. c. 21.

S. Antonin. 3. part. tit. 20. cap. 8. §. 9.

Mors temporalis, ad vitam profuit.

17. Res itaque etsi funestè, miro tamen Dei consilio Christianis contigit, vt deuios, aberrantesq; in viam salutis reduceret, atque alios à futuris culpis hostili gladio pręreptos culpis absolueret, tutoque tandem loco reponeret. Quàm verò lugubris tunc Christianorum facies, quã insuper miseranda ipsorum inter tranquillę pacis tempora vitiorum captiuitas, his Sanutus verbis describit: *Cùm carnalia* (inquit) *cæteraque peccata continuè augerentur in fractoribus fœderis Baptismatis, nec de malis vellent conteri, nec per pœnitentiam ad viam redire iustitiæ, assumpsit Seraf paternum propositum, eò ardentius commotus, quòd nouemdecim Saracenos mercatores Ptolemaide in loco vocato Lafunda, iuxta cambium, contra fidem tregnarum crucesignati gladio peremerunt, ac poscenti iustitia denegata sit, & quasi instrumentum licet dirum seueri Iudicis negligẽtibus misericordia tẽpus M.CCXCI quinto Aprilis vndique obsedit Ptolemaidam Ciuitatem: In exercitu enim suo habuisse dicitur LX. millia equitum, & CLX. millia peditum. Erexit autem in locis varijs machinas multas demolientes muros Ciuitatis, & Turres. Fecit quoque plures minas, siue cuniculos respondentes ad terram nouam factam nuper ante turrem maledictam &c.* Porrò Vrbis ipsius vastitatem conceptis item hunc in modum verbis, plorans describit: *Erat* (inquit) *in mari tempestas valida vt ad magna nauigia accedere non valerent; vndique erat tremor, & pauor, & gemitus mortis. Soldanus quoque ad quatuor partes Ciuitatis fecit ignes accendi, vt ferro, & igne consumeret vniuersa*. Quibus isthæc subtexit.

Sanutus lib. 3 par. 12 c. 21.

Christiana vita varijs culpis resperfa expianda.

Funesta ipsius cladis descriptio.

18. *Nũc luit* (inquit) *peccata, sed nõ abluit Ciuitas scelerata, gratijs Diuinis ingrata. Ad ipsam confluebant Reges, & Principes terræ; Ad ipsam mittebant succursum tributaria cũcta partes occiduæ, & nunc contra eam pugnant omnia Elementa; Terra enim eius sanguinem deuorat, quæ sanguine eius tota madescit; Mare absorbet Populum, ædificia consumit ignis: aer fumo, & caligine tenebratur. Iustè proindè maledicta vocata est turris illa, quæ maledicta gens Saracenica subintrauit; & qui illi nomen imposuit, euentum tam diri infortunij, nesciens quid diceret, prophetauit*. His Auctor insignem, horrẽdamque præ cũctis illatam Christianorum genti cladem amarulenter, & satis nunquã deplorat; quæ tamen iusto Dei consilio, eorum plerisque vel serò ad sanam mentẽ eiuscemodi flagello adductis, ipsis nonnisi in bonum denique, nec tam ad carnis interitum (vt videre est) quàm ad certũ animi prouentum cessit, vt illa probè Origenis ijsdem verba occcinerent: *Nemo* (inquit)

Sanutus vbi supra. Ob ingratitudinem virium Christiani hostium gladiis traditi

Origenes in lib. Numerorum

(inquit *flagella Dei perniciem putet*. Hæc ille.

19. Porrò tristis, funestusque vitæ plerùmque finis, nedum Imperatores, ac Reges vitijs irretitos, ac Pœnitentia salubriter expiatos ad Dei gratiam prouexit; sed & perditos quoque, & tyrannidis infamia notatos, cunctisque sceleribus obnoxios Cœlo tandem mundos inseruit. Inter quos Bernabò Mediolanensium Dux iure merito adnumerandus est, qui suum per tyrannidem Principatum administrans, iniquis toties Romanos Pontifices bellis vexarat; nonnisi demùm funestè, compunctus tamẽ, apertisque pœnitentiæ signis, pio Christianorum more supremũ, Deo aspirante, diem clausit, vt Corius disertè, & alij affirmant: Aiunt enim hominem vnà cum filijs, dum Ioanni Galeatio nepoti, & genero, homini vaferrimo religiosam obtendenti peregrinationem occurrit, ab eo captum, nec nõ superbas ipsius Bernabonis ædes nobili, ac pretiosa supellectili refertas, plebi ad diripiendum propositas; reliquas verò, & quidem amplissimas, quæ rapinis, ac multorum lacrymis, ac detrimento conflatæ in Arce seruabantur, pecunias ipsi non tam in proditionis præmiũ, quã in perditionis laqueũ Dei nutu cessisse. Post rẽ tamen gestã Ioãnes Galeatius, vt omnem à se inuidię liuorem amoueret, ac proditionis crimen in ipsum Bernabonem reijceret, ipsum vti reum sceleris, conuictumquè è vita abstulit; hæc enim S. Antoninus: *Non post multos* (inquit) *dies in carcere illum veneno perire fecit; sicque crudelissimus tyrannus in multis proditor, persequutor Ecclesiæ, secundum exigentiam operum suorum mercedem cõgruam recepit Bernabò ipse.* Dignum planè Princeps indignus scelerum, & prauæ vitæ, ac improbitatis præmium tulit. Atquì veneno mister epotus, & ad pœnitentiæ antidotum, quo suæ vel serò animæ curam agens opportunè prospiceret, compunctus corde procurrens, aptum sibi sub illa momenta, ac veneno culpæ antidotum procurauit, vt sic rem Rainaldus describit: *Addit Corius* (inquit) *illum, cùm sensisset propinatum sibi venenum infusum insculo, crimina acerbissimè planxisse, Sacramentisque se muniuisse, atque interruptis suspirijs repetisse hac verba: Cor contritum, & humiliatum Deus non despicies.* Adiuncto autem Ioannes Galeatius paternæ ditioni Bernabonis Principatu, ac Regiã insuper dignitatem exambiens; cùm ab Vrbano, quem amplissimis sibi deuineire muneribus contenderat, hanc obtinere non posset, acerba in ipsum intus in corde odia, furoremque concepit. Ingens verò alter sub vitæ finem, ipsiusque temporalis vitæ detrimento lucrum fecit, dũ verè pœnitens, suasque lacrymis culpas redimens, aditum sibi ad æternitatem, vel serò, seriò tamen à Deo quæsiuit.

Bernabò Mediolanensiũ Dux pęnitẽs post graues culpas saluus fit.

Rainaldus an. 1386. n. 12.

Ioannes Galeatius Bernabonis opes ac ædes diripit, ac ipsum veneno occidit.

Diaz. Venetus m. 1. Corius hist. Mediol. part. 2. & alij.

Theod. Niemius lib. 1. cap. 57.

Crudelis tyrannus, & persequutor dat scelerũ pœnas.

Corius hist. Mediol. part. 3. Blondus dec. 2. lib. 50.

Veneno epotus pœnitens ad sacramenta confugit, & expiatus moritur.

S. Antonin. 3. part. tit. 23. c. 2. §. 16.

20. Congruè igitur solemne illud Sapientis verbũ hominum quàm multis occinit: *Melior est* (inquit) *dies mortis die natiuitatis. In illo enim* (vt Ambrosius ait) *nascimur ad pericula, in hoc eripimur à periculis.* Ità planè tristis, ac miserandus quibusdam vitæ finis, peccando simul finem, & immortalitati pariter initium fecit, vt apto Nyderus exẽplo, cuius & opportuna alibi mentio incidit, rem confirmat: *In principio* (inquit) *Basileensis Concilij insignis quidam fur per publicam iustitiam detentus est, fraudis sua commenta detegebat multimoda. Sententiatus igitur ad mortem, in iudicio purè, & sacramentaliter confessus est cuidam viro Religioso; non modica enim subtraxerat, & in vestimentis homo magni generis videbatur, & exinde multis familiaris effectus fuerat. Cùm igitur de Ciuitate duceretur versus locum patibuli, læto vultu sibi notos innocauit, & orauit, vt pro eo ad Deum intercederent. In via alta voce canebat. Cumquè lictor eum sursum in scala sub furca deberet ducere, ità furcando ait: Quæso mihi respondeas, quid quæso, comedisti hodie, vt tam latus hodie moriaris? parem etenim tui nunquam habui. Vndè ergò tibi hac, quam in Deum habes, fiducia? Cui ille respondit: Scio me grauiter Deum offendisse, credo me deinde remissionem meorum facinorum per Pœnitentiæ sacramentum recepisse; quià experior mihi displicere; quòd Creatorem meum offendi: Sed scio, non expedit, vt euadam mortem; nimis enim offendi Deum, & homines, quare iustè morior, & meã voluntatem Diuinę iustitia in hoc conformo: Hac considerans, nunquid latus mori non debeo? Diutius enim viuendo, fortasse in taberna occiderer meis in peccatis. Igitur Deo gratias ago. Ascendit ergò lignum supplicy, & laqueo vita reo erepta cum perseuerantia pæ⁊ibus signis.* Felix profectò, etiã si funestus hominis ritè, ac probè pęnitẽtis in morem expiati è carcere, immo ex patibu-

Eccles. c. 4. 2. 3.

Ambrosius in Sapient. ser. 18. sup. psal. 118.

Ioannes Nyder in formicario lib. 4.

Insignis fur patibulo addictus post rapinas Cœlum quoque rapit.

Lætus ad mortem, ac si sponsa ad chalamum properat.

Carnifex, & adstantes stupent.

Damnatus mori magis, quàm viuere eligit.

Ideoque se libenter mori, ac læto animo respõdet, quia pœnitendo veniam se consecutum fuisse sperabat.

patibulo ad Regnum, & ex morte ad vitam transitus.

21. Quoniam verò de perditis hîc hominibus, qui dum lugubri, atque infausto vitam fine clauderent inter ipsas fluctuantis Mũdi procellas, mortisque angustias, traducti ad Deum feliciter sũt, opportunus adhuc sermo recurrit; silentio prætereundum non est, quod proximè anteacto sæculo certo cuidã magnæ capitales inter exules famæ Augustinus Mannus Congregationis Oratorij Sacerdos in suis MS. paginis contigisse refert. Hic namque cùm ob atrox scelus bonis proscriptus; capitali insuper sententiæ fuisset à Prætore addictus, dum publicos agros excurrit, & alter veluti Cain à facie Dei profugus ob pœnæ metum latebras quærit, miser in lictorum tandem manus incidit; adeoquè patibulo iam destinatus, vbi nulla euadendi spes adest, prouidè ad Pœnitentiæ remedia confugiens, dum momentaneam corporis vitam perdit funesto mulctatus exitu, verè felix salutẽ sic animę perditus lucrifecit. Sed (vt totius hic rei gestæ Lector, historiã ex Italico idiomate redditã latinitati habeas) *cùm* (inquit) *nequam homo iste præferoci ingenio præditus desperatorum more Ecclesiæ ditionem totus tum rapinis, tum cædibus intentus infestat; lictorum, armatorumque, qui diù Principis iussu hominem insequebantur, de vno in alium locum migrando, nedum manus caute euasit, sed & sollicitam eorundem operam mire delusit. Quapropter inter fugiendum aliquando syluam condensis vndique arboribus refertã subiẽs, opportunas ibi (vt improborum eiusmodi, facinorosorumq; hominum mos est) latebras nactus, ibi inter opacas nemoris frondes tutus (vt sibi videbatur) constitit, & sic delusa quærentium, ac insectantium sollicitudo est; Tuto quippe profugus loco receptus, ac è persequentium armatorum manu liberum se videns, latus vti iam victor triumphum canebat. At Deus iustus semper scelerum vindex fugientem à tergo insequutus, in medio itinere, ac in suismet, quibus maximè præsidebat consilijs, ipsum comprehendit, adeoquè dum miser fugiens, tutum se magis, ac liberum omninò putat, sub ipsa Dei manu captiuum sensit. Itaque cùm ad altiorem prædicti nemoris, qui prominebat, locum densioribus opacum frondibus deuenisset, ex quo cuncta, quæ subiacent loca, & publicam vnà simul, quam armati inter excurrendum milites terebant viam, suis commodè oculis lustrabat; cui item loco, vt amænior adeuntibus foret, chrystallinus aquarũlacus subſtabat: Hic itaque infelix loco magis, quàm animo, ac sibi præfidens, nec secus, ac in tuto post naufragium portu subsistens consedit. Sed en tibi siluestris aper, qui ferro saucius è venatorum manu elapsus, totoquè in fugam impetu agebatur, concito ad altiora nemoris loca gradu contendens, in miserum hominem, qui laxus ex itinere post fugam ibi constiterat, casu inter currendum impingens, ipsum è summo collis in imum, subiectumque laci ambitum vi maxima præcipitem egit. Itaque dum is, casu perterritus, necnõ aquis demersus fluctuat, Prætoriani, ac forenses milites, qui ipsum insectantes non multùm à loco distabant, fortuitò illac prætereuntes, ingenti obaudito fragore, & quod acciderat, oculis nosse cupidi, natantem inter vndas hominem conspicati; ne optata sibi, ac Prætori grata frustrentur præda, & vt quoquo modo ipsum, vel viuum capiant, vel certè mortuum in suam potestatem vendicent, admota æneis fistulis manu plumbeam inde in ipsum glandem excutere, atque ictibus demum conficere excogitabant. Sed suo infelix impendens capiti vitæ periculum videns, animaduertitq; sic vltrò armatos, & pro vita supplex interpellat: Eia (inquit) ò milites, quæso eiaculando, ac feriendo iam parcite. Quid vltrà vobis igni, ac ferro ad inermem debellandum hostem opus est? hostem iam victum in manu habetis; cui nullus ad fugam vestris è manibus iam locus superest: Vester sum, & iam captiuus, & quãtumuis nolim, in manus vestras me viuum dedo. Dei quippe (vt video) sic in Cælo voluntas est, vt viuus profectò, haud mortuus in lictorum manus, iustas scelerum pœnas daturus deueniam; Vt ergò nõ iam corporis, de quo actum (vt video) iam est, sed animæ, pænitentiam agendo, opportunè in præsens consulam: Accurrite, accurrite, & victum vinctumque me quantocyus ad Prætorem ducite; pro meis quippe libenter excessibus mori paratus sum. Vix ille hęc dixit, cùm lictores appropinquãt, atque hominem tum ab aquis, tum à vita, ipsiusq; Inferni periculis emergentem vinculis arctissimè ligant, nullaque interposita mora, ad Vrbem, velut capta diuites pręda contendentes ante*

Pre-

Augusti nus Mannus in MS. Vall. Biblio. Italico idiomate.

Capitalis exul post immania patrata scelera poen itẽs patibulo Cœlum lucratur.

Fugiens in sylua latitat.

A siluestri apro saucio fugiẽte, apparitoribus proditur.

Præceps in aquas delapsus lictores nè ipsum occidant, precatur.

Vbi iam ab eorum manu profugere nequit, se Diuinæ misericordiæ committit.

Pretorem sistunt, qui summopere gauisus ipsum protinus sub arcta, fidaquè custodia recludi mandat.

22. *Reus itaque non multò post à Iudice in quaestionem vocatus, & innumera, immaniaque patrata facinorum scelera confessus, iusta mox publico totius Vrbis spectaculo neci destinatus, haud quidquam posthac habuit, quo se defenderet, aut suam respondendo improbitatem excusaret. Scelerum quippe conscientia pulsatus, qua in seipso (vt ille ait) plusquam mille Testes ad accusandum instabat haud vltro quid iam conuictus responderet, habebat nisi iustam, promeritã- què suis deberi pœnam culpis fatendo. Mirum verò est, quàm amarè, quàm dolenter, ac piè suam miser in pœna culpam agnouit, quo item compunctionis spiritu Sacerdoti in confessione conscientiam à Deo absoluendus aperuit; & quo demum patiendi cupidus esset ad patibulum, & alacer ad carnificinam properaret, adeò vt non iam sicarius, & publicus viarum grassator & famosus predo, sed mirus pre ceteris pœnitens, ac felix & grata ipsius Christi preda, gratias Deo ob intentandas sibi suppliciorum penas exhiberet. Dei quippe (aiebat ille) nutu, haud casu, dũ magis, magisque nemus ad latendum excurro, ac deinceps sub vmbra residens subsisto, vel tunc nesciens propior mortis, ac Inferni periculo, mortem, quam fugiebam repentè incurro, vt sic videlicet desperata corporis vita, mihi anima lucrari vitam contingeret, & peccatis tandem mortuus, semper (vt spes est) post hac Deo viuam.* Funesto itaque fine, ac dedecora morte mulctatus, sectisquè carnificis manu post mortem in partes plures (quæ facinorosis maximè hominibus pœna indicitur) ipsius membris. Ille dum pœnas interim viuens cunctas constantissimè subit, profectò miser, & si haud corporis, animæ tamen salubri Pœnitẽtia expiatus, carnificinam magno Dei beneficio euasit, cunctisquè admirantibus Cœlum rapiens, & posthac haud certè amplius Mundi exul, sed ciuis Cœli, ac Sanctorum consors effectus, illa Augustini verba pro digno mortis elogio mortalium auribus insonat: *Hic vre, hic seca, vt in aeternum parcas*: sic prorsus res homini contigit.

Vinctus ad Pretorem ducitur.

Seneca in quaest. moral.

Conuictus conscientiæ testimonio, cuncta fatetur, necnon tormenta, ac mortem suis pro culpis libenter amplectitur.

Pœnitens turpem vitam salubri fine concludit.

August. in serm.

Demum, vt nobili, spectatoquè recẽtioris memoriæ exemplo susceptæ narrationis propositum euincatur, cunctasquè hominum in hoc Mundo res prouido Dei nutu regi, atque administrari, & vel tristia quæque, funestaquè, vbi animæ attenditur salus, prosperis plerumque, lætisquè præstare; ac potiora item à cordatis Viris habenda Lectori innotescat, quid olim funestè anteacto sæculo in Vrbe, cuius adhuc fama viget, ingenti, cunctorum documento acciderit, videamus. Sic enim tragica eiusmodi res (quam tui gratia Lector latinitati reddidimus) se habuit. Troilus Romanos inter Proceres ex illustri, præ cæteris Sabellorũ prosapia ortus, quæ Viros Domi, forisque clarissimos semper habuit; licet in ipso ætatis flore, ac præcipiti adolescentiæ cursu, & si à pueritia moribus probè excultus, magnam de se cunctis spem conciliando peperisset: Patre tamen subinde orbatus, cùm aliquandiù sub Matris disciplina fuisset, quæ haud æquo erga ipsum (vt reliquæ solent mulieres) indulgentior fuit, at sensim ipse, suũq; præter morem solutior effectus, in manifestam viuendi licentiam abiecto pudoris freno prorupit, adeò vt nonnisi tristia, funestaque iam tum de se præsagire cunctis videretur. Voluptatibus quippè inter blandas amplissimæ *Domus* delicias, vitijs quoque (vt Adolescentium mos est) habenas ingruentibus relaxans, ac prauorum item hominum, cum lubrica, ac preceps in malum adolescentia sit, praua infelix consuetudine vitiatus, & capitalium præsertim exulum, qui Ecclesiæ tũc excurrendo ditionem infestabant, consortio abductus, sana Matris, ac Gẽtiliũ cõsilia spernẽs, nec salutaribus Religiosorum hominum monitis aurem præbens, se ipso in dies deterior fiebat; adeò vt breui preter familiæ dedecus, & publicam vitæ, ac turpem vitiorum notam atrocia quædã delicta, quibus ex Pontificiarum legum prescripto capitis reus euaderet, audacter patrare non dubitauerit. At Mater virilis, ac præcelsi animi fœmina se ipsam in filio, & vnà simul filij in se ipsa, ac malis fortè amarulẽter deflens, infelix quotidiè nõ omnẽ nõ mouit lapidẽ, vt indomitum, aberrantemque iuuenculum, ac si Benoni, idest doloris filium tum à malis retraheret, tum à perditorum maximè commercio auulsum in rectam quantocyus semitam reuocaret. Verùm cum

Cuncta Dei nutu regi, & tristes, funestosq. casus haud casu contingere experimento liquet.

Ex MS. libello Blondi super Troili Sabelli obitu.

Adolescens prosapia illustris, ob delicias in vitia sensim declinat.

Adolescentia in malũ obincentiua vitiorum prona.

Mater filiũ in præceps currentem retinere frustrà conatur.

cùm nil monendo, nil exhortando proficeret, minas precibus, terroresque blãditijs iungendos, adhibendosque decreuit. Quapropter apud Clementem VIII. summæ virtutis, sapientiæ item, ac prudentię Pontificem supplex egit, vt filius aliquandiù arctiori, quò se à iuuenili morum licentia resipiscendo contraheret, custodiæ traderetur. Matre igitur in primis adnitente, (vt correptum subinde, filium bene morigerum, cordatumque, ac sibi ad nutum obsequentem reciperet) vinctus in Adrianæ molis Custodia, siue in S. Angeli (vt vulgo dicitur) Arce recluditur, vbi post dies aliquot in quæstionem à Prætore adductus, ac diligenti examine de prioris vitæ actibus interrogando perquisitus, nil mali arbitratus, atrocia quędam delicta, quibus violatarum apud Principem legum ipse reus, statimq; pronũciaretur, spontè corã Iudice confessus, conuictusque, prolata postmodum sententia, capitis damnatus est.

Ob patrata crimina sub Cl. VIII. vti reus custodię traditur.

23. Misellus itaque ac sibi parùm constans, haud tamen in hoc à suis natalibus degener, dum secum intus in animo fluctuat inter supremas rerum deprehensus angustias, serò tandem sapere didicit; adeoque animo prorsus inuicto, omnique superior metu, dedecoros pertæsus adolescentiæ actus, moresq; prauos retractans viuendi posthac (quia turpiter hactenus vixerat) desiderium à se penitùs ablegat, quin insuper & in mortem ipsam Deo afflatus insurgens, sic prolatam capitis sententiã, sic certum mortis nuncium, ac funesti, quod suis impendebat ceruicibus, fati acerbitatem tulit, vt se ipso, ac ætate superior, nil incompositè ageret, nil temerè per imprudẽtiã diceret, sed sub eiusmodi calamitate, virtutis probè magisterio edoctus tantùm profecit, vt non iam ille, qui pridem fuerat, sed longè à se ipso alius appareret: Dei quippe nutũ res agebatur, vt cunctis palam fieret, ipsum tragico eiusmodi, & maximè (vt vulgò hominum opinio fert) infelicitatis exemplo infelicem minimè habendum, nuncupandumque hominem, si morte præuentus, vel ante mortem verè pœnitens iam peccare desierit, quin immò gaudendum potiùs, ipsique congratulandum, si vel serò sapiens, ac seriò ad Pœnitentiam confugiens, suis opportunè malis remedium adhibet, totaque animi contentione, vel dum vita ipsum præproperè fugit, vitam sollicitus quærat, ac Dei misericordiam inter Iustitiæ mulctas imploret. Talis profectò is fuit, de quo nobis sermo est; haud enim sub extrema vitę momẽta pro se otiosus, sed totus pro animę salute negotiosus maximè id vnum curauit, vt non tam à morte eriperetur, quàm vt suis iam damnatus à Iudice pro culpis, absolueretur à Deo; Quippe qui dum machæram sibi à Prætore intentari sciebat, vnà simul à Deo Pœnitenti coronam in Cœlo parari non ignorabat, quò statim, si vellet, à patibulo euolaret ad Regnum. Tragicam verò, Viri huius, si ità nuncupare quis velit, historiam multis documento futuram, Blondus olim, & Societatis Iesu tunc Sacerdos, insignis Dei verbi præco, & præclaro iuueni inter mortis angustias à confessionibus, exactè quidem cunctã ingenti omnium fructu, ac pari simul eloquentia complexus est. Et sanè mira, ac supra fidem sunt, omnemque hominum expectationem superant, quæ nobilis tunc temporis (vt idem ait) Adolescens sub vnius duntaxat noctis spatio, & concito ad æternitatem gradu properans, sub ipso mortis aspectu integris semper animi sensibus dixit, ac fecit, & iam iam ad paratũ mortis supplicium iusto Principis imperio ducendus.

Confessus à Prætore capitis reus damnatur.

Dãnatus se ipso fortior, abiecta viuendi spe, de solius animæ negotio recogitat.

Dum impẽdentem capiti gladium ex Prætoris sententia videt, mentis oculos, ac animum ad vitę æternitatem erigit.

Blondus sacerdos tunc Societatis Iesu funestæ historiæ cõpilator.

24. Inuicti igitur animi pugil, cui tunc profectò (vt cum Apostolo loquar) *viuere Christus, & mori lucrum* erat, pro ingenti mortem beneficio computans, suisque malis sapiens maximas proinde gratias Numini, Principi item, ac Ministris exoluendas ratus, Matri quoquo modo vltionem hac super re minimè expetendam indixit. Nil enim antiquius habuit in duro, amarulentoque mortis conflictu, quàm humillimis à Deo precibus ipsius clementiam, ac delictorũ sibi veniam implorare, & toto insuper mentis conatu à bonorum omnium Largitore compunctionis sibi gratiam exposcere. Nec his contentus, Matrem insuper ipsi vtpotè olim ingratus pro intermissis erga eam debitis obsequiorum officijs, necnon pro contemptis eiusdem monitis, crebris, iteratisque, tum suspirijs, tum verbis veniam precando, omnem ab ipsius animo liuo-

Apostolus ad Philipp. 1. cap. 21.

Adolescens mortis sententiam vt virtutis exercendæ argumentum fecit.

liuorem, acceptarumquè memoriam iniuriarum auertere satagebat, ipsiquè ingentes pro collatis tot beneficijs, grates rependens, suo isthęc nomine renuncianda voluit: *Scias* (inquit) *te enim alloquor Mater charissima, me ob id vnum læto, ac tranquillo in præsens animo mori, quòd cùm toties te; vti ingratus, meis prauis moribus exacerbarim, debitam nunc, condignamquè in hoc sæculo Pœnitentiam ago: Volo autem à te, & id maximè cupio, ne tu pia, ac dilecta Genitrix super tristi meo, ac funesto (vt putas) fato intemperanter doleas; aut Deum, qui sic iustè permisit, aut fortunā (quam homines malorum causam dicunt) quoquo modo incuses: Meritò enim hac patior, quia peccaui in Deum, & in te quoque Matrem dulcissimam. Nec casu (vt putas) sed Dei prouidentia huc veni, vt momentaneam subeundo mortem, haud aliter pro meis grauissimis culpis faciens Deo satis, saluus æternùm fiam.* Hæc ille Matri. Putabat quippè cordatus iuuenis, quòd si Matri à Viris fide dignis renunciaretur, quàm libenter ipse, quàm fiducialiter, quàm lætus, & constans denique mortem subiret, haud posthac præter modum doleret; quin immò summas Deo immortali gratias referret, nec eius voluntati minimum contrairet, qui mortem filio nonnisi ingenti futuram bono intulit, & cui ipse vltrò volens, libensquè moriendo, mentem promptus, & colla submittere. Vbi autem sic Matri decedens prospexit, à suis item Gentilibus veniam humiliter deprecans, illos ad id, quod sibi tam funestè acciderat, patienti animo ferendum, & ad effrænem iuuentæ procaciam, qua fuerat in vitia pręceps abductus, excusandam hortari, ac suadere non destitit. Et quò vltrò sibi ignoscerent, futurum profectò aiebat, vt cunctos in Cœlo, tandem omni solutus metu, ac periculis liber reuiseret. A subditis item ob praua errorum scandala, veniam donari poposcit, amplam ipsis pro eiusmodi re in altero sæculo mercedem repromittens. Prætori quoque suo gratias reddi nomine præcepit, ac demum, vt tum infimis, tum summis deferret, à Summo Pontifice veniam supplex, ac paternam, licet omninò filij nomine (vt aiebat) indignus in supremo vitæ termino benedictionem precatus est, ac patratorū

Deo in primis, ac Principi subinde gratias retulit.

A Genetrice veniam humiliter pescit.

Ipsam, ne de sua morte tristetur, ac doleat, obtestatur.

Dei nutu & pro animi salute id sibi contigere affirmat.

Prætori, ac Principi suo nomine vult gratias referri.

scelerum mox suo isthæc sanguine expiaturus, Indulgentiam percupiens, certo cuidam ab eo subinde humiliter implorandam iniunxit.

25. Porrò quidquid pridem, vel paucis annis deliquerat, tanta contritionis vi, tot suspirijs, tot lacrymis, ac singultibus Sacerdoti in confessione aperuit, eoquè spiritus feruore piaculares sibi ab eo pœnas iniungi poposcit, vt ipsi meritò Prophetæ verba occinerent: *Magna est, & velut mare contritio tua, quis medebitur tui?* Quò promptior autem funestæ morti obuiam iret, Christum Dominum in ipso ętatis flore crucis suffixum ligno, atque infami, ac violenta peremptum nece recolens, vt illius se ad patienter ferendum prouocaret exemplo, ob oculos sibi proposuit; & vt patratas culpas dilueret, carnificis mox feriendus gladio, pœnam eiusmodi tolerando, se vltrò à Deo absoluendum, nec vltra plectendum sperabat: *Deus quippe non iudicat bis in idipsum.* Quod palam subinde Sacerdotem alloquens, his planè verbis testatus est: *Scias ò Pater* (inquit) *quòd ego licet iuuenis, tamen quàm libenter in præsens morior, certus profectò, quòd Deum posthac haud ampliùs offendam, cui (vt eius mihi gratiam conciliem) non vnam, sed centum, & mille, si tot mihi suppeterent, vitas deuotus nunc offero, & pro paucis annis malè hactenus exactis, longam annorum vitæ seriem, si Deus concederet; adeoquè inter moriendum de mortis necessitate virtutem faciens, momentaneam, quam mox carnificis gladius demetet, vitam meam spontè voluntar, ac liberaliter amplectens, Deo immortali deuouet. Futurum autem spero, vt quem iratum nunc sentio Iudicem, propitium, placatumquè posthac Patrem experiar. Mori itaque non recuso, Deus qui cuncta scit, mihi sit testis, dedecora tamē mortis genus ad magis, magisquè anteactas vitę culpas Deo compensandas profuturum scio, & libentissimè, quod in me est, elegissem; quin immò acerbiori dignus supplicio, mitem, quam mihi modò Princeps indulget, pœnam, nedum quæsiui, nedum poposci: Quippe qui sat probè noui, quòd secundùm Dei præscriptum:* Iuxtà mensuram delicti erit, & plagarum modus; *adeoquè dum grauiter me peccasse in Deum recolo, haud parua, ac leui satisfactione mihi opus est.* Hæc ille. Cùm verò

Mirus in iuuene contritionis feruor elucet.

Hieremiæ thren. 2. 13.

Capitis dānatus ob patratas culpas hinc se fore à Deo absoluendū sperabat.

Se tunc libēter mori, ne post hac Deū culpis offenderet, palam testabatur.

Misericordiæ Dei tristem, funestumque, vt saluus hæret, vitæ exitum ascribebat.

D d àRe-

à Religiosis interim, quammultis appositisque ad Dei, qui taliter ipsum mori decreuerat, voluntati parendum verbis admoneretur, ipsique in mentem reducerent, quòd Dei nutu vitæ nostræ momenta decurrunt, & suum vnicuique viuendi tempus prædefinitum est, & quòd si fortè alias, nec(vt in præsens)carnificis manu, & Principis iussu mori contigisset,æternùm forsitan(quod tamen cunctis in voto est)saluus haud fieret. Quibus ille, probè suo iam periculo sapiens, hunc in modum respondit: *Scio, scio,* (inquam) *quòd si me infelicem tunc mors occupasset, Infernus (vt de se Augustinus qiebat)Infernus vtique absorbuisset,at Deus mei commiseratus, mecum venatorum more egit: Hi enim excurrentes, dum feram viuam, haud ferro laceram, consequi habere cupiunt, inter venandum hanc potius minis terrent, quàm ferro trucidant. Id sanè mihi, vt video, inter suprema hac vitę momenta accidit, quod item de perdito filio Absalone Rex sapientissimus Dauid suis olim bellatoribus edixit: Seruate mihi (inquit) puerum Absalon; ipsum quippe haud mortuum, sed viuum, emendatumquè recipere volebat. Et plura quidem(vt sermonem in me ipsum inflectam aiebat ille) ego quantumuis ætate iuuenis manifesta hactenus vitæ discrimina incurri (erat enim annum agens decimum nonum) à quibus nonnisi Dei protegente manu liber euasi: Mors verò si tunc mihi, cùm digito ab Inferno distabam, contigisset, Infernus vtique domus mea æternùm iam foret. Qui ergò me tam anxiè, tam sollicitè, peramanter adeò requisiuit, seruare profectò vult, haud perdere: Quapropter bona spe fretus, ad paternum Dei sinum, vti prodigus ille filius, nudus omninò meritis, sola dumtaxat egestate, ac Pœnitentia diues reuertor, dum sua ille benignitate patulis reuertentem vlnis amplectitur, & magna lætitia, ac nuptiali suam intra domum conuiuio excipit.* Hæc præferuidus iuuenis animo secum voluens, contriti cordis sensum, ac Pœnitentiæ dolorem eructans, Dei amore, & peccatorum odio, ipsius acriter extimulante præcordia, appositis Psalmorum, Diuinarumquè scripturarum dictis; & his præsertim, quæ inter sacra funebria ritè ab Ecclesia vsurpantur, se ipsum futurorum spe bonorum excitabat, dicens: *Recordare Iesu pie, quòd sum causa tuæ viæ, ne me perdas illa die. Quærens me sedisti lassus, redemisti crucem passus, tantus labor non sit cassus. Iuste Iudex vltionis, donum fac remissionis ante diem rationis. Qui Mariam absoluisti, & Latronem exaudisti, mihi quoque spem dedisti. Preces meæ non sunt dignæ, sed tu bonus fac benignè, ne perenni cremer igne.* His, alijsquè pijs, deuotisque precationibus inter spem, ac metum constitutus, & iam ad æternitatem in stadio currens exercebatur; adeoquè nullum precandi, nullum pro culpis dolendi finem faciens, Sanctorum Lytanias alta, cunctis adstantibus voce recitare aggressus maiori (quo poterat) pietatis sensu, ista præsertim crebrò repetebat: *A mala morte, à potestate Diaboli, à pœnis Inferni libera me Domine.* Stupebant verò cuncti, qui aderant, iuuenem pro se eiusmodi spiritus feruore orantem, & quasi non iam ad supplicium; sed ad nuptialem thalamum properaret, gratum sibi, optatumquè præscriptæ mortis supplicium accidere, ac nullam prorsus (quod cuncti communiter adeò exhorrent homines) afferre molestiam affirmabat: illud addens, quòd si tunc mortis absolui sententia contigisset, id sibi non nisi tædio, ac molestiæ futurum: Dei quippè efficaciter, ac mirũ in modũ gratia præuentus, se nullam tunc maximè mentis turbationem pati, & Satanæ molestijs omninò liberum sentiens, patienter, hilariterquè se pro suis offensis, & pro Dei amore mortẽ subire testabatur; adeò alioqui inter moriendum constans, vt solus ipse non timeret, cuius vitæ ab omnibus timebatur, & solus, pro quo cuncti flebant, tunc vel minimè fleret.

26. At illud mirum in iuuene magis est, quòd totus animæ negotio intentus, ac nullam vel minimam corporis, ac vitium releuandarum curam gerens, nil prorsus attenuatis viribus ad se reficiẽdũ quæsiuit; quin immo cibũ ab adstantibus vltrò oblatum respuit. Sic igitur in mortis conflictu constitutus, tanquam emeritus miles viriliter pugnabat; interrogatus verò sub vitæ finem à Misericordię(vt dicunt)Confratribus, num aliquid sub illa vitæ momenta, sibi gratum peroptaret: *Nil, nil prorsus*, respondit, & digito subinde annuens: *Cœlum, Cœlum* (inquit)

Morte interdum temporali, mors æterna vitatur.

August. in lib soliloquiorum.

2. Regum cap.

Si mors ipsi alias contigisset se Inferni pœnis deuoluendũ iactabat.

Deus profectò seruare vult, non damnare, quem pœnitentię dolor sub vitæ finem præuenit.

In Missis funebribus in missal Romano.

Deuotas Deo, Deiparæ, ac SS. preces moriturus offert.

In litanijs pro animæ commendatione.

Adeo lętus mortem expectabat, expetebatque, vt si à morte fuisset liberatus, ęgrè id ferret.

Solus ipse non timebat cuius vita ab omnibus timebatur.

Sub extremæ momenta non nisi Cœlum se peroptare affirmat.

quit) & præterea nil cupio. Et sanè optima Adolescentis educatio, ac piæ, quibus assueuerat, bonorum operum exercitationes magno tunc ipsi emolumento fuere. Duobus quippe abhinc annis (vt ille aiebat) summa deuotione, ac fructu suas apud Sacerdotem confessionis Sacramento ritè expiare culpas solitus fuerat, & alia id genus Christianæ pietatis, quæ à nostræ Congregationis Patribus didicerat, opera vix vnquam intermittens, ac præcipuè erga Deiparam Virginem præferuidus adeò, vt ipsam (quod & maximæ sibi vtilitati fuit) nudis frequenter genibus salutaret. Verùm enimuerò ilhud in iuuene præ cunctis stupore dignū, quòd tota nimirum integra nocte cum morte luctanti sudor nè minimus quidē acciderit, & quòd de nulla item re, aut persona conqueri obauditus; quòd nunquam insuper languescere, aut lacrymas fundere, nisi inter confitendum peccata sit visus. His adde, quòd inter hæc nunquā fit iret: & ne minimum temporis laxus, obdormiret, quòd nec vultu languēs expalluit, nec viribus item defecit, quòd nil sibi ab astantibus leuamenti propōscit, quòd item cum singulis in rem, & appositè semper loqueretur. Demum integris vteus sensibus paulò antè mortem magnis lacrymis, ac singultibus, summatim, & sua perferuido contritionis spiritu peccata confiteri voluit. Vbi verò post haud obscura doloris intimi exhibita cunctis argumenta, totus sibi, ac Deo intentus, è summo Arcis per marmoreas scalas descendens ad funestam patibuli machinam peruenit; vbi cùm plures adessent, priusquàm destinatum sibi locum consēderet, adstantes, vt bene posthac viuendi, Deoquè inseruiendi normam vel suo addiscerent exemplo, monuit; sic autem subinde magno spiritus feruore incitatus inter dicendum conclusit: *Ego (inquit) ob Iesu Christi Domini amorem, ipsiusquè gratia: ac demum pænitentiæ causa nunc libentissimè morior:* His dictis iterum sacramentali Confessione expiatus sacrosanctam Christi Cruci affixi imaginem, vt eius, quem cupiebat, se oblectaret aspectu, sibi ante oculos statui iubens, aptato ad excipiendum machæræ ictum collo, illis planè Christum Dominum fiducialiter verbis alloquēdo compellans ipsius opem enixiùs implorabat dicens: *O bone Iesu sis mihi Iesus;* Et inter hæc præciso capite, & manu carnificis atrepto, linguam supremis clarè, ac distinctè labijs nouissimas sacrosancti nominis IESV syllabas pronunciantem plures adstantium audiere; at ille magnā salutis spem cunctis relinquens, mox Cœlum (vt sic creditur) expiatus conscendit.

Præcipuus ipsi erga Deiparam deuotionis cultus:

Libera mente, animo integris sensibus inter mortis angustias perflat,

Sacramentali confessione expiari iterum vult, antequàm ferali collū gladio subijciat.

Præciso capite Sanctissimum Christi nomen, summis labris enūciat:

27. Atqui in perferuidæ mētis Adolescente summa Dei bonitas singulariter affulsit; *Vbi enim abundauit delictum, superabundauit & gratia;* adeoquè inusitata cordis compunctio, mirus in pœnitendo feruor, & in culpis item ritè in Sacramento aperiendis dolor præter communem hominum morem maximè in ipso enituit. Nam Blondo Sacerdoti ex more pluries, multisque intermixtis semper lacrymis, ac suspirijs, quidquid adhuc infans deliquerat, confessus est; licet pridem Matris hortatu generalem in carcere apud Sacerdotem alterum Confessionem instituisset, admonitusquè à Blondo, vt à confitendo posthac toties confessus cessaret, id vtpote superfluum ratus, his planè Sacerdoti isthæc momenti verbis respondit: *Ah Pater (aiebat) Pater quorsum ad me isthæc? superfluū mihi profectò non est, qui in Deum toties deliqui; certè siquidem longe aliter nunc sentio antea-ctæ vitæ culpas in conscientiæ trutina probè expendens. Iam, iam quippe (vt vides) moriturus, cū ad Dei Tribunal sim præsentandus, leuiores quaq; labeculæ, quas olim parui faciebam, magno mihi in præsens oneri sunt, exonerandamque meam modò ab his conscientiam volo.* Pius itaque Adolescens apud Sacerdotem se ipsum seriò accusans, rem adeò exactè præstitit; vt si Contritionis ipsius vis, confitendi item modus, atquoqdo cūctis innotesceret: *Vrbs Roma* (Blondus inquit), *immò tota prorsus Italia vltrà quam dici potest, ad Contritionis portentum obstupesceret.* Id vnum quippe ipsi in votis erat, idquè pro ingentis beneficij munere computabat; vt sic, vel inter confitendum, præ Contritionis vi ipsius cor in duas scindi partes contigisset. Cui iure merito, quę Christus mulieri Pœnitētium Duci, verba protulit, appositè consonant: *Remittuntur ei (inquit) peccata multa, quoniam dilexit multum.*

Ipsa nocte pluries Sacerdoti confiteturi, & si paulo ante generalem exomologesin instituisset,

Quo animi feruore anteactæ vitæ labeculas flens accusaret.

Lucæ cap. 7.

28. Demum, vt narrandi finem fa-

ciam, tam subita in iuuene cordis mutatio, mira item ipsius inter pœnitendum compunctio, quæ non nisi Deum auctorem agnoscit; S. Philippum Nerium Congregationis Oratorij Fundatorem, qui ipsi in Confirmationis sacramento Patrinus fuit, & qui à Matre instantissimè exoratus, vni pridem è nostris Sacerdotibus curam ipsius demandarat, & qui pro eo insuper rem instantius apud Deũ agebat, intercessorem habuit. Vir quippe Dei ipsam, qua iuuenis cum morte confligebat, noctem insomnem penitus ducens, alter veluti Moyses in monte ad Deum, Iosue interim cum hostibus in locis campestribus pugnante, manus leuabat. Quin vt ipsum magis, magisque in acie pugnantem iuuaret, binos è suis in carcerem Sacerdotes præmisit, vt ipsi vel absens quoquo modo præsens foret, & non secus ac suis à longè oculis singula conspexisset, Ianitori domus præcepit: vt vbi Petrus Consolinus redijsset, statim ad se alloquendum in cubiculũ conuolaret. Cui Vir Sanctus festiuum in morem obuiam factus, & pro re benè gesta præ cordis lætitia gestiens, intercisisque ipsum verbis alloquens: *Cuncta* (inquit) *benè profectò, cuncta faustè, feliciter cuncta (quod ad Troilum spectat) proculdubio gesta sunt, abijt, obijt, feliciter*; protẽsisq; in altum manibus, quod rectà in Cœlum abijsset, suo quasi digito monstrabat. Posthæc autem sic totam diem inusitato cordis iubilo, ac mira perfusus lætitia transegit, exultante spiritu in Deum viuum. Troili autem subindè cadauer in nostram Vallicellanam B. Mariæ, & S. Gregorij Ecclesiam delatum, vt tumulo traderetur, vtpotè dignum beatæ illius animæ domicilium, vultu tam læto, tam specioso, ac decoro apparuit, vt non homines; sed Angeli faciem intuentibus præseferret, & ipsi occineret, quod in Apostolorum actibus de Stephano Martyrum Coripheo traditur: *Viderunt faciem eius tanquam faciem Angeli stantis inter illos*. Adeòque cuncti mirificè ipsius aspectu recreabantur. Porrò Vir Dei fores Ecclesiæ claudi iussit, subridensque adolescentis faciem, adblandientis in Patris morem, manu suauiter palpans, cuius animam rectà in Cœlũ ab Angelis deferri viderat, extremis quoq; prosequi

Minus, ac inusitatus pœnitendi modus S. Philippi precibus ipsi à Deo corrigit.

Vir Dei ipsi vel absens precando adfuit, & suis cuncta, quæ ad ipsum spectabant oculis vidit.

Tota die ob eius felicem exitum lætus apparuit

Actuum Apost. c. 6. n. 15.

Mortuus Adolescens vultu ipso se ad Cœli gaudia transisse testabatur.

officijs voluit, & quẽ apud Deum iam inter Beatos viuere Deo reuelante didicerat, eiusmodi lætitiæ signis gratulari, festiuisque visus est manibus plaudere. Sic profectò iuuenis terque, quaterque beatus, etsi tristi, funestoque exitu, præreptus perpetuò felix, ac inter Angelos semper victoriosus æternitatem adiuit. Decessit ætatis anno decimo nono, Redẽpti Orbis millesimo quingentesimo nonagesimo secundo. Sed de his hactenus.

Historiæ finis.

CAPVT X.

Scrupulorum anxietate cruciati, placidè tandem, ac fiducialiter è vita decedunt.

1 MAgna profectò homini pœna, & tormentum insuper præ cunctis maximum, intolerandumque anxia iugiter, turbatique animi (Augustino edisserẽte) Conscientia: *Iussisti* (inquit) *Domine & verè sic est, vt sibi ipsi sit pœna omnis inordinatus animus*. Quod conceptis item Ambrosius verbis aliquando expendens: *Quę pœna* (inquit) *grauior, quàm interioris vulnus conscientiæ? Non ne hoc magis fugiendum, quàm mors, quàm dispendium, quàm exilium, quàm debilitas, quàm dolor est?* adeoquè summa in primis ipsius hominis felicitas, non nisi solido dumtaxat conscientiæ testimonio subsistit, sic enim mortales cunctos hæc vna in bono perficit, *vt* (iusto Ambrosij calculo) *vitã beatam efficiat tranquillitas conscientiæ, & securitas innocẽtiæ*. Quod adeo verũ est, vt Gentiles ipsi, naturæ id ductu assequuti, nil antiquius habuerint, quàm suis maximè dictis assertionis propositum roborando mortalibus demõstrare; Inter quos Oratorum præcipuus meritò virtutem (vt par est) extollens, ac efficacissimè vitia proscribens, conscientię in primis ad aptè suadendum testimonio vtitur: *Magna* (inquit) *conscientiæ vis in partem vtramque: vt neque timeant, qui nihil commiserint, & pœnam semper ante oculos versari putent, qui peccauerunt*. Hæc quippe singulis vitæ momentis, non secus ac durus, rigidusque præ foribus exactor, ac dirus insuper tortor hominem ipsum ex aduerso

August. Confess. lib. 1.

Conscientia scrupulis anxia perturbata ingens tormentum

Amb. in lib de officijs.

Ambrosius vbi supra.

Cic Orat. pro Milone.

Prouerb. c. 2.

teum

reum peturgendo sollicitat, & ad seuerũ Tribunal Iudicis, trutinamq; iudicij suis vnumquemque ineuitabiliter pro culpis reposcens, quiescere haud vnquam finit. *Conscientia* (quippe) *mille testes*; eademq; *ante peccatum* (vt ille aiebat) *frænum est*, *post peccatum verò flagrum*. Quapropter congruè Sapientum Sapientissimus illud de pœnali conscientiæ reatu, & peracerbo item animi cruciatu edixit: *Cor impy quasi mare feruens, quòd quiescere non potest*. Inter piaculares quippe animi procellas fluctuantibus ab irato vix vnquam pelago tranquillitas pacis oboritur, & nõ nisi inter vndas, syrtesque ad certum quis proculdubio naufragium contẽdit. Enimuerò quid miseris triste magis, funestumque mortalibus accidit, quàm nedum in portu ipso naufragandi metu haud solui; sed & vitam insuper non absque periculo, ac mortis horrore transigere? Quę quidem proculdubio peccantibus, ipsisque iusta Dei nutu censura, atque vltio pariter inceitat: *Dabo* (inquit) *pauorem in cordibus vestris &c. Terrebit vos sonitus folij volantis*. Nec his Altissimus ad supplicij atrocitatem meritò exaggerandam contentus, tormenti, quo quisque post culpam iustissimè torquetur, magnitudinem ad viuum quoquo modo adumbrans: *Erit* (inquit) *vita tua quasi pendens ante te*. Quod sanè ille hominũ crudelissimus plectendi olim genus mulctando adhibẽs, sed & sua mortis pœnã crudelitate adaugens: *Sic sic punge* (aiebat), *vt se mori sentiat*, dum in miserum feriendo pariter, & parcendo sęuiebat.

Seneca in moral. quæstion.

Intoleranda prorsus animi præ malis cunctis molestia.

Prouerb 7.2.

Leuit. 26. 36.

Deut. 28. 66.

Psal..

2. Hæc igitur tormenti acerbitas, & pœnis ipsis nedum impijs conscientię stimulo satis nunquam pro merito exagitatis; verùm etiam pijs, ac probę interdum vitæ hominibus iusto Dei ad profectum indicio cõtendentibus prouenit, dum pro leuioribus quãdoq; culpis, ne in grauiores labãtur, haud casu (vt homines putant) diuinitus plectũtur; adeoq; ipsas sibi Inferorũ pati aliquãdo inter homines pęnas videãtur, quos Regius Psaltes suo quasi digito monstrans: *Illic* (inquit) *trepidauerunt timore, vbi non erat timor*. Atquì id Viris quoque sanctitate præcipuis non raro contigit, vt pro exigui momenti culpis maximè in hoc interim sæculo cõtabescẽtes tristentur, angãtur, doleãt, perturbatoq; intus animo, quantùmuis toto Deum ex corde diligant; se vel maximè, vbi reatus nullus est, reos apud Deum Gregorio edisserente agnoscant: *Sanctarum* (inquit) *mentium est ibi culpam agnoscere, vbi non est*. Quod Ambrosius item palam inculcans: *Bonæ* (inquit) *mentis est, vulnus sentire peccati*. Nonnulli tamẽ ex perturbatis animi sensibus, sic proficiunt, vt ampliori charitatis in Deum feruore contendant. Magna siquidem pœna homini censenda est Dei ipsius offensam suo velut animo præsentem cernere, sibique non tam mortem, sed plusquàm mortem non tam pœnam, quàm culpam timere. Id sanè tormenti genus Iobus virorum ille Sanctissimus olim, quoquo modo aliorum documento expertus: *Cogitationes* (inquit) *torquentes cor meum*. Et alibi: *Verebar omnia opera mea, sciens, quia non parceres delinquenti*. Qui & suam conceptis insuper pœnam verbis exaggerans: *Posuisti* (inquit) *me contrarium sibi, & factus sum mihimet ipsi grauis*. Haud enim vlla maior præ cunctis alioqui pœna, quàm perturbatæ iugiter conscientiæ supplicium perpeti nec ad momentum pœnali eiusmodi nunquam animaduersione carendo absolui; *Venient* (inquit Sapiens) *in cogitatione peccatorum suorum timidi, & traducent illos ex aduerso iniquitates ipsorum*. Damnatur enim *vnusquisque* (vt ille ait) *Se teste, se accusatore, se iudice*. Quod certè Augustinus ita aliquando exhorruit, vt cuncta pati mala satius duceret, quàm se vel ad horam conscientiæ stimulis, ac vti reum tradi torquendum, quibus mortalium quisque fit sui carnifex: *Senti* (inquit) *de Augustino, quidquid vis, sola me in Dei oculis cõsciẽtia nõ cõdẽnet*. Reos quippe eiusmodi cẽsura expetit, at Dei amicos dedecet.

Nedum peccatores, sed & pij interdum homines consciẽtiæ stimulis cruciantur.

Psal. 13. 5.

Gregorius in Moral.

Ambrosius lib. 1. de Apol. Dauid.

Exacta vitæ discussio innocentiæ, ac sanctitatis indicium ex Gregorio.

Iob. 27. 11.

Iob. 9. 28.

Iob. 7. 2. 20.

Tuglatis Elog. 99.

Sapientia cap. 4.

Conscientiæ testimoniũ quanti faceret Augustinus.

Augustin. in moral.

3. At non nisi iusto Dei iudicio hac interdum pœnitentes pœna probati sunt, dum pro leuioribus se culpis vehementer excruciando, conscientiæ non tam stimulos, quàm aculeos experti, vel suo quanti culpæ malum æstimandum sit, exemplo cunctos docuere. Hinc Paula Romanarum Matronarum sanctissima lacrymis se ob leuia peccata respergens: *Ita* (inquit Hieronymus) *leuia plangebat peccata, vt grauissimorum criminum ream crederes*. Deus itaque diu nonnullis timorem hunc

Paula Matrona Sanctissima leuiores culpas flebat.

Hieronymus epist. ad Eustochium de dormit. Paul

tum

tum in anteactorum criminum pœnam; tum ob cautioris vitæ medelam, vt à peccando pro hac nimirum abstineant, & pro commissis faciant Deo satis, desuper aliquandò immittens, pœnitentiæ torquendos patibulo tradit, quemadmodum & Regius Psaltes illis item verbis meminit: *Conuersus sum* (inquit) *in ærumna mea, dum configitur spina.* Ad quos item subindè Ambrosius Prophetæ verba inflectens: *Benè pungeris* (inquit) *si compungeris.* Amaris etenim animi punctionibus homo præuentus haud sibi fidere, nec non sollicitè à lapsu cauere in posterum incipit, iuxta illud Saluiani oraculum: *Pœnalis est* (inquit) *homini, ac perniciosa securitas.* Verùm vt susceptæ narrationis assertio prolatis confirmetur exemplis.

Psal. 31. 4.

Ambrosius in Psal. 118.

Saluianus lib. de Prouidentia.

4. Solemne in primis est, quod Nyderus appositè in rem præsentem de quodam laudabilis vitæ, ac innocentissimis moribus in suis paginis sic tradit: *Petrus* (inquit) *Monachus omnium virtutum honestate conspicuus, Religionisque exemplar fuerat, & speculum, conscientiam tamen (vltrà quàm credi potest) timidam, scrupulosam, & pusillanimem habuit: & quanquam fortis corpore, contemplatione viuidus esset, & vix attingeret annum trigesimum; timor tamen iste (vt apparuit) vitam eius læsit: Vnde quadā die satis improuisè in ægritudinem incidit, ex qua statim necesse fuit, vt decumberet. Cùmque in Infirmaria vsu rationis perfectè vtens, patientia lenis, & deuotione solida feruidus iaceret, ex improuiso cœpit agonizare, & religiosis gestibus diem subitò clausit extremum. Creditum est autem Diuina clementia inopinata morte ereptum, ne haberet suis scrupulis intendendi spatium.* Hæc ille, Quibus profectò palam fit, quod haud gratis, sed iusto Dei nutu ad expiādū, excolendumq; magis Christianis virtutibus hominem, & patientiæ, ac pœnitentiæ vnà simul meritis animam cumulandam tristes eiusmodi scrupulorum interdum anxietates miserentis Dei consilio immittantur, iuxta illud Psalmistæ se ipsum alloquentis: *Quare tristis es anima mea, & quare conturbas me? &c.* Quod item aptè Augustinus aliquādo edisserēs: *Iubeor* (inquit) *ego tolerare; nouit ille pungere.*

Ioannes Nyder in formicar. lib. 2. ca. 12.

Petrus Monachus vir probæ vitę, sed timidæ conscientię.

Ex timiditate morbo correptus subitò defecit ne scrupulis intendēs periclitaretur.

Psal. 41. v. 6.

August. in ps. 60.

Io. Nyder lib. 3. formic. cap. 12.

5. Quoniam igitur non modica, ac vulgaris homini pœna est perturbati animi sollicitudo, scrupulisque hac in mortali vita hominem excruciari, adeoque inter conscientiæ aculeos, omni penitus animi tranquillitate destitui; magno tamen virtutis bono, ac præcipuo Dei nutu, ad Christianæ videlicet humilitatis thesaurum tutò seruandum haud casu eiusmodi res accidit, vt piæ olim exemplo Virginis; cui id ipsum non tam ad pœnam, quàm ad coronam, & gratiæ insuper augmentum contigisse prælaudatus his Auctor verbis commemorat. *Virginem quandam* (inquit) *multùm deuotum fuisse mihi constat in Ciuitate Nurbergensi Bambergensis Diœcesis, quæ Kunegundis vocabatur: Hæc viuebat more castarum, bonarumque virginum in victu, vestitu, sęculi fuga, & in ijs, quæ ad Dei cultum pertinebant, sine querela; sed adeò timida, & scrupulosa in conscientia erat, vt vix meminerim in hoc parem reperisse. Nam post puram, & integram à se sæpè factam confessionem sacramentalem, frequenter grauibus stimulabatur scrupulis de insufficienti confessione, vt timebat, transacta. In minimis rebus, vbi nullum, vel modicum peccatum erat, mortalis criminis lapsum verebatur adesse, & ità nulla pace in domo conscientię fruebatur. Quidquid enim egit, aut omisit de genere bonorum operum, in his semper peccatum notabile adfuisse suspicabatur. Cœpit itaque ex his inordinatis timoribus in sexu fragili naturalis sua complexio labi plurimùm, & dietim vires decrescebant corporis; quia se semper esse plenam peccatis grauibus non definitiuè indicabat, sed verebatur. Timuit ipsa, timuerunt Confessores eius, & non minus cohabitantes virgines, si in eo statu scrupolosissimę conscientię deprehenderetur prope mortem, ne fortassis desperationis laqueo ab hoste maligno raperetur. Intuentes igitur Viri prudentes, & animarum Medici corporis defectum redundare in animę graue periculum, dicebant virgini eam in periculo versari perdendi vsum rationis, & nullo modo ad ieiunia Ecclesię, sicut sana esset, teneri. Sciebant enim, quòd labor quotidianus, quo grauabatur; nam quia pauper alijs virginibus famulabatur, & præterita ieiunia, & abstinentię castitati seruandę satis erant. Sed ad ista maior tristitia cor eius inuadebat, cùm intueretur, se priuari instrumentis virtutum, quibus communiter plebs fidelium vtitur. Obediuit tamen discretis*

Scrupulorū anxietas ad ad humilitatis custodiā à Deo permittitur.

Kunegundis Virgo in Nurbergensi laudabilis vitæ, sed præ cunctis scrupulorum anxietate pulsatur.

Timebat vbi non erat timor, & de ipsa, & pro ipsa Confessor, pariter ac Virgines timebant.

Ob interdicta sibi ieiunia, & pia opera anxiabatur.

scretis Confessoribus licet inuita, & non sine pusillanimitate maxima. Tandem verò natura deficiente lecto decubuit, & terminum vitę propinquare agnouit. Et ecce Diuina arridente gratia, ante biduum circiter suæ mortis, omnis scrupulus, timor, & pusillanimitas plenè animam eius reliquerunt; itaut sumptis Ecclesiæ Sacramentis, in pace dormiret, quam singulariter Dominus tunc in spe constituerat. Nam virgines adstantes ab ea quęrunt: Num te conscientia adhuc arguit, quòd languente corpore ecclesiastica ieiunia non seruaueris? Quibus illa: *Animum (inquit) semper habui paratum ad ieiunium; sed quia animarum Medici Dei vicem agentes ista inhibuerunt, eis obediui, nec ex eo tempore turbor, sperans Christi benignitate, eius redempta sanguine saluari, & sic in Domino quieuit.* Ità planè post diutinas scrupulis turbatæ conscientiæ procellas, imperante Domino, facta est tranquillitas magna, totaque animi anxietas in mirum suauissimæ pacis cumulum conuersa est.

Paruit Sacerdotis imperio, & sub vitæ finem scrupulorum perturbatione se liberā omninò sensit.

Post conscientiæ procellas in pace læta obdormit.

6. Quantum verò Poenitentium animis sub ipsum vitę finem, & iam iam æternitatē adituris molestiæ, ac metus pariter scrupulorum stimuli ingerant, haud ipso semel experimento comprobatum est. Et vt ex nouo, suauiq; Ecclesiæ flosculo quis aptè rem delibet, Religiosus vir quidam olim mirum in modum sub extremam vitæ periodum Virgunculæ Rosæ Limensis, è tertio B. Dominici Ordine, quæ nuper Beatorum Cathalogo à Clemente IX. Pont. Max. dignissimè ascripta est, opem inter mortis, & scrupulorum angustias, expertus est, de quo in Beatæ eiusdem gestis isthæc habentur: *P. Fr. Petrus de Loaysa Dominicanus probè conscius zeli, & charitatis, qua flagrabat, misericors Rosa in opem periclitantium proximorum, indicarat Virgini decumbere in Cænobio, eumquè mortis angoribus trepidè iactari N. eiusdem Instituti Religiosum à Medicis pridie derelictum; addebat torqueri ęgrum vrentibus scrupulis, affligi non certitudine vicina mortis, sed incertitudine vita melioris; eo quòd meritis se vacuum agnosceret, contremiscere pauidum, & sudare ad continuam seueri Iudicis, quem aditurus erat, memoriam: denique subueniendum esse, ne nimia formido grauiori periculo implicet desolatum. Intimè hæc sauciabant cor Virginis prompto compassionis affectui tam flexile, ac morigerum: vnde actutum iniunxit Petro, infirmum adiret, suoque ex nomine iuberet fidentiùs sperare de immensa optimi, & benignissimi Numinis misericordia. Siquidem precaturam pro felici ipsius transitu, ac simul ex nunc offerre se de piorum exercitiorum qualicunque censu, quidquid moribundo ad supplendam meritorū vacuitatem opus sit; immò totum is sibi vendicet, & si quid bonum opus à Rosa vnquam per totā illius vitam hactenus prodierat, integrè à se in ęgrum dono liberrimo translatum velle, hoc ipse velut suum Iudici exhibeat, desinatquè interim abiectè, & humiliter sētire de magnifica liberalitate Altissimi. His ad plenitudinem solatij adiecit, velle se (modò Deus permiserit) ab obitu conueniri à defuncti anima, vt si fortè vlterioribus suffragijs eguerit, statim adiuuetur. Fideliter vniuersa ad infirmum retulit Petrus, & confestim immodicus ille pauor gaudio lętioris spei lotum cessit. Acceptauit ęger munificam Rosa largitatem, haud ignarus, quantum opulentiæ in dono tot meritorum lateret; sicquè munitus demū salutaribus Sacramentis, conceptaquè ingenti salutis fiducia, tranquillum, placidum, serenum spiritum reddidit Creatori; pactus antè cum Petro, quòd tam ipsum, quàm Rosam à morte inuiseret, si eam sibi Dominus facultatem indulgeret. Verùm post Fratris decessum non leuis cura momordit Petrum, quid esset; quòd iuxta condictum defuncti anima non comparebat. Sed exemit sollicitudinem Petro secura Rosa, dixitquè, cùm defuncti anima feliciter, ac bene agi, iam illam regioni lucis frui perenni refrigerio, vt ei nequaquam opus fuerit redire ad alterutrum pro stipe suffragiorum emendicanda. Nimirum tanto viatico illam hinc abeuntem ditarat profusa misericordis Rosa liberalitas, cui nil tam pretiosum, aut charum esse potuit, quod animarum saluti non impenderet.* Sic planè qui pridem acerbissimis vti spinis, scrupulorum aculeis sub vitæ finem trepidando excruciabatur, ipsius Rosæ beneficio, quæ Deo plena corporis duntaxat cruciatus, haud animi spinas nouerat, æternitatis securus requiem adiuit.

In gestis B. Rosæ Peruanæ descript. à Fr. Leonar. do Hansen. ad Præd. cap. 23.

Religiosus Ordinis Prędic. decumbens ob dirum Iudicii metum consequendæ salutis scrupulo angebatur.

Beata Rosa Virgo Limēsis pro ipso Deum exorās omni penitus mēris solicitudine hominem [illegible] eximit.

Suam illi apud Deum operam pollicetur, & sic metus in gaudium, anxietas in trā quillitatem vertitur.

Defuncti anima Rosā de sua felicitate certiorem facit.

In actis B. Rosæ Limēsis vbi supra Leonardus Hansen.

7. Porrò vt & vel isthæc obiter narratis huc vsque inserantur, sapientissimè quidem suos Deus interdum scrupulorum

rum

rum molestijs affligendo exercet, ac non nisi Diuinæ item virtutis, ac misericordiæ est, animam à scrupulorum tormentis vindicare; Quod Moniali potissimùm hoc nostro sæculo in Peruano Regno accidit, cui asserta quædã in publicis, quę ad ritè comprobandã B. Rosæ Virginis Limensis Sanctitatem spectabant, tabulis iureiurando in iudicio affirmando anxiè nimis trepidanti è Cœlo Virgo, quæ Clemente Nono vt diximus, magna pompa Beatorum numero ipsius Ecclesię calculo ascripta est, affuit ipsamet, ac omni prorsus scrupulo exemit: Isthæc verò cũ nuper ad manus nostras venerint, haud otiosum fuerit hic meminisse. Sic quippe gestorum ipsius, Auctor in actis: *Hic (inquit) subticendum non est, quod Anno 1631, Mariæ de Bustamante in Limensi Sanctissimæ Trinitatis Monasterio professæ Moniali accidit, ipsa iurata id referente. Bona fide hæc coram Apostolicis Iudicibus in Causa venerabilis Rosæ explicarat omnia, quæ norat. Verùm vt sexus iste adseueram publici iuramenti religionem facilè trepidat, ac velut inter fulmina Censurarum sua conscientiæ metuit, post examen anxiam Mariam graues inuasere scrupuli, ne fortè aut per imperitiam respondendi, aut per linguæ, memoriæquè ecspitationem plus, vel minus, quàm exacta veritas, & rigor illius Tribunalis exegerant, dictasset. Fluctuabat misera inter saxũ, & sacrũ; hinc animi vigebat inquietudo ad nõnulla ex dictis seù moderanda, seù retractanda: sed vnà cum reluctante summa verecundia obstabat, quòd determinatè, quid in suis dictis corrigere teneretur, nesciebat. Inde dictabat animus, nulla opus esse retractatione, ac interim delicatę conscientię deerat secura tranquillitas. Inter has angustias, dum nocte quadã in sua cellula solitaria obdormieras, sensit alieno se motu, & imperio (at absque terriculamento) blandissimè à somno excitari. Excitata consedit in lectulo, totoquè sopore facilè discusso, tacita, & attenta mirabatur, ad quid, vnde, aut à quo illa hora fuisset in vigiliam reuocata; dumquè sic omnia versans animo auscultat, & hæsitàt, ecce vox lenis, ac dulcissima sedenti allabitur, ità inquiens: nihil dubites Maria, neque angaris; Etenim Rosa verè Sancta est. Mirum dictu, eodem momento sensit Maria se scrupulo suo liberatam, euanuit inquietudo, & timoris anxietas, rediјt cordi suo tranquillissima malacia; ita vt noctis residuum potuerit sub placido lata securitatis silentio transfigere, certa tantam, tamquè repentinam animi quietem aliunde, quàm de sursum infundi sibi non potuisse. Sciebat prætereà scrupuli sui morsus nemini, præterquam sibi, ac Cœlo notos fuisse; cùmquè maximè no cturnis horis soleret ad omnem peregrinum strepitum expauescere, sub voce præmemorata non tantùm nihil expauit, sed planè refecta est.* Sic planè pias hæc inter mulieres Pœnitentiæ Claustro addicta, Deiquè nutu hac scrupuli anxietate vexata, vt sic nobile, promeritumque ipsius Rosæ sanctitati testimonium daret, magno sui bono permolestum, qui animo insiderat, scrupulum abijciens, repentè omnimodam B. Virgunculę patrocinio animi pœnam deposuit, vt hinc facile aduerteret nonnisi magno interdum sui emolumento, tum Viris, tum fœminis ipsasmet scrupulorum plerumque obtingere anxietates.

Maria monialis in Peruano Regno animi ob scrupulum anxietate diuinitus liberatur;

Interrogata à sacris iudicibus vehementer in quibusdam asserendis trepidabat.

B. Rosam dicentem sibi audit: Nihil dubites Maria.

Dictis confirmata omnem à se trepidationem iam secura abijt.

8. Demum quia de scrupulosis adhuc hominibus sermo est, illud pro certo axiomate hic vel obiter affirmandum est; adeò videlicet permolestam eiusmodi luctam nonnullis quandoque, ad ipsos maximè in virtutibus prouehendos, abstrahendosquè, simul à vitijs, immò ad coronam denique, non ad ruinam diuinitus prouenire. Quod quidem hactenus plurimorum vidimus exẽplo comprobatum, qui cum suos nobis conscientiæ arcanos in Confessione sensus, morbosque ad curam animi exactè instituendam proderent, ac se acerbũ huius rei causa martyrij genus perpeti testarentur; in Dei tamen perstantes obsequio, & in virtutum studio non parum proficiẽtes, sui nedum curam, sed & salutẽ animi in tuto tandẽ reposuere; adeoq; pro se solliciti, & cautè à vitijs quibusque abstinendo, paulò ante finem vitæ omni penitus molestia liberi, non absque ampla laboris mercede, & ment is gaudio, piè, sanctequè (*quoniam Deo placita erat anima ipsorum*) diem clausere, illud Augustini cunctorum animo ingerentes: *Quia molesta* (inquit) *lucta, sed fructuosa.* Ex quo planè numero Sacerdotes nonnulli hac nostra ætate virtutum meritis, ac sanctitate præcipui extitere, ac signorum

Scrupuli ad salutem, interdum, non ad ruinam.

Molesta scrupulorũ lucta, sed fructuosa.

Sapient cap. 4.

Augustin. serm.

rum etiam subinde portentis diuinitus illustrati, qui cùm alios probè, sapienterquè regerent, summa in hoc opere pendentia prædĭti; se ipsos tamen à scrupulorum stimulis, atq; molestia eximendi nullum finem facientes, nonnisi sub vitę terminũ, & post diutinũ laboris pensum, atque conflictum exoptatam animi pacem sunt assequuti. Quod innocentissimis item tum Viris, tum fœminis, in sæculo magna cum laude, ac virtutum exemplo degentibus contigit; quibus denique paulò ante obitum Conscientiæ ipsius, ac animi Deo aspirante tranquillitas affulsit, factumquè ipsius munere est; vt qui anxij inter huius vitæ procellas Cœlo prædestinati, ac diù in terris eiusceodi bella sustinentes vixerant, feliciter sedatis tandem omninò animi fluctibus, deuictisquè hostibus, victores cum palma, non secus ac placidissimo intercepti somno è vita decederent.

Innocentis vitæ tum viris tum fœminæ scrupulis probati, usque ante vitæ finem penitus liberi.

9. Iusto itaque res, atque arcano Dei consilio hæc agitur; vt homo acriter scrupulis interdum laborans, nullamq; intus animi pacẽ sentiens, tristis sẽper, ac pauidus, nè sibi, sed totus Deo præfidẽs, vitam inter homines, ac pericula non absque metu transigat, suamquè assiduis apud Deum, & homines lacrymis sortem dolens, illud cum Apostolo altiùs inclamet: *Quis me liberabit de corpore mortis huius*. Et Dauidicum item illud vsurpet: *Heu mihi, quia incolatus meus prolõgatus est*. Quam sanè suis Deus non ob aliud, vt putant, calamitatem permittit; nisi vt homines à peccatorum laqueis seruet immunes, ipsisquè coronam denique post luctam certaminis largiatur. Quapropter cùm certus quidam hac nostra ætate Conscientiæ scrupulis magis, magisq; in dies angeretur, & se mortalium infelicissimum computans, tum Deum, tum homines vt ab eiusmodi se tandem pœna liberum fieri contingeret, assiduè precaretur; Virgilio Spadæ Bresciellensi, Sacerdoti nostræ Congregationis, cuius tunc ille opera in pœnitentiæ Sacramento vtebatur, Viro eximiæ pietatis, prudentiæ, & charitatis rem aperuit, qui toto fortè ipsius corde miseratus, omnimodis tum dictis, tum precibus laborantem hac releuandum molestia curauit. Quid multa? votis è Cœlo Deus adfuit: Nam

Apostolus ad Rom. 7. 24.

Psal. 119. 5.

Iusto Dei consilio scrupulorum quidam stimulis pulsantur.

Ex relat. à viro omni fide digniss.

Scrupulosus pœnitens valde ob id Confessario molestus tandem curatur.

aliquot post menses pœnitens dum autem Confessarij dictis præbet, eiusquè consilio vtitur, tantum Deo aspirante in molestissima, quam diu sustinebat, animi cura profecit; vt scrupulorum tędio victus, ac omni pariter solutus molestia, pristinam animi tranquillitatem, cuius diù expers fuerat, ex insperato reciperet. Sed post curam (inquies) quid inde? Ab omni igitur eiusmodi cordis lucta, & molestiarum angustijs liber effectus, timidam protinus Conscientiam deponens, licentiam (quæ vitiorum Mater est, & nouerca, virtutum) induit, atque innocentiam à se penitùs abdicans, sensim miser in lubricum, & à Deo longiùs aberrauit, totus in alterum à se ipso degener, & ab eo, qui pridem fuerat, mutatus; adeò vt non parum subinde Confessarius pro ipso dolens miraretur, ac inter prospera immutatum in deterius hominem fleret, illud palam Augustini in homine oraculum adimpletum videns: *Multa Deus (inquit) concedit iratus, quæ negat propitius; & quia homo exauditur, dum petit aliquando ad voluntatem, non ad salutem*. Vir igitur qui pridem inter scrupulorum anxietates pius, humilis, deuotus, ac præferuidus extiterat; vbi omni molestia se liberum sensit, continuò in vitia diffluens, Sapientis illud vel suo probè experimento didicit: *Est (inquit) via, quæ videtur homini recta, sed nouissima eius ducunt ad Mortem*. Pius itaq; prudensquè Sacerdos seriò haud semel, quod acciderat, secum recogitans; alijsque tacito subindè hominis nomine id ipsum alieno futurum documento narrans: *Nunquam profectò (inquit) Deum posthac, vt quenquam à scrupulis liberet, exorabo: Experimento quippe sat didici, non semper homini expedire eiusmodi molestias, cruciatusquè animi, quæ salubriter à Deo immittuntur, absolui; cùm isthæc non ruinæ sint plerumque, sed salutis, & profectus causa*. Quapropter meritò Ambrosius aliquando compunctionis gratiam, quantumuis molestæ, ac animum torquentes obrepant cogitationes; à Deo in primis petendam, exoptandamque affirmans; *Bene (inquit) pungeris, si compungeris*. Et hæc obiter dixisse voluimus.

Vt se à scrupulis libera vidit, laxioris vitæ aggreditur via.

August. in Euang.

Prouerb. c. 16. 25.

Confessarius dolet sua hominem à scrupulis opera vindicatum.

Ambr. in psal. 118.

CAPUT XI.

Pœnitentes illatas sibi molestias patienter ferendo hilares, ac expiati obeunt.

1 PAtientiæ virtus tanti apud Deum momenti, tantiquè ipsius calculo pretij res est; vt certam sibi repromissam post certamen, habeat in Cœlo coronam: *Et nil magis sit*(Cypriano teste) *vel vilis ad vitam, vel maius ad gloriam*; Vbi enim quis fuerit, perferendo probatus, mox Deo, & Sanctorum proculdubio dignus consortio censetur, acCœlo proinde iure merito æternùm inferendus, similis futurus in gloria,& felicitate Sanctorum. *Beatus Vir*(inquit Iacobus) *qui suffert tentationem; quoniam cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se.* Nulla quippe maior erga Deum dilectio, quàm illibatus iugiter Patientiæ vigor, & virtus ob Dei amorem inter aduersa, quæque in bono semper firma inuictaque animi tolerando constantia. Pari enim, ac mutuo Charitas, & Patientia consortio iunctæ, ambo simul immortali Deo feliciter copulantur. *Est namque*(vt Cyprianus ait)*nobis cum Deo virtus ista communis.* Patiendo igitur, ac diligendo quis veraciter pœnitens, ac Deo dignus, maximè comprobatur. Enimuerò aduersa Mundi, ac pro suis vltrò culpis, quę ab hominibus contingunt, molestias perferendo libenter, dignum, acceptumque Altissimo sacrificium in odorem suauitatis offertur,Apostolus siquidem mira aliquando Patientiæ decora extollens, cunctosquè ad sectanda ipsius merita exhortans: *Scientes*(inquit) *quòd tribulatio patientiam operatur; patientia probationem, probatio spem, spes autem non confundit.* Suo namque haud vnquam Diuina hæc virtus honoris frustrari obsequio,nec absque fructu irremunerata aliquando transire potest,quæ Dei Regnum sibi Diuino Christi ore in Euágelio repromissũ habet *Beati*(inquit)*qui persequutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est Regnum Cœlorum.* Coronam quippe Cœlo expetit, quos lucta interim probando intertis exercet.

Cyprianus de bono Patientiæ.

Patientię virtus hominem probat, ac Cœlo dignum reddi efficiat.

Iacobi c. 1.

Cyprianus vbi supra.

Ad Romanos cap. 5.

Regnum Cœlorum pro mercede sibi à Christo repromissum habet.

Mathæi c. 5.

2. Charitatis igitur, & Patientię virtus, quę summo apud Deum in honore habentur, pari quoque diuinitus præmiorum largitate donantur; adeoquè vna, eademquè Martyribus, ac diligentibus, & Charitati pariter, atq;Patientiæ iustissimè apud Deum seruatur merces, quia videlicet tum perferendo,tum amãdo Patientia simul,& Charitas hominem Martyrem faciunt: *Quis nos*(Apostolus inquit)*separabit à Charitate Christi, tribulatio? an angustia? an fames? an persequutio? an gladius? &c. Quoniam propter te mortificamur tota die, æstimati sumus sicut oues occisionis.* Pœnitentiæ autem virtus,quę indiuidua Patientię comes est, dum,quæuis vitę huius aduersa, calamitatesquè pro culpis, vt Deo satis pro se faciat,patienter præcipit tolerandas, suos quoq;& ipsa cultores,Christo dignos vti Martyres dedicat:Martyr enim quidquid aduersi ob Dei gratiam tolerat, & id ipsum Pœnitens ob Dei amorem, ac sui odium volens, libensque vltrò pœnas ambiendo exequitur, & iustam denique horum quisque suis pro meritis coronam accipit. Enimuerò electi Christi Pugiles nõnisi perferẽdo, beati olim Apostolico ore,Cœloq; digni renũciantur: *Experti*(inquit)*vincula,& carceres,lapidati sũt,secti sunt,in occisione gladij mortui sunt.* Charitas namq;Christianorum quibusuis saginari pro Christo pœnis ludum,haud pœnam putabat, quò dignum Deo pro se sacrificium offerret, adeoquè crux,tormenta, & mors deniq; libenter pro Christo suscepta perennis vitę coronam,& immarcescibilem Martyribus palmam promeruit. Patiendi quippe ardor in cordibus, Christi exemplo, ac amore succensus imbelles quoque alacres ad martyrium currentes, inuictos in prælio, imperterritosquè haud semel in agone ostendit, vt aptè, eleganterquè suis olim carminibus B. Prosper sic Martyrem loquentem inducit.

> *Ignem adhibe, rimare manu mea viscera tortor,*
> *Effugiunt pœnas membra soluta tuas.*
> *Carcere si cæco claudar, nectarquè catenis,*
> *Liber in excessu mentis adibo Deum.*

Epist. ad Rom. c. 8.

Charitas & Patientia pari honore,& præmio sũt apud Deum.

Pœnitentia quoque suis pro culpis patiendo Martyres facit.

Ad Heb. c.

Martyrum erga Deum charitas perferendo enituit.

S. Prosper in quod. Epig. vt hab. in bor to Past. a pud Marcbatium lib. 2. pag. 237.

Martyrum patiendi ardor, & constantia à D. Prospero expenditur.

Si

Si macrone paret ceruicem abscindere lictor,
Impauidum inueniet mors cita, pœna breuis.
Non metuo exilium; Mundus domus omnibus vna est,
Sperno famem, Domini sit mihi sermo cibus.

Ita planè ingens pro Christo patiendi cupiditas præferuidos olim Christi pugiles ad coronam prouexit, ac Cœlo tandem nobili diuites tryumpho intulit Nec secus verò dignos Pœnitentiæ cultores intimus culparum dolor haud semel cordi validè insidens, compunctos, lacrymis, & si non sanguine Martyres fecit. In huius quippe vitæ stadio, dum maxima ad Cœlum vi contendunt, sic inter labores, ærumnasque ad aduersa quæque fortiter toleranda, Pœnitentiæ amor incendit, & quo suis pro culpis dignè Deo facerent satis, ea vis roborauit; vt non secus ac Mundi exules, & Cœli quodammodò Ciues effecti, paria ipsi, ac olim Martyres perferendo auderent: *Circumierunt* (inquit) *in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat Mundus.* Si quis enim antiquiorum Anachoretarum gesta piè recolit, pari vtique tot, tantaque perferendo, ac Martyres cucurrisse studio, animiqihaud impares alacritate comperiet. Nam Paulos, Antonios, Macarios, Hilariones iugi, intensoque tolerandi desiderio, ac pœnis vltrò Pœnitentiæ amore susceptis, adinuentisque contendisse nemo est, qui nesciat, vt illud Augustini aptè cunctis occineret: *Ne putetis* (inquit) *in sola sanguinis effusione esse Martyrium; semper Christianis sunt Martyria.* Quibus ille ad pios Pœnitentiæ sectatores, qui se pœnis vltrò, libenterquè ob virtutis amorem conficiunt, aptè alludens ipsos item subinde tangit, qui illicita à se abscindendo, prauos, ac rebelles animi motus captiuando trucidant, omnemquè insuper læsi procul vlciscendi desiderium, & cuncta aduersa, quæ accidunt, atque iniurias constanter perferendo, procul à se, suisque sui amorem abdicant.

Pœnitentiæ cultores suos quoq; cultores martyribus similes, aut pares ostendit.

Ad hebr. c. 11. n. 37.

Augustin. tractatu Ioannem.

Non in sola sanguinis effusione martyrium ex Augustino.

3. Porrò, vt hic narrandi initium sit, Egica, seu Egicanes Vuambæ, siue Bambę Regis Hispaniarum Consobrinus, Eruigio Regi mortuo suffectus, mira recolendę tum pietatis, tum patientiæ posteris documenta reliquit; adeò vt Episcopis in vnum coeuntibus, vt Ecclesiasticæ rei ritè, rectequè consulerent, ipse ob reuerentiæ cultum nonnisi postrato humi corpore ipsos allocuturus adstiterit; hæc enim in Concilij Toletani actis: *Adfuit idem Serenissimus Egica Princeps, placida deuotionis arce sublimis, & strenua culminis reclinatione laudabilis; quiquè in medio Pontificum positus, humiquè prostratus, Sacerdotum Dei se commendat orationibus. Deinde surgens, & sufficienti exhortatione Concilium allocutus, innexa tomo sui culminis vt Sacerdotibus tradidit relegenda, erat eius exordium: Ecce Beatissimi Patres.* Quibus profectò quàm pium se erga Episcopos Rex exhiberet, & quàntum in Sacerdotibus Christo, ac religioni deferret, manifestè cunctis liquet. Verùm etsi perperam nonnulli Egicanem Regem odijs, plusquàm par est, indulsisse tradant; vtpotè qui Eruigij filiam inConiugem acceptam repudiare sit ausus, ac de nobilium quampluribus, quorum arte Vuamba Rex amotus Regno fuerat, vindictam sumpserit. Verùm vt recolendi, ac optimi Principis famæ consultum sit, quidquid vlciscendo præstitit, nonnisi causa sacris pridem legibus discussa, ac probata fieri oportuit; quòd tum maximè vigilaus Episcoporum cura in illibato sacrorum Canonum cultu, tum prę scripta eorundem in Regem ipsum auctoritas cunctis vltrò suadet, prętérquam quòd dignissimum pio Regi in Synodo Patres testimonium dedere, de quo Canone 6. Concilium Toletanum hæc habet.

Baronius an 387. n. 2.

Egica, siue Egicanes Hispaniarũ Rex pius, & patientissimus.

In Actis Concilij Toletani.

Pietas ipsius in Toletano Concilio erga Patres ostensa.

Falsò à quibusdam ob repudiatam vxorem carpitur.

4. *Gloriosissimus etenim, ac Serenissimus Dominus noster Egica Rex, feruentissimi amoris Christi igne succensus, & sancta actionis ope perfunctus, inimicorum Christi perfidiam illud prophetale vaticinium sequens: Nonne qui oderunt te, Deus, oderam illos, & super inimicos tabescebamą vtpote verus Christicola obnoxios proterere decernit; Ecclesię Dei statum vigilanti instantia roborare disponit: Sanctis Dei Basilicis se munificum exhibet, tributorum impensiones Populis moderamine discreto remittit; maligna contra se obstinatione agentibus, animi liberalitate gratissima, ac pia miserationis instantia ignoscere consueuit;*

Concilium Toletanum Can. 6.

Nobile ipsius pietatis testimoniũ à Concilij Patribus

multos quoque, qui confracti sunt, liberos (secundum Prophetam) omne onus disrumpendo in ingenuitatis statu reformat, atque in diuersis Sanctę Ecclesiæ studijs exercendo prępollet. Hæc Patres de Egiea Rege pietatis inter Reges præcipuæ, cui zelantissimos Viros adblanditos turpiter haud assererentibus credi par est.

Feruor erga Deum, ac in regendo, ad ministrandoq; Regno, sollicita ipsius cura.

5. Verùm qua prælaudatus Rex in condonandis iniurijs clementia, itemque in se ex hostibus vindicando mititate vsus, ex eo maximè constat; quòd eùm Sisbertus Toletanus iam pridem Archiepiscopus electus: Sacerdotalis (quo fungebatur muneris, & iurisiurandi, quod Regi præstiterat, & quod fidelitatis nuncupatur) oblitus, & spiritu nequam abductus aduersus Catholicum, & maximè pium, iustumque Regem conspirasset, detectis subinde Dei beneficio arcanis dolis, prauisque in Regem machinis, Egiea Rex nonnisi Sacris aduersus perfidum hominem iuribus agendum voluit; Sacra nimirum Sacris administranda hominibus relinquens, quin immò tantæ vnus hic modestię, ac religionis specimen dedit; vt Patribus in Synodo considentibus, oblatisquè duobus ab ipso Rege libellis, nulla in eis aduersus impium, diræ proditionis Auctorem Sisbertum ingesta fuerit mentio: *Piaculum quippe* (vt Baronius ait) *esse putauit, si etiam facinorosum delinquentem accusaret Episcopum*; adeò vt immane eiusmodi crimen se auctore in iudicium, & ad Sacrum Episcoporum Tribunal venire noluerit, eautè illud silentio inuoluens, etsi Concilij Patres post publicam criminis famam de Sisberto læsę Maiestatis reo vnanimes isthæc decreuerint.

Baron. an. 693. n. 2.

Clementia Regis in vlciscendis iniurijs.

Baronius vbi supra.

Quàm cautus, quàm sobrius in Sisberto Episcopo aduersus ipsum conspirante accusando.

6. *Est enim* (inquiunt) *quorundam sæcularium, & (quod peius est) Sacerdotum improbanda satis obstinatio animorum, & fidem suis Principibus sub iuramento promissam obseruare contemnunt, & verborum fuco iuramenti obnubilant; promissionem, dum in arcano pectoris retinent infidelitatis peruersitatem.* Et post alia, quæ aduersus periuros ingesta pariter sunt, isthæc consultò subijciuntur: *Vnde Sisbertus Toletanæ Sedis Episcopus talibus machinationibus denotatus repertus est, pro eo, quòd Serenissimum Dominum nostrum Egicanem Regem non tantùm Regno priuare, sed & morte cum Flagello Theodemiro, Liubilane, Liubigitone quoque Tecla, & cæteris interimere definiuit; atque genti eius, vel patria inferre conturbium, & excidium cogitauit, qui etiam per decreti nostri definitionem iam & loco honore priuatus existit. Ideò nostrum in commune per huius canonica Sanctionis decreuit Collegium, vt hoc ipsum vnionis nostra decretum, quod etiam his Synodicis definitionibus innectendum decreuimus, omni subsistat valore subnixum, atque in perpetuum obtineat inconuulsibile robur.* Sed quod ad proditorem spectat, hæc habentur.

Concilium Toletanum c. 19. n. 19.

Baronius an. 693. n. 4.

Sisbertus Patrum Sententia damnatur, & E piscopali throno deijcitur.

7. *Ipse verò Sisbertus pro sui iuramenti transgressione, facinorisquè tanti machinatione secundum antiquorum Canonum institutionem, qua præcipitur; vt quisquis inuentus fuerit talia fecisse, & viuente Principe in alium attendisse pro futura Regni spe, à conuentu Catholicorum excommunicationis sententia repellatur, honore simul, & loco depulsus, omnibusquè rebus exutus, quibusque in potestatem prædicti Principis redactus perpetui exilij ergastulo maneat relegatus: ita nempe, vt secundum eorundem antiquorum Canonum decreta in fine vitæ suę tantùm communionem accipiat, exceptò, si regia eum pietas, ante absoluendum crediderit.* Hæc Toletani Concilij Patres, iusti scelerum vindices aduersus Sisbertum Canone 9. sanxere; Duodecimo aurē Canone de alio in eius locum sufficiendo actum est. Atqui vbi primùm eoram Synodo Sisbertus crimen confessus est, in publico item Cœtu exauctoratus legitur; hæc cnim ibi: *Idcircò nobis omnibus in vnum collectis, idem Sisbertus Episcopus nostro Cœtui præsentatus, atque infidelitatis suæ machinationem patuli oris est affatu professus. Vnde nos per huius decreti nostri formulam sæpedictum Sisbertum secundum edictum priscum sydonica Sanctionis decretum de talibus promulgata legis, ab Episcopali Ordine, & honore deijcimus à perceptione Corporis, & Sanguinis Christi excommunicatum in exilio perpetuo manere censemus.* Hæc meritò in hominem, qui fraudulentas Regi dignissimo manus per summum scelus inferre est ausus, à Patribus sancita leguntur, quæ qui vult apud Baronium consulat: Egieanes verò, qui Ecclesiæ necnon publicè rei bono, bonorumquè vtilitati reseruatus à Deo fuerat,

Ergastulo includendus & non nisi sub vitæ finem vnius, co Christi corpore donandus.

Conc Toletani vbi supra

Iusta in ipsum lata à Patribus cēsura & illibatus Sacrorum Canonū rigor.

Baronius an. 701. n. 11.

rat,

rat, Anno Christi 701. diem feliciter obijt, pio, optatoque iustorum exitu vitam finiuit Vir vtpote mitissimus, & qui nullam ex contumeliosis hominibus, ac vel suo insidias parantibus capiti expetijsse visus est aliquando vltionem. Enimuerò clemens adeo Vir, & qui misereri didicerat, Deum sibi pariter in iudicio misericordem adinuenire meruit, iuxta Diuinum Christi oraculum: *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur*.

Baronius an. 701.n.11.

Egicanes Vir mitissimus ac misericors suaui ter in Domino obdormit.

Mat. cap 9.

8. Pari quoque, ac promerito laudum præconio celebrandus hic est Ludouicus Imperator, Caroli Magni filius, & nobili insuper cognomento Pius, qui multa quidem primùm se digna præstitit; sed cùm Bernhartum Italiæ Regem Nepotem, rebellem sibi comperisset, ira, ac furore abductus, illi, ac delicti socijs oculos eruendos præcepit: At post mortem ipsius, quod crudeliter adeò isthæc iubendo præstiterat, amarissimè fleuit, ac Pœnitentiam pro eiuscemodi culpa sat humiliter egit. Verùm cum pro funesta Nepotis clade, cuius assentiendo particeps fuerat, acerbissimis conscientiæ vehementer stimulis angeretur, pro immiti, ac rigido, quod ergà fratres, aliosquè vsurparat, iudicio dignam sibi in publica Synodo ab Episcopo Pœnitentiam iniungi voluit, eòque magis; quòd Gregorium huius nominis Quartum Romanum Pontificem non eo, quo par erat, ad se venientem honoris cultu, quin immò vti parùm sibi amicum, & vltioni indulgens excepisset, reus apud Deum ipsum iudicio videbatur. Quapropter iusto Dei nutu milites subinde, ac filij in ipsum rebellantes, duriùsque cum ipso rem agendo, infelix Rex crebras ab ipsis turbas, defectiones, & iuges item pati molestias compulsus est. Demum cum Ludouicum filium nouas quotidiè res molientem comperisset, iniquo isthæc animo ferens, arreptis in ipsum armis iustam capturus vltionem insurgit. Atqui fatali interim præuentus morbo digna Pœnitentiæ, & Christiano item Principe virtutum præbuit documenta; adeoquè cùm se valdè pium, ac pro salubri Ecclesiæ regimine plusquàm pro Regno administrando sollicitum exhiberet, singulis ferè diebus peccata Sacramentali cõfessione apud Sacerdotem expiando, 40. item diebus Sacrosancti dumtaxat viatici pabulo se reficiendum curauit; & vt præ cordis contritione lacrymis, ac humilitati addictus, cunctis laudabiliter rebus abdicaret, immortales Deo gratias agens, cunctas Ludouico filio absenti iniurias condonando relaxans, ab Episcopis benedictionem sibi humillimis precibus impertiri poposcit; quin sacro demum ex ritu animam Deo commendans, cùm adstantem illic Dæmonem magna fide suffultus inclamando in fugam egisset; compunctus, ac verè pœnitens è vita tandem decessit. Verùm post triginta annos Ludouico filio apparens; se eiusdem fidei, ac precibus, vt à pœnali purgatorij ignis solueretur incendio, enixius exorando cõmittens, alterius sæculi rerum, tormentorumque assertor, se diù ad illam vsque horam in pœnis lamentabiliter fuisse testatus est.

Baronius an 815.n.1.2.

Ludouicus Imperator Caroli Magni Filius cognomento Pius, poenitens se ex hostibus vindictam aliquam sumpsisse vehementer dolet.

Condignam sibi à Patrũ Synodo pœnitentiam iniungi postulat.

Quo studio Sacramentis Ecclesiæ se diebus aliquot præmuniendum voluerit.

Moriturus astantem Dæmonem videns, inclamansque in fugam vertit.

9. Verùm enimuerò, vt satis duram nunc, rigidamq; quam is contrà Bernhartum Nepotem Regem Italiæ vltionem exercuit, & cuius ex intimo corde ipsum adeò pœnituit, videamus; hæc quidem Auctor, qui suis Ludouici res gestas scriptis tradidit: *Post cuius* (inquit) *festiuitatis (idest Pascha) transactam celebritatem Bernhartum hactenus Regem, eiusquè fautores in supradicto scelere cum lege, iudicioquè Francorum deberet capitali inuectione feriri, suppressâ tristiori sententia, luminibus orbari consensit; licet multis obnitentibus, & animaduerti in eos tota seueritate legali cupientibus. At verò licet Imperator indulgentiùs ageret, vltio tamen eliminata ad effectum in aliquo est perducta: At autem Bernhartus, & Reginerius dum impatientiùs oculorum amissionem, & ablationem tulerunt, mortis acerbitatem sibi consciuerunt. Episcopos porrò hac immanitate constrictos, ab Episcopis reliquis depositos Monasterijs mancipauit; cæterorum autem nullum vel vita priuari iussit, vel membrorum amputatione mulctari, sed secundum quod exigente culpa visum, alios exulare, alios iussit attondi*; Hæc ille. Quibus sanè Bernhartum oculorum iacturam acerbè nimis ferentem, dolentemquè ob id vehementiùs, mortem sibi consciuisse constat, cuius corpus illatum posteà Mediolanum intra Ecclesiam S. Ambrosij tumu-

Biblia Flor. edit. à Ioanne de Bono Calesti part. vltima.

Seueta in Bernhartũ Nepotẽ Italię Regem, in ipsum insurgentem animaduersio.

Ipsum haud vita, sed oculis orbandũ vult.

Hic subinde ob oculorum iacturam, se ipsũ necat.

tumulari contigit, vt inscriptio illic his notis exculpta edocet:

Bernhartus ciuilitate mirabilis, cæterisquè pijs virtutibus Rex, hìc requiescit. Regnauit annos quatuor, menses quinque. Obyt XV. Maij Indictione XI. filius pia mem. Pipini.

10. Porrò Ludouicus, vbi tristem funestumque desperati hominis finem percepit, iniquo rem animo ferens, acerbè nimis, quòd eiusmodi in hominem exercendę animaduersionis Iudicibus potestatem fecisset, conqueri haud destitit. Quamobrem non secus ac tristis se reum cladis agnosceret, obdoluit pijsquè patratum crimen operibus expiandum curauit, vt Theganus eius temporis scriptor his verbis meminit: *Tertio* (inquit) *die post amissionem luminum Bernhartus obyt. Quod audiens Imperator, magno cum dolore fleuit multo tempore, et confessionem dedit coram omnibus Episcopis suis, & iudicio eorum Pænitentiam suscepit, propter hoc tantùm, quia non prohibuit Consiliarios hanc crudelitatem agere. Ob hanc causam multa dedit pauperibus propter purgationem animæ suæ.* Hæc ille, miram pij ac præcelsi animi inter Principes ob funestum hominis interitum Pœnitentiam cũctis ob oculos contemplandam proponens.

Ludouicus se, necis ipsius reum fatetur, ac pijs operibus culpam expiat.

Theganus in suis hist. pag.

11. At quo dignus postmodum Princeps doloris sensu sit affectus, vbi Ludouicũ filium nouæ conspirationis dolo, ac scelere itreritum turpiter adeo defecisse comperit, & quàm grauibus præ nimio animi angore malorum laborare incommodis cœperit, pijs, austerisquè intermissis ieiuniorum exercitationibus, rerum gestarum auctor his verbis prosequitur: *Hac eo* (inquit) *agente, Natalis Domini, &c. Accessit etiam hic tristis nuncius, cuius relatu adeò affectus est amaritudine, quamuis esset penè vltra humanum modum natura mitissimus, fortitudine magnanimus, pietate cautissimus, vt in apostema pituita excrescens duresceret, & intra vitalia vlcus lethale concresceret: Inuictus tamen illius animus, dum turbari tali peste Ecclesiam Dei, Populumquè Christianum vexari comperit, nec fastidio cessit, nec dolori fractus succubuit. Sed postquam Sanctum quadragesimale ieiunium cum vxore, & filio Carolo inchoauit, aduersus hanc tempestatem sedandam se obicem tulit. Et qui solitus erat hoc tempus Psalmorum decantatione, Missarum celebratione, eleemosynarum liberalitate cum summa deuotione totum solemne reddere, &c. Nunc propter discordiam fugandam, pacemquè reuocandam nullum diem habere voluit feriatum. Pastoris enim boni exemplum sequens, pro vtilitate gregis sibi commissi, non refugiebat etiam proprij corporis iacturam ferre. Vndè non ambigendum est ei redditum præmium, quòd ita laborantibus se daturum promisit maximus Pater, Princepsquè Pastorum.* Hæc ibi.

Baronius an 840. n. 3. & sequent.

Ob nouam filij conspirationem, ac imo fatigatus morbis corripitur.

Ad Deum placandum piè se ipsũ, tum eleemosynis, tum precibus exercet.

12. Quibus sanè admirandam Ludouici indolẽ, eiusq; pietatem vnusquisq; intelligit, cui Sacrorum cultus dierum cordi adeo fuit. Sed vt eius hìc obitum, ac pœnitentiæ feruorem norit; hæc quidem præmemoratus Auctor: *Cœpit ergò* (inquit) *fastidio tabescere, & nauseam stomacho ad cibum, potumquè intendere, crebris suspirijs vrgeri, singultibus quati, ac per hoc virtute destitui, &c. Viribus desertus, lectulo se se committit. Porrò quis explicet eius pro Ecclesię statu sollicitudinem, vel pro eius concussione merorem? Quis enarrare lacrymarum flumina, quas pro acceleratione Diuinæ clementiæ fundebat? Non enim se recessurum dolebat, sed quod futurum nouerat, gemebat, dicens se miserum, cuius extrema clauderentur talibus miserijs. Aderant autem eius consolationi venerabiles Antistites, & alij Serui Dei quamplurimi, &c. Per Metensem Episcopum quotidie confessionis munus, sacrificium spiritus contribulati, & cordis humiliati, quod Deus non despicit, offerebat. Cibus eiusdem erat solummodò per dies quadraginta Dominicum corpus, laudante eo iustitiam Dei, & dicente: Iustus es Domine. At quia Quadragesima tempus non ieiunans exegi, saltem coactus idem ieiunium exoluam.* Subindè verò aurum, arma, gemmas, & cuncta insuper bona larga in pauperes, amicos, & domesticos manu distribuens, Deo laudem dedit, vt Auctor his verbis tradit: *His* (inquit) *ritè peractis Deo gratias egit, quòd nihil superesse proprium cognouit.* Hæc digna quidem in ipsius laudem scriptor.

Infirmus corpore, sed animo vegetus, haud oculis, haud dolori parcebat.

Baronius vbi supra n. 7. 8. & alij.

Illis Deum iugiter verbis interpellans: Iustus es Domine.

13. Quibus planè haud visam hactenus, ac ingenti admiratione recolendam

dam contriti cordis vim, ac Regij pectoris in aduersis tolerandis constantiam, dum in mortis amplexum festiuo more procurrit, videre est. Lachrymis quippe assiduis, & Sacramentali confessione quotidiè conscientiam expiando, insuper Sacramentali, ac viuifico pabulo seipsum reficiens, haud aliter deficientes ægri corporis vires, fugientemque animam præmuniendã curauit: Quin & eleemosynis item pauperum peccata redimens, bonis diues operibus iam morti propinquabat; adeoque vt priùs animo, quàm carne solutus nudus, ac liber è sęculo abiret, cunctis sæculi rebus spontè abdicare se voluit. Porrò vt miro suum Christianę virtutis exemplo exitum præueniret, omnes Ludouico filio, in quem hactenus exacerbatus meritò videbatur, iniurias, vt peccata sibi à Deo misericorditer condonarentur, relaxandas voluit; quod sanè non nisi ob Dei solius amorem laudabiliter præstitit, vt idem Auctor prosequitur: *Verebantur,* (inquit) *ne fortè filio Ludouico implacabilis esse velles, scientes, quòd vulnus frequenter incisum, aut cauterio adustum acerbiorem dolorem sustinenti propagaret: sisi tamen de eius inuicta patientia, qua semper vsus est, per Drogonem fratrem eius, cuius verba spernere nolebat, animum eius leniter pulsat. Qui primùm quidem amaritudinem sui animi demonstrabat; at verò parumper deliberans, & viribus quantuliscunque collectis, enumerare conabatur, quot, & quantis incommodis ab eo afflictus sit; & quid contra naturam, & Domini preceptum talia agendo commeruerit. Sed quia ipse (inquit) ad me venire satisfacturus nequit: Ego, quod meum est, ago, vobis testibus, & Deo omnia, quę in me peccauit, illi remitto. Vestrum tamen erit illum monere, vt si ego illi toties perperam gesta indulserim; ille tamen sui non obliuiscatur, qui canos paternos deducit cum dolore ad mortem, & in talibus communis Patris Dei præcepta, minasquè contempsit:* Sic planè inuicti animi Princeps indulgendo se ipsum vicit, ac Dei gratiam cumulatissimè promeruit, sed vt historiam prosequamur.

Acceptas à filio iniurias, vt à Deo sibi peccata dimitterentur, indulget.

Filium ob violatas naturæ, ac Dei leges seriò admonendũ demandat.

14. *His (inquit) peractis, & dictis (erat enim vespere Sabbati) precepit, vt ante se celebrarentur vigiliæ nocturnæ, & ligno Sanctæ Crucis pectus suum muniretur; Et quandiù valebat, manu propria tam frontem, quàm pectus eodem signaculo signabat, &c. Instante migrationis articulo, iuncto pollice cùm articulis (hoc enim facere consueuerat, si quando fratrem nutu vocabat) Drogonem accersiuit. Quo veniente, & reliquis Sacerdotibus verbis, quibus potuit, & nutibus se commendans, benedici petiuit, & quę solent agi in egressu animę fieri postulauit. Quibus id agentibus (sicut plures mihi retulerunt) conuersa facie in sinistram partem; indignando quodammodò, virtute quanta potuit dixit bis: Huz, Huz; quod significat: foras. Vnde patet, quià malignum Spiritum vidit, cuius societatem nec viuus, nec moriens habere voluit. At verò elatis ad Cælũ oculis quantò hunc minaciùs intuebatur, tantò illuc latiùs intendebat, ità vt nihil à vidente differre videretur. In talibus ergò vitæ præsentis terminum sortitus (vt credimus) commigrauit, quia veraciter dictum est à veridico Doctore: Non potest malè mori, qui benè vixerit. Decessit autem duodecimo Kalendas Iulij, Anno vitæ suæ sexagesimo quarto.* His quidem egregiæ sub finem Ludouicus exhibitis tum pietatis, tum pœnitentiæ signis, suum laudabiliter è vita exitum Deo immortali commendans, haud à Sathanæ quidquã m insidijs timendum sibi palam cunctis ac si manu monstrabat; quem tanquam ridiculum, nec tam Leonem, quàm latrantem à suis catulum foras expellendum curauit: Bonis igitur cumulatus operibus Ludouicus Imperator sic è vita profectò decessit, cui adhuc viuenti eximia virtutum merita Pij cognomentum iustissimè conciliauerãt. Nobili quippe eiusmodi titulo ipsius prenotatum sepulchrum, perpetua laudum monumenta vniuerso Christiano Orbi dignissimè contemplanda exhibet.

Baronius vbi supra.

Ante se Sacras vigilias vult celebrari.

Signo Crucis frequenter se ipsum muniens, à Sacerdotibus benedictionem petit.

Vita probè paratus excedit.

Baronius vbi supra n. 10.

Imperij fulmen, Francorum nobile culmen,
Excitus à sæculo, conditur hoc tumulo.
Rex Ludouicus pietatis tantus amicus,
Quòd Pius à Populo dicitur, & titulo.
Hildegard soboles, Caroli Magni pia proles
In pacis metas colligit hunc pietas.
Rumelicum villam, quidque refertur ad illam, Ar-

Sepulchralis inscriptus titulus

Arnulphi saluti consulit, huic-
què loco.
Stirps à quo procerum, Regumquè, vel
Imperatorum,
Quo cum muneribus sistitur hic-
què locus.

Rainaldus an. 1326. n. 8.

Et his præclari elogij titulis, notisque virtutum pœnitenti Regi patentasse sufficiat.

Bocchardus Magdeburgensis, Episcopus molestias ab alijs patienter ferendo omni laude dignus.

15. Porrò (vt alios quoque recenseamus) Bocchardus insuper Magdeburgẽsis Episcopus suis hic frustrandus laudibus non est, qui dum pietate, ac mansuetudine clarus illatas sibi molestias humiliter sustinet, tuendisque Ecclesiæ iuribus, & propugnandæ ipsius Ecclesiæ auctoritati totus intendit, à Ludouici Bauari assectis crudeliter exagitatus, inuictus, viriliterque semper in acie perstans, ac Magdeburgenses, aliosquè Pontificijs vltrò subdendos imperijs curat, appetitus insidijs, captusquè ab hostibus, tetri carceris custodiæ per scelus mancipatur; vbi diutinis, acerbisquè vitæ incommodis tabescens patienter cuncta perferendo, se ipso fortior, diem meritis clarus feliciter clausit, à laruatis carnificibus, qui armata manu clauam præferebant, parricidiales agẽtibus choreas sæuissimè mactatus. Tristem verò, funestamque pij, ac venerandi Præsulis necem Rainaldus in suis Annalium paginis, sic rem ex Crantzio mutuatus describit.

Crantzius Vuandal. lib. 8. c. 12. 13.

Quæ, & quã ta à Ludouici Bauari assectis pro iustitiæ cultu perpessus.

16. *Sub noctem* (inquit) *rapitur in carcerem tenebrosum, squallidum, & profundum: oneratur catenis, maceratur inedia, mille excruciatur modis Vir Deo dignus, quem improbi diù habere Pontificem non merentur. A die nati Ioannis ad festum vsquè Mathæi sedebat in tenebris lucerna lucens: Iam consilium parricidæ firmauerant; Eliguntur Viri quatuordecim, de Magdeburgo octo, de Hallis quatuor, de Caluis duo, veste per omnia simili, & laruis induuntur, vt etiam inter se se nosse non possent, quis etiam quisque clauas manibus præferentes irruunt in carcerem, clamoribus testati nequitiæ ebritatem. Vinctum Pontificem ludibundi chorizantium in morem circumieꝛunt, & vt in tenebris poterant clauis sæpe innoxijs iacentem tetigerunt: Iam vertigine in errorem acta, vt internosci quis caderet, non posset, vnus ex his claua feri, rapui Pontificis; nec opus fuit ictum iterare,*

In carcerẽ rursus à facti legis hominibus clauа quasi per ludum perimitur.

Vertiginem tamen continuarunt, donec mortuum esse non dubitarent. Egressi ponunt laruas, nec inter eos, quis necem peregisset, sciebatur: nisi quòd omnes æquè noxij & esse, & haberi voluerunt, qui vno consilio grauissimum parricidium, & atrocissimum facinus peregerunt; nec refert, cuius manu interierit, quando omniũ conatu consummatum est scelus. Linquitur Sanctum in carcere cadauer anno penè toto. Ignorabat Capitulum vacare Ecclesiam. Iam penè in obliuionem venerat Pontifex, cùm Ciues velut ignari rerum, inspectare vadunt, quid agat carceratus. Reperiunt iam fætore grauem vermibus scatere, diuturnitate penè consumptam carnem: enunciant defunctum in carcere. Non potuit internosci Pontificis nisi in capite signum. Extrahitur, in medio Templo tumulatur, lacrymantibus per circuitum bonis omnibus, quòd Vir iustus, & Pontifex inter suos, tam miserabiliter laceratus perijsset. Hæc Crantzius; Ex quibus tot quidem palmis venerandum Antistitem, quot pœnis pro tuendis Ecclesiæ iuribus nobilitatum videre est. Verùm dira, ac lugubris dignissimi Sacerdotis clades impunè non abijt: Nuncio quippe ad Ioannem 22. delato, ac iudicio sicarijs Apostolica auctoritate indicto; Auctores sceleris anathemate feriendos, Magdeburgensem verò Proiunclam Sacrorum vsu interdicendam Pontificis iussu decretum est. Totum verò iusto Dei consilio accidit, vt is, qui Patriarchali throno Bocchardo successor fuerat designatus, ab eodem Ludouico interceptus, & duro carceri mancipatus, breui, infeliciterque diem clauserit; cui subinde Lantgrauij Hassiæ filius suffectus est. Pœnitentis itaque in morem Magdeburgensis Episcopus patiendi cupidus in tenebroso carcere, & tum ferro, tum fame excruciatus, vitam demum feliciter absoluit.

Anno ferè vno ipsius cadauer in carceris squallore viliter iacet.

A Clericis ferè consumptum, inde in templum adducitur, tumulo infertur.

Dignus Christus Præsul quot pœnis, tot coronis diues.

Rainaldus an. 1352. n.

17. Alter verò in præsens prælaudato Magdeburgensi Episcopo, & Summus item totius Ecclesiæ Pontifex, magni quidem inter alios nominis, & meritorum laude insignis, Clemens videlicet Papa, Sextus huius nominis, in perferendis quibusuis iniurijs mititate, & in indulgendo clementia nemini impar itngitur; qui ante Petrus Rogerius, Episcopus Rothomagensis, cùm ad sedandas diui-

diutinas inter Francorũ,& Anglorum Reges, animorum discordias, & bellorum procellas à Benedicto huius nominis XII directus fuisset, multa pro orthodoxa Religione, se digna domi, forisque clarus gessit. At ad Petri thronum euectus, expeditionẽ in Turcas zelo Christianę rei adductus indixit; Graecos item ad Ecclesiæ sinum reuocans, ad schisma, cui se infeliciter dederant, eiurandum monendo, ac exhortando compulit: Christi verò fidem apud Tartaros totis animi viribus propagandam curauit. Quin vt probè Ecclesiæ splendori consuleret, sacrum purpuratorum Patrum Senatum numero adaugendum voluit; & pro Christianis inter se Principibus amoris, & amicitiæ glutino conciliandis strenuè laborans, imperterrito hæreticos vbique Terrarum studio insectatus, Pontificiæ vbique digna tum pietatis, tum prudentiæ, necnon sollicitudinis documenta præbuit. Demum Anno Christi 1352. plenus meritis, laudabiliter, magna præsertim in perferendis aduersis animi constantia illustris è vita, ac verè dignus Pœnitentiæ cultor decessit. Postquam enim in Petri throno annos decem, menses septem sedit, præcipiti è vita morbo præreptus est, vt in MS. Vaticano his verbis traditur: *Pauco tempore languens insperatè obijt Decembris die 6. Anno Domini M.CCCLII. Pontificatus sui Anno XI. in Palatio Apostolico Auenionensi.* Verùm optimi Pontificis obitum tristibus è Cœlo signis prænunciatũ, funestoque astrorum, & cometæ aspectu lugubrem Christiano Orbi, Mathæus Villanus extitisse affirmat, cui gestorum eiusdem Pontificis scriptor, pietatem ipsius sub extremã vitæ periodum satis, superq; cõmẽdans, his verbis adstipulatur.

Clemens Papa Sextus summam sibi iniurias ferendo laudem promeruit.

Ipsius virtutes, & pia erga Dei Ecclesiam sollicitudo.

MS. Vatic. bibliot. signũ 3765. in Clem. VI.

Breui languore pulsatus viuendi finem fecit.

Matheus Villanus lib. 3. cap. 43. Gesta Clementis VI. apud Bosq.

18. *Infirmitate* (inquit) *granatus, humiliter penitens de commissis, denuòque receptis Ecclesiasticis Sacramentis, in veritate, & sinceritate fidei, & vnitate Sanctæ Matris Ecclesiæ seipsum Domino commendauit Anno Domini M. CCC.LXII. die VI. mensis Decembris, Pontificatus sui Anno XI.* Pœnitentium igitur more Sacramentis sub vitæ finem expiatus, dignus Christi Vicarius, & optimus Petri æmulator pariter, ac fidei hæres diem clausit vt obtenta peccatorum venia, ac Petro Cœli sibi fores reserante, decedenti aditus ad Christi Regnum pateret, cuius ille sibi in terris claues speciali prærogatiua seruandas concesserat. Porrò eximijs, dignisque prælaudatus Pontifex à Scriptore elogijs decoratur; & primùm ob amplas, ac nobiles ædificiorum constructiones, & Auenionense præsertim auctũ ab eo Palatiũ, ac Regio more exornatũ, & sacras Monasterij Casædei excitatas insuper ædes, vbi isthæc sub finem subtexit: *Ipse præterea* (inquit) *Monasterium Casædei, in quo à principio professus extiterat, multis, & magnis ditauit honoribus, & priuilegijs decorauit, ac prouentibus ampliauit, eiusque Ecclesiam, quia vetustate consumptam, ac satis ruina proximã à solo ædificauit, tamen in multo solemniori statu, quam priùs.* Verùm quæ sequuntur, sepulchralis instar tituli, optimo benemerẽtique Pontifici egregiè consonant; hæc enim de pijs eiusdem studijs, ac mira item sollicitudine habentur.

Moriturus miro deuotionis feruore pœnitentiã amplexus.

Ampla virtutum ipsius præconia.

In gestis Clem. VI.

19. Hic (inquit) *Summus Pontifex toto tempore suo valdè fuit intentus ad procurandum statum pacificum, & tranquillum suorum omnium subditorum, & præsertim Regum, & Principum, & aliorum potentium, ex quorum discordijs inferiores habent commoueri, & turbari. Quod satis demonstrauit in quasi assidua missione Legatorum, & Nunciorum suorum, de qua supra fecimus mentionem. Nec curauit se cum alys in guerris inuoluere, aut aliter dissensionibus intricare, nisi in quantum conseruatio iuris, & honoris Ecclesiæ sibi commissæ ipsum præcisè arctarunt quandoque ad propositum, & adhuc tunc per viam iustitiæ processis, factum posse tenus euitando; propter quod satis quiete, & pacificè vixit cum omnibus considerata tunc temporis vrgenti qualitate; & ob hoc liberiùs vacauit, & perfectiùs intendit ad actus Papales exercendos, &c.* Hęc ibi. Verùm quamuis isthæc per se magna sint, parua tamen iustè putari queunt, si eius clementia, inuictumque animi robur in ferendis præsertim, cõdonãdisq; iniurijs magnitudo attenditur. De homine enim sibi infenso, ac nonnisi inter hostes computando, à quo iniurijs olim grauissimè fuerat exacerbatus, beneficiis ipsum vltroneis exornando, pœnas, ac vltionem, suo planè dignam nomini, ac Apostolico itẽ muneri summa cum laude expetiit; adeò vt hæc iuramento de ipso

Concilandis inter se Principibus intentus.

Subditorum bono semper inuigilat.

Franciscus Petrarcha ad Ioann. Card. de Columna.

Clementia immortalē ipsi in terris ac Coelo coronā meruit

ipso Petrarcha in carminibus ad Cardinalem de Columna conscriptis, eleganter cecinerit.

Nulli maior inest de Clementia, nomen ab ipsis.
Dignum rebus habet.

20. Sed hic quæso Scriptoris gestorū ipsius verba perēleganter rem totā narrantis gratis si libet auribus excipiamus; *Fuit insuper* (inquit) *sicut nomine, ità & re Clemens, misericors, & benignus; non enim inuenitur contra aliquem pro interesse proprio, quantumcùnque sibi inimicus, aut contrarius extiterit, aliquam vltionem exercuisse, aut expetijsse vindictam. In cuius rei exemplum est hoc notabiliter inserendū, quòd vnus, qui per prius eo in minoribus existenti sibi aliquas iniurias irrogauerat etiam personales; qui æstimans ipsum alijs varijs magnis occupatum, de ipso, aut iniurijs non recordari, sibi quadam die supplicationem vnam porrexit, in qua petijt aliqua pro seipso. Qui licet supplicationem huiusmodi benignè in propria recepit, tamen in suo secreto existens, dum eam perlegisset, super vindicta de ipso assumenda per petitionis denegationem, aut aliàs quodammodò tentatus, ipsam proiecit ad terram, pedibusque conculcauit; quam demum iam sumit, & serò primo simillimè fecit, & ea postremum reassumpta, sibi ipsi loquendo, audientibus tamen aliquibus suis Cubicularijs sibi adstantibus dixit: Vade Diabole, quod hodie facere non poteris, quòd me vindicem de quocumque: & hoc dicto supplicationem prædictam illicò, vt petebatur; signauit, nec aliam vnquam molestiam intulit, ipsam afferenti. Habuit præterea hanc humanitatem, pietatem, seu benignitatem, ac liberalitatem generaliter ad omnes, qui ad ipsum recurrentes, seu suum præsidium, seu iuuamen implorantes; quòd nunquam, vel rarò aliquem à se miserit sine consolatione reali, aut verbali: sæpius, tamen ad rem, quàm ad verba intendens. Pauperum, & egenorum præsertim illorum, qui aliàs abundauerant, & mendicare erubescebant, necessitatibus largiflué subuenit; considerans in ijs omnibus, quòd beati mites, & misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur; quam piè sperandum est, ipsum iam consequutum, vel consequuturum in futurum, si humana fragilitate ipsum adhuc impellente in eo aliquid culpabile extiterit.* Hæc tanto digna Pontifice meritorum præconia ipsi iure merito occinunt, qui suis iniurias hostibus spontè, libenterque, nec rogatus donando, ac non nisi beneficijs easdem compensando; pauperibus item vltrò, liberaliterque pecunias elargiendo, omnimodam à Deo culparum veniam lucratus, felicem denique meritis diues à Deo exitum vitæ impetrare promeruit.

Auctor vitæ Clementis Papę VI.

Vltionem ex hostibus nūquam expetiit.

Qui ipsum in statu olim priuato offēderat benignum largitorem experitur.

Rem, quam datis libellis petebat, vltro à Clemente accepit.

Pontifex ergo cunctos facilis, ac benignus.

21. Quibus demum Auctor, qui ad Bernardi Guidonis scripta appēdicē adiecit, solemnia isthæc pro elogio verba subtexit; *Clementem quippe* (inquit) *Pontificem vocat, Clementiæ speculum, charitatis hospitem, misericordiæ Patrem, pietatis alumnum, liberalitatis ministrum, iustitiæ pugilem, æquitatis athletam, concordiæ satorem, pacis amatorem, modestiæ normam, Religionis exemplar, amicitiæ fomitem, spei anchoram, fidei basim, complacentię morem, eloquentiæ florem, honorem generis, & patriæ decus.* Quibus honorum, ac laudum titulis nos meritò ipsi parentasse voluimus. Clementis verò Papæ corpus post nobiles exequias in Monasterio Casædei tumulandum deferri contigit, vt MS. Vaticani Auctor his verbis: *Corpus portatum fuit ad Ecclesiam B. Mariæ Virginis cathedralem, vbi stetit vsque ad æstatem, & deindè asportatum ad Monasterium Casædei, vbi pridem fuerat Monachus, quinque Cardinalibus comitantibus ipsum in Capella ab ipso constructa depositum, & tumulatum, cuius anima requiescat.* Successor autem anno ipsius obitum insequenti, erogatis aureorum quinque millibus, illius cadauer ad prædictum Monasterium, in quo Clemens Religiosæ olim disciplinæ studio excultus vixit, & vbi sepulchrum sibi præoptauerat, transferendum curauit. Porrò binis subinde reuolutis sæculis, Pontificis eiusdem sepulchrum à Caluinianæ sectæ hæreticis violatum, ac in orthodoxæ Religionis propudium corpus flammis iniectum, vt Massonus his verbis tradit: *Monasterium* (inquit) *ipsum (videlicet Casædei) anno millesimo quingentesimo sexagesimo secundo; cùm obsideretur Anicium Vellaunorū; capitur à Monione Sororio Blaxonis Allobrogis, cuius milites plusquam barbari Templum diripiunt, statuam eius marmoream confringunt, sepulchrum violant, atque diruunt, vbi Clemēs ipse formidabilis iacebat. Armati enim hominis*

Appendix ad Bernardum Guidon.

Clementis præconia sūmatim collecta.

Quot verba, tot laudum tituli, tot coronæ.

MS Vat. Basilic. Nobile eius dem funus.

In Ecclesia B. Mariæ ad Monasteriū Casædei vbi Monachus fuerat, tumulatur.

Massonus in Clem. VI.

Cl qu-

Ab hæreticis subinde eius statua diruta corpus igni traditum est.

ministatuam exhibere videbatur, quia singula corporis partes plumbo secta erant. Cadauere igitur nudato, nihil præter ossa, & cineres repererunt, eaque in ignem conieceerunt militari ioco clamantes: An te putas, Magne Pontifex, plumbeis armis Cacodæmonem militarem victurum. Et hæc de Clementis tumulo.

22. Atqui prælandata Clementis Papæ Sexti, cuius hìc opportuna incidit mentio haud Clementis Papæ IX.; quo nuper Romana Ecclesia sponso viduata est, ac Pastore, omni quidem dignam laude ingratò nos memoriam præterire silentio patitur, & congruè. Hic quippe sub eiusdem nuncupatione nominis haud impar meritis, & pari in cunctos beneficentia, & clemētiæ itē clarus laude, iustissimè Clemētis Romanos inter Pontifices nomen itē præse tulit. Enimuerò ipse omnes in se vno amantissimi, tum Pastoris, tum Principis virtutes complexus, & summis æque, ac infimis charus, pietate in Deum, charitate in singulos, & in Christi præsertim pauperes præcellens, sic ad viuum Pontificis Optimi in se partes exhibuit; vt vno omnium ore præter inuidiam, verè pius, verè Clemens, verè omnium, & Principum, & pauperum Pater sit iure merito dictus. Ab annonæ autem studio pro ouiculis Christi sollicitus, quas illis Petro à Domino verbis commendatas nouerat: *Pasce oues meas*. Et à graui item laxando ipsius onere, nec non à leuandis vel cum immani Pontificij ærarij dispendio vectigalibus, sui Pontificatus, ac muneris primordia auspicatus, omnium sibi immoraliter corda deuinxit, suis prodesse magis cupiens, quàm præesse. Nec impiger verò in Clemente Principe erga Deum Religionis tuendæ, ac propagandæ zelus præfulsit; dum in barbaros fidei hostes commune sibi esse vnà cum Venetis bellum voluit, nullisque parcens sumptibus, nullisque sui, suorumque incommodis, Romanæ ærarium Ecclesiæ pro publica Christianorum re publicum fecit, communem omnibus, & tum capiti, tum membris Religionis, & Christi causam arbitratus, ac proindè sinistrum belli, armorumque cū Turcis exitum adeò obdoluit, vt eum prius vita, quàm Religionis cura, ac zelus deficeret. Quibus illud accedit, quòd qui paterna pietatis viscera cunctis perpetuò patere voluit, suas quoque à Populorum vocibus in publico residens; piorūq; querelas, & vota audiens, haud simul aliquando aures amouit. Nec his contentus, qui in cunctos esse Clemens cōtendebat, dignus vtpotè Christi Vicarius, ac verus pauperum amator, vt cunctis præstò esset, sua tum ope, tum opera Nosocomia Vrbis sæpè, ac sæpius adiuit, ibique languentes manu, simul, ac præsentia iuuit. Quo se profectò Christi gerere in terris vicem probaret, faciendo scilicet, quod Christus in Euangelio præcipit; & pauperibus ministrando inseruire, ne dum Regium, ne dum Apostolicum, sed & Diuinum insuper opus, opere ipso ostendens. Beneficus itaque in cunctos, liberalis & clemens in omnes; adeo vt dum publicā Populis quietem, ac vtilitatem quærit, sibi dumtaxat laborem pro otio, ac omnium sollicitudinem insomnis reseruaret, ac singulis benefaciēdo semper intentus, ob id maximè ad Pontificij throni apicem euectus videretur, vt nimirum, quod de Vespasiano Plinius olim dixit, sapidè ipsi occineret: *Nec quidquam* (inquit) *in ipso mutauit fortunæ amplitudo, nisi vt prodesse tantum posset, quantum vellet*. Quin ob munificam suam, suorumque in pauperes liberalitatem (quod Magno olim Gregorio diuinitus innotuit) ob id ipsū Pōtificiā conscendisse Dei nutu sedē à nonnullis haud temerè creditum.

Clemens præ clementia, & sui in omnes beneficentia laudatissimus:

Cap. 21. Pontificatus primordia à publicis laxandis Populi oneribus auspicatur.

Populis autem in publico præbet infirmos in Nosocomiis frequenter inuisit.

Plinius in Vespasian.

Creditus ob munificam in pauperes manum ad Pontificatū euectus.

Demū cùm Clemens annos duos mēses quinque, dies decem & octo Dei Ecclesiam amantissimus vti Pater, ac Pastor rexisset, Anno salutis M. DCLXIX. die 9. mensis Decembris, sub Deiparæ conceptæ Virginis auspicio, cui singulariter deuotus semper festiuam ipsius singulis annis memoriam, per totam octauam solemni ritu celebrandam Apostolicis literis in tota Vrbe, & Ecclesiæ ditione voluit, à Virgine ad laborum proemia in Cœlum euocatus, plenus dierum, ac meritorū septuagenarius in Domino feliciter obdormiuit. In cuius quidem funere iure merito Vrbs Roma, suo vtpote orbata capite, se potius in ipso, quam ipsum suo in funere sibi præreptum vberrimè fleuit, ac si diu ipsum habere Pontificem non meruerit. Pontificio igi-

Singulariter in Deiparā Virginem deuotus Conceptæ Virginis memoriam per totam Octauā cunctis officio singulis annis recolendam statuit.

tur munere egregiè perfunctus æternitatē morbo preuentus,& cū Deo regnaturus adiuit,cunctisque sui amorem ac desiderium relinquens cum omnium lacrymis est elatus; vix enim alteri Romanorum Pontificum contigit, vt tanto publici doloris sensu diem clauderet,& Vrbs ipsi benemerenti sit publicè lamentata,dum ipsum tam summi, quàm infimi ægris licet oculis videre cupientes, velut sibi furtim fato prætreptum requirentes, ipsas obsidendo vias excurrerent,ac suæ quasi infelicitati tribueret, quod publico Clemens natus bono, & benignus adeò,clemensque non diutiùs vixerit, dum ipsi quoq;quod olim Leoni XI.breuis imperij Principi occineret: *Vrbi ostensus magis, quàm datus*. At qui viuens suam marmoribus inscribi digno ipsius modestię triūpho nomen vetuit; nobiliori subindè in omnium cordibus sui tū nomen, tū amorē stylo inscribi, ac immoraliter insculpi Cœlo dignatus meruit; adeoque ipsi vel iā mortuo Roma non secus ac viuenti illis publicè vocibus plausit:VîuatClemēs; sed & opportunè hæc interim satis.

Suis Populus culpis, quòd Clemens, diu non vixerit, tribuebat, suum ipse nomen in cordibus in sculpsit dum marmori insculpi vetuit

23. Demum, vt qui pœnitentiæ studio, piisque addicti operibus illatas ob Dei amorem ab hominibus constanter molestias perferunt, Deo vtpotè maximè grati, acceptique supernis liberaliter pro mercede donis cumulantur, & alios quoque ad probitatem, ac Dei gratiam efficacissimè adducunt. Quod sanè Ioannes Congregationis Discalceatorum Augustinianorum, de quo alibi, rarum charitatis, & in proximos indulgentiæ, necnon miræ erga seipsum austeritatis, & pœnitentiæ documentum præstitit, quippe qui intentatas sibi iniurias non tam agnoscere, quàm facientibus ignoscere probè sub Christi Magisterio didicit; adeòque constanter multa hilari vultu, & pro contumelijs gratias referendo pertulit; quæ digno quidem spectaculo Angelis, hominibus verò admirationi fuere. Sed illud inter hæc præcipuum extat, quòd ipsosmet effusi sanguinis reos, & fouendo in proximos odio pertinaces, sic suis Dei imperio dictis arguebat, sic monitis cor eorūdem pulsabat; vt cūctos ad compunctionem, necnon ad sui admirationem inflecteret. Hæc enim ex eius gestis in Senensium fastis: *Cùm Princeps* (inquit) *Senensium Templum aliquandò Ioannes longiùs precaturus subiisset, perditæ licentiæ iuuenis illum despiciens ad comites conuersus: Hiccine* (inquit) *concionator ille Sanctus? Vix ea cùm Ioannes longiùs licèt positus, audire humanitus nequiuerit, è vestigio surgens, eidem à socijs auocato, hæc in aures insusurrauit: Quantò satiùs tibi esset (mi iuuenis), pœnitentiæ lacrymis illum prosequi, quem infando parricidio necatum in ima tua domus parte nuper contumulasti. Enimuerò ita salutato vox intermortua faucibus hæsit, & nempe cachinnos in gemebundum horrorem, atque altum viri vertit obsequium*. Ea profectò vis homini, qui vtriusque Ioannis; Baptistæ nimirum in suo corpore summum pœnitentiæ rigorem,& Apostoli item, ac Euangelistæ vnà simul præferuidam intus in corde charitatem præferens, vtriusque in se virtutes,ac merita simul iungens ipso vel nomine ad viuum digno æmulandi studio exhibebat; vt ad Charitatis, & Pœnitentiæ amorem in aliorum cordibus excitandum solus abundè sufficeret. Sed de his hactenus.

Fasti Senenses pag.198. an.1597. Fr. Anserius de ascensione in eius vita.

Ioannes Augustinianorū Discalceatorum Ordinis iniurias igno scere pro more habuit

Odio in pra ximum, tabescentes,ac veniam denegando cōtumaces ad compunctionem flectebat.

Sic remunerata ipsius in proximos charitas.

CAPVT XII.

Condonantes ob Christi amorem iniurias, contumeliasque, peccatorum à Deo veniam consequuntur.

1 Potissima promptè, libenterque dimittendi proximo iniurias,contumeliasque, necnon maximè ad suadēdum mortalibus efficax, illa præcunctis ratio est, quam suis aliquando Christus in Euangelio inculcat, commendatque cultoribus: *Dimittite* (inquit) *& dimittemini; date, & dabitur vobis*. Omnem quippe alijs prius condonet iniuriam oportet, qui sua sibi à Deo dimitti, & condonari peccata, debitasque pro eisdem vltrò Hieronymo teste laxari pœnas exposcit: *Quomodò enim* (inquit) *in quotidiana prece vnquam diximus; Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris; animo discrepante cum verbis, oratione dissidente cum factis?* Enimuerò inani prorsus verba isthæc effectu, animoque ad expetendam ab

Lucæ Cap.6. Dei præceptum,& certa obtinendę spes veniæ,&efficax ad indulgēdum ratio.

Hieronymus epist. 39. ad Castorinum.

ab alio vltionem supremis dumtaxat labris delirantem ad iustum, ac seuerum Dei Tribunal prouocant, discordemque animo à fratre, ac vltrò à se veniam poscenti denegantem, non secus diuinæ Maiestatis reum ipsis nedum factis accusando renunciant; sed & iudicio proculdubio iustissimè apud Deum, Hieronymo edisserente condemnant: *In breui* (inquit) *ante Tribunal eius reconciliata, seu scissa concordia, aut præmium recuperabit, aut pœnam*. Pari profectò mortalium quisque apud immortalem Deum excipiendus iudicio, quale hic interim ipse cum suo proximo iudicium exercuerit. Enimuerò is toto Cœlo à recta salutis via, & prorsus à Dei alienus Regno aberrat, qui corde fratrem odit, & iuges cum ipso discordias, atque inimicitias iuxta Ioannis Apostoli calculum perpetuò fouet: *Qui odit fratrem suum* (inquit) *in tenebris ambulat, & nescit, quò eat, quia tenebræ excæcauerunt oculos eius*. Cui Apostolus suis pariter dictis adstipulando, omnemque à Christi Regno, & Christianorum animis simultatem proscribens, isthæc non secus ac spiritui omninò contraria, & carnis, ac Mundi legibus consona, data veluti tessera, suoque digito palam demonstrat: *Manifesta* (inquit) *sunt opera carnis, quæ sunt inimicitiæ, rixæ, dissensiones, iræ, sectæ, contentionis, inuidiæ, homicidia, &c. prædico vobis, sicut prædixi, quoniam qui talia agunt, Regnum Dei non possidebunt*. Econtra verò fructus, qui à Dei spiritu velut à bonorum fonte proueniunt, & manifesta veluti sunt electorum, ac rerum alterius sæculi tessera, exponens: *Fructus verò* (inquit) *spiritus est charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, &c.* Iniuriarum itaque tolerantia, proximi dilectio, ac promptè exhibita lædentibus venia, hominem Deo amicum designando, ipsum in Dei Regnum inducit: Homo quippe iniuriam accipiendo, & ob Christi amorem inferenti parcens dignum sui spectaculū exhibet, ac de hoste vnà simul triumphans, immortalem sibi in Cœlo coronam promeretur, vt optimè Chrysostomus in rem præsentem edisserendo inculcat: *In certaminibus* (inquit) *Diabolo sacratis lex est malefaciēdo vincere: In stadio Christi omnino lex est contraria; sic enim non eum, qui percutit, sed qui percutitur, coronari decretum est. Illud demum est Diuinæ virtutis, illud cœleste stadium, illud Angelorum theatrum*. Qui tolerandis igitur iniuriis, condonādisque pariter intentus est, hic proculdubio in virtutis stadio cōtendit, vt & alibi coronetur. Sic planè Stephanus certam sibi, suisque victoriam, coronato vaticinatus in nomine, dū lapidibus pro Christo à Iudæis appetitur, & lapidantibus iam iam moriturus veniam vltrò exhibet patefactam sibi ianuam videns, paratūque sibi tryumphum, ac suo coronam capiti exclamat: *Ecce video* (inquit) *Cælos apertos, & Iesū stantē à dextris virtutis Dei*. Ipse namq; mox coronādus dū orat, alteri coronā parat. *Ideò* (Augustinus inquit) *de terra erectus est Saulus, quia in terra inclinatus, exauditus est Stephanus*. Sic verò aptè, eleganterque disertissimus ille inter modernos Stephanum inter saxorum procellas suis ex hostibus tum orādo, tum perferendo triumphantem mortalium exhibet oculis contemplandum; hæc autem ille.

In homine iam pleno Gratia
Locum ira non inuenit:
Etiam de alieno peccato iustitiam suam cumulat;
Et lapides accipiens, preces reddit.
De hostibus sollicitus, de se securus,
Pro ijs pronus in genua,
Pro se stans rogat.

Præferuidè autem orantis meritum, suisque apud Deum pro hostibus efficacissimas; quæ ascendebāt, aut preces non potuit Altissimus non revereri, non vltrò benignè exaudire; quibus suas tum aures, tum Maiestatis gratiam præproperè gestiens è Cœlo inclinauit, vt sic idem qui supra Auctor prosequitur.

Nec enim impetrari Saulus à Deo
Oratione quacunque potuerat.
Sui causa prostrato
Honoris gratia Christus assurgit,
Tantę virtuti;
Omnes Martyres venerātur in primo:
Indulget illi,
Non Angeli solum faciem, sed & fortem.
Cui vita labor fuerat, mors somnus.
Credas non attigisse lapides mentem,
Qua vel sub ipsis obdormiuit in Domi,

Hieronymus vbi supra.

Haud Dei misericordiā speret, qui non indulgens misericordiam proximo denegat.

Ioannis c. 2.

Apostolus ep. ad Galatas cap. 5.

Fructus, & opera carnis & spiritus, quæ sint.

Chrysostom. in hom.

Apost. vbi supra.

Nonnisi lex charitatis, & Indulgentiæ est humanæ salutis tessera.

Stephanus indulgendo coronā prefect.

Act. Apost. cap. 7. 55.

August. in Act. Ap.

Act. Apost. c. 7.

Aloysius Iuglaris el. 5. 96.

Stephani oratio, efficax.

Aloysius Iuglaris vbi supra.

Christus orantem reueritus.

Christus orantem reueritur.

Domino. Stephanus igitur indulgendo hostibus, dignam se Deo hostiã immolans nobili se ipsum, ac mortem indulgentię tryumpho cumulauit.

2. Et iusta siquidem proximo indulgendi, & congrua insuper, quam Christus primum in Stephano dedicauit, & à mortalibus exigit, & cunctis vltrò Apostolus iuculcat, hæc planè amoris forma, & mensura est: Christus namque suo, tum verbo, tum exemplo charitatis in Euangelio suis legem præscribens, homo homines prior ipse hominibus indulgendo docuit. Quod alij subinde, & Elzearius præsertim Galliarum decus, præuio Christi roboratus exemplo præstitit; dum ad acerba, & aduersa quæquè patienter ferenda, necnon ad indulgendum semper paratissimus extitit: *Quando* (inquit) *in me insurgit indignatio in molestijs: at mox mihi ob oculos pono iniurias, quas à me, & pro me Redemptor tulit, & tunc in me ipso sic loquor: Etiamsi famuli tui tibi barbam euellerent, & colaphis caderent, oporteret tolerare; nihil enim istud est in comparatione eius, quod Dominus pro te tulit. Hac verò consideratio animum meum mox reddit pacatum*. Et sanè miro ipsius Dauidis proposito vnumquemque ad condonandum Chrysostomus vrget exemplo, qui primùm Semei conuiincianti, & pertinaciùs irruenti, vel lapidibus Rex appetitus, verborumque lacessitus iniurijs, peramanter indulsit: *Sinite illum* (inquiens) *Dominus enim præcepit illi, vt malediceret mihi*. Idemq; charitatis magisterio edoctus postmodũ Sauli toties iniurias cõdonãdo pepercit: *Imaginem Dauidis* (inquit Chrysostomus) *præ oculis habeas, &c. ad hoc virtutis exemplum respiciens, perfectam consequeris sanitatem. Ne quis igitur mihi dicat: Inimicum habeo scelestum, improbum, incorrigibilem; quidquid dixeris, non est tamen Saule deterior, qui semel, & iterum, immò sępius seruatus à Dauide, cùm ipse mille modis ipsi struxisset insidias, tamen pro tot beneficijs acceptis perseuerauit in sua malitia*. Atqui maiore vnusquisque ad condonandum exemplo, Christi videlicet, & plusquam valido ipsiusmet ad suadendum Diuinitatis inducitur argumento. Quod Viri Sanctitate præcipui promptè, ac libenter se ipsis præstitere, & alij insuper, qui suis pro culpis Deo facere satis cupientes, acceptas fratri iniurias dimittendo, in huius præmium virtutis grauissimis sibi donatis à Deo culpis, rectà in Cœlum feliciter euolarunt.

In vita S. Elzearij comit.

Elzearius Galliarum Comes quã & quo pacto ab his, qui ipsum offendebant vltionem caperet.

Chrysostomus hom. 3. de Dauid.

Rex Dauid saxis, ac verbis impetitus ignoscit.

Faciat Christianus, quod Rex tãtus fecit.

3. Porrò vt susceptæ narrationi velã pandamus, Vir olim ex his, qui monachali veste, ac professione præcipui in Claustro degebant, ac vnus pariter è Pœnitentium numero, dignam ob id vnum à Deo mercedem retulit; Quippe qui ab Angelis tandem sub vitæ finem de animæ salute, ac de indulta suis è Cœlo culpis venia, eo quòd promptè Fratribus offensas dimiserat, certior factus, ipsosque in supremo discrimine Angelos consolatores, tutoresque sortitus, placidissimè Deo spiritum reddidit; nec res eiusmodi sine omnium admiratione fuit: cùm enim is cunctos inter Fratres negligentior existens vitam penè omnem segniter exegisset, lethali subinde correptus morbo, & supremum iam spiritum traheret, summa tamen cordis fiducia, & alacritate suffultus, vnà cum morte luctari iam cęperat. Quod ex Patribus vnus, qui pio charitatis officio morienti assidebat, cernens totamque exactam olim ab ipso negligentissimè vitam admirabundus recolens ipsumque alloquens, præsentis, ac tantæ insuper ab eo tum fiduciæ, tum lætitiæ causam percontando; hominem Angelorum tunc aspectu, ac Diuina vtpote visitatione dignatum incredibili perfusum solatio mirabiliter comperit: Hæc enim ipse, de quo nos alibi in B. Athanasij Synaitæ actis, cunctis de se mirantibus edixit: *Est ità* (inquit) *omninò Patres, vitam per summam negligentiam duxi; sed Angeli Dei eadem hac ipsa hora peccatorum meorum ad me chirographum attulerunt: cùmque, & quę fecissem, postquam sæculo renunciasse, peccata legissem, nunquid agnoscerem, rogauerunt. Quibus ego: Maximè verò (inquam) agnosco; sed ex quo renunciaui sæculo, vitamquè institui monasticam, nec iudicaui quemquam, nec ab vllo factam mihi iniuriam meminisse volui: Igitur Domini verba ad me quoque pertinere opto, & oro, qui dixit: Nolite iudicare, & non iudicabimini; dimittite, & dimittetur vobis; quę postquam Angelis dixi, chirographum peccatorum meorum consciderunt, & inde nunc summa cum lætitia, & securitate proficiscor*

ad

Indulgẽtes Deo accepti.

Baronius an. 199. n. 10.

Monachus negligentioris vitæ prõpter fratribus indulgẽdo Facilem à Deo veniam moriturus accipit.

In vita S. Athanasij Synaitæ.

Securitas sub vitæ finem.

Monachus se neminem iudicasse, nec iniuriarũ memorem se affirmat.

ad Dominum. Quibus sanè pœnitentibus, qui iniuriarum immemores haud vltionem expetunt, sed promptè cuncta proximo dimittunt, sub extrema vitæ momenta Angelos maximè propitios, & vti gratos digno Charitatis obsequio vsitatũ prӕter morē solatio esse manifestissimè cõstat.

Baronius an. 655. n. 7. & 8.

Sigebertus Orientaliũ Saxonum Rex iniurias indulgẽdo prę cæteris admirandus.

Beda lib. 3. cap. 22.

4. Sigebertus quoque (vt & alios recenseamus) magnam sibi apud Deum iniurias condonando mercedem lucratus est, qui & post Sigebertum apud Orientales Saxones Regnum adeptus, eùm illam ad Christi fidem, eiusque obsequium gentem traduxisset, quin ipsemet Apostolicis inhærens vestigijs, totis Gentilium superstitionem animi neruis execratus carperet, ac funditus è mortalium cordibus euellere conaretur, ab Osuui Rege viros expetijt, quorũ opera, & prædicationis verbo illa Euangelij lucem Prouincia acciperet, vt Beda his verbis prosequitur: *Igitur Rex (inquit) Sigebertus æterni Regni Ciuis effectus, temporalis sui Regni sedem repetyt, postulans ab Osuui Rege, vt aliquos Christi doctores daret, qui gentem suam ad Christi fidem conuerterent, ac fonte Baptismali abluerent. At ille mittens ad Prouinciam Mediterraneorum Anglorum, clamauit ad se Virum Dei Cedd, & dato illi socio altero quodam Presbytero, misit prædicari verbum genti Orientalium Saxonum. Vbi cùm omnia perambulantes, multam Domino Ecclesiam congregassent, contigit quodam tempore eundem Cedd redire domum, ac peruenire ad Ecclesiam Lindisfarniensem propter colloquium Finani Episcopi, qui vbi prosperatum opus Euangelij comperit, fecit eum Episcopum in gente Orientalium Saxonum, vocatis ad se in ministerium Ordinationis alijs duobus Episcopis.* Hæc piè, ac laudabiliter Rex ob id satis pro merito nunquam laudandus præstitit, dum deditam superstitioni, ac Idolorum cultui gentem, Sacro Baptismi lauacro initiandam, & Euangelicis imbuendam per Viros Apostolicos dictis, præceptisque curauit.

Doctores, ac Sacerdotes pro suaChristi fide imbuenda postulat.

5. Atqui laborum, ac eximiæ, quam erga suos exhibuit, pietatis à Deo accepturus mercedem, nedum ab hostibus, sed & à suis, & quidem ob nullam aliam causam, nisi quòd facilem se in condonandis iniurijs præberet, ac ipsis quoque inimicis vltrò, libenterque ob Christi amorem, Christianissimus Rex, ac dignus Euangelicę doctrinæ cultor parcere consueuerat, gladio demum sublatus est; hæc enim Beda: *Cùmque (inquit) tempore non pauco postea in præfata Prouincia gaudente Rege, congaudente vniuerso Populo, vitæ cælestis institutio quotidianum sumeret augmentum, contigit, ipsum Regem instigante omnium bonorum inimico propinquorum suorum manu interfici. Erant autem duo germani Fratres, qui hoc facinus patrarunt; qui cùm interrogarentur, cur hoc facerent, nihil aliud respondere potuerunt, nisi ob hoc se iratos fuisse, & inimicos Regi, quòd ille nimirum suis parcere soleret inimicis, & factas ab eis iniurias mox obsecrantibus placida mente dimitteret. Talis erat culpa Regis, pro qua tamen morte eius innoxia, iuxta prædictum Viri Dei vera est eius culpa punita.* Hæc plane, ac pio digna Rege traduntur, cunctisque prætermissis id vnum ipsius gloriæ proficit; quòd ob sectandam, seruandamque illibatam Christianæ charitatis, & Euangelici præcepti legem addictus gladio, dum sibi Christi lucrari gratiam sollicitè quærit, suorum inuidiam, atque odia feliciter mactatus incurreret. Verùm funestam homini necem ad expiandam, si quam ante contraxit, culpam, inseruisse Diuino planè iudicio innotuit; Quippe qui iam pridè, cùm vni ex his, qui anathemate ob illicitì coniugij crimen innodatus ab Episcopo fuerat, ipse præter fas, & Ecclesiæ præscriptum cõmunicare ausus fuisset, fatidico Episcopi, ac Dei instar perculsus Oraculo, se gladio mactandum procul dubio accepit. Quod planè, vt Episcopus prædixerat, illi postmodum contigit; Ab ipso etenim acriter obiurgatus, quòd sic homini cõmunicasset, dũ Rex vti reus culpam agnoscens, supplex, humiliterque humi procumbens, veniam ab eo poposcit, suis impendere ceruicibus mox Diuino expetendus iudicio gladium, & ipsius quidem, cui per scelus communicarat, manu, tristis, at corde cõpunctus audiuit, vt Beda prosequitur.

Ob charitatem erg à suos, & quòd adeo facilis esset indulgendo a suis occiditur.

Beda lib. 3. cap. 2. apud Baronium vbi supra n. 18.

Virtus eius perditis in culpa est.

Ab Episcopo se occidendum audit, quia homini anathematis sẽtentia irretito communicarat.

Beda lib. 3. cap. 22.

6. *Habuerat (inquit) vnus ex his, qui eum occiderant, comitibus illicitum coniugium, quod cùm Episcopus prohibere, & corrigere non posset, excommunicauit eum, atque omnibus, qui se audire vellent, præ-*

cepit

cepit, ne domum eius intrarent, neque de cibis illius acciperent. Contempsit hoc Rex preceptum, & rogatus à Comite, intrauit epulaturus domum eius. Qui cùm abijsset, obuiauit ei Antistes. At Rex intuens eum, mox tremefactus desiliuit ex equo, ceciditquè ante pedes eius, veniam reatus sui postulans: Nam & Episcopus pariter desiliuit; sederat enim & ipse in equo. Iratus autem tetigit Regem iacentem virga, quam tenebat manu, & Pontificali auctoritate protestans. Dico tibi (inquit) quia noluisti, te continere à domo perditi, & damnati illius, tu in ipsa domo mori habes. At credendum est, quia talis mors viri religiosi non solùm talem culpam diluerit, sed etiam meritum eius auxerit; quia nimirum ob causam pietatis propter obseruantiam mandatorum Christi contigit. Funesto igitur Rex sublatus interitu, ne dum omnem dumtaxat, quàm ob violata sacrorum canonum iura incurrerat culpam, sed & ingens sibi inde meritum ob condonatas facilè, ac promptè adeo hostibus iniurias apud Deum dignissimè cumulauit adeò; vt mors illata, & ad culparum veniam, & meritorum insuper cumulum, quin non tam ad pœnam, quàm ad coronam homini tam pio, ac verè pœnitenti profecerit.

Ob scelus illiciti connubij alter ab Episcopo excommunicatus.

Rex in domo illius, cui inhærebat iuxta Episcopi dictũ occiditur.

7. Quantùm verè sub extremum vitæ terminum Pœnitentia vnumquemque releuet, acceptatumquè ob Dei amorem proximis iniuriarum relaxatio iuuet; Henricus II. Romanorum Imperator, Corradi filius, vel suo palam cunctis exemplo testatur; qui cùm se ipsum Ecclesiasticis rebus, & præcipuè in Romanis Pontificibus inaugurandis præter fas immiscens, tùm etiam Episcoporum iudicia sibi temerè vsurpans delinqueret; Gebehardum etenim Ratisponensem Episcopum Maiestatis reum in Arcem detrusit, aliaquè multa pręstitit, ob quæ Deum grauiter visus est exacerbasse, & ob quæ iustam Numinis subire vltionem meruit, vt ostensa diuinitus Lamberto edisserente vltio admonet: Hæc enim ille: *Hoc (inquit) anno Guntherus tunc temporis Cancellarius Imperatoris visionem vidit memoria dignam: Dominum in solio Maiestatis suę residere, & eleuato in altum brachio districtum gladium magno nisu vibrare, & circumstantibus dicere: Reddam vltionem hostibus meis, & his, qui oderunt me, retribuam. Quam visionem protinus mortalitas subsequuta est Principum Regni. Eaque expleta vidit eodem rursus schemate Dominum residere, & remisso iam in vaginam gladio, & super genua sua reclinato dicere circumstantibus: Ignis succensus est in furore meo, & ardebit vsque ad Inferni nouissima.* Hæc quidem Lambertus. Porrò visum, portentumque è Cœlo affulsisse funesta, quæ consequuta sunt, è viuis Imperatore prærepto palam cunctis fecere. Verùm vt ob quæ præcipuè Diuinam Imperator merito indignationem senserit, videamus, Baronius ipse consulendus hìc est: *Quid autem* (inquit) *Henricus Imperator peccauerit, vt in eum Dei vindicta sæuierit, intercessit in primis causa illa, quòd electionem sibi Romanorum Pontificum (vt vidimus) arrogasset, & Episcoporum iudicia sibi sumpsisset, &c.* Hæc ille, aliaque plura prosequitur; At demum sic sermonem concludit: *Nec fuit (inquit) leuis culpę, quòd aduersus S. Annonem simultatem exercuerit, cùm tamen S. Episcopus sic vt viuentem semper coluit, ità post obitum preces pro salute eius animæ frequentauit, vt eiusdem Sancti Episcopi vitæ acta testantur. In Chronico Casinensis Monasterij antiquitus scripto recensetur prolixa narratio de malorum Dæmonum accursu ad obitum eiusdem Imperatoris, eundemquè vt suum sibi accusationibus vendicantium, sed ab eorum manibus traditur liberatus S. Laurentij Martyris intercessione, cuius cultor propensior extitisset. Porrò visionis certa, & explorata fides ibidem ponitur.* Et Hæc de Henrici obitu.

Baronius an. 1056. n. 2.

Henricus Romanorũ Imperator iniurias condonando, suis Dei gratiam culpis obtinet.

Lambertus in Henrico Imperatore. Baronius vbi supra n. 3.

Portentoso visu offensi Numinis à Gunthero ostenditur.

Baronius vbi supra n. 3.

Henrici mors paulò post consequitur.

Ob quæ delicta sit à Deo morte punitus.

In Dei iudicio à Dæmonibus acriter exagitatus.

8. Henricus autem Imperator Anno 1056. cùm Victorem II. huius nominis Romanum Pontificem in Germaniam ad se inuitasset, ibiquè Summus apud ipsum Pontifex moraretur, omnibusquè eum officijs coleret, morbo correptus instare sibi mortem videns, festinus, ac supplex pro suis expiandis culpis ad Pœnitentiæ lamenta confugiens, Sacramentis se communiri voluit; ac in primis humiliter veniam ab omnibus poscens, prædia, quæ alijs iniquè abstulerat, reddidit, ac cunctis insuper, qui quoquo modo eum lacessendo iniurijs læserant, reatum, ac omnem alijs pœnam relaxando condonans, piè haud aliter

Moritur multa præstat, & iniurias sibi à quibus illatas condonat.

ter ipse à Deo sibi veniam impetrare contendit. Quibus expletis pœnitens cum magna salutis spe è viuis abijt, sed eius temporis scriptores Hermannus, & Mariana consulendi videntur, quorum primus hæc ait: *Henricus Imperator Apostolico ad se autumnali tempore inuitato, cum in Saxonia in Bothfeldino commoraretur, morbo ingrauescente infirmatus obijt anno ætatis suæ XXXIX. Regni verò XVIII. Imperij XV. Indictione decima.* Mariana verò paulò altiùs anni, quo Imperator obijt, res memorans, isthæc ait.

Baronius an. 1056. num. 2.

Mariana in Henrico Imperatore.

9. *Iisdem temporibus multi diuersarum prouinciarum Principes perierant: fames multas prouincias afflixit; egestas, & penuria vndique præualuit: multa mala tunc temporis facta sunt. Henricus Imperator his doloribus cordetenus compunctus infirmari cæpit, & productus vsque ad mortem; sapienti tamen vsus consilio, ab omnibus, quibus potuit, veniam petens, quibusdam prædia, quæ abstulit, restituit: cunctis, qui contra eum culpas damnabiles fecerunt, relaxans; filium suum Henricum Romani Pontificis tum præsentis, cæterorumque Pontificum, & Principum electione Regem constituit. His, & aliis, prout vitæ possibilitas admisit, benè dispositis, tertio Nonas Octobris vitam præsentem finiuit, sepultusque est Spiræ, Papa præsente.* Hæc ille. Henrici autē Imperatoris iuxta Baroniū obitus incidit in Christi Annum M.LVI.

Dignum Pœnitentiæ in Henrico exemplum.

10. His igitur Imperator summa cū laude præstitis, anteactæ vitæ culpas diluere, ac sub vitæ finem pœnitens, exoptatam sibi promereri à Deo indulgentiam sategit, quò tutum, ac felicem ad Dei Regnum, à terreno excedens aditum sibi compararet. Verùm vt quæ digna sunt Christianę humilitatis, ac Pœnitentiæ documenta, tanto digna Principe, in eius laudem commemorentur; pium certè, ac laudabilem sese flagellis affligendi morē frequenter ab eo vsurpatum Reginaldus in rebus gestis S. Annonis Archiepiscopi Coloniensis, sic tradit. *Considerans* (inquit) *Henricus Imperator nominis Maiestatē longè suis præcellere meritis, nunquam insignia regalia sibi præsumpsit, nisi clam per Confessionis, ac Pœnitentiæ verborum insuper satisfactionem licentiā à quolibet Sacerdote suppliciter mereretur.* Quibus idē Scriptor narratis de eo, deB. Archiepiscopo eiusmodi verberibus, haud dubia ab eodē Imperatore Pœnitentię signa duri exactoris adinstar requirente hęc habet: *Tempore quodam* (inquit) *magna imminente festiuitate, cum Pontifices, Duces, Comites, & cuiuscumque alius dignitatis, & Ordinum Viri Regiam vndique properarent ad Curiam; cùm & ipsum mos, & honor impositus trabeatum exigeret procedere, non inscius sanctitatis, & vitæ probatissimi inter Præsules Annonis (vt suæ consuetudinis seruaret institutum) supplex & pœnitens eum cæpit adire. Mox sacer Antistes auctoritate plenus tali in negotio imperialem parui pendens magnificentiam, sicut parcere solitus erat inopi, & pauperi, sic opportunitatem adeptus, misericors sine misericordia sæuire cæpit in Principem. Nam vehementissimis eum inuadens correctionibus, quidquid animo pro iustitia concitato se obtulit, liberè, & constanter affabatur, illumque durissimis verberum plagis affli-ctum, non aliter ea die coronatum incedere consensit, quàm priùs manibus suis triginta tres argenti libras in pauperes expendisset.* Hæc de Henrico pœnali verberum mulctæ Sacerdotali imperio sibi iniunctæ se humiliter subijciente auctor præmemoratus; Quo quidem nobile ac manifestum cōpūcti, regalisq; planè animi iniurias dimittendo, & cuilibet parcendo sub imperiali chlamide argumentum exhibuit.

Pia Henrici se flagellis cedendi consuetudo.

Reginaldus in vita S. Annonis cap. 6. apud Surium tom. 6. die 4. Septembris.

Baronius vbi supra n. 4

A S. Annone acriter correptus quid fecerit

Promptè pœnam sibi iniunctā ab Episcopo subit.

11. Immortalem sibi insuper in Cœlo coronam parcendo potissimum Richardus inter Angliæ Reges maximè in hoc laudabilis peperit, qui cum vitijs alioqui difflueret, superbiæ in primis, fastu, auaritia, item & luxuria, vt Fulco egregius verbi Dei præco, at diuinis virtutibus clarus constantissimè ipsi obiecerat, & apud omnes passim notabatur, adeoque infelici tandem exitu sagitta in bello percussus vitam conclusit; sed illud haud obscurum indulgendæ sibi à Deo culparum veniæ documentum affulsit, quòd ipse saucius lethaliter pacem vltroneus, ac dona insuper vulneranti, ipsum è vinculis liberum dimitti præcipiens obtulit. Huic sanè Fulco mortem, ni manum ab exercendis armis contraheret, meritò pridem fuerat comminatus, quod & contigit, vt insigni planè in suis à Parisio paginis portento sic notatur: *Vndecimo* (inquit) *Kal. Iul. & Idibus Maij* Gg *pluit*

Richardus Angliæ Rex pro Christo iniurias inultas præterit.

Lethaliter saucius percussori parcens, ipsum liberum dimittit.

Rainaldus an. 1199. nu. 46.

Parisius hist. Angliæ.

pluit sanguis vndatim super edificantes turrim apud Andeliacum in Nortmannia, mortem fortasse Regis Richardi denuncians in breui futuram. Fulco autem acerrimum ob suam in reprehendendis sceleribus, & in Rege præsertim admonendo libertatẽ, odium contraxerat; hæc enim ipse Regi, eius scelera inculcãdo edixit: *Ne* (inquit) *aliquid tibi deterius contingat.* Porrò Richardo Regi necis nõnisi inexplebilis habendi cupiditas in causa fuit: dum enim quærendo, ac peruestigando thesauro totus intendit, in mortem miser inopinam incidit, qua rebus cunctis, & Regno orbatus, illud Sapientis oraculum verum intellexit: *Multos* (inquit) *perdidit aurum, & argentum.* Sed Rogerij hic verba excipiamus: *Interim* (inquit) *Vuidomarus Vicecomes de Limogis inuento magno thesauro auri, & argenti in fundo suo, misit inde Richardo Regi Angliæ Domino suo partem non modicam, &c.* De quo item Richardus hæc ad Annũ 1199. in Philippi Augusti gestis habet: *Thesaurus* (inquit) *prędictus, vt ferebatur, fuerat Imperator quidam de auro purissimo cum vxore, & filiis, & filiabus ad mensam auream residentibus, qui posteris, quo tempore fuerant, certam dabant memoriam.* Sed Rex eam (inquit Rogerius) *refutauit, dicens se debere totum illum thesaurum habere de iure donationis suæ, quod prædictus Vicecomes nullo modo concedere voluit, &c.* Hæc ille,

Rogerius vbi supra in Richardo.

Fulco vir sanctitate præcipuus Regi mortẽ prædixit.

Ecclesiastici cap. 9.

Richardus Thesauri acquirendi nimis cupidus

Rogerius hist. Angliæ.

12. Richardus verò adinuẽti nuper thesauri cupiditate abductus, ac ira excandescẽs, ingenti armatorũ manu, aurum ferro lucraturus Oppidum cinxit; at cùm ibidẽ inclusis Castro deditionis, ac pacis leges seruãdas poscentibus hæc superbè nimis, ac dirè à Richardo postulata denegarentur, armis pro sui defensione instant: tunc verò Bertramnus exercendæ vltionis cupidus, immisso in Regem telo, ipsius brachium transfigens, mortem illi è proximo intentauit. Verùm Oppido à Marducheo feliciter vi expugnato, egregium Rex erga percussorem Christianæ virtutis, & clementiæ simul documentũ dedit, quo Deum vltrò sibi habere propitium meruit, vt Rogerius sic tradit: *Deindè* (inquit) *fecit coram se venire Bertramnum de Hurdun, qui eum vulnerauerat, & dixit ei: Quid malè tibi feci, quare me interemisti? cui ille respondit. Tu interemisti Patrem meum, & duos fratres meos manu tua, & me nunc interimere voluisti. Sume ergo de me vindictam, quamcumque volueris: Libenter enim patiar, quæcumque excogitaueris maiora tormenta, dummodo tu interficiaris, qui tot, & tanta mala contulisti Mundo. Tunc præcepit eum Rex solui, & dixit: remitto tibi mortem meam.* Hæc Rogerius, qui Regis percussorem solutum vinculis, ac centum à Rege solidis insuper donatum; sed suas abeunti Marducheum manus iniecisse, & post Richardi mortem, ipsa pelle exutum in crucem egisse, ac Philippum insuper Regis spurium paternæ vlciscendæ necis cupiditate abductum Vicecomiti Lemouicensi mortem inventasse affirmat.

A Bertramno Rex armis accinctus telo in brachio cõfigitur.

Rogerius in Richard. vbi supra.

Percussori ad se à militibus adducto Rex parcit.

Rainaldus vbi supra.

Moriturus illis se ex hoste vlcus est verbis: remitto tibi mortẽ meã.

13. Quod autem ad Richardum spectat, Parisius Regem Christiano ritu piè ad exitum, & vt Christianum hominẽ decet, comparasse his verbis tradit: *Rex* (inquit) *sapientissimus cùm periculum sibi cerneret imminere, exitum sui cordis contritione oris pura confessione, Corporis, & Sanguinis Domini communione muniuit, & necis suæ auctori mortem suam condonauit, atque liberatum vinculis abire præcepit. Corpus verò suum ad fontem Ebraudi secus pedes Patris sui, cuius proditorem se confitebatur, sepeliri iubens, Ecclesiæ Rothomagensi inexpugnabile cor suum legauit, &c.* Et paulò post; *Tumore (inquit) ad cor eius subitò perueniente, octauo Idus Aprilis, die Martis (vir Martio operi deditus) apud Castrum prædictum spiritum exhalauit. Sepultus est apud fontem Ebraudi sicut ipse viuens ordinauerat, cum quo multorum iudicio decus, & honor militiæ pariter sepulta sunt.* Hæc ille. Cui epitaphium hoc inscripsit.

Matheus Parisius hist. Anglic. in Richardo I.

Sacramentis Ecclesię pręmunitur, & percussorem à vinculis solui iubet

> *Pictauus exta Ducis sepelit, tellusque Chalutis.*
> *Corpus dat claudi sub marmore fontis Ebrandi,*
> *Neustria, tuque tegis cor inexpugnabile Regis,*
> *Sic loco per trina sparsit se tanta ruina,*
> *Nec fuit hoc funus, cui sufficeret locus vnus.*

Sepulchralis Richardo inscriptus titulus.

Parisius in Richardo vbi supra.

14. Quæ autem S. Hugo Lincolniẽsis Episcopus de Richardi obitu diuinitus præsenserit, hæc quidẽ vitæ ipsius Auctor; *Nocte quadam* (inquit) *cum graues curæ, & sollicitudines præter morem animum eius distraherent, & infestarent, easque pra tumultu*

S. Hugo Episcopus Lincorniensis Richardi, mortem diuinius nouscit.

Surius in vita ipsius tom. 6. die 16. Nouembris.

mulen earum, & importunitate excutere non valeret, admodum cœpit animo perturbari; sed illicò ad se reuersus, pectus percutit, grauiter ingemiscit, primo mane Confessarium accersit, valdè se peccasse pronunciat, quòd non ità, vt decet hominem Christianũ, omnem curam suam iactasset in Dominum: sed perindè ac si proprijs adinuentionibus ipsi fidendum foret, discruciari, & angi inaniter cœpisset. Reuera tamen in tam periculoso tum erat itinere, vt si præ curis canuisset, mirum videri non debuerit. Compertum est postea illa eadem nocte mortuum fuisse Richardum Regem. Nec mysterio vacauit viri Sancti turbatio tam insolita, tam vehemens. His planè ostensa cuidam Romæ Episcopo de Richardi obitu visio consonat, vt Godefridus his verbis tradit: *Dum quoddam* (inquit) *Castrum, Limogia scilicet obsideret, & circumiens quæreret, vbi assultus opportunos faceret, telo lethaliter percutitur, quod non sine indicio Dei factum hoc modo probatur. Siquidem Episcopus quidam, dum sine causa offensam eius incurrisset, in tantum eum est persequutus, vt à propria sede eum exturbaret, præcipiens ei, ne deinceps eius se oculis offerret. Ille Romam progressus, ad Apostolicum se contulit, qui dum quadam die astaret Altari, ipso momento, quo Richardus obijt telo, videt ipsum telum secus Altaris crepidinem lapsum, cui charta fuerat innexa secundum vaticinium Merlini olim prædictum:* Telum Limogiæ occidit Leonem Angliæ. Hæc auctor de satis funesto Richardi Regis obitu diuinitus præostenso.

Godefridus an. 1198.

Episcopus Romæ degens, & sacro Altari adstans, telum ipsum, quo Rex percussus est videt;...

Rainaldus an. 1232. num. 21.

15. Demum Rex, qui suo beneficus adeo percussori sic veniam vltrò indulsit, misericordiam pariter à Deo pro suis culpis consequutus, liber tandem à Purgatorij pœnis in Cœlum auolauit, vt Roffensi Episcopo cœlesti visu obiectum est, & sic Parisius tradit: *Sub eisdem* (inquit) *diebus Henricus Roffensis Episcopus cum in Sabbatho, quo cantatur: Sitientes venite ad aquas apud Sindingeburniam presente Cantuariensi electo Ordines celebrasset solemnes, adstante Clero, & Populo fiducialiter, cùm sermonem faceret, protestatus est, dicens: Gaudete omnes in Domino, fratres, qui hìc presentes estis, scientes indubitanter; quòd vno, & eodem die exierunt de Purgatorio Rex quondam Anglorũ Richardus, & Stephanus Cantuariensis Archiepiscopus cum vno Cappellano eiusdem Archiepiscopi ad conspectum diuinæ Maiestatis, & eodem die nonnisi tres illi de locis pœnalibus exierunt. Et vt his dictis meis fidem adhibeatis plenissimam, & certam; quia mihi, & cuidam alii tertia iam vice hoc per visionem reuelatum est ità manifestè, quòd ab animo meo omnis dubitationis ambiguitas remouetur.* Hæc ille, qui Regi ob facilem præsertim parcendo animum donatam à Deo indulgentiam meminit, & quia nimirũ cuidam olim Equiti ob Regis indignationem à patria longiùs exulanti, ipse Dei amore permotus, Patris vtpote sui interfectori promptissimè indulserat, veniam à Deo sortitum, ac pœnis solutum his planè verbis affirmat: *Et hæc* (inquit) *misericordia, quam idem fecit pius Rex Richardus cũ aliis huius operibus, ipsum, vt credimus, à periculis damnationis, & cruciatus liberauit.* Sed de ipso hoc satis.

Parisius in Richardo.

Richardus qui percussori pepercit, è purgatorij pœnis liberè emergit.

Henricus Roffensis Episcopus diuinitus Richardum pœnis solutum addiscit

Parisius vbi supra.

Qui alteri ob Deum indulget, à Deo indulgentiam meretur.

16. At hic silentio prætereundus nõ est Hẽricus Daniæ Rex, qui ab impio fratre, regnãdi percupido insidijs appetitus, cum sua apud Sacerdotem, quem sollicitè requisierat, peccata expiasset, in medijs fluctibus parata cymba à fratre, qui etsi Abelis nomen; Caini tamen reuerà mores, ac impietatem factis præseferebat, is non secus innocens victima occiditur: sed spontè interfectori pacem sub vitæ occasum exhibens, in Sancto pacis osculo sic charitatem testando mori voluit; vt eiusmodi Christianæ virtutis documento suum communiens exitum, dignam Christiano tum homine, tum nomine mortem obiret. De quo isthæc Albertus Stadensis: *Rex* (inquit) *vt mortem ineuitabilem vidit, Sacerdotem petiit, & obtinuit, & facta confessione, vt dicunt, intimè decollatori flagitium indulsit, & iam decollandus dixit: Frater meus sicut ante Deum heu merui, turpem mihi ingeris mortem: sed ipse, si se non emendauerit, sentiet turpiorem. Istud contigit in nocte S. Laurentii. Non multò post corpus inuentum est à Prædicatoribus ipso ferro onustum, & capite adhuc ad collum pendẽte, sepelierunt eum Prædicatores in Ecclesia sua cum fletu.* Hæc ille, cui Suffridus, Bernardus, Ioannes Longinus, & alij paribus verbis consonant. Parisius verò Abe-

Hẽricus Daniæ Rex, ab Abele fratre letaliter percussus ipsi pacem, ac veniam offert.

Rainaldus an. 1250. num. 38.

Albertus Stadensis in chronic. an. 1250.

Moriens Abelis mortem in sceleris vltionẽ prædicit.

Suffridus Bernardus Io. Longinus & alij.

Abelem fratris sui corpus ter in mare grauissimi ferro ponderis alligatum proiecisse refert, quo omnem prorsus memoriam ipsius aboleret; sed Diuino ad littus nutu proiectum, & à Minoritis visum, tumulo in sua Ecclesia illatū, quod magnis posteà miraculis diuinitus enituit: At impius Abel, qui non iam Abelem innocuum, sed Cainum parricidam exhibens, fraterno imbutum sanguine sceptrum Daniæ inuaserat, suo condignum haud multò post sceleri præmium tulit; Anno etenim proximo, vel in sequenti à Frisijs, quos coercere adnitebatur, ferro saucius occubuit; & Lago, qui Abeli in ipsius Erici necem consenserat, interfectus, toti manifestum Orbi supernæ in se ipso iræ documentum præbuit. Rex igitur Ericus, qui moriens nobili iniuriarum indulgentia vitæ finem clausit, feliciter ad Cœli proemia clarus virtute euolauit.

Abel iuxta fratris dictum cruento fine decessit.

17. Quanti verò sit apud Deum momenti, & quanti insuper ad Regnum ipsius promerendū valoris iniuriarum obliuio, ac ipsis offensam hostibus ob Dei amorem dimittere ex his, quæ Seraphinus Razius narrat, manifestè proculdubio cunctis ostenditur; hæc enim ille: *Magister* (inquit) *Simon Berti, Ordinis Prædicatorum narrat in suis sermonibus, qui manuscripti in Bibliotheca S. Marci Florentiæ habentur, quendam hominem occidisse fratrem nobilis alicuius Ciuis, & cùm non posset effugere manus quærentis ipsum ad vindictam cum omni diligentia, pœnituit ipsum facti sui, & confessus patratum homicidium, commendauit se Deo cùm prudenti deliberatione, & spontè ex improuiso illi se præsentauit in die Veneris sancto; & prouolutus ad pedes eius, fune, & cingulo è collo suspenso, veniam rogauit mortis, quam fratri eius intulerat, & præterea vt vitam sibi donaret amore Dei, & filii sui Domini Nostri Iesu Christi, qui eo die passus erat pro nobis. Visa tanta humilitate, securus de ipsius clementia nobilis ille compunctus est, & illi condonauit pro amore Christi, vitamque largitus est, et ipsum amplexatus, et osculatus dixit: Vade in pace, frater: Deus tibi remittat in Cœlis, sicut remitto tibi in terris. Sed audite magnam mercedem, quam Deus intulit pro tam heroico facto ipsius amore designato: Sequente nocte apparuit Christus in visione, et ait: Quoniam heri amore mei condonasti inimico tuo, noueris animam fratris tui occisi hac hora me ex Purgatorio liberasse; et insuper animam Patris tui prius mortui ex eadem pœna eximisse, et ambos mecum duxisse in gloriam cœlestem. Quin etiam hæc superaddidit: Te inuito in octauam diem, vt relicta huius Mundi miseria possis gloria mea frui. Et sic factum est: Nam octauo post die bene præparatus requieuit Sanctè in Domino. Ecce grandis fructus, qui colligitur condonando inimicis: Quare non remittendo credi potest animas diutiùs cruciari in Purgatorio.* Hæc Auctor. Sic planè illatas fratris iniurias condouando vberi, ac larga culparum omnium indulgentia remuneratus, nedum sibi; sed alijs quoque debitas pro mercede pœnas dimitti obtinuit.

Seraphinus Razius in hort. Exempl. tit. pudor. Ca ibeth. hist. c. 2. de remiss. deb. 327.

Occisor cū fuga sibi prospicere non posset, fratri ipsius occisi supplex die Veneris sancto veniam petit.

Nobilis vi compunctus iniuriam occisori condonat.

Christus illi apparens, fratris animam ob egregium facinus è purgatorij igne liberatam enunciat.

18. Indulta denique inimicis pio, libentique animo venia, atque omnium abolita iniuriarum memoria simul, & mulcta citam, expeditamquè isthæc agentibus indulgentiam, & satis largam, copiosamque apud Deum in Cœlis mercedem parit, vt his Io: Osorius verbis testatur: *Nostra* (inquit) *hac tempestate à Viris fide dignis accepi mirum hoc. Vidua erat vnicum habens filium illustrem, et heredem multorum bonorum: Hunc occidit inimicus eius, et continuò se abscondit. Cùmque à Pretore inquireretur ad necem, nouit Mater filij mortui eo Pretorem ire velle, vbi se abdiderat occisor filij sui, et in corde etiam Materno valuit tantùm dilectio Dei, vt decreuerit filij occisorem liberare, quod et fecit, mittens occisori filij sui equum, et pecunias, monensquè fugam. Quod cùm fecisset, ingressa Oratorium suum, et pro filij anima orauit. Cui oranti adstitit filius luce ornatus, Matremquè sic affatus est: Cùm inimico pepercisti, et pro me orasti, Mater mea verè effecta es, plusquàm cùm genuisti; Insigni enim tua charitate, et oratione à Deo obtinuisti veniam omnium meorum peccatorum, et indulgentiam consequutus sum multorum annorum, qui mihi restabant in Purgatorio exoluendi; Sicquè in Matris oculis Cælum ascendit. Tantùm valet apud Deum oratio post dimissas iniurias: Nulla est dicendi vis, nullum orationis flumen, nulla exornatio, et varietas sermonis, nulla denique alia re sit Diuina captari potest* bene-

Ioannes Osorius tom. 1. Concion. feria 6. post Cineres.

Mulier nobilis vnici filij occisorē ob Christi amorem vlcisci nolens è manu Prætoris vindicat.

Filius Matri apparens se ob insignē charitatem à Purgatorio igne, quo erat per multos annos expiandus, liberatū affirmat.

beneuolentia; ut à Deo exaudiamur in oratione, ac inimicorum dilectione, et pro eis effusa oratione. Sic quippe oratio deprecantis olim Stephani pro his, qui ipsum neci dabant moxCœlum ascendenti diuinitus patefecit. Quo ille primus omnium erectus visu promptum, expeditumquè post condonatas alteri iniurias aditum vltrò vnicuiq; ad Christi Regnum patere proculdubio ostendit.

Actuum Apostolor. c. 6. 59.

19. Demum quid in emolliendis, debellandisque dissidentium animis, & inter se arctissimè conciliandis, effusæ Beatorum ad Deum preces valeant, præter innumera è Sanctorum gestis monumenta, sic nuper in gestis B. Rosæ Peruanæ Virgunculæ traditur: *Francisco* (inquit) *et Alexandro de Coloma germanis fratribus Matertera erat Maria de Xuara mulier prædiues, et opulenta; sed animo in Consobrinos implacabiliter accenso, et obstinato. Alebat idem Franciscus suis impendijs Limæ sex Consobrinas, et duos Consobrinos; sed neque illarum, nec horum vlli afficiebatur pertinax fæmina, adeò vt neque dignaretur alloquio: quin immò vbi Testamentum suum condidit, perquàm studiosè cauit, ne quid vlli prædictorum (tametsi posteriores octo notoriè indigerent) de suis facultatibus legaret; sed ne meminisset quidem. Accidit demum Francisco, et Alexandro necessitas aliò tantisper proficiscendi, relictis interim Limæ tot inopibus Consobrinis: Frãciscus suis orphanis acerbè condolens, et quò se verteret, ignorans; Rosam vnicam suę perplexitatis Ariadnem implorauit, inuenit: Ipsa videlicet proxima ante discessum nocte, Virgini (cuius effigiem coram habebat) totam miserabilium ærumnam commendans, obsecrabat suo apud Omnipotentem cordium domitorem interuentu emolliret saxeam illius auersi cordis duritiem, &c. Mira res! postridie summo mane Franciscum Matertera accersit, quem toto XVIII. annorum spatio videre noluerat, venienti exposuit noctem se duxisse inquietissimam, tristem, insomnem, iugiter sibi ante oculos obuersante suorum Consobrinorum desolatione, quos considerarat omni ope tam indigos, quàm destitutos. Itaque domum quantocyus repeteret, totam horum calamitosorum cateruam in conspectum suum adduceret, velle se omnes amplecti ex ordine, domiquè suę honestè alere. Insuper Francisco iniunxit, vnà publicum Notarium aduocaret, aliud se coram eo Testamentum, rescisso priori, condituram. Franciscus tot simul gaudia non capiens, inquè Matertera Matrem Rosam tacitè deuenerans, paruit festinus, & lubens, cateruam miserabilem adduxit, hìc itum in oscula, in dulces lacrymas, in teneros amplexus, recipiuntur in domesticum contubernium octo inopes; mutatur è vestigio inofficiosum Testamentũ, Consobrina cum Consobrinis, totius opulentiæ scribuntur ex asse hæredes, &c. Superna itaque Dei virtus Beatæ huius exorata precibus sic pertinacis fæminæ cor intimè peruasit; vt cuncta illicò intermitteret odia, simultates deponeret, & condonaret, si quem intus fouebat liuorem, & cuncta demum in aperta amoris, & beneuolentiæ signa ex insperato conuerterentur.* Sic profectò mulier, quę suorum oblita pridem, charitatis in propinquos iura nesciebat, dum compuncta charitatem redintegrat, Deum sibi è Cœlo propitium, ac largum posthac cœlestium bonorum pro modico temporali subsidio remuneratorem iure merito sperare potuit. *Dimittite* enim (ait Christus) *et dimmittemini; date, et dabitur vobis.* Fiduciam namque à Deo petendi non habet, qui proximis se petentibus nedum pecuniam, sed & cordis aurem denegat. Quapropter aptè Augustini hìc verba meminisse oportet: *Ne cor nostrum* (inquit) *in ipsa nos oratione & petitione reprehendat, & ne forte cùm ea cæperimus dicere: Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus; compungamur non facere quod dicimus, aut etiam non audeamus dicere, quod non facimus, et fiduciam petendi amittamus.* Donando igitur, & donari nobis à Deo fiducialiter petimus. Sed iam ad alia, stylum conuertimus.

Fr. Leonardus Hanzen in gestis B. Rosæ Limensis cap. 2.

Charitas, & Pax ex improuiso inter diffidentes, & alieno ab inuicem animo B. Rosæ precibus conciliatur.

Matertera Consobrinos desolatos, quos per totos XVIII. annos videre non poterat, exemplò benignè amplectitur.

Ipsos inopia laborantes hęredes ex asse instituit.

Lucę cap. 6.

August. lib. de perfecta Iust. tia.

CAPVT XIII.

Peccatores ad Pœnitentiam Angelorum ministerio adducti, & omni subinde solatio destituti, ipsos consolatores sortiuntur.

1 Angeli, qui miro, prouidoque Dei consilio, tuendis interim, instruendisque mortalibus sunt destinati; animarum quidem in primis lucro, ac

Pœ-

Angeli Pœnitentium lacrymis gaudent.

Pœnitentia gaudent, & nostro, velut re sibi optatissima ad Cœlum reditu delectantur; *Lacrymæ siquidem Pœnitentium* (vt ille ait) *vinum sunt Angelorum*. Ipsi etenim nedum fidi in hoc interim sæculo tutores hominum, ac solliciti apud Deũ actores sunt: *Angeli* quippe eorũ (vt Christus ait) *semper vident faciem Patris mei, qui in Cœlis est*; ;Sed & nostris vtpote intenti iugiter lucris, Pœnitentiæ insuper efficacissimi sunt ad nos præcones, incentoresque cordium ad compunctionem præcipui, ac Pœnitentium denique in ardua virtutis semita cõtendentiũ aduersus tartareos hostes, acrioresque ipsorum, impetus, benigno Dei munere consolatores existunt. Et meritò siquidem sublimis adeò Spiritibus beatissimis congruit munerum pariter, ac meritorum prærogatiua; Ipsorum namque ministerio, salus hominum innititur, eorundemque tutelari saluandorum cura parrocinio subsistit. *Solliciti* (inquit Bernardus) *discurrunt inter nos, & Deum medij, nostros gemitus fidelissimè ad eum portantes, ipsiusque ad nos gratiam reportantes*. Altissimus itaque, supremus vti Dominus, ac Pater insuper amantissimus pro nobis apprime sollicitus, his nõ secus maioribus natu fratribus minores vtiq; regendi curam demandauit; Quò videlicet homines præpotenti adeò suffulti auxilio, tuti, atque inoffenso pede inter aspera queque, ac multiplices hostium laqueos mortalis vitæ pericula pertranseant. *Angelis quippe suis mandauit de te, vt custodiant te in omnibus vijs tuis: In manibus portabunt te, ne vnquam offendas ad lapidem pedem tuum*. Quapropter fideli Angelorum operâ, & non secus ac lactentes, & paruuli alienæ commissi curæ subsistimus: Ipsi enim tutores interim, & actoris nostre: *Adiuuant* (inquit August.) *laborantes, protegunt quiescentes, hortantur pugnantes, coronant vincentes*. Et siquidem cùm ipsorum ex nostro maximè prouentu gaudia cumulentur, nostrisque demum luctis lætitia compleatur, obliuisci haud vnquam nostri, & assiduam, sollicitamq; aliquando curam intermittere queunt: *Ipsi quippe* (ait Augustinus) *desiderant aduentũ nostrũ, quoniam de nobis expectant Ciuitatis suæ ruinas restaurari; ideoquè eos, qui hæreditatem capiunt, salutis instruunt, protegunt,*

Mathæi cap. 18.

Bernardus serm psal. 90.

Ingenti beneficio hominum curæ, ac tutelæ diuinitus deputantur.

Psal. 90.

Augustin. soliq. c. 27.

Pia Angelorum ergà homines officia.

confortant, intrant, & exeunt nobiscum, &c. Deus itaque cùm sit adeò salutis hominum præ zelo cupidus: *Quid* enim *est homo* (inquit Psalres) *quòd memor es eius, aut filius hominis, quoniam visitas eum?* Ipsi quoque fratrum, qui sunt in Dei tandem Regno, futuri hæreditatis consortes, obliuisci haud vnquam possunt.

Augustin. vbi supr.

Psal. 8.

Eorundẽ pro nobis opera

2. Hinc fit, vt Angeli diuinitus tutelę hominum destinati vnumquemque sollicitè curent, & ad salutem præueniendo, exhortando, suadendo, monendo, excitando, promouere non desinant; quin immò si quis aliquando fragilitate pulsatus, ac hostium adductus impulsu corruit, ad Pœnitentię sinum efficacissimè aberrantem adducendo reparant, vt aptè conceptisq; verbis Deus olim per Moysen Iudæorũ genti inculcans: *Mittam* (inquit) *Angelum meum, qui præcedat te, & custodiat in via, donec introducat in locum, quem præparaui*. Ad æternitatem quippe mortalibus summo præ cunctis beneficio contendentibus, salutis Auctor auxiliarem Angelorum contra Aduersariorum incursus manum, operamq; deesse nõ patitur. Quoniam verò acriores sub vitæ finem impetus, & ad Cœlum aspirantibus insidiæ ab hostibus patent: Instantiis namque maligni sub extremam vitæ periodum Spiritus tentando desæuiunt; vt è manibus præualendo coronam auferant, aditumquè in Dei Regnum præcludant: *Descẽdit* (inquit) *Diabolus, habens iram magnam, sciens, quia modicum tempus habet*. Validiora proinde tunc homini è Cœlo auxilia suppetunt, adeoque vbi omni quis solatio penitus destituitur, haud fideli, ac tutelari diuinitus Angelorum carere præsidio permittitur: cùm magis etenim sęuit hostis; tunc maximè Angelus suam pro nobis sollicitudinẽ exercet.

Exodi c. 23.

Apoc. 12.12.

Aduersus irã & nequitiam Diaboli, Angelorum sollicitudo, præsto est.

Apocalis cap.

3. Angeli siquidem sic homines diligunt, vt eorum tum lucra, tum damna sibi propria computent, adeoque communia ipsis sint: cuncta nostra tam læta, quàm tristia. Idipsum etenim illis, quod & Apostolus diligentibus ait, experimento contingit, nempe *gaudere cum gaudentibus, flere cùm flentibus*. Id sanè Augustinus altiùs aliquando demiratus: *Grandis est* (inquit) *eis cura de nobis, magnus est affectus dilectionis eorum erga nos &c. diligunt enim, quos tu*

Ruffinus in vit. S. Pauli simp. apud Sur. lib. 2. c. 30 Et in vit. Patr. lib. 3. c. 145

Rom. 12.15.

August. lib. soliloq. c. 27.

dili-

Angelorum summa erga omnes dilectio.

diligis; custodiunt, quos tu custodis, & deserunt, quos tu deseris: Nec diligunt operantes iniquitatem, quoniam & tu odisti omnes operantes iniquitatem, et perdes omnes, qui loquuntur mendacium. Quod diuinus olim inter Magni Antonij Discipulos, ac Dei arcanorũ intimè perscrutator visu aliquãdo percepit, de quo isthæc in Vitis Patrũ: *Abbas* (inquit) *Paulus simplex habebat gratiam, vt ingredientes in Ecclesiam aspiceret, & ex ipsa facie eorũ vniuscuiusq; cogitationes, seù mala essent, seù bonæ, sentiret. Cùm ergò venissent ad Ecclesiam, & ingrederentur, senex vidit eos clara facie, & læto animo ingredi, & Angelos eorum pariter cum gaudio cum ipsis. Vnum autem nigrum vidit, & nebulosum habentem corpus, & Dæmones hinc atque inde trahentes eum ad se misso fræno in naribus, & Angelum Sanctum eius à longe sequentem tristem. Beatus ergò Paulus cœpit flere amarissimè, & pectus suum tundere sedens ante Ecclesiam propter eum, quem talem viderat. Omnes autem alij senes videntes eũ sic flentem cœperunt rogare: vt si quid in ipsis vidisset, manifestaret, aut cum eis ingrederetur in Congregationem: ille autem nolebat ingredi, sed semper flebat, propter eum, quem sic viderat. Post paululum autem cùm absoluta Congregatione discederent, iterum omnium vultus circumspiciebat, si tales egrederentur, quales ingressi sunt, & vidit illum, quem ante viderat nigrum, & nebulosum egressum de Ecclesia clara facie, & candido corpore, & Dæmones à longe sequentes eum, sanctum autem Angelum eius prope eum hilarem, & gaudentem super eum nimis. Tunc Paulus exurgens cùm gaudio vociferabatur benedicens Deum, ac dicens: Quanta misericordia, & benignitas Dei est; Quanta miseratio eius. Et ascendens in altiorem locum magna voce dicebat: Venite, & videte opera Dei; venite, & videte quemadmodum, vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Venite adoremus eum dicentes: Quia tu solus potes peccata tollere. Cùm autem omnes conuenissent, exposuisset eis Paulus, quem vidisset, antequam ingrederetur in Ecclesiam, & quem postea; & petebat illum Frater, quem sic viderat, vt ei manifestaret cogitationes suas, et actus, vel quemadmodum tantam commutationem illi Deus donasset. Ille autem ante omnes cœpit referre*

Inuit.PP.lib. 5.c.147.

Proinde læti interdum homines ac tristes pro diuerso animarum statu apparent.

Paulus simplex Dei misericordiam, & Angelorũ in hoc dilectioné maximè admiratus.

Psal.45. ad li ...

dicens: Ego sum homo peccator, & in multis temporibus istis semper fornicationem gessi: Ingressus autem nunc Ecclesiam Dei, audiui verba Isaiæ Prophetæ, magis autem Dei per ipsum loquentis: Lauamini mundi estote, et tollite malitias de animabus vestris ante conspectum oculorum meorum: Discite benefacere. Quærite iudicium, et si fuerint peccata vestra tanquam coccinum, velut nix dealbabuntur, et si volueritis, et audieritis me, bona terræ comedetis. Ego autem miser, et fornicator compunctus in hoc sermone Prophetæ, et ingressus intra pectus memor dixi ad Deum: Domine tues, qui venisti saluare peccatores. Has ergo quoque nunc per Prophetam promisisti, opere comple in me indigno peccatore. Ecce enim amodò profiteor tibi, et ex toto corde confiteor; quia hoc vlterius non faciam malum, sed renuncio omni iniustitiæ, & admodum seruio sibi in conscientia munda. Ab hodiè ergò Domine, & ab hac hora suscipe me pœnitentem, & adorantem te, & renunciantem omnibus peccatis. Iuraui, et statui apud me seruare omnes tuas iustificationes. Sub hac ergò sponsione egressus solus sum de Ecclesia, statuens apud me nihil de prioribus peccatis vlteriùs facere. Tunc omnes senes exclamauerunt dicentes ad Dominum voce magna: Quàm magnificata sunt opera tua Domine! omnia in sapientia fecisti. Hæc in B. Pauli gestis, quibus assidua Angelorum tuendis, reuocandisque ad Pœnitentiam hominibus sollicitudo, ac iuge ipsorum ad Deũ pro mortalibus studium, nec non post eorundem conuersionem gaudium planè ineffabile ad viuum cunctis ob oculos adumbratur. *Diligunt* namq; (vt Augustinus inquit) *Conciues suos, per quos sua ruinæ scissuras restaurari expectant; ideoque magna cura, et vigilanti studio adsunt nobis omnibus horis, et locis succurrentes, et prouidentes necessitatibus nostris.* Sic planè immortales illi Spiritus libètissimè mortalium saluti, ac beneficio se ipsos incessanter impendunt. Inde verò pia Angelorum in terris iugiter pro singulis nostrum sollicitudo proditur, ipsorumque suam omnem, tum animi, tum corporis hominum vtilitati impendentium opera, vel ex eo manifestè cunctis charitas elucet, quod in Patrum olim gestis traditur. Vbi cuidam inter Eremi incolas Pœnitentiæ operibus vacanti,

Isaie c. 5

Statum animarum visu deprehendens Deũ laudat.

Isaia cap. 5.

Psal. 118.

Psal. 103.

Aug. vbi sup.

Angelorum charitas qualis.

In vit. PP. vt in Horto Pastor lib. 1. c.52.

In vit. PP. dum aliquando infirmus lecto decumberet, per plures hebdomadas Dei Angelus ministrasse fertur, quò vsque Monachi ad ipsum venirent, qui vbi cellæ ostiũ pulsarent, mox Angelus ab eo discessit; Infirmo interim altiori ipsos voce inclamante: *Rogo* (inquit) *Fratres discedite, quia vobis huc venientibus, reliquit me Angelus meus, à quo visibiliter obsequium, & solatium percipiebam*. Quibus ille prolatis, ac Angeli, qui sibi adstabat, priuari aspectu rem planè intolerandam ducens, nolensq; huiusmodi viuens tũ beneficio, tùm etiã carere solatio, mox in Domino feliciter obdormiuit; eiusquè anima Angeli, cuius pridem ministerio iuuabatur, tunc manu in Cœlum leuata, quæ, & quanta hominibus Angelorum patrocinio bona proueniant, cunctos palam edocuit.

Angelus suã ergã infirmũ curam, ipsi ministrando ostendit.

4. Et sanè maxima quæque Angelorum manu hominibus gratiarum dona proueniunt; Sed in primis, quod fere cunctis perneceßarium est, Pœnitentiæ donum non nisi ipsorum præsertim ope diuinitus homini plerumq; contingit, adeò vt peccatores Angelis vltro inspirantibus, aut prouehentibus, vel certè minis aliquando adhibitis excitati ad Pœnitentiæ sinum procurrant. Quo quidem genere Natalius olim sub Zephyrino Pontifice Christi Confessor, sed cùm postea infeliciter corruptus pecunia, Theodori patrocinandam hæresim suscepisset; sui tandem compos effectus, errorisque pertæsus, ad Romanum Pontificem supplex venit, vt patrati sceleris exomologesim, eius prouolutus pedibus humiliter ageret, de quo isthæc Eusebius: *Facinus* (inquit) *apud nos admissum fidelibus in Domino, quo illos erudiam, commemorabo: Quod credo si fortè in Sodomis gestum fuisset, etiam illos ad scelera sua pœnitentiæ lacrymis maturè eluenda admonuisset. Erat quidem Natalius Confessor non iam pridem, sed nostris iam penè temporibus: Iste ab Aclepiodoro, et altero Theodoto trapezita fraude fuit deceptus (hi quidem ambo Theodoti Coriarij, qui priùs propter istam nouam prudentiam, immò verò amentiam ex Christianorum communione à Victore, vt dixi, qui tunc erat Pontifex, excludebatur, Discipuli erant) et ab illis duobus, quos suprà posui, salario quodam, et mercede persuasus, vt illius erroris Episcopus crearetur, ea lege nimirum, vt centum quinquaginta denarios menstruos isti ei persoluerent. Qui quidem cùm se in illorum societatem dedisset, per visiones quasdam à Domino ad se demissas, sæpenumerò admonitus fuit: Deus enim misericors, & Dominus noster Iesus Christus Martyrem, & testem suarum afflictionum extra Ecclesiam miserè deperire noluit.*

Pœnitentiæ donum Angelorum ope, ac opera hominibus prouenit.

Baronius An. 207. n. 1.

Eusebius lib. histor. 5. cap. 27.

Natalius hæresi viciatus, Angelorum voce, vt pœniteat per visum admonitus.

5. *Caterùm quoniam primæ erat apud illos Sedis Episcopalis appetitione tanquam hamo inescatus; & turpi quæstu, qui multis affert perniciem irretitus, & propterea lentiùs, tardiùsquè Dei visionibus animum attendit, tandem per integram noctem à Sanctis Angelis flagris, & verberibus vsque adeò acerbe, & grauiter cæsus fuit, vt cùm primo mane surgeret, cilicio: & sacco indutus, cineribus aspersus, magno cum mœrore, & lacrymis ad pedes Zephyrini Pontificis se supplex abijceret, & non modò ad Cleri sed Laycorum etiam genua aduolueretur; ità vt Christi misericordis Ecclesia illum magnoperè commiserata lamentis vnà se dederet. Attamen ille licet multis precibus vsus fuisset, & plagarum vibices, quas pertulerat, ostendisset, vix tamen in communionem Ecclesiæ receptus fuit.* Hæc ille de Natalio, qui turpiter in hæresim prolapsus est, sed inflictis subinde Angelorum manu plagis perculsus acriter, mox resipiscens, & ad Pœnitentiæ remedia conuolans intra Ecclesiam corde compunctus in Pœnitentium numero receptus est.

Eusebius vbi supra.

Post monita ab Angelis per integrã noctem flagris cæditur.

Percussus tandem resipiscit, & plagarum signa ostendens.

6. Enimuerò ni benigna vltrò Angelorum, ac fida custodia protegeret & hominibus à peccatorum fouea ad Deum traducendis suis tum monitis, tum precibus præsto iugiter foret; plerique profectò mortalium Orco præda, ac tryumphus cederent, qui culpis obnoxij desperata iam salute omnino perijssent. Et sanè Landelinus nobilis olim in sæculo adolescens, S. Autberti Cameracensis Episcopi à Parentibus prouidæ, ac paternæ curæ commendatus, iam inter Tartari sybilos, ac perditorum hominum tecnas, qui à clericali tonsura, quã S. Autbertus ipsum insignire decreuerat, subdolis verbis, falsoquè ementiti amoris, ac beneuolentiæ obtentu commiserando auertebatur, adeo vt iam de animæ negotio actũ videretur; blandis quippe illi iuuenem à sancto proposito, & his quidem præualendo abducere verbis conabantur: *Noli*

Landelinus adolescens blandis seductus verbis, Angelorum ope salutem consequitur.

Surius Iunij 15.

Marchantius in horto Pastorũ lib. 3. tract. 4. pag 455. Ex gestis S. Landelini.

Blandæ amicorum ipsū perdere volentium voces.

li frater (inquiebant) *decorem iuuentutis contemnere, Mundo nuncium remittere; si feceris, nec tibi, nec Parentibus vlli vsui eris: præstat, vt nobiscum fruaris Mundi huius oblectamentis, & Monasterium deseras, nolumus, vt ibi instar mortui cuiusdam otiosus desideas. Veni nobiscum, suppeditabimus omnia libita animo tuo, opes, & honores.* Hæc illi noxijs verborum adblandiendo commentis, vt videlicet à S. Autberto aufugiens, dolisque interceptus deficeret, adolescenti perperam ingerebant. Præmijs igitur miser illectus, egregijs in malo ducibus se comitem iungens, rapinis subinde, & cædibus vacare cepit, & ex filio lucis, iam seculi, ac tenebrarum filius effectus; dum illud Sapientis oraculum non meminit, iā sui oblitus est: *Fili, si te lactauerint peccatores, non acquiescas eis.* At B. Autbertus assiduè pro ipso preces fūdēs, paterna quoq; ad ipsū salutis dirigēs verba, ac inter scribē suggerens; scribendo nihil profecit, cùm ipse peccando in dies magis, magisquè, deterior fieret, adeò vt se ipsum quoque improbitate vincens, necnon suorū prauo animosior exemplo euadens, vnà cum socijs certi cuiusdam diuitis domum diripere statuisset: sed nocte flagitio condicta vnus ex complicibus è vita excedens, vel mortuus resipiscendi viam, ac vitam pariter ostendit. Quo ille casu vehementer absterritus, dum noctu obdormiret, miseri illius animam in Tartarum abduci à Dæmonibus videns, sic Dei Angelum & terribili quidem se voce increpantem audiuit: *Cerne* (inquit) *Landeline præmia laboris tui; vide animam socij ad æterna supplicia pertractam. Considera, an tibi melius sit in hanc protrudi gehennam, an potiùs nobiscum gaudys perfrui sempiternis: Missa igitur fac opera Satanæ, amplectere Christi militiam, depone cæcitatem; vt possis intueri claram Christi lucem, excute iugum diabolicæ seruitutis, vt post breuem hanc vitam possis æternùm cum Christo regnare: Audi, & agnosce spiritualem tuum Patrem Autbertum, suscipe ab ore eius monita cælestis doctrinæ.* Quibus dictis, mox Angelus ab eo discessit. Landelinus verò cœlestium verborum non tam sono, quàm tonitru perculsus, totus intremuit, absterritusquè, socijs derelictis, Cameracum festinus ad B. Autberti

Seductus rapinis, ac cædibus subinde vacat.

In gestis S. Autberti vbi suprà.

Prouerb. 1, 10.

Nocte qua diuitis domum diripere cum socijs parat, defuncti socij animam in Infernum rapi videt.

Angeli salubriter se increpantis vocem audit.

pedes procumbens, iniungi sibi ab eo instantissimè Pœnitentiam rogat. Ille è contra perditam redeuntem ouiculam benignè, ac perhumaniter amplectens suscipit vltrò Pœnitentem, quem diu profugum fleuerat, aberrantemquè, ac Diuinæ item illi misericordiæ sinum adaperit; & sic tandem ille ad Deum conuersus profecit, vt totus mente, sæculari licet habitu immutatus in ieiunijs, & austeriori vitæ forma Pœnitentiā agens, diutinis pœnis excoctus, à B. Autberto tonderi, & cœlestis militiæ indui clamydem humiliter posceret, abijciensquè ipsum procul à se vnà cum veste sæculum, & tenebrosa cuncta Mundi negotia, vt intensiùs posthac sibi, ac Deo vacaret, demum post enormes, capitalesque noxas pœnitens Sanctitatis apicem conscenderit. Quo sanè prouida Angelorum cura pro perditis quoque hominibus ad Deū traducendis, ac sollicita iugiter vigilantia cunctis innotescit.

Mox ad B. Autbertum Episcopum, & ad Pœnitentiā conuolat.

Sæculo se abdicans sāctitatis metam attingit.

7. Indefesso itaque ipsi salutis hominum procurandæ studio Angeli apud Deum, & pro Deo item apud homines assiduè intendunt, necnon maxime ad Pœnitentiam peccatores excitando, atq; exhortando instant, vt prolatis in mediū historiarum exēplis euincitur. Sed ex his, præsertim, quæ idem Iacobus Marchantius his verbis meminit: *Refert* (inquit) *Franciscus Albertinus quemdam Societatis Sacerdotem appulisse Cosentiam, præcipuam Calabriæ Ciuitatem, statimquè importunè rogatum fuisse à quodam, vt exciperet eius Confessionem totius vitæ. Interrogat Sacerdos, quid eum premat, cur illo die tam festinanter, tanto desiderio id flagitet? Narrat ipse. Nudius tertius consulebam amicum, quomodò iniuriam à quodam mihi illatam vlciscerer: persuasit, vt ambo bombardis armati illa nocte illum prosequeremur. Itaque domum repeto, arripio bombardam, rotas, & silices præparo, et ecce speciosus iuuenis ad me accedit. Quid (inquit) meditaris? quid mortis instrumenta paras? ego consilium dissimulo. At ille forti zelo putas me latere, quid attentes, immemor salutis tuæ, et proximi, quem persequeris? memor esse deberes, quanta à te Deus patitur, et tu nec minimam vis pati iniuriam? multoties et iam in æternam perditionem deuoluere potuisset, qui peccata peccatis accumulas, sed*

Iacobus Marchantius in horto Past. lib. 1. trac. 2. de custodia Angel.

Quidā apud Cosentiam à Sacerdote, vt generalem eius Cōfessionem excipiat, cœlesti visu ab Angelo monitus instanter petit.

Franciscus Arbertinus lib. de Angelorum custodia.

per patientiam te tot annis expectat. His, similibusquè multis exaggerans mihi amorem, et beneficia Christi, et peccatorum memoriam refricans transfuerberabat cor meũ etiam vsque ad lacrymas. Tandem sermonem finiens, monet, vt peccatorum facerem confessionem, dum Pater aliquis Societatis huc accessisset. Interim socius è vico me euocat, vt item promissis, cùm verò nollem respondere, impulit iuuenis ad respondendum. Accessi ergò, et indicaui ei me mutasse consilium, nec posse istud sine aperto salutis dispendio. Hoc dicto regressus sum: et iuuenem monitorem non reperi dolui quidem, nõ potui tamen aliud cogitare, quàm esse meum Angelum ob consolationem ex eius alloquio relictam. Vnde ab illo die auidius expectaui aduentum R. V. vt Angelo parerem. Sic planè Angelus orando, monendo, suadendo, solando, ac terrendo insuper hominem ad salutem prouehit, & maximè sub vitæ finem præsto est laboranti.

Confessione peracta speciosum, quẽ hortatorem habuit, iuuenem non reperit.

Angelus ipsius custos fuisse creditur.

8. Pia itaque in primis Angelorum sollicitudo vel suadendo, & planè efficax in hominibus ad pœnitentiam pertrahendis opera elucet, vt in Brasilia præsertim Dei famulis ad rudem illam, inexcultamque moribus gentem ad fidem Christi traducendam contigisse fertur, & in Iosephi Anchietæ miro planè zelo in id incumbentis olim gestis traditur, quod itẽ nonnisi Angelorum ductu, atque impulsu accidit; hæc enim ibi: *Quodam die* (inquit) *à comitibus digressus, solus in syluam intrauit, et quasi alterius manu duceretur, in senem incidit humi abiectum, atque arbori incumbentem. Isquè senex eum videns, his vocibus compellabat: Perge huc venire, iam iam diù te expecto. Quærit ex eo Iosephus, quisnam sit? quę patria, et vnde illuc veneris? Respondit senex, se ex remotioribus terris esse, patriamquè suam mari imminere, et alia adiecit, ex quibus satis indicabat ministerio plusquam humano illuc translatum, vel Diuino aliquo duce suis gressibus illuc venisse, ex quo labore, et ætate fractus iacebat. Quæsiuit rursus Iosephus, cur venisset, et quid ibi quęreret? respondit, vt rectam viam percipiam. Hoc loquendi modo Diuinã legem, et iter ad salutẽ intelligens Brasily. Cùm verò accuratè omnem eius vitam per omnes ætatis partes inquisiuisset; cognouit, ipsum nunquam nisi vnam coniugem habuisse, nunquam arma, nisi sui defendendi causa suscepisse, nunquam lethali culpa naturæ legem violasse, vt verissimum illud esse credamus, quod de talibus innocenter etiam in infidelitate viuentibus tradunt Theologi à Deo non deseri, quin illuminentur quacunque via. Comperit pręterea hominem natura bono magno, praditum cognitione rerum pertinentium ad animam, æqui præsertim, et iniqui; tum etiam ipsius naturæ auctoris. Et cùm multa de vera religionis Mysterijs illi Pater exponeret, subijciebat idem, se intra animum suum ità sensisse, sed exprimere nescisse. Ergò satis instructum labore, et ærumnis itinerum, ætateque confectum; quoniam solutio instabat, aqua pluuia ex carduo collecta (nulla enim alia in arenis illis suppetebat) baptizauit, Adamumquè illi nomen dedit. Qui iam Diuino affectus beneficio, operante intus virtute Sacramenti, Diuinæ in se gratię sentiens charismata, oculis, manibusquè in Cælum sublatis, læto vultu, diuinæ bonitati primùm, tum etiam P. Iosepho gratias egit, et quasi expetiti voti compos; cùm nihil iam deesset eorum, quorum illuc causa Diuino ductu venerat, omni solutus cura, animam sacro lauacro expiatam in ipso primæ suæ regenerationis vestigio Deo reddidit. P. Iosephus illum mortuum statis precibus de more commendauit, et sabulo sepeliuit.* Sic profectò religiosus Vir Angelico planè ad senem impulsu in syluas quasi manu adductus est, diuinis vt ipsum Mysterijs preuio instruens cathechismo, postmodum baptizaret, morienti adesset, ac mortuum denique Christiano ritu sepeliret.

Turfellinus lib. 2. cap. 17 Ex horto Pastorum Marchantium trac. 4. de verbi Dei preconibus.

In Brasilia Angelorum opera in gẽtibus illis ad fidem traducendis elucet.

Senex à Iosepho Anchieta rebus fidei imbui postulat.

Vir integer mę mj moralibus obseruantiæ. Nunquam lethali culpa naturæ legẽ violarat.

Baptizatur nomine Adã imposito.

Gratias agẽs, Paulo post spiritum Deo reddidit, & sabulo sepelitur.

9. Quantam verò maximè sub finem castè, laudabiliter digne in Dei obsequio vita fiduciam, atque solatium sub Angelorum, ac beatorum ciuium patrocinio præbeat, & quantam sibi insuper voluptatibus, ac sęculi blandicijs se abdicantes mercedem repromittere valeant, Vrsini Presbyteri exemplo liquet, qui legitimam vxorem, vbi ad presbyteralem ordinem ascendit, velut hostem semper timens abhorruit, adeò vt nec in supremo vitæ termino hanc sibi propiùs accedere permiserit, tandem viro è vita decedens, Superos sibi in agone adesse, ac Sanctos præsertim Apostolos consolatores, sibique pariter ad æternitatem itineris

Gregorius Dialogorum lib. 4. cap. 1 &c.

Baronius an. 591. n. 18.

Vrsinus Presbyter sacerdotali munere insignitus, vxorem quam habuit vti hostem vitat,

ris duces, ac comites habere promeruerit, vt Gregorius Papa in suis Dialogis his verbis meminit; *Sed neque hoc*(inquit) *sileam, quòd vir Ven. Abbas Stephanus,etc. in eadem Prouincia Nursiæ contigisse referebat: Aiebat enim, quòd illic Presbyter quidem Vrsinus nomine commissam sibi cum magno timore Domini regebat Ecclesiam, qui ex tempore ordinationis acceptæ presbyteram suam vt sororem diligens; sed quasi hostem cauens, ad se propiùs accedere nunquam sinebat, eamquè sibimet propinquare nulla occasione permittens, ab ea sibi communionem funditus familiaritatis absciderat; Habent quippè Sancti Viri hoc proprium; nam vt semper ab illicitis longè sint, à se plerumque etiam licita abscindunt. Vnde idem Vir, nè vnquam per eam incurreret culpam, sibi etiam per illam ministrari recusabat necessaria. Hic ergò Ven. Presbyter cum longam vitæ implesset ætatem, anno quadragesimo Ordinationis suæ inardescente grauiter febre correptus, ad extrema deductus est: Sed cùm eum presbytera sua conspiceret solutis iam membris quasi in morte distentum, si quod adhuc ei vitale spiramen inesset, naribus eius apposita curauit aure dignoscere. Quod ille sentiens, cui tenuissimus inerat flatus, quantulo annisu valuit, ut loqui potuisset, inferuescente spiritu collegit vocem, atque erupit dicens: Recede à me mulier, adhuc igniculus viuit, paleam tolle. Illa igitur recedente, crescente virtute corporis, cum magna cæpit lętitia clamare dicens: Bene veniant Domini mei, bene veniant Domini mei. Quid ad tantillum seruulum vestrum estis dignati conuenire? Venio, venio. Gratias ago, gratias ago. Cùmquè hac iterata crebrò voce repeteret, quibus hoc diceret, noti sui, qui illum circumsteterant, requirebant. Quibus ille admirando respondit, dicens: Nunquid hic conuenisse Sanctos Apostolos non videtis? Beatum Petrum, et Paulum primos Apostolorum non aspicitis? Ad quos conuersus dicebat: Ecce venio, ecce venio. Atque inter hac verba animam reddidit*. Congruè igitur, qui omni vel licita se ob Deum voluptate abdicans, omnem sæculi consolationem, cunctaque à se carnis oblectamenta reijciens iam in terris Angelorum instar in carne, quasi sine carne viuebat, supernorum ciuium sub finem diuinitus releuari pręsentia meruit.

Vel iam senex, ac moriturus sibi timet.

Vxorem sub vitę finem sibi ministrantem duris verbis reijcit, & procul esse iubet,

Beatos Coeli ciues, ad se venientes festiuum in morem salutans excipit eorumque aduentu lætatur.

10. Et Angeli quidem tum luctæ, tum victoriæ in terris certantium spectatores, ac patroni, suam ab ipsis in supremo agone, & sub extrema vitæ momenta, desiderari opem non sustinent. Quapropter Augustinus Nouellus, de quo & nos alibi, mira Pœnitentiæ, & Diuinarum virtutum laude inter Religiosos Augustiniani Ordinis Viros præcipuus sub vitæ terminum, ipsum, quē ad Pœnitentiam monitorem, ac ducem habuit Angelum, ad laborum subinde mercedē à Deo vocatus, sub vitæ occasum proximæ iam felicitatis præconem, ac faustorum quoq; bonorum prænunciū optatumque sortitus est cōsolatorē, de quo isthęc in Senensibus fastis: *Optimè adeo*(inquit) *meritus de terrestri patria, ad cœlestis tandem præmia euocari meruit ab Angelo, qui spectabilis illi nuncium optatissimum tulit. Hinc veterem morem ductum esse nonnulli autumant Augustini imagini proximam Angeli effigiem ad aures alloquentis collocandi.* Læto igitur Vir Dei accepto nuncio, qui Pœnitentiæ iugiter addictus, procul ab hominibus, Coelo dignus in solitudine perstitit. iam iam futurus Angelorum socius, & Cœlitum consors ab Angelo pariter amica tunc voce salutatur; cùm ad ęternitatem properans terrenis cunctis relictis, Cœlum lætus adiret, cui nobile Cœlum ipsum, postquam suo illum sinu recepit, testimonium prębens, ipsius immortalem mortalibus vltrò felicitatem manifestissimè prodidit, vt in prædictis sic fastis: *Ab obitu*(inquit) *laureatam Augustini animam inter superum plausus Cælum conscendere intuitus est B. Petrus à Camerata è longe dissito Montisiciani Cęnobio. Par quippe fuit, vt & Cæli testimonio beatissima comprobaretur illius mors, qui in sylvis, hoc est teste Cælo, tam sanctè vixerat.* Et congruè, Angeli etenim, qui Pœnitentium hominum adeo lacrymis gaudent, eorundemquè subinde tryumphis lætantur; adeò vt quos mœstos, tristesquè inter carnis angustias spe, ac solatio in terris fouent, promeritis tandem gaudijs cumulandos, coronandosque in triumphi morem prosequantur in Cœlo; sic quippe illud de mendico Lazaro in Euangelio innumeris dudum pœnis attrito, ac pœnitentię infulis purpuræ ad instar coruscante legitur: *Factum est autem, vt moreretur*

In Fastis Senensibus 19. Maij ex MS. Bibliot. Senensis Congregationis Illicet. in B. Iordano à Balbr. in vit. Frat.

Augustinus Nouellus Angelum sub vitæ finē læta pręnunciantem audit.

In Fastis Senensib. vbi supra.

B. Petrus à camerata Cęlum conscendere visus est.

Lazarus mendicus Angelos sui funeris portitores habet.

Lucæ cap. 16.

reretur mendicus, et portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ. Quos igitur mendicus pridem vlceribus scatens, dignos virtutis arbitros, & fidos pœnarum, ac suę paupertatis testes, necnon inter sæculi ęrumnas consolatores habuit, ipsosmet triumphi socios, ac nobilis item funeris portitores sortitus est: *Portatur* (inquit Chrysostomus) *post tantos labores, quia priùs defecerat, et portatur ab Angelis.* Sic ille.

Chrysost. ser. de Lazaro mendico.

11. Quid ergò emolumenti, et quid solaminis tandem sub vitæ finem tutelaris præster beatorum Angelorum opera, eorundemque præsentia, vnus præ cæteris hic testis adest; Gulielmus videlicet Elfinsthonius, patria Scotus, sanguine, ingenio, ac virtute admodum nobilis, de quo isthæc Platus: *Cùm penè* (inquit) *adolescens nondum integro mense, postquam in societatem nostram admissus esset, in lethalem febrim incidisset, incredibilem semper alacritatem, & verbis, & vultu, & factis ipsis prætulit; cùm satiari non posset gratijs Deo agendis, quòd in Religione moreretur. Extremo autem fermè spiritu cum Fratres in cubiculum confestim introeuntes videret, in hanc ipsam vocem erupit: O gloriosam (inquit) mortem tot Angelorum agminibus constipatam; Non videtis (inquit) Angelos? simulque Angelum suum Custodem compellans, aliquandiu cum eo ità loquutus est, quasi eum oculis aspiceret, à quo sibi deinde denunciatum narrauit, se per Purgatorij quidem loca transiturum, sed celerrimè euolaturum. Quærente autem nescio quo, qua specie, & qua forma is Angelus esset; Adolescentem quendam, qui tum aderat, indicauit, cui simillimum esse dixit: Mox etiã dulcedine quadam mixtaque feruore ità completa est eius anima, vt corpus ipsum licet grauitate morbi, & mortis propinquitate fractum, aliquandiu tandem insolitis motibus super lectulum, quasi exiliens, & gestiens agitaretur, cum omnium admiratione, qui nunquam simile aliquid viderant. Simul etiam oculos retrò post ceruical cum magna quadam exultatione reflectens, ac nescio quę, quæ à nullo percipi potuere, submurmurans, indicabat se aliquid ibi spectare, quo maiorem in modum oblectaretur. Inter quæ gaudia repentè consistens, tanquam placidissimo somno consopitus spiritum exhalauit.* Felix profectò, qui inter moriendum, prę gaudio gestiens, Angelorum præsentia se ad mortis agonem viriliter subeundũ mirificè iuuari persensit, vt spe releuatus posthac nec mortem, nec Purgatorij pęnas spiritu exultãs paueret.

Gulielmus Elfinsthonius sub vitę finem Angelos, & custodem ... cernens ...

... Platus ... lib. 1. ... statu ... cap. 31.

Tutelarem Angelum humiliter, ac fiducialiter alloquitur.

Ab eo de proximo exitu, & de breui in Purgatorij pœnis mora certior fit.

12. Demum quia summæ Angelis tum curæ, tum lætitiæ est hominum salus, ac peccatorum præsertim pœnitentium in terris maximè exoptata conuersio: *Gaudium* (inquit) *est in Cælo super vno peccatore pænitentiam agente, quam super nonaginta nouem iustis, qui non indigent pęnitentia.* Inde fit, vt semper de animarum salute aduersus Diaboli fraudes, & iugi conatu solliciti, mox tamen hominibus sub extrema vitæ momenta pugnando interim, ac propugnando intendant, quod S. Philippus Congregationis Oratorij Pater Camillo de Lellis, eius in Christo filio, & Clericorum Religiosorum infirmis ministrantium Auctori disertis aliquando verbis edixit; hæc quippè de sollicita adhibenda infirmorum tũ corporibus, tum animis opera in eiusdem S. Philippi gestis habentur: *Hęc porrò* (inquit) *Christiana charitatis exempla plurimorum animos ad pietatem excitarunt: Quamobrem non solùm Clerici, sed etiam Layci, nobilesque Viri publica Nosocomia, & Xenodochia frequentare cœperunt (res planè ijs temporibus insusitata) vbi ægrotis, vel peregrinis pro cuiusque pietate humillimè obsequia præstabant. Hinc etiam originem traxit ministrantium infirmis institutum: qui Camillum Lellium patrem agnoscunt, virum virtutibus insignem, eumdemque Philippo addictissimum. Hic prætermittendum neutiquam est, Philippum ipsum affirmasse se, cùm duo ex eorum familia morientium animas Deo commendarent, vidisse Angelos ad eorundem aures verba suggerentes; idquè sæpius ijsdem enarrasse, vt Religiosos hosce viros ad tam salubre pietatis officium inflammaret, quod etiam in eorum Chronicis notatum legitur.* Ex meritò quidem res ita se habuit; Angeli quippe, qui hominibus inter viuendum, luctandumque monitores, ducesque in bono, Dei ipsius consilio, ac singulari beneficio destinati sunt, eius quoque nutu ijsdem constitutis in agone consolatores, Patrini insuper, ac propugnatores aduersus tartareos hostes, quo salutis negotium prosperè cedat, proculdubio adsunt.

Lucæ cap. 15.

Angelorum opera maximè sub vitæ finẽ hominibus præsto est.

Petr. Iac. Bac. in vit. S. Philippi lib. 4. c. 7

S. Philippus Nerius, Angelos Religiosis viris ad moriendũ in agone homines verba suggerentes videt.

funt. Et congruè quidem præpotens Angelorum virtus, & in supremo præsertim certamine, ac certantium periculo, ipsorũ diuinitus opera præsto est: *Neque enim* (vt Damianus inquit) *versutia tam callidi, tam exercitati hostis posset fragilitas humana resistere, nisi eos in tentationibus electorum virtus Angelica propulsaret*. Haud hominibus itaque tam valido suffultis, vallatisque præsidio de sua licet imbecillitate conscijs, de ipsius Dei bonitate, fiducialiter præsidentibus metuendum; *Quoties ergo* (inquit Bernardus) *grauissima cernitur vrgere tentatio, & tribulatio vehemens imminere, inuoca Custodem tuum, doctorem tuum, adiutorem tuum in opportunitatibus, & tribulatione*. Fidum quippè, ac suis opportunũ semper necessitatibus, & maximè quis sub vitæ finẽ cõsolatorẽ Dei Angelũ sentiet. Sed de his hactenus.

Petr Damiani lib. 1. epist. 7. ad Alex. 2. Rom. Pont.

Bern. Psal. qui habitat.

CAPVT XIV.

Pœnitentes, ne insidijs Dæmonum succumbant, Deiparæ, ac Sanctorum precibus iuuantur.

1 Diabolus, qui semel iustissimè, adeoque semper Cœlo exclusus, hic interim semper vti malleus ad probandos, secernẽdosque ipsius Dei electos inseruit, vix vnquam à pertinaciter instando, & dum tentat ab impellendo in malum homines totis neruis, velisque non cessat. Hinc meritò ille virorum Sanctissimus miseram hominis, qui omnimodis ab hoste semper impetitur, sortem intimo misertus corde: *Militia est* (inquit) *vita hominis super terram*. Vel vt alij aptè, concinnèque legunt: *Tentatio est vita hominis super terram*. Haud enim vnquam ab infestando acriter hostes, nec à pugnando milites, nec item Christiani à Diaboli vacant aliquando conflictu; Semper quippe ipsis in acie (Chrysologo teste) cum hoste dimicandum est: *Christianus* (inquit) *cui militare est totum id, quod viuit in sæculo* Enimuerò quemadmodum Diabolus assiduè tentãdo instat, nec impugnando desinit, aut fatigatur, sic Christianus pariter ab ipsius nunquã molestijs liber, ac tutus manet; Hinc Antonius beatissimus Anachoretarum Princeps terrarum Orbem laqueis refertũ aliquãdo conspiciens, absterritusque potissimum illis Deum verbis fertur cõpellasse: *Quis mortalium* (inquit) *Domine poterit tot retia euadere?* Cui mox illud è Cœlo pro responso oraculum diuinitus exhibitum est: *Solus humilis*.

Diabolus vti malleus ad electos probandos inseruit.

Iob. cap. 7. num. 1.

Alii sic vertant.

Chrysol. in serm.

Christianis semper in stadio currendum, & cum hoste pugnandum.

S. Athanas. in vit. S. Antony Ab.

2 Mortalium itaq; nemo, ac Sanctorũ pariter nullus à Diaboli tentationibus abit immunis, adeoque Tobias postquã Deo fidelis, ac sibi bene constans in tentatione inuentus est, nobili item diuinitus oraculo commendatur: *Et quia acceptus eras Deo, necesse fuit, vt tentatio probaret te*. Tãta quippe antiquus serpẽs, ac humani generis hostis, tentando vi, ac sæuiendi perpetuò malignitate instat; vt de cunctis sibi palmam iuxta solemne Iobi dictũ tentando repromittat: *Fiduciã habet, quod Iordanis influat in os eius*. Ac si aduersus cunctos, qui salutaribus Baptismi aquis renati Deo, ac Cœlo sunt, se tandem tentationibus pulsando, pugnandoque præualere proculdubio posse præsidat. Verùm enimuerò etsi communis omnium hostis tentando, suisque iugiter hic dolis pugnet, cunctasque aduersus pœnitentes præcipuè vires, & conatum adhibeat; suas tamen artes, fraudesque inanes prorsus futuras intelligit, vbi Dei, ac Sanctorum quis patrocinio suffultus, tentanti validè pugnãdo resistens, haud ingruentium bellorum stimulis fatigatus consentiendo cedit; *Satanas quippe post Christi aduentum* (vt Augustinus ait) *alligatus est tanquam innexus canis catenis, & neminem potest mordere, nisi eum, qui se illi mortifera securitate coniunxerit*. Frustra igitur callidus hostis hominem tentat, si tentanti viriliter homo resistit, & latranti Diabolo strenuè se ipsum opponat. *Latrare* (inquit) *potest, sollicitare potest, mordere omninò non potest, nisi volentem. Non enim cogendo, sed suadendo nocet, nec extorquet à nobis consensum, sed petit*. Sanctorum itaque patrocinio suffultis pœnitentibus quidem, & Diaboli iugiter tentatione pulsatis optata tandem palma è Cœlo affulsit, ac digna vti victoribus post debellatum, triumphatumque hostem iustissimè corona prouenit. Certamen quippe nonnisi ob coronam mortalibus, & ob pacis tranquillitatem, tentationum item diuinitus procella immittitur, vt optimè, aptìsque

Tobiæ cap. 12 num. 13.

Tentatione electorum vnusquisque probatur.

Iob. cap. 40.

Diabolus eosdem vehementiùs impugnat.

Augustinus serm. 197. de tempore.

Diabolus nõ cogendo, sed suadendo nocet.

Augustinus, vbi supra.

Consensum tentando petit, non extorquet.

tisque Tobias aliquando verbis incul-cans: *Domine* (inquit) *qui non delectaris in perditione nostra, sed post tempestatem tranquillum facis, post gemitum, & lacrymas gaudium, & exultationem infundis*. Et congruè, nam qui modò pœnitentiæ lacrymis intendunt, demum sub vitæ finē post debellatos, superatosque tartareos hostes, Beatorum & ipsi, iisdem apud Deũ patrocinantibus consortio donãtur.

Tobiæ cap. 3.22.

Deus post tentationum procellas trã quillum fe cit.

3. Quoniam verò (vt hinc narrandi initium sit) Deiparæ potissimùm Virginis fiducialiter implorantibus auxilium, salutis proculdubio negotium feliciter prouenit, quæuis profectò enormia minimè peccata præpediunt, vbi Virgo apud Deũ hominis efficaciter patrocinando causam suscipit, vt Innocentius III. huius nominis Pontifex cęteris sic verbis inculcat: *Qui iacet* (inquit) *in noctę culpę, respiciat Lunam, deprecetur Mariam, vt ipsa per filium, cor eius ad compunctionem illustret. Quis enim de nocte innocauit eam, & non est exauditus ab ea: Qui ad diluculum Pœnitentię surgit, respiciat auroram, deprecetur Mariam, vt ipsa per filium suum cor eius ad satisfactionem illuminet*. Id sanè in Maria, altera longè dissimilis. Maria apud Aegypti regionem, à qua suum traxit cum pœnitentia nomen experta olim est, quæ ob carnis lasciuiam, ac vitæ turpitudinem, animi ipsos super carbones facie denigrata, ipsius tamen illibatæ Virginis Dei matris præsidio repente pęnitẽs vel dum pręceps in malum currit, euadẽs, immò Pœnitentiũ post Magdalenam fœminarum exemplar, ipsamque in se ad viuum in deserto exhibens, virtutum merito, & pœnitendi in primis studio pręfulsit, columbæ suas post turpitudines in Dei oculis adepta candorem. Hæc itaque Hierosolymam non tam ad venerandam Christi Crucem, quàm ad ipsi inter Veneres, cupidinesque Gentiliũ more insultandum profecta, & vna ex eorum numero, de quibus Apostolus ait: *Multi quidem ambulant, quos sępè dicebam vobis, nunc autem & flens dico, inimicos crucis Christi, quorum finis interitus, quorum Deus venter est*. Hęc tamen vel naufraga sub Mariæ auspicio salutis portum inuenit; Sed ipsam interim fœminam de se isthęc apud Sophronium Zosimæ fideliter narrantem audiamus. *Quando* (inquit) *venit sanctę Exaltationis festiuitas pretiosæ Crucis, ego quidem sicut et priùs pręibam iuuenum illaqueans, et capiens animas. Vidi autem primo diluculo omnes ad Ecclesiam vnanimiter concurrentes: Abii et ego currens cum currentibus, et veni cum illis in atrium Templi; et cùm venisset hora exaltationis diuinę Crucis impingebam, et impingebar, repellebarq; quodadmodo festinans ingredi cum populo magno conatu, et quidem quando ianuam ingredi debebam, alij quidem omnes sine impedimento ingrediebantur; me autem Diuina virtus prohibebat: non indulgens introitum: Mox igitur repulsa eijciebar foras, et eiecta inueniebar sola in atrio stans. Considerans autem per muliebrẽ impotentiam hęc mihi euenire, iterum aliis me immiscebam, vim mihi quodãmodò faciẽs introeũdi, sed etiam laborabam in vacuũ, &c.* Sed quod diuinitus fiebat, ipsi tãdem, cui fiebat, seipsam seriò recogitanti innotuit, & ad pœnitẽtiam, ne à sacris Templi foribus, ipsiusque misericordię sinu repelleretur, salubre procurrẽdi cõsiliũ cœpit, & quo dignè pœnitentiam ageret nonnisi Deiparę patrocinio ipsi tandem diuinitus contigit, vt sic auctor prosequitur.

Sophronius in vit. S. Mariæ Aegypt. Paulus Diac. apud Surium die 2. Nouembris an. 520.

Sub Deiparæ tutela feliciter salutis negotium cedit.

Maria Aegyptiaca pœnitentiam sub Mariæ patrocinio auspicatur.

Ap. ad Phil.

Sophronius vbi supra in vit. S. Mar. Aegypt.

Scandala ipsius inter peccandum ob eue repulsa à templi ingressu.

4. *Cępi itaque* (ait) *flens nimium conturbari, et pectus tundere, atque suspiria de profundo cordis proferens, et gemens eiulansque prospexi in loco, in quo stabam, sursum imaginem Sanctę Dei Genitricis stãtem, sic aio ad eam intentè, et indeclinanter attẽdẽs: Domina Virgo, quæ Deũ verũ genuisti secundum carnem, scio quoniam non est condecens, nec opportunum me sic horridam adorare imaginem tuam, vel contemplari oculis tantis sordibus pollutis, quæ semper esse Virgo dignosceris, & casta, quæ corpus, & animam habes mundam, & immaculatam; iustum autem est, me luxuriosam à tua purissima castitatis munditia abominari, & proijci. Tamen quoniam, vt audiui ad hoc effectus est, Deus homo, quem ipsa digna genuisti, vt peccatores vocaret ad pœnitentiam: adiuua me solitariam, & nullum habentem adiutorium. Pręcipe & mihi licentiam ingrediendi in Ecclesia patefactum aditum: Non efficiar aliena à visione preciosissimi ligni, in quo affixus Deus homo, quem concipiens ipsa Dei Virgo genuisti, proprium sanguinem dedit pro mea liberatione. Iube ò Domina, & mihi indignè ob diuinæ Crucis exaltationem, ianuam patefieri*

Deiparę pręsisa suffragio pœnitendi propositum firmat.

tefieri

teſseri, & te ex te genito Christo digniſſimum do fideiuſſorem, quia nunquam vltrà meam carnem coinquinabo per horrida cõmixtionum ludibria; ſed mox, vt ſily tui Virgo me lignum adorare conceſſeris, renunciabo ſæculo, & omnibus, quæ ſunt ſæculi, & vadam, vbi præceperis, ac demonſtraueris ſalutis viam, quia tu pro me fidem dixiſti.

Hæc dum dicerem ſatisfeci menti meæ, quòd Sancta Dei Genitrix poſſet pro me hæc omnia obtinere. Derelinquens itaque locum, in quo orabam, miſcui me inter hos, qui templum ingrediebantur, nulluſque repertus eſt, qui me foras repelleret; ſed magis vt vnda maris, ita me turba intrò impellebat appropinquare ſancto loco, quem prius nec pedibus calcare poteram: Tunc ex nimio gaudio apprehendit me pauor, dum me viderem locis adſtare ſanctis, vbi priùs iniquitas mea me ingredi prohibebat. Nam abſque vllo labore adoraui lignum Sãctę Crucis, & ſenſi ibi odorem ſuauitatis, & merui videre omnia Dei Myſteria. Et egrediens ad illam, quæ me fide duxerat, adiungenſque me in illum locum, in quo promiſſiones fidei dictionis Sanctæ Dei Genitrici feceram; flectens genua his cæpi loqui ſermonibus: Tu mihi Domina miſerta es, meaſque preces nõ repuliſti: per te merui gloriam Dei, quam peccatores percipere nõ poſſunt. Per ſe glorificabo Deũ, peccatorum recipientem Pœnitentiam: Quid amplius quaram, quàm quòd merui videre diuina Myſteria. Appropinquauit ò Domina tempus, in quo mea debeat impleri promiſſio. Nunc vbi tibi placuerit, dirige me, & demonſtra mihi Pœnitentiæ, & ſalutis viam. Dum hæc dicerem, audita eſt vox dicentis: Si Iordanem tranſieris illic bonam inuenies requiem. Ergo dum talem audiſſem vocem credens eam propter me fuiſſe dictã, cum lacrymis meas leuaui manus, & ita dixi Dei Genitrici: Domina mea ne derelinquas, neque deſeras me: ſed ingiter cuſtodias, vbi tu me vis ire. Et hæc dicens egreſſa ſum atrium Templi: & videns me quidam vir pius, obtulit mihi pro eleemoſyna nummos tres, dicens: Suſcipe Mater: Ex quibus minutos tres comparaui panes, quos mecum pro benedictione tuli in via. Interrogauique virum illum, à quo panes emeram, vbi vel quæ eſſet via volentibus ad Iordanem ambulare flumen: qui oſtendit mihi portam Ciuitatis, per quam iterad Iordanem facerem &c. Sic Deiparæ patrocinio peccatrix poſt adoratam Chriſti crucem, pœnitentiæ iter arripiens, & iam ſub ſalutari Crucis vexillo militare incipiens, dignas poſt Deo pro culpis pœnas exoluit; ſed haud acerrimis tẽtationibus pulſata arreptã Pœnitentiæ ſemitã deſeruit, quas tamen ſub eiuſdem Deiparæ patrocinio longo annorum ſpatio ſe ipſam exercens feliciter ſuperauit, Mariæ in cunctis animæ anguſtijs ſolatium experta; hæc enim ipſa Zoſimo narrauit.

Mariæ patrocinium haud à Deo in ſuis & pro ſuis repulſam patitur.

Poſt adoratum Crucis lignum pœnitentiæ ſibi locum monſtrari poſcit.

Decem & ſeptẽ annos in deſerto diram à prauis cogitationibus luctam ſuſtinet.

5. *Crede mihi* (inquit) *Zoſima, quòd decem, et ſeptem in hoc deſerto feris, & indomitis cogitationum beſtijs tranſegi carnalibus reluctans cogitationibus; dum recordabar affluentiam præteritorum ciborum, deſiderabã carnes vel piſces, quos in Aegypto ante commederam. Delectabar vini potu inſatiabiliter, Multo enim verè vtebar, dum fuiſſem in ſæculo. Delectabant me nefanda cantica Dæmonum, quæ antea didiceram; ſed mox lacrymas fundebam, & manibus pectus vulnerabam. Reducebam mihi ad memoriam illam, quam mihi fideiuſſorem feceram, dum in hunc ingrederer eremum; & quaſi Dei Genitricis adſtarẽ imagini, ità eã lacrymabiliter rogabã, vt amoueret peſſimas, & ſordidiſſimas mentis meæ cogitationes. Et dum plurimas funderem lacrymas, vndiq; mihi refulgens videbam lumen, atque claritate coruſca circundabar. Rurſũ autem inſidiabantur mihi fornicationum mearum cogitationes, quæ quaſi ignis vehemens deuaſtabant viſcera cordis mei impellentes me ad pernicioſa deſideria; Dum verò talia tentationum certamina indeſinenter mihi inſiſterent, ad conſueta orationum recurrebam arma in terram me proijciens, eamque lacrymis inundans, meã, vt mihi ſuccurreret, orabam fideiuſſorem, ne poſtmodum, vt præuaricatrix damnationis extremæ luerem pœnas etc. Sicque ſancta fideiuſſoris meæ protecta ſolatio, tranſegi decem, et ſeptem annorum ſpatia, innumera euadens pericula. Et ex illo tempore vſque hactenus auxiliatrix mea preſto mihi inuenitur vbique, et vndique vigilans cuſtodit me.* Hæc de ſe mulier nõ amplius iã peccatrix, ſed Pœnitens Deiparæ patrocinio obtinuiſſe gloriatur, immo ſanctitatis culmen attingens ad Virginis procurrẽdi ſinum ſpem cunctis exhibet, cum ad recipiendum ipſa ſit prom

vbi ſupra num:19.

In bello ſub Deiparæ patrocinio victrix Diabolum, & carnem ſuperat.

Blos. in Monial. Spir.

prompta, vt Birgittæ suismet verbis edixit: *Quantumcumque homo peccet, si toto corde cum vera emendatione confugerit statim parata sum recipere venientem, nec attendo quantum quisque peccauerit sed quali voluntate, et intentione redit ad me*: Hęc B. Virgo.

6. Immaculatæ igitur sẽper Virginis Dei Genitricis patrocinio nedum homines culpis obnoxij, dum adhuc viuunt, maximè ad pœnitendum iuuantur, sed vel post mortem, vt in vitam ad pœnitendum redeant, singulari interdum priuilegio fortiti sunt, vt in suis Annalium paginis Rainaldus his verbis meminit: *His funeribus* (inquit) *coniungendum aliud Adolescentis prænobilis videtur, qui cùm primo infelici exitu vitam clausisset B. Virginis ope, cuius cultui addictissimus erat, ad vitam reuocatus expiatis apud Sacerdotem criminibus, felicissimè iterum animam efflauit*. Hęc ille. Rem verò adeò mirandam Cãtipratanus Gerardo, ex quo ipse hausit sic narrat: *Quid* (inquit) *de triplici quinquagena in salutatione virtus Angelica, Aue Maria, Anno ab Incarnatione Domini M. CCLI. contigerit referamus. Vidi et cognoui iuuenem in Brabantię partibus generosum; qui quamuis esset totaliter sęculo deditus, Beatę tamen Virgini deuotus quotidie tres diceret quinquagenas in salutationibus exoluebat. Infirmatus autem ad extrema perductus est. Cumq; per horas diei plurimas mortuus iacuisset, reuixit subito, et sorori Moniali, quę iuxta se sedebat, inclamauit dicens: Soror ecce redij: cito aduocari facias Sacerdotem. Mirantibus omnibus Presbyter aduocatur, et in magna cordis lętitia palam omnibus confitetur dicens: Ad Tribunal Christi Iudicis raptus, cùm in tribus maximè à Dęmonibus accusarer, ferrique deberet sententia contra me; pijssima Christi Mater rogauit filium, vt ad corpus reducerer, locum pœnitentię suscepturus. Nec mora factum est, vt rogauit. Vnum de peccatis erat, pro quo damnandus eram, quia decimas de bonis, et agris meis Sacerdoti subtraxeram. Secundum erat, quòd cum sedalibus meis pisces quorundam Religiosorum furto subtraxeram. Tertium erat, quòd segetes, et fruges pauperum cum canibus venaticis vagabundis destruxeram. Hæc cum coram omnibus loqueretur, quidam ex Mansionarijs respondit. Et cur* (inquit) *pro damno isto extremo damnandus eras? cũ nos omnes vobis puro corde remiserimus. Et ille? Mihi quidem vestra remissio nequaquam suffecerat, cùm copiosior essem vobis in iniurijs refundendis, quàm vos mihi in iniurijs dimittendis. Et his dictis restituenda damna protinus assignauit. Sicque disponens rebus, & domui in spe, & pace mirabili spiritum exhalauit*. Hæc Cãtipratanus, quibus pœnitendi spatiũ vel post completum vitæ curriculum homini Deiparæ patrocinio affuisse, & cor vnà simul pœnitens diuinitus præter statutã à Deo legẽ assalisse cõstat. Et Deiparę quidem patrocinium, ne pœnitentes Dæmonum dolis, ac tentationum laqueis intercepti salutis incurrant dispendia, in primis necessarium est; adeoque nonnisi certa victoriæ spes adest, vbi Virgo pro suis è Cœlo pugnat, oppugnatque tartareos hostes, callidos hominum seductores, adeoque merito Bernardus spem suam omnem à cunctis in Virgine reponendam inculcans: *Vocatur* (inquit) *Regina misericordiæ, quòd Diuinæ pietatis asylum, cui vult, & quomodo vult creditur aperire; vt quiuis enormis peccator non pereat, cui Sancta Sanctorum patrocinij sui suffragia præstat*. Quod ne dum latro, ac deperditæ quiuis alioqui spei haud semel; sed & alius quicumque ob impensum Virgini obsequium, præsentaneam ipsius è Cœlo sibi adfuisse opem experimento didicit.

Deipara quippe quibusuis, vbi ad pœnitendum inuocatur, præsto est, & nè quis sæculi periculis, & Dæmonũ insidijs succumbẽdo pereat, ad austeriorem Pœnitentium vitam, tum corpori, tum animo medelam afferendo perducit, vt Reginaldo Decano, qui cum Aurelianensi Episcopo Romam venerat, aliquando contigit; de quo isthæc Theodoricus: *Morbo* (inquit) *ingrauescente natura succumbens deprimitur & salus à Medicis desperatur; confidens autem in Dei virtute Beatus Dominicus ad preces se conuertit. Illo orante Magistro Reginaldo, & ardore admodum ęstuanti, Regina Cœli Virgo Mater apparuit visibiliter cum duabus speciosissimis puellis, dixitque ei: Pete à me quodvis, & dabo tibi. Quid peteret? altera ex puellis illi suasit, ne quid peteret, sed se totum Beatissimæ Matris Dei permitteret volũtati.*

Ille

Rainaldus an. 1251. nu. 14. Cantipratanus lib. 2. cap. 29. nu. 8.

A Deipara ipsi peccatores vel post mortem, vt in vitam ad pœnitendũ redeant, iuuantur,

Iuuenis deuotus erga B. Virginem in peccatis mortuus ad confitendum reuiuiscit.

Peccata, ob quæ damnatus fuerat, publicè accusat.

Virgo vocetur Regina misericordiæ & ideo nemini sub ipsa desperandũ.

Ber. ser. 5. supra Salue Regina.

Reginaldo cuius salus iam à Medicis desperata, sospes B. Dominici ope euadit.

Theodor. lib. 2. cap.

Ille salubri parens consilio illius se penitus subiecit arbitrio. Tunc Mater Dei extendent manum virgineam ægri oculos, aures, nares, os, manus salutari, quam attulerat vnctione liniuit, proprias verborum formulas ad singulas vnctiones proferens &c. omnem quoque Prædicatorum Ordinis habitum demonstrans: Hic est (inquit) habitus Ordinis tui. Atque ita eo ægrotantis oculis cælestis, illa visio, & ex toto corpore morbus omnis ablatus est; stupentibus Medicis, quorum indicio vita eius desperata fuerat. Nihil horum latebat Beatum Dominicum quippe cuius meritis & intercessione Reginaldo contigisset ea visio, &c. Verùm hæc omnia Beatus Dominicus ab eo adiuratus nõ priùs reuelare voluit, quam ille è vita excessisset. Sic Deiparæ Reginaldus beneficio sospitatẽ corporis, vt pœnitentiæ in sacro Prædicatorum Ordine se totum subindè dicaret, diuinitus accepit.

Virgo per visum ægroto apparens Prædicatorũ habitu ad ordinem aduocat.

7. Enimuerò vt susceptæ narrationis proposito insistamus, quanti ad Dæmonũ quibus iugiter præualere conantur, callidos, superandosque insidiarum laqueos momenti sit, Dei Matris potissimùm Sãctorum omnium Reginæ tutelaris protectio, Agnes Monialis in Theutoniæ partibus olim cunctis palam ostendit; quæ cũ religiosi propositi, ac voti, quo se Deo obstrinxerat, immemor, grauissimè deliquisset, pœnitens subindè omnem culpam abstersit. Quo enim tempore exleges improbi homines, diuturni arrepta interregni occasione liberas quibusuis sceleribus habenas vltrò laxabant, ac vbique passim tum rapinæ, tum cædes grassabantur, & Moniales à Claustro ad domos patrias profugerant, ipsa post stuprum sibi à Patre illatum, pietate quoque, ac naturæ tum leges, tum mores oblita, suo item parricida fætui necem intulit: Sed immane tandem piaculum seriò recogitans, acerbissimis dolens vltrò labem, quam admiserat, pœnis compensando expiauit; adeò vt anteactæ culpæ veniam pœnitentiæ suffulta remedijs, ac bonorum insuper operũ infulis decorata, Cœli repromissa insontibus præmia obtinere meruerit, de qua isthæc Cantipratanus: *Erat* (inquit) *in partibus Theutoniæ Monasterium Virginum, quo bellorum euentu funditus destructo, ad domos Parentum Moniales redire compulsæ sunt. Quarum vna pulcherrima, Agnes nomine, vbi ad Patrem militem redyt, ab eo violenter oppressa, mox concepit. Ad partum ergò appropinquans, anxia fuit ad deuia, & partu edito adest Diabolus in specie Monachi, qui se eius Consobrinum protestans, & conscium facti eius, dixit ad eiulantem, & quasi præ tristitia desperantem: Ne tum charissima per partum editum cum Patre, & Parentibus confundaris, paruulum in stagnum proximum proyce; si enim vixerit, latere non potest. Tunc Mater miro certaminis pondere fatigata, tandem post lacrymas, post dolorem vicit erubescentia maternum pectus, & mox paruulum submersit in stagnum, & statim Diabolus admiro tabescentem dolore coniecit: O (inquit) omnium fœminarum miserrima, quid nunc restat? melius est, vt sine scandalo tuorum, & tui, & grauiore mortis periculo facta mihi Confessione in aquam cum filio te submergas. Hoc audito inclamans mulier exhorrescit, & gloriosam Virginem Matrem Christi inuocat contra Diabolum adiutricem. Nec mora, vidit Dæmonem cum fumo, & fœtore teterrimo disparentem. Et mox effusa in laudem Matris Christi, ad spem meliorem in prece, & lacrymis confortatur. Venit ergo in proximam Ciuitatem, & hospitio suscepta ab honesta Matrona, locata est ab eadem cum quadam Iudæa in tanta cordis tristitia, vt vix eam quis posset videre ridentem, bis in pane, & aqua per hebdomadam ieiunabat. Interim dominæ suæ Iudææ, de fide Christi, & bonitate, & pietate Matris eius, vt erat fæmina prudens, & eloquens prædicabat, et sensim cor illius verba ædificantia, & efficacia penetrabant. Cuius hortatu orationem Dominicam, et Angelicam salutationem addiscens, Christum, et Matrem eius quotidianis precibus inuocabant. Hinc factum est, vt nutrix ipsa Fratri Ordinis Prædicatorum nomine Conrado confessa mitteretur ad Papam.* Hęc ille. Quibus immensum subindè conceptum à muliere post atrocitatem culpæ, doloris sensum, ac pœnitentiæ item, cui se postmodum deuouit, remedia ad impetrandam citò veniam præsentissima, satis suis ob oculos scriptor in paginis visus est adumbrasse. Mulier quippe haud post lapsum, quod Diabolus intendebat, desperasse: sed acerbis immane, quod patrarat, pœnis expiare scelus edocta, mi-

Agnes Monialis post votum grauissimè delinquens, Deiparæ patrocinio resipiscit.

Rainaldus an. 1259. num. 59.

Thomas Cantipratan. lib. 2. Apum. cap. 29. num. 15.

Post Stupri à milite illatam sibi labem, in desperationem, incidit.

A Diabolo vt partum enecet, & honori prospiciat, suadetur.

Mox in desperationis barathrum ob delicti enormitatem ab eo impellitur.

Beatissimæ Virginis patrocinio releuatur pro fugiente Dæmone.

Thomas Cantipratanus vbi supra.

raculis insuper clara ab interitu mirum in modum seruata; tuto tandem, ac beato vitam fine conclusit, vt idem his verbis Auctor prosequitur.

Ad Pontificem profecta, absoluta est.

Thomas Cātipratensis vbi supra.

8. *Obtenta ergo*(inquit) *absolutione ad patriā est reuersa, et accelerauit visitare Iudęam dudum Dominam suam. Quam illa gratulabunda valdè suscipiens, rogauit fessam quiescere super lectum. At vbi vespere Iudaus venit, et cognouit hanc esse nutricem, quasi in furiam raptus est: suspectam enim suam quasi peruertricem suæ vxoris habebat: Certè*(inquit) *malè venit huc insidiatrix ista: Iam enim occidam eam. Et mox extracto canipulo inuadit dormientem, & tria dedit ei vulnera circà, vel intrà cor. Quo viso Iudęa horruit, & intrans thalamum obserauit. Hinc noctis medio, facto signo Iudæus Synagogam cum Iudęis vicinis intrauit. Iudæa autem post luctum obdormiens, in somnis vidit gloriosam Dominam cùm duabus puellis ad mulierem occisam intrantem, & ex tribus pixidibus, quas ferebant, vnamquamque vnguine salutari in redituuum statum mortis vulnera reducentem. Intuere Lector, mirare miraculum. Iudæus manè rediens occisam feminam non inuenit, credebatquè, quod vxor sua cadauer mortuum subterrasset. Hoc idem de viro vxor illucescente die credebat: & super hac re neuter alterum requisiuit. Vix dies quadraginta completi sunt, cùm ecce venit mulier peregrina, Iudęamquè, & virum eius ex parte Agnetis occisæ officiosissimè salutauit, et abyt. Tunc Iudaus vxori: quid est, quod illa viuit? nunquid occidi eam? Cui vxor: Potens est* (inquit) *Christus Dominus eius mortuam suscitare. Et Iudęus: Hoc est, ait, quod semper timui, ne te apostatantem duceret in errorem. Nec mora, hęc dicens comprehendit vxorem, & in thalamo duobus annis obstrictam reclusit. Hinc accidit, vt ad remotiora recedente Iudæo vxor euaderet, & cùm duobus paruulis, tertium gerens in vtero, ad Ecclesiam fugit, & cùm gaudio fidelium, qui eam ditissimam, & honestissimā nouerant,* Baptismū recepit: *Hanc postea duo filÿ eius adolescentes, & vna filiarum sequuti sunt, & fidem alacriter susceperunt. Mansit autem post Baptisma cùm filys dicta dudum Iudaa in Coloniensi Diæcesi, & mutato nomine vocata est Gertrudis, & inuenit Agnetem quondam nutricem suam ibidem manentem, & de conuersione eius inæstimabili gaudio gratulantem. Quæsiuit ergò ab Agnete Gertrudis, quomodò reuixisset; & illa mirata subrisit dicens: quare nunquam mortua suscitarer? Ad hac stupefacta Gertrudis: Verè*(inquit)*vidi, quòd te vir meus tribus vulneribus cultro confodiēs occidit. Cui Agnes: Nouit Christus omnipotēs, in somnis tantùm me vidisse, & non sensisse quod videbar occidi: manè verò offensam viri tui, si mansissem; pracogitans, omnibus insalutatis recedere festinaui. Nec mora: Gertrudis apprehensa veste circa collum Agnetis, lacerauit eam, simulquè cilicium, quo induebatur ad carnem vsque ad pectus medium, & inuenit manifestissimas trium vulnerum cicatrices. Manifesta autem facta sunt ista Archiepiscopo Coloniensi Domino Conrado. Mortua est autem Agnes in maxima pœnitentia, & feruore spiritus. M. scilicet CC.LXV. eo tempore voluebatur, quo ipsa Agnes à Iudęo occisa est, & per gloriosam Christi Matrem, & Virginem suscitata. Gertrudis verò superstes est miro fidei calore succensa:* Hæc Cantipratanus de Moniali, quæ post nuncupatum Deo Virginitatis votum stupri obnoxia, & tam immani, ac fędo scelus sceleri addēs, pœnitentia demum, ac lacrymis Deo aspirante totius culpæ reatum diluit, ac intimè dolens, veniam à Deo, & gratiam promeruit; adeò vt miris postmodum vitam pœnitentię operibus exercens, pio tandem, ac sancto illustris fine decederet.

A Iudæo quia coniugem ipsius ad fidem Christi traduxerat, lethaliter vulneratur.

Deipara è Cœlo ad occisam curandam delapsa.

Iudęi vxor Baptismi aquis expiatur Gertrudis nomine nuncupata.

Agnes ipsa quomodò à Deipara Virgine sit curata enarrat.

In summo pęnitentiæ rigore Agnes vitam claudit;

9. Deiparæ item patrocinātis è Cœlo, ne sub vitæ finem Dœmonum tentantium fraudibus succumberet, auxiliarem inprimis manum Frater Petrus Vrbinas, Clericus Ordinis Capuccinorum S. Francisci mirificè est expertus, qui multis, acerbisquè tentationum iaculis sub vitæ finem pulsatus à Dœmone, exagitatusquè; B. Mariæ semper Virginis patrocinio suffultus, liber tandem, illibatusque euasit, vt sic Bouerius in suis Capuccinorum Chronicis tradit. *Cùm* (inquit) *ad vitæ occasum festinaret, tam multiplici, ac horribili à Dæmone tentatione mox exagitari cæpit, vt miserandos stridores, ac gemitus ederet. Primam namque illi Sathan de tota Christiana fide tentationē monet; tandemquè quęcunque de futura, aut Beatorum, aut damnatorum vita dicuntur, aut credenda proponuntur, vana omninò*

Fr. Petrus Vrbinas Clericus Capuccin. Ordinis Deiparæ patrocinio à Dæmonum tētationibus liberatur.

Zacharias Bouerius an. Capuc. an. 1571. nu 10.

ninò somnia, ac ludicra esse, nihilquè hominis post mortem superesse suggerit; cùmquè tentationem adstantibus Fratribus aperiret, ij pluribus eum rationibus aduersus Dæmonem armant, multisquè eum apud Deū precibus iuuant. Hac porrò tentatione effugata, alteram Satan de Diuinæ misericordiæ desperatione excitat: nullamquè ei ob præteritorum scelerum magnitudinem, quam illi animo importunè suggerit, clementiam à Deo sperandam esse affirmat. Hæc cùm maiorem in ægrotantis animo angustiam pareret, occurrunt Fratres, ac Christi sanguinem, passiones, dolores, mortemquè pro peccatoribus perpessam, sacrarum quoque literarum testimonia obycientes, ipsius animam aduersus tentationem communiunt. Tertiò tandem numerosa Dæmonum turba velut agmine facto in eum irruunt, omniquè tentationum genere illum aggredientes prosternere, atque à Deo auellere conantur. Stridebat, fremebat, ac misere eiulabat ægrotus tot tentationibus vallatus; cùmquè summis se angustys circumseptum cerneret, ad Fratres clamabat: Ferte opem Fratres, ferte opem: En hi me iam Dracones deglutiunt; Fratres verò dum omnes genuflexi B. Virginis Lytanias decantant, atque ad ipsius præsidium confugiunt: en protinus Virginis præsentia tartaream illam Dæmonum turbam effugat, tantaquè in Petri vultu serenitas elucere cepit; vt in eo Fratres velut Angelici vultus splendorem intuerentur, &c. Cùm is mox suauiter exclamat: O Fratres, quàm gloriosa Domina, quàm speciosa mulier, tota sole amicta ad nos venit: Eia Fratres assurgite, date locum tot Virginum choris, quæ Dei Matrem sequuntur. En adsunt, tantamquè hæc dicens voluptatem vultu, ac verbis præseferebat, vt iam nemo de B. Virginis Deiparæ, ac Cælestium præsentia dubitaret. Quo fit, vt omnes in genua procumbentes, lacrymas præ lætitia funderent, atque oculos in ægrotantis vultum intenderent, qui cum faciem ad dexteram lecti partem deflexisset: En (ait) B. Pater Franciscus, qui me ad Cæli delicias vocas, en ipsum teneo; hisquè in verbis suaniter in B. Patris sinu animam eflat. Hæc Auctor. Sic profectò Vir Religiosus post obortas tentationum procellas, ipsiusque inter mortis angustias, Deiparæ propitiantis aspectu dignatus piè in Claustro exactam, religiosamquè diù vitam releuatus felicissimè clausit.

Primùm de rerum credẽdarum veritate, subinde de venia haud sperandа à dæmone tentatur. [illegible]

Fratrum imploratpreces & innocato Deiparæ patrocinio Dæmones fugiunt.

Deiparæ Virginis aspectu & Beatorum præsentia dignatus mirifice recreatur.

10. Quanta verò post Deiparæ patrocinantis opem supplices Sanctorum, ad Deum preces, eorumque merita ad promerendam hominibus Dei gratiam, necnon ad impetrandam homini tum animæ, tum corporis sospitatem, vim diuinitus habeant; Martialis olim Ethnici B. Stephani Protomart. exemplo liquet, vt ipse disertis Augustinus verbis sic tradit: *Fuit (inquit Vir quondam in Ordine suo primarius, nomine Martialis æuo iam grandis, & multum à religione abhorrens Christiana: Habebat sanè fidelem filiam, & generum eodem anno baptizatum. Qui cùm ægrotantem multis, & magnis precibus, & lacrymis rogarent; vt Christianus fieret, prorsus abnuit, eosque à se turbida indignatione submouit. Visum est Genero eius vt iret ad memoriam S. Stephani, & illic pro eo quantum posset, oraret. Vt Deus illi daret mentem bonam, quæ credere non differret in Christum. Fecit hoc ingenti gemitu, & fletu, & sinceriter ardente pietatis affectu: deinde abscedens aliquid de Altari florum, quod occurrit, tulit; eique, cùm iam nox esset, ad caput posuit. Tunc dormitum est, & ecce ante diluculum clamat, vt ad Episcopum curreretur, qui mecum forte tunc erat apud Hipponem. Cùm ergò audisset eum absentem, venire Presbyteros postulauit. Venerunt, & statim se credere dixit: admirantibus, atque gaudentibus omnibus baptizatus est. Hic quandiù vixit, in ore habebat: Christe accipe spiritum meum; cùm hæc verba Beatissimi Stephani, quando lapidatus est à Iudæis, vltima fuisse nosceret, quæ huic quoque vltima fuerunt. Nam non multò post etiam ipse defunctus est.* Sic itaque Beatissimi Leuitæ precibus, obstinata istius mens præter spem emollita ad salutis, & vitæ fontem requirendum profecit.

Augustin. de Ciuit. Dei lib. 22 c. 8.

Martialis ethnicus, & à Christi fide abhorrens B. Stephani prot omart. precibus ad fidem conuertitur.

E somno vigilans Baptismum instanter ab Episcopo petit.

11. Et Sanctorum siquidem precibus plusquam armis Dæmonum, ne aduersus homines instando præualeant, vires diuinitus infringi ipso haud semel experimẽto innotuit. Et ne sermo in longum recidat, id ipsum Franco olim, est expertus, qui post appignoratam amico, ad religiosa claustra currenti fidem, sed factis postmodum à piæ mentis proposito recedens, Ioannis Canaparij pro ipso inualescentibus ad Deum precibus, vt è Dæmonum frementium aduersus ipsum

Baptizatus statim moritur B. Stephani verba suprema repetens.

Ex Codic. Casinen.

Baron tom. 10 an an. 1004. n. 8.

manu liber fieret, continuò ad Claustrum, tanquam ad munitissimam arcem, ac fidum sibi propugnaculum conuolauit, sicque omni solutus metu precum haud virtuti posse quempiam resistere, intellexit vt facto sibi Apostolus aliquando è Cœlo est edoctus oraculo: *Durum est tibi contra stimulum calcitrare*. Sed hic ex Codice Cassinensi his verbis historiam accipiamus: *Inductus*(inquit) *Franco videlicet ad Ecclesiam Sanctorum, vbi præstolabatur eum premonitus Ioannes Canaparius, voluens, animo, ad hoc illum venire vespertino tempore, vt impleret, quod promiserat: Nam ei Franconi vespertinus erat. Quem videns ęgrotus genibus eius aduolusus rauca voce talia cepit: Eia Compater, eia Domine? Recipe me fallacem, recipe me infidelem, & consigna me tuis Dominis Bonifacio, & Alexio: fac me seruum eorum, quia scio, & veraciter scio; quia nisi eorum patrocinio non liberabor à potestate iniquorum spirituum, quibus ab ipsis seruiui incunabulis. Quare moram patior benignissime? Quaso nè despicias me quòd inuitus tuos requiro Dominos. Vbi est, quod mihi sæpe dicebas, quia inuitis salus præstatur? S. Bonifaci adiuua me: S. Alexi succurre mihi. Talibus denique perculsus prælibatus Io. Canaparius Abbatem conuocauit, & Fratres, quibus rei veritatem ordine narrans, Monachum illum fieri rogauit, sine intermissione clamantem: S. Bonifaci, S. Alexi seruus vester sum, & etiam seruus seruorum vestrorum. Cuius desiderium cognoscentes ante venerandam Crucem eum statuerunt, Monachumque multis cùm lacrymis effecerunt. Postquã igitur hac acta sunt in Monasterio, volens Deus ostendere quantum intercessione horum Sãctorum flectatur ad misericordiam, & quam misericorditer liberet peccatores ad eos confugientes: permisit cuneum equestrium armatorum malignorum spirituum per supradictam viam sacram visibiliter descendere prædictum Franconem requirentem, quem iudicaria definitione seruum se vicisse glorianter iactabat. Taliter enim altercando ablatum requirẽdo visi sunt venisse ad portam Monasterij, vbi non inuenientes eum reuersi sunt tristes multa nefaria iactantes in Sanctos. Qui dum requisiti fuissent à vicinis Monasterij quid hoc esset: responsum: Franconem seruum eorum ablatum à Bonifacio, & Alexio, & mussitando adijciebant remansisse, per quod eum vincere putabant. Quod vbi Abbati, & Patribus ab audientibus nunciatum est: Subtiliter perquirentes, professionem regularem non illũ fecisse inuenerunt: qua studiose facta anima illa carne soluta est &c.* Ex quibus quãta Seruorũ Dei, ac precum sit vis, vbi ad Deum orando inualescuntur conceptis sic verbis totius historiæ narrationem concludens: *Ex quo* (inquit) *datur intelligi, quod misericordissimus Deus, quem cuncta monastici Ordinis implere promissis meritis Canctorum Bonifacij, & Alexij, quorum suffragium toto corde petierat, ab omnibus insidijs inimicorum eripuit ad laudem, & gloriam nominis sui.* Quapropter Sanctos Dei quis apte Augustini verbis compellet: *Felices* (inquit) *Sancti Dei omnes, qui iam transistis huius mortalitatis pelagus, et peruenire meruistis ad portũ perpetua quietis securitatis, et pacis etc. obsecro vos per vestram securitatem, qui securi estis de vobis, solliciti estote de nobis, securi estis de vestra immarcescibili gloria, solliciti estote de nostra multiplici miseria.* Quibus piè, appositeq; Chrysostomi verba Sanctorũ patrocinio inprimis innitendum asserẽtis consonant: *Consuetudo* (inquit) *misericordis Dei est, honorem hunc dare seruis suis, vt propter eos saluentur et alij.* Hęc ille.

Frãco olim à claustro fugiens Sanctorum precibus superatur.

Ad Monasterium celer confugit, & Sanctorum Bonifacij & Alexij precibus se victũ, vinctumque fatetur.

Dæmones requirentes, & hostes infensos fustinet.

Sanctorũ preces vim suam apud Deum propitiando pro nobis obtinent.

Chrysost. 14. in c. 6. Hebraeos.

12. Magni itaque ponderis, & sua efficaces apud Deum virtute sunt Sanctorum preces, homini sub pœnitentię vexillo, & inter suprema maximè vitæ momenta, concito ad æternitatem gradu properanti, vt exemplis, ac horum altero inprimis ex gestis S. Philippi Nerij Congregationis Oratorij Fundatoris excerpto legentibus liquet; hęc enim ibi: *Sebastianus* (inquit) *vnus inter Hadrianæ molis tibicines, Vir probus, ac pius; et Philippi alumnus, in morbum incidit, quem mors consequuta est. Huic animam agenti apparuit Dæmon specie quadam horribili, ac teterrima, quo spectro is plus æquo perterritus, in salutis desperationem coniectus exclamat: Heù me miserum! heù me! Iam deseruit me Deus, iamquè perpetuis gehennæ flammis addictus sum: Vę mihi perdito, væ mihi. Cùmquè duarum circiter horarum spatio hunc in modum anxius conquestus esset, neque vllam ab vllo consolationem admitteret; Parochum aduocant, quem quidem ęgrotus nec videre, nec audire vllatenus*

Petr. Iacob. Baccius vit. S. Phil. lib. 2. c. 8. num. 2.

Sesbastianus S Philippi Nerij preces quã sint apud Deum efficaces experitur.

nus voluit, se deperditum afferens, neque ipsemet Parocho habere fidem contestabatur. Quapropter domestici re conterriti, Philippum accersunt, qui citò aduolans, statim ac in iacentis cubiculo pedē locat: Quid rerum (ait) quid rerū? Ne dubites? In spem illico is erectus, altius inclamat: Pater Philippus Dæmones expellit, fugiunt Dæmones, eosq; expellit Philippus. O miram Philippi virtutem! Viuat Christus, viuat Philippus, per quem sum ab Inferis reuocatus. Viuat Oratorium, atque interim exhilaratus sacras decantabat laudes, ac denique protensis manibus in hæc verba prorupit: En Angeli, & Archangeli, singulosquè choros enumerans, in peruigilio S. Michaelis Archangeli mense Septembri in complexu S. Parentis animam pijssimè reddidit. Hæc Auctor in rem præsentem.

Desperation*e* à Dæmone pulsatur.

Philippi præsentia Dæmones fugiunt, & Angelorū visu ægrotus releuatur.

13. Solemne item est, quod in eiusdem S. Philippi gestis Gabrieli Tanæ Mutinensi, inter Cardinalis Politiani Aulicos, necnō inter B. Parētis alumnos præcipuo, sub vitæ finem à Tartareo hoste multimodis acerrimè pulsato, sed Dei tandem virtute, ac Beati Viri precibus ad coronam prouecto feliciter accidit: de quo post multa hæc auctor tradit: *Litaniæ* (inquit) *vt moris est, pro hominibus animam agentibus recitabantur, dumquè ad ea deuentum est verba: A mala morte libera eum Domine, subridens Gabriel, caputquè agitans. Vah (inquit) haud potest malè mori, qui Christum in corde gerit; sed illicò vafri Dæmonis insidias deprehendens: Fundite quæso (inquit) ad Christum preces, nam quæ dixi; Dæmone suggerente dixi. Vix se ab huius tentationis telo, defenderat, cùm malus hostis secundum ingeminat, & ne Sanctissimum Iesu nomen pronunciet, omni studio impedire conatur. Quare is inclamat: Heù Fratres, quod maximè cupio, neutiquam exprimere possum! Quid illud (inquiunt) num fortè Dæmon impedit, ne Iesu nomen proferas? annuit ægrotus; & illi: Iesum corde teneas; id namque satis. In hoc pugna conflictu laborauit plurimùm, ità vt præ animi anxietate, & corporis agitatione totus in sudorem abiret. Philippum ergò accersunt; qui accedens, sacram Crucifixi imaginem ægro ostendit, &c. Ægrotus itaque à certamine recreatus, resumptis viribus, bis in hostem verbis insultat: Velis, nolis, impie desertor, Credo. Denique*

Petr. Iacob. Baccius vbi supra.

Gabriel Tana S. Philippi discipulus sub mortem acerrimè, sed frustrà tentatur.

Philippo tartareum hostē inclamante, ipso in suprem*o* acto ægrotus respirat.

tentator pessimus maiori in eum pugna insurgit extremosquè adhibet conatus; vt iuuenem in desperationis barathrum demergat. Horridam ergò speciem assumens, aspectu terribili videndum se obijcit ægrotanti. Is terrore perfusus, corpore contremiscens, faciem immutat, contorquet oculos: ac loco stare nesciens, anxius vociferatur: Heù me miserum! heù quot flagitia commisi expelle Pater, expelle canes illos teterrimos. Ad hæc Philippus laborantis capiti manu imposita, Dæmonem sic alloquitur: Et ò nequissime obsistere adhuc audes? ocijus facessere iubeo; hæ namque manus sacrosanctū Christi corpus hodie consecrarunt. Ad ægrotum inde ait: Animos indue fili, mecumquè ingemina. Discedite à me omnes, qui operamini iniquitatem: his iterum, ac tertiò repetitis, Gabriel exhilaratus exclamat: Canes Philippo imperante fugiunt; eosquè digito monstrans: Nonne videtis (inquit) quanta cum celeritate hinc se proripiunt? Vicimus tandem vicimus bone Deus. Oculis inde in Crucifixi imaginem conuersis, tanto cœpit feruoris sensu Christum deprecari; vt nemo eorum, qui aderant, à lacrymis temperaret. Sed veritus Philippus, ne his animi motibus quoquo modo mors acceleraretur: sile (inquit) fili iam, & quiesce, Dæmonem dimittamus. Siluit confestim Gabriel, &c. & vix semi hora transacta, se in latus dexterum vertit, ac sanctissimum Iesu nomen enuncians expirat. Sic pœnitens vir iste tutus, ac lætus Deum Philippo deprecante diem feliciter, cum Dεo semper victurus obijt.

Vox & preces Philippi magno laboranti mox leuamento.

Ingenti feruore spiritus succensus suauissimè animam efflat.

14. Huic quoque iungendus meritò est Carolus Mazzeus Philippi pariter in Christo filius; *Qui* (vt Auctor inquit) *ad mortis confinia perductus, grauissimos & ipse à Dæmone pertulit insultus; malus enim Angelus ægrotanti se videndum obtulit, & vt in desperationis barathrum hominem conijceret, quidquid mali gesserat, ob mentis oculos obijciebat, cui id tantùm bis ægrotus: Appello Philippum, & continuò Dæmon euanuit. Carolus autem placidè admodum non multò post diem clausit. Huius animam ad Superos euolasse idemmet Philippus asseruit, futurum planè contestatus; vt si æger diutius cum Satana disceptasset, facilè in fraudem aliquam incidisset.* Sic profectò homines pijs operibus addicti, Sanctorū precibus in morte iuuantur, vt verè pœnitendo securi tandem mortali è

Petr. Iacob. Baccius in vit. S. Philip. lib. 2. c. 8. n. 8. & 9.

Carolus Mazzeus iā moriturus tētationibus item acerbe exagitatus Philippi ope liberatur.

vita

vita ad immortalitatem contendant.

15. Demum, ne prauis, subdolisquè Dæmonum tentandi artibus Pœnitentes in supremo constituti agone succumberent, magno Dei beneficio quantocyus vel mori aliquando iussi, æternam moriendo vitam lucrati sunt. *Bona, & mala Mors & vita*(inquit Sapiēs)*etc. à Deo sunt.* Singulari item, vt experimento liquet Numinis dono vita, & mors etiā in manu Sāctorum eius enimuerò. Id haud semel Dei famulis diuinitus contigit, vt omnimodis quandoque tum vitæ, tum mortis imperio, suoquè pro libitu vterentur. Et siquidem haud minori est adscribendum portento, si quis ad placitū, & vocis dūtaxat sono ipsam viuenti vitam abripiat, quàm si vel semel extinctum pristinæ iam vitæ, atque incolumitati imperando restituāt. Vtrumque sanè idem S. Philippus vt in conscriptis ipsius gestis traditur, Deo olim afflatus mirabiliter præstitit; de quo isthæc Baccius, dum res prçclarè ab eo gestas recenset: *Aegrotabat*(inquit) *nobilis Matrona, cùmquè integrum mensem, & amplius morbo implicita, ad extrema vitę confinia peruenisset, Philippus, qui eam inuiserat, corpore, et animo valdè anxiam, verbis, et oratione fęminam leuare fategit. Denique in Vallicellam se vnà cum suis recepturus discessit. Processerat aliquantisper à loco, cùm en sistit gradum, secumquè recogitans: Cogor*(inquit)*ad ęgrotam redire. Reuersus igitur: enbili propior factus, quę aderant, Matronas dimittit. Mox præsentibus suis, ęgrotantis capiti imposita manu: Tibi (inquit) ò fęmina præcipio in Dei nomine; vt confestim ex hoc corpore discedat. Vix dixerat, cùm mulier protinus spiritum reddidit. Matronis posteà reuocatis dixit Philippus: Nisi mulier citiùs expirasset, futurum planè erat; vt Satanę suggestionibus consentiret, idcircò mortem accelerari necesse fuit.* Ingentis quippe beneficij ad instar fæminæ, cui aliàs à salutis portu naufragandi periculum impendebat, ad perennis vitæ lucrum mors beati Viri precibus ac imperio festina contigit. *Quid enim mors* (inquit Ambrosius) *nisi sepultura vitiorum, virtutum suscitatio.* Adeoque pia mortalium quisque præuentus morte, non tam vitæ vinculis soluitur, quam vitiorum feliciter laqueis, periculisque absoluitur; vt illud meritò possit Psalmistæ carmen gratus Deo iugiter canere: *Dirupisti vincula mea tibi sacrificabo hostiam laudis*; & illud insuper sibi quisq, gratulabundus occinere: *Laqueus contritus est, et nos liberati sumus.* Verbotū vtique, ac Apostoli memor oraculi: *Certus sum* (inquit)*quia neque mors, neque vita poterit nos separare à Charitate Dei.* Sed ab his interim expediti, ad alia, quæ ad selectas mortes Pœnitentium spectant, consultò orationis stylum conuertimus.

Petr. Iacob. Baccius vit. S. Philipp. lib. 3. c. 12. n. 3.

Viri sancti diuinitus vitæ, ac mortis interdum imperio donati.

Matronę in extremo agone laboranti, ne Satanæ succumberet, vir Dei præcipit vt continuò e vita decedat.

Sic mors illi opeabilior vita.

Ambr. de bono mort. c. 4.

Psal. 115. 17.

Psalm. 123.

Ad Rom. 8. 38. 39.

LIBER

SELECTÆ POENITENTIVM MORTES

LIBER TERTIVS.

1 VAS profectò Pęnitentię virtus, ac ſemper dignas penes Altiſſimũ laudes promeruit, quę certam denique conſequendi culparum veniam præcipuo ipſius munere prærogatiuam obtinet; Quamuis hæc vna non niſi rarò ſubinde ſuum, vt par eſt, meritorum fulgorem in terris explicet, ac Diuino inſuper calculo mortalibus ad æmulandum propoſita comprobetur, vti ſemel, ac disertè præ cunctis Ambroſius inculcat: *Faciliùs* (inquit) *inueni, qui innocentiam ſeruauerint, quàm qui congruè Poenitentiam egerint*. Enimuerò ſi magnus ſit, intimuſque Poenitentium dolor, ac vera, & efficax cordis compunctio, haud vllam à Deo repulſam aliquandò patitur; ſed ad præoptatam culpis veniam velociter pertingens, ipſum nedum conuenit, ſed ad citò indulgendum quodammodò Deum, foris pulſando pro ſui dignitate compellit: Haud enim Poenitentium votis, precibuſquè, vbi ipſius imploratur clementia, Hieronymo ediſſerente reſiſtit: *Deus*(inquit) *qui nullis contra ſe viribus ſuperari poteſt, Publicani precibus vincitur; Niniue Ciuitas, quæ peccato perijt, fletibus ſtetit*. Vbi è contrà ſola deperditi hominis deſperatio, quæ Poenitentiæ ſubſidia reijciendo contemnit, ac Dei miſericordiam per ſcelus abnegando proculcat, Deo in primis inuiſa eſt. *Nihil enim* (vt Hieronymus ait) *ità repugnat Deo, quàm cor impoenitens; ſolum crimen eſt, quod veniam conſequi non poteſt, &c. Solum deſperationis crimen eſt, quod mederi nequeat*. Poenitentia igitur eſt, quæ hominem rele-

Poenitentiæ prærogatiua apud Deum quæ nam ſit.

Ambroſius lib. 2. de Poenitentia cap. 2.

Ipſius in abolendis hominum culpis efficacia.

Hieronymus Epiſt. ad Saluinam.

Ionæ c. 3. 10.

Hieronymus, Epiſt. 3 ad Saluinam de Viduit. ſeruanda.

Poenitentiæ ſola deſperatio opponitur, & à venia excludit.

releuat; & sola item desperatio, quæ ipsum magis, quàm culpæ reatus peccantem deprimendo pessundat. Qui igitur se quàm multis Deum offendisse culpis haud ignorat, nè de sua Pœnitentia inaniter, & per scelus aliquandò præsumat, illa seriò loquentis sverba meminerit: *Nec statim* (inquit Hieronymus) *nobis Pœnitentiæ subsidia blandiantur, quæ sunt infelicium remedia. Cauendùm est, vulnus, quod dolore curatur. Aliud est integra naue, & saluis mercibus portum salutis intrare, aliud nudum hærere tabulæ, & crebris fluctuum recursibus ad asperrima saxa collidi.* Quantum vero Pœnitentibus intima cordis resipiscentia ad salutem conducat, & quibus potissimùm signis, an vera sit, dignoscatur, vnus olim prę cunctis aptè, luculenterque Cyprianus edisserens: *Pœnitentia nulla* (inquit) *sera est, si vera, nec quantitas criminis, nec breuitas temporis, nec horæ extremitas, nec vitæ enormitas, si vera contritio, si pura fuerit voluntatis mutatio, excludit à venia.* Hic igitur quibus maximè quamplures modis se e Pœnitentium numero comprobarunt, exempla recensendo, opportunus de his potissimùm infrà à nobis sermo instituendus est.

Hieronymus ubi supra.

Peccandi præsumptio pœnitentiæ obest.

Pœnitentia nulla sera, si vera.

Cyprianus lib. de Pœnit.

2. Et primò quidem quià Pœnitentiæ virtus maximè cunctis necessaria est, summo plerique studio ad veniam impetrandam Pœnitentiæ, ac bonis operibus institere. Quapropter nonnulli è Pœnitentium numero, publicam peccatorum exomologesin instituisse leguntur, dum Imperatores, ac Reges interim pœnitentiæ causa Regno se abdicant; nonnulli item Pœnitentiæ, & Humilitatis gratia Episcopatum recusãdo fugiunt; Milites verò Pœnitentiæ, ac Religionis causa aduersus hostes fidei arma capiunt; atq; alij varijs, assiduisq; ob publicã rem, & iura Ecclesiæ tuenda bellorum incõmodis defatigantur. Quidã insuper ob redimendas suas culpas peregrinationem ad loca Sancta suscipiũt; Alij prætereà anteactæ vitę errores verbis, aut scriptis retractant; Non pauci item post iniurias, calumnias, contumeliasquè sibi illatas condigna pręseferunt pœnitentis animi documenta. Quid multa? Fœminæ Illustres, ac delicatæ delicijs sponte se abdicant, austeramque vitam sectantur. Maghi, & præstigiatores compuncti ad Pœnitentiã conuolant; & Mimicæ item artis, ac Scenæ professores id ipsum præstant. Quin Meretrices, ac impudicæ fœminæ austeriori vitę se totas dedunt, quas adulteri, & incestus rei pari virtutis ad pœnitendum exemplo æmulantur. Homicidæ insuper, & sanguinarij Pœnitentiæ se ipsos deuouent. Latrones verò in desertis locis, vbi ante deliquerant, austerioris vitæ cultum pœnitendo arripiunt. Et quia malis impiorum cunctis Pœnitentię remedium subuenit, Hæresum auctores, sectatoresquè à suis conuersi erroribus, ac hæresum simul Fautores ad Pœnitentiæ asylum confugiunt. Schismatum verò auctores, sectatoresq; necnon Apostatæ à Religioso Claustro transfugæ, & Sacrilegi insuper diuinitus resipiscunt. Demum Dei voluntati, eiusque perperam decretis obluctantes, suum Pœnitentia culpę reatum diluunt, ac optatam denique à Deo veniam obtinent.

Catalogus rerum in hoc libro pertractandarum.

Pœnitentia cunctis malis remedium affert.

CAPVT

CAPVT PRIMVM.

Pœnitentia post culpæ naufragium maximè cunctis necessaria.

1 Diuino planè Christus magisterij munere, ac verborum pondere, additisquè insuper ad cunctos meritò abſterrendos in Euangelio pœnarum, suppliciorumque minis, quanta vnicuique post culpæ lapsum sit Pœnitentiæ necessitas, satis vel semel aliquando isthæc loquendo: *Nisi Pœnitentiam*(inquit)*egeritis, omnes similiter peribitis*. Quæ sanè fulmina potiùs, quàm verba mortalium auribus intonant. Quiuis igitur Dei edoctus oraculo post culpæ naufragium, nonnisi Pœnitentiæ præsidio suffultus, ad salutis tandem portū saluus emergit; nec amissæ aliter innocentię detrimenta, quàm pœnitentiæ lucro reparantur, ac proindè quia Deo hominum salus curæ est, pari quoquè ipsius beneficio à culpis resipiscendi tempus, ac pœnitendi vnà simul non tam opportunitas, quàm iuxta Petri oraculum necessitas vnicuique ostenditur: *Patienter* (inquit) *agit Deus, nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reuerti*. Enimuerò nisi hęc vna post Adæ lapsum hominibus præsto esset, humana videretur proculdubio salus desperanda; per hanc verò certum sibi quisque aditum ad vitam immortalitatis inuenit; *Hæc* quippe (vt inquit Salomon) *sapientia videlicet, vel apte Pœnitentia illum, qui primò formatus est à Deo Pater orbis Terrarum, cùm solus esset creatus, eduxit, & custodiuit à delicto suo. Et quia ab hac Cainus* impiorum signifer recessit, *in ira sua per iram homicidij deperijt*. Hanc insuper Noe eximius Iustitiæ simul cultor, ac Pœnitentię præco, cùm Arcam iuxta præscriptam diuinitus formam cōstruxisset, ipsomet opere magis, quàm verbis eloquens prędicauit, ac in tutum in ea ab emergentium aquarum eluuione asylum sibi parauit; adeoquè soli ipsius Pœnitentiæ contemptores certo inter diluuij aquas absorpti naufragio periere; Descendente item è Cœlo postmodum in Pentapolim igne, meritò qui impœnitentes fuere, incendio irreparabiliter miseri conflagrarunt; Niniuitæ verò nisi ad Ionæ vocem citò ad Pœnitentiam conuolassent, haud Dei proculdubio gratiam, & misericordiam propitiantis adinuenissent. Manasses quoque Pœnitentiæ subsidium post longam impietatem, Dauid post fœdam patrati adulterij labem, Petrus post iteratę negationis reatum, Magdalena itē post sordidā turpis infamiam libidinis Altissimi indulgentiam est consequuta.

Post peccati lapsum vnicuisque pœnitendi necessitas.

Lucę cap. 13. v. 5.

Petri epist. 2. cap. 3.

Dei Patientia ad pęnitentiam adducit.

Sapientiæ cap. 10. v. 2.

Adam Pœnitentia releuatus.

Noe diuinus pœnitentiæ præco.

Præcipui Pęnitentiæ sectatores.

2. Quoniam igitur adhibitis Pœnitentię remedijs quæque hominibus bona proueniunt, cunctaquè ab ipsis mala propulsari contingit; quin immò ipsamet in lucrum detrimenta vertuntur: *Conuertimini*(inquit Deus)*ad me in toto corde vestro, & reddam vobis annos, quos comedit locusta, bruchus, rubigo, & eruca*. Hinc meritò ad Pœnitentiam profugiendū est; maiora quippe homo per Pœnitentiam lucra acquirit, quàm sibi pridē peccando damna, Gregorio teste, intulerat. *Fit plerumque Deo* (inquit) *gratior amore ardens post culpam vita, quàm securitate torpens innocentia*. Quapropter ad Pœnitentiam properandi, ipsius nos tum vtilitas, tum necessitas cogit: *Non est* enim (inquit Augustinus) *quò fugias à Deo irato, nisi ad Deum placatum*. Dei insuper immensa Bonitas cunctis vltrò indulgentiā largiendo, ipsos magis magisq; mortales ad pœnitendum prouocat, vt optimè in rem præsentem Ambrosius his planè verbis inculcat: *Ille*(inquit) *qui nos malos tolerat, non dubium est, quin conuersis clementer ignoscat*. Quo quidem diuinitus argumenti genere, velut incitamentō quamplures efficaciter adducti, ad Pœnitentiam profugiendo, veniam consequuti, salutem animæ in tuto reposuere, vt adducendis infrà exemplis patebit.

Ioelis cap. 2.

Gregorius in pastor c. 49.

Grata Deo magis feruens pœnitentia, quam ipsa torpens innocentia.

Augustin. in ps. 74.

Ambrosius lib. de Pœnitentia.

Tolerat Deus peccātes, vt faciat Pœnitentes ex Ambrosio.

3. Pœnitentia verò &si hominibus adeò post lapsum necessaria, Diabolum tamen sibi maximè infensum, hostemq; implacabilem sortita, hæreticos quoque sub ipsamet Ecclesiæ primordia oppugnatores habuit. Nouatus quippè cùm Decianæ persequutionis tempore Christianorum multi tormentorum acerbitate perterriti, à Christi fide defecissent,ac Decio subinde mortuo certatim pœnitentes ad Ecclesiam redirent,perditus,ac in suis pertinax dogmatibus hæresiarcha, impietatis vexillum erigens, vt Cœlum redeuntibus clauderet, pœnitentiæ vnà simul ianuam ipsis antè censuit obserandam. In quem S. Cornelius Papa, & S. Cyprianus Cartaginensis Episcopus è contra insurgentes, egregiè pro lapsis in prælio decertarunt:Sed rem breuiter ipsius hìc Baronij verbis Lector accipe. *Cùm morte*(inquit) *Decy planè reddita esset pax Ecclesiæ,et frequens lapsorum turba, quæ expectare iussa est pacis tempus, glomeratim,vt reciperetur in Ecclesiam, festinans accurreret: Cyprianus id absque delectu fieri præter disciplinam,et dignitatem Ecclesiasticam ratus; indecensquè existimans pulsantibus indistinctè ostium aperire, quod nonnisi verè pœnitentibus patere soleat; præter id, quod verbis, quos potuit, admonere non prætermisit, scriptis quoque eorundem saluti,et Ecclesiasticæ Censuræ Maiestati consulere non destitit*, Zelo itaque religionis Præsul sanctissimus erga tot miserè lapsos paternæ sollicitudinis studio permotus, ipsos haud ab Ecclesia repellendos; sed ritè, salubriterque recipiendos decernens, tunc commentarium illum de lapsis potissimùm elucubrauit, cuius exordio de reddita Ecclesiæ pace, & gratijs Deo agendis sic habet.

Poenitentia maximè inuisa Diabolo.

Baronius an. 254. n. 54

Nouatus post lapsum poenitentibus veniam vult denegādam.

Emergenti hęresi Cyprianus apologeticis scriptis opponitur.

4. *Pax ecce*(inquit)*dilectissimi Fratres Ecclesiæ reddita est, et quod difficile nuper incredulis, ac perfidis impossibile videbatur; ope, atque vltione diuina securitas nostra reparata est. In lætitiam mentes redeunt,et tempestate pressura, ac nube, & caligine discussa, tranquillitas, & serenitas refulserunt. Dandę laudes Deo, & beneficia eius, & munera cum gratiarum actione celebranda. Quàmuis igitur gratias nostra vox nec in persequutione cessauerit; neque enim tantum inimico licere potest, vt non, qui Dominum toto corde, et anima, & virtute diligimus, benedictiones eius, et laudes semper, et vbique cum gloria prædicemus. Exoptatus votis omnium dies venit, et post longa noctis horribilem, tetramquè caliginem Domini luce radiatus Mundus eluxit.*

Cyprianus lib. de reddita pace & gratijs Deo agendis.

Christianorū ob redditam Ecclesię pacem lætitia

Nobiles siquidem, ac immortales Beatorum Martyrum tryumphos subinde recolens, ac inuictam Confessorum Christi in perferendo dignè constantiam extollens, nec non innumeram prorsus lapsorum stragem, ac tristia eorundem funera amarulenter plorans,de his, quæ tunc maximè affulsere è Cœlo. prodigijs sermonem subtexit, ac mira item, quę circà desertorum nonnullos, qui turpiter à Christi fide, & à pietate defecerant, tunc visa sunt, meminit;Quibus sane Deus,ac si præstito desuper iudicij calculo,magno prorsus aliorum documento, Poenitentiæ post lapsum necessitatem extento quasi digito, ostendit; Hæc autem aptè in rem nostram tradit: *Si incredulis* (inquit) *quibusdam minor fides est futurorum, vel præsentibus terreantur: Ecce eorum, qui negauerunt, quæ supplicia conspicimus? quos eorum tristes exitus flemus? Nec hic esse sine pœna possunt, quamuis necdum dies venerit. Plectuntur interim quidam, quò cæteri corrigantur;exempla sunt omnium tormenta paucorum. Vnus ex his, qui spontè Capitolium negaturus ascendit, postquàm Christum negauit, obmutuit. Pœna inde cæpit, vnde cæpit et crimen, vt nec rogare iam posset, qui verba ad precandam misericordiam non haberet. Alia in balneis constituta (hoc enim crimini eius, & malis deerat, vt & ad balneas statim pergeret, quæ lauacri vitalis gratiam perdidisset;)illic ab immundo spiritu immunda correpta cecidit: laniauit dentibus linguam, quæ fuerat vel pasta impiè, vel loquuta: postquam sceleratus cibus sumptus est, in perniciem suam rabies oris armata est; ipsa sui carnifex extitit, nec diu superesse postmodum potuit: doloribus ventris, & viscerum cruciatu defecit, &c.* Hæc ille. Et infrà post alia multa, quæ recenset, exemplum de certo quodā,qui contemptis post lapsum Pœnitentiæ remedijs,ad sacrum Christi Corpus sumendum indignus accedere præsumpsit, & dum manu pro Sacramento cinerem teneret, miser haud Christi(vti credebat) Corpus se accepisse deprehendit: *Sanctum Domini*(inquit) *edere, & contrectare*

Poenitentiæ item tryumphus.

Confessorū ac Martyrū Christi tryūphus & lapsorum strages.

Cyprianus vbi supr.

Intentata lapsis diuini tus flagella.

Morum, ac vitæ integritas, & Poenitentia sę inuicem ab Ecclesia excludunt iuxta dictum ipsius.

ctare, non potuit, cinerem ferre se apertis manibus inuenit. Documento vnius ostensum est, Dominum recedere cùm negatur, nec immerentibus ad salutem prodesse, quod sumitur, quando gratia salutaris in cinerem sanctitate fugiente mutetur. Hæc ille, quibus profectò Pœnitentiam ad diuinorum Sacramentorum perceptionem necessariò præmittendam his aptè verbis inculcat: *Quàm multi* (inquit) *quotidie pœnitentiam non agentes, nec delicti sui conscientiam confitentes, immundis spiritibus implentur? quàm multi vsque ad insaniam mentis excordes dementiæ furore quatiuntur? nec necesse est ire per exitus singulorum, cùm per Orbis multiformes ruinas tam delictorum pœna sit varia, quàm delinquentium multitudo copiosa.* Quo autem animi studio Pœnitentiæ remedijs post lapsum cuique sit inhærendum, & quibus haud obiter modis tanta res peragenda, his idem veribis admonet: *Confiteantur* (inquit) *singuli quæso vos, fratres dilectissimi, delictum suum; dum adhuc qui deliquit, in sæculo est, dum admitti confessio eius potest; dum satisfactio, & remissio facta per Sacerdotes apud Dominum grata est.* At illam veræ lapsis Pœnitentiæ normam præscribens: *Orare* (inquit) *oportet impensiùs, & rogare: diem luctu transigere, vigilijs noctes, ac fletibus ducere: tempus omne lacrymosis lamentationibus occupare, stratos solo adhærere cineri, in cilicio, & sordibus volutari: post indumentum Christi perditum nullum hic iam velle vestitum: post Diaboli cibum, malle ieiunium, iustis operibus incumbere, quibus peccata purgantur: eleemosynis frequenter insistere, quibus à morte animæ liberantur.* Hæc, aliaque Cyprianus Pœnitentiæ subsidia cunctis necessariò exercenda proponens inculcat.

Impœnitẽs ad synaxim accedens, pro Diuino pabulo non nisi cinerem accipit.

Cyprianus vbi sup. n. 4.

Cyprianus vbi supra.

Pœnitentia dominici sũptionem Corporis prçire debet.

Confessio culpę adiūgitur sumendum reddit hominem.

Cyprianus vbi supra.

Forma pœnitendi à Cypriano præscribitur.

5. Atqui Nouatus arrogans tunc ex aduerso in arenam prodiens apertum pœnitentibus, ac pœnitentiæ simul indicturus bellum, primò quidem ad Pœnitentiam confugientibus Ecclesiæ fores, ac Cœli item ianuam præcludens, ipsos omnimodis post lapsum à venia reijciendos edixit. Quisnam verò impius iste Pœnitentiæ hostis, atque oppugnator, & quibus insuper imbutus fuerit moribus, suo Cyprianus quasi digito ostendens: *Nouatus* (inquit) *rerum nouarum semper cupidus, auaritiæ inexplebili rapacitate furibundus, arrogantia, & stupore superbi tumoris inflatus, semper isthic Episcopis malè cognitus: quasi hæreticus semper, & perfidus, omnium Sacerdotum voce damnatus; curiosus semper, vt prodat, adhoc adulator, vt fallat, nunquam fidelis, vt diligat: fax, & ignis ad conflagranda seditionis incendia; turbo, & tempestas ad fidei facienda naufragia: hostis quietis, tranquillitatis aduersarius, pacis inimicus.* Hęc ille. Haud mirum verò, si homo impius, ac solis per se sceleribus notus, pœnitentibus sic Cœlum clauderet. Quapropter ipsius Episcoporum Synodus impietati occurrens, illud præsertim circà redeuntes, teste Cypriano salubriter sanxit: *Vt nimirum nec in totum spes communicationis pacis lapsis denegaretur, ne plus desperatione deficerent, & eo, quod sibi Ecclesia clauderetur, secuti sæculum, gentiliter viuerent; nec tamen rursus censura Euangelica solueretur, vt ad communicationem temerè prosilirent; sed traheretur diù Pœnitentia, & rogaretur dolenter paterna clementia, & examinarentur causæ, & voluntates, & necessitates singulorum secundùm quod libello continetur, &c.* Isthæc Cyprianus de statutis tunc ab Episcoporum Synodo, quæ sub alio titulo Pœnitentiales Canones, Baronio teste, sunt nuncupati.

Cyprianus epist. 49.

Nouati vita, ac perditi eius mores in Ecclesia.

Ab Episcoporum Synodo Nouati impietas, ac hęresis damnatur.

Baronius vbi supra n. 84.

Cyprianus Epist. 52.

Pœnitentia à lapsis præmittenda, & petenda humiliter venia decernitur.

6. Verùm quod Nouatianus impiè dogmatizans, si lapsis pateret Ecclesia, defecturos quoque in Ecclesia Martyres temerè affirmabat, sic aptè ipsum Cyprianus redarguens: *Ne putes* (inquit) *frater charissime, hinc aut virtutem fratrum minui, aut martyria deficere, quòd lapsis laxata sit pœnitentia, & quod pœnitentibus spes pacis oblata: Manet verè fidentium robur immobile, et apud timentes, et diligentes toto corde Deum stabilis, et fortis perseuerat integritas. Nam et mœchis à nobis pœnitentiæ tempus conceditur, & pax datur; non tamen idcircò virginitas in Ecclesia deficit, aut continentia propositum gloriosum per aliena peccata languescit: Floret Ecclesia tot virginibus coronata, & castitas, ac pudicitia tenorem gloriæ suæ seruat; nec quia adultero pœnitentia, & venia laxatur, continentiæ vigor frangitur.* At impius nebulo sic Pœnitentiã ab Ecclesiæ foribus proscribens, suũ certè à Montano Cataphrygum hæresi vitiato erroris venenum hausit, vt Pacianus sic tradit: *Scriptis*

Si lapsi reciperentur, Martyres in Ecclesia defuturos Nouatus aiebat

(inquit) *tuis Pœnitentiam vsquequaq; damnantibus, secundùm Phryges te sentire pronuncias*. Hæc ille.

Pacianus Epist. 3. Sympos.

7. Quò vsque autem nefanda Nouatianorum hęresis processerit, satis aptè Baronius infamem errorum latrinam reuelans, hæc habet: *Porrò* (inquit) *quod Nouatianus (de cuius haresi sermo est) negaret lapsos pœnitentes in Ecclesiam recipiendos, eò vecordię, atque temeritatis prolapsus infelix est; vt negaret in Apostolico symbolo remissionem peccatorum in Ecclesia reperiri: sed & ex necessaria quoque assumptione haresis eiusmodi deduci conclusio videbatur, vt à Christo Ecclesiæ claues datas esse tam procaciter, quàm turpiter negaretur, tum ab ipso, tum ab illis, qui ab eo denominati sunt Nouatiani*. Hæc ille. In quos sanè S. Augustinus iusto religionis zelo succensus, suoquè amarulenter stylo, vtpote in apertos, iuratosque Pœnitentiæ hostes insurgens: *Nec audiamus* (inquit) *eos, qui negant Ecclesiam Dei omnia peccata posse dimittere. Itaquè miseri dum in Petro petrã non intelligunt, & nolunt credere datas Ecclesiæ claues Regni Cœlorum, ipsi eas de manibus amiserunt. Isti sunt, qui viduas, si nupserint, tanquam adulteras damnant, & super doctrinam Apostolicam se prædicant esse mundiores: qui nomen suum si vellent agnoscere, mundanos se potiùs, quàm mundos vocarent*. Sic planè Augustinus prauam Nouatianorum hæresim, suisquè acriter immanem verbis impietatem perstringens, pœnitentię videlicet intimum vnà cum Deo, ac tetris ob hanc vnam cum Cœlo, dignumquè iugiter intercedere commercium hominibus procul dubio affirmat, adeoquè Christus ipse fores pœnitentibus semper patere in Ecclesia volens, illud Petro olim interroganti: *Domine quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei? vsque septies?* illis palam verbis respondit: *Non dico tibi* (inquit) *vsque septies vsq; sed vsq; septuagies septies*. Nullũ prorsus videlicet pœnitentibus ad resipiscendum, obtinendamquè culparum veniam terminum aliquãdo præscribens.

Baronius vbi supra n. 107.

A Nouato remissionẽ peccatorũ in Ecclesia reperiri & claues Cœlorũ traditas negabatur.

August. de Agone Christi cap. 31.

Nouatiani pœnitentiã abnegantes se mundanos potius, quàm mundos vocare debere rant ex Augustino.

Matt. c. 18.

Petro traditæ Coeli claues, & dimittendi peccata absque termino vllo potestas.

8. Lutherus autem nouissimè post Nouatum ab Inferis emergens, vt suis ineptis homines nugis, atque blanditijs palpans in errores induceret, foueretquè, subinde omninò pœnitendi necessitatem è medio abstulit: Nihil enim magis quã Pœnitentiæ tum nomen, tum Sacramentum perpetuò ipse vnus odisse visus est. Quapropter non nisi Diaboli impulsu satis Deo pro culpis faciendi debitum auferre, pœnas item peccatis in Ecclesia præscriptas totis abolere viribus contendit, prauis ipse dogmatibus liberas tum peccatis, tum peccantibus habenas, & cõscientiæ libertatẽ sit indulgendo relaxans; hæc enim impius inter alia hæresum portenta effutijt: *Tres* (inquit) *esse Pœnitentię partes, Contritionem, confessionem, & Satisfactionem, non est fundatum in sacra scriptura, nec in antiquis Sanctis Christianis Doctoribus*. Quibus & hęc impius adiecit: *Contritio, quæ paratur per discussionem, collectionem, & detestationem peccatorum, qua quis recogitat annos suos in amaritudine animę suæ, ponderando peccatorum grauitatem, multitudinem, fœditatem, amissionem æternæ beatitudinis, ac æternę damnationis acquisitionem; hæc contritio facit hypocritam, immò magis peccatorem*. Septimo autem capite isthęc perditus nugacissimè subijcit: *Verissimum est* (inquit *prouerbium; & omnium doctrina de contritionibus hucusque data præstantius; de cætero non facere, summa pœnitentia, optima pœnitentia, noua vita, &c. & subinde dum volumus* (inquit) *omnia purè confiteri, nihil aliud facimus, quàm quod misericordiæ Dei nihil volumus relinquere ignoscendum &c*. Et multa subinde Christianis auribus nedum sanæ mentis homine prorsus indigna, & quę animus horret pro fidei dogmatibus in mediũ affert, quæ satis per se vti mendacia confutantur, & tam impiè, arroganterque ab ipso alioqui affirmantur.

Rainaldus an. 1520. n. 53. & an. 1509. n. 91.

Lutherus Poenitentiæ tum nomen, tum Sacramentum odisse in primis videtur.

Lutherus in suis articulis, pars. 5.

Impia ipsius circa pœnitentiam dogmata.

Lutherus art. 5. & 6. & 8.

9. Sed ad pestifera tollenda è medio hæresum germina, Leo X. Christi Vicarius, ac legitimus Petri successor, nè cunctis Christi ouiculis adeò praua impietatis dogmata forent exitio, & maximè contra salaberrimum Pœnitentiæ Sacramentum, ex ipsa Petri cathedra insurgens quamplures Diuino planè magisterio, ac opportunè decreuit, cui Concilij Senonensis Patres pari item studio adstipulati sunt. *Contra enim alia* (vt Rainaldus ait) *venena Lutheri, qui peccantes ea dulci, sed lethifera opinione imbuerat, non esse discutienda anteacta vitæ crimina, non eorum multitudinem, grauitatem, ac fœdi-*

Damnata à Leone X. an. 1528. pag. 129.

feditatem cum dolore ponderandam, non de amissa celesti felicitate, non de commeritis aeternis supplicijs plangendum, quòd eo angore hypocrisis peccatum admitteretur; sed optimo pœnitentiæ genere nouam vitam instituendam esse, credendumque firmissimè sibi peccata à Deo remissa, Patres præmonuere Gallos *non ità commissas culpas obliuisci, sed de ijs contrahendum acerbum dolorem.* Quæ autem Sanctissimi eiusdem Concilij Patres ad Pœnitentiæ necessitatem insinuandam, & illibatum Sacramenti huiusce ritum cõstabiliendum decreuerint, his verbis tradunt.

Rainal. an. 1528. n. 91.

Concilij itẽ Senonensis Patres impiam Lutheri doctrinam damnant.

Conc. Senonẽse decr. 14.

10. *Pœnitentia* (inquiunt) *tam necessarium est Sacramentum, quàm impossibile est Baptismum iterari.* Et paulò post. *Cùm igitur in multis offendamus omnes, neque sit, qui possit dicere: Mundum est cor meum & purus sum à peccato; necessaria profectò est secunda post naufragium tabula, in qua discussa diligenter conscientia, quidquid occurrit Dei offensiuum, detestemur:* Nam *ad Pœnitentiam nos adducit benignitas Dei, secundum autem duritiam, & impœnitens cor homo thesaurizat sibi iram, nisi resipiscens sciat, & videat; quàm malum est, & amarum reliquisse Dominum, & non esse timorem eius apud se. Contrà verò, quæ secundum Deum tristitia est, Pœnitentiam in salutem stabilem operatur; neque enim cor contritum, & humiliatum despicit Deus, qui sanat contritos corde, & alligat contritiones eorum, &c.* His quidem Patres propinata perfidæ à Luthero per scelus doctrinæ venena opportunis subindè remedijs refellenda curarunt.

Quæ potissimùm à Christi fidelibus retinenda, & quæ vti impia reijcienda.

Conc. Senon. vbi supra.

Veræ pœnitentiæ, ac necessariæ partes ex Concilio.

11. Quod insuper ad Pœnitentiæ, quæ hominem Deo conciliat, veritatem attinet, hanc quidem hæretici suis prauis dogmatibus ità asserunt; vt ipsis per solam fidem peccatoribus adblandiendo, omnem ab eis Pœnitentiæ laborem, ac molestiam ablegent, ac solo ipsius dumtaxat nomine contenti sint, quod olim Henricus VIII. in sua ad Lutherum epistola, cùm is bonorũ necessitatẽ operũ abnegaret, his planè verbis ingerit: *Et profectò* (inquit) *mi Luthere, cùm inter assertiones tuas omnem timorem damnationis, & Inferorum à præparatione Pœnitentiæ semoues, iubens, vt eam sibi solo procurent amore; facis tu quidem hac in re magnam peccatoribus iniuriam, quibus videri studes tenero quodam fauore misericors. Nam illis interim id laboras tollere, quod Deus optimus ordinauit tanquam præcipuum quoddam medium, per quod proficeretur in amorem, qui nec ipse profectò (dum in hac peregrinatione viuitur) satis tutus est, cùm absque timore nimium securus est: Nam si non in timore Domini tenueris te instanter (inquit Scriptura) citò subuertetur domus tua. Etenim qui sacras scrutatur literas, non vna tantùm via peccatores videbit attractos, sed plurimis, atque in his illo etiam amore seruili, omnibus tamen ad vnum finem tendentibus; nempè resipiscentiam vitæ, sine quibus medijs peccator non statim semper attingat illam salutis effectricem charitatem: quamobrem quod aliud consilium possis peccatoribus dare deterius, quàm quo suades; vt ea fugiant media, per quæ à vitijs auulsi feliciter traherentur ad Deum.* Pluribus verò interiectis Rex isthæc subdit.

Rainaldus an. 1516. num. 115.

Henricus Angliæ Rex Epist. ad Lutherum apud Coclæũ in act. & scrip. Luther.

Hæretici omnem à Pœnitentia laborem auferunt, solo ipsius contẽti nomine.

Lutheri impia assertio ab Hẽrico VIII egregiè cõfutata.

Cor. 7.

Ecclesiastici ap. 27.

12. *Inducis profectò nimis arrogantem fidem, suadens, vt homo peccator sibi sic blandiatur, vti se non solùm habeat de Diuino fauore certissimum: sed certum etiam apud Deum esse se in fauore tam eximio, vt velut vnicum Dei delicium, quidquid designauerit flagitij, Deum non possit offendere, tanquam Deus promiserit propter vnius credulitatis meritum impunitatem peccatorum omnium; Ideò nimirum quod (vt scribis in Babylonica) omnia protinus in momento fides absorbet scelera. Sed hæc superba, & otiosa fides, quantum sola soli tibi placet, tantum displicuit vetustis olim Patribus. Itaque B. Isidorus: Frustra (inquit) sibi de sola fide blanditur, qui bonis moribus non vtatur. Idem scribit D. Augustinus velut occasione capta ex etymologia vocabuli: Fides (inquit) appellata est ab eo, quod fit; duæ syllabæ sonant, cum dicitur fides, prima à facto, secunda à dicto. Interrogo te igitur, vtrum credas? dicis: credo, fac, quod dicis, & fides est, &c.* Sic bonis planè operibus tanquã lydio lapide Christi fidem probari, operibus verò destitutam nil ad salutem prodesse palam euincitur.

Solam fidẽ, ac inanem præsumptionem hæretici sufficere asserunt.

Fides dicta ex duabus syllabis, eo quod fit, quod dicitur

13. Pœnitentiæ itaque virtus cunctis post tristem, funestamq; Adæ ruinam adeò necessaria est; vt mortalium quisque nonnisi pœnitendo, postquam cecidit, regredi ad Paradisum valeat: Quapropter Hieronymus præcipuos, qui cõdigna

Hieronymus epist. ad Oceanum epitaph Fabiolæ.

digna post lapsum indicta sibi pœnitẽtia, culparum à Deo veniam promeruere suis in paginis recensens: *Petrus* (inquit) *trinā cõfeſſionem trina confeſſione deleuit. Aaron ſacrilegiū ob cõflatū ex auro vituli caput fraternæ correxere preces. Dauid Sancti, & mãſuetiſſimi Viri homicidium pariter, & adulterium ſeptem dierum emendauit fames: iacebat in terra, volutabatur in cinere, & oblitus Regiæ poteſtatis, lumen quærebat in tenebris; illumque tantùm reſpiciens, quem offenderat, lacrymabili voce dicebat: Tibi ſoli peccaui, & malum coram te feci; & redde mihi lætitiam ſalutaris tui, & ſpiritu principali confirma me. Atque ità factum eſt, vt qui me prius docuerat virtutibus ſuis, quomodò ſtans non caderem, doceret per Pænitentiam, quomodò cadens reſurgerem. Quem tam impium legimus inter Reges, quàm Achab, de quo ſcriptura dicit: Non fuit alius talis, vt Achab, qui venundatus eſt; vt faceret malum in conſpectu Domini. Hic cùm propter ſanguinem Nabuthæ correptus fuiſſet ab Helia, & audiſſet iram Domini per Prophetam: Occidiſti inſuper, & poſſediſti; & ecce ego inducam ſuper te malum, & demetam poſteriora tua: & reliqua; ſcidit veſtimenta ſua, & operuit cilicio carnem ſuam: ieiunabatque in ſacco, & ambulabat demiſſo capite. Tunc factus eſt ſermo Dei ad Heliam Teſbyten dicens: Nonne vidiſti Achab humiliatum coram me? Quia igitur humiliatus eſt mei cauſa, non inducam malum in diebus eius. O felix Pænitentia, quæ ad ſe Dei traxit oculos, quæ furentem ſententiam Dei confeſſo errore mutauit, &c. Non eſt loci huius, vt Pænitentiā prædicem, & quaſi contra Montanum, Nouatumque ſcribens; dicam illam hoſtiam Domino eſſe placabilem, & ſacrificium Deo ſpiritum contribulatum: & malo pænitentiam peccatoris, quàm mortem, &c.* His planè Hieronymus notis eximias Pœnitentiæ laudes adumbrans, eius profectò tum efficaciam in primis, tum neceſſitatem cunctis inculcat.

Dauid, Petrus, & alij Pœnitentiæ ectatores.

Pſal. 50.

Acab humilitate pœnitens, Dei iram placnit

14. Vt ſuſceptæ autem noſter narrationi ſermo inſiſtat, haud ſemel Deus ſuis poſt culpam flagellis ad Pœnitentiā homini profugiendum ſuaſit, & admirādus planè totum Chriſti Anno 340. Orientem ad cunctos ad Pœnitentiam prouocandos terræmotus concuſſit: *Certum vtique* (vt Baronius ait) *de offenſo Numine prodigium.* Cuius & Hieronymus meminit, cùm in chronico hoc anno quarto Conſtantij Imperatoris meminit; vbi hæc habet: *Multæ* (inquit) *Orientis Vrbes terræmotu horribili conciderunt.* De quo & Oroſius de cæpta à Conſtantio in Orthodoxos perſequutione agens iſthæc tradit: *De noua* (inquit) *nominis electione concedisur, vt Arianorum potius Eccleſiæ, quàm Catholicorum ſint: ſequitur terræmotus horribilis, qui plurimas Orientis Vrbes ſolo ſtrauit.* Sic ille. Patibus item S. Ephrem, dum infeliciſſima iſthæc tempora meminit, verbis adſtipulatur: *Terra* (inquit) *contremiſcens à facie Domini ſub pedibus noſtris commouetur, vt nobis metum incutiat, & nec ſic ob noſtram duritiam formidamus. Vrbes integræ abſorptæ ſunt, & loca ab ira Domini deſolata ſunt: & nec ſic trepidamus. Sol ſemel, & iterum meridianis horis ſuper nos obſcuratus eſt: & nec ſic corde pauemus. Bella Perſarum, & diuerſarum gentium barbararum commota ſunt, & regiones noſtras deſolauerunt, vt nos metuentes Deum, Pænitentiam ageremus, cùm indigeamus vtique Pænitentia non dierum, aut menſium, ſed temporum plurimorum, & nec ſic conuerti volumus.* Hæc ille; qui alibi aduerſus eos, qui ingruentes cauſis naturalibus terræmotus eiuſcemodi, haud culpis, ac Deo cōminanti, & ad Pœnitentiam prouocanti tribuunt, admirabiles eorum effectus recenſens de Armeniæ montibus, tunc terræmotu concuſſis hæc habet: *At dicite* (inquit) *nobis rurſus modum, quo per terræmotum Monte ꝭ Armeniæ diſſiti, in mutuum quaſi conflictum impellantur; ità vt ignis videatur excitari, plurimumque fumare ex ſic ſatis longa loci intercapedine, rurſumque locorum interuallo diſiuncti montes ſinguli ſuo ordine, ac loco conſiſtant?* Huius item terræmotus Gregorius Nazianzenus viſus eſt meminiſſe, cùm ſuæ res pueritiæ carminibus cecinit; hæc enim habet.

> *Nam cum læſa graui quateretur Græcia motu,*
> *Vlla nec auxilij iam ſpes aliunde pateret,*
> *At terror horribilis gelidos inuaſerat artus;*
> *Nondum enim ſacro Baptiſmate pectus habebant*
> *Imbutum, quando trahitur luſtralibus vndis Gra-*

Baronius an. 340. *nu* 34.

Hieronym. in chronic.

Exortus in Romano Imperio ſub Conſtantio terræmotus homines ad Pœnitentiā inducit.

Oroſius lib. 7. *cap.* 29.

S. Ephrem in 2. *lib. vit. SS. Patrum apud Lippomanum tom.* 2.

Portenta, quę tunc Orbi calamitates præſagire viſa ſunt.

S. Ephrem de terræmot. tom. 1. *ædit. vol*

Nonnulli ſecundis cauſis aduerſa perperam adſcribunt.

Gregorius Nazianz. in carm. de rebus ſuis.

Terremotus à Nazianzeno fit metuo

Gratia, & eximius splendor, quem Spiritus affert.

Hæc ille de terræmotu, quo se ille ingenti metu perculsum disertis verbis affirmat.

Baronius an. 397. num 91.

S. Io. Chrysost. pontificio throno suffectus Cōstantinopolim veniens de Pœnitentia ad Imperatorem sermonem habet.

Metaphrastes in vit. S. Ioannis Chrysostomi n. 34.

15. Quapropter vt susceptam hactenus narrationem prosequamur; cùm mortuo olim Nectario Constantinopolitanæ Vrbis Episcopo, & Arcadio potissimum Imperatore adnitente, ab Episcopis ipsi in Pontificio throno vnanimi omnium consensu Ioannes Chrysostomus Antiochenus fuisset Dei nutu suffectus, & magna subinde omnium cum lætitia Constantinopolim venisset, primò quidem de Pœnitentia ad circumstantes sermonem habuit, & tum Populo, tum Principi, quàm necessaria sit cunctis Pœnitentiæ virtus, ostendit; hæc enim in eiusdem gestis: Rogo (inquit) *ô Imperator, per eam spem, quam omnes habemus, Neque enim mihi tutū fuerit deinceps silere, neque quod meum est solùm spectando mercenarium, & non pastorem. Rogo ergò, vt principaliter quidem vos Dei verbis aurem præbentes attentam, super fundamentum fidei, aurum, & argentum, & lapides pretiosos, bonus inquam, actiones ædificetis: Si qui autem præoccupati fuerunt, aut quod absit, sint præoccupandi humanis delictis, ea sunt Pœnitentia, & studio expurganda. Ad eam sit nobis pulchrum exemplum magnus ille Dauid; qui cùm in peccatis, vt homo incidisset, & ob hoc fuisset reprehensus: non vt homo solummodò, neque similiter ac vulgus se gessit gratissima illa anima, neque contumelia reprehensionem pauperis Rex repulit; sed magna moderatione, & animi contritione ipsam tulit reprehensionem, & cùm se peccasse non esset inficiatus, citius, quàm fecerat, consequutus fuit remissionem. Atqui labi quidem est facile, surgere autem, & in statum priorem restitui est operosum, ac difficile. Adeò erat mitis, adeò moderatus, tam magnum fructum fuit consequutus ex Diuina humilitate. Et nos ergo, qui ineffabilibus De i rationibus ideò ad vos venimus, vt voluntatem eius testificemur, hoc primum verbum à Christo, & Diuino eius Præcursore accipientes, vobis annunciamus, & suademus: Pœnitentiam agite, propè est enim Regnum Cælorum. Hac autem non dubitabo vobis assiduè reuocare in memoriam, vobis autem timendum est, ne si fueritis contemptores Dei testimoniorum, ab eo rei deprehendamini in die visitationis. Nihil enim nostrum, neque ex nostro ventre, seu cogitatione annunciabimus; sed quæ hausimus ex Diuino fluento scripturæ diuinitus inspiratæ. Hac autem neminem reuerentes, neque dies, vt hoc dicam, diuini Dauidis, timentes ad vos loquamur, &c.* His planè verbis Ioannes alterius Ioannis æmulator à Pœnitentia dicendi initium faciens, eiusque cunctis necessitatem inculcans, dignus pœnitentiæ præco iure merito fuisse dicendus est:

His verbis pœnitentiā (inquit) agite, prope est Regnum Dei.

Lucas Vuadingus in Minorum Annal. an. vbi supra nu. 34.

Rainaldus an. 1343 nu. 85.

Petrus Diaz Episcopus Ciuitatensis ægrotans vt turpem corrigat vitam spectris terretur.

Cubicularius a quodā Minorita ad præmonendum Episcopum signis campellitur.

Inexpiatus decedens S. Francisci precibus, vt reuiuiscens confessione culpas diuitū à Deo impetrat.

16. Atqui ex eo propositæ rei argumentum maximè euincitur, ac Pœnitentiæ post scelerum culpas necessariò insistendum probè vnusquisque intelligit, quod scilicet miro olim in Hispania prodigio, vti multiplici Scriptorum, & Lucę Vuadinghi viri dignissimi in suis Minorum Annalibus testimonio liquet, comprobatum est, ex quibus isthæc Rainaldus in suis Annalibus: *Petrus Diaz* (inquit) *Episcopus Ciuitatensis voluptatum irretitus illecebris, cùm morbo lethali esset implicitus, quanquam monitus à Cubiculario ob spectra Dæmonum ipsius animæ insidiantium visa, vt sacra confessione crimen expiaret, consilia derisit. Demum vt conuinceretur non inania fuisse somnia, cùm iuberetur à quodam Minorita per obiectam speciē Cubicularius sollicitare Episcopum ad Pœnitentiā, illeq; signū posceret, iussus digitū in ardentē picis cacabū Episcopo morituro paratū immittere, mox adustū extraxit, atq; impœnitentem conuicit, iussitq; vt Sacerdotē vocaret: sed extorta confessio parum valebat. Excessit in eo statu è viuis, atque in Templū delatus, quarto die sepulchro mandandus èst feretro caput erigit, seque ob improbè actā vitam ad diuinum Tribunal raptum defixis horrore spectatoribus enarrat, & cruciatibus æternis damnatum; ob suum tamen singulare in S. Franciscum studium, illius precibus flexam misericordiam, vt ad vitam reuocaretur, peracta diebus viginti scelerum Pœnitentia, iterum moriturus. Cuius sepulchro affixum epitaphium etiam num historię veritatem testatur.* Signorum itaque portentis in homine à mortuis rediuiuo post patratas, inexpiatasq; culpas pœnitentiæ virtus, quàm cunctis sit necessaria, mortalium oculis demonstratum est.

17. Et sanè dignus Pœnitentium æmu-

Petrus Thomas Constantinopolitanus Episcopus n. 1. ad pœnitentiæ suæ vitæ finem argumentum præbet.

æmulator Petrus Thomas ex Carmelita Pactauensis, & Constantinopolitanus Episcopus, & Apostolicæ Sedis in Oriēte Legatus, virtutum item meritis apprimè clarus recolendis eorundem vestigijs inhæsit, qui se ipsum sub vitæ finem humiliter cunctis demittens, ac varijs admuentis pœnarum modis ad Deū sibi placandum excrucians, quàm necessariò, & ab hominibus præsertim culparū sibi patratatum conscijs pœnitentia sit exercenda, dissertissimè docuit; hæc enim dignè, laudabiliterque ab eo præstita pœnitentiæ signa Mazerius tradit: *Cum magna* (inquit) *diligentia, contritione mirabili, & lacrymarum effusione longam, generalem, & particularem confessionem fecit, etc. Sed quis verba sua diuina scribere valeret? penè impossibile foret. Sermone verò ad familiam omnibus flentibus completo, iussit apportari vnum saccum vilem, et abominabilem, et cum clara voce dixit: Ista est vestis candida, et iucunda, cum qua Christiani sepeliri debent; saccum quasi iocale super caput eius ponens, tantę mirabilia deuotionis, et contritionis dicendo, quòd omnes inundatione lacrymarum fluerent: et tunc ipse pietate humana coactus fortissimè fleuit. Deinde coram omnibus fecit afferri vnam chordam per os eius, cum magna contritione dicendo: Non sufficit ista chorda tali peccatori, sicut ego sum; parua est enim ad castigandum talem peccatorem: ò quoties, ait, cum lingua mea falsa offendi Deum meum? Tunc iussit se ipsum deponi in terram; et in terra iacens, familię suę alium fecit sermonem, mirabiliter semper concludendo, quòd cum Deo bene esseut, et quod si hoc facerent, Deus bene prouideret, dulciter eis promittebat, etc.* Et post multa: *Confessor verò suus, et nobilis Vir Huguertus de Maymon Patris mei Magister hospitij, ipsum Patrem meum legatum consolantes, chordam, siue funem de collo suo leuare voluerunt; quibus dixit: Absit, absit; non leuetis eam. Ista non est condigna retributio peccatis meis. Si non timerem Deū meum, bene facerem aliud cadaueri meo, quod tantum peccauit contra Deum suum, etc. Humilis semper in vita, humilitatem non modicam in fine ostendit: pompo sam sepulturam abominando, dicens: sepelite me in introitu Chori, vt omnes homines cadauer meum calcare possint, et debeant, et etiam (si possibile est) capreę, et canes.* *O quanta humilitas. O quoties Deo Verbum B. Martini dixerat: Domine, si adhuc Populo tuo sum necessarius, non recuso laborem. O quoties cum multis consolantibus à Spiritu Sancto confortatus, et mortem corporalem paruipendens: eadem est mihi mors, et vita. Si enim, ò Deus, sum necessarius pro passagio, et laborare debeo, contentus sum viuere; & si non sum necessarius, de morte contentor, mihi idem est: Fiat voluntas Dei mei Iesu Christi, &c.* Et infra, cùm quidam Episcopus, qui ad eum inuisendū, & consolandum venerat, vt lecto se reponi permitteret, ipsū exhortaretur: *Alta* (inquit) *voce respondit, & quasi cantando dicens: Non decet hominem Christianum mori, nisi in cinere, & cilicio, & hoc bis dixit. Deinde verò vni ex suis: ò fili bene sto, ne doleas, &c. Ego vado ad Christum, ne doleas fili mi, ne doleas; deditque sibi suam benedictionem, & recessit.* Pœnitentiam igitur Vir Dei, & in hoc summè patiendi ambitiosus, toto vitæ suæ tempore æmulatus, ipsam quoque moriens sectari, & in eius præfidenter amplexu mori voluit. Sed eius nobis alibi, digna habebitur mentio.

Rainaldus an. 1366. nu. 17. 18. & sequen.

Philippus Mazerius cap 18. apud Bolardum tom. 2. die 29 Ianuar.

Contritio ipsius & lacrymæ dum lugubrem sacum induit.

Se peccatorem inclamans humi reponi vult.

Pœnitentię indutus habitu vult mori.

Feruor sæ ce... Non decet Christianum mori nisi in cinere & cilicio.

Felix vitæ finis.

In fastis Sc... 3. hist. Senen ex M.S. Bibliot. B. Mariæ de Scala

19. Demum (vt istæ narrandi finis sit) mirùs quidem Pœnitentiæ ardor in Philippo Mancino, insigni pridem aleatore, & lubricis moribus vitiato; sed posteà pœnitentiæ cultui addictissimo extitit, quem mortis quidem timor ad Dei amorem, quinimò mors ipsa ad Cœlum subindè pœnitendo prouexit, de quo & isthæc in fastis: *Salutarem* (inquit) *lucem Philippus hausit à sepulchralibus tenebris, & mors iamiam imminens meliorem tandem illum reuocauit ad vitam, &c. Alearum ludis ad aleam vsque salutis iaciendam intentus, & per ætatis lubricum reliqua iuuenilis licentia specimen prębuit. Et soror quidem cęcam illius intemperantiam nimium quantum dolens, cum inuisentem subindè se Philippum moneret, Diuina clementia nè vltrò abuteretur; sed dum res fineret, mores suos, vitamque corrigeret, hęc à discedente verba semper exprimebat: Tibi obtemperabo, ne dubites. Diù tamen differentem, & nouis in dies voluptatibus in diuersa distractum, ità denique Cœlum, vt seriò obtemperaret, euicit. Romam fortè progressus, curioso veriùs, quàm pio animi studio, adiuit aliquan-*

Philippus Mancinus insignis aleator, & lubricus à pœnitentia vitę lucem auspicatur.

Pluries à sorore admonitus nil proficit.

aliquando triumphales cauernas ad S. Sebastiani Templum, sacris nobiles illorum exuuijs, quos fusi pro Christo sanguinis purpura fastis aeternitatis inseruit. Atque vt illas tunc temporis per longissimos tractus varijs meãdris, ac flexibus subterraneae semita distinguebant, dum remeare ad primos aditus Philippus nititur in alios, aliosq; viarum errores incautè diuertens, absumpto interim illatarũ facium alimento, caeca ex templo nocte pressus, &c. Frustra tamen è labyrintheis illis ambagibus euadere conatus esset, nisi dux vetere Ariadna longè praestantior Virgo maxima praesentem opem tulisset. Elapso itaque ferè triduo, quo se ante sepultum, quàm mortuum Mancinus, ingemuit, in patronam Virginem spem animi omnem conuertens, voti religione imposita spopondit, ex terrenarum voluptatum ancillariolo fore, vt ad Diuinos ipsius Regina Cælitũ amores per veram paenitentiam assurgeret, si se supremo discrimini subducere dignaretur. Et ecce per tenuem fornicis rimam lucis ad se radium (aureum diceres propitiae Virginis filum) peruadere intuitus, elatis quò ad poterat, rusticos in eius loci superiori parte terram subigentes, ad ferendum auxilium exciuit. Vndè humo capaciùs eruta, semianimis tandem ad liberum aerem eductus est. Verùm hac libertate potitus, feliciorem aliam sibi ipsi paulò post coptiuitatem indixit intra specum Senensis ditionis (Ermetam dicunt) ad radices Armiatæ montis, &c. Ibi dimissis omnibus, quibus pollebat diuitijs, seù veriùs per manus pauperum Cœlo in aeternum fœnus transmissis, durissima sui corporis afflictandi ratione anteacta vita dedecus abolere contendit. Et primò quidem vindicaturus gulæ libidinem, atque ingluuiem (adeò Senis celebrem, vt ob inertem saginam, qua membris succreuerat, vulgò Pippus Quadrus audiret) solis herbis, fruticumque radicibus diuitissimè victitauit. Adhibuit quidem interdum pecudum carnes, sed in oris, odoratusque supplicium: putridas quippe, verminantesque labris, ac naribus non solùm admouere; sed ad longum temporis spatium ingerere non dubitauit. Caeterum ex eo temporis tunica Cinyphijs villis, setosisque aculeis hispida artus conficiens, nudis assiduè pedibus soli, vel saxei, vel etiam spinosi austeritate discruciatis; premebat vlterius atrociter latera duplici ferreo cingulo. Quæ nec longissimis itineribus post multos solitudinis

Calixti cœmeterium illustrans in caeco subterranei loci horrore tribus diebus sepultus antequam mortuus inde in lucem à se mutatus emergit.

Nouam Dei beneficio à morte liber vitam, pœnitentiæ se rorum dans auspicatur.

annos peractis, tam in Hispaniam ad S. Iacobi tumulum, quàm Hierosolymam ad sacra Dei hominis vestigijs loca, nec in ipsa grauissima aegritudine posuit; donec indefesso Paenitentiae militi beatam morienti vacationem Cælum decreuit, &c. Et post multa pœnitentis animi antiquo ex hoste trophæa, isthæc subdit: *Atque ita denique resultantem tartareum hostem indoleri coegit, quod vicisset. His alysque relatis quam plurimis palmis, & domestico illo mortis propugnaculo strenua statione defenso, mors ipsa gratior ad Cæli Capitoliũ triumphantem Philippum euocauit; postquam eandem moriendi doctrinam, quæ tam altè ipsius animo insederat, vt Senensem Populum eruditissimus Magister doceret, Superi monuerunt, &c.* Sic profectò vnus iste inter mortis tenebras rediuiuus, dum dignis expiat, acerbisque pœnis antiquas vitiorum culpas, facere Deo satis non timuit; vt vel ipsis se iam sibi mortuum, ac Deo posthac, haud sibi, viuere sat ipsis euidenter factis ostenderet. Illudque Augustini sapidum, vel suo mortaliũ cunctis verbum exemplo ingereret: *Concertamus nos* (inquit) *ad meliora, dum in nostra sunt potestate remedia. Extinguamus mortem moriendo peccatis.* Sed hæc interim satis.

E Martyrũ sepulchris ad pœnitentiũ Beatorum sectanda vestigia exurgit, vitam à mortuis peremnem lucratus.

In fastis Senens ubi supra.

Augustinus lib. 50. homiliar. hom. 16.

CAPVT II.

Pœnitentiae, pijsque operibus intenti feliciter obeunt.

1 Pœnitentia, quæ præteritorum cuncta, & enormium quantùmuis criminum damna summo Dei beneficio reparat, haud vnquam profectò post indultam homini veniam à rectè viuendi norma, & virtutũ profectu vacat; sed bonis sic semper operibus intendit, vt ardua quæque, ac magna aggredi & dignè item exequi nunquam desinat, quo quidquid pridem mali peccando admisit, bonis postmodum actibus virtute cõpenset: *Faciat* (inquit Ambrosius) *fructum qui potest gratiæ, qui debet, Pænitentiæ.* Quapropter solemne illud Ioannis ore in deserto pœnitẽtibus olim verbum insonuit: *Facite* (inquit) *fructus dignos pænitentiæ.* Quod quidem tum maximè à pœnitentibus opere adimpleri contingit, cum pessimos,

Ambrosius exposit. in Lucam.

Luc. cap 3.

Alij sunt fructus Gratiæ, alij Pœnitentiæ fru ctus ex Ambrosio.

mos, perditosquè retractantes mores, nec non anteactę vitæ contraria omninò agentes, duris mollia, asperis blanda, pœnis delicias, voluptates denique tormentis vltrò compensant; *Adeoquè Peccator* (vt Gregorius monet) *maiora acquirit bonorum operum lucra per Pœnitentiam, quantò grauiora sibi intulit damna per culpam*. Enimuerò quisquis Deum per scelus, illicita perpetrando haud semel offendit; *Tàtò*(inquit)*à se licita debet abscindere, quantò se meminit, & illicita perpetrasse*. Hæc profectò pręscripta diuinitus, ac salubris Pœnitentiæ lex est. Quod sanè Pœnitentium laude præcipui, ac summa item admiratione digni feliciter pręstitere: Quibusuis etenim sæculi sponte se abdicantes delicijs, bellum sibi in primis plusquam hostiliter indixerunt, & vt spiritui carnem subijcerent, acerbis vltrò se ipsos pœnis deuouere. Quapropter Paulus nobile Christianorum,& maximè pœnitentium exemplar: *Castigo*(inquit)*corpus meum, & in seruitutem redigo; ne fortè cùm alijs prædicauerim, ipse reprobus efficiar*. Haud enim in hoc rigidi ac in se ipsos crudeles; sed veri potiùs amici, ac sui veraciter amatores, qui sic se habent, iure merito sunt(Chrysostomo teste) censendi: *Non enim dixit Apostolus* (vt Chrysostomus docet)*perdo, & punio; non etenim inimica caro est: sed castigo, & redigo in seruitutem, quod Domini est, non hostis; Magistri, non inimici: exercitatoris, non aduersarij*. Se ipsum namque, & carnem suam diligit, qui momentaneis hìc interim pœnis exercet; vt à gehennalibus se ipsum tormentis vendicat.

Gregorius hom 3 in Euang.

Quid sit facere fructus dignos Pœnitentię ex Gregorio.

Apost 1.Chor. 9. 27.

Paulus dignum Pœnitentium exemplar.

Chrysost Ep ad Chron.

2. Enimuerò dum corde quis pœnitens in arenam cum Diabolo pugnaturus descendit, oblectamenta, & quidquid deliciarum in Mundo est, à se procul vti noxia continuò ablegat; *Nemo* (inquit Tertullianus) *cum delicijs ad bellum venit, sudore omnia constant*. Cum Diabolo quippè pœnitendo quis bellum suscipit, dum aduersus carnem, eiusquè illecebras dimicat, nec vnum ex his absque altero in prælio vinci aliquando contingit. Quapropter haud turpiter vnquam ab acie recedendo, ac terga per segnitiem vertẽdo superari hostem. aptè olim Bernardus Robertum nepotem, qui è Cistercensium claustro ad Cluniacenses profugerat, illis

Tertullian. in Apolog.

Pœnitentia carnis delicias procul ablegat.

planè voluit verbis admonitum: *An quia* (inquit) *fugisti ex acie, putas te manus hostium euasisse. Libentiùs te insequitur Aduersarius fugientem, quàm sustineat repugnantem; & audacius insistet à tergo, quàm resistat in faciem*. Quod quidem Christiani probè olim scientes post durum indictum sibi bellum, dum iustas à se ipsis pœnas culparum exigunt, quibusuis in se ipsosmet pœnarum modis insurgere, ac præualere pugnando non destitere, ac si bonis se iugiter operibus exercendo, solemne illud Tertulliani verbum haud lingua, sed ipsomet vitæ actu exhiberent: *Quia Christiani* (inquit) *fiunt, non nascuntur*. Operando quippe quod intus,& in cute erat,& quod vel ipso præferebant Christianitatis nomine, haud ambiguè ipsismet vitæ actibus demonstrabant; vt sic, quod Petrus monet, adimpleretur: *Satagite, vt per bona opera certam vestram vocationem, & electionem faciatis*. Bonis itaque proculdubio operibus efficax post electionem ad gloriam sors, nec non electorum conditio probè ostenditur, iuxtà illud Augustini. *Qui fecit te sine te, &c. non instificat te sine te*. Quòniam ergò rectè, ac laudabiliter viuendo humana in tuto salus reponitur, congruè aliquando in rem Ambrosius hęreticos; qui bona opera ab hominum procul ablegant commercio, ac ipsos delicijs,& voluptatibus pro libitu ad satietatem vsque indulgere permittunt, nec aliter à recto virtutis, ac salutis tramite miseros decipiendo abducunt, his planè verbis perstringit. *Audio*(inquit)*homines, qui dicunt nullum esse abstinentiæ meritum; delirare eos, qui castigant carnem suam, vt menti subditã faciant: quod nunquam scripsisset, neque fecisset Paulus, si deliramenta putasset*. Hęc ille.

S. Bernar Epist. 1. ad Robertum.

Diabolus ... atrox cum homine pugna ex Bernardo.

Tertullianus lib. de pœn.

Petri 1 a. 10

Augustin. ser. 5. de ver. Dom.

Bonis operibus certa fit hominũ ad Christi Regnum electio.

Ambrosius Epist. 82.

3. Et Lutherus quidem, vt blandis homines deliciarum irritamentis interceptos magis, magisquè in suis item erroribus adblandiendo firmaret, bonorum operum ad salutem è medio necessitatem per scelus abstulit; adeoquè solam, nudamque sufficere fidem affirmans, innumeros planè in perditionis barathrum nõ tam hominum, quàm porcorum greges abduxit; hæc enim de eo Rainaldus: *Cùm verò* (inquit) *Lutherus omnia bona opera corporalia sperneret, etiam addidit*

Hæretici haud bona à suis opera requirebant ex Ambrosio.

Rainaldus an. 152. n. 10.

eius

Luthe rus suis male ad blandiens, bonis operi bus detrahebat.

eius discipulus Amsdorfius illa esse animę exitialia, quem impiorum turba sequuta est; adeò vt deterrimum hunc hereticum condidisse sectam sui nominis referas Sanderus. Diabolicum quippe noue, ac blandæ hæresis dogma bonis insultans operibus, eisq; perpetuum vltrò silentium indicēs, iisdem ab Ecclesia veluti noxijs, ac re vti perfunctoria ablegatis, cunctis liberas vitijs, vitiosisquè simul habenas hominibus laxauit. Sed ipsius hìc (si libet) Sanderi verba excipiamus: *Amsdorfiaci* (inquit) *docent bona opera ad salutem hominis esse perniciosa.* Quam hæresim ab Apostolo confutatam ita ostendit ad Titum tertio: *Curent bonis operibus praeesse, qui credunt Deo; hec sunt bona, vtilia hominibus. Heb. 6. Non enim iniustus est Deus, vt obliuiscatur operis vestri. Roman. ij. Reddet vnicuique secundum opera, ijs quidem, qui secundum patientiam boni operis gloriam, & honorem, & incorruptionem quærunt vitam æternam.* His planè impius blandiendo technis, deliramentisquè quamplures secum laboris, ac continentię pertæsos, & præsentis vitæ percupidos, Diaboli impulsu, in perditionis foueam pertrahere adnitebatur, vt Rainaldus his verbis: *Porrò* (inquit) *ad alliciendum ad suam sectam vulgus, & facinorosos quosque, hanc illecebram insidiosam proposuit, Ecclesiam Catholicam dæmonis sectam esse, quod Deum coleret, bonisquè operibus illi placere niteretur.* Atqui palam delira Lutheri ipsius hic verba protulisse, confutasse est; hæc enim ille tenebrarum filius quot verba, tot rethia, tot laqueos, quot apices, ac errorum item monstra, non nisi Tartari tenebris digna in lucem protulit.

Sanderus lib. 7. de visibili Monarchia.

Apost. Epist. ad Titum c. 3.

Bonorum operum ad salutem necessitas ex scripturis probatur.

Rainaldus an. 1522. n. 44.

Lutheri blasphemia.

Lutherus in suis scriptis.

Diaboli sectator cuncta, quæ bona sunt, vt Deo detrahat, odisse visus est.

4. *Compertum est* (inquit) *tandem per dilucidas scripturas Dei gratia Papatum, Episcopatus, Collegia, Monasteria, Academias simul cum omni Sacerdotio, Monachatu, Monialatu, Missis, cultibusquè Dei meras esse sectas damnatas Diaboli; Populus enim iste ad hoc intendit, vt coram Deo agat operibus, & non nuda fide, per quod sanè & Christus negatur, & fides extinguitur.* Et sanè impijs, peruersisque omnibus execranda Lutheri sententia, abnegari videlicet bonis operibus Christi fidem, si bonis fulciatur operibus; malis verò rite iuxta ipsius Euangelium excoli, eorumquè mirificè delira eiusmodi doctrina palato arrisit. Quo quidem afferror impius ipsum egregiè Mahumetem imitatus fuisse videtur, vt Albertus Pius sic meritò arguit: *Martinus* (inquit) *magis, ac magis in dies elatus, iniquiorquè factus, in omnes blasphemias ad profunda impietatis tandem prolapsus est, ęmulatus omninò, si quis diligenter inspiciat hæresiarcham Mahumetem. Vt enim ille permissis voluptatibus, ac constitutis legibus placidis, atque sensum oblectantibus plurimos illexit Populos; sic iste eadem via incedens, aspera quæque tollit, suauia concedit, cęlibatum aufert, sacra Claustra, tum virorum, tum mulierum perfringit, pudicitiæ votum exterminat. Ille legem Euangelicam optimè traditam fuisse asserebat, sed deprauatam à Christianis, ideoquè se missum ad veritatem aperiendam, ad redigenda omnia ad verè Diuinam legem; hæc eadem iste profitetur: sed interest, quòd ille corruptam esse scripturam aiebat, multis locis suppositis; hic perperam interpretatam, deprauatè expositam à Sanctis omnibus, & Sacris Concilijs prædicat.* Sic impius, vt vno cum suis in malo proficiat, bona in primis opera oppugnans, & carnis item suis vltrò libertatem largiendo dignus planè Mahumetis socius, ac impietatis collega palam dignoscitur.

Albertus Pius in respons. lib. 1. ad Erasmū.

Impius sua dogmatum impietate, Mahumetē ipsum longe superās æmulatur.

5. Et intoleranda quidem hęresiarchę, qui ab Inferis postremo sęculo emersit, temeritas in reijciendis, proscribendisquè bonis ab Ecclesia operibus, in Epistola Henrici Anglorum Regis, hisque ad ipsum apposite verbis conscripta refellitur: *Falsò* (inquit) *quereris id tibi per calumniam falsò exprobratum priùs, sic enim scribis. Sacrilegium est, & impietas velle placere Deo per opera, & non per solam fidem. Quę verba non minùs aperta sunt, quàm quę priùs tibi scripta sunt in babylonica, cùm hunc in modum scripsisti: Ità vides, quàm diues sit homo Christianus, siue Baptizatus, qui etiam volens non potest perdere salutem suam, quantiscunque peccatis, nisi nolit credere: nulla enim peccata eum possunt damnare, nisi sola incredulitas, cætera omnia, si redeat, vel sit fides in promissionem diuinā Baptizato factam in momento absorbeantur per eandem fidem. Hæc tua verba tam manifestè, quid sentis, indicant, vt nec illud poscant, nec admittant*

Apud Coclaū in actis an. 1526. n. 114

Sacrilegiū dicit, velle bonis operibus Deo placere.

Ob solam homo incredulitatem damnatur ex Luthero.

glossulam, neque enim color vllus effingi potest, quin contrà Christi verba: Augusta est via, quæ ducit ad Cælum; tu cùm Euangelica libertate tua latam nobis, ac facilem sternis illuc, quò tibi leue vulgus concilies, docens satis ad salutem fore, si quis Dei tantùm promissionem credat absque vllo bonorum operum labore, &c. Hęc ibi; at pluribus subinde prolatis sacrarum scripturarum oraculis, quod bona opera ad salutem necessaria sint, luce clarius ostenditur.

Lata ad perditionem via ab ipso aperitur.

6. Verùm hìc pro bonis asserendis, propugnandisque operibus aduersus impia Lutheri portenta magis, quàm dogmata Augustinus ipse in medium prodit, qui isthæc vti Christianę fidei decora,& præcipuam veluti credentium tesseram, qua ad vitæ immortalitatem,& adChristi Regnum aditus patet,his verbis ob oculos ponit: *Qui veram (inquit) quæ post hanc vitam Christianis promittitur, quærit, eam etiam inter amarissimas vitæ huius molestias, suauem,iucundamque gustabit; si eius,qui eam promisit,præcepta delexerit. Cito enim sentiet dulciores esse iustitiæ fructus, quam iniquitatis,& verius, atque iucundius gaudere hominem de bona conscientia inter molestias, quàm de mala inter delicias; quia non sic venit coniungi Ecclesiæ, vt ex ea temporalem aliquam vtilitatem requirat. Sunt enim,qui propterea volunt esse Christiani; vt aut promereantur homines,à quibus commoda temporalia expectant, aut quia offendere nolunt, quos timent: Sed isti reprobi sunt, & si ad tempus eos portat Ecclesia sicut aream, quæ ad tempus ventilationis paleam sustinet, si non se correxerint, & propter futuram sempiternam requiem Christiani esse cœperint, in fine separabuntur. Nec sibi blandiantur, quod in area possunt esse cum frumento Dei, quia in horreo cum illo non erunt, sed igni debito destinabuntur. Sunt etiam alij meliore quidem spe, sed tamen non minore periculo,qui iam Deum timent, et non irrident Christianum nomen,nec simulato corde intrant Ecclesiam Dei sed in ista vita expectant felicitatem; vt feliciores sint in rebus terrenis, quàm illi, qui colunt Dominum: ideoque cum viderint quosdam sceleratos, et impios ista sæculi prosperitate pollere, et excellere, se autem vel minus habere ista, vel amittere,perturbantur,tanquam sine causa Dominum colant, et facile à fide deficiunt. Qui autem propter beatitudinem sempiternam, et perpetuam requiem, quę posthanc vitam Sanctis futura promittitur, vult fieri Christianus; vt non eat in ignem ęternum cùm Diabolo, sed inRegnum æternum intret cum Christo: vere ipse Christianus est, cautus in omni tentatione ne prosperis rebus corrumpatur, et ne frangatur aduersis, et in abundantia bonorum terrenorum modestus, et temperans, et in tribulationibus fortis, et patiens. Qui etiam proficiendo perueniet ad talem animum,vt plus amet Dominum, quàm timeat gehennam; vt etiam si dicat illi Deus: Vtere delicijs carnalibus sempiternis, et quantùm potes pecca, nec morieris, nec in gehennam mitteris; sed mecum tantumodò non eris,exhorrescat, et omninò non peccet, non iam,vt in illud, quod timebat, non incidat: sed ne illum, quem sic amat, offendat; in quo vna est requies, quam oculus non vidit,nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quam præparauit Deus diligentibus se.* Bonis igitur necessariò, vt quis ad Cœli præmia pertingat, vacandum operibus, & haud inter sæculi sternendum otia, atque delicias, si quis vti Christianus æternitatis requiem expectando exambit.

August.lib.de catech.c.16. 17.tom.4.

Per bona opera,Dei seruando pręcepta vita ęterna acquiritur.

Qui bonorū operum fructu carent, non horreo vt frumentū: sed igni vti palea destinantur.

Veri Christiani, qui operibus Deū, colunt,& vitam fineDeo mortem computant.

7. Atqui vt res præcipuo viri, qui totus bonis intenderet operibus, ad religiosa claustra profugerat, comprobetur exemplo; Arnulphus Cistercienſis sub sanctissimo Abb. Clareuallensi Bernardo Monachus,testatissimam rei fidem mortalibus facit,de quo isthæc Platus exCisterciensium Chronicis: *Hic(inquit)cùm in sæculo vtpote nobilissimus, et ditissimus inter omnes delicias vitam egisset; deinde Bernardi concionibus impulsus, monasticam disciplinam in ClareuallensiCęnobio professus est: in quo tam paupere, et rigido Instituto, cùm insuper aliquando viscerum doloribus grauissimè cruciatus, diù exanimitus mutusque iacuisset; vt ad se redyt, in eam vocem erupit: Vera sunt omnia,quæ dixisti Domine Iesu. Quod cum sæpius iteraret, omnes qui aderant stupentes percunctabantur, quomodò haberet. Ille autem nil aliud respondebat, quàm illud idem: Vera sunt omnia, quæ locutus est Deus. Quare suspicantibus quibusdam, et ità dicentibus cum mentis errore ex doloribus affici: et aliena loqui:ego verò (ait ipse)* inte-

Ex hist. Cistercien. Platus lib 3 de bono stat. Relig.c.35.

Arnulphus Cisterc.Monachus religiosæ vitæ poenas suues experitur.

Quę morbi languore correptus spiritu dixit, mētis errore dixisse à quibusdam creditus.

integra mente hæc protuli, quoniam Dominus in Euangelio testatus est: Si quis propter ipsius amorem Mundi diuitijs, et propinquorum consuetudini renunciauerit fore vt centuplum accipiat in hac vita, id quod nunc reuerà experior. Etenim hæc ipsa tam ingentis cruciatus acerbitas adeò mihi dulcis est, propter spem Diuinæ miserationis, quam in ea repositam sentio, vt hac molestia caruisse me nolim non modò pro illis, quas reliqui, opibus, sed etiam si centum partibus ampliores fuissent. Quòd si mihi homini nequam, et peccatori etiam mei dolores centies dulciores sunt, quàm mea pristina felicitas sæcularis; quid facient probi, et feruentes Religiosi in suis solatijs, et gaudijs spiritualibus. Plane enim ita res habet, vt spirituale gaudium quodcunque sit etiam in spe centies milliet exuperet omne sæculare gaudium etiam in re. Quæ cùm loqueretur, admiratos ferunt vniuersos, qui audierant: maximè quòd homo literarum rudis tam bene ista, et intelligere, et eloqui potuisset, eòque certius omnes cognouisse, non aliunde illa prouenire quàm à Sancto Spiritu, qui in eius pectore residebat. Hæc ille. Quibus sanè pio bonorum operum vsu laboriosam vitam dulcescere, & vel summas inter huius sæculi dolorum, pœnarumque angustias homines reiecta sæculi libertate lætitiam, ac animi tranquillitatem consequi proculdubio constat.

Ipsemet, qui verba protulerat, verborum sensum enucleando adstantibus inculcat.

6. Porrò vt indicto iam hæresum monstris, infensisque Pœnitentiæ hostibus silentio dignos hic austerioris vitæ cultores, à fragili fœminarum sexu sermonem auspicando, recenseamus, Margarita Henrici 7. Cæsaris vxor, claris conspicua moribus, ac bene itẽ agendo sẽper inuigilãs, & Pœnitẽtiæ in primis, ac pietatis, nec non vigiliarum studio in Ecclesia præfulgens; cùm Virum sequuta Mediolani ferrea vnà cum Viro corona redimita fuisset, diem ibi feliciter claudens, optatam in Cœlis coronam ab ipsa Altissimi manu accepit. Sed hic Rainaldus in suis Annalibus consulendus est, qui isthæc habet: *Sequuta* (inquit) *Henricum Regina præclaris perpolita moribus, non multò post Genuæ defuncta, in Minoritarum æde tumulo condita est festo S. Luciæ, vt narrat Iordanus.* Verùm vt eius consultò hìc laudes sepulchralis instar tituli inserantur, hæc Mussatus: *Fuit hæc mulier carcemoniarum, diuiniquè cultus tantæ assiduitatis, vt solemnium festiuitatum dicta sit pernoctare vigilijs.* Diuinis itaque virtutibus magis quàm gemmis exculta, & Pœnitentiæ operibus ac meritis diues cũ bona opera velut certum sui patrimoniũ præmisisset, diem feliciter obijt.

Rainaldus an. 1311. nu. 23.

Margarita Henrici Cæsaris vxor pijs, ac pœnitentiæ operibus clara.

Iordanus MS Vatic. sign. n. 1960.

7. Dionysius item Monachus Scira, cognomento, Exiguus, at scientia rerumque ad Ecclesiæ cultum spectantium re vera magnus, ac omni præ cũctis laude ac plane omnium eruditissimus memorandus hìc est; qui Paschalẽ Cyclum auspicatus, ad nonaginta quinque annorum circulos perduxit: miris verò hic virtutibus præditus, sed ieiunijs, ac lacrymis potissimùm præcellens, diem clausit, sui cunctis admirationem relinquens; & qui pœnitentium in morem semper vixit, pœnitentium quoque ritu, abstinentia nimirum saginarus mori voluit, cuius & illud præcipuè à Cassiodoro laudi adscribitur: *Fundebat* (inquit) *lacrymas motus compunctione, cum audiret garrula verba lætitiæ: Ieiunabat sine exprobratione prandentium, et adeò conuiuijs gratanter intererat, vt inter corporales epulas exquisitius spirituales copias semper exhiberet.* Sed vt tanto, vti par est, Viro parentemus, quæ ipsi Cassiodorus concinit laudãdo præconia, hìc laudum monimenta describimus: *Generas* (inquit) *etiam, hodieque Catholica Ecclesia Viros illustres probabilium dogmatum decore fulgentes. Fuit enim nostris temporibus et Dionysius Monachus Scyta natione, sed moribus omninò Romanus, in vtraque lingua valdè doctissimus, reddens actionibus suis, quam in libris Domini legerat, æquitatem, etc. Eius autem subinde exponere laudes agressus: Fuit* (inquit) *in illo cum sapientia magna simplicitas, cum doctrina humilitas, cum facundia loquendi parcitas: vt in nullo se vel extremis famulis anteferret, cùm dignus esset Regum sine dubitatione colloquijs. Interueniat pro nobis, qui nobiscum orare consueuerat, cuius hìc sumus oratione suffulti, eius nunc possimus meritis adiuuari, etc.* Et infrà hæc habet: *Longum est de illo viro cuncta retexere, qui inter alias virtutes id habuisse probatur eximium; vt cùm se Deo totum tradidisset, non aspernabatur sæcularium conuersationibus interesse. Castus nimium, cùm alienas quotidie videret vxores: mitis cùm ferè*

Dionysius Monachus scyta, cognomento Exiguus, sed virtute, ac pœnitentia præ cunctis magnus.

Baronius an 527 n 67.68 69.

Cassiodorus de diu. lect. cap. 23.

Cassiodorus vbi supra.

Piæ ipsius exercitationes ex Cassiodoro;

Ipsius virtutum digna præconia.

ferè gentium vesano turbine pulsaretur. Fundebat lacrymas, etc. Quod si tamen aliquando comederet, paruo quidem cibo; sed tamē communibus vtebatur. Vnde summum bonum ęstimo patientię inter humanas esse delicias, et abstinentię custodire mensuram. Sed vt bona mentis infucata laude referamus, erat totus Catholicus, totus paternis regulis perseueranter addictus, et quidquid possunt legentes per diuersos quaerere, in illius scientia cognoscebatur posse fulgere. Et hæc planè elogia sunt, tantoque digna Viro præconia, quæ illum cunctis mirandum pariter, & in Ecclesia perpetuò laudabilem reddunt.

Meritorum ipsius celsitudo.

Lacrymæ, ac ieiunia ipsi pro delicijs.

Rainaldus an. 1301. nu. 15.

8. Vuenceslaus item senior Bohemiæ Rex, incredibili olim vitæ austeritate præfulsit, qui Regni administrandi prouinciam nactus, Regijsquè iam infulis clarus, cum sibi Vngarici quoque ius sceptri vsurpasset, à Bonifacio VIII. Romano Pontifice, eodem abstinere iussus est, cuius rei gratia iudicium illi iustissimè intentatum fuit. Itemquè ob Regis Poloniæ titulum sibi adscriptum, vendicatumquè acriter correptus. Sed cùm optimi subinde Principis partes post obtentum, ac piè, fideliterquè administratum Regni munus expleuisset, condignis religioso Principe exculptus meritis, Pœnitentiæ insistens operibus, ob id præsertim laudabilis è vita decesit, cui post mortem haud obscuris è Cœlo prodigijs adeptæ immortalitatis signa diuinitus affulsere; vt Aeneas Syluius, qui postea Pij nomine dictus, Pontificatum gesit, his verbis meminit. *Fuerat* (inquit) *mansuetus, et clementissimus Princeps, et admirandus opinione Sanctitatis, quæ postea vel miraculis confirmata traditur. Ioanni Brixionensi Episcopo, si vera est fama, per quietem apparens, cùm eum flentem, tristemquè reperisset, interrogauit, quanam esset causa mæstitiæ? Dicenti se mortem eius ęquo animo ferre non posse, incredulitatem exprobrauit, qui sacris eloquijs fidem non adhiberet, in quibus hæc verba potuisset aliquando legisse: Cùm te consumptum putaueris, orieris vt Lucifer, & habebis fiduciam propositâ tibi spe, & defessus securus dormies, requiesces, nec erit, qui te exterreat, & deprecabuntur faciem tuam plurimi; subiungensquè paruam esse eius, fidem, atque inanem, si mortem Sanctorum miseram putaret, repentè disparuit: Episcopus excitatus verba quidem sibi dicta memoriter tenuit; sed vbinam scripta essent in Sacro Côdice, penitus ignorauit: euoluto autem concordantiarum libro vndecimo apud Iob capitulo, quod quærebat, inuenit. Ad tumulum autem eius insignis latro cum accessisset, exprobrans mortuo vitam, lapideę statuæ super sepulchrum iacenti colaphum incussit: nec mora, cæcitate perculsus, impietatis suæ pœnam dedit. Statua postmodum in Sacrario erecta est, & alia ęnea loco eius reposita, Ioannis Brabantini egregij statuarij nobile opus.* Ex quibus quantùm Vuenceslaus pietate in Regno præcelleret, & quot, quantisquè animi dotibus polleret, satis, superquè legentibus innotescit; rerum quippe Diuinarum subsidijs. *Is vno lacero* (vt Rainaldus in suis Annalibus ait) *accepto Regno, duo florentissima Regna reliquit, & Vuenceslaus filius ob flagitia duobus Regnis, & vita in ętatis flore exutus est.* Cęterùm, vt idem, qui suprà Auctor habet, regnante adhuc Vuenceslao Seniore, Pragę cruci à Iudęis affixum Christianum hominem, omniaquè suppliciorum genera, quibus Christus Dominus pro humani Generis salute affectus est; illi ob Christi odium in abdito subterraneo secessu sacra, solemnique Parasceues die illata Dubrauius refert: *Cognito verò* (inquit) *scelere Pragensem Populum, non expectato iudicio Regis, qui in puniendis delictis hac voce vti erat solitus: Cùm iratus fueris, misericordię recordaberis, exquisitissimis supplicijs de sontibus pœnas sumpsisse, atque ex Iudaicis spolijs nouo Martyri monumentum posuisse.* Hæc Rainaldus. Qui mira igitur semper animi pietate, ac misericordia, in sontes tamen exercere Iudicium, obortasquè animi mititate iras temperare consueuerat, feliciter è sæculo bonis clarus operibus excedens, misericordias Domini in superno Beatorum regno consequi meruit.

Vuenceslaus senior Bohemiæ ob vitæ austeritatem conspicuus.

Aeneas Syluius hist. Bohemiæ. cap. 28.

Ob pietatem pij nomen obtinet.

Post mortē apparens se Dei Regnum possidere testatur.

Iob. cap. 11. 18.

Insignis latro eius insultans sepulchro cæcitate punitur.

Rainaldus vbi supra.

Felix per ipsum Regni administratio.

Dubrauius in suis hist.

Rainaldus vbi supra.

Zelus vendæ religionis, & mititas in puniendo.

9. Nec minore autem in sæculo pietate, ac Regali item apice conspicuus, Reccensuinthus Hispaniarum Rex suam tum vitam, tum pijs suum è vita decessum, operibus illustrauit, qui cum annos duos suprà viginti, & sex menses à Patris obitu regnasset, Vir planè mitis, ac humilis, cunctis sui desiderium, ac virtutum simul, necnon optimi Principis docu-

Reccensuinthus Hispaniarum Rex virtutibus præfulsit.

Baronius an. 672 n. 15.

cumenta relinquens, diues virtutibus de Ecclesia Dei, ac religione optimè meritus decessit, vt Tudensis hæc de eo verba narrat: *Hic fidem Catholicam* (inquit) *in tantum dilexit, vt semper requireret Viros literatos, qui frequenter coram ipso conferrent de articulis fidei: delectabatur enim in Diuinis scripturis, & Altare Christi auro, argento, gemmis, & sericis summo studio decorabat: ter Synodum cum Episcopis Toleti peregit, et leges apud Prædecessores suos editas firmauit, atque quasdam addidit omninò honestati conuenientes. Cūctos mirè dilexit, & ab omnibus valdè dilectus fuit; Erat autem adeò mitis, & humilis, vt inter subditos quasi vnus ex illis videretur. In pace regnum sibi subiectum rexit, & in villa nomine Geticos, quæ in monte Lauriensi sita est, propria morte decessit sub Imperatore Constantino*: Huc vsque Tudensis: Postquam ergò is optimè Regnum administrauit, ac se ipsum in primis laudabiliter rexit; singulari cunctos amore complexus, & non tam potentia sibi subditos, quàm beneuolentia captiuos faciens feliciter decessit.

Tudensis in hist. Hispan.

Pius de rebus fidei ac scripturis sermonem frequenter instituit.

Mitis & humilis adeo, vt inter subditos vnus ex illis videretur.

10. Carolus item Valesiorum Dux, Comesquè Andegauensium ab horum consortio seiungendus minime est, qui plura quidē laude digna præstitit, inter quæ illud meritò adnumeratur; quòd Sacrū Crucis symbolum à Sedis Apostolicæ Legato præferuidè in Orientem traiecturus accepit. At cum subinde ad vitę finem deuenisset, anteactæ vitę culpas eum in modum cæpit ex intimo corde dolere, vt conceptis valdè amarulenter verbis execraretur, atque ingemisceret, quòd se nimirum Engerano Marinio, qui sub Philippo Galliarum Rege Fisco Præfectus, tum opibus, tum gratia apud Regem floruerat, in causa fuisset, quod demum repetundarū reus ad patibulum damnatus, & vnco sit insuper miserabiliter tractus. Verùm in rem præsentem ex Paulo AEmilio Rainaldus in suis Annalibus isthæc tradit: *Excesserat* (inquit) *è viuis paucis antè mensibus illius Parens Carolus Valesius, quem aiunt in extremo vitæ confinio, procurata Engerani, de quo dictum est, necis pœnituisse, obtinuisseque à Rege Carolo, vt illius corpus è patibulo depositum Consanguineis sacrę sepulturæ mandandum traderetur; magnis sanè virtutibus ornatus erat Princeps, quem ad restituendam Orienti armorum vi Catholicam fidem sępius paratissimum vidimus, si temporum ratio cum illius votis consensisset. E quo Valesiorum Regum prosapia duxit originem, atque inter illius elogia illud affertur; non quidem Regem, sed filium, ac Parentem Regum extitisse*. Hæc igitur Viro dignissimo, qui Pœnitentiæ documentis vitæ præuenit exitum, meritò virtutum elogia, & sepulchralis instar tituli statuenda à nobis hic sunt, quem tam miti, ęquo, compositoquè ad virtutem animo fuisse comperimus; vt vel moriens ei, cui molestiam, damnumquè intulerat, irreconciliatus è vita abire noluerit, donec præteritas beneficijs iniurias, funestamquè capitalis intentatæ necis sententiam, interdictorum pridem funerum, ac sepulchri item honoribus compensaret. Ipsi igitur, qui inter fati angustias deprehēso pacem homini moriens obtulit, iure pacificum ob pium exhibitum opus contigisse finem, est proculdubio asserendum.

Rainaldus an. 1326. nu. 1.

Carolus Valesiorum Dux Crucis vexillum accipit, in Orientem traiecturus.

Rainaldus an. 1315. n. 3.

Poenitens sub vitæ finè aperta doloris intimi argumenta exhibet.

Paulus Æmilius in Carolo IV. an. 1315. n. 3.

Egregia illius pręconia.

Antiquas iniurias beneficijs compensat.

11. Verùm vt noster à Viris Principibus ad insigniores Ecclesiæ Pręsules sermo deriuet. Nankerus Vratislauiensis Episcopus macerandi, pœnitentium in morem, corporis gratia ieiunijs, alijsq; pijs exercitationibus perpetuò intendit; pietati insuper, ac deuotioni eum in modum addictus, vt sacros, diuinosque lucrandi thesauros cupidissimus in Ecclesia frequens, sacrosanctis Missarum sacrificijs, quo maximo poterat, mentis ardore, non secus ac ingens sibi inde lucrū proueniret, interesse iugiter intentissimè gauderet. Quoniam verò oblationes insuper singulis, quibus intererat, Sacris, pia, deuotaquè manu suum iuxta morem offerre consueuerat, illud à Deo, qui dat omnibus affluenter, pro mercede accepit, vt cunctis culparum maculis pœnitentia expiatis, tandem è vita discedens, Cœlum diues conscenderet; de quo hæc Michouias eius digna pietatis monimenta conscribit: *In morte eius* (inquit) *quædam religiosa fęmina suauissimum audiuit cantum, cui reuelatum est, animam NanKeri Episcopi Vratislauiensis ab Angelis in Cælum deferri*. Diuinorum itaquè sacrificiorum, quibus cunctæ culparum maculæ absterguntur, virtute, omni prorsus animi labe solutus, Cœlum

Rainaldus an. 1341. n. 43

Nankerus Vratislauiensis Episcopus poenitētiæ operibus intendit, & se ipsum macerat.

Meritis clarus è vita decedit.

Michouia lib. 4. 23.

vnà

vnà cum Deo regnaturus adiuit; sed vt dignum eius pietati, ac charitati ipsius verbis subtexamus elogium: Hæc ille: *Fertur*(inquit) *hic Episcopus miræ deuotionis, ac magnæ abstinentiæ fuisse, et Missas, quotquot legi poterant in Ecclesia, in qua aderat, audiuisse, et ad quamlibet earum spiritualem oblationem obtulisse*: Hæc in rem præsentem Michouias Polonicarum rerum compilator in suis Historiarum monimentis tradit. Et congruè, qui sic edomando corpori, ac pœnitentiæ sectandæ studio deditus, abstinentiæ sibi frænum iniecerat, & bonis ad Dei misericordiam operibus promerendam, inter Missarum solemnia Deo, ad redimendas videlicet culpas, de cordis thesauro prompta, faciliquè manu munera Deo digna promebat, condignam tandem sub vitę finem larga eius manu mercedē accepit.

Ipsius anima ab Angelis in Coelū defertur.

Michouias vbi supr.

12. Anibaldus item S. R. E. Cardinalis, & Tusculanus Episcopus, primùm in Neapolitano Regno sub Clemente Papa, huius nominis VI. Sedis Apostolicæ Legatus, ac subinde ad Ludouicum Vngariæ Regem; vt eum ab expeditione Neapolitana, & bello Ioannæ Reginę ob trucidatum Andream Regem ipsius filium, ac Ioannæ Virum inferendo prohiberet, proficisci iussus: Cùm se iam è proximo, laborem haud refugiens itineri accingeret, insperata præuentus morte desijt, vt cunctis Pontificiæ apud Rainaldum literæ fidem exhibent; de quo Clementis vitæ Auctor isthæc narrat: *Eodem* (inquit) *anno obyt Dominus Anibaldus de Cecano Episcopus Tusculanus Cardinalis, qui Romam prius missus fuerat per dictum Papam Legatus, & Vicarius, vt ibi loco, & vice sui pro illo tempore præsideret, & vbi expediret, peregrini ad ipsum pro suis necessitatibus recursum haberent. Dicitur autem, quod toxico peremptus est.* Hęc ibi de Anibaldo Sedis Apostolicę Legato miris virtutibus conspicuo; quem Matthæus Villanus, & Nicolai Laurentij gestorum compilator, veneno quidem superinfuso, ex quo cuncti, qui haustum sumpsere, interierunt, sublatum vnanimes affirmant. Verùm qui Clementis Papæ gesta scriptis consignauit, plura in eiusdem Anibaldi laudem meminit, ac piorum præsertim, quæ

Anibaldus S. R. E. Card. Tuscul. Episcopus, Legatus Apost. Sedis summis laboribus perfungitur.

Rainaldus an. 1350. nu. 25.

Tom. 9. Epist. secret pag. 26. in Clem. VI apud Bosqu.

Dum profectionem in Vngariam parat, morte præuentus est toxico propinato.

præstitit, operum, ob quę tutum, faustumquè sibi à Deo exitum obtinuit, his planè verbis laudes concelebrat.

Mathæus Villanus lib. 1. cap. 18.

13. *Ipse*(inquit) *Dominus ędificauerat locum de Gentiliaco iuxta pontem Sorgię, & propè Auenionem, in quo constituerat, & fundauerat Cœnobium Fratrum Cælestinorum; pro quorum sustentatione condecenti, tam in vineis, pratis, & molendinis, domibus, & censibus circumquaque, & etiam Auenioni existentibus, multa acquisierat, & ipsorum vsui perpetuo deputauerat de bonis à Deo datis sibi pro suorum remissione peccatorum.* Hæc ille, quibus Vir omni laude dignus, Ecclesiæ obsequio, ac pauperum Religiosorum vtilitati intentus, felicem sibi ad immortalem vitam visus est aditum comparasse iuxta illud, quod canit Psaltes diuinitus: *Beatus, qui intelligit super egenum, et pauperem, in die mala liberabit eum Dominus.* Sublatus igitur est hausto toxici veneno, sed illibatus omnino, intactusquè Vir tantus cupiditatis veneno, & omni auaritiæ labe summa cum laude semper permansit; vt pia ipsius Romani Pontificis Clementis huius nominis VI. verba, ipsi pro merito laudationis elogio occinunt: Hæc enim ille. *Sperantes*(inquit)*firmiter, quòd ipse, qui in terris positus studuit operatione virtutum, et exercitio bonorum operum placere omnium conditori, ab eo, apud quem nullum bonum irremuneratum esse constat, mercedis præmia est adeptus in Cælis.* Optima igitur supernę in Dei Regno felicitatis, dum Præsul dignissimus totus bonis incumbit operibus, spe suffultus, expiatisquè interim piè agendo culpis, Pontificio laudatus oraculo, ad Deum tandem, cui diù, fideliterque seruierat, feliciter peruenit.

Pia, ac digna Anibaldi opera in Religiosos viros.

Psal. 40. 4

In Epist. secret Clement. Papæ VI.

Elogium Clementis Papę Sexti ore ipsi decantatum.

14. Porrò vt noster susceptæ narrationi stylus insistat; Nicolaus de Capocia Romanus, S. R. E. Cardinalis, & Tusculanus item Episcopus, Vir pietate, ac doctrina insignis, pijs præsertim Christianæ charitatis ergà pauperes operibus præfulsit, ex quibus largam sibi à Deo subinde tum in præsenti, tum in futuro sæculo mercedem, ac optatum deniquè vitæ finem, Christianę laudabiliter charitatis officia exercendo promeruit; adeo vt ipsi iure optimo illud ipsum, quod alteri Euangelicum occinat: *Beati misericor-*

Nicolaus de Capocia S. R. E. Cardinalis mira in Deū ac pauperes charitate cōspicuus.

Rainaldus an. 1368. n. 9

Matt. 5. 7

cordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. Nemo quippe Virum hunc pietate magis, ac misericordia, quàm purpura, ipsisque infulis clarum donando largiendo, miserando, ac benefaciendo superauit dum charitatis in egenos dumtaxat, ac infimæ conditionis, & miserandæ fortunæ homines paterna sortitus viscera ipsius Dei consilio videretur. Is primùm à Clemente VI. sub Christi Anno 1350. ad Cardinalitiam purpuram, ingenti meritorum suffragio euectus, eiusmodi non aliam ob caussam muneris dignitatē adeptus quodammodo visus est, nisi vt cunctis quantum ipse vellet, & quantum posset, tum opera, tum consilio prodesset, & in sublime locatus, miseros quosque paternum in morem iugiter complecteretur, & ad cunctos se se propensa ipsius charitas, vltrò libenterq; protenderet. In eo igitur dignitas dignissimi Viri, inuictumquè animi robur affulsit, quod vbi integerrimum illibatæ conscientiæ iudicium, ac semper vigens, iustitiæ zelus quid tentandum, quid faciendum dictaret, nullum planè nominem reueritus, cunctis liber pro sui munere loqueretur; & cùm dissidentium, & controuersiarum causis dirimendis ob peritiam efficax apprimè, atque idoneus foret, pauperibus, quibus sua ob inopiam iura, ac lites prosequendi facultas non suppetebat, vltroneus ipse miseris Aduocatus, oleum, atque operam suam omnem ipsis libentissimè impenderet. Cùm itaque præcipuarum virtutum laude floreret, ac se misericordiæ iugiter actibus exerceret, sub Vrbano V. ad Superos euocatus, sui cunctis amorem, ac desiderium relinquens, viuendi finem fecit; & qui dum in humanis degeret, misericordiam in pauperes fecerat, eosdemquè in Iudicio pari item beneficio adiuuerat, condignam sibi ad Dei Tribunal misericordiam est consequutus, adeò vt illi commodè Dauidicum illud carmen aptè responderet: *Beatus vir, qui miseretur, et commodat, disponet sermones suos in Iudicio.* At lætum, faustumque purpurati huius præ cæteris admirandi è vita exitum, rerum ab Vrbano V. gestarum scriptor his verbis meminit.

Ad purpurā ideo euectus videtur, vt cunctis quātum vellet, prodesset.

Rainaldus an. 1350. nu. 41.

Quanta Deo ac se digna exornatus purpura præstitit.

Psal.

15. *Eodem* (inquit) *anno hoc est M.CC.L. die XXVI. Mensis Iulij obijt in dicto loco Dominus Nicolaus de Capocia Episcopus Tusculanus, Cardinalis Romanus, Vir vtique magnæ literaturæ, zelator maximus Iustitiæ, & pauperum continuus sustentator; diebus enim singulis per hospitalia panem, vinum, & alia cibaria in domo sua præparata abundanter faciebat distribui, & pauperibus ministrari. Vltraquè de ipso duo laudabilia notanter referuntur; primò, quòd in Consistorijs, & Consilijs sic liberè, & intrepidè loquutus est, quòd propter neminem sine præsentem, sine absentem omisit dicere illud, quod sua conscientia sibi dictabat; Secundò cùm esset valdè practicus in decisione, & prosequutione, causarum, amore Dei, & pietatis intuitu pauperibus litigantibus, quos sciebat iustas fouere causas, consilia dabat, eorum processus videbat, positiones, & articulos, ac alia eis ad hoc opportuna dictabat, formabat, & ordinabat, salaria etiam Notariorum, Procuratorum, Aduocatorum de proprio ministrabat, & etiam quæcunque victus necessaria, secundùm quod eorum inopia exigebant. De bonis etiam à Deo sibi datis in Studio Parisiensi fundauit, et dotauit nobile Collegium pauperum scholarium, quod S. Sophonię voluit nominari, fecitque etiam multa bona Ecclesię S. Marię Maioris de Vrbe, vbi iacet miraculis coruscando.* Hæc meritissimo vtpotè digna Viro Præconia, eiusque perenne charitati monumentum meritò scriptor exculpit, qui apud Ecclesiam in Vrbe nobilissimam sepulchri, locum sortitus, miraculis item post mortem, quippe qui mirabilia fecerat in vita sua, mirificè, vt Scriptor narrat à Deo meruit illustrari. Porrò Virum Beatissimæ Virginis cultui apprimè addictum fuisse, ex eo constat, quod præcipuam in Vrbe Ecclesiam singulari viuens beneficentia complexus est, & in ipsiusmet domo sacra, venerandaque Deiparæ Virginis imago succrescentibus è puteo aquis mirabiliter supernatans, magno gratiarum fœnore Vrbi innotuit; Miræ autem huius rei veritatem curiosè exquirentibus, mirantibusque: Diuinum, quod intus latebat, arcanum, ac venerandæ imaginis ipsius Deiparæ Virginis, quæ gratiarum est fons, thesaurum prodi in lucem contigit. Portentosa autem, quæ adeò miraculis imago affulsit, ac tantæ apud Populum venerationi esse cę-

Gesta Vrbani Papæ V. apud Bos. opera.

Insignia pietatis opera dignū ipsius post mortem elogium.

In pauperū causis patrocinandis mira ipsius opera.

Prouida eius literarum studiosis pauperibus promouendis munificentia.

Signis post mortē à Deo illustratur.

Deiparæ Virgini addictissimus, Templum in Vrbe ædificat portentis clarum.

pit, vt pius ibidem cultus in dies iugiter increbescens, sacro domum ipsam ritu in Ecclesiam commutandam indixerit, vbi celeberrimum hodiè S. Mariæ in Via Templum non procul à foro, & Antonini Cæsaris columna cernitur, ingentique Populorum concursu, ac veneratione colitur; sed vt ad sua redeat oratio.

Deiparæ Virgini addictissimus Templũ in Vrbe ædificat portentis clarum.

Rainaldus an. 1382. nu. 16.

16. Bonorum item operum, ac iugi exercendæ pietatis studio illustris fuit Ludouicus Hungariæ Rex, qui inter Reges maximus Christianæ Religionis propugnator diem feliciter clausit, magnis apud Deum ob defensam Christi fidem, eiusque sollicitam propagandæ operam, cumulatus meritis; hoc enim illi nobile Cromerus elogium inscribit: *Pietatis* (inquit) *atque Religionis ita fuit obseruans, vt non in postremis duceret Iudaos, et Cumanos falsorum Deorum cultores ad Christianam Religionem adducere; quod in Cumanis quidem assequutus, Iudęis autem cùm neque minis, neque præmijs propositis persuadere posset, omnes proscripsit: Plebis non minorem, quàm nobilitatis curam gessit. Itaque nonnunquam dissimulato habitu vicos, et Oppida perlustrauit, vt cognosceret, quid quid de publicanis, et exactoribus, Iudicibus, et Magistratibus suis, ac de se denique vulgus hominum assentandi nescium sentiret, multaque ex eiusmodi sermonibus in se, suisque castigauit. Hic Rex rebelles Hũgaris Bulgaros, Bosnenses, Serbos, Croatas, Transalpinosque ad officium reduxit. Valachiam cum Bogdano Palatino in clientelam recepit, Dalmatiam Venetis eripuit.* His Auctor dignis vtique pij è vita Regis decessum præconijs illustrat. Enimuerò nonnisi felix, ac faustus ipsi ad æternitatem aditus patuit, qui iuxta diuinũ Psalmistæ oraculum beatus quoque vel viuens adhuc dicendus videbatur: *Beatus* (inquit) *vir, qui miseretur, & commodat, &c. in die mala liberabit eum Dominus.* Qui igitur omnimodam erga Christum tum lingua, tum vita in se Religionem, & in subditos insuper [illegible] iustitiam in Regno probè administrando exeoluit; largam profectò sibi ad Deum pro mercede misericordiã muneratus accepit. Vt à Regio autem Viro ad supremum Ecclesiæ Præsulem sermo recurrat.

Ludouicus Hungariæ Rex pietate, ac bonis operibus clarus.

Præclarè ipsius in Regno administrãdo documenta.

Psal. 135.

17. Vrbanus huius nominis VI. Romanus Pontifex dignè memorandus hic est, qui antea Bartholomæus, Archiepiscopus Barensis dictus, & à Cardinalibus Gallis Romanus Pontifex salutatus, optimis adeò moribus affulsit; vt dum se ad somnum capiendum in strato componeret, sacras sibi scripturas ad conciliandam tum animo, tum corpori quietem à Cubiculario perlegi vellet, & sic pœnitentiæ, bonisque operibus semper addictus, vt diù, noctùque corpus cilicio excruciaret. Hæc enim eius virtutes, & munera Niemius recolens tradit: *Egregius* (inquit) *decretorum doctor, necnon ante Papatum homo humilis, & deuotus, & retrahens manus suas ab omni munere; inimicus, & persequutor Simoniarum, & zelator castitatis, & iustitia: Sed nimiùm sua prudentia innitendo, & credens adulatoribus libenter aures præbuit ipsis, &c. Viros literatos, & bonos sincerè dilexit, & pro posse adiuuit, non impediens se de negotijs alienis, & singulis diebus, dum corporis sospitate gaudebat, Missam legit, &c.* Hæc Auctor; qui & plura tanto digna Pontifice consultò meminit; meritòque ipsum extollens, hæc addit.

Vrbanus VI antea Bartholomæus Episcopus Barẽsis adeo pœnitentiæ studuit, vt noctu, dieque cilicio carnem excruciaret.

Rainaldus an. 1389. nu. 16.

Theodoric. Niemius lib. 1. cap. 1.

18. *Hæc etiam* (inquit) *ante ipsius Papatum per multos annos, me existente cum ipso, singulis noctibus, postquam ad cubile suum causa quiescendi ascenderet, coram se Biblia, quò vsque dormiret, legi fecerat, & rarò, vel nunquam tempus aliquod vigilando otiosè consumpsit: sed aut studebat, vt prædixi, seu commissa sibi exercebat officia, vel orabat, & nisi arctatus quodammodo, per plateas nullatenus incedebat, &c. Etiam induebatur cilicio diurno tempore, & nocturno, in quo dormiens indutus fuit desuper tunica alba talari de mediocri panno laneo, & multùm erat patiens tunc temporis. In aduersis compatiens etiam valdè calamitatibus aliorum; omnia etiam ieiunia per Ecclesiam indicta tunc sanctissimè obseruabat, necnon per Aduentum Domini, & per sexagesimam annis singulis ieiunabat similiter, necnon bonos Religiosos satis amabat.* Hæc ille. Verùm postquam Summus Pontifex salutatus est, & Romæ vnanimes in ipsum purpurati omnes consensere, qui Romanum sibi expetebant, furore abducti, eius irritam inaugurationem fieri curabant; quare magnum inde in Ecclesia schisma conflatum est, & ipse arripere fugam coactus, Cardinalibus subinde in varias factio-

Piis rebus, ac scripturæ intentus, & otiosus nunquam.

Niemius vbi suprà.

Patiendi ambitiosus ceteris compatiebatur.

Ieiunijs seipsum exercuit

Schisma in Ecclesia sub eius pontificatu à Cardinalibus cõflatum.

factiones distractis. Atqui cùm Aduersariorum consilia, vt Pontificatu se abdicaret, grauius vrgerent, pio Eremitæ in Anglia, dum sacrum faceret, nobili meritorum suffragio, non alium, quàm Vrbanum legitimum esse in Ecclesia Pontificem, è Cœlo innotuit; hęc enim vna praecipuas inter Anglorum rationes affertur: *Prætereà (inquiunt) reuelatum est cuidam Sancto Eremitæ de Anglia, &c. quod Bartholomæus Barensis debet recipi in Papã, &c. Scripsit enim ad Anglos epistolam, in qua narrat, quòd ipso celebrante ostensum est sibi in hostia sacrosancta Bartholomæum Barensem esse verum Papam, &c.* Cum autem Robertus Gebennensis Papatum exambiens Vrbano in primis validè obsisteret; à B. Catharina Senensi Virgine idẽ Vrbanus fuit ad constantiam maximè roboratus. Quapropter Iacobus Cardinalis Vrsinus iam iam moriturus, totiusque rei probè conscius, Vrbanum verùm, ac legitimum esse Pontificem coram asseruit; quinimmo Catharina Senensis, ac S. Birgitta ambo Sanctissimę fœminæ diuinicedoctæ, suum Vrbano Pontifici calculum, ipsum, nec alium agnoscendo dedere: Vrbanus verò cũ S. Catharinã mox ad se in Vrbem euocasset, eiusque hortatu solemnem nudis ad Principis Apostolorum Basilicam pedibus supplicationem ageret, nobili de schismaticorum turbis triumpho potitus, suas Hadrianam primùm in manus Arcem liberam recepit; sopitisq; subinde procellis verus Papa, Petri successor, & Christi Vicarius, quàm multis, qui Antipapæ causam defendebant, manifesta diuinitus vltione perculsis agnoscitur. Tandem verò Romæ, ad quam se contulerat, vita functus est, quẽadmodum ipsi ab Eremita fuerat longè ante prædictum. Dei quippe prouidentiæ nutibus ipsius in Vrbem reditum Gobelinus vult adscribendum, quod & cælesti præostensum prodigio his planè verbis narrat: *Intendebat iterum (inquit) ad Regnum Siciliæ gressus dirigere, quoniam Romam ire voluntatis suæ omninò non erat; sed interim venit ad eum quidam Eremita dicens ei: Velis nolis, Romam ibis, & ibidem morieris: Vnde posthac quadam nocte voluntate mutata Romam se transferre decreuit. Cùmque versus Romam flecteret iter, visa est imago S. Petri in ea forma,*

Rainaldus an. 378. num. 52.

Eremitæ in Anglia Sanctis moribus Vrbanum vere esse Papam diuinitus ad altare reuelatur.

Rainaldus an. 1388. num. 8.

S. Birgitta & S. Caterina Senen. Vrbano inhærendum dixere.

Gabelinus in Cosmod. ætat. 6. cap. 81.

Romam ire haud acquiescens, ab Eremita, se velit, nolit iturum Romam, ibique moriturum audit.

quæ excisa est de petra, stans ante porticum Basilicæ eiusdem Romæ, ipsi Papæ, & quibusdam alijs in aere, quasi viam, quæ versus Vrbem protendit, ostendens; et Papa præcepit eis, qui hoc secum viderant, ne cuiquam reuelarent: et post obitum eius Episcopus Tarentinus, Confessor suus sermonem faciens, hoc miraculum publicè prædicauit. Cùm igitur Vrbi appropinquauit, Romanos obuiam habuit cum magna solemnitate, et multis in campo tractatibus cum eo habitis, Romam cum honore magno regressus est. Hæc ille, cui alij Scriptores pariter adstipulantur.

19. Vrbanus denique inter tot rerũ angustias, turbasque Christiani Orbis innumeris ferè calamitatibus, incommodisque attritus, in Vrbe diem obiens, mirum sui, ac Pœnitentiæ specimen cunctis tot inter mala exhibuit; vt Rainaldus à probæ fidei Scriptoribus acceptum sic tradit: *Vrbanum* (inquit) *hoc anno, idest M.CCC.LXXXIX. diem obijsse scribunt Theodoricus Niemius, et Gobelinus eius temporis Auctores, quorum postremus in Sacello Basilicæ S. Petri Diuo Andreæ sacro sepultum at deinde honorificentiori tumulo in ipsa Basilica mandatum narrat, à quo etiam epitaphium impolito carmine inscriptum est, etc.* Igitur (vt hoc appendicis instar adijciamus) Vrbanus ob nimiam in regendo, & corrigendo pariter asperitatem tot inter Cardinales turbis occasionem præbuit; sed delatũ ipsi Rainaldus ait è Cœlo pro asserendo Pontificatu calculum, obiectumque pio Monacho cœlesti specie visum, & pro oraculo eiusmodi dictum: *Vrbanus est verus Papa, et sponsus Ecclesiæ; sed in regimine suo tenebit modum sine modo.* Qui cùm stirpis suæ (vt Rainaldus ait) Principatibus, & diuitijs cumulandæ studio multa præter laudabilem Romanorum Pontificum morem, ac mititatem gessisset, haud mirum, illam funesto planè, ac violento item exitu, ac breui quidem consumptam. Et hæc de eo satis, qui assiduis in Apostolica Petri Sede calamitatũ procellis exagitatus; his profectò, si quid in Ecclesiæ regimine peccauit, facilè isthæc patienter perferendo exoluit, bonisque operibus expiatus, è vita tandem abijt.

Portentoso visu, quid facere debeat, edocetur.

Crantzius Metropol. lib. 10. cap. 20.

Rainaldus an. 1389. nu. 10.

Vrbanus ob Niemiam in regendo seueritatem schismati occasionem præbuit.

Rainaldus supra ann. 1378. num. 23. 25. & num. 11

Multis præsfus calamitatibus, vt sic apud Deum expiaretur, vitã claudit.

20. Nicolaus item Albergatus ex Chartusianorum familia, tituli S. Crucis

Rainal. ann. 1443. num. 14.

Carolus Sigonius lib. de Episc. Bonon. lib. 3.

Nicolaus Albergatus ex Carthusianorum familia S. R. E. Card. Pœnitentiarius præcipuus Pœnitentiæ cultor.

Ciliciocarnē haud lineis vtens vestibus edomabat.

Doloribus ex calculo patientissimè tolerandis enituit.

Ad laborum præmia virtutum meritis diues transit.

Carolus Sigonius vbi supra.

in Hierusalem, Presbyter Cardinalis hic silentio prætereundus non est, qui Pœnitentiæ operibus, suoque austeriùs tractando corpori addictus, magnum, ac nobile toti Christiano Orbi Pœnitentiæ in se ipso præbuit exemplar; de quo isthæc Carolus Sigonius ex antiquis monumentis excerpta in ipsius laudem narrat: *Dum Romæ* (inquit) *vixit, Parentibus, aut fratribus, aut alijs ex suo genere nihil ex bonis Ecclesiæ tradidit, asserens, se dispensatorem à Deo, non largitorem esse constitutum. Familiam habuit honestam, quæ et honestatem seruaret, et contemptum vitaret, summā seruans in omni statu moderationem. Cibi fuit parcissimus, nunquam post aditam Religionem in infirmitatibus, quibus grauabatur sæpius, neq; extremo vitæ tēpore carnes comedit; vino vtebatur, quod satis esset ad vitæ sustentationē. Religionis normā immaculatā seruauit, eam Religionem sequēs, quæ à Iacobo Apostolo scribitur esse, se immaculatum ab hoc sæculo conseruare. Surgebat media nocte orationi vacans: lineis non vtebatur vestibus, cùm semper cilicio interius vteretur, ac recubans in Sarmentis. Sacræ Scripturæ continuum studium impartiebatur, cùm quid otij ab oratione, et publicis superesset. Humanis quoque studijs operam dedit, quantum sacrarum literarum dignitas patiebatur. Vitam hanc cùm tanquam peregrinus, et aduena transegisset, nihil in ea, aut spei, aut momenti ponens, mortem quoque contempsit, cùm se ad meliorem sciret vitam profecturum; et cùm summo dolore torqueretur ex calculo, qui postmodum libra pondus in eo repertus est, tanquam sciens extremum sibi diem instare, et Medicos contempsit, et dolores immensos summa patientia pertulit, agens semper gratias Deo, qui se etiam in extremo spiritu exerceri ad patientiam vellet. Deficiente natura animam Deo reddidit, nihil de rebus externis curans, nisi vt et familiæ rationem haberet, et pauperum meminisset, etc.* Sic itaque Vir Deo dignus, nonnisi Cœlo natus, ac Mundo ferè mortuus, ad laborum tandē præmia incommodis, ac Pœnitentiæ duntaxat operibus, ac meritis in Cœlum diues abijt. Magni autē ipsum Romanus Pōtifex Eugenius IV. semper fecit, summisq; item post mortē honoribus cumulauit, vt Sigonius his verbis tradit: *Eugenius* (inquit) *vt viuentem hominem magni fecerat, sic mortuum eximiè coluit; nam et iusta ipse solemnia soluit, et corpus Carthusiam transferri Florentia iussit. Ciuitas autem non magnificis solùm exequijs, sed etiam dolore, ac lacrymis, quanti illum æstimaret ostendit, etc.* Idem planè Poggius Florentinus in sua funebri oratione, hæc de ipso tradit: *Obijt Senis* (inquit) *sexagesimo octauo ætatis anno. Exequiæ eius in maiori Templo celebratæ, quibus Eugenius Pontifex, qui ipsum vnicè dilexerat, adfuit etc.* Condignis itaque laudum præconijs Nicolaus, qui tot, tantisque adhuc viuens Diuinarum virtutum meritis, & Pœnitentia præsertim apud Deum plusquā purpura apud homines claruit, à cunctis, vel iā mortuus iustissimè celebrari meruit

Eugenius Pontifex, qui eum semper dilexit, eidem funus curauit.

Poggius Orat. fun. Ach.

Demum alios inter purpuratos, qui pijs intenti operibus nostro hoc sæculo in Vrbe, suis nedum se ipsos, sed & miris purpuram, qua præfulgebant, virtutibus illustrarunt, ac satis amplam de se cunctis narrandi materiam reliquere, Sapiētum iudicio Eminentissimus Marcus Antonius S.R.E. Cardinalis Franciottus, & immortalis mem: Lucēsis olim Episcopus iure merito adnumerandus est, qui præter generis nobilitatem æquè sapiens, ac sanctus, & virtute, dum vixit, magnus maluit esse, quàm videri, ac seipsum studuit potiùs Vrbi in Vrbe ipsa cælare, quàm ostendere; vtpotè qui homines latendo, solius dumtaxat Dei oculis placendi propositum habuit; solemne, illud Gregorij verbum mente recogitans: *Quia deprædari desiderat, qui thesaurum publicè portat in via.* Quoniam verò ipsum, qui latere adeò viuens concupierat, iam post mortem, virtutum increbescente fama: *Laudant eum in portis opera eius.* Cui & illud meritò Ambrosij elogium occinit: *Nemo laudabilior est, quam qui potest ab omnibus laudari, et quot homines, tot præcones.* Enimuerò, vt egregius ipsius laudator tradit: *E Cœlo indolem hausit, etc.* Fuit quippe ipsius vita cæteris norma viuendi. Nam vt vel puritatē in primis Deo carā cunctos doceret, id in fœminam ipsius pudicitiæ florem proculcare tentantem præstitit, quo iam tum magna quæque de se suis visus est præsagisse. Sed vt ipsius hîc laudatoris verba proferamus: *Immittitur* (inquit) *in castissimi iuuenis conclaue aeternalis furia sulphurea*

Marcus Antonius Franciottus S. R. E. Card. Lucensis non minus virtute, quàm purpura clarus.

Greg. hom. in Euang.

Prouerb. cap. 31.

Ambr. lib. de Virginibus.

Ioannes Baptista Bettinius orat. in ipsius funere.

Ipsius vita cæteris viuēdi norma, & dignum Deo spectaculum.

phurea libidinis face intemerati pudoris arcem impetitura, &c. Quid in hoc rerum articulo deprehensus ageret? quid consily sumeret in hac fluctuantis animi tempestate? &c. Vicit inuictus constantissimi iuuenis pudor impudentissimæ furiæ pernicaciam, & colapho in faciem blandientis impacto rubere coegit ictus vehementia proteruum illum vultum, quem aduersus verecundiæ ruborem sua lasciuia obfirmauerat, & post cæsum fortiter hostem fuga victoriam consumauit: Præsulem sanctissimum Franciscum Salesiū, *quem alys quoque virtutibus expressit, similis castimoniæ triumpho consequutus.* Eo autē cōstans animi studio suum vsque ad senectam, postremosque vitæ annos illibatum pudicitiæ florem seruandum sibi proposuit, vt sollicitus mulierum colloquia in primis caueret. Hæc enim ipsius laudator narrat: *Grandis* (inquit) *ætate Vir, & purpuratus abhorrebat cum dispari sexu miscere sermonem, nisi alys coram adstantibus, & affixis terræ, ideoque cælo spectatore dignis luminibus; quā suo florem hunc educto frequentissimè flagellis sanguine irriganit, qua illum spinis præcinxit austeritatis asperrimæ, non Principibus tantùm, sed Viris etiam intra religiosa Claustra prodigiosæ.* Quo quidem pia tum seruandi pudoris, tum Pœnitentiæ, austeriorisque excolendæ vitæ contemplantibus studia innotescunt; cum illud sibi Tertul. occineret. *Nemo ad bellum cum delicys venit.*

Colapho blandientem fœminā excedit.

Adolescens admodum sollicitatus in carne de carne triumphat

Io. Baptista Bottinius vbi supra.

Quam rigidè quam cautè purpuratus cum fœminis vbi necessitas cogit, colloquia miscet.

Verùmeninmuerò vir tantus cūctorū vtpote bono natus, haud sibi soli vixit, qui cunctis sui copiā fecit, vt ipsius laudū præco sic tradit: *Nego quempiam,* (inquit) *fuisse, qui non facillimos ad illum inuenerit aditus, quique in illo studium animaduertit se subtrahendi nouis laboribus; licet antea innumeris premeretur, &c.* Et infrà: *Nunc* (inquit) *priuato charitatis amplexu stringentem singulos etiam abiectissimos mortalium intueamur. Nullam ab amore suo fortunam hominum prohibuit beneficentissimus Princeps, &c. Quantum illius in omne genus hominum charitas emicuerit, inopes dicant, quibus supra triginta aureorum millia, vt post eius obitum testati sunt conscij ministri Religiosi viri iurati silentij sacramento liberati, quos ipse ad pauperum egestatem sublenandam pecunia obarmabat, quā edenti sibi subtrahere sedulò studuit. Neque enim in mensam instruendam opiparis dapibus, nec in domum exornandam pretiosa supellectili, nec in paternæ domus census amplificandos traducebat sacros redditus, quod ex Summorum Pontificum munifica largitate satis affluenter acceperat; ex quibus aurei tantum sex & viginti reliqui eidem erant, dum fato concessit, &c. Adeò autem misertus est cæterorum, vt miser ipse propemodum esse vellet, ac pauper; quò in pauperes partiretur prouentus Ecclesiæ, &c. Nihil vnquam è sacris redditibus in paternam intulit domum: immò nec præstantissimi Viri, & sibi sanguine, & virtutibus coniunctissimi nomen transferre voluit ante obitum Ecclesiæ prouentus; licet optimè de se, deque sacra republica meriti.*

Bottinius in Orat in eius fun. vbi supra

Publicæ vtilitatis causa seipsum perpetuo laboribus deuouet.

Mirus charitatis feruor.

Frugalis ipsius tum mensæ, tum domus, tum victus ratio.

Ne pauperibus desit sibi potius pecuniam deesse vult.

Porrò Vir innocentissimis alioqui moribus, ac Cœlo dignus, sic tamen Pœnitentiæ exercendę institit, vt mitis, ac beneuolus in omnes; in se vnum dumtaxat patiendi salubriter cupidus, carnis perpetuò odia exerceret. Hęc enim in eius laudem vbi supra: *Igitur Qui mortales omnes paterno amore complexus, nimiùm tamen suis blandiri non est ausus, vt in se ipsum inimicitias exercuit immortales. Inseruit cordi sanctissimi Viri odiorum semina in semetipsum animi remissio singularis, suique contemptus egregius, &c. Verborum ergò solùm auarus, libratorquè mirabilis, num excidere sibi quidquam ex ore permisit, quod sui commendationem subolerett? &c. Vidimus educto flagellis cruore suæ liliū integritatis lactantem; quæ vulnera sacrū demortui corpus ornabant, quibus vrgebat se ipsum catenæ, & cylicina vestis, hostilem in se se Marci Antony animum, & nullum sui, veluti vulgaris animæ studium habitum aperuere. Famulares sibi, dum è stratis surgeret, manus à suis adhiberi, dormire quemquam propè suum cubiculum vetuit, non sine vitę discrimine; ne ad aliorum aures accideret inflictarum sibi plagarum strepitus latè sonorus. Quęnam illi dapes gratum saporem elaborarent, quæ insuanes accidissent, domesticis nunquam innotuit; quin potiùs illos perpetua cæpit admiratio, quòd tenuissimo, ac parabili cibo vix protrahere vitam posset, quinta solùm vini parte temperaret aqua rigorem, & nunquam per admotas illi niues æstiuis delicys indulgeret; & pane solū, & aqua viret reficeret, quotiescūq; recurrerent profesti magnę Virginis dies.*

Benignus ac mitis in cunctos, in se vnum rigidus.

Vbi supra Orat in eius funere.

Flagellis se ipsum cędit lignis post cutum in carne extantibus;

Cibo, ac potu ob necessitatem dumtaxat vtitur.

Atqui summus ob patiendi desiderium

Pœnitentiæ ipsius amor, In morbis nedum patienter, sed lætanter ferendis elucet.

rium indictus sibi pro lege rigor, & pœnitentiæ amor, qui cordi inerat, in morbis nedum patienter, sed gaudenter tolerandis emicuit; hęc enim Auctor: *Sed pluris*(inquit) *facient equi iudices sanctitatis exceptas animo exultanti molestissimas ęgritudines, & libentissimè tolerata cęlitus dimissa, quàm sponte inuitata tormenta. Nullam fatiscentis animi notam in eius vultu deprehensam, licet per annos plurimos morbis fuerit impetitus; ac dissimulatum prodigiosa constantia calculi dolorem, quo sæuissimo quotidiè torquebatur: Quatuordecim enim, ijdemquè non vulgaris magnitudinis Lydij lapides hœroicę tolerantię mirificè illum vexabant, dum consueta subibat onera mortalitatis, ac dum lacrymas ab illo sæuitia doloris exprimeret, florere in ore risum cogebat vigor generosissimę voluntatis. Quid hic ego magis admirer? incredibilem ne perferendi constantiam? an potius inauditam animi demissionem, qua dolorem occultaret, nè admirationi esset acerbissimi victoria cruciatus*. Quibus item religiosa ipsius pietas ad accersēdas sibi è Cœlo vires orandi studium addebat: *Quamobrem*(inquit) *pręter eo duas horas ab illo statutas contemplationi rerum Diuinarum, subductum ideo tempus necessaria quieti, & educta saltem lodicibus membra, cùm æs campanum, cuius admonitu suas horas moderabatur, Religiosos viros ad orandum inuitabat, &c. Mirabimur nullam ab eodem habitam sollicitudinem vitę, & mortem, quam prænouisse visus est, & laboribus prouocatam; risuquè blanditum illis, qui dicerent decretoriam esse, qua decumberet, ęgritudinem, &c. Excepta mors animo exultanti, florens in pulcherrimo demortui ore fulgor integritatis, &c. eximiam ipsius virtutem posteris commendarunt*. Quibus denique in ipsius laudem ex his, quæ innotuere, breuiter narratis, id pro laudum ipsius compendio tradit: *Neque desunt* (inquit) *qui pretibus illius diuinitus indultum credant, vt qui per annos suprà triginta eius confessiones exceperat, paucis ante illum diebus fato sublatus, aperire non posset cælestes Sanctissimi Præsulis dotes*. Cæterùm Vir tantus omnium virtutum cultu eminentissimus, ac meritis plenus, nostrisquè maior laudibus, Cœlo vtpote maturus, & illuc à Deo euocatus, inter mortales, è vita præreptus, desideratus est. Cuius laudes & ipso Summorum Pontificum ore iterata sæpe, ac sæpius ipsius elogia qui vult, apud gestorum ipsius præcones consulat. Cui illud meritò omni maius elogio à laudatoribus occinit: Quod viuens cunctos latuit, & quod nonnisi in morte agnitus sit, adeoquè *Is magnus semper in terris extiterit, sed ignotus*. In hoc Christum Dominum egregie æmulatus: *Qui venit* (Ambrosio teste) *vt lateret seculum*. Sed de his hactenus.

Auctor vbi supra in eius fun.

Calculi, quo torquebatur, dolor mirificè ab eo dissimulatus.

Auctor vbi supra.

Orandi studio auidissime addictus temporis quieti, ac corpori opportunum subtrahit.

Auctor vbi supra.

Mortem lætanter excipit & in eius ore vel iam demortui risus dulcis visus est resedisse.

Illud ipsi pro elogio, quod magnus in terris, sed omnino ignotus extiterit.

Amb in psal. 118.

CAPVT III.

Peccatores ad impetrandam peccatorum veniam exomologesin publicè instituunt.

1 Est *confusio*(inquit Sapiens) *adducens peccatum, & est confusio adducens gloriam, & gratiam*. Ità planè Pœnitentium confusio, non nisi gloriæ ad Dei Tribunal pro rubore, quem sustinet, remunerationem accipit. Qui enim postquam peccauit, inani hominum rubore, ac metu adductus, quod intus in conscientia latet, peccati vulnus apud Deum fateri, eiusquè palam facere Sacerdoti detrectans, diuinam Sacramenti virtutem refugit; is profectò non tam venia, quàm maiori pro culpis est pœna dignus, ac sua ipsum non tam confessio releuat, quàm confusio prægrauat, & peccatum maximum proculdubio adducit. Secus verò qui vt suum accusando peccatum, à Deo indulgentiam obtineat, confiteri, & apud hominem confundi non erubescit, magnum inde sibi lucrum acquirit, suaquè confusio pariter, & confessio gloriam, & gratiam confitenti affert; *Adeoquè dum erubescimus* (inquit Damianus) *confiteri, quæ commisimus, Deum minùs, quàm homines reueremur, & hæc est confusio adducens peccatum*. Magna igitur quæ confusio ipsi diuinitus homini refundit bona, omnem confessioni molestiam, ac metum auferunt; quin immò decorem haud vllo æquiparandum pretio conferunt: *Non confundaris*(inquit Sapiens) *confiteri peccata tua*. Ad quod item apte Chrysostomus alludens: *Confunderis* (inquit) *& erubescis confiteri peccata tua? confusio est peccare, non verò peccata confiteri*. Porrò vt

Ecclesiastici cap. 4. n. 25.

Confusio, quam subit homo pœnitens, suas homini culpas sacramentaliter confitendo, gratiam et gloriam affert.

Petr. Damianus ser. de S. Andrea.

Ecclesiasticis cap. 4. n. 31.

Chrysost. hom. de pœnit.

vt quis post culpę reatum confitendo erubescat, Diaboli potissimùm dolis, ac arte, Chrysostomo teste, contingit; qui rerum inuertens ordinem, pudorem peccato auferens, peccanti audaciam tribuit, ac ipsi demum pœnitenti ruborem, ingerit, quò per fraudem à confitendo abducat: *Pudorem* (inquit) *& verecundiam Deus peccato dedit, Confessioni verò fiduciā; inuertit rem Diabolus, & peccato fiduciam præbet, Confessioni verò pudorem*. Diabolus etenim nil antiquius habet, quàm peccatum, vti nullius rem momenti, antequàm homo ipsum admittat, ob oculos proponere, quò vna simul veniam facilè sibi obtinendam dolis suffultus adūbrat; postquam verò aperiendi in confessione peccati, tempus recurrit, tunc maximè callidus serpens, ac totius doli artifex immane peccati spectrum eiusq; horrorem exaggerans, quod pridem factu facillimum proposuit, arduum postea nimis, ac perdifficile homini oculos fallendo ostentat, vt peccator nimirum dum loqui contra se ipsum in confessione oportet, per scelus obmutescat. Quapropter quidam ex antiquorum numero Patrum Satanam anxiè hac illac excurrentem aliquando videns, & cur id faceret, ipsum interrogans: *Reddo*(inquit) *pœnitentibus, quod ante eis abstuli. Interrogatus autem, quid hoc esset, dixit: Abstuli ab eis verecundiam, dum peccabant, vt liberius peccata cumularent, & reddo nunc eis, vt à Confessione ob verecundiam maximè deterreantur*.

Confusio est peccare, non confiteri peccata ex Chrysost.

Crysostom. de Pœniten. & Confessione. Matthei c. 9. n. 20.

Chrysostomus hom. 3. de pœnitentia.

Deus pecca to pudorem dedit, & verecundiam, Confessioni fiduciam.

S. Bernardinus tom. 3. de Confess. art. 2.

Diabolus è contra peccato fiduciā præbet, Confessioni pudorem.

2. Quod quidem Tertullianus seriò expendens, ac homines, qui peccati vulnus non erubescunt, paratam verò vulneri à Deo medelam horrent adeo, atque erubescunt, meritò deridens: *Ne tu* (inquit) *verecundia bonus ad delinquendum expandens frontem, ad deprecandum verò subducens*. Ità planè ingens mortalium, & intoleranda prorsus vecordia, ipsum peccati remedium præ verecundia respuere, ipsaquè peccati vulnera gloriando amplecti; scit quippe Diabolus malorum artifex, quanti peccatoribus momenti sit pura Confessio, qui sic verecundiam obtendens; Confessionis per dolos salubritatem peruertere nititur. Deus namque quod tu reuelas, abscondit in Iudicio; & quod tu in Confessione abscondis, in suos ipse palam iudicio reuelabit. Maximum itaque confessionis emolumentum, & quæ in ipsos vltrò confitentes è Cœlo bona deriuant, ad inanis contemptu m ruboris, omnemque abijciendā procul verecundiam; Augustino teste, compellunt: *Si texis*(inquit)*peccata Deus, noluit aduertere, si noluit aduertere, noluit agnoscere, maluit ignoscere*. Confessio igitur, quæ præsentaneum pudori, & peccato insuper remedium est, à singulis vsurpanda fideliter, nec res vti noxia, & quæ infami ę pœnitentibus notam inferat, fugienda. *Erubescentia quippe*(vt Augustinus ait)*magnam partem habet remissionis, &c. Quoniam verecundia magna est pœna. Qui erubescit pro Christo, fit dignus misericordia*. Hæc aptè in rem Augustinus.

Tertullian. lib. de pœnit. cap. 10.

Diabolus inducit homini confessionis remedium, & auferre conatur.

Deus, quod homo in cōfessione reuelat, in iudicio abscōdit, & quod homo abscōdit, reuelat ex Augustino.

Augustin. in psal. 31.

Augustin. tom. 4. lib. de vera, & fal. pœnitentia cap. 10.

3. Quapropter verecundia, quam homo inter confitendum subit, & quam adeo homines timent; abhorrentque se ipsos accusando, tanti apud Deum meriti, eiusque insuper valoris est; vt non nisi summæ apud homines gloriæ sit, Magno Gregorio teste, adscribenda: Ipse namque Iobum sanctissimum sua magis peccata confitentem, quàm eximias exercentem virtutes meritò stupet, ac dignè extollit. *Videatur*(inquit) *Vir iste cuilibet magnus in virtutibus suis, mihi certè sublimis apparet etiam in peccatis suis, &c. Mirentur in eo, qui volunt, castitatis continentiam, mirentur integritatem iustitię, mirentur visçera pietatis; ego in eo non minùs admiror Confessionem humillimam peccatorum, quàm sublimia gesta virtutum. Scio enim, quod per infirmitatis verecundiam plerùmque grauioris est certaminis commissa peccata prodere, quàm non admissa vitare*. Cui ipsa quoque peccatrix in Euangelio, pari virtutis exemplo iungitur, quæ culparum Deo erubescentiam adeò cunctis molestam, gratum vti, acceptumque sacrificium libando obtulit: *Quia enim*(vt Gregorius ait) *se ipsam grauiter erubescebat intus, nihil esse credidit, quod verecundaretur foris*. Sic profectò pœnitēs mulier dum sua humiliter peccata prodit, illis à Christo cōmendari verbis meruit: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multū. Hinc conspicimus*(inquit Chrysostomus)*non solùm caruisse peccatis, sed ad totū sanctitatis verticem peruenisse*. Peccati quip-

Gregorius lib. 22. moral. cap. 10.

Iobus nedū magnus in virtutibus, sed & dum se accusat magnus in peccatis. Gregorij calculo censendus.

Gregorius hom. 34. in Luc. 7. c. 47.

Magdalena pœnitēs pia sanitatem in pudētia quę suit ex Augustino.

Chr. solog. ser. 94.

quippe erubescentiam vincens, *quæsiuit* (vt Augustinus ait) *pia impudentia sanitatem*. Qui suæ igitur decorem animæ diligit, & turpem anteactæ vitæ faciem exhorret; ad Confessionem, qua vitia salubriter expiantur, & acquiruntur virtutes, recurrendum proculdubio intelligit: *Confessio quippe* (vt ait Psaltes) *& pulchritudo in conspectu eius*. Quapropter Bernardus aptis Sophiam virginem aliquando verbis admonens: *Ama* (inquit) *confessionem, si amas decorem*. Nec verò quamplures è Pœnitentium numero desunt, qui Confessionem, eiusque probè virtutem edocti, nedum omni rubore posthabito, suas Sacerdoti culpas, obtinendæ spe veniæ adducti aperuere; sed has vel publicè, vt magis se ipsos erubescendo vincerent, Deumquè sibi propitium magis ad ignoscendum redderent, palam cunctis facere non dubitarunt.

August. hom. ril lib. 50. hom. 23.

Psal.

Bernardus Epist. ad Sophiam Virginem.

Amãda culparum confessio, si quis animæ decorem diligit.

4. Immensa autem Numinis pietas maximè in Augustino post innumeras peccatorum, quibus implicitus tenebatur, sordes, feliciter ad Deum traducto ipsa luce clarior elucet, necnon ipsius in suis detegendis turpitudinum antiquæ vitæ culpis, ac pia impudentia sibi à Deo sanitatem quærentis; nè hominum quemquam laterent, cunctis palam faciendis, promulgandisquè in suis ab ipso publicis editis Confessionum libris, siue libellis accusatorijs potius compuncti animi feruor, ac pœnitentium amor vniuerso Christiano Orbi satis affulget. Suos quippe ob id potissimùm adeò sincerè in suis paginis errores detegit, *vt qui legunt* (ait ipse) *suspirent in malis meis, respirent in bonis suis &c.* Quapropter præcellens ipsius se adeò humiliter accusantis demissio, ac præferuida simul in detegendis, diluendisquè culpis confessio, ipsum amplius cunctis mirandum reddit, quàm si mortalium cuncti vnanimes ipsius laudes certatim celebrando edicerent. Confessionum quippe liber, quem scripsit, magis ipsum, quàm plura (quæ edidit) volumina dignissima elucubrationum Cœlo dignum commendat, & charum Deo acceptumquè, ac terris diuinitus illustrem renunciat, vt suo eleganter ex more Aloysiues Iuglaris his summatim in suo elogio verbis edisserit.

Augustin. Confessionum lib.

Augustinus in editis Confessionum libris suam apud Deum causam perorauit.

Initiandus sublimioris doctrinæ Magister,
Librum è Cœlo iubetur accipere.
Sordes suas speculatus in pagina,
Vt eas vel obrueret, vel elueret.
E Matris oculis lacrymas transtulit, in suos,
Sibi Matri, ac Patriæ redditus.
Tenebras suas dum dum in lucem edidit,
illustrauit.
Nunquam videlicet Solem puduit.
E tenebris erupisse, &c.
Veritatis amantior, quam sui
Vtilis dum errores retegeret alienos.
Sincerus dum nec tegeret suos.

Mirandus magis ab omnibus, dũ se accusat, quam si cũcti mortalium laudibus ipsum colerent.

Aloysius Iuglarius lib. de elog. in S. Augustinũ. 151.

Meritò itaque præcipua Augustini à confessione, & lacrymis laus, à quibus & vita pariter initium habuit. Mundum quippe, ac se ipsum lugendus derisit, dum se adeò suis in Confessionibus turpem agnoscens amarissimè primum fleuit, vt ipsi illud Hieronymi aptè occineret verbum: *Fleuit, vt super rideret*.

In lacrymis & confessione apud Deũ corona, & ipsius laus.

Hieronym. in epitaph. Paulæ.

5. Et siquidem Pœnitentium nonnulli, nonnisi publicè culparum Confessione peracta, vt sic compuncti Deo post hac viuerent, mortali abire è vita voluere; cùm vel hoc ad tutum sibi parandum è vita exitum iuuari non parùm se posse intelligerent, scirentquè confessione culparum à culpis apud Deum, pœnitentiæ cultores releuari vt ex narratis à Ioanne Diacono in Magni Gregorij gestis his plane verbis liquet: *Eodem* (inquit) *die, sicut postea deprehensum est, eodemq; momento, quod Presbyter moriens Andreæ periculum fuerat imprecatus; idem Andreas, fundi Barbiliani positi scilicet via Ostiensi conductor, in lectulum decidit, in quo per multum temporis continuo languore correptus, ità totus emarcuit, vt omne corpus eius particulatim videretur dissolui. Cumquè defluentibus carnibus consumi posset, mori autem non posset, vxorquè fatorem vulnerum, viriquè cruciatus iam sustinere non poterat, intellexit tanti langoris incommoda sine Diuinæ vltionis sententia hunc nullatenus incurrisse. Quem flendo curauit inquirere, vt quoniam à moriente Præposito frustra vocari non poterat, quid cum ipso commiserat, vt Monachis reuelaret; si fortè Dominus eius Confessionem recipiens, eum à tantis cruciatibus liberaret. At ille agnoscens, malum, quod fecerat, latere non posse, Monasterij Monachos conuocari rogauit, eisque*

Baronius an. 855. n. 32.

Presbyter diuino morbo conualescẽs vt ad confessionis remedia confugiat, nõ prius moritur quam culpã reuelet.

Io. Diac. in vit. S. Gregor. lib. 4. cap. 46.

eisquè confessus est, cum eodem Præposito quasdam Monasterij chartulas rapuisse, ac receptis pretijs, extraneis tradidisse; seque certum existere, quia pro hoc flagitio mori non posset, quousque coram omnibus reuelaret. Quod videlicet verum fuisse, rei euentus euidenter ostendit; nam mox vt tantum facinus cunctis innotuit, is, qui dudum mori volens non poterat, inter verba suæ Confessionis spiritum efflauit. Quem idcircò omnipotens Deus diù cruciari voluit, mori autem, donec reatum suum cofiteretur, non posse permisit, vt exemplo sui cruciatus ostenderet, qui consumptores rerum Gregorij de semet ipsis vbique sperare debuissent. Hæc Io: Diaconus, ex quibus videre est, quantum publica criminum Confessio apud Deum valeat, quæ cum morte luctantem, non nisi confessum, ac pœnitentia salubriter expiatum, mori potuisse monstrauit.

Confessus statim doloribus, quibus tenebatur, & vita soluitur.

6. At huic, cui proximum e vita exitũ Ioannes Præpositus Monasterij S. Gregorij intimasse legitur, nũc alter subtexẽdus est, Qui & post turpem, impuramque cum fœmina consuetudinem doloribus attritus valdè etiam cum ipsa morte conflixit, & sub extremam vitæ periodum, nisi pœnitentia suffultus suam patefecisset culpam; certum proculdubio animæ dispendium subijsset, vt Io: Diaconus his verbis: *Ioannes* (inquit) *Presbyter eiusdem Præpositus cum quadam fœmina turpiter viuens, vehementissimo podagræ dolore correptus est, &c. qui in tantam desperationem perductus est, vt ab omni illius fœminæ visitatione desisteret, & illa sibi alterum sub eodem facinore copularet. Sed post annum Presbyter ad pristinam sanitatem reuersus (quanquam propositum sibi fuisset, vt vlteriùs nullam contingeret), ad eam tamen misso nuncio futuro die dominico se redire professus est.* Sic miser iam Dei beneficio sanus ad pristinas carnis sordes, tanquam canis ad vomitum, reuersus est. Sed cum præter lubricæ carnis, qua se fœdauerat, noxam, suas item Monasterij bonis manus admouisset, ne certam incurreret perditionem, noctu à S. Gregorio, vt resipisceret, præmonitus est; hæc enim Io: Diaconus: *Eadem* (inquit) *nocte cuidam Presbytero, monacho B. Gregorius in somnis apparens ait: Surge, & dic Præposito, vt pœnitentiam agens, peculium suum; quod congregare non puduit, pro peccatis conscientiæ suæ dispergat, quia die tertia funditus extinguetur è vita: Quod Præpositus vehementer, vt audiuit, expauit; & quia mandato Gregorij incredulus esse non poterat, pœnitentiam cœpit, cunctaque sua sanus distribuens, tanto febris ardore correptus est, vt à diluculo diei tertij vsque ad horam tertiam ingenti fragore præ incendio linguam ab ore proijciens, vltimum flatum protraheret. Quem Presbyteri tam duriter laborare videntes, deputatis illic Monachis, qui cum psalmodijs eius exitum commendarent, ipsi pro eo studuere omnipotenti Deo solemnes hostias immolare. Sed Monachi psalmodiam deserentes, non timuerunt inter se morienti Fratri detrahere: Cùm ecce Presbyteri à Missarum solemnijs circa horam septimam remeantes, Ioannem Presbyterum, quem incredibiliter cum morte luctantem reliquerant, leuiùs se habere mirati sunt, eumquè nominatim clamare cœperunt. Mox ille oculos subridendo concutiens: Parcat* (inquit) *mihi Dominus, Fratres, quare me sollicitare voluistis, qui ab eo huius diei principio vsque nunc coram Christo præsentibus multis millibus Angelorum cùm Diabolo ad iudicium steti, & adiuuantibus me Sanctis Andrea, & Gregorio, cunctis eius obiectionibus bene respondi. Sciatis autem quia Monasterij sextarium, modium, libram, consuetudinem eleemosynarum, & luminum, omnemquè mensuram curiosissimè Christo quærenti vsque ad scabellum pedum eius portaui. Sed de vna obiectione fateor, conuictus erubui, de qua me nimirum, sicut vidistis, laborando vexaui, & me adhuc liberare non potui. Cùmquè Fratres de ea requirerent, ait: Non audeo dicere, quia quando vos me clamastis, & à S. Gregorio redire iussus sum, vt vobis etiam de mensuris, & consuetudinibus Monasterij poscerem rationem, Diabolus conquestus est, putans quòd ne Pater Gregorius ad pœnitentiam remisisset, &c.* Et post multa de Præposito pœnitentiam sub vitæ finem sollicitè amplexante hæc subdit.

In vita S. Gregorij lib. 5. cap. 86.

Ioannes Presbyter libidine vitiatus, nisi suam h[illegible] culpã in confessione dilueret, proculdubio perierat.

Monetur in somnis, vt resipiscat.

Io. Diac. vbi supra.

Præpositus itẽ Monasterij à S. Gregorio apparente ad pœnitendum prouocatur.

E morbo aliquantis per releuatus, se ad Dei tribunal iudicio acriter expetitum narrat.

7. *His itaque expletis, cunctos iubet abscedere, solum Presbyterum, qui sibi mortem prænunciauit, secum tenens; qui solus remanere pauescens, alterum secum tenuit, hortatus, vt causam pro qua conflixerat, saltem sibi pandere non timeret. At*

Io. Diac. vbi supra in Vit. S Gregorij.

Presbytero sibi adstanti ingemiscens doloris sui causam prodit.

ille vehementer ingemuit, & conuerso ad parietem capite, clamabat dicens: O Andrea, O Andrea, hoc anno pereas, qui me prauo consilio ad periculum compulisti. Et Deo quidem disponente, Vir iste adeò in fine vitæ constituus ad Christi Tribunal à Dæmone arctabatur; vt suo viuentes iudicio, quàm seuerè Deus in exitu vnūquemque iudicet, ac iudicando exterreat, admoneret. Sed de exitu hęc infra subdit: *E vestigio*(inquit)*Zaccharias medicus, qui anno præterito ad suos videlicet Saracenos apostatando reuersus est, adsuis, tactisquè temporibus, iurare cepit, Presbyterum ex eadem valetudine minimè moriturum. Quem languidus vt audiuit, cum ingenti animaduersione repulit, dicens: Fratres iam omne corpus meum est mortuum, in extremis faucibus spiritum permissum retineo, continuò moriturus; tantùm psallite, vt reuideam Angelos, quos videbam, & innuens vobis ostendam. Quibus orantibus, totus cepit tremere, pallescere, sursum desiderans aspicere: Cùm subitò spiritus aduentare conspiciens, reuolutis terribiliter oculis, Monachis annuit, & abscessit, eosquè tanto terrore perculsos dimisit, vt multis noctibus ibi iacere timuerint.* Hæc de Ioannis Præpositi obitu, Io: Diaconus in Beati Gregorij gestis exactè describit; qui sub extremam vitæ horam pœnitentia suffultus, ab ipsius ferè Tartari pœnis, quibus addici meruerat, præreptus est, vt pœnitentiæ, ac confessionis peccatorum vim planè admirandam probe vnusquisque ab eo edisceret.

Io: Diac. vbi supra.

Præter Medici sententiam Presbyter se moriturum affirmat, vt planè contigit.

8. At hic Otho Secundus Imperator silentio prætereundus non est, qui cùm præclara ab ineunte ætate virtutum de se cunctis prebuisset exempla, & si Christianis laudabiliter imbutus moribus, haud ità multò post sub sceptro, à virtutis tramite aberrare cœpit, vt suas in Ecclesiarum ditiones, ac iura manus protendens, Magdeburgensis Ecclesiæ Episcopatum Beati Laurentij Martyris patrocinio addictum abolere sit ausus: ob quod Beatus Christi Martyr vltor in ipsum insurgendo extitit, funestamquè eius militibus cladem intentans, omnes eius armatorum copias perdidit, ac nauali subinde prælio, tum à Saracenis, tum à Græcis superatus, victi milites, attritiquè, ac ipse turpiter captus, & hostibus ludibrium effectus, non nisi funestum sui argumentum cunctis pręstitit. Postmodum verò facti pœnitens, in se reuersus, coram Pontifice, ac cæteris sua confiteri peccata haud erubuit, veniaquè à Pontifice obtenta pœnitens tandem, ac pie moritur. Sed primùm quæ ipsius fuerit culpa, nec non lugubris calamitatum origo, auctor, qui S. Adalberti gesta conscripsit, his verbis exponit: *In tantis*(inquit)*aduersis illum circumfluentibus non resipiscit: Quid contrarium Ministro æterni Imperatoris egerit, quid Pio Laurentio peccauerit, non recognoscit. Episcopatum, quem Pater in sacrum honorem pretiosissimo Martyri erexit, ambitione suorum in peccatum deductus filius destruxit, non faciens ordinem, quasi qui aquam in mare fundit, Episcopatum deiecit, vt plenum delicijs Archiepiscopatum ditaret. Tulit Episcopum optimo Laurentio, posuit Parthenopoli Archipręsulem nostro Mauritio; Factum est contra ius in Ecclesia Dei, donec adueniens nouus Rex, & religiosissimus veterem errorem correxit. Post tres Othones Henricus Christianissimus ecce venit, qui malè facta correxit.* Hęc ille. Quoniam igitur B. Laurentio Ecclesia Mesburgensis Patrono gaudebat, proinde Otho Rex in Magdeburgensem Ecclesiam illius cuncta Ecclesiæ tum bona, tum iura deriuabat, vt Crantzius his verbis meminit: *Destructus est* (inquit) *Episcopatus in Mesburg, miræ magnitudinis ædificium cecidit, siue cessit in Magdeburg.* Hęc ille. Verum Diuinam quantocyus Othoni adfuisse vltionem, ex his, quæ scriptor subijcit, satis superque innotescit; hæc enim habet.

Baronius an. 983 n. 7.

Otho II. Romanorū Imperator sub sceptro abortum facit.

Culpam humiliter corā Pontifice, & cęteris confiteri non erubescit.

Apud Surium in vit. S. Adalberti die 23. April. tom. 2.

Baronius vb. supra n. 7.

Quæ in Dei Ecclesiā Otho admisit ob quæ flagellis est appetitus.

Crantzius in Metrop. sax. lib. 2. cap. 28.

9. *Propter hoc*(inquit)*peccatum, veluti patet, pugnante Laurentio victoriam Otho perdidit, & diebus suis omnem confusionem recepit, auertente faciem Deo; Quę sit virtus tua, ò homo, specta nunc in homine vno. Quid prodest belliens ardor? quid valet virtus sine suo loco? Age nunc cuncta cum consilio. Quoties venis sapiens inuito Deo? sicut scriptum est: non est consilium, non est ratio contra Deum, &c. Inspiciamus magnæ indolis Virum, & multo merito Imperatorem Augustum; ecce dum peccat, flagellatur, plenus aduersis media via moritur, iacet nunc inglorius: O vtinam & non reprobus pulchræ virtutis alumnus.* Priùs verò, quàm

Calamitatibus à Deo, vt à malo resipiscat, premitur.

quàm mereretur, vt ad pœnitentiam hominem stimularet, sicut est solus semper clemens Deus, talem visionem cuidam sapienti ostendit, quam vt auditam recolimus, infra annotari non absurdum putamus, &c. Verùm post exhibitum visũ, hæc B. Laurentium auctor proferentem inducit. *Si meum* (inquit) *dedecus non emendat, maiora faciam, subtracto scabello ipso solio deponam. Huius (inquit) visionis terrores, minasquè exitiales cùm cognouisset Rex puer, facinus non correxit, siue amor hominis suasit, siuè ira Dei ità iussit, etc.* Sed deprauatos Othonis subinde in throno vigentis mores, ipsiusquè exitum infelicem exponens: *Sola* (inquit) *infelicitas bellorum victoriam tulit. In medio cursu, cum dulcissima vita, et gratissima lux iuuenibus est, hæc (non adiuuat honor Regis) fit victima mortis, in puluerem redit.* Hæc ille de amissa victoriæ palma, necnon de tragica Othonis clade, (quæ B. Martyre Laurentio suę illatam Ecclesiæ iniuriam vlciscente contigit. *Sed parum* (vt Baronius ait) *fuisset amisisse victoriam, nisi et totum suum perdidisset exercitum.* Sic Deus quippe vel serò Sanctorum suorum iniurias vindicat.

Crantzius vbi supra.

S. Laurentius Martyr per visum aduersa illi minatur.

Crantzius vbi supr.

Marianus Scotus in Othone.

Otho cum toto suo exercitu acerbissimâ cladem patitur.

10. At de funesta, quæ Othonem, eiusque exercitum consequuta est vastitas, hæc breuiter Marianus Scotus subtexit: *Otho* (inquit) *Imperator apud Calabriam occiso à Græcis exercitu eius, de naui exiliens natando fugit.* Isthæc autem prolixius à Sigeberto, ad quem Lectorem remittimus, narrantur. Sed vt Othonis exitus, vel exitium potiùs hic paucis innotescat, ipsum è Verona digressum, Romam venisse, ibidemque mœrore, & calamitatum, quibus tenebatur, tædio affectum, morboque correptum, vbi se ad mortem rapi vidit, piè se ad morti occurrendum parasse fertur. Diuitijs quippe larga manu, tum in pauperes, tũ in Ecclesias erogatis, Confessionem coram Pontifice, ac Presbyteris ad peccatorum veniam à Deo promerendam instituit, obtentaque eorundem ministerio indulgentia compunctus è vita migrauit, vt Ditmarus his verbis meminit: *Imperator* (inquit) *cùm Romam veniret, relicta Matre sua venerabili Papia Ciuitate grauiter infirmatus est, & vt extrema persensit adesse, omnem suam pecuniam partes diuidit in quatuor, vnam Ecclesiis, secundam pauperibus, tertiam dilectæ sorori Mathildæ, quartam suis Ministris, ac militibus. Factaque latialiter confessione coram Apostolico, atque Presbyteris, accepta ab eis optata remissione, septimo Idus Decembris ex hac luce subtractus est, terraque commendatus ad introitum Orientalis Paradisi domus S. Petri cunctis patet fidelibus.* Hæc ille.

Sigebertus in Othone.

Ditmarus chronic. lib. 3

Romam veniens grauimorbo correptus publicè culpas fatetur, vt indulgẽtiã à Deo accipiat.

11. His verò Ditmarus de Othonis obitu narratis, quòd & ipse in suo Episcopatu Mesburgensi maximum ab eo detrimentum accepisset, eadem Ecclesia Episcopali honore orbata, sub finem acceptarum immemor iniurarum, pro ipso vota Deo supplex offert: *Equidem* (inquit) *fortis memor humanę, multumque indigens indulgentiæ, Cæli, Terręque Deum, & Dominum supplex afflagito, vt quidquid vnquam in mea peccauit Ecclesia, clemens remittat, pro beneficys autem centuplum largiatur, potestate immeritò mihi concessa indulgeo; te obnixè successorem postulans, vt huic veniam, nemini in vltimis denegandã semper ex corde tribuas.* Hic Ditmarus, qui pro Christianorum more, ac miro irẽ Christianæ dilectionis argumento omnem iniuriarum memoriam abolere cupiens, demortuo Imperatori bene precando illi propitium in primis Numen exorat.

Ditmarus vbi supra.

Damna Ecclesiæ faciens probè saluti consulit, & vita fungitur.

Baronius an. 1015. nu 4.

12. Quapropter (vt susceptæ interim narrationis sermo recurrat) Ernestus Alemanniæ Dux Luitpoldi filius, probè vtiquè sciens, quantum Pœnitentiæ virtus decedentibus fiduciæ, ac emolumenti sit, repentino præuentus interitu mira de se Christianæ pietatis, ac Pœnitentiæ sub vitæ finem omni digna laude exempla præbuit. Enimuerò casu sagitta inter venandum emissa vulneratus, supremumque sibi vitæ lethali è vulnere diem instare præsentiens, suas coram omnibus fateri culpas; vt se ad intimum cordis, & contritionis dolorem excitaret, & Layco item homini aperire voluit, quamuis nulla re ipsa interueniret Sacramentalis Confessio, vt rem memoratu dignam Ditmarus his verbis narrat: *Hic* (inquit) *quia mortem sibi imminere perspexit, socios vocat, & vt reo parcerent, supplicat; Et quia hic tunc Presbyterum, cui sua confiteretur peccata, non habuit, vnum ex militibus huius vice propiùs accedere iussit. Quem cum adesse perspiceret, per eum vocauit alios;*

Ernestus Alemanniæ Dux sua lethaliter sauciu peccata reuelare non erubescit.

Ditmarus lib. 7 vbi sup.

Quis Sacerdoti confiteri non potuit, suis cum militibus ob contritionis ardorem culpas fateri voluit.

Omnes (inquit) accedite, & commortalis vestri peccatoris facta aure cordis percipite, & qualiter curentur, vnanimiter succurrite, absentibusque cunctis fidelibus peccatricem meimet animam quaeso commendate, & vxorem meam, vt honorem suum seruet, & mei non obliuiscatur, admonete. Hæc dicens in quoscunque vnquam se aliquid deliquisse recordari potuit, cunctis præsentibus innotuit, & mox de hac luce XI. Kal. Iunij discessit, sepultus Vuirceburg iuxta Patrem suum Marchionem Ruitpoldum, vt ipse rogauit. Hæc Ditmarus. Quibus narratis rem piè ac laudabiliter gestam in Pœnitentiæ ipsius documentum, & ob certam salutis, quam cunctis moriens reliquit spem, his verbis concludit: *Hic iuuenis* (inquit) *vt spero, felicem habet animam, cui (sicut ipse viuens testatus est) plus placuit coram multis erubescere, quàm coram Omnipotente Deo latere*. Hæc Ditmarus in suis historiarum paginis de Viro Principe Pœnitentiam sub extremam vitæ horam agere vel cum magno sui dedecore nullatenus erubescente, quibus, coronidis instar, aurea, quæ Baronius in suis Annalibus præmemoratæ subtexit historiæ, verba apponenda hic sunt.

Ditmarus vbi supra.

Magna Salutis spes ipsi, quia maluit coram multis erubescere, quàm coram Deo latere.

Baronius vbi supra num. 4.

13. *Mirandum* (inquit) *planè exemplum contriti hominis corde, vt peccata sua cunctis propalare non veritus sit hominibus, cum cui secretò confiteretur, Presbyterum non inueniret. Eiusmodi erubescentiam spontè pati hominem velle ob delictorum suorum Pœnitentiam, gratum esse Deo sacrifitium, per quod ipse perpetrata delicta dimittat in commentario illo, qui inscribitur, Vitas Patrum, & alibi sunt exempla; cum tamen ne id fieri debeat, decreto S. Leonis fuisse vetitum suo loco superiùs dictum est.* Hæc Baronius, qui dignum sanè in Christiano Principe Pœnitentiæ exemplum, in suis Annalibus haud ingrato præterire silentio volens, cunctis planè mirandum proposuit. Sed quoniam de publica hic Cōfessione mentio incidit consultò ad ea, quæ Theologi, scriptoresque aptè edisserunt pium, studiosumque Lectorem remittimus.

Quid de Cōfessione facta layco dicendum ex Baronio.

14. Præmemorato insuper Ludouicus Francorum Rex, cognomento Crassus, sociandus hic est, quem etsi adhuc viuentem S. Bernardus Epistola ad Honorium Papam suis acriter verbis perstrinxit, quòd bellico furore percitus, in Religiosos aliquando Monachos furendo deliquerit, Pœnitentia tamen, qua munitus diem clausit extremum, ac Monasticum habitum induens, pietatis, ac Religionis item studio pius summoperè, ac laudandus extitit. Porrò laudabilem ipsius exitum, ac Pœnitentia illustrem Sugerius Abbas S. Dionysij, qui his omnibus oculatus testis adfuit, & tū S. Bernardi, tū etiam PETRI Cluniacensis Abbatis dignis ob id elogijs commendatus, qui res ipsius gestas conscripsit, his verbis tradit: *Qui vt erat* (inquit) *in consilio prouidus, sibi ipsi consulens, & miseratus animæ suæ, Deo placens, frequenti Confessionis, & orationis sibi deuotione prouidebat; hoc vnū toto animi affectu peroptās apud SS. Martyres Protectores suos Dionysiū, sociosque eius quomodocunque deferri (ægrotabat diarretica) & antè sacratissima eorum corpora Regni, & coronæ depositione coronam pro corona, pro regalibus insignibus, & imperialibus ornamentis humiliter B. Benedicti habitum commutando, Monasticum Ordinem profiteri. Videant, qui Monasticæ paupertati derogant, quomodò non solùm Archiepiscopi, sed & ipsi Reges transitoriæ vitæ æternam præferentes, ad singularē Monastici Ordinis tutelam securissimè confugiunt.* Et infra post enarratas morbi, quas patientissimè ferebat, molestias isthæc: *Quærit* (inquit) *reiecto omni pudore ob reuerentiam diuinitatis, Hybernorum, et Scotorum, & Anglorum curam deuotissimè confiteri, & securissimo Dominici corporis, & sanguinis viatico exitum muniri. Cùm ipsum preparare festinant, Rex ipse inopinatè se leuans, & preparans vestitus cameram cunctis adiuuantibus obuiam Corpori Domini nostri Iesu Christi exit, deuotissimè assistit. Vt videntibus cunctis tam Clericis, quā Laycis Regem exuens, Regnum deponit, peccando Regnum administrasse confitetur, filium suum Ludouicū annulo inuestit, &c. Vbi etiam aurum, & argentum, & vasa concupiscibilia, & pallia, & palliatas culcitras, & omne mobile; quod possidebat, & quo ei seruiebatur, Ecclesijs, & pauperibus egenis pro amore Dei distribuens, nec clamydibus, nec regijs indumentis vsque ad camisiam pepercit &c.* Deinde quam multis item in pios Ecclesiæ vsus destinatis, sic (vt Auctor tradit) rem conclusit: *His igitur* (inquit)

Baronius an. 1136. nu. 21

Ber. epist. 45

Sugerius Abbas in Ludouico Crasso

Ludouicus Crassus Frāc Rex Pœnitentiæ, & Confessionis laude præcipuus.

Quæ ægrotans pietatis, ac Pœnitētiæ argumēta dedit, Regno se abdicans.

Sugerius vbi supra.

Sacramentali Confessione, & Christi Corpore sub vitæ finem deuotissimè muniri vult.

Sugerius Abbas vbi supra.

quit) *exoneratus , & Dei misericordia perfusus , humillimè flexis genibus ante sacratissimum Corpus, & Sanguinem Domini Nostri Iesu Christi , &c. in hanc oris , & cordis verę , & catholicę confessionis vocem , non tanquam illiteratus, sed tanquam Theologus literatissimus erumpit : Ego peccator Ludouicus confiteor vnum , & verum Deũ , Patrem , et filium , et Spiritum Sanctum , vnam ex Sancta Trinitate personam , videlicet Vnigenitũ, et consubstantialem, et coęternũ Dei filiũ de Sacratissima Maria Virgine incarnatum, passum, mortuum, et sepultum , etc. Hanc autem sacratissimi Corporis eius Eucharistiam, illud item credimus Corpus , quod assumptum est de Virgine , etc. Cùm autem cunctis admirantibus facta primum peccatorum Confessione , deuotissimè Corpori, et sanguini Iesu Christi communicasset , tanquam illicò conualescere incipiens ad Cameram rediјt , omnique regalis superbię reiecta pompa , sola linea culcitra decubuit ; Cùmquè eum de tanto tantillum, et de tam alto tam humilem humano more me deflere conspicaretur : Noli (inquit) amice charissime sic super me flere, quin potius exultando gaudere , quòd Dei misericordia pręstitit me in eius occursum , sicut vidistis , prępárasse .* Mortem igitur opportunis pœnitentiæ lachrymis præueniens , ac monachali vestimeuto indutus , vt pœnitentiam signis vltrò patentibus coram astantibus testaretur, at se ad BB. Martyres Dionysium, & socios tumulandum deferri volens , facta iterum exomologesi diem subindè feliciter obijt , vt Sugerius hunc in modum tradit.

Conceptis Catholicam fidem verbis profitetur.

Baronius an. 1136.

Pœnitens ob veniæ gratiam non vult alios ob suum decessum flere.

Sugerius in Ludouico Grasso.

16. *Rex* (inquit) *Ludouicus Parisijs recidina profluuij dysenteria cùm grauissimè fatigaretur , omninò deficiebat , qui nunquam super his improuidus , ac cito venerabili Parisiensi Episcopo Stephano (cui anteà fuerat aduersatus , vt ex S. Bernardi literis apparet) & Religioso S. Victoris Abbate Hilduino, cui familiarius cõfitebatur, eo quòd Monasterium à fundamentis construxerat, et Confessionem repetit, et exitum suum viatico Dominici Corporis muniri deuotissimè satagit . Cùmque se deferri ad Ecclesiam SS. Martyrum faceret , vt quod votum sępius spoponderat , humillimè persolueret : ęgritudinis anticipatus angustijs , quod opere non potuit , corde , et animo , et voluntate compleuit : Pręcipiens ergo tapetum terrę , et cineres tapeto in modum crucis deponi, ibidem manibus suorum depositus signo Sanctę Crucis pręsentiam sui muneris trigesimo, Regni administrationis , ętatis verò ferè sexagesimo anno, Kal. Augusti spiritum emisit, etc.* Pius itaque Rex sua humiliter peccata confessus , ac intimo cordis dolore compunctus , terræ , ac cineri incubans, Sacramentis Ecclesiæ pręmunitus in pace quieuit .

Sacramentalem Confessionem quã humiliter repetit , & viaticum sumit.

Baronius vbi supra nu. 25.

Adhuc viuens ad Ecclesiam se deferri vult ibique cinere aspersus moritur.

16. Pari item humilitate Richardus Henrici II. Anglorum Regis filius, diuino afflatus spiritu , cum anteactæ vitæ culpas toto corde, necnon libidinum , quibus seipsum immane fœdauerar, sordes pertæsus , execratusque fuisset dolens adeò amarulenter pœnituit , vt facinora sua coram Episcopis fateri non erubuerit, ac sic pœnitens, compunctusque vsque in finem perseuerans , vt Rogerius his verbis meminit : *Eodem* (inquit) *anno Richardus Rex Angliæ diuina inspirante gratia recordatus fœditatis vitæ suæ post Contritionem cordis, conuocatis in vnum in Cappella Reginaldi de Moyse vniuersis Archiepiscopis , & Episcopis suis , qui cum eo erant apud Messanam , nudus procedens ad pedes eorum , & vitæ suæ fœditatem coram illis Deo confiteri non erubuit . Vepres enim libidinum excesserant caput illius , & non erat eradicans manus : sed Pater Misericordiarum Deus , qui non vult mortem peccatoris , sed vt conuertatur , & viuat , respexit eum oculis misericordiæ suæ , & dedit ei cor pœnitens, & ad Pœnitentiam vocauit. Ipse enim à prædictis Episcopis Pœnitentiam recepit , & ab illa hora deinceps factus est Vir timens Deum , & recedens à malo , & faciens bonum . O felicem illum , qui sic cadit , vt fortior resurgat . O felicem illum qui post Pœnitentiam non est relapsus in ruinam , & culpam .* Contriti itaque cordis illud planè Rex cũctis de se argumẽtum præbuit , quod nunquam posthac ad pristinas culparum , quas semel deposuerat , sordes redijt ; sed in arrepto deuotæ mentis proposito in finem vsque stabilis perstitit . Quin insuper si quando vt homo errasset , corrigi haud recusabat , adeoque S. Hugonem Lincolniensem Episcopum se grauiter obiurgantem, ac sua ipsi vltrò scelera , constanterque exprobrantem nactus , supplex ab eo veniam , seipsum agnoscens, & culpam cõfessus

Baronius an. 1190. nu 4.

Richardus Henrici II. Anglorum Regis filius mirifice compunctus ad Episcoporum pedes suas culpas accusat.

Rogerius in vit. S Hugonis apud Surium 17. Nouembris.

Pœnitentia in Virum alterum mutatus.

Rainaldus an. 1443. num. 24.

Carolus Sigonius lib. de Episc. Bononien. lib. 3.

Nicolaus Albergatus ex Carthusinorum familia S. R. E. Card. Pœnitentiarius præcipuus Pœnitentiæ cultor.

Ciliciocarnē haud lineis vtens vestibus edomabat.

Doloribus ex calculo patientissimē tolerandis enituit.

Ad laborum præmia virtutum meritis diues trāsit.

Carolus Sigonius vbi supra.

in Hierusalem, Presbyter Cardinalis hic silentio prætereundus non est, qui Pœnitentiæ operibus, suoque austeriùs tractando corpori addictus, magnum, ac nobile toti Christiano Orbi Pœnitentiæ in se ipso præbuit exemplar; de quo isthæc Carolus Sigonius ex antiquis monumentis excerpta in ipsius laudem natrat: *Dum Romæ* (inquit) *vixit, Parentibus, aut fratribus, aut alijs ex suo genere nihil ex bonis Ecclesiæ tradidit, asserens, se dispensatorem à Deo, non largitorem esse constitutum. Familiam habuit honestam, quæ et honestatem seruaret, et contemptum vitaret, summā seruans in omni statu moderationem. Vbi fuit parcissimus, nunquam post aditam Religionem in infirmitatibus, quibus grauabatur sæpius, neq; extremo vitæ tēpore carnes comedit; vino vtebatur, quod satis esset ad vitæ sustentationē. Religionis normā immaculatā seruauit, eam Religionem sequēs, quā à Iacobo Apostolo scribitur esse, se immaculatum ab hoc sæculo conseruare. Surgebat media nocte orationi vacans: lineis non vtebatur vestibus, cùm semper cilicio interius vteretur, ac recubans in Sarmentis. Sacræ Scripturæ continuum studium impartiebat, cùm quid otij ab oratione, et publicis superesset. Humanis quoque studijs operam dedit, quantum sacrarum literarum dignitas patiebatur. Vitam hanc cùm tanquam peregrinus, et aduena transegisset, nihil in ea, aut spei, aut momenti ponens, mortem quoque contempsit, cùm se ad meliorem sciret vitam profecturum; et cùm summo dolore torqueretur ex calculo, qui postmodum libræ pondus in eo repertus est, tanquam sciens extremum sibi diem instare, et Medicos contempsit, et dolores immensos summa patientia pertulit, agens semper gratias Deo, qui se etiam in extremo spiritu exerceri ad patientiam vellet. Deficiente natura animam Deo reddidit, nihil de rebus externis curans, nisi vt et familiæ rationem haberet, et pauperum meminisset, etc.* Sic itaque Vir Deo dignus, nonnisi Cœlo natus, ac Mundo ferè mortuus, ad laborum tandē præmia incommodis, ac Pœnitentiæ duntaxat operibus, ac meritis in Cœlum diues abijt. Magni autē ipsum Romanus Pōtifex Eugenius IV. semper fecit, summisq; item post mortē honoribus cumulauit, vt Sigonius his verbis tradit: *Eugenius* (inquit) *vt viuentem hominem magni fecerat, sic mortuum eximiè coluit; nam et iusta ipse solemnia soluit, et corpus Carthusiam transferri Florentiam iussit. Ciuitas autem non magnificis solùm exequijs, sed etiam dolore, ac lacrymis, quanti illum æstimaret ostendit, etc.* Idem planè Poggius Florentinus in sua funebri oratione, hæc de ipso tradit: *Obijt Senis* (inquit) *sexagesimo octauo ætatis anno. Exequiæ eius in maiori Templo celebratæ, quibus Eugenius Pontifex, qui ipsum vnicè dilexerat, adfuit etc.* Condignis itaque laudum præconijs Nicolaus, qui tot, tantisque adhuc viuens Diuinarum virtutum meritis, & Pœnitentia præsertim apud homines claruit, à cunctis, vel iā mortuus iustissimè celebrari meruit

Eugenius Pontifex, qui eum semper dilexit, eiusdem funus curauit.

Poggius Orat. funeb.

Demum alios inter purpuratos, qui pijs intenti operibus nostro hoc sæculo in Vrbe, suis nedum se ipsos, sed & miris purpuram, qua præfulgebant, virtutibus illustrarunt, ac satis amplam de se cunctis narrandi materiam reliquere, Sapiētum iudicio Eminentissimus Marcus Antonius S.R.E. Cardinalis Franciottus, & immortalis mem: Lucēsis olim Episcopus iure merito adnumerandus est, qui præter generis nobilitatem æquè sapiens, ac sanctus, & virtute, dum vixit, magnus maluit esse, quàm videri, ac seipsum studuit potiùs Vrbi in Vrbe ipsa cælare, quàm ostendere; vtpotè qui homines latendo, solius dumtaxat Dei oculis placendi propositum habuit; solemne, illud Gregorij verbum mente recogitans: *Quia deprædari desiderat, qui thesaurum publicè portat in via.* Quoniam verò ipsum, qui latere adeò viuens concupierat, iam post mortem, virtutum increbescente fama: *Laudant eum in portis opera eius.* Cui & illud meritò Ambrosij elogium occinit: *Nemo laudabilior est, quam qui potest ab omnibus laudari, et quot homines, tot præcones.* Enimuerò, vt egregius ipsius laudator tradit: *E Cælo indolem hausit, etc.* Fuit quippe ipsius vita cæteris norma viuendi. Nam vt vel puritatē in primis Deo carā cunctos doceret, id in fœminam ipsius pudicitiæ florem proculcare tentantem præstitit, quo iam tum magna quæque de se suis visus est præsagisse. Sed vt ipsius hìc laudatoris verba proferamus: *Immittitur* (inquit) *in castissimi iuuenis conclaue auernalis furia sulphurea*

Marcus Antonius Franciottus S. R. E. Card. Lucensis non minus virtute, quàm purpura clarus.

Greg. hom. in Euang.

Prouerb. cap. 31.

Amb. lib. de Virginibus.

Ioannes Baptista Bettinius orat. in ipsius funere.

Ipsius vita cæteris viuēdi norma & dignum Deo spectaculum.

phurea libidinis face intemerati pudoris arcem impetitura, &c. Quid in hoc rerum articulo deprehensus ageret? quid consilij sumeret in hac fluctuantis animi tempestate? &c. Vicit invictus constantissimi iuuenis pudor impudentissimæ furiæ peruicaciam, & colapho in faciem blandientis impacto rubere coegit ictus vehementia proteruum illum vultum, quem aduersus verecundiæ ruborem sua lasciuia obfirmauerat, & post cæsum fortiter hostem fuga victoriam consumauit: Præsulem sanctissimum Franciscum Salesiũ, *quem alijs quoque virtutibus expressit, simili castimoniæ triumpho consequutus.* Eo autẽ cõstans animi studio suum vsque ad senectam, postremosque vitæ annos illibatum pudicitiæ florem seruandum sibi proposuit, vt sollicitus mulierum colloquia in primis caueret. Hæc enim ipsius laudator narrat: *Grandis* (inquit) *ætate Vir, & purpuratus abhorrebat cum dispari sexu miscere sermonem, nisi alijs coram adstantibus, & affixis terræ, ideoque cælo spectatore dignis luminibus; quâ suo florem hunc educto frequentissimè flagellis sanguine irrigauit, qua illum spinis præcinxit austeritatis asperrimæ, non Principibus tantùm, sed Viris etiam intra religiosa Claustra prodigiosæ.* Quo quidem pia tum seruandi pudoris, tum Pœnitentiæ, austeriorisque excolendæ vitæ contemplantibus studia innotescunt; cum illud sibi Tertul. occineret. *Nemo ad bellum cum delicijs venit.*

Colapho blandientem fœminã excedit.

Adolescens admodum sollicitatus in carne de carne triumphat

Io. Baptista Bossulus vbi supra.

Quam rigidè quam cautè purpuratus cum fœminis vbi necessitas cogit, colloquia miscet.

Verùmeninmuerò vir tantus cũctorũ vtpote bono natus, haud sibi soli vixit, qui cunctis sui copiã fecit, vt ipsius laudũ præco sic tradit: *Nego quempiam*, (inquit) *fuisse, qui non facillimos ad illum inuenerit aditus, quique in illo studium animaduertit se subtrahendi nouis laboribus; licet antea innumeris premeretur, &c.* Et infrà: *Nunc* (inquit) *priuato charitatis amplexu stringentem singulos etiam abiectissimos mortalium intueamur. Nullam ab amore suo fortunam hominum prohibuit beneficentissimus Princeps, &c. Quantum illius in omne genus hominum charitas emicuerit, inopes dicant, quibus supra triginta aureorum millia, vt post eius obitum testati sunt conscij ministri Religiosi viri inrati silentij sacramento liberati, quos ipse ad pauperum egestatem subleuandam pecunia obarmabat, quã edenti sibi subtrahere sedulò studuit. Neque enim in mensam instruendam opiparis dapibus, nec in domum exornandam pretiosa supellectili, nec in paternæ domus census amplificandos traducebat sacros redditus, quod ex Summorum Pontificum munifica largitate satis affluenter acceperat; ex quibus aurei tantum sex & viginti reliqui eidem erant, dum fato concessit, &c. Adeò autem misertus est cæterorum, vt miser ipse propemodum esse vellet, ac pauper; quò in pauperes partiretur prouentus Ecclesiæ, &c. Nihil vnquam è sacris redditibus in paternam intulit domum: immò nec præstantissimi Viri, & sibi sanguine, & virtutibus coniunctissimi nomen transferre voluit ante obitum Ecclesiæ prouentus; licet optimè de se, deque sacra republica meriti.*

Bottinius in sOrat in eius un. vbi supra

Publicæ vtilitatis causa seipsum perpetuo laboribus deuouet.

Mirus charitatis feruor.

Frugalis ipsius tum mensæ, tum domus, tum victus ratio.

Ne pauperibus desit sibi potius pecuniam deesse vult.

Porrò Vir innocentissimis alioqui moribus, ac Cœlo dignus, sic tamen Pœnitentiæ exercendę institit, vt mitis, ac beneuolus in omnes; in se vnum dumtaxat patiendi salubriter cupidus, carnis perpetuò odia exerceret. Hęc enim in eius laudem vbi supra: *Igitur Qui mortales omnes paterno amore complexus, nimiùm tamen suis blandiri non est ausus, vt in se ipsum inimicitias exercuit immortales. Inseruit cordi sanctissimi Viri odiorum semina in semetipsum animi remissio singularis, suique contemptus egregius, &c. Verborum ergò solùm auarus, libratorquè mirabilis, num excidere sibi quidquam ex ore permisit, quod sui commendationem suboleret? &c. Vidimus educto flagellis cruore suæ liliũ integritatis lactantem; quæ vulnera sacrũ demortui corpus ornabant, quibus vrgebat se ipsum, catena, & cylicina veste, hostilem in se se Marci Antonij animum, & nullum sui, veluti vulgaris animæ studium habitum aperuere. Famulares sibi, dum è stratis surgeret, manus à suis adhiberi, dormire quemquam propè suum cubiculum vetuit, non sine vitę discrimine; ne ad aliorum aures accideret inflictarum sibi plagarum strepitus latè sonorus. Quęnam illi dapes gratum saporem elaborarent, quæ insuaues accidissent, domesticis nunquam innotuit, quin potiùs illos perpetua cepit admiratio, quòd tenuissimo, ac parabili cibo vix protrahere vitam posset, quinta solùm vini parte temperaret aqua rigorem, & nunquam per admotas illi niues æstiuis delicijs indulgeret; & pane solũ, & aqua vires reficeret, quotiescũq; recurrerent profesti magnę Virginis dies.*

Benignus ac mitis in cunctos, in se vnum rigidus.

Vbi supra Orat in eius funere.

Flagellis seipsum cędit ligni post obitum in carne extantibus:

Cibo, ac potu ob necessitatem dumtaxat vtitur.

Atqui summus ob patiendi desiderium

rium indictus sibi pro lege rigor, & pœnitentiæ amor, qui cordi inerat, in morbis nedum patienter, sed gaudenter tolerandis emicuit; hęc enim Auctor: *Sed pluris*(inquit) *facient æqui iudices sanctitatis exceptas animo exultanti molestissimas ægritudines, & libentissimè tolerata cælitus dimissa, quàm spontè inuitata tormenta. Nullam fatiscentis animi notam in eius vultu deprehensam, licet per annos plurimos morbis fuerit impetitus; ac dissimulatum prodigiosa constantia calculi dolorem, quo sæuissimo quotidiè torquebatur: Quatuordecim enim, ijdemquè non vulgaris magnitudinis Lydij lapides heroicę tolerantię mirificè illum vexabant, dum consueta subibat onera mortalitatis, ac dum lacrymas ab illo sæuitia doloris exprimeret, florere in ore risum cogebat vigor generosissimę voluntatis. Quid hic ego magis admirer? incredibilem ne perferendi constantiam? an potius inauditam animi demissionem, qua dolorem occultaret, nè admirationi esset acerbissimi victoria cruciatus.* Quibus item religiosa ipsius pietas ad accersẽdas sibi è Cœlo vires orandi studium addebat: *Quamobrem*(inquit) *prętereo duas horas ab illo statutas contemplationi rerumDiuinarum, subductum ideo tempus necessariæ quieti, & educta saltem lodicibus membra, cùm æs campanum, cuius admonitu suas horas moderabatur, Religiosos viros ad orandum inuitabat, &c. Mirabimur nullam ab eodem habitam sollicitudinem vitæ, & mortem, quam prænouisse visus est, & laboribus pronocatam; risuquè blanditum illi, qui diceret decretoriam esse, qua decumberet, ęgritudinem, &c. Excepta mors animo exultanti, florens in pulcherrimo demortui ore fulgor integritatis, &c. eximiam ipsius virtutem posteris commendarunt.* Quibus denique in ipsius laudem ex his, quæ innotuere, breuiter narratis, id pro laudum ipsius compendio tradit: *Neque desunt* (inquit) *qui prebibut illius diuinitus indultum credant, vt qui per annos supra triginta eius confessiones exceperat, paucis ante illum diebus fato sublatus, aperire non posset cælestes Sanctissimi Præsulis dotes.* Cæterùm Vir tantus omnium virtutum cultu eminentissimus, ac meritis plenus, nostrisquè maior laudibus, Cœlo vtpote maturus, & illuc à Deo euocatus, inter mortales, è vita præreptus, desideratus est. Cuius laudes & ipso Summorum Pontificum ore iterata sæpe, ac sæpius ipsius elogia qui vult, apud gestorum ipsius præcones consulat. Cui illud meritò omni maius elogio à laudatoribus occinit: Quod viuens cunctos latuit, & quod nonnisi in morte agnitus sit, adeoquè *Is magnus semper in terris extiterit, sed ignotus.* In hoc Christum Dominum egregie æmulatus: *Qui venit* (Ambrosio teste) *vt lateret seculum.* Sed de his hactenus.

Pœnitentiæ ipsius amor, in morbis nedum patienter, sed lætanter ferendis elucet.

Auctor vbi supra in eius fun.

Calculi, quo torquebatur, dolor mirificè ab eo dissimulatus.

Auctor vbi supra.

Orandi studio auidissime addictus temporis quietis, accorpori opportunum subtrahit.

Auctor vbi supra.

Mortem lætanter excipit & in eius ore vel iam demortui risus dul cis visus est resedisse.

Illud ipsi pro elogio, quod magnus in terris, sed omnino ignotus extiterit.

Amb in psal. 118.

CAPVT III.

Peccatores ad impetrandam peccatorum veniam exomologesin publicè instituunt.

1 EST *confusio*(inquit Sapiens) *adducens peccatum, & est confusio adducens gloriam, & gratiam.* Ità planè Pœnitentium confusio, non nisi gloriæ ad Dei Tribunal pro rubore, quem sustinet, remunerationem accipit. Qui enim postquam peccauit, inani hominum rubore, ac metu adductus, quod intus in conscientia latet, peccati vulnus apud Deum fateri, eiusquè palam facere Sacerdoti detrectans, diuinam Sacramenti virtutem refugit; is profectò non tam venia, quàm maiori pro culpis est pœna dignus, ac sua ipsum non tam confessio releuat, quàm confusio prægrauat, & peccatum maximum proculdubio adducit. Secus verò qui vt suum accusando peccatum, à Deo indulgentiam obtineat, confiteri, & apud hominem confundi non erubescit, magnum inde sibi lucrum acquirit, suaquè confusio pariter, & confessio gloriam, & gratiam confitenti affert; *Adeoquè dum erubescimus* (inquit Damianus) *confiteri, quæ commisimus, Deum minùs, quàm homines reueremur, & hac est confusio adducens peccatum.* Magna igitur quæ confusio ipsi diuinitus homini refundit bona, omnem confessioni molestiam, ac metum auferunt; quin immò decorem haud vllo æquiparandum pretio conferunt: *Non confundaris*(inquit Sapiens) *confiteri peccata tua.* Ad quod item apte Chrysostomus alludens: *Confunderis* (inquit) *& erubescis confiteri peccata tua? confusio est peccare, non verò peccata confiteri.* Porrò vt

Ecclesiastici cap. 4. n. 25.

Confusio, quam subit homo pœnitens, suas hominis culpas sacramentaliter confitendo, gratiam et gloriam affert.

Petr. Damianus ser. de S. Andrea.

Ecclesiasticis cap. 4. n. 31.

Chrysost. hom. de pœnit.

vt quis post culpę reatum confitendo erubescat, Diaboli potissimùm dolis, ac arte, Chrysostomo teste, contingit; qui rerum inuertens ordinem, pudorem peccato auferens, peccanti audaciam tribuit, ac ipsi demum pœnitenti ruborem, ingerit, quò per fraudem à confitendo abducat: *Pudorem* (inquit) *& verecundiam Deus peccato dedit, Confessioni verò fiduciā; inuertit rem Diabolus, & peccato fiduciam præbet, Confessioni verò pudorem*. Diabolus etenim nil antiquius habet, quàm peccatum, vti nullius rem momenti, antequàm homo ipsum admittat, ob oculos proponere, quò vna simul veniam facilè sibi obtinendam dolis suffultus adūbrat; postquam verò aperiendi in confessione peccati, tempus recurrit, tunc maximè callidus serpens, ac totius doli artifex immane peccati spectrum eiusq; horrorem exaggerans, quod pridem facilè facillimum proposuit, arduum postea nimis, ac perdifficile homini oculos fallendo ostentat, vt peccator nimirum, dum loqui contra se ipsum in confessione oportet, per scelus obmutescat. Quapropter quidam ex antiquorum numero Patrum Satanam anxiè hac illac excurrentem aliquando videns, & cur id faceret, ipsum interrogans: *Reddo*(inquit) *pœnitentibus, quod ante eis abstuli*. *Interrogatus autem, quid hoc esset, dixit: Abstuli ab eis verecundiam, dum peccabant, vt liberius peccata cumularent, & reddo nunc eis, vt à Confessione ob verecundiam maximè deterreantur*.

Confessio est peccare, non confiteri peccata ex Chrysost.

Chrysostom. de Pœnitent. & Confessione. Matth. c. 9. n. 20.

Chrysostomus hom. 3. de pœnitentia.

Deus pecca to pudorem dedit, & verecundiam, Confessioni fiduciam.

S. Bernardinus tom. 3. de Confess. art. 1.

Diabolus è contra peccato fiduciā præbet, Confessioni pudorem.

2. Quod quidem Tertullianus seriò expendens, ac homines, qui peccati vulnus non erubescunt, paratam verò vulneri à Deo medelam horrent adeo, atque erubescunt, meritò deridens: *Næ tu* (inquit) *verecundia bonus ad delinquendum expandens frontem, ad deprecandum verò subducens*. Itā planè ingens mortalium, & intoleranda prorsus vecordia, ipsum peccati remedium præ verecundia respuere, ipsaque peccati vulnera gloriando amplecti; scit quippe Diabolus malorum artifex, quanti peccatoribus momenti sit pura Confessio, qui sic verecundiam obtendens; Confessionis per dolos salubritatem peruertere nititur. Deus namque quod tu reuelas, abscondit in Iudicio; & quod tuin Confessione absconTertullian. lib. de pœnit. cap. 10.

Diabolus in videt homini confessionis remedium, & auferre conatur.

dis, in suos ipse palam iudicio reuelabit. Maximum itaque confessionis emolumentum, & quæ in ipsos vltrò confitentes è Cœlo bona deriuant, ad inanis con temptum ruboris, omnemque abijciendā procul verecundiam; Augustino teste, compellunt: *Si texit*(inquit)*peccata Deus, noluit aduertere, si noluit aduertere, noluit agnoscere, maluit ignoscere*. Confessio igitur, quæ præsentaneum pudori, & peccato insuper remedium est, à singulis vsurpanda fideliter, nec res vti noxia, & quæ infami ę pœnitentibus notam inferat, fugienda. *Erubescentia quippe*(vt Augustinus ait)*magnam partem habet remissionis, &c. Quoniam verecundia magna est pœna. Qui erubescit pro Christo, fit dignus misericordia*. Hæc aptè in rem Augustinus.

Deus, quod homo in cōfessione reuelat, in iudicio abscōdit, & quod homo abscōdit, reuelat ex Augustino.

Augustin. in Psal. 31.

Augustin. tom. 4. lib. de vera, & fal. pœnitentia cap. 10.

3. Quapropter verecundia, quam homo inter confitendum subit, & quam adeo homines timent; abhorrentque se ipsos accusando, tanti apud Deum meriti, eiusque insuper valoris est; vt non nisi summæ apud homines gloriæ sit, Magno Gregorio teste, adscribenda: Ipse namque Iobum sanctissimum sua magis peccata confitentem, quàm eximias exercentem virtutes meritò stupet, ac dignè extollit. *Videatur*(inquit) *Vir iste cuilibet magnus in virtutibus suis, mihi certè sublimis apparet etiam in peccatis suis, &c. Mirentur in eo, qui volunt, castitatis continentiam, mirentur integritatem iustitię, mirentur viscera pietatis; ego in eo non minùs admiror Confessionem humillimam peccatorum, quàm sublimia gesta virtutum. Scio enim, quod per infirmitatis verecundiam plerùmque grauioris est certaminis commissa peccata prodere, quàm non admissa vitare*. Cui ipsa quoque peccatrix in Euangelio, pari virtutis exemplo iungitur, quæ culparum Deo erubescentiam adeò cunctis molestam, gratum vti, acceptumque sacrificium libando obtulit: *Quia enim*(vt Gregorius ait) *se ipsam grauiter erubescebat intus, nihil esse credidit, quod verecundaretur foris*. Sic profectò pœnitēs mulier dum sua humiliter peccata prodit, illis à Christo cōmendari verbis meruit: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multū. Hinc conspicimus*(inquit Chrysostomus)*non solùm caruisse peccatis, sed ad totū sanctitatis verticem peruenisse*. Peccati quip-

Gregorius lib. 22. moral. cap. 10.

Iobus nedū magnus in virtutibus, sed & dum se accusat magnus in peccatis. Gregorij calculo censendus.

Gregorius hom. 34. in Luc. 7. c. 47.

Magdalena pœnitēs pia sanitatem in pudētia quę fuit ex Augustino.

Chrysolog ser. 94.

quippe erubescentiam vincens, *quæsiuit* (vt Augustinus ait) *pia impudentia sanitatem*. Qui suæ igitur decorem animæ diligit, & turpem antecactæ vitæ faciem exhorret; ad Confessionem, qua vitia salubriter expiantur, & acquiruntur virtutes, recurrendum proculdubio intelligit: *Confessio quippe* (vt ait Psaltes) *& pulchritudo in conspectu eius*. Quapropter Bernardus aptis Sophiam virginem aliquando verbis admonens: *Ama* (inquit) *confessionem, si amas decorem*. Nec verò quamplures è Pœnitentium numero desunt, qui Confessionem, eiusquè probè virtutem edocti, nedum omni rubore postha bito, suas Sacerdoti culpas, obtinendæ spe veniæ adducti aperuere; sed has vel publicè, vt magis se ipsos erubescendo vincerent, Deumquè sibi propitium magis ad ignoscendum redderent, palam cunctis facere non dubitarunt.

August. homil. lib. 50. hom. 13.

Psal.

Bernardus Epist. ad Sophiam Virginem.

Amāda culparum confessio, si quis animæ decorem diligit.

4. Immensa autem Numinis pietas maximè in Augustino post innumeras peccatorum, quibus implicitus tenebatur, sordes, feliciter ad Deum traducto ipsa luce clarior elucet, necnon ipsius in suis detegendis turpitudinum antiquæ vitæ culpis, ac pia impudentia sibi à Deo sanitatem quærentis; nè hominum quemquam laterent, cunctis palam faciendis, promulgandisquè in suis ab ipso publicis editis Confessionum libris, siue libellis accusatorijs potius compuncti animi feruor, ac pœnitentium amor vniuerso Christiano Orbi satis affulget. Suos quippe ob id potissimùm adeò sincerè in suis paginis errores detegit, *vt qui legunt* (ait ipse) *suspirent in malis meis, respirent in bonis suis &c.* Quapropter præcellens ipsius se adeò humiliter accusantis demissio, ac præferuida simul in detegendis, diluendisquè culpis confessio, ipsum amplius cunctis mirandum reddit, quàm si mortalium cuncti vnanimes ipsius laudes certatim celebrando edicerent. Confessionum quippe liber, quem scripsit, magis ipsum, quàm plura (quæ edidit) volumina dignissima elucubrationum Cœlo dignum commendat, & charum Deo acceptumquè, ac terris diuinitus illustrem renunciat, vt suo eleganter ex more Aloysius Iuglaris his summatim in suo elogio verbis edisserit.

Augustin. Confessionum lib.

Augustinus in editis Confessionum libris suam apud Deum causam perorauit.

Initiandus sublimioris doctrinæ Magister,
Librum è Cælo iubetur accipere.
Sordes suas speculatus in pagina,
Vt eas vel obrueret, vel elueret.
E Matris oculis lacrymas transtulit, in suos,
Sibi Matri, ac Patriæ redditus.
Tenebras suas dum in lucem edidit,
illustrauit.
Nunquam videlicet Solem puduit.
E tenebris erupisse, &c.
Veritatis amantior, quam sui
Vtilis dum errores retegeret alienos.
Sincerus dum nec tegeret suos.

Mirandus magis ab omnibus, dū se accusat, quam si cūcti mortalium laudibus ipsum colerent.

Aloysius Iuglarius lib. de elog. in S. Augustinū. 158.

Meritò itaque præcipua Augustini à confessione, & lacrymis laus, à quibus & vita pariter initium habuit. Mundum quippe, ac se ipsum lugendus derisit, dum se adeò suis in Confessionibus turpem agnoscens amarissimè primum fleuit, vt ipsi illud Hieronymi aptè occineret verbum: *Fleuit, vt super rideret.*

In lacrymis & confessione apud Deū corona, & ipsius laus.

Hieronym. in epitaph. Paulæ.

5. Et siquidem Pœnitentium nonnulli, nonnisi publicè culparum Confessione peracta, vt sic compuncti Deo post hac viuerent, mortali abire è vita voluere; cùm vel hoc ad tutum sibi parandum è vita exitum iuuari non parùm se posse intelligerent, scirentquè confessione culparum à culpis apud Deum, pœnitentiæ cultores releuari vt ex narratis à Ioanne Diacono in Magni Gregorij gestis his plane verbis liquet: *Eodem* (inquit) *die, sicut postea deprehensum est, eodemq; momento, quod Presbyter moriens Andreę periculum fuerat imprecatus; idem Andreas, fundi Barbiliani positi scilicet via Ostiensi conductor, in lectulum decidit, in quo per multum temporis continuo languore correptus, ità totus emarcuit, vt omne corpus eius particulatim videretur dissolui. Cumquè deficientibus carnibus consumi posset, mori autem non posset, vxorquè fateretur vulnerum, viriquè cruciatus iam sustinere non poterat, intellexit tanti languoris incommoda sine Diuinę vltionis sententia hunc nullatenus incurrisse. Quem flendo curauit inquirere, vt quoniam à moriente Præposito frustra vocari non poterat, quid cum ipso commiseras, vt Monachis reuelares; si fortè Dominus eius Confessionem recipiens, eum à tantis cruciatibus liberaret. At ille agnoscens, malum, quod fecerat, latere non posse, Monasterij Monachos conuocari rogauit, eisque*

Baronius an. 855. n. 32.

Presbyter diuino morbo conualescēs vt ad confessionis remedia confugiat, nō prius moritur quam culpā reuelet.

Io. Diac. in vit. S. Gregor. lib. 4. cap. 46.

eisque confessus est, cum eodem Præposito quasdam Monasterij chartulas rapuisse, ac receptis pretijs, extraneis tradidisse; seque certum existere, quia pro hoc flagitio mori non posset, quousque coram omnibus reuelaret. Quod videlicet verum fuisse, rei euentus euidenter ostendit; nam mox vt tantum facinus cunctis innotuit, is, qui dudum mori volens non poterat, inter verba suæ Confessionis spiritum efflauit. Quem idcircò omnipotens Deus diu cruciari voluit, mori autem, donec reatum suum cofiteretur, non posse permisit, vt exemplo sui cruciatus ostenderet, qui consumptores rerum Gregorij de semet ipsis vbique sperare debuissent. Hæc Io: Diaconus, ex quibus videre est, quantum publica criminum Confessio apud Deum valeat, quæ cum morte luctantem, non nisi confessum, ac pœnitentia salubriter expiatum, mori potuisse monstrauit.

Confessus statim doloribus, quibus tenebatur, & vita soluitur.

6. At huic, cui proximum e vita exitũ Ioannes Præpositus Monasterij S. Gregorij intimasse legitur, nũc alter subtexẽdus est, Qui & post turpem, impuramque cum fæmina consuetudinem doloribus attritus valdè etiam cum ipsa morte conflixit, & sub extremam vitæ periodum, nisi pœnitentia suffultus suam patefecisset culpam; certum proculdubio animæ dispendium subijsset, vt Io: Diaconus his verbis: *Ioannes* (inquit) *Presbyter eiusdem Præpositus cum quadam fæmina turpiter viuens, vehementissimo podagræ dolore correptus est, &c. qui in tantam desperationem perductus est, vt ab omni illius feminæ visitatione desisteret, & illa sibi alterum sub eodem facinore copularet. Sed post annum Presbyter ad pristinam sanitatem reuersus (quanquam propositum sibi fuisset, vt vlteriùs nullam contingeret), ad eam tamen misso nuncio futuro die dominico se redire professus est.* Sic miser iam Dei beneficio sanus ad pristinas carnis sordes, tanquam canis ad vomitum, reuersus est. Sed cum præter lubricæ carnis, qua se fœdauerat, noxam, suas item Monasterij bonis manus admouisset, ne certam incurreret perditionem, noctu à S. Gregorio, vt resipisceret, præmonitus est; hæc enim Io: Diaconus: *Eadem* (inquit) *nocte cuidam Presbytero, monacho B. Gregorius in somnis apparens ait: Surge, & dic Præposito, vt pœnitentiam agens, peculium suum quod congregare non puduit, pro peccatis conscientiæ suæ dispergat, quia die tertia funditus extinguetur è vita: Quod Præpositus vehementer, vt audiuit, expauit; & quia mandato Gregorij incredulus esse non poteras, pœnitentiam cœpit, cunctaque sua sanus distribuens, tanto febris ardore correptus est, vt à diluculo diei tertij vsque ad horam tertiam ingenti fragore præ incendio linguam ab ore projiciens, vltimum flatum protraheret. Quem Presbyteri tam duriter laborare videntes, deputatis illic Monachis, qui cum psalmodijs eius exitum commendarent, ipsi pro eo studuere omnipotenti Deo solemnes hostias immolare. Sed Monachi psalmodiam deserentes, non timuerunt inter se morienti Fratri detrahere. Cùm ecce Presbyteri à Missarum solemnijs circa horam septimam remeantes, Ioannem Presbyterum, quem incredibiliter cum morte luctantem reliquerant, leuiùs se habere mirati sunt, eumquè nominatim clamare cœperunt. Mox ille oculos subridendo concutiens: Parcat (inquit) mihi Dominus, Fratres, quare me sollicitare voluistis, qui ab eo huius diei principio vsque nunc coram Christo præsentibus multis millibus Angelorum cùm Diabolo ad iudicium steti, & adiuuantibus me Sanctis Andrea, & Gregorio, cunctis eius obiectionibus bene respondi. Sciatis autem quia Monasterij sextarium, modium, libram, consuetudinem eleemosynarum, & luminum, omnemquè mensuram curiosissimè Christo quærenti vsque ad scabellum pedum eius portaui. Sed de vna obiectione fateor, conuictus erubui, de qua me nimirum, sicut vidistis, laborando vexaui, & me adhuc liberare non potui. Cùmquè Fratres de ea requirerent, ait: Non audeo dicere, quia quando vos me clamastis, & à S. Gregorio redire iussus sum, vt vobis etiam de mensuris, & consuetudinibus Monasterij poscerem rationem, Diabolus conquestus est, putans quòd ne Pater Gregorius ad pœnitentiam remisisset, &c.* Et post multa de Præposito pœnitentiam sub vitæ finem sollicitè amplexante hæc subdit.

In vita S. Gregorij lib. 5. cap. 86.

Ioannes Presbyter libidine vitiatus, nisi suam humiliter culpã in confessione dilueret, proculdubio perierat.

Monetur in somnis, vt resipiscat.

Io. Diac. vbi supra.

Præpositus itẽ Monasterij à S. Gregorio apparente ad pœnitendum prouocatur.

E morbo aliquantis per releuatus, se ad Dei tribunal iudicio acriter expetitum narrat.

7. *His itaque expletis, cunctos iubet abscedere, solum Presbyterum, qui sibi mortem prænunciauit, secum tenens; qui solus remanere pauescens, alterum secum tenuit, hortatus, vt causam pro qua confligeret, saltem sibi pandere non timeret. At*

Io. Diac. vbi supra in Vit. S. Gregorij.

Presbytero sibi adstanti ingemiscens doloris sui causam prodit.

ille vehementer ingemuit, & conuerso ad parietem capite, clamabat dicens: O Andrea, O Andrea, hoc anno pereas, qui me prauo consilio ad periculum compulisti. Et Deo quidem disponente, Vir iste adeò in fine vitæ constitutus ad Christi Tribunal à Dæmone arctabatur; vt suo viuentes iudicio, quàm seuerè Deus in exitu vnumquemque iudicet, ac iudicando exterreat, admoneret. Sed de exitu hęc infra subdit: *E vestigio* (inquit) *Zaccharias medicus, qui anno præterito ad suos videlicet Saracenos apostatando reuersus est, adfuit, tactisque temporibus, iurare cępit, Presbyterum ex eadem valetudine minimè moriturum. Quem languidus vt audiuit, cum ingenti animaduersione repulit, dicens: Fratres iam omne corpus meum est mortuum, in extremis faucibus spiritum permissum retineo, continuò moriturus; tantùm psallite, vt reuideam Angelos, quos videbam, & innuens vobis ostendam. Quibus orantibus, totus cępit tremere, pallescere, sursum desiderans aspicere: Cùm subitò spiritus aduentare conspiciens, reuolutis terribiliter oculis, Monachis annuit, & abscessit, eosque tanto terrore perculsos dimisit, vt multis noctibus ibi iacere timuerint.* Hæc de Ioannis Præpositi obitu, Io: Diaconus in Beati Gregorij gestis exactè describit; qui sub extremam vitæ horam pœnitentia suffultus, ab ipsius ferè Tartari pœnis, quibus addici meruerat, præreptus est, vt pœnitentiæ, ac confessionis peccatorum vim planè admirandam probe vnusquisque ab eo edisceret.

Io: Diac. vbi supra.

Præter Medici sententiam Presbyter se moriturum affirmat, vt planè contigit.

8. At hic Otho Secundus Imperator silentio prætereundus non est, qui cùm præclara ab ineunte ætate virtutum de se cunctis præbuisset exempla, & si Christianis laudabiliter imbutus moribus, haud ità multò post sub sceptro, à virtutis tramite aberrare cœpit, vt suas in Ecclesiarum ditiones, ac iura manus protendens, Magdeburgensis Ecclesiæ Episcopatum Beati Laurentij Martyris patrocinio addictum abolere sit ausus: ob quod Beatus Christi Martyr vltor in ipsum insurgendo extitit, funestamque eius militibus cladem intentans, omnes eius armatorum copias perdidit, ac nauali subinde prælio, tum à Saracenis, tum à Græcis superatus, victi milites, attritique, ac ipse turpiter captus, & hostibus ludibrium effectus, non nisi funestum sui argumentum cunctis pręstitit. Postmodum verò factus pœnitens, in se reuersus, coram Pontifice, ac cæteris sua confiteri peccata haud erubuit, veniaque à Pontifice obtenta pœnitens tandem, ac pie moritur. Sed primùm quæ ipsius fuerit culpa, nec non lugubris calamitatum origo, auctor, qui S. Adalberti gesta conscripsit, his verbis exponit: *In tantis* (inquit) *aduersis illum circumfluentibus non resipiscit: Quid contrarium Ministro æterni Imperatoris egerit, quid Pio Laurentio peccauerit, non recognoscit. Episcopatum, quem Pater in sacrum honorem pretiosissimo Martyri erexit, ambitione suorum in peccatum deductus filius destruxit, non faciens ordinem, quasi qui aquam in mare fundit, Episcopatum deiecit, vt plenum delicijs Archiepiscopatum ditaret. Tulit Episcopum optimo Laurentio, posuit Parthenopoli Archipresulem nostro Mauritio; Factum est contra ius in Ecclesia Dei, donec adueniens nouus Rex, & religiosissimus veterem errorem correxit. Post tres Othones Henricus Christianissimus ecce venit, qui malè facta correxit.* Hęc ille. Quoniam igitur B. Laurentio Ecclesia Mesburgensis Patrono gaudebat, proinde Otho Rex in Magdeburgensem Ecclesiam illius cuncta Ecclesiæ tum bona, tum iura deriuabat, vt Crantzius his verbis meminit: *Destructus est* (inquit) *Episcopatus in Mesburg, miræ magnitudinis ædificium cecidit, sine cessit in Magdeburg.* Hęc ille. Verum Diuinam quantocyus Othoni adfuisse vltionem, ex his, quæ scriptor subijcit, satis superque innotescit; hæc enim habet.

Baronius an. 983 n. 7.

Otho II. Romanorũ Imperator sub sceptro aborrum facit.

Culpam humiliter corã Pontifice, & cęteris confiteri non erubescit.

Apud Surium in vit. S. Adalberti die 23. April. tom. 2.

Baronius vb. supra n. 7.

Quæ in Dei Ecclesiã Otho admisit ob quæ flagellis est appetitus.

Crantzius in Metrop. Sax. lib. 2. cap. 38.

9. *Propter hoc* (inquit) *peccatum, veluti patet, pugnante Laurentio victoriam Otho perdidit, & diebus suis omnem confusionem recepit, auertente faciem Deo; Quæ sit virtus tua, ò homo, specta nunc in homine vno. Quid prodest bellicus ardor? quid valet virtus sine suo loco? Age tunc cuncta cum consilio. Quoties venis sapiens inuito Deo? sicut scriptum est: non est consilium, non est ratio contra Deum, &c. Inspiciamus magnæ indolis Virum, & multo merito Imperatorem Augustum; ecce dum peccat, flagellatur, plenus aduersis media via moritur, iacet nunc inglorius: O vtinam & non reprobus pulchra virtutis alumnus. Priùs verò,*

quàm

Calamitatibus à Deo, vt à malo resipiscat, premitur.

quàm moreretur, vt ad pœnitentiam hominem stimularet, sicut est solus semper clemens Deus, talem visionem cuidam sapienti ostendit, quam vt auditam recolimus, infra annotari non absurdum putamus, &c. Verùm post exhibitum visũ, hæc B. Laurentium auctor proferentem inducit. *Si meum* (inquit) *dedecus non emendat, maiora faciam, subtracto scabello ipso solio deponam. Huius (inquit) visionis terrores, minasquè exitiales cùm cognouisset Rex puer, facinus non correxit, siue amor hominis suasit, siuè ira Dei itá iussit, etc.* Sed deprauatos Othonis subinde in throno vigentis mores, ipsiusquè exitum infelicem exponens: *Sola* (inquit) *infelicitas bellorum victoriam tulit. In medio cursu, cum dulcissima vita, et gratissima lux iuuenibus est, hac (non adiuuat honor Regis) fit victima mortis, in pulnerem redit.* Hæc ille de amissa victoriæ palma, necnon de tragica Othonis clade, quæ B. Martyre Laurentio suę illatam Ecclesiæ iniuriam vlciscente contigit. *Sed parum* (vt Baronius ait) *fuisset amisisse victoriam, nisi et totum suum perdidisset exercitum.* Sic Deus quippe vel serò Sanctorum suorum iniurias vindicat.

Crantzius vbi supra.

S. Laurentius Martyr per visum aduersa illi minatur.

Crantzius vbi supr.

Marianus Scotus in Othone

Otho cum toto suo exercitu acerbissimã cladem patitur.

10. At de funesta, quæ Othonem, eiusque exercitum consequuta est vastitas, hæc breuiter Marianus Scotus subtexit: *Otho* (inquit) *Imperator apud Calabriam occiso à Græcis exercitu eius, de naui exiliens natando fugit.* Isthæc autem prolixius à Sigeberto, ad quem Lectorem remittimus, narrantur. Sed vt Othonis exitus, vel exitium potiùs hic paucis innotescat; ipsum è Verona digressum, Romam venisse, ibidemque mœrore, & calamitatum, quibus tenebatur, tædio affectum, morboque correptum, vbi se ad mortem rapi vidit, piè se ad morti occurrendum parasse fertur. Diuitijs quippe larga manu, tum in pauperes, tũ in Ecclesias erogatis, Confessionem coram Pontifice, ac Presbyteris ad peccatorum veniam à Deo promerendam instituit, obtentaque eorundem ministerio indulgentia compunctus è vita migrauit, vt Ditmarus his verbis meminit: *Imperator* (inquit) *cùm Romam veniret, relicta Matre sua venerabili Papia Ciuitate grauiter infirmatus est, & vt extrema persensit adesse, omnem suam pecuniam partes diuidit in quatuor, vnam Ecclesijs, secundam pauperibus, tertiam dilectæ sorori Mathildæ, quartam suis Ministris, ac militibus. Factaque latialiter confessione coram Apostolico, atque Presbyteris, accepta ab eis optata remissione, septimo Idus Decembris ex hac luce subtractus est, terraque commendatus ad introitum Orientalis Paradisi domus S. Petri cunctis patet fidelibus.* Hæc ille.

Sigebertus in Othone.

Ditmarus chronic. lib. 3

Romam veniens graui morbo correptus publicè culpas fatetur, vt indulgẽtiã à Deo accipiat.

11. His verò Ditmarus de Othonis obitu narratis, quòd & ipse in suo Episcopatu Mesburgensi maximum ab eo detrimentum accepisset, eadem Ecclesia Episcopali honore orbata, sub finem acceptarum immemor iniurarum, pro ipso vota Deo supplex offert: *Equidem* (inquit) *fortis memor humanę, multumque indigens indulgentiæ, Cæli, Terręque Deum, & Dominum supplex afflagito, vt quidquid vnquam in mea peccauit Ecclesia, clemens remittat, pro beneficys autem centuplum largiatur, potestate immeritò mihi concessa indulgeo; te obnixè successorem postulans, vt huic veniam, nemini in vltimis denegandã semper ex corde tribuas.* Hic Ditmarus, qui pro Christianorum more, ac miro itẽ Christianæ dilectionis argumento omnem iniuriarum memoriam abolere cupiens, demortuo Imperatori bene precando illi propitium in primis Numen exorat.

Ditmarus vbi supra.

Damna Ecclesiæ sarciens probè saluti consulit, & vita fungitur.

12. Quapropter (vt susceptæ interim narrationis sermo recurrat) Ernestus Alemanniæ Dux Luitpoldi filius, probè vtiquè sciens, quantum Pœnitentiæ virtus decedentibus fiduciæ, ac emolumenti sit, repentino præuentus interitu mira de se Christianæ pietatis, ac Pœnitentiæ sub vitæ finem omni digna laude exempla præbuit. Enimuerò casu sagitta inter venandum emissa vulneratus, supremumque sibi vitæ lethali è vulnere diem instare præsentiens, suas coram omnibus fateri culpas; vt se ad intimum cordis, & contritionis dolorem excitaret, & Layco item homini aperire voluit, quamuis nulla re ipsa interueniret Sacramentalis Confessio, vt rem memoratu dignam Ditmarus his verbis narrat: *Hic* (inquit) *quia mortem sibi imminere perspexit, socios vocat, & vt reo parcerent, supplicat; Et quia hic tunc Presbyterum, cui sua confiteretur peccata, non habuit, vnum ex militibus huius vice propiùs accedere iussit. Quem cum adesse perspiceret, per eum vocauit alios;*

Baronius an. 1015. nu 4.

Ernestus Alemanniæ Dux sua lethaliter saucius peccata reuelare non erubescit.

Ditmarus lib. 7 vbi supr.

Quia Sacerdoti confiteri non potuit, suis commilitibus ob contritionis ardorem culpas fateri voluit.

Omnes (inquit) accedite, & commortalis vestri peccatoris facta aure cordis percipite, & qualiter curentur, vnanimiter succurrite, absentibusque cunctis fidelibus peccatricem meimet animam quaeso commendate, & vxorem meam, vt honorem suum seruet, & mei non obliuiscatur, admonete. Hæc dicens in quoscunque vnquam se aliquid deliquisse recordari potuit, cunctis præsentibus innotuit, & mox de hac luce XI. Kal. Iunij discessit; sepultus Vuirceburg iuxta Patrem suum Marchionem Ruitpoldum, vt ipse rogauit. Hæc Ditmarus. Quibus narratis rem piè ac laudabiliter gestam in Pœnitentiæ ipsius documentum, & ob certam salutis, quam cunctis moriens reliquit spem, his verbis concludit: *Hic iuuenis* (inquit) *vt spero, felicem habet animam, cui (sicut ipse viuens testatus est) plus placuit coram multis erubescere, quàm coram Omnipotente Deo latere*. Hæc Ditmarus in suis historiarum paginis de Viro Principe Pœnitentiam sub extremam vitæ horam agere vel cum magno sui dedecore nullatenus erubescente, quibus, coronidis instar, aurea, quæ Baronius in suis Annalibus præmemoratæ subtexit historiæ, verba apponenda hic sunt.

Ditmarus vbi supra.

Magna Salutis spes ipsi, quia maluit coram multis erubescere, quàm coram Deo latere.

Baronius vbi supra num. 4.

13. *Mirandum* (inquit) *planè exemplum contriti hominis corde, vt peccata suis cunctis propalare non veritus sit hominibus, cùm cui secretò confiteretur, Presbyterum non inueniret. Eiusmodi erubescentiam spontè pati hominem velle ob delictorum suorum Pœnitentiam, gratum esse Deo sacrificium, per quod ipse perpetrata delicta dimittat in commentario illo, qui inscribitur, Vitas Patrum, & alibi sunt exempla; cum tamen ne id fieri debeat, decreto S. Leonis fuisse vetitum suo loco superiùs dictum est*. Hæc Baronius, qui dignum sanè in Christiano Principe Pœnitentiæ exemplum, in suis Annalibus haud ingrato præterire silentio volens, cunctis planè mirandum proposuit. Sed quoniam de publica hìc Cõfessione mentio incidit consultò ad ea, quæ Theologi, scriptoresque aptè edisserunt pium, studiosumque Lectorem remittimus.

Quid de Cõfessione facta layco dicendum ex Baronio.

14. Præmemorato insuper Ludouicus Francorum Rex, cognomento Crassus, sociandus hìc est, quem etsi adhuc viuentem S. Bernardus Epistola ad Honorium Papam suis acriter verbis perstrinxit, quòd bellico furore percitus, in Religiosos aliquando Monachos furendo deliquerit, Pœnitentia tamen, qua munitus diem clausit extremum, ac Monasticum habitum induens, pietatis, ac Religionis item studio pius summoperè, ac laudandus extitit. Porrò laudabilem ipsius exitum, ac Pœnitentia illustrem Sugerius Abbas S. Dionysij, qui his omnibus oculatus testis adfuit, & tũ S. Bernardi, tũ etiam Petri Cluniacensis Abbatis dignis ob id elogijs commendatus, qui res ipsius gestas conscripsit, his verbis tradit: *Qui vt erat* (inquit) *in consilio prouidus, sibi ipsi consulens, & miseratus animæ suæ, Deo placens, frequenti Confessionis, & orationis sibi deuotione prouidebat; hoc vnũ toto animi affectu peroptãs apud SS. Martyres Protectores suos Dionysiũ, sociosque eius quomodocunque deferri (agrotabat diarretica) & antè sacratissima eorum corpora Regni, & coronæ depositione coronam pro corona, pro regalibus insignibus, & imperialibus ornamentis humiliter B. Benedicti habitum commutando, Monasticum Ordinem profiteri. Videant, qui Monastica paupertati derogant, quomodò non solùm Archiepiscopi, sed & ipsi Reges transitoriæ vitæ æternam præferentes, ad singularẽ Monastici Ordinis tutelam securissimè confugiunt*. Et infra post enarratas morbi, quas patientissimè ferebat, molestias isthæc: *Quærit* (inquit) *reiecto omni pudore ob reuerentiam diuinitatis, Hybernorum, et Scotorum, & Anglorum curam deuotissimè confiteri, & securissimo Dominici corporis, & sanguinis viatico exitum muniri. Cùm ipsum preparare festinant, Rex ipse inopinatè se leuans, & preparans vestitus cameram cunctis adiuuantibus obuiam Corpori Domini nostri Iesu Christi exit, deuotissimè assistit. Vt videntibus cunctis tam Clericis, quã Laycis Regem exuens, Regnum deponit, peccando Regnum administrasse confitetur, filium suum Ludouicũ annulo inuestit, &c. Vbi etiam aurum, & argentum, & vasa concupiscibilia, & pallia, & palliatas culcitras, & omne mobile, quod possidebat, & quo ei seruiebatur, Ecclesiis, & pauperibus egenis pro amore Dei distribuens, nec clamydibus, nec regijs indumentis vsque ad camisiam pepercit &c*. Deinde quam multis item in pios Ecclesiæ vsus destinatis, sic (vt Auctor tradit) rem conclusit: *His igitur* (inquit)

Baronius an. 1136. nu. 21

Ber. epist. 49

Sugerius Abbas in Ludouico Craso

Ludouicus Crassus Frãc Rex Pœnitentiç, & Confessionis laude præcipuus.

Quæ ægrotans pietatis, ac Pœnitẽtiæ argumẽta dedit, Regno se abdicans.

Sugerius vbi supra.

Sacramentali Confessione, & Christi Corpore sub vitæ finem deuotissime muniri vult.

Sugerius Abbas vbi supra.

quit) exoneratus, & Dei misericordia perfusus, humillimè flexis genibus ante sacratissimum Corpus, & Sanguinem Domini Nostri Iesu Christi, &c. in hanc oris, & cordis verè, & catholicè confessionis vocem, non tanquam illiteratus, sed tanquam Theologus literatissimus erumpit: Ego peccator Ludouicus confiteor vnum, & verum Deū, Patrem, et filium, et Spiritum Sanctum, vnam ex Sancta Trinitate personam, videlicet Vnigenitū, et consubstantialem, et coæternū Dei filiū de Sacratissima Maria Virgine incarnatum, passum, mortuum, et sepultum, etc. Hanc autem sacratissimi Corporis eius Eucharistiam, illud item credimus Corpus, quod assumptum est de Virgine, etc. Cùm autem cunctis admirantibus facta primum peccatorum Confessione, deuotissimè Corpori, et sanguini Iesu Christi communicasset, tanquam illicò conualescere incipiens ad Cameram redyt, omnique regalis superbię reiecta pompa, sola linea culcitra decubuit; Cùmquè eum de tanto tantillum, et de tam alto tam humilem humano more me deflere conspicaretur: Noli (inquit) amice charissime sic super me flere, quin potius exultando gaudere, quòd Dei misericordia prestitit me in eius occursum, sicut vidistis, preparasse. Mortem igitur opportunis pœnitentiæ lachrymis præueniens, ac monachali vestimento indutus, vt pœnitentiam signis vltrò patentibus coram astantibus testaretur, at se ad BB. Martyres Dionysium, & socios tumulandum deferri volens, facta iterum exomologesi diem subindè feliciter obijt, vt Sugerius hunc in modum tradit.

Conceptis Catholicam fidem verbis profitetur.

Baronius an. 1136.

Pœnitens ob veniæ gratiam non vult alios ob suum decessum flere.

Sugerius in Ludouico Crasso.

16. *Rex (inquit) Ludouicus Parisijs recidiua profluuy dysenteria cùm grauissimè fatigaretur, omninò deficiebat, qui nunquam super his improuidus, ac cito venerabili Parisiensi Episcopo Stephano (cui anteà fuerat aduersatus, vt ex S. Bernardi literis apparet) & Religioso S. Victoris Abbate Hilduino, cui familiarius cōfitebatur, eo quòd Monasterium à fundamentis construxerat, et Confessionem repetit, et exitum suum viatico Dominici Corporis muniri deuotissimè satagit. Cùmque se deferri ad Ecclesiam SS. Martyrum faceret, vt quod votum sępius spoponderat, humillimè persolueret: ęgritudinis anticipatus angustijs, quod opere non potuit, corde, et animo, et voluntate compleuit. Pręcipiens ergo tapetum terrę, et cineres tapeto in modum crucis deponi, ibidem manibus suorum depositus signo Sanctę Crucis presentiam sui muneris trigesimo, Regni administrationis, ętatis verò ferè sexagesimo anno, Kal. Augusti spiritum emisit, etc.* Pius itaque Rex sua humiliter peccata confessus, ac intimo cordis dolore compunctus, terræ, ac cineri incubans, Sacramentis Ecclesiæ pręmunitus in pace quieuit.

Sacramenta, lem Confessionem quā humiliter repetit, & viaticum sumit.

Baronius vbi supra an. 25.

Adhuc viuens ad Ecclesiam se deferri vult ibique cinere aspersus moritur.

16. Pari item humilitate Richardus Henrici II. Anglorum Regis filius, diuino afflatus spiritu, cum anteactæ vitæ culpas toto corde, necnon libidinum, quibus seipsum immanè fœdauerat, sordes pertæsus, execratusque fuisset dolens adeò amarulenter pœnituit, vt facinora sua coram Episcopis fateri non erubuerit, ac sic pœnitens, compunctusque vsque in finem perseuerans, vt Rogerius his verbis meminit: *Eodem (inquit) anno Richardus Rex Angliæ diuina inspirante gratia recordatus fœditatis vitæ suæ post Contritionem cordis, conuocatis in vnum in Cappella Reginaldi de Moyse vniuersis Archiepiscopis, & Episcopis suis, qui cum eo erant apud Messanam, nudus procedens ad pedes eorum, & vita sua fœditatem coram illis Deo confiteri non erubuit. Vepres enim libidinum excesserant caput illius, & non erat eradicans manus: sed Pater Misericordiarum Deus, qui non vult mortem peccatoris, sed vt conuertatur, & viuat, respexit eum oculis misericordia suæ, & dedit ei cor pœnitens, & ad Pœnitentiam vocauit. Ipse enim à prædictis Episcopis Pœnitentiam recepit, & ab illa hora deinceps factus est Vir timens Deum, & recedens à malo, & faciens bonum. O felicem illum, qui sic cadit, vt fortior resurgat. O felicem illum qui post Pœnitentiam non est relapsus in ruinam, & culpam.* Contriti itaque cordis illud planè Rex cūctis de se argumētum præbuit, quod nunquam posthac ad pristinas culparum, quas semel deposuerat, sordes redijt; sed in arrepto deuotæ mentis proposito in finem vsque stabilis persistit. Quin insuper si quando vt homo errasset, corrigi haud recusabat, adeoque S. Hugonem Lincolniensem Episcopum se grauiter obiurgantem, ac sua ipsi vltrò scelera, constanterque exprobrantem nactus, supplex ab eo veniam, seipsum agnoscens, & culpam cōfessus

Baronius an. 1190. nu 4.

Richardus Henrici II. Anglorum Regis filius mirificè compunctus ad Episcoporum pedes suas culpas accusat.

Rogerius in vit. S. Hugonis apud Surium 17. Nouembris.

Pœnitentia in Virum alterum mutatus.

fessus exorauit. Qua verò animi suffultus constantia, omnique metu superior pro suis Regem delictis Vir Dei corripiendo perstrinxerit, his apud Surium verbis traditur.

Sugerius ubi supra in vit. S. Hugonis

18. *Finita verò* (inquit) *Missa Hugo retrò Altare duxit Regem, vt eum maiori libertate reprehenderet. Cùmque sederent his blandimentis eum aggressus est: Dic quomodo se habeat conscientia tua? Parochia nostra es, & tremendo Iudici pro te rationem reddituri sumus; Cui Rex: satis (ait) bene mihi conscius sum, nisi quod inuidia quotidie torqueor contra hostes Regni mei. At Hugo rursum cum obiectione: Et quid est (inquit) quod audio? an non quotidie pauperes opprimis, innocentes affligis, exactiones graues imponere non formidas? Insuper & fidem thori te violasse fama clamitat. Num isthęc parua tibi videntur? Ad hanc vocem Episcopi, immò Spiritus Dei, qui loquebatur in eo, territus est Rex in tantùm, vt nec semel mutire ausus fuerit cōtra eum. Cùmque de his,& alijs multis prolixè obiurgasset eum, de quibusdam humiliter se excusauit: de alijs veniam postulans, emendationem promisit. Reddente etiam Episcopo legitimam rationem coram Rege, & omni frequentia, quòd cùm Pastor esset, in graamen ouium suarum consentire neutiquam debuerit; Rex libenter accepit, simul cum Deo gratias agens, si ab vlteriori reprehensione cessaret. Tandem Vir Dei Regi valedixit, & imperterritus ad propria remeare cœpit. Eo autem abeunte, Rex conuertens se ad suos: Si omnes (inquit) tales essent, nihil aduersus eos possent siue Reges, siue Principes: Dictus est propterea Vir Sanctus Regū malleus, quòd perpetuo de ipsis triumpharet. Fuit enim non minùs zelosus contra quoslibet alios pauperum oppressores, ecclesiasticæ libertatis violatores, quod indiscriminatim absque vlla personarum exceptione arguebat, admonebat, etsi contumaces persisterent, etiam excommunicationis sententia feriebat.* Quibus sanè satis, superq; pius, promptusque Regis ad suo parendum Pontifici animus, necnon ad pœnitendum facilis innotescit.

Ab Hugone Linconiensi Episcopo acriter pro suis culpis arguitur.

Compūctus veniam postulat, & emendationem promittit.

Hugonis in Rege redarguendo constantia.

Regum malleus dictus & cunctis admirationi.

Rainaldus an 1218. nu 39.

19. Huius quidem probè edoctus exemplo Philippus Comes Namurcensis, qui sæculari fretus potentia, & multarū vtpote sibi culparum conscius, cùm vitæ finis instaret, Pœnitentiæ operibus, ac lacrymis sua sibi redimenda peccata, ac optatam pro his à Deo, vt hinc securus abiret, veniam impetrandam intelligens miro planè, atque inaudito contriti cordis feruore succensus, compunctusque è vita decessit, cuius obitus in Ecclesiastici Annalium tabulis digno laudum pręconio describitur, ipsiusque Cæsarij hūc in modum verbis exponitur: *Ante hoc* (inquit) *triennium defunctus est Philippus Comes Namurcensis Vir potens, & nobilis, filius Balduini Comitis Flandriæ, antequā moreretur, tantam ei contulit Dominus in infirmitate Contritionem, vt talis Contritio non esset visa in aliquo homine nostris temporibus. Quatuor Abbatibus Ordinis nostri simul,& sæpè Confessionem suam facere consueuit in tantum se accusans, tantum plangens, vt omnes ad lacrymas prouocaret. Nec ei ista sufficiebant, quin laqueum collo suo injceret, rogaretque confessores suos, vt se traherent in plateam dicens: sicut canis vixi, dignum est, vt moriar, sicut canis. Filias fratris sui Balduini Comitis, qui factus fuerat Rex Græciæ, tradiderat Regi Frāciæ, cuius filiam duxerat vxorem: quidam dixerunt, quia vendiderit eas, de quo facto plurimum dolebat. Deportari se fecerat in pauperrimam domum Ciuitatis suæ, in qua pauper spiritu migrauit ad Dominū.* Hæc Cæsarius de Viro, qui suas seriò culpas recolens tam ingenti doloris sensu easdem Deo immortali compensare studuit, vt pœnitendo planè admirandus cunctis extiterit: Nam quæcunque mala admiserat, cunctis ad sui compunctionem, ruboremque palam fieri cupiens, defleuit, expiauitque, quod fecerat, & manifestis se peccatorem signis apud Christi Sacerdotes, quibus soluendi potestas aderat, vti reus proclamare non destitit, quo culparum solutus vinculis, tutus tandem è vita decederet. Quod & Dei aspirante gratia, vt exoptauerat, consequi postmodum meruit: Nam nedum suspiratam pœnitendo veniam obtinuit, sed & miraculorum insuper signis inter Pœnitentiæ lacrymas clarus extitit, vt his Cæsarius verbis prosequitur: *Volens autem* (inquit) *pius Dominus tantam eius remunerare Contritionem, miraculis eum glorificare dignatus est tanquam dilectum Confessorem: sepultus in Ecclesia S. Albani Martyris, in qua ipse instituerat Conuentum*

Cæsarius lib. 2. cap. 18.

Philippus Comes Namurcēsis patrata scelera mira donatus compūctione deflet.

Seipsum accusat confitendo coram quatuor Abbatibus, & tot lacrymis vt nunquam talis contritio sit visa.

In domo pauperum feliciter obiit.

Pœnitentiæ lacrymis expiatus miraculis insuper claret.

Cæsarius ubi supra.

nentum Canonicorum de suis iustis redditibus, eis stipendia adhuc sanus ordinans, tantis vsque hodiè signis corruscat, vt de remotis regionibus infirmi aduenientes ad eius tumbam, sanitatem recipiant, ipsamque terram circa sepulchrum effodientes, secum pro benedictione deportent. Hæc ille in tanti merito Viri, ac in Pœnitentiæ laudem, quibus velut sepulchralis tituli notis homini, qui totis animi præcordijs Pœnitentiam excoluit, visus est patentasse, adeò vt qui isthæc legit, vel vnius exemplo ad quascunque abolendas peccatorum sarcinas, Pœnitentiæ vim, viamque compendiariam ad Dei promerendā gratiam edifcat.

Infirmi ad sepulchrum accurrentes sanitatem recipiunt.

20. Demum Contritio infusa diuinitus mortalium cordi nedum innumera, simul, atque enormia, vel vno momento peccata abolet; sed immortali Deo vim faciens, ipsum denique potenter expugnat, vt appositò in rem præsentem exēplo his Marchantius verbis tradit: *Quidam* (inquit) *Lutheranus minister tempore Pontificatus Gregorij XIII. anno Iubilai 1575. Polonus natione, qui ministerium verbi apud Lutheranos viginti tribus annis obierat: in anno autem illius Iubilai quadam impulsus curiositate accinxit se Romano itineri, vt videret (inquiebat) Babylonem Romanam in hoc anno confusionis; sic enim vocabat Annum illum Sanctum. Habitu ergò peregrini venit Romam, & accessit ad Confraternitatem S. Trinitatis, vbi omnes peregrini excipiebantur, & alebantur. Huius confraternitatis Protector erat Ferdinādus dè Medicis Cardinalis, qui frequenter magno Nobilium comitatu illuc accedebat, & peregrinorum pedes lauabat. Contigit ergò, vt huic ministro illud humilitatis officiū exhiberet, quo non potuit nō cōmoueri interius, videns tam eminentis dignitatis, & nobilitatis Virum ad pedes suos tanta humilitate, & pietate abiectum. Interim vlteriùs curiosus, & subdolus explorator videt Gregorium Pontificem magno feruore Ecclesias visitantem, ingreditur et ipse, et considerat sepulchrum Apostolorum Petri, et Pauli, et admiratur tantam externarum nationum turbam illuc confluentem, vt vota sua cum lacrymis offerant. Percussus igitur luminis Diuini interiori quodam radio, et igneo Spiritus Sancti iaculo, aperit oculos, et in Cælum eos attollens, ad pedes Altaris se prosternens, subdolam curiositatem in sanctam mutat resolutionem. Cùm ergò in Sancta Cappella Pontificem orantem aduertisset, infert se turbæ, et quo poteſt modo, accessum sibi parat; illius pedibus se prosternit, amplectitur, osculatur, totus immadens lacrymis: nec vocem elicere poterat, solius cordis singultus, oculique lacrymantes loquebantur. Existimabat Pontifex esse aliquem è pœnitentibus, qui horrore criminis confusus, peccatum non auderet suum propalare; iubet ergo ingentem turbam secedere, vt eum semotis arbitris alloquatur. At ille vocem singultibus intercisam, prout potuit, attollens Nō opus ist (inquit) ò Pater Sācte turbā semoueri, offensā meā opto propalare, et pænitētia publica expiare. Viginti iam tribus annis minister fui Sathanę, nunc cupio Christi seruus esse, et Ecclesię eius humilis discipulus; et in eorum numerum transcribi supplicibus his lacrymis ob tuam obtestor Sanctitatem. Audit eum Pontifex, et pleniùs interrogat, et tandem ei collacrymans, et compatiens, benedictionem impartitur, negotiumque salutis eius duobus committit Cardinalibus. Confessione peracta, et sacra item Eucharistia maximo pietatis sensu percepta, visitans in maximo solis ardore loca Sancta, morbo corripitur, & ad Hospitale S. Spiritus defertur; vbi tribus post diebus mortuus est summa cum spiritus suauitate, & conscientiæ pace gratias agens Deo, quod post tanta pericula, & naufragia eum ad salutis portum nihil minùs cogitantem transuexisset. Re delata ad Pontificem, cui tunc aderant duo Capucini, oculos in Cęlum attollens, cœpit dicere cum Apostolo:* O altitudo *diuitiarum Sapientiæ, & Scientiæ Dei, quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius. Cùm tam multi peccatores, vt pænitentiam condignam agant, alij Monasterium, alij desertum petant; hic cùm esset tantus peccator, trium dierum spatio cum grandi sua Contritione, & veniam adeptus est, & Paradisum.* Huic profectò ob maximam, subitamque cordis, qua donatus est, compunctionem Sapientis illud meritò verbum occinit: *Facile est in oculis Dei subitò honestare pauperem.* Subitò etenim Diuini Spiritus illapsu, validoque mentis supremo impulsu, mira cōtritionis vi peccatorum multitudinem delendo mox expiatus feliciter Cœlum conscendit. Sed de his hactenus.

Iacobus Marchantius in horto Past. Candelabr. myst. trac. 5. de Indulgēt. pag. 693

Lutheranus minister verbis, an. 23. anno Iubilęi Vrbem veniens ad Christum conuertitur.

Summum Pontificem pedes peregrinorū lauantem conspicit.

Confluentiū pietate compungitur.

Compūctus ad Pontificis pedes lacrymis, ac singultibus suos publicè errores detestaturus accurrit.

Magno contritionis spiritu sacramentali confessione expiatur.

Ex intimo corde tribus dumtaxat diebus pœnitens cunctorum exēplo in hospitali domo diem feliciter claudit.

Eccles. c. 11. 23.

CAP.

CAPVT IV.

Imperatores, ac Reges Pœnitentiæ causa Regno, sceptrisque se abdicant.

1 PArua pro magnis,& quæ fluxa,ac momentanea itē sunt,pro ęternis dimittere, magnum profectò hominibus lucrum computandum est. Quod Christus in Euangelio, suoquè satis tum verbo, tum exemplo inter docendum exhibuit, cum suos ad exactæ,puriorisque vitæ normam, & Christianarum item virtutum apicem salubriter dictis adhortans: *Et omnis*(inquit) *qui reliquerit Patrem,aut Matrem,aut vxorem,aut filios,aut agros propter nomen meũ,centuplum accipiet, & vitã æternam possidebit.* Qui æterna igitur consequi in Cœlo pręmia præoptat, modica isthæc terrena, ac nullius momenti bona dimittere proculdubio non timeat; & qui Cœlum tandem lucrifacere intendit, terrenis interim exui haud detrectet. Quod quidem olim Moyses (vt sermo ab altiori principio deriuetur) cunctis exemplo futurus, prompto, libentiquè animo,& plus quàm regio pręstitit; dum inter lęta, ac prospera Mundi delatam sibi Aegyptiorum Regni spem à se procul abijciens, cuncta isthæc quasi nulla contempsit. Vt enim egregiè Apostolus meritorum ipsius prærogatiuam quoquo modo mortalibus adumbrando inculcat. *Moyses* (inquit) *grandis factus,negauit se esse filium filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum Populo Dei, quàm temporalis peccati habere iucunditatem, & maiores diuitias æstimans improperium Christi thesauro Aegyptiorum.* Grandis namque Mundi, magnarumquè rerũ apparentium contemptor, ac generosus in terrenis quibusuis proculcandis animus; non nisi ex certa præmiorum,vt optimè Apostolus subinfert, expectatione originario velut è fonte prodibat: *Aspiciebat enim* (inquit) *in remunerationem*. Adeò quippe condignum sibi præmium præstolanti, omnem terreni regni spem abscindere haud grande, haud graue, ac laboriosum, Chrysostomo teste, videbatur: *Cœle*(inquit)*proposito superuacaneum erat admirari Regiam Aegypti*. Ad quod Anselmus quoque Diuinorum vltrò,quæ Moysi seruabantur,promissorum magnitudinem curiosus vti explorator in trutina expendens: *Minùs credidit opibus Aegyptiorum, quia per id æternis locupletari credebat, si pro Christo contumelias, & opprobria sustineret*. Hoc siquidem nobilis animus,& generosus æquè, ac sapiens lucro illectus, *Idcircò*(vt idem ait)*elegit esse pauper, & despicabilis temporaliter apud homines, quia sursum cor habebat, & de æternis honoribus cogitabat*. Et meritò æterna cogitanti nil terrena sapiebant.

Math. cap. 19.

Ingens hominum lucrum parua in terris dimittere, & magna in Cœlo possidere.

Epist. ad Heb c. 11. 24.

Moyses Iudaici Populi Legislator, Aegyptiorũ Regni gloriã contemplit, vt Cœlo potiretur.

Ad heb. vbi supra v. 26.

Chrysost. hom. 26 in Epist. ad Hebræos.

Elegit prodè pauper esse in Mundo, vt diues apud Deum esset.

Anselmus in Epist. & vbi supra.

2. Id ipsum pari quidem, ac Moyses, animi studio ęmulati olim sunt pręcipui Christianos inter Principes recolendi,qui æternorum desiderio bonorum præuenti, nec non condignè ob peccatorum scelera compuncti, vt suis Deum pro culpis placarent, eumquè fidum sibi in futuræ retributione mercedis debitorem haberent, spontè, libenterquè sceptro se in terris abdicando, religiosę nomen vitæ dedere, extra Mundum quodãmodo mente, ac corpore fieri cupientes: *Quibus vipotè* (vt Apostolus ait) *dignus non erat Mundus*; quique in hoc interim sæculo nonnisi velut hospites fuerunt, vt suum vnusquisque eorum iuxtà Diuinam Euangelij normam sanctioris vitæ (vt Emissenus docet) meritum exprimeret: *Religiosus*(inquit)*neglector quietis, fugax voluptatis, appetitor laboris, patiens abiectionis, impatiens honoris, pauper in pecunia, diues in conscientia, humilis ad merita, superbus ad vitia*. Enimuerò qui dignam Deo immortali suis pro culpis pœnitentię mulctam exhibet, ac pro se omnimodis adhuc mortalis Deo facere satis contendit,ad religiosa hominum castra conuolans, ibi opportunè quæ vult,corpore procul,ac mẽte à sęculo factus valet explere, iuxta ipsam, quam Ambrosius aliquandò præscripsit,pœnitendi legem: *Renunciandum* (inquit) *sæculo est, somno ipsi minùs indulgendum, quàm natura postulat; interpellandus est gemitibus, interrumpendus est suspirijs, sequestrandus orationibus, viuendum est ità,vt vitali huic moriamur vsui, se ipsum sibi homo abneget, & totus mutetur, &c.* Quapropter aptè Christus: *Qui vult*(inquit)*venire post me abneget semetipsum,& tollat crucem suam,& sequa-*

Christiani Principes pro Dei Regno sponte terreno sceptro se abdicant.

In Epist. ad Hebræos cap. 16.

Eusebius Emissenus in serm.

Religiosorum hominũ prærogatiua excellens.

Ambrosius lib. 2. de pœnitentia.

Pœnitentiũ forma in Religiosæ vitæ sectatoribus ad viuũ elucet.

Mat. c. 16.

sequatur me. Hanc certè sublimem, rigidamquè pœnitendi formam pauci admodum in sæculo, & nonnisi qui Cœlo prædestinati electorum tandem albo sunt aggregandi; corde magno, & animo volenti amplectuntur; cùm alij vitam, vulgaremque Pœnitentium sectando semitam faciliori incedere via, ac humi repentes, Cœlum quoquo modo lucrari propositum sibi habeanr.

3. Qui verò propiùs ad Deum pertingere, & è cœno in salutis portum emergere cōtendentes sibi promissa Cœli prçmia expectant, hi proculdubio mandatorum Dei viam alacriter, ac expeditè percurrunt. Quemadmodum suos olim Bernardus Monachos fecisse testatur, quos sic alloquens: *Vos* (inquit) *tam felici facilitate, quàm facili felicitate viam istam non solùm itis; sed curritis, quia exonerati estis, & accincti nihil ponderis suprà dorsum portatis*. Sic igitur vnicuique beatis hisce hominū inhærendo vestigijs, vt palmam quis tandem apprehendat, ad æterna sibi iugiter currendum est. Haud enim gratis, nulloquè laboris impendio tot in virtutum stadio nos alacriter currendo præcessere: *Sciebant* quippe (vt Augustinus ait) *quòd vincula huius Mundi asperitatem habent veram, iucunditatem falsam, verum dolorem, incertam voluptatem, durum laborem, timidam quietem, rem plenam miseria, spem beatitudinis inanem*. Sed vt res opportunè adducendis Pœnitentium comprobetur exemplis.

Bernardus ser. de Quadragesima.

Monachorū Deo inseruientium feruor egregiè à D. Bernardo exponitur.

Augustin. Epist. 39. ad Sophiam.

Vita mundanorum hominum quæ sit ex Augustino.

4. Sebbi Orientalium Saxonum Rex miro deuotionis ardore succensus, assiduis precibus, eleemosynis, pijsque actibus intendens vitam in sęculo duxit. At dum relicto corporaliter sæculo ad Monasterium transire cupit, ac petenti coniux, exoptantiquè assensum denegat, ad triginta plane annos in sæculo religiosis moribus transegit; Sed morbo tandem correptus, se monastica veste indui exoptans, ad Antistitem Londoniam festinus currit, cui & ingentē auri summā ad Dei misericordiā impetrandū obtulit, qui & suæ diuinitus migrationis diem edoctus, morti qua maxima potuit pietate, deuotique animi affectu obuiandum curauit; sed isthæc, venerabili Beda narrante, excipiamus. *Eo* (inquit) *tempore praerat Regno Orientalium Saxonum (vt idem etiam libellus docet) Vir multùm Deo deuotus, nomine Sebbi, cuius supra meminimus; erat enim religiosos actibus, crebris precibus, pijs eleemosynarum fructibus plurimùm intentus vitam priuatam, & Monachicam cunctis diuitijs, & honoribus præferens, quam & olim iam, si non obstinatus coniugis animus diuortium negasset, relicto sęculo subijsset. Vnde & multis visum (vt sape dictū est) quia talis animi virum Episcopum magis, quàm Regem ordinari deceret. Cumquè annos triginta in Regno miles regni Cælestis exegisset, correptus corporis infirmitate permaxima, qua & mortuus est, admonuitquè coniugem; vt vel tunc Diuino se seruitio pariter manciparet, cùm amplius pariter Mundo seruire non posset. Quod dum ægrè impetrasset ab ea, venit ad Antistitem Londoniæ Ciuitatis, vocabulo Valdhere, qui Erconualdo successerat, & per eius benedictionem habitum religionis, quem diù desiderauerat, accepit. Attulit autem eidem & summam pecuniæ non paruam pauperibus erogandam, nil omnimodis sibi reseruans, sed pauper spiritu magis propter Regnum Cælorum manere desiderans. Qui cùm ingrauescente præfata ægritudine diem sibi mortis imminere sensisset, timere cæpit homo animi Regalis, ne ad mortem veniens, tanto affectus dolore aliquid indignum suę personę vel ore proferret, vel aliorum metu gereret membrorum. Vnde accito ad se præfatæ Vrbis Londoniæ, in qua tunc ipse manebat, Episcopo, rogauit; ne plures eo moriente, quàm ipse Episcopus, & duo sui Ministri adessent. Quod dum Episcopus libentissimè se facturum promitteret, non multò post idem Vir Dei, cùm membra sopori dedisset, vidit visionem consolatoriam, quæ omnem ei anxietatem memoratæ sollicitudinis auferret, insuper & qua die esset hanc vitam terminaturus, ostenderet*. Hęc ille.

Baronius an. 672. n. 9.

Sebbi Orientalium Saxonum Rex relicto sæculo ad monasterium transit.

Beda lib. 3. cap. 3. & lib. 4. cap. 11.

Adeo egregiæ virtutū dotes, vt magis quā Rex videretur.

Morienti sibi Londoniæ Episcopum vult adesse.

5. Verùm fausto desuper accepto migrationis nuncio, Diuinis quoque, dum de exitu trepidat, confirmari uisionibus meruit: Nam suauiter è vita se decessurum non multos post dies intelligens, lætus interim mortem, peramanterquè expectabat; at nouo subinde post mortem, dum eius iam tumulo esset inferendum cadauer, ac miro illustratus est visu, de quo Beda isthæc narrat: *Vidit enim* (vt post ipse referebat) *tres ad se Viros claro*

Beda vbi supra.

Coelesti visu releuatus mortis metu absoluitur

indutos habitu, quorum vnus residens ante lectulum eius, stantibus his, qui secum aduenerant, comitibus, & interrogantibus de statu eius, quem languentem visitare venerunt, dixit; quòd anima eius & sine vllo dolore, & cum magno lucis splendore esset egressura de corpore, sed et tertium exinde diem, quo esset moriturus, insinuauit. Quod ità vtrumque, vt ex visione didicit, completum est. Nam die dehinc tertio, completa hora nona, subitò quasi leniter obdormiens, sine vllo sensu doloris emisit spiritum. Cuius corpori tumulando præparauerunt sarcophagum lapideum, sed cum hic corpus imponere cœpissent, inuenerunt hoc mensura palmi longius esse sarcophago. Dolentes ergò lapidem, inquantum valebant, addiderunt longitudini sarcophagi quasi duorum mensuram digitorum, sed nec sic quidem corpus capiebat. Vnde facta est difficultas tumulandi; cogitabant autem altum quærere loculum, aut ipsum corpus, si possent, in genibus inflectendo breuiare, donec ipso loculo caperetur. Sed mira res, nec nisi cælitus facta, ne aliquid horum fieri deberet, prohibuit. Nam subitò adstante Episcopo, et filio Regis eiusdem, ac Monacho Sighardo, qui post illum cum fratre suo Fredo regnauit, et turba hominum non modica, inuentum est sarcophagum illud congruæ longitudinis ad mensuram corporis, adeò vt à parte capitis etiam ceruical posset interponi; à parte verò pedum mensura quatuor digitorum in sarcophago corpus excederet. Conditus est autem in Ecclesia B. Doctoris gentium, cuius edoctus monitis Cælestia sperare didicerat. Vir namque Apostolicus, ac Regio veraciter præditus animo, qui tot in sæculo annos, seipso, ac sæculo maior, Regali sub clamyde, ac sceptro, religiosi instar, Cœlo dignus vixerat, & Pœnitentium pariter Monachorum conditionem, ac vestem, regiam fastidiens tum sortem, tum purpuram inter se adeo concupierat, demum è sæculo ad Cœlum affectu pauper, & charitate dumtaxat præ omnibus diues euolauit, id vnum sibi decedenti solatium prouidens, quo magno fiduciam in Deum sub vitæ finem & in dies ampliorem spiritu conciperet, Regē videlicet cum sæculi pompis exuendi, & pauperem ob Christi amorem induendi Monachum, vel dum iam carne præmortuus ad Deum è terris abiret.

Se infra tres dies suauiter moriturum à supernis ciuibus audit.

Beda vbi supra.

Baronius vbi supra n. 9.

Miro portento sargophagus, qui corpus ipsius non capiebat, longitudini postmodū aptus reperitur.

6. Huic item Vuamba, seù Vuambanus Hispaniarum Rex, haud virtute impar accedit, qui Recensuintho successit, ac inuitus licet, nolensquè Regno suffectus, minis quoque ad capessendum Regni clauum compulsus, Pœnitentię addictus adeò fuit; vt Regno occasione oborta sponte se abdicans, Monachi veste indutus, in Monasterio laudabiliter totus Pœnitentiæ studio intentus, vitam finierit. Verùm Vir tantus ipsiusq; Dei nutu Regno administrando destinatus portentis manifestis è Cœlo præsignari meruit: Enimuerò dum Toleti in Regem solemni ritu de more inungitur, diuinum ostensum desuper portentum fausta illi cuncta præsagiendo, non absque omnium admiratione affulsit; vt Tudensis hunc in modum tradit: *Hic Toleti (inquit) clarissimus de Regali Gothico Sanguine ortus est, quem dignè principari Dominus voluit, quem Sacra vnctio decoraret: quem Rege mortuo, totius gentis, et Patrię communio elegit, quem populorum amabilitas exquisiuit, qui ante regni fastigia multorum relationibus præconio celebrabatur, et prædicabatur, antequam regnaret. Dum decedentis Recensuinthi Regis morti exequiale funus solueret, inter ipsa lamenta in vnam omnes concordiam versi, vno affectu pariter prouocati, illum se desiderio habere Principem clamant: illum, nec alium posse esse Principem vnitis vocibus insonant, et cateruatim eius pedibus obuoluti, nostri regimen Regni suscipiat, instant, cum lacrymis postulantes. At ille, quem mirificè fortitudo firmauerat, nec lacrymis cedit, nec precibus vincitur, nec voto flectitur populorum, modò se non suffecturum tot ruinis imminentibus clamans, modò serio confectum se esse pronuncians: Tam acriter reluctanti vnus ex officio Ducum audacter in medium prosilijt, et irato contrà eum vultu, educto gladio, prospiciens dixit: Nisi consensurum te nobis promittas, gladij huius mucrone modò cruentandum te scias nece: Hic tamdiù sumus, quamdiù aut expectatio nostra te Regem accipiat, aut contradictorem cruentus hic hodiè casus mortis absorbeat. Quorum tam precibus superatus, quàm minis tandem cessit, Regnumque suscipiens, ad suam omnes pacem recepit.* Hæc scriptor dum hominem adeo obluctantem, administrandi tandem Regni prouinciā vi adhibita sumere coactum, seruidaquè

Baronius an. 680 n.

Vuamba, siue Vuambanus Hispaniarum Rex inuitus, ac nolēs regno pręficitur.

Baronius an 372. n. 15.

Tudensis vbi supr.

Regno dignus cunctorū præconio prius quam Rex salutaretur.

Delatum sibi sceptrū humiliter respuit, se haud tanto aptum muneri affirmans.

daquè ergà ipsum Populi studia recenset; de quo illud iure merito dici posse videtur, quòd *Regum* (quod tamen ducti plerique ambitione faciunt) *Haud quæsiuit, sed sibi oblatum constantissimè recusauit, immò vim passus est, vt illud exoratus reciperet*. Ità plane sceptri contemptor, sceptro dignissimus extitit.

Educto mi-les gladio ipsi necem minatur ni eligentibus consentiat.

Tudensis vbi supra.

7. Pius itaque Rex Regios, ac planè dignos honoris culmine vnà cum Sacra vnctione mores, ac spiritum ebibens, cùm nonnulli in Hispanijs tyranni publicam rem perturbantes tunc temporis emersissent, Iustitiæ in primis clypeo suo sub vexillo pugnantes fortiter, constanterque ad bellum munire studuit. Quamobrem valido comparato exercitu, in ipso belli procinctu milites, quos adulteria perpetrasse sciebat, belli à vindicando auspicatus initia, Iustitiæ gladiū exerens, reos criminis virilibus amputatis mulctari iussit, illam tanto se dignam Principe ore sententiam insonans: *Ecce iam* (inquit) *iudicium imminet belli, et licet fornicari, vt Deus ad iracundiam prouocetur?* Et post alia, hæc item (vt Baronius tradit) hæc, inquam, perenni posterorum consignanda memoriæ verba subdidit: *Frustra* (inquit) *pergis ab bellum, quem iniquitatis comitatur exemplum*. Qui verò iustus æque, ac pius, sceleribus primum bellatorum purgauit exercitum, Angelos sibi è Cœlo missos & commilitones futuros in prælio sortitus est, vt Auctor omni fide dignus ipsius vallatum Angelis visum aliquando exercitum affirmat, cuius hæc sunt verba: *Manifestè* (inquit) *diuina protectio adfuit; quod cœlestibus indicijs patuit euidenter: Visus est enim Angelorū excubijs protectus noster exercitus, et per ipsos Angelos super castra corusca velitatione protectionis suæ signa protendere.* Quod & euentus postmodum, re feliciter gesta comprobauit, dum difficile aduersus binos validissimos tyrannos prælium, Vasconum, Francorumquè auxiliari ope munitos, munitissimosquè Ciuitatum propugnaculis tutos, breui temporis spatio feliciter confecit. Quin & nobilem de Paulo tyranno, Dei fretus auxilio, tryūphum retulit; Hostis quippe Toletum catenis vinctus Rege inspectante adductus, condignis vnà cum socijs affectus est pœnis: Infelix namque decaluato ca-

Scelera prius puniēda, quā arripienda in hostes arma exemplo docuit.

Baronius an. 674 n. 3.

Baronius vbi supra n. 3.

Pius Rex sua Angelorum præsidio, castra vallari, ac defendi e Cœlo obtinuit.

pite, rasa barba (quod apud Gothos erat infamis notæ supplicium) nudis pedibus, sordidisquè indutus vestibus, camelo super impositus, & corona ex corio compacta ornatus, scurrilem in modum processit, ac post eum omnes subinde rebelles, qui sancitum legibus in tyrannos nouissimi supplicium subiere.

Baronius vbi supra n. 5.

8. Porrò Rex accepti beneficij memor Deo se (vt par est) gratum exhibens, Sacra vasa, aliaquè id genus ornamenta, quæ sublata ab hostibus comperit, vnà cum alijs manubrijs ex eorundem manibus vindicata Ecclesijs quam primùm reddi præcepit, aliaquè insuper recolenda, ac suæ digna pietatis monimenta adiunxit. Verùm cùm palma potitus in rei memoriam triumphalis instar fornicis ædificia Toletanis Ciuibus, ipsorumq; commodo vtilia construenda curasset, noua Ciuitatis erigens mœnia, in nonnullis eorū turribus eiuscemodi inscribi, ac incidi carmina voluit.

Victoriæ palma ex tyrāno potitus hostiles Deo exuuias consecrat.

Erexit fautore Deo Rex inclytus Vrbem

V uambasua celebrem protendens gentis honorem.

Et hæc omni digna laude religiosus apprime Princeps Christianæ pietatis monimenta reliquit. Pijssimus verò Rex, virtute clarus totquè Dei beneficio palmis, prosperis item rebus auctus, nobiliorem profectò de contempto vnà cum pompis sæculo meditatus tryumphum, postquam annos octo, & mensem regnasset, Regno se sponte abdicans, Monasticum amplexus est Institutum; in cuius locum Eruigius suffectus fuit, vt Lucas Tudensis his verbis tradit: *Quia* (inquit) *malignitatis Auctor per bonorum discordiam semper tēdit: tempore bon: mem: Cinduasuindi Regis ex Græcia venit Vir quidam nomine Ardabastus Græcorum genere nobilis, qui ab Imperatore suo expulsus in Hispaniā est, quem Recensuinthus Rex magnificè suscepit, et ei in coniugium Consobrinam suam dedit, ex quo coniugio natus est ei filius Eruigius. Qui cùm esset in Palatio Regio nutritus, et honore Comitis sublimatus, elatus superbia, callidè aduersus Regem Bambanem excogitauit, et potionem lethiferam dedit ei, ex qua Rex officium memoria perdidit. Cùmque Ciuitatis Episcopus, et Optimates Palatij, qui erant fideles Regis,* quos

Baronius vbi supra.

Lucas Tudensis.

Baronius an. 680. n. 56.

Rex non minus sui, quā aliorum victor Monachus fit, & de Mundi fastu tryumphat.

quos potionis causa latebat, vidissent Regem iacentem absque memoria, & causa pietatis commoti, pœnitentiam volentes illi perficere, vnctionem Sancti Olei, communionem Christi Corporis obtulerunt. Sed factum est, vt Rex à potione liberatus, cùm præsensisset, quòd illi extremę vnctionis Episcopus peregerit Sacramentum, ad Monasterium perrexit, ibiquè in Christiana religione permansit. Porrò ex his, quæ de susceptæ à Vuamba Rege pœnitentiæ ritu narrantur, ipsum videlicet monastico indutum habitu, & consueto Religiosorum more in Monasticę professionis signum tousura initiatum, eam tunc potisimùm in Hispaniarum Ecclesijs consuetudinem viguisse ex certo quodam editocanone constat, vt graui nimirum ægritudine vrgente, cum quis (vt Baronius tradit) se proximè moriturum putaret, id pœnitentiæ genus sibi salubriter peteret: quam & si aliquando extrà sensum constitutus ab Antistite collatam accepisset, haud ipsi vlteriùs ad sęculum redire integrum foret, sed susceptis inhærendo Institutis, vnà cum habitu permanere Monachus tenebatur; etiãsi pœnitentiã eiusmodi minimè petijsset, vel certè iniunctam nesciēs accepisset: Et licet Sacerdos ille graui dignus pœnitentia censeretur, qui hanc vel non petenti, vel certo saltem aliquo id se cupere signo affirmanti, contulisset. Quemadmodu m Vuambæ Regi in rē præsentē contigisse liquet, qui cum ea potione sensibus iam omninò orbatus, & iam iam moriturus crederetur, eiusmodi est ab Episcopo pœnitentia initiatus.

Abdicandi à se Regni occasio.

Antiqua in Hispaniarū Ecclesijs cõsuetudo, vt tonsura monachus designetur.

Baronius vbi supra n. 56.

9. Vuamba igitur vbi suis redditus sensibus, se repente Monachum ex Rege factum comperit, occasione eiusmodi opportune, sapienterque vsus (quod summæ pietatis in homine indicium fuit) sic collatum sibi monasticum nunquam amplius dimittere habitum; sed eo ad vitæ finem vsque intra claustrum retento, suo successorē scripto cõfirmans, ipse non nisi Monachus esse, ac talis agnosci voluit. Quo sanè laudabili arrepto semel vitę instituto dignus Mundi contemptor, vsque ad obitum annos septem, ac tres insuper menses perstitisse fertur. In quo illud admiratione dignum contigit, *Vt Vuamba Dei iudicio in Regem* (vt Baronius ait) *assumptus, hominis fraude, magis verò sua religione se Regno abdicauerit: cuius sicut in electione, et Regni administratione laudatur sapientia, et fortitudo; ità in abdicando summæ specimen edidit pietatis, magis diligens Regno cedere, quàm collatum per imaginem nescienti sibi monasticum habitum exuere, spontè scripto significans (quod synodalia acta testantur) quem vellet sibi succedere Regem, iniuriæ immemor, Regni magis paci consulens, quàm quidquam affectui priuato concedens.* Hęc sunt, quæ de Vuamba inter Hispaniarum Reges pietate conspicuo, ac spontè se Regno pœnitendi causa abdicante, vt intrà Monachorum septa iam ex Rege Monachum ageret, ac sancto demum fine vita perfuncto hìc narrasse voluimus.

Vuamba Deo altius inseruiendi cupidus, vti inuitus Regnum susceperat, sic sponte, ac volens postea dimisit.

Baronius vbi supra n. 57.

10. Nec verò regalis sceptri contemptu pręlaudatis tot Regibus minor extitit Edelredus Merciorum Rex; qui cùm suis præfisus armis, ac militari fretus potentia, multa strenuè, fortiterquè, ac se digna in bello præstitisset, & aduersus Ebfridum armis insurgens multa hostili more bellando damna intulisset: postmodum Beato Theodoro Archiepiscopo adhortante, cum hoste pacem inijt, ac demum cùm vnum, & triginta annos Regno præfuisset, multaquè armis in sæculo se grauiter deliquisse non ignoraret, in se reuersus, ad Claustrum Regalibus abiectis infulis profugit, pro suis ibidem culpis satis Deo facturus; vbi austeriori disciplinæ se totum deuouens, bonisquè excultus operibus, diem tandem magnæ salutis roboratus spe clausit, vt ex rebus piè eiusdem gestis conijcere fas est. Porrò miram in contemnendo sæculo, abdicandisq, a se regalibus sceptris Principis constantiam, vti rem posterorum memoria recolendã iugiter, in suis Beda historiarum paginis sic planè tradit: *Hoc eodem* (inquit) *anno septingentesimo quarto Edelredus postquam triginta, & vnum annos genti Merciorum præfuit, Monachus factus Conredo Regnum dedit.* Hæc Beda in epitome tradit.

Baronius an. 704. n. 4.

Edelredus Merciorum Rex regni cõtemptu clarus.

Post bella cū hostibus R ex culpis obnoxius ad Monasterium cū Deo pacem inire cupiēs conuolat.

Beda lib. 15. cap. 14.

11. Ad Pœnitentium itaque Virorum castra Rex multum se aliquando, & per summum nefas peccasse conscius, vt cuncta, quæ pridem admiserat, pœnitendo compensaret, conuolans pœnis se ipsum vltrò, libensquè, aliorum Regum inhærendo exemplis, deuouit. Par autem est,

vt

vt hic coronidis instar ipsius Baronij verba subtexantur; *Ita planè* (inquit) *primitiue illius Ecclesia Anglicanæ fuit ergà sacram religionem vigens, ferrensque cultus, vt ob frequentiam Deo philosophantium Monachorum fuerit insula referta vndique Monasterijs, in quibus et Reges ipsi, qui fuerant Leones in prælio, mox in sacris septis, cœlestibus caulis inclusi redderentur Agni mitissimi. Fauebat planè Dominus coalescenti tunc Ecclesiæ Anglicanæ, vt omnibus eam charismatibus reddiderit affluentem in virtutum, et signorum præsertim ostensione; quibus quisque licet inuitus trahi posse videretur ad Mundi contemptum.* Hæc Baronius in Edelredi se Regno ob Christi amorem, & Pœnitentiæ causa sponte abdicantis laudem. Verùm Edelredus cuncta, quæ perperam fecerat, ac damna, quæ intulerat, seriò secum reuoluens; vt dignum Deo obsequium pro illatis contumelijs exolueret, cum Vlfridus Eboracensis Episcopus sanctitate conspicuus è sua exturbatus Ecclesia exularet, ipsum Apostolicæ Sedis auctoritate insontem pronunciatum, Pontificię Sedi restituendum curauit. Quamobrem ipse tunc Abbatem in Monasterio agens, Conredo, cui Regnum administrandum reliquerat, ad se accito; Episcopum ab eo vltrò in gratiam recipi, ac suo reddi throno voluit, vt idem Beda de Vlfrido Roma post morbi languorem in Gallijs superatum, in oras patrias remeante his verbis tradit: *Conualuit* (inquit) *Episcopus cunctis gaudentibus, et Deo gratias agentibus, cœptoquè itinere; in Britanniam venit. Lectis autem epistolis, quas ab Apostolico Papa aduexerat, Bertuualdus Archiepiscopus, et Edilredus quondam Rex, tunc autem Abbas libentissimè fauerunt. Qui videlicet Edilredus accitum ad se Conredum, quem pro se Regem fecerat, amicum Episcopo fieri petijt, et impetrauit: sed Aldfridus Norhanhumbrorum Rex eum suscipere contempsit, nec longo tempore superfuit.* Hæc Beda, quibus satis Lectori compertum sit Edelredum totis animi neruis pro Vilfrido in suum ab exilio thronum vindicando contendisse, ac bonis tandem operibus è Monasterio, cui se Pœnitentię causa deuouerat, cumulatum vitam feliciter, vt mores repromiserant, & credere par est, clausisse; & hæc de ipso satis.

Baronius an. 704. n. 4.

In Anglia cultus religiosus maxime viguit, vbi plura monasteria ab ipsis Regibus extructa numerabantur.

Vlfridus Eboracensis Episcopus Edelredi opera pontificiæ Sedi restituitur.

Beda lib. 5. cap. 20.

12. Elesban quoque AEthyopum Rex Christianissimus, bellocum Dunaan impio Homeritarum Rege, ac Hebræo insuper tyranno conflicturus, pijsque precibus magis, quàm armis præfidens Ecclesiam priùs adijt, quàm in arenam descendit, quibus suffultus prӕsidijs alacriter bellũ auspicatus est; vt Auctor in B. Arethæ gestis apud Surium his verbis: *Non latebat* (inquit) *nec priùs quidem Aethiopum Regem ea, quę facta fuerant; sed tempore anni prohibente (erat enim hyems) vel inuitus quieuit. Itaquè cùm validum collegisset exercitum, tum ex suis, tum ex auxilijs vsque ad centum viginti millia; naues autem Indicas septuaginta in ipsa hyeme construxisset, quin etiam ex negotiatoribus Persis, & Aethyopibus, qui illuc venerant mercaturæ gratia, naues alias collegisset ad septuaginta, &c. & omnia parasset, veris initio mouet exercitum, armisquè, & equis, & alio apparatu properabat, &c.* Et post multa de Regis Aethiopum pietate hæc subtexit: *Rex autem cùm iam esset nauigaturus, venit in Templum, &c. & ingressus est in priuato habitu: stans autem ex aduerso Aræ, cùm Deum multùm orasset, & facta ab ipso in Aegypto miracula, atque in ipsa solitudine pro Hebrais in memoriam reuocasset: Illi (dicebat) fuerunt ingrati in te benefactorem, neque illi solùm; sed ij etiam, qui ex eis nati sunt, &c. Quod si nostra peccata merentur, sed nè tu nos tradas illorum manibus. Quod autem ipse volueris, hoc excepto, nobis impone supplicium, ne fortè dicatur: Vbinam est ipsorum Christus, propter quem gloriantur, & Crux eius? Hæc cùm precatus esset cum lacrymis egreditur de templo, & è Ciuitate, &c.* Hæc Auctor, aliaquè de belli ipsius apparatu, & mira Regis inter bellandum pietate prosequitur.

13. At nobili Rex subinde diuinitus palma potitus, vt debitas, dignasquè Deo grates persolueret, ac ipsi acceptam victoriæ coronam deferret, se Pœnitentiæ causa Regno abdicans monasticæ vitæ Instituta amplexus, cilicio indutus in Monasterio toto vitæ tempore se ipsum includit, vbi sancto fine quieuit, vt Auctor, qui supra his verbis: *Deo autem* (ait) *agens gratias pro tanta victoria, volensquè seipsum dignum reddere maioribus, cùm diadema quidem regium misisset Hierosolymam,* ipse

Baronius an. 523. n. 17. 18.

Agathias lib. 2. de bello Persic.

Elesban Aethyopum Rex pugnaturus Ecclesiam prius adit, quam armis manum admoueat.

Pia Regis ad Deum precatio, & Iusta beneficiorum memoria.

Victoriæ palma potitus cilicio, & sacco indutus Regno se Pœnitentiæ causa abdicat.

Auctor vitæ S. Aretæ apud Surium vbi supr.

ipse indutus cilicio, & noctu egressus è Regia, & ipsa Ciuitate, ascendit ad vnum montem, ad Monasterium Virorum, qui exercebantur; & cùm se in exigua clausisset domuncula, & voluisset illinc non egredi toto tempore vitæ suæ regulam suscepit monasticam, ex eis (quæ sunt Mundi) nihil possident, nisi solam stoream & poculum ad aquam bibendam, & pauco pane, & aqua viuens, & oleribus viridibus, si quis offerret, & mentem erectam, nisi ad soli Deo vacandum. Denique cùm diu sic se exercuisset, sic etiam è vita excedit, &c. Post reuecta igitur Rex maximè pius tam nobilis victoriæ lucra, se, suaquè nobilis instar trophæi Deo immortali vouens, contemptis, reiectisquè sæculi pompis, necnō blanditijs diuitijsq; paupertati postpositis, humilitati perpetuò addictus, iugiq; magis abstinentia saginatus, quàm corpore maceratus, Pœnitentiæ operibus, ac meritis feliciter sub Pœnitentiæ vexillo viuendi finem fecit. In quo illud Sapientis oraculum affulsit: *Melior est* (inquit) *patiens viro forti, & qui dominatur animo suo, expugnatore vrbium.* Et hæc de ipso se sceptris abdicante.

Austeriore vita perfunctus ad Cœli præmia euocatur.

Eccles. 7. 4.

14. Atqui mulieres etiam (vt ad has sermo recurrat) pari quoque in hoc se dignas laude præstitere, quarum in primis Agnes Augusta, Henrici II. Imperatoris Mater, cùm Cadaloo Pseudo pontifici inaugurando per scelus fauisset, suum facti postmodum pœnitens errorem agnouit, & Romam ad Apostolorum limina illic perpetuò pœnitentis ad instar mansura se contulit. Itaque Regia mulier varijs sinistrarum rerum procellis, & calamitatibus exagitata, aduersisque edocta, sapienter adeò vitam instituit; vt se totam subinde Diuino manciparet obsequio: *Quod didicisset* (inquit Baronius) *illud esse verè regnare, cum Dei seruituti se, ipsi inhærendo, spontaneè subiugaret, illud propheticum mente retinens: Pars mea Dominus dixit anima mea, propterea expectabo eum. Verùm eius peregrinationis, & mansionis in Vrbe illa asseritur certa causa; quòd cùm eadem Augusta nefariæ Cadaloi promotioni fauisset, pœnitens facti peccatum ingens ingenti satisfactione voluit redemisse.* De ipsa enim hęc habet Beatus Presbyter Pœnitentiarius in B. Anselmi Lucensis Episcopi rebus gestis: *Huic nefariæ* (inquit) *præsumptioni Cadaloi Mater ipsius Agnes Imperatrix interfuit, quæ Sancti Spiritus illustratione compuncta, apud ipsum Papam Alexandrum confessionem postmodù fecit, pœnitentiam accepit. Huic præ cæteris iniunctum est, quatenus Romæ moraretur, ibique Sancto Petro vigilijs, orationibus, & ieiunijs satisfaceret, ac prodesset Ecclesiæ.* Hæc ille. Quæ quidem ab ipsa cumulatissimè præstita, quæ infra dicentur, satis per se docent. De ipsa verò cunctis sæculi rebus se abdicante extant S. Alphani Archiepiscopi Salernitani, huius temporis Auctoris, hi duo versus in prece metrica.

Baronius an. 1062 n. 88.

Agnes Augusta Hérici II. Imp Mater Romam veniens pœnitentiæ se ipsam deuouet.

In gestis S. Anselmi Lucensis apud Surium.

Quia Cadaloo Antipapæ adhæsit, diu ieiunijs, vigilijs, & precibus pœnitendo vitam transigit.

> *Deprecor, Agnetis Regina fac memor vt sis,*
> *Quæ Regum Regi, sequè, suumquè dedit.*

15. Sed quæ Baronius in rem præsentem subtexit, consultò repetenda hìc sunt: *Sic igitur* (inquit) *mentis firmato consilio, stabilitoquè de sęculi huius abdicatione proposito, festinè in Vrbem aduolat; vbi offerat Piscatori, quod acceperat Imperium à Piscatore, receptura cum fœnore à Christo cælestia Regna permansura perpetuò;* Hæc Baronius, qui isthæc profectò à Lamberto hausit; hęc enim ille: *Nec multò post* (inquit) *tædium passa ęrumnarum sæculi, domesticis quoque erudita calamitatibus, quàm citò, & velociter exsufflante Spiritu Dei exsiccetur fænum temporalis gloriæ, cogitauit sæculo renunciare; statimquè ad explendum, quod cogitauerat, pręceps abysset, nisi in ea impetū spiritus amici maturioribus consilijs inhibuissent.* Hæc ille. Sigebertus verò de pio Augustæ Romam ad sacra Apostolorum limina proficiscentis studio sic habet: *Imperatrix* (inquit) *necessitatem vertens in voluntatem, vt obstrueret os loquentium de se iniqua, non solùm honore Regni; sed etiam honore sęculi reiecto, Romam ad limina Apostolorum se contulit, ibiquè vsq; ad finem vitæ omnibus bonis exemplo, & miraculo fuit.* Sed quàm nobile Agnes de se cunctis cupida pœnitentiæ sectatrix præbuerit exemplum, sua tum vita, tum moribus, & ore, simul ac facto Pœnitentiam exhibens, ac minutiora quæque peccata Sacramentali Confessione sollicitè, atque humiliter diluens; perpetui instar monimenti, Petrus Damiani Ostiensis Episcopus, qui eiusdem Con-

Baronius vbi supra.

Sæculo se abdicat, vt Deo dignè inseruiat.

Lambertus in vita S. Anselmi. vbi supra. Sigebertus in Agnete.

Romæ omnibus bonis exemplo, & miraculo fuit ex Sigeberto.

Confessionem excepit, his planè verbis testatur.

16. *Scuto bonę voluntatis Dei coronata Agneti Imperatrici Petrus peccator Monachus seruitutem, &c.* Porrò Augustæ fœminæ primùm aduenientis pompam, eiusque regium tunc in Vrbem intrantis apparatum, miris Pœnitentiæ operibus excultum sic idem Damianus describit: *Venisti* (inquit) *non vt illa Sabæorum curribus, & equitibus, & elephantis, sed in lacrymis potiùs, gemitibus, & lamentis, &c. Venisti humilis ad humilem, pauper ad pauperem, idest ad Christum, &c.* Sed quo mulier habitu in Vrbem pedem intulit, cunctis vndique Pœnitentiæ exemplum existens, sic idem prosequitur: *Vestis* (inquit) *pulla, is, cui insidebas, non dicam, equus, sed potiùs burdo, vel burricus, vix mensuram desidis excedebat aselli. Mutaueras enim coronam velo, purpuram sacco, & manus quæ in modum columnę gestauerant sceptrum, attrita iam erat portare psalterii. Reuera quia omnis gloria filiæ Regis ab intus: Vernantium decor ille gemmarum, & coruscantium auro vestium cultus iam ad interiora migrauerat, &c. Delicatam porrò ceruicem illam, ex qua cum bracteolis aureis, & rutilantibus margaritis dudum murena pendebat, nunc margo laneæ vestis exasperat.* Hæc, aliaquè Petrus, dum Regiam haud obscuris Pœnitentium infulis fœminam & plusquàm gemmatis auri monilibus fulgentem mortalium exhibet oculis contemplandam. Sed munificam ipsius in diuitijs Ecclesiæ, & pauperum subsidio profundendis manum sic aptè prosequitur.

Petr. Damiani Epist. ad Agnetem Augustam.

Petr. Dami. vbi supra.

Pœnitentia in morem fœminæ Vrbem intrantis pompa.

Quanta fœminæ è sublimi throno ad humilem statum infimum gradû mutatio.

17. *Tu contrà* (inquit) *vt nuptialia cum cælesti sponso fœdera contrahas, regalis ærarij congeriem prodigis, radiantia quoque cum auro, vel argento Margarita dispergis, aulea tua blattina, vel potiùs deaurata Templorum laquearibus appenduntur, ornamenta regalia sacris famulantur Altaribus. Nullis* (vt ita fatear) *parcitur rebus, & hoc solum indigentibus, et Ecclesijs confertur, quod extrà tui iuris peculium reperitur. Cuncta proijcis, cuncta dilapidas, vt ad sponsi cælestis amplexus exonerata prorsus, immò nuda peruenias. Hęc autem non propter te, venerabilis Imperatrix edissero, quam et his verbis potiùs offendere pertimesco; sed ob id potiùs, vt dum tuæ virtutis insigne vtcunque depromitur, non parua legentibus ædificatio procuretur. Vbi enim tanta sublimitas pro sui Creatoris amore ad pauimentum vsque deijcitur, quæ ceruix superbiæ protinus à sui rigoris tentigine non flectatur? quæ tumidæ cuiuslibet mentis inflatio prastò non folleat, cum tantæ gloria Principem nunc velut despicabile mancipium cernat? quis preterea rerum transeuntium pertimescat inopiam, cùm spontaneam videat in ea muliere pauperiem, quam tot vtique Regnis paulò ante aspexerat imperantem? Aut quis inculti habitus iniuriam perhorrescat, cum aureo subtegmini, et regalibus pompis à regia Maiestate vile flamen prælatum esse consideraт?* Quibus hęc item Petrus in ipsius laudem subtexit.

Petr. Dami. vbi supra.

Munifica in elargiendo sua Christi pauperibus manus.

Ingens cunctis ad virtutes secandas in regia fœmina documentum.

18. *Veniam* (ait) *ad mensam, et ad familicam (vt ita loquar) epularum affluentium vbertatem. Quale rogo est congestam ante te struem lancium, et renidentium carnium epulas per mensas circumquàque transmittere, et carnium nec ipsam quidem pinguedinem degustare, contrectare manibus dapes, et eas in ore non ponere? immò ipsum panem, vel qualibet incultioris apparatus edulia cum timore summotenus ligurire? Vnde mihi sæpe conquesta es, eatenus non posse cohibere te ab edendi prurigine, vt ex his, quæ apposita cerneres, non aliquid tibi quomodolibet immoderatiùs indulgeres: hinc sæpius lacrymæ, hinc gemitus, hinc suspiria, etc. Sed sicut ex tunc fortè non tacui: Ieiunium Regina tuum multiplex est. Nos enim aliquando ieiunamus à cibis, sed tu ieiunas à purpura, ieiunas à corona, atque à quotquot magnificis imperialis glorię pompis.* Ingentem verò deuoti, contritique cordis feruorem, qui in regia fęmina lacrymis, ac singultibus affulsit idem Petrus sic mirabundus inculcans: *Vtinam* (inquit) *à quibusdam homicidis, et diuersorum criminum reis illi gemitus, illi fletus in Confessione prorumperent; Sic tabescentis, ac acerrimo dolore transfixæ mentis spiritus fremeret, sic malè sibi conscia pectora singultirent, sicut illic plangebatur, vel inanium phantasmata cogitationum, vel quarumlibet puerilium ineptiæ leuitatum.* Hoc prouocentur exemplo, qui ad veneranda Sanctorum corpora pia deuotione festinant. Illic itaque proprij reatus morbos quasi noxios humores euomant, quibus per conatus puræ confessionis egestis pænitentię salu-

Petrus Damian. vbi supra.

Mira ipsius; ac iugis in cibo abstinẽtia.

Lacrymæ ipsi pro panibus.

Agnetis multiplex ieiunium ex Damiano.

Petrus Damiani vbi supra.

Quantus vel pro leuioribus culpis poenitentiæ dolor.

salutaris antidotum sumant: Illic baptismũ Pænitentiæ statuant, in quem iudicium officij Sacerdotalis inuersi vetusti hominis indumenta reponant, iamquè de veteribus noui viuant. Hæc ille.

19. Plura verò idem Petrus in fœminæ tam ex corde dolentis laudem, ac omni admiratione dignę prosequitur, quæ apud Baronium studiosus quisque per se consulat. Demum eùm mulier diu pœnitens, bonisque cumulata operibus Romæ vitã apud S. Petrum laudabiliter, ac miro virtutum exemplo transegisset, sancto ibidem fine quieuit: Sed vt hìc ex Baronio ipsius è vita exitum recenseamus: *Ad postremum* (inquit) *hoc eodem anno Agnes Mater Henrici Regis perseuerans in vitę Sanctissimæ instituto excubandi ad sacra limina Apostolorum Romæ in Laterano dietim, quarta die mensis Decembris feliciter ex hac vita migrauit, atque in Lateranensi Basilica ad tempus sepulta est; post dies autem viginti duos translata est ad Basilicam S. Petri apud S. Petronillam*. His Baronius pium Agnetis viuendi finem prosequitur: *Agnes igitur* (vt Bertoldus Constantiensis ait) *religiosissima Imperatrix iam viginti duobus annis in viduitate Deo deuotissimè seruiens, animam* (vt Vegius addit) *bonis operibus fæcundam Lateranis Saluatori suo, atq; omnium bonorum Deo Auctori reddidit*. Et hæc in Augustæ fœminæ laudem, quæ Pœnitentiæ sectandæ studio haud vlli secunda, nedum Vrbi, sed vniuerso item Christiano Orbi testatissima de se argumenta reliquit.

Baronius vbi supra.

Meritis ob poenitentiã apud Deum clara migrat è vita.

Bertoldus Constantiensis, Vegius in Agnetis Epitaphio.

20. Demum præferuida æternæ salutis, quæ animo semel insedit, lucrande spes, ac cœlestis Regni cupido ipsos Mundi Monarchas, & Christianos Reges ad repudium sponte Regnis, ac Imperio indicendum efficacissime compulit. Inter quos Carolus V. Romanorum Imperator Austriacæ prosapiæ Princeps (de quo nonnulla alibi dicta à nobis sunt) hic inquam vltro, libenterquè ad vacandum Deo, ac sibi Regias spontè infulas abiecit, vt Bzouius his verbis pro ipsius elogio tradit: *Cùm verò* (inquit) *nulla eius vitę pars non summè laudabilis sit, nulla re magis animi magnitudinem ostendit, quàm vitę clausula, qua Vir alios vincere assuetus, se ipsum vicit, vitęquè tot casibus obnoxiæ iam potiorem mente agitans, antequam moreretur, renunciauit; & qui Republicę vixerat, sibi, ac Deo capit viuere. Itaque toto biennio, quod mortem præcessit, in Hieronymianorum Fratrum sodalitio, monitore vsus Sacerdote quodam, qui ei à Sacris Confessionibus erat, præcipuè S. Bernardi Abbatis lectione se solabatur, & toto pectore in Deum reuolutus sic ratiocinabatur: se quidem indignum esse, qui proprijs meritis Regnum Cœlorum obtineret, sed Dominum Deum suum, qui illud duplici iure obtinet, & Patris hereditatem, & Passionis merito; altero contentum esse, alterum sibi donare, ex cuius dono illud sibi meritò vendicet, hacquè fiducia fretus minimè confundatur: Neque enim oleum misericordiæ, nisi in vase fiduciæ poni. Inter alias, & alias deuotionis incitationes cum sensim ad lentam tabem febris acuta accessisset, imaginem Christi Cruci affixi identidem oculis, vlnis, ore, tota mente complexus, in eo solo se omnem salutis suæ spem collocare declarauit, sumptoquè Sacrosancto Eucharistia viatico: In me mane* (inquit) *dulcissime Saluator, vt ego in te maneam, in qua verba deficiens animam Deo, qui illam dederat, reddidit, cùm vixisset annos quinquaginta octo, menses sex, dies viginti quinque, &c.* Mors autem ipsius in salutis Annũ 1558. & 21. Septembris incidit; Religiosa itaq; sapientissimi huius inter Monarchas pietatis studia Cœlo dignum proculdubio renunciant; Quippe qui terreno spontè sceptro se abdicans, omniquè insuper abiecta rerum terrenarum cura sic totus contemplandis cœlestibus, ac desiderio æternorũ intendit, vt Pœnitentia suffultus haud terram posthac, sed, Cœlum (quò aspirabat) suspiciendum sibi proponens, Dauidicum illud occineret. *Portio mea Dominus, dixi custodire legem tuam*. Sed hæc interim satis.

Carolus V. Romanorũ Imperator ob poenitentiæ amorem Regnum dimittit.

Bzouius an. 1558. n. 3.

Haud sibi præfidens, totum se Dei misericordiæ & Christi meritis committens totus in Domino obdormit.

Dignum Caroli elogium.

Psal. 118.

CAPVT V.

Pœnitentiæ, ac humilitatis causa, non nulli Episcopatu se, atque honoribus abdicant.

1 Episcopalis dignitas muneris, quę *Onus est Angelicis humeris formidandum*, sic se ipsa eminet, ac præcelsa adeo diuinarum in homine virtutum me-

merita exigit, vt accedentibus metum potiùs ingerat, quàm sui ambitum, amoremque conciliet, quin immò fugam magis, quã desiderium exambientibus, vltrò suadeat: *Honor quippe* (vt Chrysostomus ait) *desiderantē se fugit, fugientem se desiderat*. Pontificij verò muneris præsertim sublimitas tantùm sibi in Christi Ecclesia obseruantiæ, ac cultum honoris vẽdicat, vt humanis vtpote longe impar viribus, haud spontè, & nonnisi vbi necessitas, poscit, imò magis coactè, Gregorio teste, non tam honor, quàm onus eiusmodi, quod se ipso adeo fulget, ac fulgendo simul prægrauat, subeundum sit aliquando: *Virtutibus* (inquit) *pollens coactus ad regimen veniat, virtutibus vacuus, nec coactus accedat*. Quapropter aptè, sapienterquè Hieronymus Apostoli verba expendens: *Si quis* (inquit) *Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat, &c. Opus* (inquit) *non dignitatem, laborem, non delitias, non crescere fastigio, sed humilitate decrescere, vt fiat seruus, & minister hominum propter Christum, &c.* Quibus sanè iustus, ac dignus onera, quæ præcelsa secum affert dignitas, seriò pẽsantibus, ac ingens plane horror nedum metus iustissime incutitur: Non enim parui momenti res est Pontificium conscendere thronum, atque animarum administrandam curam suscipere, vt Hieronymus docet: *Non est* (inquit) *facile stare loco Pauli, tenere gradum Petri, ædificare turrim, futuri operis sumptus computa*. Quod meritò quidem cordatis quibusque Viris timendi causam affert, & ad suas probè dimetiendas vires hominem excitans pro se plusquam cautũ, sollicitumque inter pericula reddit; Christianorum quippe ambitio sub ipsa fidei primordia hæc potissimùm fuit, honores fugere, contumelias amplecti, exambire pœnas, respuere cathedras, ac latebras secretiores ad latendum angulos semper exquirere, & in mortem ipsam vbi opus foret, libenter insurgere; quæ subinde aurea prorsus surgentis Ecclesiæ tempora Seuerus recolens, ac suum apte ad nostra isthæc sermonem inflectens: *Hac* (inquit) *tempestate totus ferè sacro Martyrum cruore Orbis infectus est. Quippe certatim gloriosa in certamina ruebatur, multoquè auidiùs tunc Martyria gloriosis mortibus quærebantur, quàm nunc Episcopatus prauis ambitionibus appetuntur*. Hæc ille.

Episcopale munus est onus Angelis ipsis formidandum.

Chrysost. hom.

Gregorius in Pastoral.

Honor desiderantem se fugit, fugientem se desiderat ex Chrysostomo.

Hieronym. in Epist. 1. ad Timot. c. 3.

Episcopatus est nomen Operis & laboris, non præeminentiæ.

Hieronym. Epist. ad Heliodorum.

Quæ nam primæuorũ Christianorũ ambitio.

Seuerus lib. 1.

2. Enimuerò tunc maximè Episcopatum à Christianis appeti laudem promeruit, quando Pastor omnium primus ad Martyrium, & ad subeunda pro Christo tormẽta rapiebatur; quemadmodũ sic disertis Gregorius verbis testatur: *Tunc fuit* (inquit) *laudabile Episcopatum quærere, quando per hunc dubium non erat ad Martyrium peruenire*. Nonnisi etenim præcelsi animi Virum ad præcellentem honoris in Ecclesia gradum aspirare par est, & qui sibi altissimarum probè conscius virtutum non est, Pontificij altitudinem ministerij reueritus, timere magis, maximi vtpote rem periculi, quàm quærere, consensum appetendo debet. Quod sapidè olim Augustinus expendens, Diuinis etenim virtutibus pollens, ab Episcopatu tamen semper abhorruit, & qui laborandi cupidus labores haud fugit aliquando; honores tamen firmo, constantiquè semper mentis proposito recusauit, vt ipsemet in suis paginis timorem, qui eius insederat animo; abundè testatur: *Adeò timebam* (inquit) *Episcopatum, et quoniam cœperat iam esse alicuius momenti inter seruos fama mea, in quo loco sciebam non esse Episcopum, non illò accederem*. Cordatissimus namque, ac præesse dignus, fuga consultum sibi voluit; & nonnisi inuitus, nolensque altiorem tandem locum à Deo euocatus conscendit: *Non enim* (inquit) *in conuiuio Domini mei superiorem locum elegi, sed inferiorem, et abiectum. Sed placuit ei mihi dicere: Ascende superiùs*. Quamuis igitur tanta sibi Vir alioqui dignissimus humilitate vilesceret, ac solida perpetuo ab Episcopatus honore alienus mente foret; vocanti tandem Deo diutius resistere non valuit: *Sed seruus* (inquit ipse) *Domino contradicere non debet, cui placuit mihi dicere: Amice ascende superiùs*.

Gregorius in Pastoral.

Episcopus olim omniũ primus ad martyrium rapiebatur.

August. serm. 1. ad Fratres in Eremo.

Augustinus ab Episcopatu semper abhorruit.

Augustin. vbi suprà.

Dum se indignum putat, et fugit, ad Episcopatũ rapitur.

3. Idem planè Cornelius Romanus Pontifex, ac insignis merito sanctitatis præstitit, de quo Cyprianus isthæc: *Pontificatum ipsum* (inquit) *nec accepit, nec voluit, nec vt quidam vim fecit, vt Episcopus fieret; sed vim passus est, vt Episcopatum susciperet*. Timori quippe, haud amori sublimis iste honor, onus quod ipsi inest, seriò pensantibus fuit. Quod item magnus ille re, ac nomine Gregorius

S. Cyprian. de Cornel.

rius probè sciēs, ac iugē sibi luctū iniuncto Pontificatus onere indictum reputās: *Si me* (inquit) *diligitis, plangite. Intus enim corruens, exterius ascendisse videor.* Quibus item paribus Bernardus verbis consonat, dum Eugenio ad Pontificium Apostolici throni culmen prouecto, non tam gratulabundus, quàm amarulenter condolens hunc in modum aliquando scribir: *Considero* (inquit) *gradum, & casum vereor, attendo celsitudinem honoris, & è vicino periculum reformido.* Causam verò, cur adeò Pastor oculatissimus suæ quondam timeret ouiculæ subtexens: *Altiorem quippe locum sortitus es, sed non tutiorem.* Sic ille. Quibus sanè præcipui è Pœnitentium numero, humilitati, ac Pœnitentiæ operibus inhærentes; & tum verbo, tum exemplo à periculis cauendi diuinitus edocti, ab Episcopali procul munere fieri totis animi neruis perpetuò voluere.

S. Gregor. in epist.

Cornelius Romanus Pōtifex vim passus est, vt Episcopatum acciperet ex Cypriano.

Bernardus epist. ad Eugen. PP.

Bernardus Eugenio ad Pontificatū euecto non gratulatur sed condolet

4. Quanti verò apud Altissimum, *qui facit ventis pondus*, tum momenti, tum periculi sit Pontificalis dignitas, Theophilo, dum Ecclesiæ Alexandrinæ sedem per ambitionem quæreret, illustri Nilammonis Monachi, qui priùs mortem, quàm Episcopale munus delegit, demonstrari exemplo contigit, vt his Sozomenus verbis narrat: *Theophilus* (inquit) *etiam statim, nihil cunctatus (quanquam iam hyems ingrueret) fugiens vnà cum Isacio Monacho Alexandriam adnauigauit. Sed cum tempestas maris vrgeret, appulit Geras, quæ est Ciuitas pusilla, plus minùs quinquaginta stadys à Pelusio distans: Huius Vrbis Episcopo tum vita functo, Ciues (vt accepi) elegerunt Ecclesiæ suæ Antistitem Nilammonem virum bonum, & qui ad monasticæ vitæ fastigium conscendisset. Is habitabat ante Ciuitatem in domuncula, in quam se ipse concluserat, ianua lapidibus obturata eo proposito, vt Sacerdotium auersaretur. Theophilus itaque veniens hortabatur; vt ordinationem à se oblatam acciperet: Apud quem ille, quamuis frequenter se excusant, nihil obtinuit. Tandem instanti: Cras* (inquit) *ità facias, si places ò Pater; vt ego hodiè res meas antè disponam. At cum Theophilus postridiè ex condicto venisset, atque eum fores aperire iussisset; Age verò* (inquit Nilammon) *oremus primùm: Quo laudato, Theophilus quidem orauit, Sed Nilammon inter orandum hanc vitam reliquit. Hoc autem & Theophilo primùm, & ijs etiam, qui cum illo foris stabant, ignotum erat: Verùm cùm paulatim tereretur dies, quia sæpenumerò euocantes non audiret; deiectis, qui ad ianuam erant, lapidibus, repererunt hominem mortuum. Inuolutum igitur, quibus oportebat, publica sepultura dignati sunt, ac Templum etiam suprà illius sepulchrum indigenæ construxerunt, & summa cum solemnitate adhuc diem mortis eius celebrant. At Nilammon quidem ad hunc modum mortuus est; si tamen mortem dicere oportet, quam ille subire maluit, quàm Episcopatum suscipere, quo se indignum esse ob ingenij modestiam censuit.* Hæc Sozomenus, quibus Baronij verba post eiusmodi rem ab Auctore narratam, coronidis, & appendicis instar, subtexenda hìc sunt: *Voluit* (inquit) *Deus eiusmodi exemplo tum cunctis significare, quàm periculosa esset Episcopalis præfectura; vt præstet interdum mori, quàm in maximum discrimen adduci, tum etiam Theophilum magis sobrium reddi vt animo volueret, quæ viderat, consideraretque, si paruulæ Ciuitati præficiendus Episcopus à Deo expetierit antè mori, quàm munus suscipere, quanti esset periculi præesse Alexandrinæ Ecclesiæ Orientalium omnium maximæ, omnibusque simul Aegypti Prouincijs, atque alijs adiacentibus regionibus: sed nihil penitus eo exemplo profecisse ipsum quidem, quæ anno sequenti de ipso dicēda erunt, ostendunt.* Hoc namque vel vnico iā tum exemplo, quod Episcopale munus cautè fugiendum vnicuique sit, perorata satis res videri cunctis potuit.

Iob cap.

Nilammon Monachus prius mortem subire, quam Episcopatum accipere deligit.

Baronius an. 403. nu. 32.

Sozomen. lib. 8. cap. 10.

In cella clausus, & iā ad thronū prouehendus a Theophilo inter precādum moritur.

Baronius vbi supra nu. 22.

Episcopalis præfectura non absque magno periculo accidit

Theophilo Alexandriæ Episcopo subitus Nilāmonis obitus superno documēto fuit.

4. Nilāmon igitur reclusus in Aegypto Monachus, totusque Pœnitentiæ addictus, & ab honoribus apprime abhorrēs, iugem in Ecclesia sibi laudem promeruit; ob humiliter recusatas videlicet Episcopatus infulas, ad quas cùm nolens, inuitusque Populorum suffragijs expeteretur, optatam suis à Deo precibus pro laborum mercede mortem obtinuit, & sic suis haud votis frustratus, Cœlum denique humilitate sublimis conscendit; cuius quotannis in Romano Martyrologio memoria his verbis recolitur: *In Aegypto Sancti Nilammonis reclusi, qui dum ad Episcopatum traheretur inuitus, in oratione Spiritum Deo reddidit.* Sic Vir profectò Sanctus Deo dumtaxat, ac sibi vacans,

Baronius vbi sup. num. 3.

Solemnis, ac digna Nilāmonis memoria in Romano Martyrologio recolitur.

Martyrologium Romanum die 6. Ianuary

Pœni-

Pœnitentiæ amore illectus, ab Episcopali honore tota alienus mente fuit; vt mortem potiùs elegerit, quàm Pontificij in Ecclesia muneris sublimitate clarescere.

5. Enimuerò humilitas, quæ se ipsa ingeniosa semper est, cordatos Viros haud semel Pœnitentiæ causa, vt non tam alijs, quàm sibi vacarent sponte ab Episcopali throno auulsos, pijs, honestisque laboribus, cæterisque operosæ laudabiliter vitæ muni js deuouit, vt Sophronius his verbis docet: *Quidam Patrum* (inquit) *enarrauit nobis de quodam Episcopo, quod relicto Episcopatu suo profectus est ad Sanctam Ciuitatem* (*Antiochiam videlicet* (*vt Baronius subdit*) *quod vt dicemus; Theopolis Dei Ciuitas fuisset dininitus appellata, ibique sumpto operarij habitu ministrauerit Architectis; eo verò tempore Vir clemens, & misericordiæ operibus deditus Ephrem Comes Orientis erat, ac per ipsum ædificia publica reparantur: Ciuitas enim terramotu ceciderat. Die autem quadam vidit per visionem Ephrem dormientem Episcopum, columnamque ignis super eum ad Cælum vsque pertingentem: Hoc autem cùm non semel, nec bis, sed sæpius cerneret, obstupuit Ephrem (erat quippe visio illa terribilis,& plena stuporis)cogitabatq;apud semetipsum, quidnam hoc esset; neque agnoscebat, quis esset ille mercenarius, videns illum coma neglecta, veste sordida, vili,& abiecto habitu, & nimia exercitatione, & continentia, iugisque laboris fatigatione afflictum, & squallidum toto corporis cultu. Accersitum autem operarium eiusmodi Ephrẽ percontabatur, quisnam esset, cæpitque seorsum agere cum illo, quo vocaretur nomine, & cuius Ciuitatis oriundus. Qui ait ad illũ ego vnus pauperum istius Ciuitatis sum; cùmque non habeam, vnde me ipsum sustentare valeam, cogor, vti possum, et Deus de laboribus meis pascit me: Motus ergo diuinitus Ephrem respondit illi; et ait: crede mihi, non te dimittam, donec mihi de te veraciter prosequutus fueris.*

6. *Cùm verò ita constringeret, neque se vlteriùs posset abscondere, dixit illi: Pollicere mihi, quia quandiu fuero in vita hac nemini dices, quæ circa me sunt; et ego suppresso tantùm nomine, vera tibi de me annunciabo. Iurauitque illi Comes nulli se ea dicturum, quandiu esset in vita: Tunc ait illi; Ego Episcopus sum, et propter Deum dimisi Episcopatum, et veni huc quasi ad ignotum locum; affligens autem animam, et carnem meam; et operans ex labore meo modicum panis mihi acquiro. Tu verò quantum potes, adyce ad eleemosynam: his enim diebus Deus promouebit te ad Apostolicum thronum huius Ciuitatis, vt pascas Populum suum, quem acquisiuit per proprium sanguinem Christus verus Deus noster. Vt igitur dixi, eleemosynis insiste, et pro recta fide inguter sta, et decerta; talibus enim sacrificys maximè delectatur Deus. Ista, vt prædixerat, contigerunt; Sanctusq; Ephrem his auditis glorificauit eum dicens: Quantos habet occultos famulos, et sibi soli cognitos Deus.* Hæc ille; quibus fanè humiles corde, nonnisi dignos, ac Pœnitentiæ itẽ cultores ad impensè Deo, sibique vacandum latere in angulis velle, sui exambire contemptum, honores fugere, & pœnas, laboresque prompto, libentique animo, præoptatas vti delicias amplecti constat; vt sic profectò salutem animæ, & ab honoribus, & curis liberi omnium negotiorum negotium agant; *Quid enim prodest homini* (inquit Christus) *si vniuersum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur.* Ita planè

7. Porrò vt alios hic pari laudum dignos præconio recenseamus, Theodorus Siceota Episcopus, virtute, ac meritis clarus, qui ipsum olim Imperium Mauritio prædixit, & Anastasiopolitanæ tamen Ecclesiæ inuitus præficitur. Hic Antiocho Eremitæ magnæ sanctitatis Viro familiaris, cuius præclara gesta suis Antiochus verbis testatus est: Fratres enim, qui ad hominem inuisendum venerãt, alloquens: *Cùm* (inquit) *talem stellam, et Sanctum Dei Apostolum habeatis, ad me agrestem, et vilem, et nullius pretij hominem venerandum accedistis. Ad ipsum verò laudabilem, sanctumque Virum colendum vos conuertite, qui Diuinam in Mundo vitam agit, et cupiditates in se proterit, et doctrina sua multos ad Deum conuertit: Cùm autem vespera aduenisset, facto Diuino sacrificio accubuerunt; vt pauco, et solito cibo vescerentur. Postea voluit S. Theodorus (vt erat solitus) hospiti pedes lauare; id ille non permisit: mutuò igitur manus lauerunt,* etc.

Baronius an. 526 nu 52.

Architecti opera S. Petri de Coser.

Episcopus apud Theopolim relicto Episcopatu sub Operarij veste latet.

S. Ephrem columnam igneam super Episcopum latentem semel, ac iterum cernit.

Ipsum alloquens quis nam esset interrogat.

Sophronius vbi supra.

Iuramento, ne cuiquam reuelet, præmisso, se esse Episcopũ affirmat.

Ephrem quo que futurum Episcopum denunciat.

Lucæ cap. 9.25

Baronius an. 597. nu 19.

Theodorus Siceota Episcopus Antiochum Eremitam de Episcopatu a se abdicã do consulit.

etc. Egressus igitur Beatus Theodorus, comitatus est eum Anastiopolim vsque, et afflictiones, et sollicitudines, quas in Episcopatu sustineret, patefecit; quibus institutæ vitæ ratio, vt Monasteriorum suorum cura interrumperetur, rogans eum, vt quid sibi agendum esset, consuleret, et vtrum relicta Episcopatus dignitate, monastico tantum Ordini deberet incumbere. Ille verò quàm celerrimè faciendum censuit, ne apud Deum damnandus videretur. Sanctus verò Theodorus in Episcopium reuersus, dixit eum celerrimè à vita migraturum, quàm ad locum suum posset peruenire. Quod et factum est: paucis enim diebus post nunciatum est, eum in via mortuum esse. Hæc Georgius Presbyter iu B. Theodori Siceotæ actis, qui Diuinum eiusmodi de se ab Episcopali munere abdicando ab Antiocho quasi è Cœlo responsum accepit.

Georgius presbyter in actis S. Theodori Siceotæ.

Vtquam eito faciat, ab ipso admonitus ne damnetur.

Georgius vbi supra.

Quo facto in itinere ipso moritur.

8. Porrò de ipso vel inuito in Episcopum inaugurando hæc quidē Auctor: *Defuncto* (inquit) *Timotheo Anastasiopolis Episcopo, & Ciues Clerici ad Beatissimā Ancyræ Metropolis Archiepiscopū conuenerunt, & magnum Dei seruum Theodorum Siceotum mansionis Archimandritam in Sanctissima Ecclesia sua Episcopum efflagitarunt. Erat autem tempus, quo S. Theodorus in speluncа inclusus precationi vacabat, & quieti, &c. Accesserunt igitur Anastasiopolis Clerici, & Ciues ad Monasterium, atque speluncam; & supplicarunt, vt se Pastorem ipsis concederet. Quod ille, cùm ne audire quidem vellet, nedum concedere: ipsi vi quadam pia illata, eum è Monasterio extulerunt, & in lecticam coniectum abduxerunt. Cuius discessu cum & Monachi, & cæteri, qui illic commorabantur, mœsti essent: Vir sanctissimus eos per Fratrem consolatus est: Omittite (inquiens) mærorem filii, nam si mihi credideritis, non dimittam vos: nihil enim est in terra, quod me à consuetudine vestra possit separare.* At miraculorum à Deo portentis illustratus, postquam Episcopalibus infulis abrenunciasset, protinus vita excessit, vt Auctor tradit: *Discessit è vita Sanctissimus, & Beatissimus, ac fidelissimus Christi seruus Theodorus, &c.* Et hęc ipsi pro sepulchrali titulo statuimus.

S. Theodorus Siceota ad Episcopatū requisitus, & vi compulsus diuinitus præferuatur.

9. Qui igitur Christianæ sectādæ studio humilitatis mori malunt, quàm Pōtificij honoris Prouinciam obire; tuti tandem, & absq; omni salutis periculo è vita decedunt. Verùm hic haud incongruè, vel obiter recensendi etiam videntur, qui cùm Episcopatum auide nimis, ac præcellendi desiderio per ambitionem appeterent; Deo subinde, vt eorundem saluti consultum foret, propitiante, votis frustrati, ac pari è vita beneficio pœnitentes demum prærepti sunt: Quod quidem Adalberonis potissimùm exemplo monstratum est. Enimuerò cum Vdalricus miræ sanctitatis Episcopus Augustanus in sui locum Adalberonem Nepotem subrogandum vellet, idq; enixis vltrò ab Episcopis in synodo precibus instanter petendo contenderet; Adalbero autem eiusmodi rē summoperè, ac per ambitionem expeteret, adeò vt iam vti Episcopus pastoralem, qui Episcopalis throni insigne est, baculum manu præferret, Episcopi alieno ob id animo de eo, haud in Auunculi locum subrogando per contentionem agebant; hæc enim in vita S. Vdalrici habentur; *Posteà verò* (inquit) *reuertentibus de Italia Imperatoribus, patre scilicet, & eius prole ad Franciam facta est Synodus in loco, qui dicitur Ingilteboim, ad quam Archiepiscopi cum cæteris suis suffraganeis Sanctum Vdalricum cum suis Legatis honorificè inuitauerunt, Adalberonemque eius Nepotem eò venire decreuerunt. Illuc cùm peruenirent, & Antistites ibidem congregati Adalberonem baculum Episcopalem publicè portare cognouissent, irati sunt contra eum, & dicebant; vt contra canonica rectitudinis regulam in hæresim lapsus fuisset, & quod, Pontificalis honorem sublimitatis viuente Episcopo sibi plus iusto vendicaret, & ideò vltra eum Episcopum ordinari non deceret.* Hæc quidem nec absque animi sensu, & ob rem non leuiter indignati tunc Episcopi præstitere: Sed cùm de eo subindè post Auunculi obitum in Episcopali Sede subrogando consensissent, Diuino res calculo diiudicata est. Ex improuiso etenim Adalbero fatis concessit, vt nimirum & saluti ipsius, qui ardenter nimis Episcopatum exambiens præoptabat, & cæterorum Episcoporum, qui cognatos gentiles suos nonnisi carnis affectu permoti prouehendos volunt, documento, atque vtilitati consultum foret; hæc enim de illo.

Episcopatū exambiētes, ne salutis periculo pareant, è vita præripiūtur

Baronius an. 971. num 6. 7. & 8.

Vdalricus Episcopus Adalberonē Nepotem sibi in Episcopatu sufficiendum cu rat.

In vita S. Vldarici apud Surium.

Adalbero ambitione pulsatus ee pro Episcopo gerit antequam fit.

10. *His* (inquit) *consilijs consentiens S. Episcopus Vdalricus, cum eis in Synodum regre-*

In actis Vldarici vbi supra.

regrediebatur, & tunc cum consensu aliorum Antistitum fecit ab Imperatore Adalberoni commendari in eorum præsentia procurasionem sui habere, & sub ipso totius Episcopatus causam dispositionem in omnibus. Talibus verò istis terminatis finita synodo Episcopus, & Adalbero cum suis ad Augustam reuertebantur. Quibus ipsa Baronij verba coronidis instar subrexenda hìc sunt: *Iudicauit* (inquit) *ista Synodus, sed præiudicauit Deus, ne Adalbero succederet ipsi Vdalrico in Episcopatu, quem tanta animi anxietate petebat; effecitque, vt antea Nepos, quàm Auunculus moreretur, nec moratus sententiam iustus Iudex, & terribilis in consilijs super filios hominum: Siquidem antequam volueretur anni illius curriculũ, Deo vocãte repẽtino exitu efflauit animã.* Porrò rem gestam idem qui supra, Auctor disertis hunc in modum verbis tradit: *Prædicta* (inquit) *Synodus in autumnali tempore peracta est, & in antea Paschali tempore adueniente, & Sancta hebdomada finita, Episcopus, & Adalbero amabiliter vocante Rinuccino Comite Diespoldi fratris Episcopi filio ad castellum Dilinga nominatim venerunt, & vt ibi aliquantos dies charitatiuè cum eo, & cum fœmina eius Hilsegart nominata manerent. Paucis itaque diebus transactis Adalbero ibi cum Phlebotomo sibi phlebotomando sanguinem minui fecit, & postea cum Episcopo ad cœnam consedit, & de cœna surgens, in lectum se ad requiescendum deposuit. Cùmque vnusquisque ad suas discessisset mansiones, eadem nocte subita morte Adalbero defunctus est. Hereuningus eius Presbyter cum ad nunciandũ hoc Episcopo, cubiculum eius intraret, Episcopus sermonem eius præueniens dixit illi: Ecce Adalbero defunctus est. Cui ille respondit: Ideò ego huc intraui, vt tibi nunciarem. Nullus alius me præibat ad te, & quomodò hoc scire potuisti? cui ille respondit: Vade, & suscita Rinuccinum, & omnes, qui nobiscum sunt, vt citò praparent vehiculum, vt corpus eius ad Augustam ducamus Ciuitatem. &c.* Hæc ibi.

Baronius vbi supra num. 7.

Vdalrici votis Deus è Cęlo restitit, quippe qui Nepos ante ipsum repẽtè obit.

In actis Sancti Vdalrici vbi supra.

Adalbero post cænam lecto accumbens manè repertus est mortuus.

Auunculus nepotis obitum diuinitus discit.

11. Tristis profectò, sed salubris ipsius Adalberonis, qui prius mortem vidit, quàm Episcopalem, quod exambierar, thronum conscenderet, finis extitit. Repentino quippe obitu illius (vt nobis credere par est) saluti Deus consultum voluit, licet Vdalricus Auunculus de eo ipso rẽ aliter cogitaret, & sic fortè, nè animæ periculum Nepos tali tantoq; sub onere incurreret, ipsum arcano Dei consilio fatum subire contigit; vt temporali videlicet morte, si quid terrenæ ac vanæ ambitionis culpandum ipsius animo insederat, cautè expiaret: Hominem verò piè decessisse ad dubitandum non est, quẽ ipsemet Vir Sanctus præcognito diuinitus exitu perhonorificè tumulandum curauit. Sed ipsum Adalberonem miris alioqui virtutibus præditum, Episcoli haud munere indignũ, immò planè dignissimum fuisse ex his, quæ Baronius tradit satis euincitur: *His* (inquit) *accedebant nepotis ipsius virtutes, quibus ipse suum alumnum imbuerat; de eo namque hac Auctor hæc testatur, fuisse doctum, atque in seruitio Dei studiosum, necnõ in bonis operibus strenuum, in dicendo eloquentem, in donando largum, compatientem aliorum molestijs, ad miseros subleuandos festinum, atque multis virtutibus cumulatum. At non tot, tantisque pollens virtutibus, etiamsi fuisset extraneus, erat ab eo successor optandus, & dum viueret, cooptandus; eoque magis, quòd cùm Reges manus iniecissent in Episcopatus, sæpe contingeret è militia sæculari, militantes inquam, in palatina militia se se obtrudentes, in Episcopos eligi. At laudauerit ista homo, atque iusta probarit, à Deo autem improbata, immo & punita admodum seuerè fuisse scimus, in primis Adalberone (vt dicemus) anno sequenti morte repentina ex hac vita subducto, ipso vero Episcopo nonnisi expiato peccato digno Sanctorum consortio iudicato.* Hæc Baronius.

Ambitiosus prius sepulchrũ, quam thronũ Episcopi vidit.

Baronius an. 971. num. 9.

Adalberonis egregiæ dotes ex Baronio.

Electio; haud humano calculo improbãda, Dei iudicio reprobata est.

12. Quod verò Episcopus non tam spiritus, quàm carnis impulsu Nepotem ipsomet suadente, ac id enixius petente, assiduisque à Viro Sanctissimo precibus extorquente, sibi successorem delegerit, quem vel ex hoc æstimare debuisset (vt Baronius ait) indignum, vel ex his, quæ Vir Dei proximè iam moriturus, factum eiusmodi execratus edixit, palam cunctis proculdubio ostenditur. Ad supremum namque ad Dei iudicium per visum raptus, oblatusque se, vel ob hanc vnam maximè causam acerbis Purgatorij pœnis mancipandum edidicit, vt his Auctor rem gestam verbis prosequitur; *Altera vero* (inquit) *vice quadam die quasi de*

Baronius vbi supra num. 9

Vdalricus se ob id vnum acriter purgatorij pœnis expetendum sub vitæ finem renunciat.

In gestis S. Vdalrici.

de quodam graui somno expergefactus, ei assidentibus, & hæc audientibus ait: Heu heu quòd illum Nepotem meum, Adalbertum vnquam vidi; quia pro eo, quòd ei secundum suum desiderium consentiebam, nolunt me impunitum in suum recipere consortium. Et his dictis statim tacuit, &c. Ex quibus tum Nepoti in primis, tum ipsimet Episcopo alicuius apud Deum culpæ id meritò adscribendum dubitari vix potest, quando Vir Sanctus Diuino se iustè, acriterque iudicio expetitum, ac pœnis proindè obnoxium diuinitus intellexit.

Ex Chron. Clareuall Ordinis Iacob. Marchātius: tract. 1. tuba Sacerd. pag. 806.

13. Et sanè quamplures (vt rem prosequamur) in Episcopalibus constanter infulis recusandis metu salutis adducti pertinacissimè perstiterunt. Quapropter Beatus Gaufredus Cœnobij Clareuallensis Prior, vt Episcopatum Fomacensem consentiendo tandem acciperet, nullis vnquam induci precibus potuit, quātumlibet S. Bernardus Abbas, ac Eugenius III. qui tunc Ecclesiæ præerat, ipsum vehementer ad id vrgerent. Sed quod Vir tantus Deo afflatus, sibi adeo à pastorali suscipiendo munere timeret, ipse postea demonstrauit. Cùm enim is non multò post diem obijsset, cuidam eiusdem Cœnobij Religioso apparens: *Saluus sum* (inquit) *mihique feliciter cessit fuga Episcopatus: Si enim fuissem de numero Episcoporum, fuissem de numero damnatorum. Ita mihi Sancta Trinitas reuelauit.* Cui profectò honores timēri adeò, & procul à pastorali munere dum viueret esse cupiēti appositè illa Psalmistæ verba occinere visa sunt: *Ecce elongaui fugiens, & mansi in solitudine: expectabam eum, qui saluum me fecit à pusillanimitate spiritus, & tempestate.*

Gaufridus Cœnobij Clareuallēsis, in Episcopatu recusando perstat.

Post mortē se saluum esse testatur, quia Episcopatum recusaret.

Psalm. 54.

14. Episcopale igitur animarum regimen grandi quidem ob sui prærogatiuam honore, sed magno item onus periculo in Dei Ecclesia ab homine tum appetitur, tum exercetur; adèoque iustè ingentem exambientibus incurere metū par est, vt alieno quondam Conradus Hildenensis Episcopus cunctos exemplo perterrefaciens opportunè docuit, de quo isthæc Cantipratanus: *Iuuenis quidam* (inquit) *in Theuthonia partibus ex sanguine Principum plenissimè generosus; sed moribus, & vita degener, Episcopatum malè functus accepit. Qui rapinis, & luxurijs verecundè primò, sed inuerecundissimè postmodum operam dedit. Castigauit autem eum Dominus flagello multiplici, sed cum abuteretur eo in superbiam, dedit eum Dominus in reprobam mortem. Qua in hora venerabilis Conradus Deo dignus Hildenensis Episcopus ad Matutinas intempestiua noctis silentio surrexerat; illisque dictis resedit ad studium, facturus in die sermonem. Nec mora, raptus in spiritu, videre se visus est Episcopum quendam velata facie, sed infulis insignitum ad Tribunal Iudicis rapi: Mox adsunt truci vultu satellites, accusant Episcopum: vnus in rapina, alius in cęde hominum, atque alij in luxurijs lubricantem. Tunc Iudex assessoribus suis: Accusata discutite, librate iudicium, ferte sententiam. Nec mora assessores parent Iudici: Ferunt in commune sententiam. Iudex approbat latam, accedunt ministri super fuliginem nigriores, qui ablata mitra de capite, annulum, casulam, Dalmaticam, ac reliqua Episcopalia vestimenta detracta ad pedes Iudicis ponunt, nudumque relictum cum clamore rapiunt ehulantem, & à facie Iudicis trahunt ad Tartara, nihil secum præter peccata portantem. Mox assessores Iudicis surgunt, & eum cantu canoro subiungunt: Dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes. His visis in spiritu dictus Hildenensis Episcopus, reuersus in se, cogitare cœpit, quisnam fuerit ille miserabilis Præsul; & ecce quidam ad ostium pulsans, intromissus est, cum lacrymis clamans, talem Episcopum in proximam Villam venisse de vespere, & sub eadem noctis hora repentina morte subtractum. Quo audito Sanctus Præsul miserrimo illi defuncto condoluit, & licet inaniter quò ad subuentionem, pro pietate, tamen lacrymas amarissimas fudit.* Iustam quippe eiusmodi visu Vir Dei Episcopales inter infulas vnicuique sollicitudinis curam diuinitus indictam probè intellexit, pauendi vtpote illius oraculi, quod singulis occinit, memor; *Qui stat, videat, ne cadat.* Quibus & Conradus, & alij subinde ad cautè præcauendū edocti profecere.

Thomas Cantipratan lib. 1 c. 3. pag. 84.

Conradus Hildenensis Episcopus, alium Episcopum ad Dei Tribunal rapi videt.

Accusatur vt reus, & sacris vestibus exutus Tartaro addictus damnatur.

Post visum recogitans quemdam Episcopum subito diem obijsse intelligit.

1. Chorint. 10 12.

15. Inter quos Ioannes Bosinensis Episcopus, vt summus inter Pœnitentiarios cùm se quondam Pœnitentiæ gratia Episcopatu abdicans, in Prædicatorum Ordinem Virtutum, ac virorum dignissimorum semper exemplis excultum, atque

Rainaldus ann. 1252. num. 15.

que

que illustrem recepisset, supremus subinde eiusdem Ordinis Magister renunciatus est. Et mira quidem Christianæ humilitatis, nec obscura terrenarum rerum despicientiæ posteris documenta reliquit, dum mira in pauperes charitate, atque amore in Deum flagrans, pia virtutum omnium studia sollicitè æmulari non destitit, vt Cantipratanus, qui supra his verbis meminit: *Cùm multo* (inquit) *tempore Pœnitentiarius Domini Papæ in Roma fuisset, eum Bosnensi Ecclesiæ præfecit Episcopum. Et cùm haberet in Episcopatu plusquam octo millia Marcharum in redditibus, in vsus tamen proprios, quasi nihil inde expendebat; sed omnia pauperibus erogabat, nec solum quidem equum habuit, sed asellum, qui libros, & Episcopales infulas deportabat: ipse verò pedes cum Fratribus incedebat. Hinc postmodum absolutus ab Episcopatu, electus est in Magistrum Ordinis Prædicatorum, & his præfuit multis annis.* Hæc ille. Iure igitur qui Pœnitentiæ iugiter studio addictus, condignè Pœnitentiarij quoque apud Pontificem Maximum longo temporis spatio munus obierat, ad Prædicatorum Ordinem conuolans, ibidem inter Pœnitentiæ alumnos, & austerioris vitæ cultores aggregatus, piè vitam transigere, ac tandem feliciter claudere; quàm Episcopales inter infulas, ac Pontificali clarus honore, cæterorum Præfectus regimini viuere maluit.

Ioannes Bosnensis Episcopus metu perculsus Episcopatu se abdicat.

Thomas Cantipratan. lib. 2. c. 57. n. 53.

Ipsius virtutes;

Eligitur in Magistrum Generalem Ord. Prædicatorum.

Digne in vtroque munere præfuit.

16. *Potētes namque* (vt inquit Sapiēs) *potenter tormenta patientur.* Et qui Pontificio throno clari præsident, grandem profectò, nisi Christianis pariter virtutibus fulgeant, è summo sibi ruinam timeant. Quapropter iure merito quis aliquando audito Archiepiscopi, quem optimè nouerat, perdito vitæ fine, à præcelso muneris sibi maximè gradu timens, ac fugam è sæculo ad Religionis claustrum arripiens magis inter humiles, abiectosque tuto delitescere, quàm in sublimi honorum culmine periclitari voluit; de quo isthæc, etsi alibi mentio incidit, opportunè tamen nobis repetenda sūt ex Bredēbachio: *Vualtherus* (inquit) *de Norech vir nobilis, satelles Caroli V. Imperatoris cùm aliquando nauigaret ad partes boreales Islandiam versus secundo vento, vidit nanim ex aduerso ferri itidem secundo vento, atque in puppi illius quoddam monstrum instar hominis nigerrimi tanquam Nauarcham constitutum. Cùmque nauta huius Vualtheri pro more acclamaret, quid mercium veherent, & quorsum tenderent? Respondit Damon alterius nauis detector: Nos vehimus Archiepiscopum N. nominando Ciuitatem, in qua fuerat Archiepiscopus, & tendimus ad montem Heclam. Quo audito Vualtherus iste totus contremuit, & vitæ suæ rationes subducere incipiens cum primum Leidam Hollandiæ reuersus est, amplexus est Institutum D. Francisci ibidem sub Vuilhelmo Delphini professus (qui hæc do ni mea in plena mensa multis honestis viris assidentibus exactè narrauit) & postmodum Dordraci sepultus est.* Hæc ille. Sic quippe præostensa sibi diuinitus Præsulis perditione, totus metu inhorruit, vt ad Religiosæ vitæ portum, quò à periculis posthac liber fieret, quantocyus profugiendum duxerit.

Sap. 6 7.

Episcopalis muneris dignitas vnicuique timenda.

Tilman. Bredēbachius collat. sac. lib. 1. cap. 32.

A Vualthero Archiepiscopi anima naui per mare à Dęmonibus in Tartara deferri visa.

Vualtherus metu perculsus religiosū Institutū amplectitur.

17. Porrò ingens, quod rationis Deo pro sui munere Episcopis reddendæ onus incumbit, iure merito timorem indicit, & maximè pro se sollicitos, reddit, vt Robertus Card. Bellarminus Vir laudatissimus, & æquè pius ac sapiens sic tradit: *Ægrotabat* (inquit) *ad mortem Episcopus valdè doctus, & pius. Accessit ad eum Sacerdos vtrique nostrum amicus, à quo hoc accepi, quod narro. Quæsiuit ab Episcopo communis amicus, an conscientia eius satis parata esset: Respondit per gratiam Dei mihil graue sibi occurrere, quod in Deum se commisisse ab vltima confessione meminisset. Addidit Sacerdos amicus, an conscientia omissionum eum reprehenderet, cùm Apostolus tam sollicitè Episcopum Timotheum admonuerit: dicens: Testificor coram Deo, & Iesu Christo, qui iudicaturus est viuos & mortuos, per aduentum ipsius, & Regnum eius; prædica verbum, insta opportunè, importunè, argue, obsecra, increpa in omni patientia, & doctrina. His auditis ingemuit bonus Episcopus, & ait: verè omissiones me non parum exterrent; & his dictis cæperunt oculi eius profundere flumina lacrymarum.* Ingens siquidem seuerioris ad iustum, illibatumque Dei Tribunal, trutinæ metus, & cura Episcopo incumbit; ipsumque, quantumnis benè sibi conscium, Dei tamen iudicij exacta ratio meritissimè absterret.

Robertus Cardinalis Bellarminus de arte bene moriendi cap. 6. pag. 260.

Onus reddendæ rationis Episcopos ad Dei Tribunal expetit.

2. ad Timotheum 4.

Episcopus pro omissionibus acriter iudicio Dei exagitandus ex Bellarmino.

18. Qua-

18. Quapropter haud mirandum, si Sanctorum quique, etsi conscientiæ testimonio, ac meritorum suffragio tuti, adeò sibi ab Episcopali olim regimine; eiusque honoribus perpetuò pauescerent, vt nunquam vel rogati in animum induxerint Episcopales oblatas vltrò sibi infulas amplecti, iisdemque insigniri se non nisi inuitos permiserint, vt Sanctorum præcipui Bernardus, & Thomas Aquinas præ cæteris docuere. Ambo enim nobili præcipuo oblati sibi Episcopalis haud semel throni repudio insignes extitere: Sed vt recentis quoque memoriæ exemplo (quod hic vel obiter memorandum occurrit) quod à Viris fide dignis accepimus, res comprobetur. Cùm proximo anteacto sæculo certus quidā amicitia olim, dum in statu priuato valde iunctus degeret, & summè item charus Romano Pontifici esset, qui vbi supremum Apostolatus apicem recens conscendit; amico Episcopatum multorum millium aureorum redditu pinguem obtulit, & absque vllo annui census soluēdæ pecuniæ onere, vt suo magis amico gratificaretur; Alter (quis crederet?) Pontificia tum liberalitate, tum præclaro oblatæ sedis honore dignatus minimè acquiescens, gratias ipsi, & quidem maximas de more exoluit; sed præter communem morem inducias ad maturiùs deliberandum, nec parùm ipso admirante Pontifice, qui honoris gradum, & munus absque onere amico deferebat, exposcens, ab eo domum discessit, dicens: *Permittat, quæso, mihi (inquit) Sanctitatis tuæ benignitas, vt rem bene prius expendens, decernam, an oblatio ista gratuita mihi, rebusque meis conducat.* Abit itaque, & reddito sibi redditus annui calculo, & animarum quoque sibi committendarum numero, cum vltrà quatuor mille aureos Episcopalis illa sedes pro annuo redditu obtineret, & ad viginti circiter millia animarum numerus supputaretur; re diligenter ad calculum deducta, & nummorum, animarumque supputato diligenter numero: cùm paruum sibi pretium, pro singulis subditorum animabus prouenire comperisset; mox Pontificem adijt, ac humillimis redditis gratijs, se quibus potuit verbis excusans, haud sibi rem eiusmodi expedire causatus Episcopatū recusat. Cū verò Pōtifex vehemēter admiratus repudij ab eo causam quæsisset, sic ille: *Scias (inquit) Pater Beatissime, quòd paruo quidem pretio talis ac tanta, totque animarum cura mihi imponitur: ad viginti enim et plura millia animarū numerus, redditus autem nō nisi ad quatuor mille aureos ascēdit, adeoq; pro qualibet anima; cùm probè calculum duxerim, ad quatuor, ad quatuor inquam vix asses summa, neque amplius ascendit. Si verò vna interim ex his anima perit, ego ipse Deo pro paucis obolis debitor fio. Grande itaque periculum, paruo quidem mihi stat pretio; Quapropter tantum in me onus suscipere recuso.* Hæc dixit ille, ac fecit. Episcopatus igitur, quem plerique tam auidè cupiunt, tam anxiè quærunt, exambiuntque munus; magno licet redditu, ac nullo soluendi grauatum onere, sed animarum dumtaxat periculo, & reddendæ Deo rationis onere obnoxium cordatus ille, ac humilis Vir sciens, ac Cœlo probè dignus constantissimè respuens, magnum de se cunctis narrandi virtutis exemplū præbuit. Et hæc obiter hìc narrasse voluimus.

S. Bernardus & S. Thomas Aquinas animo valdè ab Episcopatu alieni.

Ex acceptis à viro fidedigno.

Quidam à Romano Pō tifice opulētæ Ecclesiæ præficiendus quid fecerit.

Tempus ad rem maturè cogitandam dari sibi poscit.

Expendens pecuniarum redditum, & animarum iniunctā sibi curam, rationem q; Pontifici non acquiescit.

CAPVT VI.

Milites Pœnitentiæ causa in Terræ Sanctæ subsidium arma in fidei hostes arripiunt.

1 BEllum, quod tum pacis, tum etiā exercendæ suis pro culpis Pœnitentiæ causa, necnon ruendæ Religionis, ac propagandæ in primis gratia aduersus Barbaros, infensosq; Christiani nominis hostes, iustè, ac laudabiliter à Christifidelibus aliquando suscipitur, dignam nedū vincendo; sed vel etiam moriendo victoriæ palmam, & culparum à Christo Domino indulgentiam dimicantibus promeretur. Quod adeò verùm est, vt aptè, appositèque ipsius Tertulliani verba eiusce modi inter arma hominibus occinant: *Pulchrior (inquit) est miles in pugna amissus, quàm in fuga saluus; malo miserandū, quàm erubescendum.* Enimuerò qui viriliter in acie pro Deo, ac Religionis studio adducti præliando in sacro isto, haud prophano bello impiorum gladijs occū-bunt,

Tertullianus lib. de fuga in bello.

Aduersus hostes Christianæ fidei pugnantes, vel succumbendo, ac moriendo vincunt.

bunt, hi profectò largam à Deo pro suscepto labore mercedem, atque optatam anteactæ vitæ culpis veniam ipsius oblatione sanguinis, ac Dei munere consequuntur; quibus vti victis subindè haud condolendum, immò potius tanquam re ipsa victoribus gaudendum, gratulandumque iure merito est. Hos quidem Bernardus aliquando Templi milites alloquens beatos, eorundemque sortem, ac vitæ finem planè felicem, faustumque prædicando agnoscit, dum inuicto iugiter animo pro Religione vel ipsa inter pericula dimicant, vel dum hostilibus inter prælia gladijs dimicando succumbunt: *Securi quippe* (ait ille) *præliantur, nequaquā metuentes aut de hostium cæde peccatum, aut de sua nece periculum: quandoquidem mort pro Christo vel ferenda, vel inferenda, & nihil habeat criminis, & plurimum gloriæ mereatur*. Iusta quippe semper ipsos bellandi, & certa insuper vincendi spes manet, atque optata aut hostes vincendo, aut ipsis certè hostibus succumbendo, nunquam spe frustrari pugnando contingit, vt idem Bernardus inculcat: *Miles Christi* (inquit) *securus interimit, securior interit. Sibi præstat, cùm interit: Christo, cùm interimit. Cum occidit malefactorem, non homicida; sed, vt ita dixerim, malicida reputatur. Cùm occiditur ipse, non periisse, sed peruenisse cognoscitur. Mors ergo, quam irrogat, Christi est lucrum; quam excipit, suum*. Certus itaque semper sic dimicaudo de victoriæ palma in arenam pugnaturus descendit; ac semper victor, ac nobili semper diues triumpho regreditur.

Bernard. ser. ad milites templi cap. 1.

Templi milites olim in prælio dimicantes Bernardus verè beatos nuncupat.

Bernardus vbi supra.

Miles Christi securus interimit, securius interit ex Bernardo.

2. Hoc quippe inter eos, qui inani ipsius sæculi; & humana cupiditate adducti bellum suscipiunt; & inter eos, qui Religionis gratia, & Diuini honoris zelo succensi pugnam ineunt, discrimen est: quòd priores videlicet, vel victores victis, vitijsque semper succumbunt; posteriores verò vel cæsi, sui tamen, ac hostium victores semper existant, vt idem optimè Bernardus prosequitur: *Si in voluntate* (inquit) *alterum occidendi, te potius occidi contigerit, morieris homicida. Quòd si præuales, & voluntate superandi, vel vindicandi fortè occidis hominem, viuis homicida. Non autem expedit, siue mortuo, siue viuo, siue victori, siue victo esse homicidam. Infelix victoria, qua superans hominem, succumbis vitio, & ira tibi, aut superbia dominante, frustra gloriaris de homine superato*. Turpis itaque, ac prorsus ingloria victoris palma, dum non absque certo virtutis discrimine, ac vitio vincētibus prouenit, vt aptè, eleganterque Bernardus his planè sermonem verbis concludit: *Quis igitur* (inquit) *finis, fructusque sæcularis huius, non dico militiæ; sed malitiæ, si & occisor lethaliter peccat, & occisus æternaliter perit*. Sic profectò beata piorum hominum pro Religione bellantium sors ipsa, luce clarior ostenditur, quos laudaror mellifluus, ipsiusque Ecclesiæ Præco plusquam homines admirando, dignis laudum præconijs exornat, eosque nedum Sanctos, sed Martyres nobili meritorum elogio appellat: *Quàm gloriosi* (inquit) *reuertuntur victores de prælio, quàm beati moriuntur Martyres in prælio?* Etsi enim propriè, ac re ipsa Martyres minimè sint; specioso tamen eiusmodi titulo sacri laudatores ipsos, dum celebrant, cumulare non desinunt. Electi quippe Christi Martyres patientiam sustinendo potius, quàm resistendo æmulantur. Verùm vt eos hic potissimùm, qui pro diluendis vitæ culpis, debitisq; pœnis sibi à Deo relaxandis arma in Terræ Sanctæ subsidium suscepere; hic consultò recenseamus.

Discrimen intereos, qui pro Christo, & inter eos, qui pro sæculo pugnāt, & pugnādo vincunt, vel certè vincuntur.

Bernardus vbi supra.

Bernardus vbi supra.

Occisor lethaliter peccat, occisus æternaliter perit, ex Bernardo.

Bernard. ser. 2. ad milit. templi.

Milites, qui pro fide pugnant victores è prælio reuertuntur & beati in prælio moriuntur.

3. Si quis profectò sacras Ecclesiasticorum Annalium, tum antiquæ, tum recentis memoriæ paginas consulat; cōplures ibi, ac summis concelebrandos laudibus adinuenire est, qui Religionis, ac Pœnitentiæ causa, inter tristes, funestasq; bellorum procellas, è sæculo, & dū acriùs pugnarent, prærepti, gladijsq; hostilibus consumpti ob id vnū maximè immortalitatis digni laurea occubuere: quia nimirum armis Pœnitentiæ causa viriliter arreptis, in arenam prosiliendo, cæsis hostili, attritisque ferro corporibus, exoptatam animæ salutem lucrando, mortalem hanc felici vitam exitu clausere; vt innumeris planè olim Christianorum millibus contigit, qui sub Eugenio Papa, huius nominis, Tertio Christi Anno 1146. S. Bernardo Clareuallensi Abbate sub Crucis vexillo ad Hierosolymorum expeditionem hortatore profecti, tristi quidem exitu; sed ingenti animarū lucro

Baronius an. 1146. num. 6. & 5.

Ingens Christianorum cruce signatorum numerus sub Eugenio III. in Terræ Sanctæ subsidiũ dimicando, aduersis absumitur.

lucro rem probè armis confecere; Dolis quippe, malisque artibus intercepti, nec nō innumeris laborũ incommodis in illa expeditione confecti, mortalem ĩhaud frustra vitam dedere: Verùm quia complures ex eorum numero varijs pridem criminibus irretiti; dum pio manum operi admouent, ad peccatorũ sibi à Deo veniã elucrandam, Sacramentis Ecclesiæ, priusquàm iter arriperent, se ritè expiare satagerant, veram, solidamque animæ vitam pro mercede, hostilibus licet gladijs demeti corpora contigit, ipsi tandem sunt consequuti.

S. Bernardus in epist. ad Eugenium 256.

4. Sed vt hìc rem gestam breuiter repetamus. In Carnotensi quidem Concilio S. Bernardo Clareuallensi Abbati expeditionis eiusmodi prouehendæ Prouincia iniungitur, quod Vir Dei ipsius Romani Pontificis curæ, ac sollicitudinis negotium agnoscens; mox ad Eugeniũ detulit, suisque eundem epistolis certiorem faciens, ipsũq; ad opus excitãs, quę in Carnotensi Concilio pridem acta fuerãt, his verbis prosequitur: *De cætero* (inquit) *verbum illud, quod iam (ni fallor) in Carnotensi Conuentu audistis (quonam iudicio satis miror) me quasi in Ducem, & Principem militiæ elegerunt: certum sit vobis, nec consilij mei, nec voluntatis meæ fuisse, vel esse, sed nec possibilitatis meæ (quantum metior vires meas) peruenire vsque illuc. Quis sum ego, vt disponam castrorum acies? vt egrediar ante facies armatorum? aut quid tam remotum à professione, etiamsi vires suppeterent, etiamsi peritia non deesset? Sed neque hoc meum est vestram docere Sapientiam; nostis hęc omnia. Tantum obsecro per illam charitatem, qua mihi specialiter debitores estis, ne me humanis voluntatibus exponatis, sed singulariter vobis incumbit, diuinum consilium perquiratis, & operam detis, vt sicut voluntas in Cælo, sic fiat.* Hæc ille ad Eugenium præferuido quidem spiritu ipsum ad opus acriter hortãdo; at spiritu humilitatis se ipsum attendens, eius de his, quæ agenda forent, supplex consilium exposcit.

Expeditio in Carnotensi Concilio Patrũ votis indicta, ac expetita.

S. Bernardus ad expeditionem fidelibus annunciãdam, ac prouehẽdam deligitur.

5. His itaque ad Eugenium delatis, Bernardo Pontifex eiuscemodi Prouinciã iniunxit, vt sacrum Sacerdotali tuba bellum indiceret, & tum verbo in concionibus docens, tum scriptis, vbi præsens non erat, literis, Christianos Populos ad ad pium, ac religiosum bellum, & ad arma pro Christi gloria aduersus hostes, viriliter arripienda excitaret. Quod & feliciter prçstitit. Iussus enim Crucis vexillum attollens sic Brixienses in arma concitat: *Sermo (inquit) mihi ad vos de Christi negotio est, qui est vtique vestra salus; excuset proindè exiguitatem personæ loquentis, consideratio propriç vtilitatis. Licet igitur exiguus sim & nullius momenti homuncio; cupio tamen omnes vos in visceribus Iesu Christi, & ecce nunc tempus acceptabile, & dies copiosæ salutis; commota est, et contremuit terra, quia cæli Dominus cæpit perdere terram suam: suam, quam tricenaria est in habitatione dignatus: suam, quam dedicauit proprio sanguine: suam, quã honorauit gloria resurrectionis; et nunc peccatis exigentibus Crucis aduersarij caput extulere sacrilegum, depopulantes in ore gladij terram benedictam, terram promissionis. Heu propè est vt in ipsam irruant ciuitatẽ Dei viuentis, et virtutum, vt officinas nostræ redemptionis euertant, polluant sancta loca Agni immaculati purpurata cruore, etc.* Quibus ille præmissis orationis stylũ, & ad arma pro Dei honore arripienda, nec non ad strenuè, viriliterque pro beatæ illius terræ subsidio præliaturos conuertens, hæc addit. *Quia ergo fæcunda est virorum fortium terra vestra, et robusta noscitur iuuentute referta: sicut est laus vestra in vniuerso mundo, et virtutis vestræ fama repleuit orbem, accingimini et vos, etc. viriliter, et felicia arma corripite christiani nominis zelo, ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis.* Hęc ille pro suo munere.

Baron. an. 1146. nu. 15

Ber. Ep. ad Brixien. Epis.

Vrget milites ad arma Bernardus in Terræ Sanctæ subsidiũ.

6. Porrò Vir Dei, quo animi ardore in id institerit, ac præ omnibus vnus classicum canens vbique armis profecerit, innumeros ferè huiusmodi militiæ aggregando, paucis scriptor bellatorum numerum his verbis expressit: *De cætero* (inquit) *mandastis, & obediui, & fæcundauit obedientiam præcipientis auctoritas. Siquidem annunciaui, & loquutus sum, & multiplicati sunt super numerum. Vacuantur Vrbes, & Castella, & penè iam non inueniunt, quem apprehendant septem mulieres Virum vnum, adeò vbique vidua viuis remanent Viris.* Ità planè bellum Apostolica auctoritate indictum, & Episcoporum (vt Baronius ait) consilio probatum

Bernardus epist. 246. ad Eugenium.

Ingens bellatorũ numerus.

Psalm. 39.

Baronius vbi supra.

Iustum cōtra Fidei hostes bellum, haud Dei calculo probatum ex Baronio.

tum, Sanctorum item Virorum prædicationibus annunciatum, signis insuper, & miraculis comprobatum, & causa item iustissima promulgatum, quid minus habuit; vt non fauerit ipsi Deus, qui voluit illud: *Sed terribilis planè Deus in consilijs suis super filios hominum*. In bono vtique probato opere bona Dei voluntas accessit; sed in offerente (vt idem Baronius adnotat) non sibi Deus complacuit, nec fuit voluntas Dei in eo. Quippe cùm Galliarum Rex, qui sacri Dux belli, ac Princeps erat, multos tunc Sanctos Episcopos suarum fecisset Sedium extorres, suisque priuasset Ecclesias Pastoribus, (quod Bernardus suis testatur epistolis) nonnisi infelicem nobilis eiusmodi expeditio tam laudabiliter, & viriliter adeò suscepta exitum habuit. Haud enim extincta, haud emendata fuerant, quæ pridem Rex quoquo modo aduersus Ecclesiæ Pastores deliquerat: Quamobrem cùm altera manu pro Ecclesia, altera contra Ecclesiam pugnaret, Deo placere haud potuit; Quinimmò Rex vnà cum suis inter maiora quæque rerum discrimina deseri ab ipso meruit.

Psalm. 65.

Bernard. in epist.

Terribilis, plane Deus in consilijs suis super filios quidē hominum, vt hostibus palma, Christianis strages & confusio adesset:

7. Interim verò ipse Bernardus Germaniæ Populos, Francos Orientales, & Baioarios efficacissimis conscriptis literis ad opus incitare non destitit, vt Epistola ipsius Christiano O. bi fidem luculenter facit, vbi peccatores ad peccatorum admissorum pœnitentiæ operibus veniam à Deo promerendam his verbis adblandiendo vrget: *Considerate* (inquit) *quanto ad saluandos vos artificio vtitur, & obstupescite. Intuemini pietatis abyssum, & confidite peccatores. Non vult mortem vestram, sed vt conuertamini, & viuatis: quia sic quærit occasionem non aduersus vos, sed pro vobis. Quid est enim nisi exquisita prorsus, & ineuitabilis soli Deo occasio Saluationis, quod homicidas, raptores, adulteros, periuros, cęterisquè obligatos criminibus, quasi gentem, quę iustitiam fecerit, de seruitio suo submonere dignatur omnipotens? nolite diffidere peccatores, benignus est Dominus; si vellet punire vos, seruitium vestrum non modò non expeteret, sed nec susciperet quidem oblatum. Iterum dico, pensate diuitias bonitatis Dei altissimi, consilium miserationis attendite, necessitatem se habere, aut facit, aut simulat; dum vestris cupit necessitatibus subuenire. Teneri vult debitor, vt militantibus sibi stipendia reddat, indulgentiam delictorum, & gloriam sempiternam. Beatam ergo dixerim generationem, quam apprehendit tam vberis indulgentiæ tempus, quam inuenit superstitem annus iste placabilis Domino, & verè Iubilæus. Diffunditur enim hæc benedictio in vniuersum Mundum, & ad signum vitę certatim conuolant vniuersi.* Hæc Vir Sanctissimus. Sed vt bellicosos ad pœnitentiæ pro Christo & suscipienda salubriter arma moueret, isthæc præliaturis opportunè suggessit.

Baronius vbi supra n. 9.

Bernardus Epist. 322.

S. Bernardus conscriptis Populos literis ad Opus incitat, & ad animarum lucrum efficaciter permouet.

Expeditionem belli Religionis causa suscipiendam, nō nisi indulgētiæ tempus vocandā ex Bernardo.

8. *Accingimini* (inquit) *& vos viriliter, & felicia arma accipite Christiani nominis zelo. Cesset pristina illa non militia, sed planè malitia, qua soletis inuicem sternere, inuicem perdere, vt ab inuicem consumamini. Quę miseros tam dira libido excitat, quòd proximi corpus gladio, cuius fortasse & anima perit, transuerberent? Sed nec effugit, qui glorietur, & ipsius animam pertransibit gladius, cùm solum hostem gaudeat cecidisse. Illi se dare discrimini insaniæ est, non virtutis; nec audaciæ, sed amentiæ potius est adscribendum: Habes nunc fortis miles, habes Vir bellicose, vbi dimices absque periculo: vbi & vincere gloria, & mori lucrum. Si prudens mercator es, si conquisitor huius seculi, magnas quasdam tibi nundinas indico; vide, ne pereant. Suscipe Crucis signum, & omnium pariter, de quibus corde contrito Confessionem feceris, indulgentiam obtinebis; materia ipsa si emitur, parui constat, si deuotò assumitur humero, valet sine dubio Regnum Dei. Bene ergò fecerunt, qui iam cęleste signaculum susceperunt, bene cæteri faciunt: Sed nec ad insipientiam eis, si festinent & ipsi apprehendere, quod & eis in salutem existat.* Hæc ille; quibus sanè pro sacri belli expeditione arma sumpturis, ac suas prius contrito corde culpas confessis, plenariā à Romano Pontifice de ipsius Ecclesiæ thesauro indulgentiam liberali manu indultam affirmat.

Bernard. vbi sup.

Baronius vbi supra n. 3.

Milites ad præliandum viriliter vrget, cum sit bellum sine periculo.

Indulgentia culpis indultæ magnum bellantibus lucrum.

9. Verùm enimuerò sacra militaris crucesignatorum aduersus Saracenos expeditio tamdiù expetita, & à Christianis militibus cæpta, infeliciter adeò cessit; vt ingenti totus ferè bellatorum exercitus clade absumptus, Christiani Occidentales, hostium præda simul & victima extiterint: tantum abest, vt sacra ab eorum manibus loca, & captiuorum Christiano-

ſtianorum corpora, vt erat in votis, vindicare contigerit. Quapropter in S. Bernardum promulgandi belli Auctorem, obloquentium linguæ, ac ſi ſuis ille obſequentem Populũ prædicando verbis decepiſſet, eoſquè ad internecionem ſua inutiliter quaſi manu duxiſſet, palam proclamare cœperunt. Ex quo ſubinde ipſius famæ, vtpote vtriuſque exercitus promotoris, non parum derogari contigit. Iure autem merito ipſum Otho Friſigenſis à calumniantium probris excuſandum voluit, cum poſt multa; hæc habet: *Si dicamus* (inquit) *Sanctum illum Abbatem, Bernardum ſcilicet, ſpiritu Dei ad exercitandos nos afflatum fuiſſe, ſed nos ob ſuperbiam, laſciuiamquè noſtram ſalubria mandata non obſeruantes, meritò rerũ, perſonarumquè diſpendium deportaſſe: non ſit à rationibus, vel antiquis exemplis diſſonum. Quanquam non ſpiritus Prophetarum ipſis ſemper ſubſit Prophetis.* Hęc ille. Sed quas potiſſimũm obtrectatores maledictorum in ipſum ſannas, ac voces, iaculorum inſtar, validè intorquerent, Gofridus his verbis meminit: *Nec tacendum* (inquit) *quod ex prędicatione itineris Hieroſolymitani graue contra eum quorundam hominum vel ſimplicitas, vel malignitas ſcandalum ſumpſit, cum triſtior ſequeretur effectus: Quod tamen verbum dicere poſſumus ab eo quidem initium non ſumpſiſſe. Cùm enim multorum iam animas permouiſſet audita neceſſitas, à Rege Francorum ſemel, & iterum propter hoc expetitus, Apoſtolicis etiam literis monitus, nec ſic acquieuit ſuper hoc loqui, vel conſilium dare; donec per ipſius tandem Summi Pontificis generalem epiſtolam iuſſus ab eo eſt, tanquam Romanę Eccleſię lingua exponere Populis, atque Principibus: cuius epiſtolę tenor fuit, vt in pœnitentiam, & remiſſionem peccatorum iter arriperent, aut liberaturi fratres, aut ſuas pro illis animas poſituri. Hęc, & huiuſmodi ſuper hoc poterant veraciter dici; ſed dicendum potiùs id, quod potiùs fuit: Euidenter enim verbum hoc prædicauit Domino cooperante, & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis; ſed quantis, & quàm multiplicibus ſignis? quanta vel numerare, nedum narrare difficile foret. Nam & eodem tempore ſcribi cęperant, ſed ipſa demum ſcriptorum numeroſitas ſcribendorum, & materia ſuperanti materiam; nimirum cum aliquando vna die viginti, ſeu etiam plures ab incommodis varijs ſanarentur, nec facilè ab eiuſmodi dies vlla vacaret. Denique plures eo tempore Chriſtus per Serui ſui tactum, & orationem ex ipſis etiam Matrum vteris cæcos videre, claudos ambulare, aridos conualeſcere, ſurdos fecit audire, & mutos loqui mirabilius reſtituente gratia, quod minùs præſtitum fuerat à natura.* Sic Deus profectò ſui è Cœlo famuli tranſmarinam expeditionem annunciantis, ad eamquè fidelium animos validè exhortantis verba manifeſtis ſignorum portentis confirmare non deſtitit; vt nemo niſi emotæ mentis iure ambigeret bellum, quod tunc à fidelibus agebatur, Deo annuente, ac iubente inſuper initum. Sed magno ſubinde animarum fructu Chriſtianos, qui arma tunc temporis Pœnitentiæ cauſa acceperant, indulta ſibi peccatorum venia tutos è ſæculo abſceſſiſſe, ac animæ vitam inter hoſtiles Saracenorum gladios, corporalis vitæ diſpendio lucratos, his verbis tradit.

10. *Nec tamen* (inquit) *ex illa profectione Orientalis Eccleſia liberari, ſed Cœleſtis meruit impleri, & lętari. Quòd ſi placuit Deo tali occaſione plurimorum eripere, ſi non Orientalium corpora à Paganis, Occidentalium animas à peccatis, quis audeat dicere illi: Quid feciſti ſic? aut quis rectè ſapiens illorum ſortem magis non doleat, qui ad priora, vel peiora fortè prioribus ſcelera redierunt, quàm eorum mortem, qui in fructibus Pœnitentiæ purgati varijs tribulationibus Chriſto animas reddiderunt? Alioquin quamlibet dicant Aegyptij, dicant filij tenebrarum, qui veritatem nec videre valeant, nec proferre: Callidè eduxit eos, vt interficeret in deſerto. Patienter tolerat Saluator opprobrium, quod tantarum animarum ſalute compenſat.* Quàm conſtanter verò Vir Dei, quibuſque item ſignis obloquentium tunc iacula retundens, eorundemque calumnijs ſe pro ſcuto opponens, pro Dei honore inuictus in acie perſtiterit, hæc pręmemoratus Auctor: *Accidit* (inquit) *vt vbi primùm de eiuſdem exercitus diſſipatione lamentabilis intra Gallias inſonuerat rumor, vt illuminandum Dei famulum filiũ cæcum offerens Pater, multis precibus vinceret excuſantem. Et imponens Sanctus puero manum, orabat ad Dominum, quatenus ſi ab eo verbum prędicationis illius exierat; ſi prædicanti ſpiritus eius affuerat, in illius illuminatione* oſten-

Baronius an. 1139. n. 5.

Sacri belli expeditio ſiniſtrum exitum ſentit.

Otto Friſigen ſis in Frider lib. 1. c. 6. in fine.

Oblatrantiũ linguæ in S. Bernardum inſurgunt.

Gofrid. in vit. S. Bernar di lib. 3. c. 4.

S. Bernardus iuſſu Romani Pontificis Sacrum bellum vti prædico annũciat.

Prædicatio ipſius innumeris miraculis comprobata.

Ingens animarum lucrum Chriſti fidelibus ex clade ceſſit.

Gofrid in vit. S. Bernard. vbi ſupra.

Si non Oriẽtalium corpora à Paganis, certè Occidentalium animas à peccatis eripi contigit.

Gofrid. vbi ſupra.

Vir Dei excum illuminãdo, expeditionem manifestis signis à Deo fuisse testatur.

ostendere dignaretur. Dum verò post orationem orationis præstolaretur effectum: quid facturus sum (ait) puer, video enim: attollitur illico clamor adstantium; plures enim non modò ex fratribus, verùm è sæcularibus aderant, qui vt puerum videre videntem, multipliciter consolati, Deo gratias referebant. Hæc Gofridus, qui deplorandã Christianorum Occidentalium stragem ingens eorundem animabus emolumentum, salutis videlicet lucrum attulisse testatur, Quippe qui arreptis in Christi obsequiũ, ac proximorum vtilitatem, & Pœnitentiæ insuper gratia armis, morientes rectà in Cœlum via euolarunt; adeò vt verè cum Apostolo vnusquisque eorum posset sibi meritò gratulari: *Mihi* (inquiens) *viuere Christus est, & mori lucrũ.* Ità planè.

Pœnitentiæ armis bellatores accincti indulgentiam, si non palmam à Deo adepti.

Phil. 1. cap. 21.

11. Atqui sanctissimus Abbas diris calumniarum iaculis impetitus vndique, apologeticam subinde pro se ad Eugenium Pontificem, à quo sacrum annunciare bellum fuerat iussus, epistolam scripsit, vbi isthæc inter alia habet: *Mihi* (inquit) *pro minimo est, vt ab illis iudicer, qui dicunt bonum malum, & malum bonum, ponentes lucem tenebras, & tenebras lucem, etsi necesse sit fieri vnum è duobus: malo in nos murmur hominum, quàm in Deum esse. Bonum mihi, si dignetur me uti pro clypeo; libens excipio in me detrahentium linguas maledicas, & venenata spicula blasphemorum, vt non ad ipsum perueniant: Non recuso inglorius fieri, vt non irruatur in Dei gloriam. Quis mihi det gloriari in voce: illa Quoniam propter te sustinui opprobrium, operuit confusio faciem meam; gloria mihi est, consortem fieri Christi, cuius illa vox est: Opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me.* Hucusque Bernardus in Apologia, quam pro se aduersus detrahentes, in lucem dedit. Qui etsi valido consciẽtiæ testimonio probe munitus, tutusque subsisteret; attamen quod ob peccata Populi publica Dei causa periclitaretur (vt ait Baronius) ac Sancta Ciuitas infidelium potẽtiæ esset exposita, iã dedenda infeliciter hostibus, & vehemẽti quidem doloris sensu angebatur. Quẽ sic mœrentem Deus per Abbatem Casæmarij vnum ex Discipulis suis super tristi, funestòque Hierosolymitanæ rei, ac bellatorum exitu solatus est. Quod enim tunc sinistrè acciderat, magno animarum

Baronius an. 1149. n. 9. Bernard. epist. ad Eugeniũ.

S. Abbas patienter in se potius oblatiantium conuerti linguas, quàm Deo insulta re sustinet.

Baronius vbi supra.

lucro, ac vberi hominum pœnitentium fructu obtigisse, conscriptis ad eum literis testatus, de innumeris; qui ea occasione morte in bello præuenti, ad æternæ salutis portum peruenerant, isthæc consultò inter cætera meminit: *Dictum est* (inquit) *mihi, Pater charissime, quòd de hac re, quæ non ita prosperè, vt forsitan volebatis, contigit (de via vero Hierosolymæ loquor) multum tristamini; eo quòd Ecclesiæ Dei, vel gloria, non sicut desiderabatis, accreuit, &c.* Quibus enarratis, aptè sermonem in rẽ præsentẽ inflectens, hæc subdit.

Dum ob Populi stragem tristatur & luget, literis à Casemarij Abb. releuatur.

Apud S. Bernardi opera epist. 323.

12. *Videtur* (inquit) *mihi, quòd omnipotens Deus de hac via multum fructum fecit, non tamen eo ordine, quo ipsi viatores arbitrabantur. Siquidem si hoc, quod cœperant, sicut decet Christianos, iustè, ac religiosè prosequi vellent: Dominus cum eis esset, ac magnum fructum per eos perfecisset. Sed quoniam ipsi ad mala sunt deuoluti, & hoc nequaquam Dominum, qui Auctor viæ fuerat, à principio latere potuit; vt sua prouidentia in sui dispositione non falleretur, malitiam eorum in suam conuertit clementiam, & misit eis persequutiones, & afflictiones, quibus purgati ad Regnum peruenire possent. Denique confessi sunt nobis, qui redibant, quod vidissent multos ibi morientes, qui libenter se mori dicebant, neque vellent reuerti, ne amplius in peccatis reciderent. Sed ne in dubium venias, quod dico, quasi Patri meo spirituali in confessione aperio, quod Patroni loci nostri BB. Ioannes, & Paulus nos visitare dignati sunt. Quos ego super hac re interrogari feci, & huiusmodi sententiam responderunt; dicebantquè multitudinem Angelorum, qui ceciderant, de illis, qui ibi mortui sunt, restauratam. Hoc autem scitote, quod magnam vestri memoriam habuerunt, finemquè vestrum citò venturum prædixerunt. Quia igitur benè res, etsi non secundum hominum desiderium, tamen secundum Dei propositum euenit; vestræ erit prudentiæ in ipso de hac re consolari, cuius solius gloriam quæritis, & desideratis. Idcirco namque vobis & exhortandi, & operandi gratiam in hoc negotio dedit; quia bonum, quod inde facturus erat, præuidit. Ipse igitur cursum vestrum feliciter compleat, nosquè vobiscum in sua gloria constituat.* Hæc quidem Casæmarij Abbas prophetico spiritu ad S. Bernardum alioqui mœrentem super eorum, qui pœniten-

Sinister belli euentus in animarum prosperitatẽ cessit.

Multi, se tunc libenter mori affirmabant, ne in culpas posthac relaberentur.

Sancti Ioannes et Paulus ingentem occisorũ numerum salutem à Deo consequutũ per visum testati sunt.

nitentes in sacro tunc bello decessserant salute, solaturus eumdem scripsit. Ex quibus sanè arma pœnitētię zelo à Christianis Occidentalibus suscepta, etsi corporibus cladem, animabus tamen æternæ vitæ lucrum pepetisse constat. Quò illudSapiētis oraculum aptè morientibus occineret: *Laudaui magis mortuos, quàm viuentes*. Ad vitam quippe elucrandam obtruncatis in bello ipsam profuisse mortem; ijs verò, qui è prælio domum superstites rediere, inter sæculi pericula degentibus vitam,nonnisi certo dumtaxat animæ dispendio contigisse, experimento satis probatum est: Sed de his hactenus.

Eccles. 4. 2.

13. Funestè vero è contrà res accidit his potissimùm,qui arma arripere, sicut promiserant, detrectarunt; Et si quidem Philippus Pulcher,Francorum Rex, huius nominis Quartus, mira quidem,ac se digna ergà Romanum Pontificem deuoti, animi signa exhibuit: Nam inter cætera, quæ apud Lugdunum Clementi .V Pontificia thiara redimito pia humiliter obsequiorum officia deferens, stratoris tunc munus exercuit, quod tamen haud irremuneratum e Cœlo abijt;Deo etenim fauente à muri ruina liber omnino,atque incolumis seruatus est. Verùm qui multa item in Bonifacium VIII. Romanum Pontificem antè peccauerat, eiusquè inuisam penitus memoriam habuit, quò suum salubriter errorem agnosceret,admonitus est; & cùm tres eoram eo Cardinales argumentis ex Theologia, & ex Iure tum ciuili,tum canonico petitis Bonifacianæ causę æquitatem ostendissent: nihilo attamen se ipso melior effectus, tandem ob iniquam ad Generale Concilium prouocandi arrogantiam in ius vocatus, prolata in ipsum anathematis sententia, iustè à Pontifice percellendus fuit. Verùm in Viennensi, cui interfuit, Concilio, reiectis,expunctisquè calumniarum, quæ ab ipso in Bonifacium intorquebantur, notis, pœnisquè ob gesta in Bonifacium solutus, se pœnitentiæ causa ad Syriacam prouehendam armorum expeditionem iure iurando obstrinxit, ac certum sibi à Clemente induendę Crucis diem, quò maiori res pompa ageretur,indici poposcit: Sed cùm altiora Asiaticæ expeditionis, quæ ipse animo secum voluebat diutiùs consilia protraheret, contigit; vt nullus ex ijs Regibus, qui in Viennensi Concilio sacrum Crucis symbolum acceperant, nec eorum successores, dum sibi de prolixioris vitæ spatio inaniter adblandiuntur, suam post nuncupatum votum fidem exoluerent. Rex igitur morte præuentus, quod promiserat, adimplere nequiuit, vt Bernardus in suis historiarum paginis, qui isthæc de Philippi Regis morte tradit.

Funeste res accidit, arma in Terræ Sanctæ subsidium sumere detrectantibus.

Rainaldus an. 1314. *n.* 26.

Philippus Pulcher Francorum Rex, diu moras nectit armis in sacro bello mouendis, dum obit.

Alij item Reges post nuncupatū votum mortui vita excidunt.

13. *Anno*(inquit)*Domini M.CCCXIV. in Vigilia B. Andreæ Apostoli Sede Romana vacante obijt Philippus Rex Franciæ anno currente* XXX. *Regni sui in Castro de Fonte Bliaudi, vbi natus fuerat in hunc Mundum, fuitquè sepultum corpus eius apud S. Dionysium; Cor verò ipsius apud Pyssiacum in Monasterio Sanctimonialium, quod ipse fundauerat, dum viuebat; cui successit in Regno filius eius primogenitus Ludouicus, qui tunc erat etiam Rex Nauarræ*. Hæc de Philippi obitu, qui ab Italis insuper, & Belgis scriptoribus ob id eiuscemodi fato perculsus traditur;quòd nimirum acerbis Bonifacium calumnijs petulanter incesserit, ac nonnisi Diuinæ prorsus vindictæ fatum ipsius fertur adscriptum; Quippe qui dum venationi intentus, aprum insequitur, ex equo,quem fera excurrens turbarat, vi maxima in terram collisus est, vt conceptis S. Antonini verbis sic narrat: *Anno*(inquit)*præfato mense Nouembris de hac luce migrauit Rex Franciæ Philippus, qui regnauerat* XXIX. *annis. Mors autem eius fuit satis infelix; Nam cùm esset in quadam venatione, quidam aper inter crura equi, quem equitabat Rex, se ingessit, ex quo Rex ex equo cadens, paulò post mortuus est. Hic fuit pulcherrimus hominum temporis sui, statura magnus, & optimè proportionata membra habebat: sapiens, & bonus in se secundùm conditionem Regiam: sed quia nimis deditus erat delectationibus corporis, & præcipuè venationibus, non tantum vacabat curę regiminis, quantum expediebat; sed alijs familiaribus suis negotia Regni committebat,quibus cùm nimis crederet in consilijs, multa detrimenta inde sequuta sunt in Regno. Post se autem reliquit tres filios, scilicet Ludouicum Regem Nauarræ, Philippum Comitem Pictauiensem, & Carolum Comitem Marchiæ. Omnes ij fratres fuerunt in modico tempore Reges Franciæ succedente altero alteri per mortem eorum. Omnes pulcherrimi viri*

Bernardus in Chronico Rom. Pont. M.S. Bibliot Vatic. signi n. 37. 3761. *Clem. V.*

Inique se erga Bonifacium Romanū Pontificem gesserat.

S. Antonin 3. *part. tit.* 21. *in cap.* 3. §. 4.

Dum venationi intēdit equo lapsus mortē incurrit.

viri erant, *& malè fortunati in vxoribus eorum: Nam deprehensa sunt omnes in adulterio*. Quibus narratis, nonnullisquè breuiter interiectis, malorum causam edisserens hæc subijcit: *Ad hanc*(inquit) *infelicitatem creduntur deuenisse, vel quia contraxerunt in gradibus prohibitis, vel potius propter nimiam iniuriam sacrilegij perpetrati à Patre Philippo in captura Bonifacij Papæ*; Hæc Antoninus. Iustas igitur iniuriarum Bonifacio illatarum pœnas vel serò Numini Philippus exoluit, vt ex iam narratis constat; &si apud plures Ioannes Papa XXII. eam in suis epistolis potissimam affirmet, nimirum à Philippo Pulchro Syriacæ expeditionis vorum non ex firmo animi proposito sed perfunctoriè nuncupatum, & ob id à Diuino Numine, cui illusisse quodammodò videbatur, vltionem in ipsius merito caput recidisse. Quapropter ipsius Philippo VI. (vt Rainaldus docet) à Pontifice ob oculos calamitas proposita est, ne votum à se nuncupatum pari per dolos arte infringeret, Deo haud impune immane periurium eiusmodi futurum.

In Regni ad ministranda prouincia se gnitiæ notatus.

S. Antoninus vbi supra.

Baronius an. 1315. n. 26.

A Ioanne Papa Syriacæ expeditionis, votū perfunctoriè nuncupatū, ipsi interitū attulisse traditur.

Rainald. an. 1322. n. 22. 23.

15. Inter milites verò, qui Pœnitentiæ causa permoti arma in Terræ Sanctæ subsidium arripuere, Philippus Longus Francorum Rex, eius nominis V. Pictauiæ antea Comes adnumeratur, qui tuendæ Christiani nominis Religioni deuotus adeò extitit; vt Crucis signum vltrò, libenterquè Orientalibus opem Christianis laturus, à Cardinali Legato acceperat: Extincto autem postea Ioanne ipsius Nepote, Galliarum Regno præficitur. In quem Regni subinde Proceres conspirarunt: Is verò à Pontifice primùm admonitus, vt totis neruis sedandis primū ciuilis belli turbis intenderet, sacris à Pontifice, ac pluribus beneficijs affectus, deuinctusquè, pia cuncta sollicitæ mentis studia deuoto ipsius cultui deuouit: adeò vt Christi Vicarium quibusuis in Gallia obsequijs fouendo promereri studuerit: Regiam verò pietatem, ac studiorum obsequia Ioannes XXII. demiratus, saluberrimis ipsum præceptis imbuendum curauit. Verùm Rex acerbo ex filij morte dolore pulsatus, consolatorijs à Pontifice literis releuari meruit, & ad SS. Ludouici Regis, & Ludouici item Episcopi Tolosani domestica virtutum æmulanda vestigia incitatus, discrimen vitæ passus; vt caduca in primis spernendo cœlestia sectaretur, sollicitatus est. Verùm à Pastorellis postmodum seductus, ijsdem vel inscius fauit; Sed dum totus armis in Asiam mouendis incumbit, morbo præuentus, vt piè, ac laudabiliter Deo operibus pœnitentię faceret satis, & patientia præsertim conspicuus, diutino tabescens languore, diem clausit, vt Bernardus sic in suis historiarum paginis tradit.

Philippus Longus Francorum Rex V. huius nominis Christianis opem laturus cruce signatis insignitur,

Mirā ipsius pietatem Romani Pontifices celebrant.

Armis pro Christianorū subsidio mouendis intentus, morte præuenitur.

16. *Philippus* (inquit) *Rex obijt tertia die intrantis mensis Ianuarij in prima parte noctis Dominicæ diei An. Dom. M.CCC.XXI.* Quibus appendicis instar, ac insignium præconiorum tituli hæc Rainaldus in suis Annalibus addit: *Consumptus*(inquit) *diutina infirmitate, in qua singularem explicuit patientiam, pari pietate Ecclesiasticis Sacramentis ingenti immortalitatis spe munitus. Magnarum virtutum Princeps dignus, Sancti Ludouici abnepos, cuius exemplo bellum sacrum in Saracenos sine fictione erat redintegraturus superioribus enim annis sopito bello Flandrico, ne profectionem iniret, ob Occidentis turbas fuerat retardatus) In ipso conatu, cùm Pontifex diem traiectionis constituturus esset, relicto sui magno desiderio excessit è vita. Commendauit moriens Regnum Christi Vicario, eiusquè apud Deum preces ad expiandas reliquas criminum maculas implorauit. Nec pio defuisse Ioannem officio indicans literæ, quibus viginti dierum indulgentiam preces pro illius anima Deo porrecturis impertijt*. Hęc ille.

Bernard. in Chronico Regum Franc.

Rainaldus vbi supra n. 22.

Infirmus digna virtutū præbet exempla.

Pia ipsius inter mortē dum studia.

16. Verùm locuples, ac dignum satis super fausto Philippi obitu testimonium in suis Pontifex Apostolicis literis exhibet, quibus Carolo filio Regi Francorum, à quo de eius certior morte redditus fuerat, rescribens; hæc in eius laudem meminit: *Sanè, fili charissime, si tam innocenter Rex ipse vixerit, quàm laudabiliter rexerit, tamquè patienter flagella Domini in sua ægritudine tulerit: necnon quàm humiliter, quàm deuotè Ecclesiastica petierit, & reuerenter perceperit, velut Princeps Christianissimus, Sacramenta; & postremò quàm confidenter, & alacriter Dei misericordiam, & Sanctorum Patrocinia inuocans, Deo tradiderit spiritum, qui creauit illum, & terra corpus, vnde assumptum fuerat, ad debita rationis reducitur examen: cessabit dolor, vtique planctus, & gemitus acquiescent, ac proculdubio multa tibi materia*

Pontificiæ de recolēdo Philippi obitu literæ ad Carolum Regem eius filium.

ria aderit ipsi congaudendi gaudenti; ipsum nempe vitam breuem, & fluidam, quæ nihil est aliud, quàm vapor ad modicum parens, quæ velut umbra præterit, & in eodem statu persistere nunquam nouit, pro æterna, & incommutabili firmiter credimus commutasse, ipsumquè de hac valle calamitatis, & miseriæ, in qua Ciuitatem manentem non habuit, ad Ciuitatem gloriæ, quam sollicitè quæsiuit, dum vixit, cuius Angeli sunt Concines, Deus Pater Templum, Filius splendor, & Spiritus Sanctus est charitas, in qua mansio est secura, totumquè continet, quod delectat, credimus perueniße: necnon & de fallaci mundano gaudio, quod luctus occupat, ad vera, perfectaquè, & æternalia gaudia iam transiße credimus; vel saltem ad spem infallibilem illuc veniendi, è vestigio perueniße. Depone itaque, fili charißime, depone gemitum, luctumquè abyce &c. Quibus Pontifex narratis postquàm dignis, ac salubribus ipsum monitis est prosequutus, suam Apostolicæ ac Paternæ charitatis epistolam concludit. Optima igitur Philippus pij è vita decessus miris virtutum exemplis posteritati monimenta reliquit, quibus suæ certam salutis spem cunctorum animis iuremerito visus est conciliasse.

Magna salutis spes ob piæ vitę rationem.

17. Porrò vt susceptæ sermo narrationi insistat, Robertus irem Brusius sacræ præsertim prouehendę militiæ amore succensus decessit, qui Scotici affectati sceptri crimine apud Eduardum seniorem Angliæ Regem accusatus, primùm fuga sibi, in Scotiam diuertens, consuluit; Sed ira, odioquè excandescens eò prosilijt, vt Deum, ac Templi religionem nihil veritus, Ioannem Cumeinum, qui ipsum accusarat, in Templo, & dum in Minoritarum choro ageret prodiræ fidei increpitum, gladio audacter confoderit, quem iteratis subinde socij vulneribus cõtrucidarunt. Hac igitur cæde cruentus, in Scotiam profectus, regale, quod sibi hæreditario iure debitum, ab Eduardo perperam Ioanni Baliolo adiudicatum fuisse causabatur, diadema suscepit, collectisquè copijs se ad Anglos è Scotia deturbandos accinxit. Sed gemino ab Eduardi Ducibus prœlio appetitus, non absque ingenti suorum strage, quorum publica toto passim Regno cędes, ac proscriptio fiebat, se in syluas, & in antra recipere coactus est. Robertus tamen haud animum despondens, resumptis viribus, armisquè Eduardum in Hybernia valido aggressus bello, à Ioanne 22. anathematis iaculo defigitur; quin eius frater Eduardus, qui Hyberniam armis inuaserat, capite mulctatus, condigna excitarum turbarum pœnas dedit. Cùm igitur multi modis iactatus, tum armis à Rege, tum censuris à Pontifice percellitur; suis probè malis edoctus, Põtifici randem humiliter inflectendo ceruicem, eius sibi acquiescendum imperio decreuit. Suos itaque ad Apostolicam Sedem, apud quam indictum sibi Iudicium fuerat ad obiecta crimina diluenda, & ad ipsius gratiam Pontificis conciliandam supplex Oratores misit, suasque apud ipsum excusationes adhibuit.

Rainaldus an. 1316. n. 81.

Robertus Brusius sacræ militię prouehendæ studiosus.

Templi religionem violans graui se scelere obstringit.

Anathematis iaculo à Ioãne 22. percellitur.

18. Verùm Regio subindè à Pontifice appellatus nomine, biennales cum Angliæ Rege inducias paciscendo firmauit; Sed præmemoratum, prædefinito tempore elapso, Regem bello aggressus, ingenti ab eo vicissim armorum vi est appetitus; ad immanes verò sopiendas bellorum faces consultò re maturius discussa connubiales interim miscendos nexus operæ pretium duxit. Dauidi enim ex se genito Eduardi III. sororem Marrimonio iungens, animorum sancito fœdere pacem firmauit, & à Romano Pontifice supplex veniam exposcens, censuris, quibus anteà innodatus fuerat, Apostolica, vti popoścerat, auctoritate solutus est, hac tamen conditione, ne armis in Angliam posthac insurgeret, ipse verò è contrà à Christi Vicario, vt Regio more inunctus, Scoticique Regni insignijs donaretur, postulauit. Quibus benignè pręstitis, supremum, sibi mortis diem instare præsentiens, suorum humiliter à Deo veniam criminum precari non destitit: Nam, vt Hector Boetius testatur, eius describens obitum, cùm morti iam proximus esset, præ cæteris, quod pro caduco potiùs Regno cum finitimis, quã pro æterno sibi in Cœlis comparando aduersus infideles bella gessisset, valde pœnituit, ingemuitquè, ac Ierosolymorum ditionem Christi sacro respersam sanguine, tam deuotæ mentis ardore complexus est; vt quia viuens sacra è Barbarorum manu loca vendicare semper con-

Rainaldus an. 1319. n. 22.

Bellum Anglorum Regi mouet.

Concilium reintegridæ pacis gratia cum Rege Anglorum init.

Hector Boetius lib. 4. Buccalor fcer lib. 8.

concupierat, re infecta decedens, suum post mortem cor Hierosolymam deferri, atque ibi ad Dominicum recondi sepulchrum iusserit. Sed ipsum Boethium isthæc enarrantem audire hic præstat.

Sub vitæ finè dolet, quod pro caduco potius Regno, quàm pro æterno cõtra infideles bellum gesserit.

19. *Obnixè*(inquit)*omnes orauit, vt dum ipse fatis concessisset, vnum eligerent ex præstantissimis Regni Ducibus, qui cor suum Hierosolymam ad Christi sepulchrum deferret, id enim sibi viuo maximè semper fuisse in votis, vt eò profectus, hostes Christiani nominis oppugnaret: Sed quoniam per frequentia bella, fatumquè suum non licuisset, id saltem modò optare; vt quod est præstantissimum corporis humani, &c. quo iam sæpe illuc reuoluerat, id sepeliendum in Templo Dominici sepulchri, quod in Golgotha ædificatum est, illuc deferretur. Eo itaquè defuncto ex consilio Magnatum Iacobus Duglas haud quaquam aliena sua voluntate, etsi præsentia illius Regno etiam tantopere vsui futura erat, ad id electus est.* Hæc Boethius. Verùm ex Pontificijs literis vel post biennium exaratis, vt Rainaldus in suis Annalibus tradit, à Iacobo Duglassio Roberti Regis cor secum in Hispanias deuectum, atque in Granatensi expeditione contra Saracenos, à quibus cæsus occubuit, publice in prælio, non secus ac nobili delatum triumpho euincitur, vt pio videlicet Roberti, qui id testamento sanxerat, desiderio faceret satis, scilicet: *Petitio*(Ioannis sunt verba) *delicti filij Thomæ Comitis Morauiæ nobis exhibita continebat, quòd dudum claræ memoriæ Robertus Rex Scotorum, dum adhuc rebus superesset humanis, zelo fidei, & piæ deuotionis accensus, proposuerat ad partes transmarinas contra perfidos Saracenos cum decenti hominum armatorum comitiua personaliter se conferre: sed morte præuentus, non potuit huiusmodi suum propositum adimplere; quodquè cum idem Rex suum vltimum conderet Testamentum, voluit, & mandauit expresſè, quòd si eum mori contingeret, cor suum ab eius corpore extraheretur, & in bello contrà Saracenos etiam portaretur: quodquè postmodum cum ipse Rex naturæ debitum persoluisset, corpus ipsius exenteratum extitit, ipsiusquè cor à dicti Regis corpore extitit separatum, & per quendam Iacobum de Duglas militem Glasguensis Diœcesis in Hispaniam in bello contra dictos Saracenos iuxta voluntatem ipsius Regis deportatum, &c.* Ex quibus quàm feruida in tuenda Christi fide erga perfidos barbaros hostes pij Regis studia extiterint cunctis liquet; adeò vt vel mortuus vnà cum ipsis in aciem pugnaturus prodire, manusquè conserere præoptarit. Verùm licet pium, ac omni dignum laude mentis consilium, ac votum eiusmodi censendum sit; haud tamen fuit absque Pontificis permissu operi demandãdũ, cùm Bonifacianæ Constitutionis diplomate demortuorum corpora ferro dilaniari propositis censurarum pœnis districtè vetitum fuerit. Ad expiandũ itaq; eiusmodi facinus Pontifex ad Morauiæ Comitis preces, Morauiensi Episcopo iniunxit; vt omnes, qui truculentè eiusmodi exenterationi vel operam, vel assensum præbuissent, non nisi suscepto iuriisiurandi, ac religionis vinculo absoluerete.

Quia expeditionis in terrã sanctam percupidus fuerat, cor suum post mortem ad Christi sepulchrum deferri præcipit.

Ex lit. Pont. an. 31. part. 3. Epist. 107.

A Iacobo Duglassio Roberti Regis cor in Hispanias contra Saracenos defertur.

Præferuida Regis pro tuenda Christi religione aduersus barbaros pietas.

20. Porrò dignum, ac nobile Roberto Regi iam defuncto Ioannes Pontifex in suis Apostolicis literis, quibus Dauidem filium solatus est, testimonium dedit; quo felici ipsum exitu vitam conclusisse, pijsquè perfunctum laboribus, aduersisquè vltrò expiatum decessisse his verbis tradit: *Et considerans* (inquit) *nihilominus diligenter, quòd eundem Genitorem tuum sic Diuina Clementia oculo pietatis respexit, quòd post anxietates, & pericula varia, quæ (sicut nouit tua prudentia) in hac valle miseriæ diutius fuit perpessus, pacem vidit suo tempore, ac vnitati Ecclesiæ Sanctæ Dei, extra quam aliquibus fuerat temporibus, ante suum de hoc Mundo exitum reconciliari meruit: ita quòd tanquam Princeps Catholicus de præsenti sæculo nequam ereptus post multorum laborum inquietudinem transisse ad Patriam feliciùs credi possit. Consolationem assumas in Domino, & ei, qui te, dictumquè genitorem tuum tòt, & tantis dignatus est beneficijs præuenire, suppliciter ad gratiarum actiones assurgas, &c.* Quibus sanè Pontifex laudabilem Regis eiusdem Patris exitum dignis laudum præconijs commendans, summoperè extollit, ac sepulchralem veluti titulum Regi piè functo statuit.

Tom. 7. par. 1. epist. secr. pag. 135.

Roberti Regis preconia ex literis Põtificijs ad Dauidem ipsius filium directis.

Proposita salutis æternæ Patri indultæ diuinitus spe filiũ solatur.

21. Inter cæteros verò, qui suam sacræ militiæ manum, ac operam laudabiliter præstitere, Ioannes Rex Boemiæ adnumerandus est; Quippe qui præcipuo

Ioannes Boemiæ Rex sacræ militię manum admouet.

erga Apostolicam Sedem, Romanosquè Pontifices deuotę mentis affectu, & propagandæ insuper Religionis, ac Catholicæ tuendæ fidei studio fuit eum in modum addictus; vt vbi opus esset, imperterritus aduersus fidei hostes;atque hæreticos præsertim magna cum laude insurgeret. Is cum Polono bellum gerens, monitusquè, vt inducias cum eo iniret, Pontificijs imperijs mox acquieuit; quin spe adductus ex se progenitum ad imperialis throni apicem euehendi, se vnà cũ filio Carolo ad Apostolicam Sedem contulit,vbi omnem, quam cum Polono Rege controuersiam agitabat, ipsius arbitrio Pontificis dirimendam voluit, & de mouendis insuper in Ludouicum Bauarum armis fœdus inijt. Verùm Vir omni laude maior, cum in prælio ad arma venisset, vnà cum Carolo à Leodiensibus fusus infeliciter est, neque hic calamitatum finis: Nam cum suppetias Gallo Regi aduersus Anglum ferret, in ipsamet acie haud obscuris vel cæsus sub vitæ finem pœnitentiæ signis decessit. Tanta verò cæsorum hominum in bello clades fuit, vt ad triginta millia eorum numerus Scriptorum testimonio peruenerit. At de Ioannis obitu rerum Boemicarum scriptor, vbi de bellico ipsius apparatu, ac militari conflictu sermo incurrit, hæc tradit.

Rainaldus an.1346 n.41

Bella ab ipso infeliciter gesta.

Frorf. hist. lib. 1

Præcipui Viri Principes qui in bello ceciderunt.

22. *In quo* (inquit) *bello mortuus est Rex Boemiæ, Dux Lotaringiæ, Comes de Lancione frater dicti Regis Franciæ germanus, Comes Flandriæ & alij multi Comites, & Barones, atque nobiles Francigenæ, necnon, vt dicitur, plusquam duodecim millia hominum Gallicorum in dicto bello ceciderunt mortui · de Anglicis non pauci mortui fuerunt*. Hæc Auctor. Nonnulli verò ex Scriptoribus rerũ eius tẽporis, planè cæsorum numerum,quem supra memorauimus, extitisse affirmant. Verùm Ioannes Boemiæ, etsi oculis captus, bellicis tamen periculis haud se tuendæ Religionis causa immunem voluit;quinimmo se ipso maior, in bello fortiter mori, quàm extimuisse hostes, & ab eis refugisse maluit. Quapropter dum admirandæ fortitudinis, inuictique ipsius animi Petrarcha meminit hoc nobili Virum elogio commendat: *Eo* (inquit) *se præcipitem dedit, quò spectare alij, cæcumque oculis prosequi vix audebant*. Et infra hæc laudum præconia tanto digna Principe subtexit: *Et quid oro* (inquit) *gloriæ Viri fortis obfuit visu caruisse, nisi vt quem virtus, & natura mirabilem fecerant, stupendum cæcitas faceret?* Oculos igitur Vir tantus, vt suos vtriq;videret,extimeretq;hostes,ac belli pericula, non habuit, sed vti palmarum ambitiosissimus in medias irruẽs hostium turmas, triumphos sibi pararet, hostibusque planè cunctis ob id mirandus, quod vel cæsus cæderet, nec vel victus terga turpiter hosti aliquãdo verteret

Ioãnes oculis captus, in bello fortiter mori cupiens periculis se Religionis causa misceri haud timuit.

Petrarcha lib. 2. de remed. vtriusq; fort. dial. 96.

Quem virtus & natura mirabilem fecerat, stupendum cæcitas fecit ex Petrarcha.

23. Porrò Virum omni (vt Rainaldus tradit) laudum præconio dignum, strenuum vtpote Ecclesiæ defensorem in bello amissum, qui vnà cum Philippo aduersus Saracenos pro Christiana fide Syriæ restituenda vitam libenter dare, ac sanguinem fundere decreuerat; vbi Clemens Sextus, in bello cecidisse comperit, acerbè indoluit, defleuitque vberiùs, & Carolum filium, qui in bello incolumis euaserat, eiusque sororem Bonam Normanniæ Ducissam consolatorijs conueniens literis, hoc ipsum nobili Ioannem elogio prosequitur: *Rex ipse* (inquit) *tanquam Princeps Catholicus, fortis, prudens, & strennus gloriosè, ac victoriosè cum celebris famæ præconio in Mundo viam Domini non deserens, diutius vixit, & regnauit multis temporibus, ac prolem numerosam, & inclytam post se relictam à Domino meruit obtinere: tandemque armorum actus in iusto bello Regnum Franciæ defendendo, exercendo magnanimiter, sicut ad suum spectabat honorem Regium, vires suas honorabiliter sic Deo deuotus, vt credimus, & spe de misericordia Diuina concepta inter suorũ caternã militum finiuit terminum vitæ suæ; quod piè credi potest, de laboribus ad quietẽ, de miserijs, & ærumnis ad beatitudinem, & ad lucem de tenebris transiuisse, &c.* Hæc itaque Apostolico ipsius Pontificis ore deprompta optimo Regi, qui cum magna salutis spe inter arma, nec absque certis Pœnitentiæ signis è vita decessit, sepulchralis instar tituli non immeritò statuisse voluimus.

Rainaldus, an. 1346 num. 42.

Clemens VI ipsius obitũ amarulenter luget, & filium ipsius, & sororem consolatur.

Clemens VI. tom. 5. epist. sect. 527. & epist. 525.

Dignas ipsius laudes Pontifex meminit.

24. Alphonsus item Lusitaniæ Rex suam orthodoxæ Religioni tuendæ, atque ab Infidelium iniurijs vindicandæ operam deesse passus non est. Inita quippe primùm cum Alphonso Castellano

Rainaldus an. 1357 n. 11

exo-

exoptatæ pacis fœdere, ac mira Deo fauente, è Mauris victoriæ palma potitus, quantum Deo pia Religionis, quæ gessit, studia grata, acceptaque fuerint, haud obscuro eunctis argumento prodidit. Verùm qui iustam, condignamque ex hostibus vltionem Religionis amplificandæ zelo permotus, priuatisque posthabitis commodis respiciebat, oblata sibi à Mauris, quæ ad eius conciliandum animum mittebantur, munera constantissimè respuit; Quinimmo indicta in eius maximè gratiam Crucesignatorum expeditio fuit, attributæque insuper decimæ, vt rem feliciter ad opus perduceret. Verùm Rex pius, tantisque pollens virtutibus, si quid in Ecclesiastico violando iure, humana illusus felicitate deliquit (adeò vt Pontificijs postmodum literis sit iure merito increpitus) errorem tamen postmodū retractasse noscitur. Iniusta quippe (vt historiæ tradunt) Regis, Regiorumque administrorum potentia haud parum in Lusitania, Ecclesiasticum ius violari cōtigit, dum contempta anathematis, quæ ad asserenda Ecclesiarum iura, incussa erat censura in eos, qui Pontificia, vt Catholicos decet, edicta asserebant, carcere, aut exilio per scelus desæuitum est. De quibus grauissimè apud eundem Alphonsum Clemens VI. subinde conquestus, & ne à suis ille acceptam Maioribus defendendi iuris Ecclesiastici gloriam, illibatamque hactenus labefactaret, seriò admonuit, vt in suis Pontifex literis sic ipsi inculcat.

Alphonsus Lusitaniæ Rex contra Mauros fidei hostes armis insurgit.

Rainaldus an. 1350. num. 44.

A Clemente VI. ob ministrorum ip sius arrogantiam in iuribus Ecclesiæ violādis monetur.

tom. 9. epist. secret. pag. 81

25. *Habet siquidem* (inquit) *insinuatio fide digna multorum, quòd dum in aliquos subditos tuos pro eiusdem Ecclesiæ recuperatione iurium, excommunicationis sententia ritè quantumcumque profertur, statim cum in vocem licet friuolæ appellationis erumpitur, per literas Regias expressè mandatur; quòd nullus sic excommunicatos pro excommunicatis habeat, aut tanquam excommunicatos euitet, et quòd Clerici, qui Nunciorum nostrorum literas super hoc exequuntur, aut ab eodem Regno exulant, aut experiuntur angustias carcerales; et multa fiunt, quæ relinquimus ad præsens silentio, ex quibus libertati Ecclesiæ non modicum derogatur. Et quamuis hæc; vt verisimiliter credimus, præter conscientiam tuam fiant; quia tamen nomine tuo fieri asseruntur, decet magnitudinem tuam tam corrigere illa celeriter, quanto (si illa sunt) honori tuo derogant potius, et saluti, etc.* His planè verborum notis Alphonsum Pontifex admonet, & vt resipiscat, validè vrgendo extimulat.

26. Demum Alphonsus, vbi anteactæ vitæ culpas, vt par est credere, Pœnitentiæ salubriter operibus expiasset, Anno Christi 1357. supplex Legatos ad Innocentium Sextum mittens, post annos triginta, & amplius in Regno exactos viuendi finem fecit. Corpus verò ad aram Templi maximam conditum est, vt Mariana in suis paginis tradit. Petrus autem filius illi suffectus, Regnum administrandum suscepit, à quo Innocentius certior de Parentis subinde obitu redditus, magno se animi dolore præuentū ob egregium Principem, qui Regium præclaris virtutibus nomen decorabat, sibi vtpote intimo amicitiæ glutino deuinctum, ac è vita sublatum testatus est, cui & longioris vitæ annos pro magno publicæ Christianorum rei beneficio exoptasset; Conscriptis itaque humanissimis ad ipsum literis, nobile defuncto Alphonso super felici è vita decessu testimonium detulit, vbi inter alia, hæc illi aptè in Parentis laudem suggerit: *Claræ* (inquit) *memoriæ Alphonsi Regis Portugalliæ Patris tui ab hac luce transitus, quem nobis literas tuas fama preueniens nunciauit, graui nos amaritudine, grauique mœrore conspersit. Siquidem virtutes eius, quibus dignitatem Regiam illustrabat, debita consideratione pensantes, ac proindè illum inter ceteros Catholicos Principes charum, acceptumque habentes, desiderabamus attentius; vt longitudinem temporum ei tribueret Dominus, et Regni sui dilataret terminos, paceque firmaret: Sicque cum plenus dierum in senectute bona cum Patribus suis, illum Deo vocante quiesceret, nactus pro tempore filius gubernacula Regni suscipiens illis feliciter presideret. Sed quoniam vitæ, mortisque arbiter, et distributor Omnipotens, quem cum libuit, nasci dedit, eum, cum placuit, in dicto fine vitæ ad se (vt piè credimus) reuocauit, dolori terminum ponimus, et in eo, qui dedit, et abstulit, consolamur, sperantes firmiter; quòd ipse, qui in terris positus studuit operatione virtutū, et exercitio bonorū omniū operū placere Cōditori, ab eo, apud*

Rainaldus an 1357. num. 11.

Alphonsus Legatos supplex ad Innocentium VI. mittens pœnitentia expiatus obit.

Mariana de rebus Hispan. lib. 17. cap. 2.

Tom. 5 epist. secret. pag. 145

Pontifex nobile Alphōso, eiusque mentis testimonium exhibet.

quem nullum bonum irremuneratum esse constat, mercedis prēmia est consequutus in Cœlis. Optima igitur supremæ mercedis spe Alphonsus, dum viuens bonis incũbit operibus, animo suffultus, expiatisque salubriter culpis, Pontificio item cumulatus oraculo ad Deum peruenit.

Raynaldus an. 1364. num. 16.

Ioannes Frãcorum Rex, Philippi primogenitus, Romanæ Ecclesiæ addictissimus.

27. Præmemoratis autem Principibus Viris strenuè pro Religione bellantibus Ioannes Frãcorum Rex Philippi Regis primogenitus, Sedique Apostolicæ obseruantissimus accedit; cuius ille iura, libertatẽq; integrã semper, ac illibatã voluit, à qua item ipsi calicis singulari priuilegio vsus permissus est. Hic primùm suam vnà cum Romano Põtifice ad Christianos inter se Principes conciliandos operam impendit: sed cum discordiarum subinde rixas cum Eduardo Anglorum Rege foueret, frustrà monitus, frustrà tentatus, ipsum vltro Pontificem audire contempsit; quin dum suis plus æquo cupiditatum indulget studijs, factus in consilia præceps, sæuitiam in suos præcipuè ad exugendas eorundem opes exercere haud erubuit, nec Romano (vt par est) Pontifici super eiusmodi re, vt suum retractaret scelus, admonenti paruit. Atqui iusto Dei nutu paulo post armis à Nauarræ Regis affinibus appetitus, & ab Eduardo iuniore in bello victus; manifesto quidem Diuinæ vltionis calculo miserè ab hostibus captus est. Quapropter carceri mancipatus, & apud Burdegalam in vincula coniectus, delususque, ex Burdegalensi postmodum carcere in Anglicum ingenti sui, suorumque propudio ducitur: Verùm cùm duo ex Cardinalibus strenuè pro eo liberando contenderent; ex Anglico tandem liber carcere, & à Pontifice de Regno probè administrando admonitus, Vrbanum V. Pontificem Auenionem adijt, cum quo de Bernabone in Sedis Apostolicæ gratiam restituendo egit; Vt bellicis autem in posterum armis bene, laudabiliterque intenderet, totum se sacro promouendo bello, exercendoque deuouit, susceptoque Dominicæ Crucis Symbolo, ad veterũ sibi à Deo facilius culparum veniam impetrandam, Crucesignatorum Dux renunciatus, se proximo biennio mare vnà cum suis trãsfretaturum spopondit. Interim verò dum alijs componendis sollicitè intendit, & in Angliam ad vindicandos in libertatẽ obsides pergit, morte præuentus piè mortali è vita, immortalitate donandus decedit; de quo isthæc M.S. Vaticani Auctor: *Anno Domini M.CCC.LXIV. Mensis Ianuarij die XVII. Dominus Ioannes Rex Franciē reuersus ad captiuitatem in Anglia obijt, et fuerunt ei exequiæ in Capella Papē celebratæ die Martis VII. Maij, die xviij. Dominicē Trinitatis coronatus fuit in Regem Carolus primogenitus Domini Ioannis Regis Franciē supradicti defuncti*. Hæc ibi.

Admonitus à Romano Pontifice nè grauaret subditos, negligens Deo vlcilcente dat pœnas.

E carcere Anglico eductus Pontifici obsequium defert, ab eo Crucesignatorum Dux renunciatus.

M.S. Vatic. Biblioth. sign. num. 3765.

Expeditionẽ prouehens morte præuenitur.

28. Porrò Pontifex Vrbanus V. tanti Virum optimum, præclarasque ipsius virtutes semper fecit, vt certior de ipsius obitu à filio redditus, amarulentum, quẽ ex amissi desiderio conceperat, animi dolorem conscriptis subinde epistolis palam fecerit; in quibus inter condignas Viri laudes, amplissimam profectò ob militare Terræ Sanctæ subsidium, cui se ille bellãdo deuouerat, manumq; armis è proximo erat admoturus, receptã à Deo mercedem, coronamque illi pro egregio opere Cœlo reseruatam constantissimè affirmat, sed Pontificias literas vti nobile Regiæ virtutis documentum in medium proferre hìc libet: *Lugubris* (inquit) *rumor plurium fide dignorum iam assertione firmatus, obitum claræ memoriē Ioannis Regis Franciæ tui Genitoris insinuans, nostram, & fratrum nostrorum mentes grauis doloris aculeo sauciauit, dum charissimum filium subtractum conspicimus, qui feruens plenitudine deuotionis ad Deum honorabat Ecclesiam, et libertatem Ecclesiasticam conseruabat, ardoreque Diuinę charitatis ignitus, zelo sacrę fidei, qua saluamur, se militem Regis Regum prompta pollicitatione constituit, Crucem suam humeris baiulans, Redemptorem suum (pro cuius reuerentia paratus erat proprium fundere sanguinem.) Sicut Princeps Christianissimus sequuturus: O quantus dolor totius sui Populi, tam prudentis, & magnanimi Principis regimine destituti! O quantus mæror Christiani exercitus ad recuperationẽ Terræ Sanctæ profecturi de proximo tenētis se Ducis tam prouidi, tamque strenui amisisse Ducatum. Profectò cum ijs dolentibus meritò condolemus, & dolere debet vniuersa Ecclesia Sãcta Dei, quia nullus fidelis expers potest esse mæroris, cùm cõstat generale dispendium acci-*

Vrbanus V. consolatorijs literis ad filium directis Ioannis laudes celebrat.

Tom 2. epist. secr. pag. 101.

Ob pollicitam sacro operam bello Regem summoperè laudat.

accidisse. Verùm quia non est instandum doloribus, vbi præsertim consolationis remedia Diuinæ bonitatis gratia, quæ nunquam deest in se sperantibus, tribuuntur; de tantà meritò consolamur mæstitia, piè credentes, quòd iustus Iudex bonas considerans, & præmians voluntates, eiusdem tui Genitoris transfretandi propositum pro facto clementer recipiet, eumque certantis athletæ diademate cum secum regnantibus coronabit, &c. Hęc meritò, alijsque laudum præconijs Ioanni Francorum Regi, dum Pœnitentium in morem arripere Crucem, & contra Saracenos gladium exerere parat, prærepto nobile Romanus Pontifex meritorum, ac certæ à Deo sperandæ salutis argumentum exhibuit. Ioannes verò se in Angliam contulit, vt ibi nedum de pacis initæ legibus adimplendis ageret; verùm etiam præferuido sacræ expeditionis vnà cum Cyprio Rege (vt Vualsingamus tradit) restituendæ studio adductus, vbi quatuor numero Reges ob id vnum, Francum videlicet, Anglum, Cyprium, Scotum Londini conuenisse affirmat. Plura autem Scriptores de magnifico apparatu, quo tunc temporis ibidem Rex Francorum exceptus est, tradunt. Atqui lethali correptus morbo, ac breui extinctus sapidè quidem mortalitatis cunctos admonuit; eiusq, corpus postea in Gallias delatum Regio more conditum est: cuius exequias, tunc Cyprij Regis acerbo ob amissum expeditionis Asiaticæ socium, dolore affecti cohonestari præsentia contigit.

Pia Regis voluntas arripiendi arma in Terræ Sanctæ subsidium, ingessit illi apud Deum coronam.

Rainaldus an. 1364. num. 16.

Vualsinghamus in Eduardo 3.

Quatuor Reges suam sacro bello operam fœdus inito pollicentur ex Vualsinghamo.

Rainaldus an. 1422. num. 11.

29. Condignis quoq; Hẽricus V. Anglorum Rex laudibus fraudandus non est, qui dum armis, bellisque inuictus iugiter intendit, & Carolum Delphinum Galliarum Regem ancto Regno expoliare nititur, postquam haud semel à Christi Vicario, vt pacem Gallijs redderet, monitus, ac suam bellandi operam aduersus barbaros Turcas infensos Euangelij hostes laudabiliter exercens, totam Christo dicaret, haud dictis paret; sed magis, magisque in arrepto mentis proposito perstat, Deus, vt secundos rerum obuentus, ac victoriarum, quibus affluebat, impetum quasi fræno compesceret, immanemque ipsius fastum adeò inter bella superbientem frangeret, maximis quidem ipsum ærumnis confecit: Ex iniusti quippe, reique Christianæ incommodi adeò belli laboribus lethali morbo correptus, stolidæ vel serò mentis, ac suæ nedum arrogantiæ & ambitionis, sed sine fructu conatus agnoscens, se animo vehementius angi confessus est, quòd sua Deo immortali cõtra Mahumetanos impios arma consecrans, haud ipsa in iuratos Christi hostes, pro Religione in acie dimicando viriliter conuertisset; denique sub extremam vitæ periodum haud obscura Christianæ pietatis signa exhibuit, vt Vualsingamus sic tradit: *Sumptis* (inquit) *viuifici Corporis Dominici, & alijs, quæ ad Christianum hominem pertinent, Sacramentis in vera Pœnitentia, fide recta, spe certa, & charitate perfecta, & bona memoria huic sæculo, & suis valefaciens, animam suam Deo reddidit Creatori penultima die Mensis Augusti, postquam regnauit annis nouem, quinque mensibus, & quatuordecim diebus.* Hæc Vualsingamus, cui Monstreletus egregiè consonat, qui & addit ipsum in extremo vitæ actu, dum septem Pœnitentiales à Sacerdotibus Psalmi, eaque potissimùm verba decantarentur: *Benignè fac Domine in bona voluntate tua Sion, vt ædificentur muri Hierusalē;* valdè inquā ipsum ingemuisse, professum insuper, se in illo impendentis iam mortis discrimine pium Deo votum de Hierosolymitana expeditione, si pristina sibi à Deo sospitas redderetur, totis animi neruis concepisse. *Ipsum* (ait Rainaldus) *ex erysipelate, quod vulgò ignē Sancti Antony vocant, sub natibus, qui flammas tamdiù per Gallias inciderat, extinctum ferunt.* At Iuuenalis Vrsinus ipsum dysenteria occubuisse tradit, vt suā turpiter cruorem effunderet, qui tantum humani sanguinis bellando, vt suæ præter modum indulgeret ambitioni, effuderat. Henricus igitur vti rerum gerendarũ peritissimus, humanæ itẽ gloriæ percupidus fuit; in eos insuper, qui sua aliquãdo edicta infringerẽt, vltor acerrimus extitit. At demũ suã omnẽ sub ipso mortis aspectu ferociam deponens, ac seipsum, viresq; probè suas agnoscens, ritè, & Christianum in morem se ad vitæ exitum cõparauit. Nobile autem pio Regi è vita abeunti Martinus V. Romanus Pontifex in suis Apostolicis ad Regni Proceres literis se ipso dignum his verbis præconiũ affert:

Henricus V. Anglorum Rex vt arma in Turcas fidei hostes conuerteret Christianis parcat frustra monitus flagellis atteritur.

Vualsinghamus in Henrico V. Polidor. Virgil. lib. 22.

Sub vitæ finẽ Sacramentis expiatus anteactæ vitæ errores execratur.

Monstrel. vol. 1.

Psal. 50.

Dolet maximè, quòd arma in Terræ Sanctæ subsidium arripiẽdi ipsi non sit facultas.

Rainaldus vbi supra.

In Vrsin. in Carolo II.

Qui bellis Gallias incẽderat, morbo (quem S. Antonij vulgo ignem dicunt) correptus obit.

Mart. V. lib. breuiũ pag. 78

affert: *Doluimus* (inquit) *non pro damno quidē vllo, quod ille susceperit, qui in Domino mortuus est: nam, sicut accepimus, cor eius excelsum humiliauit, & depositis curis sæculi, animam direxit ad Deum, deuotè Ecclesiæ Sacramenta suscipiens; ex quo credendum est, misericordiam Saluatoris illi aperuisse viam vitæ, &c.* Dum igitur anteactorum pœnitens bellorum, sacram arripiendi pro ChristoCrucesignatorum militiam sub vitæ occasum, & iam iam moriturus decernit; concepti vltrò à Deo, qui diues est in remunerando, voti præmium, ac Pœnitentia suffultus dignam vel serò cum nouissimis vineæ operarijs mercedem accepisse creditur.

Rex se piè ad exitum parat.

30. Denique nedum Viri Principes, acRegali honore fulgentes, sed & ipsi Romani Pontifices armis aduersus Christi, eiusque sacri nominis hostes prouehendis suam egregiè operam præstitere; adeoque Pius huius nominis Secundus, qui antequã Apostolici cōsčederet throni apicem, suo ex nomine Aeneas Syluius dicebatur, solemni aduersus Turcas expeditione indicta, nullis laboribus, nullisque parcens incommodis, eximiæ vel in hoc patientiæ cunctis documentum præbens, promeritis in Cœlo, vel ante victoriam ex hoste palmis donādus è vita decessit. Quantum verò Pontifex in sacra cogenda militia institerit, Campanus eiusdem morbum sic narrando exponit: *Nuntio* (inquit) *allato de incursione Turcarum in agrum Ragusinum, milites ducentos ad corporis sui custodiam comparatos cum paucis sagittarijs triremi expedita nauigare extemplò Ragusium iussit: triremes Venetas numero duodecim, in quibus & Venetorum* Dux *aderat, vbi appropinquare intellexit, deferri se iussit ad primum litus classem inspecturus, eaque inspecta subgemuit vna edicta voce, nuper sibi nauigandi occasionem defuisse, nunc occasioni se defuturum. In cubiculum relatus, solui statim profluuio capit, Medicis nihil periculi promittentibus: Et hæc quoque Principum miseria est (inquit) ne in morte quidem carere assentatoribus; postulauitque Eucharistiam, quam & triduò priùs acceperat, & paulò ante ad Lauretanum. Acciri deinde Patres iussit, quos hortatus est, vt in expeditione persisterent, &c. Cùm deficere vires sentiret, reijciens se se in Cardinalem*

Romani Pōtifices armis aduersus Christi hostes mouendis zelo Religionis in...

Rainaldus an. 1464. nu. 41.42.

Campanus in vit. Pij II.

Pius II. qui olim Aeneas Syluius, expeditionem in Terræ Sanctæ subsidiũ personaliter obiturus auspicatur.

Papiensem: Fili (inquit) curam meorum ipse suscipito, & huic expeditioni adesto. Interrogatus ab illo an sepeliri Romæ se vellet, non tenuit lacrymas: Et quis id procurabit? illo reticente se curaturum, refici visus est, vocauitque Patres ordine ad osculum postulata priùs à singulis venia, si minùs rectè rem Christianam administrasset, lacrymantibus omnibus, et Bessarione eius verba de re Christiana sanctissimè gesta excipiente. Iterum amplexis omnibus, inungi se iussit, vbi concurrens et ipse precibus, inter hymnos expirauit, voce vltima ægrè edita, qua rogabat omnes, vt pro se precarentur. Hæc ille. Supremas verò iam morientis subinde voces, & constans Pontificis in arrepta expeditione mentis propositum, ac labores ab eo huius rei gratia susceptos; Papiensis sic Pontificem sub vitæ finem, dum ipse Cardinales alloquitur, summa laude perorantem meminit.

Præferuidus Pontificis in expulsione prouehenda zelus.

Cardinales ad osculum singulos recipit, & veniam ab eis postulans se piè ad exitũ comparat.

31. *Venisse* (inquit) *horam suam Pius agnoscens, qua reddendus Domino spiritus esset, fratres omnes in cubiculum conuocari iubet, atque his ingressis, etsi ad loquendum iam esset inualidus, tamen morientibus, vt poterat, atque interruptis vocibus nos appellās: Fratres mei (inquit) dilectissimi, videtis, quò adductus sũ, hora mea iã venit, Deus hinc nos vocat; morimur in fide Catholica, in qua et viximus, nihil sentientes à Romana Ecclesia diuersum. Egimus vsque hunc diē, quod potuimus, pro ouibus creditis, non pepercimus laboribus vllis, aut periculis, his caput nostrum obiulimus ad communem salutem: perficere, quod cœpimus, potestas vltrà non est, reliqua vestra sunt, curate vos hoc opus Dei, etc. Mementote officij vestri, et Redemptoris nostri, qui contemplator est omnium etc.* Summa deinde animi demissione Pontifex à suis culparum veniam poscens: *Præterea* (inquit) *fratres conuersati vobiscum sumus, et ante in Cardinalatu, et post in Præsulatu, ad quem nos elegistis, conuersatio nostrã sine peccato esse non potuit; ex carne enim sumus, offensus est à nobis Deus, offensa charitas vestra: pro his, quæ in Deum peccauimus, ipse, qui omnipotens est, misereatur nostri; pro his verò, quæ in vos, rogamus dilectissimi, vt placatis mentibus veniam morienti tribuatis, etc. Valete fratres, pax Dei, et cælestis gratia vobiscum sit. His ægrè, et cum lacrymis enunciatis, tantus subitò Patrum*

Card. Papien. epist. Campanus vbi supra

Suprema Pōtificis ad exitum properantis tunc ad Cardinales verba.

Lachrymis pius Pontifex suos ac verbis simul alloquitur.

trum, qui lectulum circumstabant, coortus est fletus, vt diù præ gemitu loqui verbum nemo posset, atque ora singulorum lacrymantia viderentur, etc. et infra, At Pontifex manu è pallijs paulùlum eleuata, osculandam eam omnibus præbuit: Flens ipse, et flentes alios intuens. Nos manu apprehensa, et ante lectulum procumbentes, singillatim veniam precabamur erratorum nostrorum, et osculum supremum pacis cupiebamus, quibus ille: Ignoscat vobis pius, et misericors Deus, ac simul benedicens fratribus, eos à se dimisit. At quo subinde pio, deuotique animi sensu Dominici Corporis viaticum sumpserit, sic idem Papiensis exponit: *Biduò (inquit) ante Dominicum Sacramentum, quod celebribus semper diebus valens sumebat, etiam tunc magna mentis contritione accepit, tundens pectus, et peccatorem se confitens, communicatione indignum tanti mysterij, etc. Voce iam consumpta, quæ ab admotis auribus percipi vix poterat: Ora (inquit) pro me Homo enim peccator sum etc. Bene fac (inquit) fili, et Deo orationem offer pro me. Hoc illi vltimum verbum fuit, loqui vltrà non valuit propter rebeuma continuum, quo pectus iam, et fauces erant completa. Legebantur sine intermissione orationes Ecclesiæ, quibus animæ decedentium commendari Deo consueuerunt, ipse ad audiendum attentissimus erat, ecce horam circiter tertiam inter legendum tanta quiete spiritum Domino reddidit, vt conuiuentem, non morientem diceres emigrare, et sine sensu mortis excedere.* Hæc Papiensis; & Felix profectò inuicti Pontificis è vita transitus, qui nullis pro Christi Ecclesia, & fidelium vtilitate laboribus, nullisque bellorum pro Dei honore parcens incommodis, morte vitam lucratus, immortalem sibi Christianorum armis aduersus infideles, & ipsius Christi nominis hostes promouendis intentus coronam vitæ sibi promeruit. Sed de eo dignus, ac opportunùs alibi sermo recurret.

> Flens ipse cunctos flentes conspicit.
>
> Cardinalibus veniam à se deprecantibus benedictionem impertitur.
>
> Card. Papiensis vbi supra.
>
> Tam quiete spiritum reddit, vt quis viuentem, non morientè crederet.

CAPVT VII.

Pœnitentiæ causa varijs, assiduisque ob publicam rem, & Ecclesiæ tuenda iura, bellorum incommodis fatigati.

1 Bella, quę aut Religioni vel publicę saltem rei bono, ac vtilitati præstò sunt, iustisquè de causis à bellantibus ingenti quandoque animo suscipiuntur, sua haud laude, suoque haud fructu carent; adeoquè dignam militantibus coronam, ac suum pro laboribus præmium afferunt. Hand enim bellantium vita, ac ipsa præliandi ars suis, honestisque tum laboribus, tum periculis plerumque destituitur: *Nemo* quippe (vt Tertullianus ait) *ad bellum cum delicijs venit*. Incommodis quippe magnis, innumerisque militia subest; quæ Hieronymus seriò item aliquando expendens: *De cubiculo* (inquit) *ad aciem, de vmbra egrediens ad solem corpus assuetum tunica, lorica onus non sustinet. Mollem ocio manum durus exasperat capulus. Fortior autem miles ex confragroso venit.* Quapropter ipsa periculorum magnitudo, ac ferè innumera, quæ hostilia inter arma contingunt bellantibus incommoda, haud numero paucos à bellando ipsius Sidonij calculo ne dum retardant, quin immò valde absterrent: *Non dat* (inquit) *tot pugna Socios, quot Mensa conuiuas.* Ex quo fit, vt pari quidem labori, nec minori item tam Monachi, quàm militis periculo vita succumbat: *Ex eodem quippe* (vt Bernardus ait) *panno Miles, & Monachus tunicam, & clamydem sortiuntur.* Adeoquè si iustè militia, & vt par est, exerceatur; haud condignis ob ardua, quæ inuoluit, laborum incommoda, præmiorum aliquando muneribus frustratur. Christianis itaque bella, vbi iustitia militat, & rationabilis causa præstò est legibus minime interdicuntur; quin immo licitè insuper, ac summa itē semper cum laude suscipiuntur. Armorum quippe vsus haud bellantibus Augustino teste subtrahitur, aut certe vti noxius proscribitur, sed iustis etiam bellum ex causis aliquando, ne dum permittitur, sed imperatur. Quod si alioqui res proscriptione

> Iusta bella sua haud laude, haud præmio carent.
>
> Tertullianus in apol.
>
> Hieronymus ep. ad Theod. Mon.
>
> Militum, ac Monachorū vita æque in commodis, ac periculis obnoxia.
>
> Sidonius lib. 3 epist. 3.
>
> Bernardus ser. ad Mon.

ne digna sapientum calculo censeretur, publicæ potius censuræ quàm vtentium libertati cederet: *Si Christiana* (inquit) *disciplina omnia bella culparet, &c. consilium omnino in Euangelio daretur, vt abijcerent arma, seque militia subtraherent. Dictum est autem eis: Neminem concutiatis; estote contenti stipendijs vestris, quibus proprium stipendium prꝺficere præcepit, militare non prohibuit.* Arma igitur iustè vti volentibus ad manus sunt, & iniquus dumtaxat eorundem vsus, & vitia, quæ plerumque isthæc pertractantibus accidunt, consulto à Christianis, & cautè in Euangelij tabulis amouentur. Enimuerò tot, tantosquè homines virtutibus claros militantium sibi ars enumerat, vt nullibi tot alioqui computentur. Inter quos Centurio ille *Christianę* (vt Crysologus ait) *militia Dux*, ipsiusque Christi in primis ore laudatus, vel suo armis exemplo magnā militātibus laudē promeruit: *Non inueni* (Christus inquit) *tantam fidem in Israel.*

Augustin. serm. de pueri Centurionis. — Christiana lex haud cūcta suis bella prohibet, sed tantum iniusta. — *Chrysologus ser. de Centurione.* — *Math. cap. 8.*

2. Meritò itaque Augustinus suam tum bellis, tum bellantibus laudem illibatam volens, militantes sanctitatis quoque laurea donatos, Deoquè inter bella acceptissimos quondam fuisse pronunciat: *Noli* (inquit) *existimare, neminem Deo placere posse, qui armis bellicis ministrat. In his erat Sanctus Dauid, cui Dominus magnum testimonium perhibuit.* Quis enim laudabilior, quàm qui ab omnibus laudandus, Deū sui laudatorem habuit. Quæ verò potissimùm tam bella, quàm bellantes ab omni prorsus noxa, & iustæ reprehensionis næuo absoluant, aptè Ambrosius edisserens: *Fortitudo* (inquit) *quæ per bella tuetur à barbaris patriam, vel defendit infirmos, vel à latronibus socios, plena iustitia est.* Quid enim adeò iustum, quàm vbi publicæ interdum rei salus periclitatur, & ius tum Diuinum, tum humanum contemnitur, gladiū exerere, & publica, in Aduersarios auctoritate insurgere? Ex quo fit, vt prælia interdū, vbi iustæ suppetūt causæ, haud declināda, haud reijcienda; sed vltrò, constanterque amplexanda sint, atque exercenda, iuxta solemne illud Magni Gregorij verbum: *Aduersariorum* (inquit) *pugna constanter aliquando appetenda est.* Et siquidem vel ex hoc Machabæorum virtus & gloria inter bellandum, ipsaquè inter arma cunctis Deo olim aspirante affulsit, qui non tam armis, quàm ipsius Dei præfisi auxilijs: *Pro lege* (vt Chrysostomus ait) *& patria republica pugnabant. Eorum autem Dux erat Deus. Cùm ergò aciem dirigerent, & suas animas prodigerent, fundebant Aduersarios non armis fidentes, sed loco omnis armaturæ pugnę causam sufficere ducentes.* Hinc arma quamplures iustitiæ, & publicæ rei causa arripientes, vel ob vendicanda è Tyrannorum manibus, quæ temerè ipsi, ac iniustè occupabant, in prælium exilientes, bellorumque fatigati incommodis, magno apud Deum, qui exercituū diei dominus voluit, meritorum lucro pro anteactæ vitæ culpis (quibus erant obnoxij) pugnando viriliter, pœnas compensarunt; adeoq; & ipsi non immeritò hic in Pœnitentiū numero sunt computandi. Inter quos sanè tum Reges, tum Pontifices ipsi, qui Orthodoxæ patrocinandæ fidei, aut Ecclesiasticæ tuendæ rei, & ab hostium manu vendicandæ manum exhibuere, dignè recensendi proculdubio videntur.

Militantes quoq; Deo placere queunt ex Augustino. — *Augustin. epist. ad Bonifacium.* — *Ambrosius lib. Officiorū.* — Fortitudo militum Christianorum quæ nam sit. — *Gregorius in moral.* — Bella interdum haud declinanda, sed licite exercenda ex Chrysostomo. — *Chrysost. in psal. 43.*

3. Pietatis igitur, ac Pœnitentiæ causa, necnon pio Charitatis ardore milites interdum succensi nedum vitam, sed ipsum insuper (quod vnicuique innatum est) vitæ amorem contempsere viriliter, non secus ac ipsum profundendo sanguinē, ingens à Deo potius beneficiū accipe-rent, quàm alijs ipsi moriendo beneficiū prꝺstarent. Quod sanè Montfortius Comes aduersus Petrum Aragonum Regem ad arma prouocatus, ac iustum proinde bellum suscipiens cū co pugnaturus ostēdit, Deo namq; prꝺfidens, paruo bellantium numero innumeras ferè centum millium hostium phalanges vincendo strauit. Quo sanè summa Comitis pietas, firma in Deum fides, inuictusquè ipsius animus sic pugnantibus innotuit: Enim verò dum suis haud viribus fidens, sed Dei patrocinio suffultus arma mouet, se nō nisi aliorū causa ipsi libenter morti deuouit, de quo Petrus Vallisarnensis hęc habet; *Cùm intraret* (inquit) *Comes munitionem Castri, vt se armaret, & transiret ante Basilicam suam, subitò introspexit, & vidit Vticensem Episcopum celebrantem Missam, atque dicentem: Dominus vobiscum; post Euangelium, ad offerendum statim concurrit Comes Christianissimus, & flexis*

Raynaldus an 1213. n. 57. — Monfortius Comes aduersus Petrū Aragonum Regem iuste bellum suscipit. — *Iordanus MS. Bibliot. Vat. sign. num. 196.*

flexis in terram genibus, & iunctis manibus ante Episcopum, dixit ei: Do, & vobis offero animam, & corpus meum. O deuotio Principis! post hac intrans munitionem, armis se muniuit, rediensque ad Episcopum in prænotata Basilica denuò obtulit se ei, & arma sua, etc. Hæc ille de Comite, qui egregio clarus facto auxiliarem sibi Dei manum promeruit, dum ipse cum innumeris ferè hostibus parua militum manu pugnans, nobilem victoriæ palmam retulit; hęc enim Auctor, qui supra.

Pietas Comitis ad bellum eūtis, & se ab Episcopo benedici postulantis.

4. *Consuluit Comiti (inquit) miles quidam, vt numerari faceret milites suos, & sciret, quot essent. Cui Comes nobilis: Non est (inquit) opus, satis sumus ad superandum per Dei auxilium hostes nostros; omnes autem nostri inter milites, & seruientes in equis, non erant plusquam octingenti, cùm hostes centum millia esse crederentur, paucissimos autem, & quasi nullos pedites nostri habebant. Insuper dum & Comes nobilis, & milites nostri mutuò loquerentur, & de bello tractarent, ecce Archiepiscopus Tolosanus aduenit, habens mitram in capite, in manibus verò viuifica Crucis Lignum, mox nostri cęperunt descendere de equis, & singuli Crucem adorare. Episcopus Conuenarum Vir miræ sanctitatis videns, quòd in ista adoratione Crucis nimia foret mora, accipiens de manu Tolosani Episcopi lignum Crucis, ascendens in locum eminentiorem, signauit eos dicens: Ite in nomine Iesu Christi, & ego vobis testis sum, & in die Iudicij fideiussor existo; quia quicunque in isto glorioso occubuerit bello, absque vlla Purgatorij pœna æterna præmia, & Martyrum gloriam consequetur, dummodo confessus sit, & contritus, vel saltem firmum habeat propositum, quòd statim peracto bello, super peccatis, de quibus non fecit Confessionem, ostendet se Sacerdoti. Qua promissione ad instantiam nostrorum militum repetita, sæpiùs, & multoties ab Episcopis confirmata, statim nostri per cordis contritionem, & oris confessionem mundati à peccatis, donantes sibimet ipsis, si quis aduersus aliquem querelam haberet, &c.* At post pias Deo effusas à militibus in Ecclesia preces, quis belli exitus fuerit, his Auctor prosequitur; *Episcopi (inquit) & Clerici intrauernnt Ecclesiam, deprecaturi Dominum pro seruis suis, qui se pro eius nomine morti exponebant imminenti, sic orantes, & clamantes in Cælum, quod vlulantes dici potiùs deberent, quàm orantes.* Quæ autem ad belli exitum spectant, sic Auctor enarrat.

Vellisarn. etc.

Pauci numero milites, octingenti aduersus centum millia hostium manus conferunt.

Militibus ad bellum procedentibus, ac pie Deum inuocātibus certa palma, & Sanctorum præmia ab Episcopo repromittuntur.

Petrus Vallisarnensis ut supra.

5. *Ibant igitur milites Christi gaudentes ad locum certaminis, parati pro eius nomine non solùm contumeliam, sed & mortem pati; qui egressi de Castro in campi planitie iuxta Castrum viderunt hostes paratos ad pugnam quasi totum Mundum, &c. statim prima acies nostra audacter in hostes insiliit, & in ipsos medios se immisit; mox secunda subsequitur, hostes penetrat sicut prima, in quo congressu Rex Aragonensis occubuit, & multi Aragonenses cum eo; ipse enim vtpote in secunda acie se posuerat, cùm Reges semper esse soleant in extrema; insuper arma sua mutauerat, armisque se induerat alienis, etc.* Sed quid post hostium stragem, reuectamquè ex ipsis victoriam acciderit, sic Auctor habet: *Christianissimus (inquit) Comes intelligens tantum miraculum Dei virtute, non humanis viribus factum, sic ab illo, vbi descenderat, loco nudus pedes ad Ecclesiam perrexit, omnipotenti Deo pro collata victoria gratias repensurus; equum etiam suum, & arma dedit pauperibus in eleemosynam, &c.* Sic egregius profectò Comes Pœnitentiæ cultor, seipsum deijciens, ipsi, à quo acceperat, palmam victoriæ tribuendam voluit.

Quanta bellantium fiducia in Deum, & animi constantia.

Petr. vbi supra.

Pius, ac inuictus Comes post devictos hostes nudus pedes ad Ecclesiam, vt gratias Deo referat, procurrit.

6. Et digna quidem suæ tum pietatis, tum fortitudinis Christi fide, & pro publica omnium salute bellis iugiter insistendo, posteris argumenta præbuit Scãderbegus, iuratus Turcarum hostis, inuictusque Christianæ Religionis propugnator; qui constans, diù in armis nobiles haud semel ex Turchis inter bellandum triumphos reuexit: Quapropter iure à Pio II. Romano Pontifice laudatus, ac regali insuper ab ipso corona donandus, nisi præpropera Pontificis mors ipsius votis obstitisset. Is itaque Turcarum decem millia ferro cæcidit, Balbanum Turcarum Ducem armis viriliter fudit, duosquè Mahumetis exercitus, bellatorum videlicet viginti quatuor millibus cæsis, & sex millibus captis triumphando pessundedit: Mahumetes verò Imperator dum expeditionem ex aduerso ducentis Turcarum millibus in ipsum pararat, alter nil territus; sed confidens vt Leo, ad Paulum II. & Cardinales pro auxiliaribus implorandis militum copijs

Rainaldus an. 1467. n. 7. 18.

Scanderbegus iuratus Turcarum hostis quam viriliter arma in Christi hostes mouet.

Quot ex hostibus palmas retulit sẽper victor sẽper inuictus.

Ss con-

confugit, multisquè barbaros prælijs assiduè pugnando attriuit, cum quibus strenuè annos prope viginti pro Christi fide pugnauit; demum à Mahumete II. Turcarum Imperatore extrema affectus clade, eiusquè à barbaris ditio occupata est. Cùm Vir igitur tantus ex bellicis laboribus lethalem morbum contraxisset, quot prælijs, tot coronis, quot periculis, totidem palmis auctus moriturus tandem pio mentis affectu Ecclesię Sacramenta suscepit, vt sic contrà Tartareos præmunitus hostes in arenam descendens suis dignam deniquè pro laboribus, amplamque à Deo mercedem recepturus, diem claudens feliciter in Cœlis tryumpharet.

Moriturus Ecclesiæ Sacramenta deuotè suscipit.

7. Verùm hic suis formidandus adeò hostibus fuit, vt cum Ahamates, Turcarũ olim militiæ Præfectus valido XXV. millium equitum robore ad Scodrensem funditus deuastandum agrum irrupisset, sub Scanderbegi imperio signa Christianorum exercitus mouens, ipsius terrore, magis, quàm armis hostes fugarit: at cum laboribus subinde consumptus, ad Valmar Vrbem decumberet, dignus Christi pugil, inuictusquè in acie Dux ad laborum præmia, promeritamquè in Cœlo palmam euocatus, viuendi simul, & viriliter cum fidei hostibus pugnandi finem fecit. Sed felix hominis è vita exitus sic à Marino Barletto describitur. *Scanderbegus* (inquit) *eadem nocte, qua Turcicus, & barbarus exercitus aufugit, post sacrę Confessionis pænitentiam, cæteraquè Ecclesiastica Sacramenta, qua decet, veneratione percepta, continuè se animumquè suum Deo Maximo tradens XVI. Kalendis Februarias Anno Domini M. CCCC. XVI. Scilicet ab Incarnato Verbo, extremum suum diem obyt. Fertur igitur Scanderbegus tres, et LX. anno natus XIV. sui imperij anno è vita migrasse, etc. Quem Lechas Tuchaginus Regulus Epirota cùm iam mortuũ conclamari audisset, in publicum se proripuit, mæstoquè vultu, et voce confusa, barbam sibi euellens, et capillos: Concurrite (inquit) Reguli omnes, et Principes Albani, hodie claustra Epiri, et Macedoniæ perfracta sunt; hodie robur omne, et vires nostræ defecerunt; hodie sedes, et imperia nostra collapsa sunt, hodie omnis spes nostra cum hoc homine penitus extincta est. In eius quoque obitu equus, in quo ipse equitabat, cum pugnaturus esset, ferus, rabidus, et indomitus factus est; ità vt nullum amplius dorso suo perpeti vellet, qui paulò post extinctus est. Sepultus est autem Scanderbegus in Vrbe Lyssi in Ecclesia maiore Diui Nicolai.* Et assiduis quidem Vir tantus laborum pro Christi Religione attritus incommodis, palmis item, ac coronis nobiliter auctus; vt aliorum semper bono vel mortuus apud Deum posthac viueret, Cœlum adiuit.

Christianorum exercitus sub Scãderbegho signa mouẽs ipsius terrore potius, quam armis hostem fugat.

Marinus Barlettus lib. t 3.

Scanderbeghus post Turcas fugatos, ad præmia in Cœlum pro laboribus euocatur.

Publicus in ipsius morte luctus.

Equus Scãderbeghi ferus, et indomitus factus paulo post mortuus.

8. Quantum verò huic bellatorum maximo publica Christianorum res, & Christi Religio debeat, ex his, quæ ipsemet ad Paulum II. & ad Cardinales confugiens proloquutus est, satis, superque proditur; hæc enim ille: *Non patitur* (inquit) *Mahumetes Turcarum Princeps ille truculentissimus me vobiscum diutiùs commorari, Patres Sanctissimi, vos contemplari, vos admirari Principes meos, Deos terrarum, ac Mundi totius luminaria; qui maiorum suorum vestigia sequutus, et spurcissimæ illius Mahumetanæ Sectæ nefandus professor, et propagator, vestrum ouile quotidie inuadit, persequitur, dissipat, etc. Consulite igitur, Patres optimi, atque Sanctissimi quęso, dum tempus patitur, prospicite, etc. Vnus supersum, Pater Beatissime, cum pusillo, et tenui imperio, cum militibus meis adeò tot pręlys attritus, tot certaminibus exhaustus; vt nihil iam sit integrum in corpore ad noua vulnera accipienda, neque quidquã supersit sanguinis, quod dari amplius pro Christiana Religione possit, etc. Iam nemini ignotum, nemini dubium est; Audisti Antistes Sanctissime, audistis Patres Religiosissimi, quot bella, quot expeditiones cum perfida gente ista Maiores mei tot annis gesserint, quibus ego postmodum ordine naturę, Diuino tandem pręseruatus iudicio, in Regno succedens, nullum vnquam tempus, nullam diem quieti, aut otio mihi concedere potui; sed cum profana gente bella maxima semper pertractaui, etc. Iam cum non sine certo periculo vitæ, ac rerum mearum dispendio perferre queam, fidemquè vestram sanctissimam contrà vim, et impetum huius immanissimi Tyranni protegam, atque defendam, pro qua et vsque in præsentem diem omnia extrema sum perpessus, et in posterum me deuoui, neque vllum mortis, vel periculi est genus, quod pro quocunque vestrum* com-

Marinus Barlettus vbi supra.

Verba Scãderbeghi ad Paulum II. supplicis virtutem ipsius produnt.

Nil integrũ in corpore ipsius ad noua vulnera excipienda, nec quid sanguinis amplius superat.

Se contra hostes perpetuo Christi fidem propugnaturum pollicetur.

commodo, et dignitate aliquo vitę meæ tempore subterfugiam. Hæc ille.

9. Scancerbegus itaque cum suam pro Religione aduersus impios Turcas, barbarosque ipsorum impetus causam apud Romanum Pontificem perorasset, ingenti ab eo pecuniarum vi, muneribusquè donatus, lætus in Orientem regressus, validum ex Epiro, Macedonia, Illyrico, & Dalmatia ad præliandum (vt Barletus docet) exercitum comparauit; quo Turcæ subinde inuicti Ducis metu absterriti, vel inuicti, nolentesque obsidionem soluere compulsi sunt. His verò Barletus sermonem concludit: *Postquam* (inquit) *Scanderbegus orandi finem fecit, tanto fauore ab omnibus est exceptus, tam liberaliter, et honorificè habitus; vt quàm celeriter expeditus, quidquid à Summo Pontifice, Patribusquè petierat, perfacilè impetrauerit, et ei quàm liberaliter sit concessum, qui maximis etiam muneribus, et præconijs donatus, maximo auri, argentiquè pondere, grandiquè pecunia cumulatus, alacerquè inde discedens, in Epirum ad suos reuersus est*. Atqui bellator egregius innumeris ferè palmis, ac zelo præsertim Religionis Christiano Orbi admirandus in sequēti Vere Mahumete ob acceptas ab eo clades exasperato, iterumque arma in Christianos mouente oppressus; tandem dilectus Deo, & hominibus (cuius memoria in benedictione est) ad Cœli pręmia vocatus, inter bellandum moriens nobiliores è Tartaro tryumphos in Cœlo promeruit. Sed de eo satis.

Marinus Barletius vbi supra.

In Orientē à Romano Pontifice pecuniarum vi donatus redit.

Mahumetes exasperatus insequenti anno in ipsū rma mouet.

10. Atqui post insignem Turcarum debellatorem dignis quoque laudibus Alexander Polonorum Rex, accerrimus Tartarorum hostis, atque oppugnator iure merito cumulandus est; qui Podolia, Russia, Lithuanisquè in libertatem vindicatis, insignem ex Tartaris Præcopensibus triumphum retulit: cùm Melingerus eorundem Rex fœdus, quod pridem inierat, violans, ac per scelus ad arma prouocasset, ac centum & vltrà hominū millibus in seruitutem abductis; Tartari item dirè cuncta vastantes furerent, ac domos igni addixissent, hominesquè imbelles, & quæ secum adducere non poterant, pecora ferro secuissent. Verùm cùm Alexander Rex indicto in ipsos bello armis vrgeret; ac Lithuani non nisi eo præsente se aduersus hostem ituros affirmarent, ipso aduersa interim valetudine præpedito, dum Medici subinde ipsum itineris labore fessum non tam hostibus, quàm sibi mortem vltrò illaturum assererent; Princeps Vir dignissimus certum potiùs vitæ subire periculum, quàm vel in extremo halitu suis pugnando deesse maluit: Tartari verò cùm longè, lateque effusi, iam magno audacter propudio vagarentur, Alexander ingrauescente morbo, & quod equo vectus se ipsum amplius regere haud posset; dolens, diuino Eucharistiæ Sacramento procuratus Vilnam delatus est. Porrò cum inito ipsius milites prælio, quo toto quatridui spatio viginti barbarorum millia gladio cæsa sunt, totidemq; numero equi capti, nuncio ad ipsum iā cū morte luctantem delato, maximas Deo supplex gratias egit, vt Cromerus sic narrat: *Iam* (inquit) *Alexander Rex desperata salute, & Testamento condito, sumptisquè ritu Christiano sacris Mysterijs animam agebat, cùm ei de victoria suorum nunciatum est. Sublatis igitur in Cælum manibus, & oculis lacrymas stillantibus tacitus, amisso iam vsu linguę gratias agere Deo visus est; nec mora, animam exhalauit die decima nona mensis Augusti quadragesimum sextum annum agens, cùm non totos quinque annos regnasset in Polonia, cuius obitum cometes paucis ante diebus ad Septemtrionem conspectus portendit; quin et globus igneus clarissimus quadam nocte super turrim curia Senatoriæ Cracouiæ decidisse visus est*. Insignis verò hæc de Tartaris palma Diuinæ prorsus, vt Michouias docet, prouidentiæ adscribenda est, à quo his verbis nobile ipsi elogium statuitur.

Raynaldus an. 1506. nu. 38.

Alexander Polonorum Rex ob Christi fidei bellum Tartaris viriliter intentat;

Cromerus lib. 30.

Bellaturus cum Tartaris lethali morbo corripitur.

A militibus viginti millia Tartarorū quatridui spatio trucidata.

Alexander audito victoriæ nūcio, Deo gratias agens, spiritū reddit.

11. *In bellis* (inquit) *fortunę non omninò expers, primum quidem per expeditionem contrà Moschos ductore suorum Lituanorum fidelium existente Boemo Czyernyz Moschos tum viribus, et multitudine superantes cum paucis Lituanis, et stipendiarijs deuicit. Item in auxilium fraternam Alberti Regis contra Turcas per Vualachiam expeditionem facientis veniens, dum in campis Podolia cum Tartaris secum confligere declinantibus consisteret, castrum Braczlauum erexit, et perennem suorum magnorum operum memoriam constituit, tam Regno Polonia, quàm magno Ducatui Litua-*

Michouias lib. 4. cap. 81.

Dignū ipsius elogium ex Michouia.

nia in eo ipso Castro tutamen, et singulare contra Tartaros propugnaculum. In vltimo verò mortis articulo, sicut supra scripseram, moriens hostes victoriosè profligauit. Sub Principatu eius crebræ incursiones, sed non inultæ fuerunt; adeò tamen pius, liberalis, et aris, aurique parum cupidus erat, vt quidquid peteretur, libens tribueret, et non priùs esset sollicitus nummorum habendorum, et si priùs se offerret indigens, aut supplicans, cui subueniendum foret, aut ipsa necessitas vrgeret. His recolenda optimi Principis virtus, nec non exitus præconijs meritò exornatur; qui vel moriens ex hoste laudem, nec tritas, vulgaresque palmas reuexit.

Munificus & liberalis ergà omnes, sed maxime ergà Christi pauperes.

12. Qui verò pro tuendis Romanæ Ecclesiæ iuribus, eiusquè bonis (quæ pauperum Christi patrimonium sunt) ex prædonum, ac Tyrannorum manu vendicandis, nullis pro publica re incommodis, aut periculis parcendo, in arenam prosilientes ipsas armis manus admouent, côdignis profectò apud posteros honoribus cumulandi, & ob iugem in tolerando patientiam iure merito vnà cum cæteris Pœnitentium numero sunt aggregandi. Inter quos Iulius II. huius nominis, Romanos tamen inter Pontifices hoc planè titulo nemini secundus, acerrimus vtpote Ecclesiasticę rei propugnator, ac simul vindex affulsit, qui grauioribus ob Schismaticorum tum potentiam, tum pertinaciam curis detentus, & ob noua, intestinaque Christianorum Principum diffidia, turbasquè Ecclesiasticæ potissimùm occupatę ditionis causa emergentes mœrore affectus, lethalem denique in morbum incidit, quo postmodum diù languens, caducisque tandem rebus, & mortalium curis nuncium remittens, immortales Deo de indulto sibi vitæ, ac pœnitentię item tempore gratias exoluit. Quapropter vt animæ quoque negotium seriò, prudenterquè ageret, anteactæ vitæ amarulenter culpas defleuit, & Lateranēsi Concilio prouehendo pro Ecclesiasticarum morum disciplina instauranda insistens, vel breui decessurus, suo (vt par est) muneri inuigilare non destitit. Verùm quid Vir tantus, vel maxime sub mortem corpori post animā prospiciens, de suis quoque funeribus, ac de sepulchro prouidus cogitaret, sic is, qui aderat, luculenter meminit: *Die* (inquit) *Veneris quarta Februarij Pontifex mihi ad se in lecto ægrotantem vocari iusso, exposuit summa cum pietate sui corporis resolutionem imminere, & iam vitam in Dei manibus esse, nec iam amplius de sospitate vlla cogitare; quin potiùs corpus suum de proximo moriturum, & in puluerem se se resoluendum. De qua re gratias agebat Deo, quod bonum finem, vt Christianum decet, sortitus esset, non autem improuisum, aut subitaneum casum, sicut multis ante se Pontificibus iam contigisse sciebat, qui adeò celeri morte capti sunt, vt nec de rerum substantia, nec de corporis conditura, nec de animæ salute prouidere potuerint. Ergò in hoc statu constitutus ipse Pontifex in me vno, vt dixit, confidens, &c. rogabat me vt sui mox morituri corporis curam susciperem; non vt superfluenter, nec nimis deliciosè ornari, efferriquè facerem, cum id ipsum non mereatur, qui dum vixerit, nimis magnus peccator extiterit: sed ne nimis abiectè vestiretur, aut sepeliretur.* Hæc ille.

Rainaldus an. 1113. n. 13.

Iulius II. Rom. Pontifex pro tuendis Ecclesiæ iuribus acerrimè pugnando laborat.

Lateranensi Concilio promouendo instat, et rei Ecclesiasticę instaurandæ.

Paris tom. 3. pag. 914.

Infirmitate præuentus prouidè animæ negotiū agit.

Funeris curā Parisiodemā dat.

13. Paucis verò subinde diebus diutino diarrheæ morbo absumptus, sacrosancto se Dominici Corporis viatico muniendum voluit. Quo præstito constans animo, ac se ipso itidem maior; cùm plura ad Ecclesię vtilitatem Cardinalibus astantibus, salubriterque dixisset, hæc inter cætera ipsis edixit: *Quibus* (inquir) *præsentibus dixit in hanc sententiam, videlicet se esse in extremo vitæ suæ, & iam mortem præsignasse, quidquid futurum esset: rogabat, vt pro se ad Deum precibus, & orationibus intercederent; quia maximus fuisset peccator, & non vtiliter, sicut debuisset, Ecclesiam gubernasset: hortabatur, vt Deum timerent, & essent in obseruatione mandatorum Ecclesiæ; de se defuncto illud agerent, quod de reliquis agi solitum est, & minus quò ad se peccatorem, quàm alijs impensum sit, aut impendi debeat, &c. Volebat etiam, quod Cardinales absentes ad electionem Pontificis essent admittendi; idest qui legitimi, & verè Cardinales, ac non priuati, nec Schismatici: Nam de Schismaticis dixit omnino, quòd quantum Iulianus, & homo esset, parcebat eis, & omnem iniuriam remittebat, sicquè aperta manu Apostolica benedixit, ac pepercit, & dixit hæc de sua voluntate intimari debere; quò ad se verò quantum Iulium, & Pontificem velle omninò, nec aliter*

Paris tom. 3. pag. 984.

Sacramentis Ecclesię se ritè præmunit.

Coram Cardinalibus se humiliter à Deo veniam petens accusat.

ter

Quid de aliis Cardinalibus ad nouũ Pontificem inaugurandũ statuat.

ter, quòd iustitia seruaretur, &c. Et hæc omnia latino sermone dixit grauiter,& Pontificaliter semper, & plurali loquendo, prout in Consistorio solet, &c. deinde familiam commendauit, & benedixit omnibus lacrymantibus collacrymans ipse, &c. Tandem circa horam noctis decimam, quæ est inter dies XX. & XXII. Februarij Sanctissimus Dominus noster Iulius Papa II. mortuus est, cuius spiritus in pace requiescat. Hæc Auctor. Mortuus est autem Anno Christi M.CCCCC.XIII. Porrò Pastor optimus assiduis tum curis perfunctus, tum laboribus pro Dei Ecclesia exantlatis, sub extrema vitæ momenta, intermortuisquè vocibus, *se tot in Pontificatu curas pertulisse asserit; vt Martyribus quodammodò æquari possent.* Cui demum piè functo pro sepulchrali lapide præter illa, quæ à pluribus in ipsius laudem in Lateranensi Concilio decantata sunt, Ioannis Mariæ de Monte Archiepiscopi Sipontini verba hic aptè pro ipsius elogio recensenda videntur.

Paris vbi supra.

Moriturus se tot in Pontificatu curas pertulisse dixit, vt Martyribus quodammodò possent æquari.

14. *Celebrent* (inquit) *alij præclarissimarum rerum à Iulio Pontifice gestarum magnitudinem, varietatem, numerum: commendent plurimi admirandam in prophanis, sacrisquè ędificijs magnificentiam: perpetuam plerique omnes felicitatem extollant: Ego verò singularem illius prudentiam, incredibilemquè animi firmitatem admirari nunquam satis potero: quod in summa totius Italiæ consternatione, in perditissima nonnullorum audacia, nefariaquè ambitione, in extrema potentissimi hostium exercitus immanitate intrepidus, interritus, inconcussusquè, vt tantorum Patrum consilio, ne dicam auctoritate, atque opera vteretur, saluberrimam Synodum: quod nostrorum temporum Pontifices in maiori omnium quiete, et Christianorum Principum obedientia, minorique hostium formidine aggredi non sunt ausi, Christiano Orbi indixerit, indictam nulla clade, nulla iactura deterritus instituerit, institutam nulla corporis, atque animi molestia, nullo aliter sentientium suasu abstractus; sic Deo fauente in hunc diem gerit, vt profanam omnem contumaciam abolere, sacrilegam dominandi libidinem cohibere, truculentam rapiendi licentiam refrenare, detestabiles, & Christianæ Reipublicæ perniciosas, ac pestiferas in occupanda sacratissima Petri Sede largitiones in perpetuum delere: adolescentes, nedum pullulantes hæreticorum, ac Schismaticorum segetes extirpare; ridiculam denique, impiam, ac nefariam Mahumetis sectam funditus euertere, atque exterminare sibi proponat.* Verùm haud vlla iure ipsi reprehensionis nota inurenda, quòd armis videlicet, bellisquè & si suprem us Pastor Ecclesiæ instruendis institerit; cùm vel id ipsius maximè laudibus proficiat, vt suo Robertus Card. Bellarminus fel. mem. egregiè stylo ipsum ab Aduersariorum calumnijs pro ipso viriliter pugnando vindicat, ad quem consultò lectorē cupidum remittimus; Incommoda vero, quibus in Pontificatu Iulius, pro re Ecclesiastica recuperanda, & stabilienda pertulit, immortalem ipsi tum apud Deum coronam, tum apud homines famam, & Cœlo insuper mercedem promerentur. Et hæc vel obiter in eius laudem narrasse voluimus.

Extant in Concilij Lateranensis actibus.

Elogium ipsi decantatum in Conc. Lateranensi à Io: Maria à monte Archiepiscopo Sipontino.

Haud culpãdus propter bella, quæ iustissimè iniit.

Bella pro Ecclesia suscepta ipsius magis laudi proficiunt ex Bellarmino.

Robertus Card. Bellarminus de piet. summ. Pontif. in tempor. c. 11.

15. Immortalē deniq; sibi tũ armis, tũ virtutum meritis gloriam Alphonsus Alburquerquius Indiarum Prorex, publicæ vtilitatis amator, armis clarus, & militari præcipuus arte peperit, qui Armuziense Regnum inuadens, magnis, crebrisquè Armuzianos, qui rebellarant, cladibus affecit; qui in Indiam demum profectus, ad Lusitanum ibidem constabiliendum Imperium, Goam validissima armorum vi, ac potentia subegit, sed à pluribus è suis interim, qui ipsius inuidebant gloriæ, desertus; armis tandem ac viribus pugnando præualuit, partamquè postmodum nobilem victoriæ palmã non nisi S. Iacobo Apostolo ascribendam voluit. Hic cum variæ ad ipsum ab Indiarum Regibus legationes mitterentur, æquè in Deum pietate, & charitate in proximos pręfulsit: Enimuerò cùm illisa ad scopulum naui, ipse puerum iã fere aquis submergendum, suisque met exceptum aliquando humeris à morte seruasset, se quoque pueri illius innocentia suffultum mortis seruandum periculo affirmabat. Vir demum palmis, ac virtute præ cunctis celeberrimus, multisquè pro religione terra, mariquè perfunctus laboribus pio, & Christiano ritu apud Emanuelem Lusitaniæ Regem, ac diues meritis è sæculo migrans, vitam feliciter cum morte commutauit; de quo isthæc Rainaldus: *Alburquerquius* (inquit) *cùm om-*

Rainaldus an. 1515. nu. 55. 57.

Alphonsus Alburquerquius Indiarum Prorex militandi arte præcipuus.

S. Iacobo Apostolo victoriam ex hosti bus humiliter adscribit.

omnem ferè oram Indici maris, quę Indo fluuio, et Cori Promontorio definitur, sub Christianum Imperium subiunxisset, Malacas etiam adiecisset, Regnum Amuzij armis cepisset, firmasset arce munitissima, et prudentia stabilijsset, Lusitanum, et Christianum nomen latissimè propagasset, ęmulos sua virtutis, et gloria luce adeò perstrinxit, qui eum in inuidiam affectatę vniuersa India tyrannidis vocarunt apud Emanuelem, vt ipsum ex India reuocaret: cùm in lentum morbum incidit, in quo ingrauescente sacris expiauit animum, reuisendaque Goa, cuius Imperij erat conditor, cupiditate incensus, Indiam repetijt, ac licet initio molestè tulerit sibi successorem datum; deinde tamen Diuinam in eo agnouit prouidentiam, ne eo moriente, Christiana res periclitaretur: abiectaquè omni rerum humanarum cura, conuersaquè ad Diuina recolenda mente piè obijt, decima sexta Decembris, ætatis anno sexagesimo tertio, vt tradit Ioannes Barrosius, integris sensibus, ac ritè Sacramentis munitus, mortiquè proximus, cruciatuum, et mortis Christi sacram historiam coram se repeti iussit; crebrisquè (inquit Osorius) gemitibus, et alijs huiusmodi signis se ea lectione mirum in modum recreari demonstrabat. Sic pijs Vir dignus, ac Deo charus Christianarum virtutum officijs seipsum in stadio exercens, præferuidè ad æternitatem pœnitentis in morem currebat, & viuens adhuc se à terrenis omnibus abdicans cœlestem è proximo, ac præ lætitia gestiendo patriam salutabat. Atqui Maffeius scriptor egregius dum præclari huius Viri meminit, eiusquè suo tum pietatem, tum rerum, quas mente versabat, magnitudinem stylo prosequitur; duo ipsum, & quidem insignia rerum peragendarum consilia perpetuò agitasse affirmat; *nempe, vt Mecham, atque execrabile Mahumetis monumentum auerteret, tum vt Nilum in Arabicum sinum maximo Turcarum detrimento conuerteret.* Quibus sanè nedum immortalem sibi in Cœlo coronam, sed & immortale insuper sibi in terris nomen, pijs laboribus, meritisque apud posteros cumulatus promeruit. Sed de his hactenus.

Rainaldus vbi supra n. 15.

Quia puerum aquis demergendum suis manibus seruauit, se quoque à morte seruandum dicebat.

Eius virtutes, et in prouincia administranda prudentia.

Moriturus à terrenis animum abdicans, ad contemplandum æternitatis negotiū trāsfert.

Io: Barros de. cad. 2. lib. 10. cap 80.

Osorius lib. 10.

Se in terris exulem reputās cœlestis patriæ ciuem cōputabat.

Petr. Maffeius lib. 6.

Digna, quæ ipsius menti insidebant consilia.

CAPVT. VIII.

Pœnitentes ob redimendas vitæ culpas peregrinationem ad sancta loca suscipiunt.

1 Sacrorū siquidem locorum, in quibus Christi Domini (dum peregrinaretur in terris) pedum stetere vestigia, Religio primæuos apud Christianos adeò illibata semper fuit; vt eorundem tum pedes, tum oculos, haud labor, haud difficultas ab opere aliquando retardaret: sed singulos magis, magisque accenderet; adeoquè ipsos Christi amor, & pietas vel procul aduocatus nullis viarū parcendo incommodis, peregrinorum in morem, quo laudabilior pœnitentiæ virtus existeret, à se motis illuc, dissitisquè orbis Terrarum regionibus efficacissimè traheret, ac si vnum illud fixum animo altiùs solemne Prophetæ verbum, auribus quoque insonaret: *Adorabimus* (inquit) *in loco, vbi steterunt pedes eius.* Quin & deuoti insuper adeò pio sacrorū cultu locorum fuere vt ipsis non secus, ac quod Moysi olim Virorū Sanctissimo in illis item regionibus peregrinanti, è Cœlo diuinitus occineret: *Solue calceamenta de pedibus tuis; locus enim, in quo es terra Sancta est.* Idem planè ipsi primùm totius Israeliticæ gētis Patriarchæ ad pietatis cultum exemplo adducti, se non nisi peregrinos in terris agnoscentes; cùm ad supernam Hierusalem, electorum patriam peregrinando cōtenderent, summa item tum pietate, tum laude præstitere. Christianis namque post Christi in terris aduentum, & Dominicæ redemptionis tamdiù promissum, expectatū, atq; adimpletū incarne mysterium, nil antiquius fuit, quā sacra frequēter adire, ac venerari iugiter Palestinæ, & Hierosolymorū loca; ibiquè pio, ac feruido mentis ardore Redemptoris, ac Dominicę simul Passionis memoriam supplicibus votis recoleret, vt his Hieronymus verbis testatur: *Cæterùm* (inquit) *quantum ad locum pertinet per profectus temporum multò nunc augustior est, quàm ante fuit. Venerabantur quondam Iudęi Sancta Sanctorum, quia ibi erant Cherubin, et Propitiatorium, et Arca*

Sacrorum locorū Palestinæ, vbi Christus aliquando perstitit, illibata semper apud Christianos religio.

Psalm. 130.

Exodi cap. 3. n. 5.

Quantus pro sua dignitate terræ Sanctę locis honor debitus.

Hieronym. epist. ad Eustochium.

Testa

Christi sepulchrum apud nos maiori, quam Sancta Sanctorum apud Iudæos olim venerationi habendum ex Hieronymo.

Testamenti, manna, virga Aaron, et Altare aureum. Nonne tibi venerabilius videtur sepulchrum Domini, quod quotiescunque ingredimur, toties iacere in syndone cernimus Saluatorem, et paululum ibidem commorantes, rursum videmus Angelum sedere ad pedes eius, et ad caput sudarium conuolutum. Cuius sepulchri gloria multo, antequàm excideretur à Ioseph, scimus Isaia vaticinio prophetatum dicentis: Et erit requies eius honor; quod scilicet sepulturæ Domini locus esset ab omnibus honorandus. Præcipuo itaque honoris cultu dignissimus præ cunctis Caluariæ locus viuifico Christi sanguine respersus sub ipsa Ecclesiæ surgentis exordia habitus, quasi hæreditariam hanc sibi religionem post euolutos tot subinde annorum circulos illibatam custodit, & à credentibus pium venerationis cultum, dignum vti tributum exigit.

Isaia cap. 11.

2. Et siquidem congruè; Christi enim Domini præsens olim aspectus, eiusque tum pes, tum sanguis loco sanctitatem, ac piæ deuotionis obsequium, nec non supra cunctas Orbis regiones, dignam vbique Terrarum perpetuò in omnium animis venerationem promeruit: Enimuerò si præcipuo apud Christianos beatorum Christi Martyrum loca in honore habentur; quantò magis Passionis Dominicæ, ac sepulchri locus, Hieronymo teste, honorandus est? *Quomodò* (inquit) *benedicta loca putant, in quibus Petrus, & Paulus Christiani exercitus Duces sanguinem fudere pro Christo? Si seruorum, & hominum gloriosa confessio, & Martyrum vbi sepulchra veneramur, et Sanctam fauillam oculis apponentes, si liceat, etiam ore contingimus, & monumentum, in quo Dominus conditus est, quidam existimant negligendum? Si nobis non credimus, credamus saltem Diabolo, & Angelis eius: qui quotiescunque ante illud de obsessis corporibus expelluntur, quasi in conspectu Tribunalis Dei stantes contremiscunt, rugiunt, & seriò dolent crucifixisse, quem timeant.* Illibata igitur loci religio, & tam hominum, quàm Dæmonum vocibus, ac præconio vsque nunc veneranda ipsius sanctitas perseuerat. Adeo quippe apud Christi fideles vbi primùm cæpit, ac vsu postmodum recepta ad sacram Palæstinorum regionem peregrinantium consuetudo viget, vt ab ipsius nascentis Christi incunabulis primò exorta, haud ipsius morte intermissa desierit, sed vel mortuo Domino, ac sepulto rediuiua adhuc in dies noua semper existat: *Longum est* (inquit Hieronymus) *nunc ab ascensu Domini vsque ad præsentem diem per singulas etates currere, qui Episcoporum, qui Martyrum, qui eloquentium in doctrina Ecclesiastica Virorum venerint Hierosolymam, putantes, minus se religionis, minus habere scientiæ; nec summa, vt dicitur, manu accepisse virtutem, nisi in illis Christum adorassent locis, de quibus primum Euangelium de patibulo coruscauerat.* Locus namque ipse quasi digito in præsens hominum piè colentium Religionem palam cunctis indicat. Quod idem sanctissimus Doctor Sacrorum cultum locorum magis, magisquè inculcans: *Quod hoc* (inquit) *asseramus, vel maximè eos, qui in toto Orbe sunt primi, huc pariter confluunt. Quicunque in Gallia fuerit primus, huc properat; diuisus ab Orbe nostro Britannus, si in religione processerit, occiduo sole dimisso, locum fama sibi, tum & scripturarum relatione cognitum. Quid referamus Armenos? Quid Persas? Quid Indiæ, quid Aethyopum populo? ipsamquè iuxta Aegyptum fertilem Monachorum, Pontum, & Cappadociam, Syriam, Cœlim, & Mesopotamiam, cunctaquè Orientis examina? quę iuxta Saluatoris eloquium dicentis: Vbicunque fuerit corpus; ibi congregabuntur & Aquilę, concurrunt ad hęc loca, & diuersarum nobis virtutum speciem ostendunt. Vox quidem dissona, sed vna religio.* Vnanimi quippe tot nationum, ac totius Terrarum orbis consensu beatorum intermissa vix vnquam locorum religio comprobatur.

Ampliori dignus cultu Passionis Christi locus, ac sepulchrum, quam Martyrum, & Martyriorū loca ex Hieronymo.

Hieronym. epist. ad Eustochium.

Dęmones loci Sanctitatē proclamant.

Frequens, et pius peregrinantium ad sacra Palestinę loca numerus.

Hieronymus vbi supra.

Christianorū ècunctis regionibus ad Palestinę loca concursus.

Hieronymus vbi supra.

Vox quidem hominum dissona, sed Christianorum huc properātium vna religio ex Hieronymo.

3. Sacra igitur ac religiosa Christianorum ad Hierosolyma loca proficiscendi vsu recepta pietas, vel sub Hadriano Imperatore dum fœdis, obscenisquè erectis ibidem idolorum simulachris ad omnem penitus abolendam Christi memoriam prophano iam (vt Baronius docet) ritu haberentur, non absque ingenti ipsorum stupore Gentilium Sedem in Christianorum animis fixit; hæc namque in suis ipse Annalibus: *Illud* (inquit) *consideratione dignum est, quòd quantumlibet, vt dictum est superiùs, loca sancta Hierosolymo-*

Baronius an. 1 no. n, o.

Sacrorum locorum cultus vel dum idololatriæ error vigeret haud à Christianis intermissus.

lymorum fuissent per Hadrianum Imperatorem profanata, desuper impositis impurissimis Dys gentium; nihilominus ardor Christianorum pietatis neque hispotuit contineri, quin (vt de Alexandro vidimus) Hierosolymam peregrinationem religionis ergò susciperet: qui quidem vsus ab ipso exordio nascentis Ecclesiæ cæptus, nunquam est in Ecclesia Catholica intermissus. Et sollicitè quidem pia Christianorum mens suam in hoc operam Diuino semper cultui inter peregrinandum intenta pietatis studium exhibuit; quo palam cunctis fieret quibuscunque viarum terra, mariquè, periculorum incommodis ipsorum fidem haud minui, feruorem charitatis haud tepescere, sed magis, magisque accendi iuxta illud Sapientis verbum: *Aquæ multa non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam.* Quod certe, si attentè quis recolat, alijs quoque subinde temporibus adimpleri contigit, & tum maximè anno M. CXIV. Baronio teste, cum à Christianis ad sacra loca peregrinationis itinere, ab hominibus scilicet numero septem millibus (vt Marianus Scotus scribit) suscepto, minùs prosperè gens in maxima quæq; discrimina adducta est: Quapropter cũ barbaris pro vita, & religione pariter ipsis dimicandum fuit, sed peregrinantium tamen feruor ab incœpto opere retardari minimè potuit; *adeò vt* (inquit Marianus) *ex numero septem millium, & amplius virorum vix bis mille superstites euaserint, qui ad propria sunt reuersi.* Ipsis nimirum contempto mortis metu in acie pro religione viriliter prælìantibus. Sed plura item hominum exempla non desunt, qui sacræ peregrinationi se ipsos pœnitentiæ causa deuouere.

Prouerb.

Baronius an 1064. n. 1.

Marianus Scotus vbi supra an 114.

Septem milliũ Christianorũ peregrinorũ ad sancta loca fertur vix inter hostiũ cuneos et mortis angustias cessit.

4. Vt noster verò à Viris Dei obsequio, ac religionis cultui dicatis sermo deriuet, Audoenus Rothomagensis Episcopus ad sacra Vrbis loca pœnitentiæ, ac deuotionis gratia peregrinationem instituens mirum cunctis pœnitentiæ peregrinando exemplum præstitit, vt Baronius in suis hunc in modum Annalibus tradit: *Post fundatam* (inquit) *in fide Ecclesiam, post doctrinæ fluenta, post tot ædificata Monasteria, post tranquillatum totius Franciæ Regnum, Vrbem Romam caput Orbis, & Christianæ Religionis, quam Apostolorum Principes suis corporibus ornant, & Martyrum catervæ sacris ossibus decorant; Pontificatum eius Vrbis tunc in annum quartum obtinente Adeodato Papa, adire tandem constituit. Cumquè hoc longè, lateque fama vulgaret, vndique conueniunt ad Virum Dei homines religiosi, auri, argentique pondera multa ei offerentes, simulquè obsecrantes; vt ad corpora SS. Apostolorum, & Martyrum pro redemptione animarum suarum ea deferri iubeat, partem etiam pauperibus illuc, suis sacris manibus distribuat, ipsosquè suis precibus Christo commendet. Multi ergò venerabiles Viri, & Deo deuoti vnà cum illo proficisci sibi licere gratulantur, in quibus erat S. Sidonius genere Scotus, extructor Monasterij, quod nunc per Metonymiam Sanctum Sidonium appellant. Stipatus ergò Vir Deo dilectus SS. Comitum turba, eleemosynarumquè oblationibus onustus, ad limina SS. Apostolorum hilaris, vt quondam vas electionis; cùm diuersarum Ecclesiarum benedictiones in ministerium Sanctorum Hierosolymam apportaret, peruenit. Ad singulas autem Apostolorum, & Martyrum memorias se prosternens, vota, & supplicationes tam pro se, quàm pro totius Ecclesiæ Catholicæ pace obtulit; lacrymas tamen vberiùs, quàm verba fundens: vbicunque enim in oratione prostratus iacebat, flumina lacrymarum pauimenta irrigabant. Denique cùm ad Petri Confessionem hunc versum inciperet: Exultabunt Sancti in gloria; diuinitus responsum est: Latabuntur in cubilibus suis.* Hæc ille de pio in Sacris adeundis, & ritè colendis locis digni Præsulis exemplo, quibus hęc subijcit.

Baronius an. 673. n. 1.

Audoenus Rothomagensis Episcopus ad sacra Vrbis loca peregrinatur.

Largam eleemosynarum copiam singuli deferendã in Vrbem offerunt.

Multi se peregrinationis socios iungunt.

VirDei inter orandum lacrymis redũdat.

Baronius vbi supra.

5. *Sed quis* (inquit) *commemorare sufficit, quanta liberalitate, & munificentia per Romanas Ecclesias, & Sanctorum memorias traditam sibi pecuniam distribueret? Cumulabantur altaria Sanctorum auro, & argento, itemquè pauperum manus implebantur. Gaudebat Vrbs tota, cùm & beneficijs congratulabatur, ac si fidei suæ fundatores coronam oculis corporeis intueretur. Absolutis verò apud loca Sanctorum diù optatis precibus, Diuinis acceptis responsis, cum multarum reliquiarum suffragijs tandem venerabilis senex altissimis Alpium iugis transmissis in Gallias reuertit.* Sic magis susceptis in itinere laborum incommodis, ac pœnitentiæ intendens operibus, Sedem sibi proculdubio tanquam

Eleemosynas Sanctorum MM. Ecclesiis largitus, et reliquiis diues regreditur.

quam peregrinus in terris, demum in Cœlo parauit.

Baronius an. 689. n. 1, 2. & 23.

6. Atqui vt susceptus modò ad Reges, ac Viros Principes, qui pro suis culpis ad veneranda Sanctorum loca peregrinati sunt, sermo recurrat, Ceadualla Orientalium Saxonum Rex, pietatis ergò, ac pœnitentiæ ardore succensus, Romam ad limina Apostolorum longa, ac permolesta arrepta peregrinationis via exoptatum illic in laboris præmium vitæ finem obtinuit, vt Beda his verbis meminit: *Anno* (inquit) *Regni Aufridi tertio Ceadualla Rex Orientalium Saxonum, cùm genti suæ duobus annis strenuissimè præesset, relicto imperio, propter Dominum, Regnumquè perpetuum, venit Romam.* Verùm pius adeò Rex, dum Romam contenderet, in minorem Britanniam nauigio profectus, S. Vulmarum Abbatem, à quo Diuinis de rebus abundè est eruditus, deuotè, ac perhumaniter inuisit, vt Beati eiusdem Viri acta testantur. Id vnum quippe Vir tantus, ac Deo plenus in votis habuit, vt ad B. Petri Ecclesiam veniens, baptismali ibidem fonte ablueretur, sic profectò sperans se culpis expiatum, ad Christi postea Regnum mox euocandum. Quod & illi ex voto contigit; Vbi enim die sancto Sabbati Paschalis baptismo initiatus est, ac Petri nomine insignitus, in albis adhuc vestibus degens viuendi finem faciens, ac Agni sanguine dealbatus in Cœlum euolauit, vt Beda his verbis tradit: *Venit Romam* (inquit) *hoc sibi gloriæ singularis desiderans adipisci, vt ad limina Beatorum Apostolorum fonte baptismali ablueretur, in quo solo didicerat generi humano patere vitæ cælestis introitum, simul etiam sperans, quia mox baptizatus carne solutus ad æterna gaudia iam Mundus transiret: quod vtrumque, vt mente disposuerat, Domino adiuuante, completum est. Enimuerò illò perueniens, Pontificatum agente Sergio, baptizatus est die Sancto Sabbati Paschalis, anno ab incarnatione Domini sexcentesimo octogesimo nono; & in albis adhuc positus, languore correptus duodecimo Kal. Maiarum die solutus est à carne, & Beatorum est consortio sociatus in Cælis. Cui etiam tempore baptismatis Papa memoratus Petri nomen imposuerat, vt Beatissimi Apostolorum Principis, ad cuius Sacratissimum corpus per longa locorum internalla pio ductus amore venerat, etiam Sanctissimum nomen referret, qui in eius quoque Ecclesia sepultus est.* Hæc ille.

Ceadualla Orientalium Saxonũ Rex Romam ad Sacra Martyrum pignora peregrinatur.

Beda lib. 5. cap. 7.

Id vnum in votis habuit, vt Romam veniens in Ecclesia S. Petri baptizaretur.

Apud Surium die 20. Iuly. Paulus Diaconus lib. 6. c. 15. Beda lib. 5 c. 7.

Sabbathi Sãcti die sacro fõte ablutus, et Petri nomen sortitus ad Cœli præmia cõuolat.

7. Porrò Rex inclytus qui Beato Petro Apostolorum Principi, eiusquè Ecclesiæ deuotus adeo extitit, vbi nouam in Christo vitam baptismo initiatus acceperat, suum ibi ad diem nouissimum recondi corpus voluit; sepulchrum verò nobili prænotatum titulo, ac digno laudum elogio, perenne hoc Regiæ ipsius præsefert pietatis monimentum, vt idem sic Beda prosequitur: *Iubente Pontifice epitaphium in eius monumento scriptum est, vt ea memoria deuotionis ipsius fixa per secula maneret, & legentes quoque, vel audientes exemplum facti ad studium Religionis accenderet. Scriptum est ergò hoc modo.*

Pius Rex vbi Sacrum baptisma suscepit, ibi suum tumulari corpus voluit.

Beda lib. 5. c. 7. Baronius vbi supra n. 3.

Culmen, opes, sobolem, pollentia Regna triumphos,
Exuuias, Proceres, mœnia Castra, Lares.
Quæquè Patrum virtus, & quæ congesserat ipse
Coadual armipotens liquit amore Dei.
Vt Petrum, sedemquè Petri Rex cerneret hospes,
Cuius fonte meras sumeret almus aquas
Splendificumquè iubar radianti carperet haustu,
Ex quo viuificus fulgor vbique fluit.
Percipiensquè alacer rediuiuæ præmia vitæ,
Barbaricã rabiem, nomen & inde suum,
Conuersus conuertit ouans, Petrumque vocari
Sergius Antistes iussit, vt ipse Pater.
Fonte renascentis, quem Christi gratia purgans
Protinus albatum vexit in arce Poli.
Mira fides Regis, clementia maxima Christi,
Cuius consilium nullus adire potest.
Sospes enim veniens supremo ex Orbe Britanni
Per varias gentes, per freta, perque vias,
Vrbem Romuleam vidit, Templumquè verendum
Aspexit Petri, mystica dona gerens.
Candidus inter oues Christi sociabilis init:
Corpore nam tumulum, mente superna tenet.
Commutasse magis sceptrorum insignia credas,
Quẽ Regnum Christi promeruisse vides.

Dignus ipsius tumulo inscriptus titulus.

Quot verba tot digna Petri Regis elogia.

Petrus mutasse potius Regnum, quam reliquisse dicitur, cœleste pro terreno adeptus.

Tt 8. Post

8. Post carmina verò, quæ modò recensuimus,& inscriptio aderat, quæ notã temporis his verbis præferret: *Hic depositus est Ceadualla, qui et Petrus, Rex Saxonum sub die duodecimo Kal. Maiarum, Indictione Secunda &c.* Et fanè, Baronio teste, quod in Epitaphio legitur, *Rex Saxonum*, immò legendũ *Rex Britannorum*, cõplures historici, qui Britannorum res sunt prosequuti, disertè affirmant. Nouissimè verò, vt idem Baronius adnotat, doctissimus Sanderus, Bedæ parcens modestiæ causa, & Paulum Diaconum redarguens: *Paulus Diaconus*(inquit)*de gestis Longobardorum &c. Coadualdus (inquit) Rex Anglorum Saxonum*(*meliùs dixisset*)*Rex Britonum, vt est apud Gaufridum lib. 9. de gestis Britannorum, ad Christum conuersus, Romam properauit, vbi à Sergio baptizatus, ad Cælum transijt.* Et fortè quidem homo Britannus ob deuictos Saxones, Rex Saxonum appellari potuit; at Beda plures insuper eiusdem nominis Britannorum Reges agnoscit, vt Baronius, ad quem studiosum Lectorem amandamus, in suis disertè Annalibus docet. Narratis autem nobilis instar monimenti ipsius Baronij verba hic consultò apponenda videntur; hæc enim ille: *Magnum planè* (inquit)*tunc datum est vniuerso generi humano de contemptu Mundi huius exemplum, dum Rex armiger, natura sanus, hostium victor existens; quem, si non aliud, æmulatio saltem ipsa externorum sibi Britanniam vendicantium retinere debuisset in armis, vt eos è patrio solo pelleret: horum nullam rationem ducens, lucrum maximum existimauit facere de ijs omnibus pro cælesti Regno iacturam.* Hæc ille. Sed vt alios hic suscepti memores propositi recenseamus.

Baronius vbi supra n. 3.

Rex Britannorum, haud Saxonum dicendus ex Baronio.

Beda lib. 4. c. 17. Baronius vbi supra n. 3.

Elogium Petri ipsius Baronij verbis.

9. Fulco item Andegauensium Comes, cum sacrilegus bona Ecclesiæ vsurpans, iniqua sibi manu vendicaret, ac Turonensi Episcopo infensus iugiter molestias exhiberet; eo quòd ab ipso ob vsurpata Ecclesiæ bona iure merito increparetur, tandem ob patratum scelus pœnitens, & post Hierosolymitanam pœnitentiæ causa peregrinationem tertiò initam, diem feliciter pœnitentia expiatus obijt. Sed Fulbertus Carnotensium Episcopus amarulentis ipsum verbis ob id perstringens, & anathematis censura meritò percelli dignum affirmans, mortis (quæ imminebat) memor, ipsum eiuscemodi, vt Baronius refert; epistola salubriter conuenit: *Fulbertus Carnotensium humilis Episcopus Fulconi Comiti. Doleo* (inquit) *super te, nobilis homo; cùm te audio errare, & periclitari: Errare dico, quia cùm debeas Deum timere, Sanctos honorare, Ecclesiam defendere, contemnis Deum, Sanctos inhonoras, res Ecclesiæ inuadis, & aufers. Periclitari, quoniam qui talia agunt, non habent partem in Regno Dei. Propter hæc peccata monuit Archiepiscopus Turonensis omnes Episcopos nostros, & inter alios me pusillum, vt te excommunicaremus. Sed ego censui pium esse, vt te priùs monerem, & deprecarer; vt habeas misericordiam de anima tua, placans Deum. Iam enim prope est tuus finis: Festina igitur quaso reconciliari Christo Saluatori nostro; quia non est salus homini nisi per ipsum. Tene in memoria verbum hoc: Qui pœnitendo, & confitendo, finem facit peccatis suis, antequam moriatur; finem habebit in altero sæculo pœnitentia ipsius. Et qui peccatis mortalibus pœnitendo non facit finem, pœna ipsius erit sine fine. Euigila igitur propter temet ipsum, sicut homo in proximo moriturus, et reconciliare Christo, ne moriaris Apostolica auctoritate damnatus. Vale, & remãda mihi velociter, atq; veraciter voluntatem tuã.* En quo, & quanto is verborũ pondere sacrilegum bonorũ Ecclesiasticorum inuasorem percellit, exagitatquè, vt & vel mortis iam impendentis iaculo exterrefaciat; nec frustra: nam ipsum post scelera pœnitentem, ac post Hierosolymitanam profectionem pœnitenriẹ causa deuotè susceptã, diem laudabiliter obijsse, Glaber his verbis enunciat: *Fulco Andegauensis Comes, de quo superiùs quædam retulimus, ter Hierosolymam iam perrexerat, veniensquè Metensem Vrbem, ibidem obijt. Cuius corpus Lucanense ad Monasterium, quod ipse construxerat, delatum est, atque in eodem honorificè sepultum.* Qui igitur primùm in Ecclesiam, eius temerè bona inuadendo, peccarat; postmodum pœnitens, in Hierolymorum, ac terræ Sanctæ ditionem ter peregrinationem suscipiens, immensis vltrò laborum inincommodis, ac ferè innumeris se ob Christum pœnis, periculisque satis pro culpis Deo facturus addixit.

Baronius an. 1007. n. 6.

Fulco Andegauensium Comes pœnitens Hierosolymitanam peregrinatio nem suscipit.

Fulbertus epist. 83. Cit. Vatic. n. 33.

Fulbertus Carnotensis Episcopus Fulconẽ acriter arguit.

Proximum ipsi vitæ finẽ prædicit.

Glaber. lib. 2. cap. 4.

Admonitus resipiscit, et pœnitens Hierosolymã adit.

10. Quo

10. Quo autem piæ mentis ardore pœnitentiæ causa olim Christi fideles ad sacra, venerandaque Palæstinorum loca peregrinantes adirent, nec non arma interdum in Terræ Sanctæ subsidium arriperent, ex eo palam fit cunctis; quòd anno M. CC. XVI. cùm Innocentius III. ad bellandū, & ad transmarinā expeditionē classicū canens vrgeret, his Cātipratanus verbis accidisse tradit: *Circa annum* (inquit) *ab incarnatione Domini M. CC. XVI. quidam Vir fidelis, & bonus de oppido Dinantheo mare transijt: & ingressus Terram Sanctam, loca singula, in quibus pedes Domini stetisse quibusdam indicijs ferebatur, multa deuotione, & lacrymis visitauit. Cùmque veniret ad locum Caluariæ, vbi Redemptorem nostrum audiuit mortis angustias, & crudele supplicium pertulisse, grauissimis suspirijs ingemiscens; cum clamore valido, & lacrymis dixit: Quid tibi benignissime Domine, quid (inquam) tibi Christe retribuam pro omnibus, quæ amator amabilis mihi mirabiliter præstitisti? Vidi priùs loca, in quibus natus, & inter homines conuersatus doctrinam euangelicam prædicasti, & Deitatis tuę indicia per miracula demonstrasti. Hæc quidem ob amorem, & reuerentiam tui sincero corde amplexus sum; hunc verò locum Passionis, & mortis tuę æquo animo videre non possum, vbi clauis crucifigi, terebrari lancea, & animam pro nobis tradere voluisti. Hæc vt beatus ille perorauit exclamans, & ruptis vitalibus cordis venis spiritum exhalauit.* Tantus profectò in homine, qui pœnitentiæ causa in sacras Palæstinæ oras se contulerat, pietatis ardor, ac feruor deuotionis extitit, vt ibi mortem, vbi Christus vitam, & Sanguinem nostri causa in Crucis ligno profuderat, vti optatissimam sibi rem subierit.

Rainaldus an. 1216. nu. 24.

Peregrinus loca Terræ Sāctæ summa deuotione inuisit.

Cantipratan. lib. 2. c. 25.

Caluariæ locum, Christi Sanguine cōsecratum videns, præ ingenti cordis dolore moritur.

11. Et miro siquidem in primis sectandæ pœnitentiæ studio S. Ludouicus Francorum Rex adductus, & in Terræ Sanctæ, in qua pedes Domini olim stetere, obsequium, illuc Saracenis bellum illaturus peregrinationis iter suscepit: Enimuerò quia totus patiendi amore flagrabat, ac religiosi amplectendi Instituti desiderio frustratum se vidit, iter illud innumeris tum periculis, tum incommodis aggredi non timuit; vt Gaufridus è Bello loco, qui Sancto Regi à Confessionibus fuerat, & à Gregorio X. designatus præco, his verbis tradit: *Audiens* (inquit) *Rex Sanctus, quòd penitus esset defraudatus à spe intrandę Religionis; audiens nihilominus tot calamitates, tot desolationes, & tot crebra pericula Terræ Sanctæ, aspirauit aggredi circa finem dierum suorum aliquod arduum propter Deum, à quo de facili impediri non posset. Concepit igitur cum deuotione pium propositum transfretandi, vt quantum Diuina gratia sibi daret, contra periculum Terræ Sanctę, quod proximum videbatur, consilium, & auxilium apponeret salutare. Et tunc mirantibus cunctis cæpit, quantum poterat, expensas restringere domus suæ: Noluit tamen subitò aggredi tantum opus ex motu proprio cordis sui vnde per secretum nuncium & discretum humiliter, & deuotè consuluit super hoc felicis recordationis Dominum Clementem Summum Pontificem, qui tanquam Vir prudens in primis, reformidans, diùque deliberans, tandem benignè consensit, ac pium propositum approbauit. Misit insuper ob hoc ad petitionem ipsius Legatum in Franciam, videlicet Dominum Simonem tit. S. Cæcilia Presbyterum Cardinalem.*

Rainaldus 1267. n. 48.

S. Ludouicus Francorum Rex deuotionis impulsu sacrum illuc iter suscipit.

Gaufridus è Bello loco in vit. S. Ludouici Franc. Regis c. 37.

Vt Christianorum calamitatibus, ac periculis opē ferat.

Romanum Pontificem hac super re consulit.

12. *Crucem igitur assumpturus conuocauit Parisijs Prælatorum, Principum, Baronum, ac militum, cæterorumquè hominùm multitudinem copiosam. Quibus congregatis in vnum, Domino Legato præsente, ipsemet Rex Catholicus coram cunctis, qui aderant, exhortationem fecit efficacem, & plurimùm gloriosam, animans eos ad vlciscendam iniuriam Saluatoris in Terra Sancta tanto tempore sibi factam, & ad propriam Christianorum hæreditatem recuperandam, quæ tamdiù peccatis nostris exigentibus erat ab infidelibus occupata. Hæc, & multa alia ad hanc materiam pertinentia pius Rex gratiosissimè perorauit. Finito postmodum Domini Legati sermone, ipse Rex primus, & tres filij eius post ipsum, nec non Comitum, & Baronum, & militum multitudo, tam ij, cum quibus ipse Rex pius fuerat super hoc secretò collocutus, quàm alij, quorum corda tetigerat solus Deus.* Hæc Auctor in tanti Regis laudem meminit.

Crucesignatorum militiam auspicaturus coram Episcopis cū eius exhortādo verba facit.

Ingens hominū numerus suum militiæ dat nomen.

12. Verùm cùm postea Regis ad Sacra isthæc loca profectio haud prosperū exitum obtinuisset, adeò vt exercitu à Saracenis attrito Rex ipse captus fuisset, & naui insuper, quæ ad soluendum redemptionis pretium à Regina Blanca

directa fuerat, naufragio perijsset, pijssimus Rex aduersis nil fractus, sed animo omninò imperterritus, illud pro cœlesti oraculo responsum dedit. *Quod cùm audisset* (inquit Parisius) *Rex Francorum Christianissimus, ait: Nec hac, nec alia qualibet aduersitas à charitate Christi me poterit separare; & sic Rex magnanimus alios, quos vidit pusillanimes, confortauit, vt secundus Iob verè posset censeri. Infideles etiam miserti, suam admirabantur constantiam.* At ille dignum in hoc de se cunctis exemplum præbuit, dum aduersa patienter adeo tulit; sed & mira prorsus dũ illic degeret, ac Deo plane digna, præstitit, quæ Guillelmus Carnotensis sic tradit: *Illud* (inquit) *non silendum, quod humilitatem, & feruorem fidei Regis ipsius commendat plurimùm, quòd cùm veniens Sidonem, audysset de Christianis illic missis, qui Ciuitatem ipsam readificare inceperant, interfectis ibidem à Damascenorum exercitu; quòd multa corpora, atque membra eorum iacebant in littore penitus insepulta, accessit ad locum Rex pius, antequam cibum sumeret vnà cum Venerabili Patre bon. mem:* Domino Odone Tusculano Episcopo *Apostolica Sedis Legato. Et cùm alij, qui aderant, quasi quandam abominationem, & horrorem haberent leuandi corpora, & truncata membra, & iam quasi semiputrida contrectandi, siuè etiam ossa tangendi: ipse magnanimus, & deuotus Rex quasi nihil abominationis huius sentiens, & à mane vsquè ad meridiem ibidem, ac si etiam in cella aromatica conuersans, proprijs manibus ipsa etiam intestina, & horrida membra Christianorum, quos veros Martyres reputabat, sic benignè leuabat è terra, sic dolenter contrectans, & colligens ponebat in vasculis ad locum sepulturæ, quem prope Castra parari fecerat, deportanda; quòd omnes, qui aderant, & quamplures, qui præ abominatione fugerunt, mirabantur humilitatem, & magnanimitatem ipsius.* Hæc ille, magno quidem tunc Christianæ tum pœnitentiæ, tum pietatis documento exhibuit.

Parisius hist. Anglic. cap. n. 1252.

Exercitu à Saracenis deuicto S. Rex capitur, & pecunia ad ipsum redimedũ missa naufragio perit.

Gaufridus in gestis S. Ludouic. cap. 26.

Pius Rex putrida occisorũ Christianorũ corpora apud Syuonem proprijs manibus sepelit.

Exemplum humilitatis cunctis admirationi.

13. Porrò, qua potissimum Rex Sancta Palestinæ loca pietate venerabundus, adiret, Gaufridus peregrinationis ipsius, cum primum cœpit, sic seriem narrat: *Nec silendum* (inquit) *arbitror, quàm humiliter, quàm catholicè se habuit Rex in peregrinatione, quam fecit in Accon, in Sanctam, & deuotam Ciuitatem Nazarethi; Nam in vigilia Annunciationis Dominica iuit indutus ad carnem cilicio de Sophera, vbi ea nocte iacuerat, in Cana Galilea: Inde per montem Tabor; indè eadem vigilia descensurus in Nazareth. Cum autem à longè locum sanctum videret, descendens de equo, flexis genibus deuotissimè adorauit; & sic pedes incessit, donec humiliter Ciuitatem sacram, & pium locum Incarnationis intrauit: Ea die in pane, et aqua deuotè ieiunauit, quamuis plurimum laborasset. Quàm deuotè ibidem se habuerit, quàm solemniter, et gloriosè fecerit celebrarie Vesperas, Matutinas, Missã, & catera, qua ad solemnitatem tam celebrem pertinebant, testes esse possunt, qui affuerunt: de quibus nonnulli attestari veraciter, siue edere poterunt, quod postquam filius Dei in eodem loco de gloriosa Vergine carnem assumpsit, nunquam tam solemne, tamquè deuotum officium fuerit ibi factum. Ibidem deuotus Rex Missa in Altari Annunciationis celebrata Sacram Communionem accepit, et Dominus Odo Tusculanus Apostolica Sedis Legatus ad maius Altare Ecclesia Missam solemnem celebrauit, et sermonem deuotum fecit.* Hæc de miro inter peregrinandum ad Sacra isthæc loca pijs Regis feruore.

Gaufridus in vit. S. Ludouic. Franc. Regis cap. 22. Nangius in gestis S. Ludouici.

Qua deuotione sacra loca, & domũ præsertim Deiparæ Virginis colit.

Rainaldus an. 1251. nu. 56.

Ieiunio satis rigido Incarnationis dominicæ locũ, sacrisque officiis colit.

14. Suo itaque in primis exemplo, non nisi præferuido deuotionis spiritu peregrinationem ad sacra Palestinæ loca suscipiendam rex dignissimus satis nunc, & alias docuit; de quo isthæc Gaufridus: *Nauem* (inquit) *ascensurus, ex deuotione sua fecit poni in naui Corpus Domini Iesu Christi pro communicandis infirmis, ac pro se ipso, et suis, quando sibi expediens videretur: Et quià alij peregrini quantumcunque magni hoc facere non solebant, obtinuit super hoc à Domino Legato licentiam specialem. Hunc autem sacrum thesaurum in loco nauis dignissimo, et conuenientissimo fecit poni, et pretiosum tabernaculum ibi erigi, pannisquè sericis, et aureis cooperiri. Fecit insuper ibidem Altare collocari, et decenter ornari, vbi quotidie Diuinum Officium solemniter audiebat, videlicet omnes Horas canonicas, et prater Canonem, quę pertinebant ad Missam Sacerdote, et Ministris sacris vestibus indutis secundùm quod congruebat diei. Diligens erat valdè circà infirmos, quod haberent necessaria secundùm quod eorum infirmitas exigebat, videlicet*

Rainaldus an. 1254. nu. 14. & 18 Gaufridus in vit. S. Ludouic. Regis.

Dominici Corporis Sacramentum naui secum defert, & sacrum Officiũ à Sacerdotibus quotidiè vult celebrãdum.

Pietas Regis ergà Dei cultum.

Sacram

Sacram Communionem, et Vnctionem extremam, mortuis verò debitas exequias à Cappellanis suis exhiberi faciebat. His planè Rex pijs peregrinationem operibus, ac virtutum insuper meritis cumulauit. Cuius in peregrinorum, quos secum ducebat, procuranda salute sic feruens opera, ac segnis nunquam cura fuit; vt ipsis ad sacram Exomologesin adducendis totus intenderet, adeoque illud, quod Gaufridus de eo narrat, hic silentio obuoluendum non est.

Erga infirmos cura, & charitas.

15. *Voluit insuper* (inquit) *quòd nautæ prædicti singuli confiterentur Sacerdotibus ad hoc electis, et ad hoc ipsemet ore suo exhortationem fecit valdè salutarem, et efficacem; persuadens ipsis, et exprimens, quàm frequens essent in mortis periculo propter maris discrimina repentina. Inter cætera autem dixit eis verbum notabile, et memoria dignum; videlicet, quod si interim dum vnus nautarum confiteretur peccata sua, nauis officio suo forsitan indigeret: Ego (inquit Rex) libenter manum meam apponam, siuè ad chordam trahendam, siuè ad aliquid aliud faciendum. Nec fuit inanis pia exhortatio; nam nonnulli nautæ tunc fuerunt confessi, qui per annos plurimos nunquam confessi fuerant.*Ità Rex præ celsę tum fidei, tum spei Diuinum in primis cultum quæsiuit, sic prouexit; vt haud nullis Pœnitentium in morem aduersis frangeretur, sed in Asia, & Aegypto quibusuis exagitatus periculis, illam se dignam, Henricum Angliæ Regem alloquendo, sĕtentiam protulerit: *Si omnia* (inquit) *mihi euenerunt aduersa, grates tibi refero Altissime; reuersus autem ad me ipsum, et ad cor meum regressus, et ingressus, plus gaudeo de patientia, quàm mihi Dominus per sui gratiam concessit, quàm si totus mihi Mundus subderetur.* His planè Rex animo inuictus susceptæ peregrinationis iter, quot gestis, quot dictis, quot passibus, totidem pariter triumphis decorauit.

Gaufridus in vit. S. Ludouici Regis Francorum cap. 23.

A Nautis Sacramentalem Cōfessionē apud Sacerdotes vult frequētandam.

Quis fructus Regem tunc singulos sic ad pietatem exhortante.

Gaufridus vbi supra.

Quid aduersis maxime exagitatus Deo, ac se dignum dixit, Henricum Angliæ Regem alloquens.

16. Recolenda verò totius itineris, ac peregrinationis series, nec non felix Regis è vita inter hæc exitus, in Romani Breuiarij tabulis, & his summatim verbis exponitur: *Cùm iam* (inquit) *vigesimum annum in Regno ageret, in morbum incidit, quo tempore cogitauit ad recuperanda possessione Hierosolymorum. Quamobrem vbi conualuisset, vexillum ab Episcopo Parisiensi accepit, deinde mare cum ingenti exercitu trayciens, primo prælio Saracenos fugauit. Sed cùm ex pestilentia magna militum multitudo perijsset, victus ipse, captusquè est: Rebus postea cum Saracenis compositis, liber Rex, exercitusque dimmittitur. Quinque annis in Oriente commoratus, plurimos Christianos à barbarorum seruitute redemit; multos etiam infideles ad Christi fidem conuertit. Præterea aliquot Christianorum Vrbes refecit suis sumptibus &c.* Constans verò prælaudati Regis in armis pro Hierosolymorum ditione è barbarorū tunc manu vĕdicanda propositum, inuictusquè inter pericula animus, ac dignus demum properantis in Cœlum triumphus illis proculdubio verbis asseritur: *Sed cùm iterum* (inquit) *transmisisset bellum Saracenis illaturus, iamquè castra in eorum conspectu posuisset, pestilentia decessit in illa oratione: Introibo in domum tuam, adorabo ad templum sanctum tuum, & confitebor nomini tuo, &c.* Nobiliori itaque Rex, animo semper inuictus Hierusalem, non tam terrestrem, quàm supernam triumpho ęternum cum Deo regnaturus intrauit; Sed hæc vel obiter narrasse sufficiat.

Lect. Rom. breuiarij die 25. Augusti in festo S. Ludouici.

Elogium in Romani Breuiarij tabulis S. Ludouico inscriptum.

Lect. Breu. Romani vbi supra.

Felix ipsius inter bellī incommoda, & Mortis angustias deprehēsi è vita exitus.

17. Pia demum, ac summis digna laudibus Christianorum ad Sacra loca, & frequens item peregrinandi consuetudo, Deo vtpote maximè grata, apertis haud semel signorum portentis diuinitus comprobari meruit. Quapropter cùm pœnitentiæ in primis cultus Deo in peregrinantibus placeat, qui sine eiusmodi pietatis sensu ad sacratiora loca inexpiatus aliquando accedit; Deum potiùs ad iracundiam prouocat, quàm ad misericordiam inflectit. Quod sane in suis paginis sic Tursellinus ostendit: *Hac quoque* (inquit) *tempestate nouis miraculis ostendit, quanta Deo sit curę Sanctitas Lauretanæ domus. Per ea tempora Lauretum venerat peregrinus quidam omnibus sceleribus coopertus, & profligatæ vitę apprimè tenax: Huic igitur Sanctissimę Cellę limen intrare auso, repĕtè in ipso aditu, vmbra quędā horrenda speicie se obiecit, quę proiectę audacię hominem fregit, ac repulit ingenti pauore perculsum. Ergo scelerum conscientia ictus Sacerdotem adit, animum expiaturus. Cæterùm ad recolenda tot annis patrata facinora*

Pius Peregrinantium haud semel miraculis comprobatur.

Horatius Tursellinus hist. Lauret. lib. 5 cap. vltimo. Cathechism. hist. lib. 3. tit. pag. 141.

Peregrinus culpis obnoxius Sacram Lauretanam domum intrare volēs diuinitus repellitur, ex Tursellino.

ra multo erat opus tempore, magnoquè sensu doloris; ipse autem ad Sacram Confessionem minime meditatus, ac paratus accesserat. Proinde à Sacerdote dimittitur, monitus, vt in Sacrum Sacellum recipiat se, ibi Dei, Deiparæquè ope enixiùs implorata, in anteactam vitam inquirat sedulò: cùm demum paratior redeat ad confitendum. Dimissus ille mandata fecisset; sed videlicet mala consuetudo veram pœnitentiam morabatur, & probri magis, quàm culpę dolor anxium animum stimulabat. Eum itaque Sacrum Virginis Cubiculum repetentem eadem illa species oblata iterum ingressu prohibuit: Tum verò ingens illi dolor inustus, se vt consceleratum, contaminatumquè ab augustissima Ædes à conspectu Deiparæ bis abactum esse. Exemplo flagitiosæ tabis, vitæquè tædio captum haud vana pœnitentia excepit, & dolor offensi Dei: Ergò conscientia impensiùs excussâ, flens redit ad Sacerdotem, labes non Confessione magis, quàm lacrymis eluit. Expurto tandem animo ad augustã Virginis Ædem verecundè, ac dubitanter accedit. Mirabile dictũ, qui audenti clausus fuerat, verecundanti aditus patuit. Quo certè illud sacra adeuntibus loca indicio est, piorum locorum pro merito sanctitatem nonnisi à veraciter pœnitentibus dignè coli, ac sua insuper Deum dona ijsdem largiri, iuxta illud, quod Moysi olim edictum est. *Solue calceamenta de pedibus tuis; terra enim in qua es, terra sancta est.* Quapropter vt aptè Bernardus inculcat: *Cælestem* (inquit) *requirere Hierosolymam Monachorum propositum est, & hoc non pedibus proficiscendo, sed affectibus proficiendo.* His igitur, qui sobriâ à terrenis rebus abstinendo mente peregrinantur, dum cœlestium sibi bonorum possessio repromittitur, ipsa egregie quadrant Crysostomi verba, dum de Sanctissimis olim Patribus loquens: *Illi* (inquit) *cùm promitterentur, quę sunt in terris, non attendebant; sed futuram Ciuitatem quærebant: Nobis autem Deus desuperna loquitur Ciuitate, & nos terrenam quærimus.* Et hæc interim satis.

Iterum homo inexpiatus ab ingressu arcetur.

Demum, Confessione ac lacrymis expiatis, ieiunus intrat.

Loci sancti tas Sancti tatem indicit adeuntibus.

Exodi cap. 3. n. 5.

Chrysost. hom. 23. in epist. ad Hebræos.

CAPVT IX.

Pœnitentiæ nonnulli amore adducti, anteactæ vitæ errores verbis, aut scriptis retractant.

1 INgenti planè Pœnitentiæ virtus, quę Deo in primis accepta, & homini ad ipsius promerendã diuinitus gratiam, pernecessaria est; cœlestium semper tum apud Altissimum, tum apud homines prouentu bonorum ditescendo redundat. Enimuerò hoc vno duntaxat innocens, ac pœnitens gradu ab inuicem distant, & vel vnica ambos re discriminari (Cypriano teste) contingit; quòd alter videlicet peccatum præcipuo Dei munere prorsus ignorat, alter verò & si peccati haud expers, illud tamen probè, ac seria recogitans mente, ac pro reatu iugiter dolendo agnoscit. *Primus* (inquit) *felicitatis gradus est non delinquere, secundus delicta cognoscere.* Quo quidem Augustinus olim immortalem sibi Cœlo coronam reperit, ac magnum itẽ in terris de se cunctis mortalium pœnitens exemplũ præbuit, qui vbi ad Deum compunctus redijt, ac ipsum ex corde post peccati notitiam errorum pœnituit, quidquid dictis, vel factis toto anteactæ vitæ tempore, ac lubrica præsertim ætate deliquit, totũ subinde editis, inscriptisq; suis digno Confessionum titulo libris, semetipsum amarulenter accusans, suasquè intimas mortalibus reuelans turpitudines, easdem publicas omnibus fecit, de quo isthæc: *Confessiones* (inquit) *preteritorum malorum, quę remisisti, & texisti; vt beares me in te, mutans animam meam fide, et Sacramento tuo, cùm leguntur, et audiuntur, excitant cor, ne dormiat in desperatione, & dicat, non possum.* Quod enim ipse sincerè adeò, fideliterquè cunctis prodit, ex intimis præcordijs dolendo, alios quoque ad idem pari laude prestandum efficaciter permouet; ne quis insano sui amore abductus à virtutis opere ob difficultatem, quam vltrò cæteri pro sui excusatione obtendunt, turpissimè retardetur. Quinimmo plerùmq; ingens ex præuia auditaque aliorum Confessione ad suos corrigendos errores lucrum mortalibus æquo

Cyprianus lib. 1. epist. 3.

Innocens peccatum ignorat, pœnitens verò peccatu agnoscit, et dolet ex Cypriano.

Augustin. Confess. lib. 10. cap. 2. & 3.

Augustinus pœnitens, et culpas ore, et scriptis retractans Deo maximè placuit.

æquo ipsiusmetAugustini calculo prouenit: *Et delectat*(inquit)*bonos audire præterita mala eorum,qui iam carent eis:nec ideo delectat, quia mala sunt; sed quia fuerunt, et non sunt,etc.* Magno itaque sincera Pœnitentium Confessio,quæ pudori metum aufert, tum sibi, tum cæteris emolumento fit, vt idem his verbis Augustinus inculcat, suas cunctis culpas,& Confessiones pariter euulgans: *Volunt ergo*(inquit) *audire confitentem me, etc. Sed quo fructu id volunt? an congratulari mihi cupiunt, cùm audierint, quantum ad te accedam munere tuo,et orare pro me,cùm audierint,quantum retarder pondere meo?Indicabo me talibus: Non enim paruus est fructus Domine Deus meus, vt à multis tibi gratiæ agantur de nobis, et à multis rogeris pro nobis etc. Amet in me fraternus animus, quod amandum doces, et dolendum doces, etc.*Et infra: *Indicabo*(inquit)*me talibus, vt respirent in bonis meis,& suspirent in malis meis,etc.*Sic culparum Confessio suam apud Deum laudem,ac mercedem obtinet.

Dignus confessionis post lapsum fructus.

Augustin. Confess. lib. 10. cap. 4.

Deo ex peccatorum cõfessione, & laus, et gloria, hominis salus prouenit.

Augustin vbi supra c. 4

2. Quo quidem Augustinus publicè se ipsum accusans, haud vllum silentio peccatum inuoluit, suis solemne illud Sapientis oraculum dictis,factisquè visus est comprobasse *Iustus* (inquit) *prior accusator est sui*. Enimuerò nil magis hominem iustum, & coronis dignum post culpæ reatum ostendit, quàm humilis sui ipsius agnitio; ac sincera item tum apud Deum, tum apud homines confessio delictorum. Nec minori item dignus laudum præconio, atque admiratione prælaudatus Vir doctus æquè ac Sanctus in suis Confessionũ paginis quàm in editis item retractationum libris pronunciandus videtur,in quibus raro prorsus exemplo omnium doctissimus, suo haud prę fidens ingenio; sed illud in Christi, ac fidei obsequium redigens, Christianæ vtpote humilitati veraciter addictus, suas item sub omnium oculis sententias dictu retractare minimè erubuit. Ipse etenim, qui vniuerso Orbis plausu ingeniorum apex Dei munere extitit, haud à se alienum aliquando putauit calamo expungere, aut recantare; si quid sibi in rem minus apte dictum, minusque veritati consonum videretur. Quapropter humilis istaConfessio tum apud Deum,tum apud homines immortale ipsi nomen iuxta Ambrosij oraculum,ac cæteris attulit: *Pretium*(inquit) *nostræ immortalitatis est nostra confusio*. Quapropter aptè concinnè,eleganterquè Augustinum,dum suas præsertim animi labes, & culparum probra turpium in Confessionum libris euulgando in lucem profert, luce dignus videri potuit, meritòque ingeniosus ille modernos inter scriptores sic supra homines ipsum admirabundus extollit:

Sui accusatio est hominis iusti prærogatiua. *Prouerb. 18. 17.*

S. Augustinus æque mirandus,et prædicandus in suis confessionum, & retractationum libris.

Ambrosius lib. 5. in Lucam c. 5.

Tenebras suas, dum in lucem prodit, illustrauit,
Nunquam videlicet Solem puduit
E tenebris erupisse.
Nullius honoris auidus, omnium capax,
Meruisse contentus, habere contempserat,
Nisi plus merita, quàm demissio, potuissent,
Æquè scribenda faciens, et legenda describens,
Moribus suis fidem ornauit,
Stylo defendit.
Veritatis amantior, quàm sui,
Defecauit infectam, refecit extinctam,
Vtilis, dum errores retegeret alienos,
Sincerus, cùm nec tegeret suos.

Aloysius Iuglaris elog. de S. Augustino cap. 8.

Dignus Augustino suas palam enunciantis culpas elogium à Iuglari inscriptum.

Sic planè Auctor hominem anteactæ næuos vitę, morumque suorum probra præcelso animo ad se magis, magisquè apud Deum,& homines confusionis, ac infamiæ nota respergendum, condignis, vt par est, laudum præconijs celebrat.

3. His verò obiter narratis,vt de hominibus nunc, qui Pœnitentiæ impulsu, si quid peccarunt, apud Deum, & homines magis accusando prodere; quàm excusando latere, magno meritorum lucro,sapientique consilio voluere, opportunus sermo recurrat: Thomas Cantuariensis Archiepiscopus in hoc maximè laude dignus affulsit, qui cùm Henrico Anglorum Regi, Episcopis vltrò suadentibus in assertis quibusdam,quę inEcclesiæ iniuriam,ac detrimentum vergebant, morem gerens minus cautè, & præter Alexandri III.Romani Pontificis voluntatem subscripsisset;huius rei postmodum causa à Ministro quodam acriter correptus,ac subinde errore agnito, pœnitens adeò indoluit, vt à Sacrosancto seipsum Altari sponte subducens, sacris velut indignus abstinere decreuerit: Sed à Romano Pontifice per literas benignè releuatus, nobile de se post lapsum cunctis

Baronius an: 1164.n.6.

S. Thomas Archiepiscopus cantuariensis in nonnullis quæ scripsit, se humiliter retractat.

pœ-

Poenitens ob id a sacris Altaribus se abstinet.

Rogerius in vit S. Thomę Cantuariensis.

pœnitendi præbuit documentum; hæc enim Rogerius in suis Annalibus: *Eoquè* (inquit) *recedente à Regis Curia, obiter inter familiares ipsius orta est murmuratio, ijs* (*vt assolet*) *asserentibus sic fieri oportere, propter temporis angustiam; illis indignantibus Ecclesiasticę libertatis auctoritatem ad vnius hominis libitum deperire; inter quos acriùs vnus institit dicens: Publica* (*inquit*) *potestas perturbat omnia, in ipsum Christum delirat iniquitas; Synagoga Sathanæ prophanat Sanctuarium Dei; sederunt Principes, conuenerunt in vnum aduersus Christum Dominum, & venerantur hodie, qui Principi obsequuntur ad libitum. Concussit hæc tempestas & columnas Ecclesiæ, dum Pastor disparuit, oues dispersæ latitant sub lupo. De cætero quis erit locus innocentię? quis stabit ex aduerso, vel quis triumphabit in prælio, Principe deuicto? Hæc quidem is murmurabat, qui Crucem ferebat ante Dominum Cantuariensem. Cæteri obmutuere præ angustia; et adiecit audacius assumens parabolam in hunc modum. Quid* (*inquit*) *virtutis sibi retinuit, qui constantiam perdidit, & famam? Quorsum hęc fili?* (*ait Dominus Cantuariensis*) *te ipsum* (*inquit*) *id respicis, quod hodie omninò perdidisti & conscientiam, & famam, Deo odibili, & honestati contrario exemplo in posterum relicto; cùm manus tuas Deo sacratas ad execrandas consuetudines obseruandas extenderes, & in confusionem libertatis Ecclesiasticæ, cùm nefarij Sathanæ ministris conniueres.* Hæc ille. Quibus isthæc appendicis instar Baronius subtexit: *Fuit planè* (inquit) *iste gallu ille, cuius clamore excitatus Petrus fleuit amarè*; nam pergit.

A quodam Clerico in ipsum ob murmurante corripitur.

Baronius vbi supra n. 5.

Huius voce non secus ac Petrus Galli cantu resipiscit.

4. *Ingemuit igitur* (inquit) *Dominus Cantuariensis, & suspirans adiecit: Pœnitet me* (*inquit*) *& grauiter; & meum exhorrescens excessum, me ipsum iudico indignum de cętero ad eum accedere in Sacerdotio, de cuius Ecclesia contraxi tam vile commercium. Silebo itaque sedens in mœrore, donec me visitarit Dominus ex alto, vt per ipsum Dominum, & Dominum Papam merear absolui, statimquè inde destinauit nuncium ad Sedem Apostolicam.* Hæc Auctor. Verùm id vbi Romano Pontifici innotuit, vt mœrentem, deiectumquè paternis verbis erigeret, consolatorias ad ipsum literas dedit; quibus ipsum à iuramento, quo se pridem obstrinxerat, absoluit, & ad consueta Deo offerenda Altaris, quibus se interdixerat, ministeria Sacramentorum accedere iussit: hæc enim illi: *Ad aures* (inquit) *nostras fraternitas tua noueris fuisse perlctum, & quorundam nobis relatione suggestum; quòd occasione cuiusdam excessus à Missarum proposueris celebratione cessare, & à consecratione corporis, & sanguinis Domini abstinere. Quod vtique quàm graue sit, pręcipuè in tanta persona, & quantum possit exinde scandalum prouenire, sollicita meditatione consideres, & hoc ipsum vigilantia tua discretionis attendas. Debet autem diligentia tua prudenter aduertere, quòd plurimùm interest, quando ex deliberatione, et propria voluntate, et quandò ex ignorantia, vel necessitate aliqua committuntur. Aliter enim in his, quę spontanea voluntate, et aliter quæ ignorantia* (*sicut dictum est*), *vel necessitate cogente fiunt, noscitur procedendum, etc. et omnipotens Dominus non factum agentis attendit; sed considerat potiùs intentionem, et diiudicat voluntatem, etc.* His quidem Pontifex ipsum consolatus, à Missarum solemnijs haud posthac abstinendū edixit. Ex quibus haud obscuro verè pœnitentis exemplo mira Pontificis in errore agnoscendo humilitas, & subinde grauem adeò sibi pœnam indicendo ardens pœnitentiæ studium apparet. Ac si illud Augustini verbum, quod & Dauid egregiè ipsi tunc occineret. *Quoniam ego peccatum meum agnosco, tu ignosce.* Sic planè Pœnitentibus, qui errorem (vt par est) agnoscunt, res feliciter tandem contingit.

Alexander III. lib. 1. epist. 26.

Romanus Pontifex Thomam dolentem suis literis erigit.

Summoperè dolet, & si ex ignorantia, non ex praua voluntate lapsus est verbo.

Augustin. in psal. 50.

5. Quoniam verò (vt noster propositæ sermo narrationi insistat. *Iustus prior* (iuxta scripturæ oraculum) *accusator est sui*, Immortalem sibi planè Pius Romanus Pontifex, huius nominis II. in primis apud Deum in Cœlo coronam, condignasque apud homines in terris laudes promeruit, dum si quid incautè olim errasset, seriò postmodum recolendo agnoscens, idque vti reus amarulenter flendo execratus, omnimodis ante mortem rum dictis, tum factis retractandum voluit. Cum enim in Basiliensi Concilio aduersus Eugenium IV. tunc Romanum Pontificem, iustisquè suffultus rationibus stetisset, cunctà sincero quidem corde, & quia id ipsius opportunum Ecclesiæ bono putabat, se proculdubio fecisse

Prouerb. cap. 18. 17.

Rainaldus an. 1463. n. 4.

Pius II. qui olim AEneas Sylnius cum in Basiliensi Concilio contra Eugenium Papam iuste permotus stetisset, facti postremum vehementer ipsum pœnitet.

esse affirmare non timuit, vt ipsemet ad Colonienses sic scribendo testatur: *Libellum*(inquit)*ad vos scripsimus, in quo de auctoritate Concilij generalis, etc. ea probauimus, vel damnauimus, quæ probanda, vel damnanda censuimus. Quantum capiebamus, tantum defendimus, aut oppugnauimus, nihil mentiti sumus, nihil ad gratiam, nihil ad odium retulimus; existimauimus bene agere, et recta incedere via, nec mentis nostræ aliud erat obiectum, quàm publica vtilitas, et amor veri. Sed quis non errat mortalis etc. Declinauimus et nos ab vtero matris: errauimus in inuio, et non in via, ambulauimus in tenebris, et procul à vera luce recessimus, nec nobis tantùm errauimus, alios quoque in præcipitium traximus, & cæcis ducatum præbuimus, cæci cum illis in foueam cecidimus, etc. Non habemus, quid respondere possimus, nisi nos vt homines peccauisse, qui arbitrantes rectum iter ostendere, obliquum monstrauimus, etc. Mortem quidam priùs sibi consciuerint, quàm videri velint aliquando malè sensisse, et nonnulli, ne vel ad horam videantur errasse, semper errant, et dum minimam tolerare honoris iacturam nequeunt, totum abijciunt, et perpetua notantur infamia, et in pessimas prolabuntur hæreses, qui ne appareant inconstantes, pertinaces efficiuntur, etc. Nos homines sumus, et vt homines errauimus, etc. Pudet erroris, pœnitet malè dictorum, scriptorumque vehementer pœnitet; plus scripto, quàm facto nocuimus, sed quid agamus? etc. vtinam latuissent, quæ sunt edita; Nam si futuro in seculo manserint, aut in malignas mentes inciderint, aut incauti fortasse scandalum patientur. Qui hæc scripsit(inquient)in Beati tandem Petri cathedra sedit, et Christi Saluatoris Vicariatum gessit. Ità scripsit Aeneas, qui postea Summum Pontificatum adeptus: Pius II. appellatus est; nec inuenitur mutasse propositum. Qui cum elegerunt, et in summo Apostolatus vertice collocarunt, ab ijs scripta eius approbata videntur. Verendum est, ne talia nostra aliquando Successoribus obijciantur, et quæ fuerunt Aeneæ dicantur Pij, atque ab ea Sede auctoritatem vendicens, aduersus quam ignoranter latrauerunt, etc.* His Pastor Ecclesiæ dignissimus B. Augustini suffultus exemplo, publicam suorum tum dictorum, tum gestorum, scriptorumque retractationem instituit,

Pius II epist. ad Coloniens.

Se ipsum amarulenter accusans culpam fatetur

Hæretici nunquam sententiam mutant, ac errorem suum desendere malunt, quam retractare desensum.

Extant in Bullario in Pio Constit. 10.

Pudet, ac pœnitet pios homines erroris non confessionis, ac pœnitentiæ.

Rainaldus an. 1463. n. 116.

vbi humiliter se ipsum accusans, omnem præteritam culpam diluit. In suis alioqui retractandis erratis adeò propensus, vt cùm libellum iuuenilibus annis, & amoribus alioqui respersum scripsisset, illum apertis postmodum, amarulentisquè displicentiæ notis suggillans, execrandum, abolendumque omninò voluerit; Sic enim ipse contra se ad Cypriacum scribens proclamat: *Tractatum* (inquit) *de amore olim sensu, pariterquè ætate iuuenes, cùm nos scripsisse recolimus, Carole fili dilectissime, pœnitentia non modica, pudorquè, ac mœror animum nostrum vehementer excruciat, &c. De amore igitur, quæ scripsimus olim iuuenes, contemnite mortales, atque respuite: sequimini, quæ nunc dicimus, & seni magis, quàm iuueni credite, nec priuatum hominem pluris facite, quàm Pontificem: Aeneam reijcite, Pium suscipite, &c.* His ille dum à se olim scriptorum memor, ac simul pœnitens, stylum acriter in se ipsum intorquendo exacuit. Quibus profectò se, suaquè tum acta, tum scripta incusando, pœnitentis verè hominis egregiè partes cunctorum documento exhibuit.

Tractatum quem iuuenis de amore inscripsit, iam senex, ac dolens retractat.

Pius II. epist. 395. ad Carol. um Cypriacum.

Illis plane vsus verbis: *Aeneam reijcite, Pium suscipite.*

6. Porrò laudatissimus præ cunctis Pontifex, cum totus parandæ transmarinæ in Turcas expeditioni intendit, ac res Burgundo præsertim Duce moras trahente, in longum iret, intimo cordis dolore affectus, in morbum incidit, ex quo subinde è vita abscessit, vt Papiensis sic meminit: *Sumpsit ex eo(inquit)tempore grauiores solito curas pastor deuotus, ad condictam expeditionem festinans, sequè quotidie necessarijs instruens, suprà autem ætatem laborans, imminuit ægram alioquin valetudinem suam: Pedum enim, & totius corporis acres surrexerunt dolores, doloribus adiuncta est febris. Itaquè magna instauratione opus esse Medici contendebant ad futuræ nauigationis laborem; & nisi esset ante resumpta, citum prænunciabant interitum, &c.* His itaque animus curis præuentus, doloribusquè prægrauatum corpus, citam Pontifici, dum se pro publica Christianorum re tam sollicite gerit, mortem attulerere. Quibus de ipsius obitu præmissis, in eius nunc laudem ipsius Barleti verba pro digno meritorum, ac tanti Pontificis elogio exscribenda hîc sunt: *Magnus profectò*(inquit), *& clarus Pontifex*

Rainaldus an. 1464. n. 1.

Card. Papien sis epist. 50.

Pius expeditioni à sè transmarinæ parandæ intentus pie decedit.

Dignum Piu Pontifici elogium ex Barletto.

Barletius ubi supr. in Scanderbego lib. 10.

Egregiæ ipsius dotes summarim collectę.

contempsit pecunias, virtutem apprimè dilexit, neque secundis rebus intumuit, neque succubuit aduersis, neque spes ei gaudium, neque metus tristitiam auxit: potius, cibique parcissimum fuisse tradunt; Diuina Templis officia diurna, nocturnaquè nusquam neglexisse. Pompas sęculi fugerat, calcauerat auaritiam, libidinem subegerat. Sedatus animus eundem semper eius vultum ostendit; durus, & asper in hostes Christi, promptior in fide receptis: Euangelij non surdus auditor, omnia inter Christi pauperes erogauit, &c. Cum primùm verò Pontificatus apicem adeptus esset, magis effulsit: multa in Turcas parauit, Reges, & Principes omnes concitauit. Sed dum hæc molitur, de medio sublatus est; cuius quidem occasu tantum Respublica Christiana detrimenti suscepit, vt adhuc eius obitum maximè lugeat; subito enim, et improuiso illius casu afflicta est, et nunc consternata admodum, & à barbaris vndique exagitata, plurimùm mæret, atque tristatur. Cuius igitur Christiani ferè omnes interitum luxere, mors verè felix, immò summa potius felicitas, quàm suprema calamitas dicenda est; tanto nimirum Pontificem tuendæ religionis studio, atque animi conatu præuentum, mortalem hanc vitam conclusisse, vt egregiè Cardinalis Papiensis sic planè ipsum laudando, prosequitur.

Papiensis ubi supra.

Immortalis ex tantma rina expeditione Pij apud Deum, & homines corona.

7. *Incertum* (inquit) *morte ne, an vita felicior, qui ad summum Pontificatum virtute sua perueniens, & religionis, atque ingenij æternam gloriam consequutus, mortem eam sit nactus; qua, si sæculum attendas, nulla sublimior, si Deum respicias, nulla amplioris meriti contingere poterat. Mortuus pro veritate est, et pro redemptione plebis captiuę offerens se ipsum hostiam Deo, et relinquens exemplum Sacerdotibus, quales esse pro suis plebibus debeant. Martyrium autem penè quotidianum passus est à die, quo Philippus Burgundorum Dux missis Oratoribus venturum se ad bellum, et socium sancti Operis futurum promisit. subitò in omnem partem curam impertiens, fatigari ampliùs solito, ac vehementiùs cępit, etc. perire huic causæ existimans, quidquid momenti alijs esset impertitum, etc. Hac animi anxietas labefactauit supra modum ægram valetudinem senis, cùm nec de alio cogitare, nec quietem capere, nec cibum sine astante cura sumere posset, etc. Complectar vno verbo: Publicę Christianorum causæ Vir Sanctus non defuit, sperans in Domino, et supra vires animum gessit; defuerunt ei, qui deesse nullo modo debuerant, ipse cum omni constantia ad mortem contendit, et patienter passus est pro Christo Deo suo.* Hæc Papiensis, quæ nos hìc sepulchralis instar lapidis Pontifici de totius Ecclesiæ bono optime merito inscribenda voluimus.

Ioannes Picus Mirandulæ Comes quidquid scribendo errasset, honestiter retractat.

Rainaldus an. 1493. n. 36. 37. 38.

Inanis gloriolæ cupiditate abductus, ingenio altius quàm par est, sapere visus.

8. Magno item Christianæ humilitatis exemplo præter alios eximios recensitos hactenus magni nominis Ecclesiæ Præsules, ipsosque inter recolendos sęculi Principes, Ioannes Picus, Mirandulæ Comes affulsit, qui non immerito ingeniorum quoque olim apex dici meruit, eruditionis, & scientiarum laude adeò inter homines clarus; vt præter variarum linguarum genera, disciplinis omnibus probè excultus, naturæ quodammodò fines sui perspicacitate ingenij prętergressus, mortalibus vti portentum admirationi esset. At iusto Dei iudicio, cùm hìc tantum præcelleret ingenio, ac scientiarum prærogatiua elatus, sui oblitus; illecebris tandem sensim abductus euanescendo desipuit, adeò vt vel sic Deo nimium hominis fastum desuper comprimente, miser à recto aberrans, & lasciuiarum se in præceps oblectamentis immergens; nonnullis editis opusculis, ac Romano Pontifici oblatis, in hæreseos insuper suspicionem venerit: Quapropter à fidei censoribus in Iudicium vocatus, & corde compunctus, dum sollicitus se ipsum ab omni suspicione labis expurgat, ad bonam frugem traductus, Pœnitentiæ se totum operibus addixit, & carnem; cui turpiter pridem indulserat, rigidè pertractans, religiosę sectanda sibi austerioris vitæ Instituta proposuit. At dum totus bonis interim actibus intendit, anteactorum pœnitens diem felicissimè clausit. Is igitur de se pridem altiora præsumens, inanisquè gloriolæ aura abductus, ad Innocentium VIII. accedens, nongentas à se, altissimis de rebus quæstiones disceptandas, propugnādasquè obtulit, è quarum numero tredecim (vt fertur) haud hæresis labe, & nota vacabant; Quapropter meritò nongentarum eiusmodi quæstionum libellus ab Innocentio proscriptus, vetitusquè est. Atqui cùm magnus inde fuisset ab æmulis

lis odij in ipsum liuor concitatus, quòd prætenso nimirum Philosophiæ fastu, ac pallio, non tam sic in scena Philosophum, quàm hæresiarcham ageret; Apologeticū ipse pro se libellum edidit, in quo propositiones tredecim à se conscriptas, dubias alioqui, & quæ haud suspicione carebant, & quæ suis offensionem scriptis auxerant, ipse in Catholicum probè sensum deriuando, assertorum nuper omni reiecta ambiguitate veritatem ostendit, ac suum de apologetico scripto libello animi sensum hunc in modum suggerendo aperit: *Fui*(inquit) *Deum testor, dubio diù consilio, diluenda mihi, hac obiectamenta, an silentio potiùs prætereunda essent? Mouebant me, vt tacerem, duo præcipuè. Primum, quod ego contentionis, et iurgiorum abhorrens, animi pacem, quam mea mihi præstiterant studia, et placentissima vita tranquillitatem amaui semper, nec odi vllum magis scribendi munus, quàm quod in disceptatione, et amarulenta quodammodò altercatione sit constitutum; quippe non minùs, quàm inferre iniuriam, vel contumeliam, nec boni Viri duxeram esse vnquam, nec Philosophi. Alterum hoc ipsum erat, quod et Summi Pontificis, cuius mihi meritò celebranda semper memoria, et ex Sanctissimo Apostolico Senatu complurium iudicio connentus, quorum et benignitatem, et beneuolentissimum in me animum obliuisci nunquam, aut possum, aut debeo; videbar facilè et odium posse negligere, et conuicia hominum improborum. Et profectò quòd attinet ad cetera, in hac eram sententia, vt indignos illos existimarem, quibus aliquando responderem: sed iniusto mihi obiecto hæreseos crimine, hoc si facerem, verebar, ne quod non diluerem, viderer crimen agnoscere: scribit autem, et sapientissimè Ruffinus esse quidem gloriosum Christi exemplo patienter iniurias tolerare; at vnam notam hæreseos, qui ferat, vel dissimulet, non esse Christianum. Et Hieronymus noster quanta potest animi contentione, clarissima exclamat voce: Nolo in suspicione hæreseos quemquam esse patientem, etc. Hoc quæso patiantur detrectatores mei eo animo, quo ego iniquam illorum offensam passus sum semper; patiantur, inquam, vt qui Christianus de Christianis natus sum, qui vexillum Christi Iesu in fronte gero, qui pro Christi fide etiam ob eam lubens quasi cum Paulo hoc ipsis æquo animo audientibus exclamem voce: Non Magus, non Iudæus sum, non Ismaelita, non hæreticus; sed Iesum colo, et Iesu Crucem in corpore meo porto, etc. Oro igitur, obsecro, et obtestor, amicos et inimicos, pios et impios, doctos et indoctos per viscera Iesu Christi Domini nostri, per mirabile descensus eius ad Inferos mysterium, etc. Legant sine liuore, sine inuidia, quæ nunc scribimus; priora, idest ipsas propositiones, non enarratas, non explicatas non legant, etc. Nam ibi plurima sunt impia dogmata veterum Philosophorum Auerrois, et Alexandri, et aliorum quam plurium; quæ nos asseruimus semper non minùs à vera, rectaquè Philosophia, quàm fide esse aliena, etc. de more tamen Academiarum inter paucos, et doctos secreto congressu disputanda suscepimus, etc.* His planè Picus se ipsum, ac sua item scriptorū commenta expurgans, se disputationis isthæc dumtaxat causa, nec firmiter asserendi gratia paginis tradidisse affirmat. At de Apologetico Pichi libello Franciscus eius Nepos hæc scribit.

Io. Picus Mirandula in suo Apol.

Apologeticum pro se libellum cō scribit, vbi dictorum suorum rationem affert.

Purgat se ab hæresis, qua notabatur, suspicione.

Hieronymus in epist.

Hieronymi auctoritate se ipsum falso incusatus defendit.

9. *Librum*(inquit) *ipsum, et quæ scripturus erat in posterum, Matris Ecclesiæ, einsquè Præsidis sanctissimo iudicio Christianissimi hominis more commisit: id enim vel expressè, vel tacitè geri oportere persuasissimum est, quasi illud Augustini proferret. Errare possum, hæreticus esse non possum; quando alterum sit hominis proprium, alterum peruersæ, et obstinatæ voluntatis, etc.* Cum igitur piè adeò, sapienterquè Picus omnem à se hæreseos suspicionem ablegando diluisset, Apostolicis Alexandri VI. literis cohonestatus est, sublataquè omnis (vt Rainaldus docet) quam in ipsum Censores fidei intenderant, in iudicio agendi ratio. Verùm enimuerò maxima animi ob eiusmodi suspicionem, pulsatus molestia, nedum asserta priùs dogmata, sed & vitæ insuper mores serio, atque humiliter retractando multum profecit, Dei quippe nutibus suam inflectendo ceruicem, ipsius propitiam sibi opem promeruit; carnalium etenim voluptatū laqueis irretitus, Deo id permittente, ad ipsius deprimendum supercilij fastum contigisse intellexit. Posthac igitur cuncta generosè vincula abrumpens, è cœno liber emersit, vt Franciscus eius Nepos sic scribit: *Immensa*(inquit) *Dei Bonitate*

Ioannes Picus vbi sup.

Illo Augustini verbo ab hæresi excusatus *Errare (inquit) possum hæreticus esse nō possum.*

Ioan. Picus vbi supra.

Anteactæ vitæ mores serio pœnitens retractat.

nitate, quæ ex malis etiam bona elicit, effectum esse (quemadmodum mihi retulit) iudicabat, vt calumnia illa falsò à maleuolis irrogata, veros errores corrigeret, eique in tenebris aberranti, vt quantum exorbitasset à tramite veritatis, contueri posset, ceu splendidissimum iubar illucesceret; Priùs enim et gloria cupidus, et amore vano succensus, muliebribusque illecebris commotus fuerat. Fœminarum quippe plurima ob venustatem corporis, orisque gratiam, cui doctrina, amplæque diuitiæ, et generis nobilitas accedebant, in eius amorem exarserunt; à quarum studio non abhorrens, parumper via vitæ posthabita, in delicias defluxerat. Verùm simultate illa experrectus, disfluentem luxu animum retudit, et conuertit ad Christum, atque fœminea blandimenta in superna patriæ gaudia commutauit, neglectaque aura gloriæ, quam affectauerat, Dei gloriam, et Ecclesiæ vtilitatem tota cœpit mente perquirere adeoque mores componere, vt posthac vel inimico Iudice comprobari posset. Porrò Vir tantus, vbi postmodum pœnitens sic vltor in se ipsum insurrexit, vt carnem flagellis cæderet, excruciaretque, ac imputos, quos foedis pridem amoribus respersos, rithmisque etruscis exscripserat libros, religione adductus igni tradiderit, cunctosque ad se accedentes optimis, ac saluberrimis instruens monitis, illud S. Francisci verbum: *Tantum scit homo, quantum operatur*; in ore frequenter haberet; hæc enim Auctor, dum pij, ac vnà simul pœnitentis animi, quem Princeps ingenio præstans ideo exhibuit, consilia, atque exemplum æmulanda proponit: *Adeo* (inquit) *in Deum exarsisse illum memini, vt cùm Ferrariæ in pomario quodam de Christi amore colloquentes longis spatiaremur ambulacris, in eiusmodi verba proruperit: Tibi hæc dixerim in arcanis recondito, opes, quæ mihi reliquæ sunt, absolutis, consumatisque elucubrationibusquibusdam, egenis elargiar, et Crucifixo munitus, exertis, nudatisque pedibus orbem peragrans, per Castella per Vrbes Christum prædicabo.* Hæc ille. Cum Princeps verò pium mentis propositum diutius protraheret, anno ætatis trigesimo secundo, & salutis M.CCCC.XCIV. postquã Deo Prædicatorum Ord. Instituta se arrepturum deuouit, Florentiæ pio fine è vita decessit. Quibus, vt nil silentio prætereamus, quæ Rainaldus de ipso tradit, consultò adijcienda hîc sunt: *Fertur* (inquit) *post mortem ignibus vallatum apparuisse, quod in Purgatorio pœnas daret ob ingrati animi vitium; quòd ingentes, quibus auctus erat, natura dotes non penitus Christo consecrasset, seque piorum precibus commendasse.* Hæc Rainaldus, qui hominem post suos retractatos tum doctrinæ, tum vitæ insuper errores, beato tandem fine, Christiano nimirum pœnitentium more diem clausisse affirmat. Hic suo mortales quidem cunctos solemne illud exemplo docuit: *Quia humanum est peccare, Angelicum emendare, diabolicum perseuerare.* Sed de his hactenus.

Ob generis splendorem, & oris gratiam à mulieribus adamatus.

Ioannes Picus vbi sup.

Ab inani fastu, impurisque amoribus ad Deum se conuertit.

Pœnitens quæ animo pietatis opera versaret.

Rainaldus an. 1494. n. 38.

Nuncupato Religionis voto diem feliciter obit.

Purgatorij pœnas subire addictum vallatus ignibus post apparens renunciat.

CAPVT X.

Pœnitentes quid post calumnias, iniurias, contumeliasque præstiterint.

1 Læsa plerùmque Charitas lædenti magis, quàm cæteris detrimento est, & acerbum adeò æquo Sapientum calculo ipsum, quo læditur, vulnus computatur, vt plus ferientem, quàm ipsumet, cui infligitur, intimè proculdubio feriat. Quapropter *apud Christianos* (vt Hieronymus inquit) *non qui patitur, sed qui facit contumeliam miser est.* Agendo quippe, haud iniurias, contumeliasque patiendo mortalium quisque ad Dei Tribunal supplicij reus efficitur. Enimuerò si quis rem seriò expendat, ipsa contumeliarum verba, ac iniuriæ sagittis non immeritò, & gladijs insuper Psalmistæ ipsius calculo comparantur, vt ad viuum cunctis earum vis, ac reatus appareat: *Dentes eorum* (inquit) *arma, & sagittæ, & lingua eorum gladius acutus.* Nil quippe ad feriendum, ferendumque acerbiùs, quàm verborum iacula; quia vt gladijs cominus bellantes, sagittis autem eminus feriuntur, ita contumeliarum verbis præsentes, ac absentes pariter vno, eodemque quasi lethaliter ictu sauciantur. Quapropter cùm Iobus Vir omnium dignissimus filijs primùm, suisque orbatus opibus, plagis item, necnon contumelijs ab amicis validè impeteretur, ad priora quidem immobilis vulne-

Hieronymus lib. 2. epist. 55.

Apud Christianos, non qui patitur, sed qui facit contumeliam miser est ex Hieronymo.

Psal. 56.

Iob c. 19. 2.

ra

ta perstitit, obduruit, siluit; ad nouissimave rò ad acerbiora, vtpote cordis iacula obdoluit vehementius, ac vltrò ingemiscens. *Vsquequò*(inquit) *affligitis animam meam, et atteritis me sermonibus*. Enimuerò ipse acriorem inter isthæc sensum doloris expertus est, vt Origines adnotat, quàm ob multiplices ærumnarum quas à Diabolo inflictas corpori plagas sustinuit: *Sæpenumerò* (inquit) *qui corporis cruciamenta tolerauit, non passus est verba*. Quod suo item ex more, appositequè in rem præsentem Ambrosius aliquando perpendens: *Amiseras Iob*(inquit) *omnia sua, patiebatur vulnera caro eius, manebas, vt tentationes verborum vinceret: Nihil enim sic penetrat animam, sicut sermo fucatus, nihil iterum sic mordet, vt durior sermo. Multi cum vicerint adhibita tormenta, sermonum duritiem non sustinuerũt*. Amici namq; miserũ, afflictumq; asperè Iobum alloquentes; *verborum suorum* (vt Ambrosius ait) *saxis lapidabant innoxium*. Adeoque non immeritò sapientum Sapientissimus haud alio contumeliam nomine, quàm linguę gladium appellat.

Iobus verbo rũ contumelijs pulsatus ab amicis, plus quàm verberibus, & diaboli plagis obdoluit.

Iob. 19. c. 2.

Origenes in Iob. vbi sup.

Ambrosius in Iob. c. 36.

Ecclesiastici cap. 26.

2. Et æquo siquidem Bernardi calculo contumeliosi hominis lingua lanceis, clauis, & spinis, quibus vel inter patiendum Christus Dominus cruciarus est, acerbior insuper renunciatur: *Leuis quidem*(inquit) *res sermo, quia leuiter volat, sed grauiter vrit; leniter penetrat animum, sed non leniter exit: profertur leniter, sed non leniter reuocatur: facilè volat, atque adeò facilè violat charitatem*. At vbi sic cum hoste pugnandum est, nullus contra verborum iacula præsentior ad propugnandum clypeus, quàm oris silentium, vt vel ipso Dauid experimento contra persequentem Saulem, & Semei calumniantem dimicans factis comprobauit: *Et factus sum, sicut mutus non aperiens os suum*, Recogitabat namque Vir dignus se in Deum grauiter aliquando peccasse, eiusque iustè exacerbasse iram; adeoquè calumnias ab illo ob culpæ reatum patientissimè tulit, nec vllam è calumniante vindictam sui victor expetijt. Quippe qui modò pœnitens haud aliter quas pridem in Deum admiserat, culpas iustissimè compensaret: *Aequanimiter*(inquit Gregorius) *pertulit, qua audiuit, et contumeliosa verba, non tam conuicia, quàm adiutoria credidit, quibus se purgari, sibiquè misereri posse iudicauit*. Enimuerò si quis atroces hominum in Deum iniurias probe expendit, illatas profectò sibi contumelias parum curabit, & minime sentiet; quin immo sic satis Deo faciens, se ad referendas potiùs gratias, quàm ad vltionem ex hoste expetendam diuinitus prouocari intelliget, cùm ipse his longe suis pro culpis deteriora perpeti mereatur: *Sicquè fit*(vt Gregorius ait) *vt contumelijs gratia potius, quàm ira debeatur*. Quapropter iniuriarũ quemq; obliuisci, & omnẽ à se procul vltionem ablegare oportet. *Multò magis*(inquit Tertullianus) *patientiam indixit iniuria, qui iniuria indixit obliuionem*.

Bernard. de Triplici cust.

Contumeliosa lingua plusquàm aculei quęque ferientia nocet.

Psalm. 37.

Gregorius lib. 3. moral. cap. 17.

Dauid contumelias à Saule, et se mei intentatas quæ ratione patienter tulit ex Gregorio.

Gregorius vbi supra.

Tertull lib. 4. in Marc. c. 14.

3. Dauid namque haud Semei calumniantem, & acerbiùs lingua, quàm ferro sæuientem vindicaturus respexit; cùm filium Absalom vltrò insidiantem sibi animaduerteret: *Non sensit* (inquit Ambrosius) *seruum calumniantem, memor filij persequentis*. Quin immò intentatis iniurijs, non secus ac digno oblato ad Deum sibi conciliandum sacrificio opportunè vsus, nulla re magis, quàm eiusmodi posse Deum se promereri oblatione putabat: *Dimittite*(inquit) *illum; Dominus enim præcepit illi, vt malediceret mihi, et quis scit, an propitietur, etc.* Digna quippe in primis, acceptaque Deo immortali oblatio, iniuriarum obliuio censetur. Quod probè Apostolus sciens, magno item sibi prouentu exercendum indixit: *Maledicimur*(inquit) *et benedicimus*. Quo quidem ampliorem, quàm cuncti veteres Patriarchæ multipliciter olim tentati patientiam, ac pœnitentiam item, isthæc perferendo, præstantiorem exhibens, multùm profectò Ambrosio teste, profecit: *Magisterio*(inquit) *Diuino processus humanę virtutis excreuit*. Nedum etenim inter contumelias ipse, vti Iob, risit; ac velut Dauid, obmutuit: Sed & maledicentibus insuper, nouo prorsus charitatis, ac virtutis prodigio benedixit; quod & suis Christus Discipulis faciendum edixerat: *Benedicite maledicentibus vobis*. Calumnias igitur, contumelias, ac iniurias, & id genus alia ne dum quis patienter, ac humiliter tolerando, pro suis dignam Deo oblationem culpis offert; sed & Deum ipsum aduersus oppugnan-

Ambrosius vbi supra.

Seruum calumniantem tolerat, memor filij persequentis ex Ambrosio.

Regum 2. c. 16. 20.

1. Corint. n. 12.

1 Chorint. 12.

Suos Christus exempli magisterio ad patiendũ excitat, roboratque.

Ambrosius lib. 1. de interpel in Iob. c. 2. Luca cap. 6. n. 28.

gnan-

gnantes defensorem (Tertulliano teste) sortitur: *Satis quippe* (inquit ille) *idoneus patientia sequester Deus; si iniuriam deposueris, penes eum vltor est: Si damnum, est, si dolorem, Medicus est; Si mortem, resuscitator est. Quantum patientia licet, vt Deum habeat debitorem*. Enimuerò mortalium quisque vbi iniurias, & persecutiones ab hominibus sustinet, tunc ipsi Deus defensor vtique è proximo adest; & tunc maximè cum alteri parcit, parcendum sibi, & à culparum reatu se absoluendum, proculdubio prçsidit. Quapropter cùm Dauid æquo semper animo, magis, magisque persequutiones patitur, certam inde sibi à Deo indulgentiam repromittens, tutoquè exposcens: *Ab omnibus*(inquit)*iniquitatibus meis erue me*. Pro culpis namque dignè homo satis Deo facit, cùm opprobria, & iniurias patienti animo tolerat; adeoquè apposité Ambrosius magnum, manifestumq; ibi lucrum agnoscens: *Prodest* (inquit) *interdum et opprobrium*. Dauid suo itaque experimento edoctus dum certam sibi à Deo veniam repromittit illa apposité verba præmisit: *Opprobrium insipienti dedisti me*. Adeòque sic aptè Ambrosius in rem aliquando concludit: *Prodest magis* (inquit)*opprobrium sustinere, quàm refellere*: Sic ille.

Tertullianus lib. de patien. tia cap. 15.

Virtus patiētiæ Deum debitorem habet ex Tertulliano.

Psal. 38

Ambrosius in psal. 38.

Ambrosius vbi supra.

4. Verùm (vt exemplis quoque in medium prolatis res comprobetur) qui æquanimiter iniurias ferunt, magno semper virtutum prouentu, & tam suo, quàm alieno lucro ditescentes lædentem ipsum salubriter ad pœnitentiam adducunt, peramplam denique apud Deum operis mercedem sortiti. Vt narrandi igitur initium faciamus: Anicius Bassus Exconsul, Vir olim nobilitate inter Romanos clarissimus, cùm Sixtum huius nominis Tertium, Romanum Pontificem nil summi apicem Sacerdotij veritus, calumnijs turpiter exagitaret, cunctos planè Romanorum animos, velut ipsi maxime infensos ab eiusdem obsequio iniustissime auertit; Quod ille & si ægrè, patienter tamen ferens, conscientiæ vtpote testimonio suffultus, vt Pontificij muneris dignitati, ac suæ item famæ consuleret, publicam mox Synodum indixit, apud quam & si supremus, iustissimus tamen sui arbiter, suam ab alijs iudicari causam voluit; Quod quidem sub Consulatu Valentiniani, & Anatolij in Vrbe contigit; vt eiusdem Concilij acta mendis ex aliorum exemplarium collatione purgata legendum sic exhibent: *Valentiniano, et Anatolio Viris clarissimis Consulibus, Crescentius quidam ex nobilibus timens Deum, quas composuerat per annos vitæ suę, omnes facultates suas Ecclesiæ reliquit, et in integro Ecclesiam fecit heredem, atque instituit. In qua demisit prædium in partibus Siciliç, quod nominatur Argianum, etc. Tunc Marinianus perrexit ad Episcopum Vrbis Romę Sixtum, et cœpit rogans postulare ab eo fundum Ecclesiæ supradictum. Respondens Sixtus Episcopus Vrbis Romæ dixit: Nihil ex meis redditibus, charissime fili, accreuit Ecclesię; vnde pauperum senecta sublenari desiderat, nec veni Ecclesiam subuertere, etc. Et post multa: cum prædium à Sixto roganti vllo modo daretur, grauissimè eius fama Marinianus detraxit;* hæc enim acta.

Patientes sibi suo, tum alieno lucro ditescunt.

Baronius an. 433. n. 32.

SixtusIII. huius nominis Pontifex ingens patientiæ inter contumelias, ca lumniasque exemplum.

Acta Conc. apud Baronium. 34. 35.

Ab Anicio Basso Excōsule, Viro illustri acriter in vrbis pulsatus, fert.

5. *Iratus* (inquit) *Marinianus de his, quæ supradicta sunt, venit ad Bassum, dicens quędam de malitia Sixti Episcopi, et aliud per Petrum audierat seruum Sixti Episcopi, quod consecratam stuprasset. Consilio inito, cœperunt ambo accusare eum apud Augustum Valentinianum; ita vt accenderetur Augustus, et Mater eius furore, et suspenderunt se innicem à communione. Sixtus autem Episcopus Vrbis Romæ, sciens omnia, quæ de eo ad Augustum intimabantur, et quia à communione multus Populus Romanus se seligeret; venit ad Basilicam B. Petri Apostoli, et fecit quasi suprascriptum verbum, et per Leonem Diaconum Populo enarrabat dicens: si delicta mea contra me sunt semper, probatio quare non fit? Et cœpit omnis plebs vrbana clamare, vt dicta eius Augustus, et Clerus Vrbis Romæ probaret examine*. Bassus igitur impiè vnà cum socio aduersus ipsum Christum Domini, sacrilegum os suum aperiens, eundemquè per calumniam, non secus ac violatæ reum pudicitiæ proclamans, accusare non cessabat, adeò vt graue tam plebs, quàm Augustus in eum scandalum passi, ab eius se tandem communione subtraxerint. Quapropter ipse vt suam Populo, ac Cæsari testatam innocentiam faceret, se publicè in Synodo dijudicandum voluit, vt vbi inflictæ sibi noxæ immunis

Sixtus apud vt stupri ad Augustum reus defertur.

Iudicium non refugit, bene sibi cōscius, sed probationē ab accusato re præmittēdam vult.

nis renunciatus fuisset, suus item Pontificio illibatus muneri honor maneret; hęc enim eadem acta exhibent.

Concilij acta

6. *Audito hoc Augustus Valentinianus dixit: pia petitio, & fieri iussit secundum dicta, & congregauit vniuersum Senatum Vrbis Romæ; & Sixtus Episcopus congregauit Presbyteros Vrbis Romæ, & Clerum, &c.* Et post multa; *Et cœpit studiosè clamans dicere ad Augustum: Intrent, qui separauerunt filium à Matre Ecclesia, & corroborent vniuersa velamina cordis sui. Augustus autem Valentinianus tacebat, &c.* Et infra: *Respondit Augustus Valentinianus, & dixit ad Bassum; Confitere publicè vniuersas intimationes tuas, quoniam si non probaueris, eris obnoxius Ecclesiæ, & Pontifici: Nam & damnatio tibi commanet, &c. Leuauit se Augustus & dedit in arbitrio Sixti Episcopi indicare iudicium suum, &c.* Et iustè quidem Bassus, & Marinianus proinde Ecclesiastici anathematis iaculo perculsi sunt; vt blasphemam posthac aduersus Christum Domini linguam haud per scelus exerendam scirent, & à peccato (quod incurrerant) resipiscentes, culpam alioqui atrocissimam, salubri (vt par est) pœnitentia expiarent. Verùm, quià nonnulla in eisdem actis verba aliter legi contigit, quæ Baronius noster, prudens rerum historicarum arbiter, totam summatim exponens historiam, narrat, silentio præterire nequaquam volumus; hæc igitur ille.

Apud Baronium vbi supra n. 34. 35.

Augustus Senatum, & Sixtus Vrbis Clerum congregat.

Bassus, et Marinianus non probarent, rei iudicio habendi, adeoque anathematis gladio obnoxij.

Baronius vbi supra n. 36.

7. *Certè quidem* (inquit) *quam ex dictis actis eiusmodi existimo esse petendam historiam, & è puriori fonte hauriendam esse, nempe ex libro de Romanis Pontificibus omnium peruetusto; vbi, cum agitur de Sixto, non vltimo eius sedis anno, sed hoc ipso anno secundo, eas esse passus ipse calumnias legitur, his scilicet verbis: Hic post annum, & menses octo criminatur à quodam Basso. Eodem tempore audiens hoc Valentinianus Augustus iussit Concilium, & Sanctam Synodum congregari: & facto conuentu cum magna examinatione, per iudicium Synodicum purgatur à quinquaginta sex Episcopis, & condemnatur Bassus à Synodo, ità tamen vt vltimo die viaticum ei non negaretur propter humanitatem pietatis Ecclesiæ. Hoc audiens Valentinianus Augustus cum Matre sua Placidia Augusta, furore subito commoti, proscriptione Bassum condemnauerunt, & omnia prædia facultatum eius Ecclesiæ Catholicę sociarunt. Qui Bassus nutu Diuino intra tres menses moritur: cuius corpus Sixtus Episcopus cum linteaminibus, & aromatibus manibus suis tractans recondidit, & sepeliuit ad B. Petrum Apostolum in cubiculo Parentum eius.* Hæc quidem in actis.

In lib. de Romanis Pontific.

Bassus à quinquaginta sex Episcopis damnatur, et Sixtus a delicto immunis renunciatur.

Post tres mẽses moritur, et à Sixto ipsius manibus ad S. Petrum sepelitur.

8. Constans igitur est, historiam è purioti fonte excerptam, ex libro scilicet de Romanis Pontificibus deriuando, Bassum à Sixto primum anathemate innodatum; ipsum adeo ex corde postmodum pœnituisse, vt morbo, ex quo paulò post decessit, correptus, ad Dominici quoque Corporis participandum viaticum, sit admissus, & sepultura quoque ab eo in Vaticana Basilica donatus: *Erat autem sacra* (inquit Baronius) *Aniciorum ædes post apsidem Basilicæ S. Petri, de qua pluribus agitur ad finem tomi 4. Annalium, in qua Aniciorum sepulchra erant: Bassus enim & ipse Anicius erat, qui ante annos duos cum Antiocho gesserat Consulatum.* Hæc Baronius. Bassus quippe breui postmodum tempore Diuinæ animaduersionis gladio perculsus, viuendi finem fecit; cui idem Sixtus Summus Pontifex, homini vtpote, quem Diuini pabuli viatico sub vitæ finem munierat, suprema, item tum pietatis, tum amoris, non secus ac optimè de se merito officia liberaliter indulsit, dum suamet manu Gentilium suorum tumulo, pro contumelia, gratiam, & ingens, supremumque pro acceptis iniurijs amoris argumentum, rependens intulit; de quo nos quoque in nostro Subterraneæ Romę Opere, ac suo aptè loco luculenter satis egimus, quò Lectorem sacræ antiquitatis cupidum amandamus.

Baronius vbi supra n. 37.

Erat ex Nobili Aniciorum familia, qui ob calumniam Dei vltionẽ non effugit.

Sixtus obsequio fuoerit calumniantis iniurias compensauit.

6. Quoniam verò *Opposita* (vt Philosophus ait) *iuxta se posita magis elucescunt*, dissimiles planè Christianorum, ac Pœnitentium præsertim Principum mores à Gentilium Imperatorum gestis, & à se ipsis longe diuersos, post quam Christi Baptismo initiati sunt, quisque recensendo comperiet. Magnus etenim Constantinus Romanorum Principum facilè Princeps, iam pœnitens, & postquam ad Christi fidem se conuertit, plura in Dei obsequio summa cum laude, vel post probra, & contumelias à Gentilibus Impera-

Philosoph. lib. 1. Topic. c 8.

Constantinus Magnus haud iniurias viodicãdu, ethnicos Imperatores prædecessores æmulatus.

Baronius an. 324. n. 131.

peratoribus Christo, eiusque Religioni intentatas, quæ perenni digna sunt memoria, præstitit; vt his Eusebius rem verbis prosequitur: *Imperator* (inquit) *Deo charus Constantinus, ea, quę ad suum spectabant officium, minimè neglexit; sed omnia contraria his, quæ antea à tyrannica crudelitate admissa, instituit, et quemque Ecclesiæ hostem, inimicumquè facilè deuicit. Atque vt illi, qui à vero Deo discesserant, homines ad Deos, qui non sunt, colendos varijs necessitatis vijs coegerunt: ita hic, cum et re, et verbo eos non Deos coarguisset, ad Deum, qui solus Deus est, cognoscendum cohortatus est. Quin etiam illi, qui contumeliosis, et maledicis verbis Christum Dei deridere non sunt veriti; hic in eximio Passionis trophæo mirè gloriatus est: quod licet impij maximis, grauissimisquè conuicijs efficere studerent, iste tamen salutis Propugnator illud ipsum agnouit. Illi Christi famulos domicilijs, et laribus orbatos in exilium eijcere; hic eos omnes demum reuocare, et proprijs sedibus restituere.* Quàm vero his ille, cum in Gentilitatis adhuc versaretur errore, omnino contraria, & quæ alij item Gentilium Principes factis exhibebant, summa tum laude, tum admiratione præstitit; sic Eusebius præ alijs meminit.

Eusebius in Constantini vit. lib. 3. c. 3.

Contraria omninò Gentilium moribus præstat.

10. *Illi eos* (idest Christianos) *ignominijs appetere, hic honoratos, et in omnium conspectu illustres reddere. Illi pijs Viris vitam eripientes, iniquè eorum bona publicare: hic illos pluribus muneribus benignè, et liberaliter excipiens, ad pristinum statum reducere. Illi per scripta decreta palam contra Ecclesiarum Præsides diuulgata, falsis calumnijs eos obiectare: hic contrà, Viros eosdem ad gloriam efferre, apud se ad altum dignitatis gradum tollere, et edictis, ac legibus multò alacriores efficere. Illi sacras ædes precibus destinatas funditus euertere, easquè è sublimi deiectas solo æquare; hic tum eas, quæ supererant, altius erigere, tum nouas sumptu ex ipsis regijs thesauris suppeditato magnificè extruendas sancire. Illi mandare, vt libri diuinitus inspirati, in ignem iniecti, penitus delerentur; hic vt ijdem ex ærario Regio, et ornarentur magnificè, et numero augerentur, decernere: hic eos ex omnibus gentibus, ad se conuocare, intromittere in Palatium, sinere in eius intimas partes penetrare, et laris sui, mensæquè Regalis compotes esse.* Et infra: *Illi Dei Seruos fœdis addicere supplicijs; hic eos, quę hęc patrassent, persequi, pœnaquè debita, Dei ope inflicta, ad meliorem mentem trahere, etc. Illi pecunia victi, animum Tantalicę cupiditati in seruitutem dare: hic Regali magnificentia omnes thesauros referans, liberali, et magnifica largitione eosdem dispertire. Illi infinitas cædes facere, quò facultates interemptorum rapinæ, et publicationi paterent; sed toto illo tempore, quo regnabat Constantinus, etc. Gladius quisque, quò Iudicum sententia supplicium de maleficis sumi solet, ociosus suspensus fuit.* Hæc planè Eusebius, ex quibus probos Christianorum Principum, eorundemque Pœnitentium mores à Gentilium gestis longè dispares videre est.

Eusebius vbi supra in Constantino.

Gentiles in Christum, et Christianos contumeliosi.

Calumnijs Ecclesiarum Præsides exagitant.

Constantinus Dei seruos pijs officijs, ac obsequijs promouet.

Eusebius in Constantino.

11. Porrò susceptus animo Christianæ Religionis cultus, ac digna Pœnitentium norma sic hominem à se ipso in alium quodammodò transfert, ac animos, moresque immutandi vim habet; vt contraria omninò anteactæ vitæ vnusquisque ad Deum conuersus exhibeat: Constantinus namque (vt sermo adhuc de ipso nobis sit, *Christianorũ* (vt Augustinus ait) *Principum vertex*, qui olim & adhuc Gentilis in sęuitiam procliuis est visus aliquando, dum de ipso Poeta ille suum in Crispum, & Faustam gladium perstringente, aurea quidem sub ipsius Principatu Terrarum Orbi: sed Neroniana affulsisse sæcula, conquestus meritò est. Tãta verò post sacras ipsius Baptismi aquas Christianus Princeps mitietate præfulsit; vt læsus parceret, contumelijs appetitus ignosceret, & vel ipsis pro contumelijs, lædentibus gratiam rependeret: Quapropter aduersus Aegyptios, atque Thebanos rixantes, & cõtumelijs perperã, ac iniurijs lacessitus, illud se dignum mititatis exemplum præbuit, vt iniuriam mallet ignoscere, quàm agnoscere; adeoquè Eusebius cæcam furentium hominum temeritatem, vel impunè in ipsum insurgendo protupisse affirmat: *Vsque eò* (inquit) *vt animis insanis, ac desperatis impia scelera aggredi, et Imperatoris imagines contumelia afficere non dubitarent. Verùm Imperatorem, non tam ad iram, quàm ad immensam animi ægritudinem, qua furiosorum amentiam supra modum deplorauit, incitarunt.* Læsus quippe Princeps di-

Baronius an. 334. n. 157.

Constantinus qui olim in sæuitiam deflexit, post modum mitis ingenij, ac benignus extitit.

Ad iniuriam ab Aegyptijs & Thebanis iram prouocatus maluit ignoscere, quà agnoscere.

Eusebius in vit. Constant. lib. 3. c. 4.

dignissimus ipsos magis lædentes doluit, quàm vel læsus ad iram, (vt par erat) iustissimè prouocatus exarserit.

12. At meritò hìc Chrysostomus in Constantini laudem audiendus est, qui isthæc pro concione coram Populo Antiocheno edisserens, ex oratione Flauiani, quam recitat, sic habet: *Fertur* (inquit) *beatus Constantinus effigie sua quandoque lapidata, multis ipsum instigantibus ad supplicium de auctoribus contumeliæ sumendum, & dicentibus, quod omnem ipsius faciem saxis conuulnerarint: manu faciem palpans, & leniter ridens dixisse. Ego verò nusquam vulnus in fronte factum video, sed sanum quidem caput, sana verò & facies tota. Illi verò reueriti, & confusi, ab hoc iniquo destitere consilio. Et hoc verbum hactenus canunt omnes, nec tantum temporis labefecit, aut huius sapientiæ memoriam extinxit. Quot sit hoc tropheis splendidius? multas Vrbes ille condidit, & multos barbaros superauit, sed meminimus illorum nihil: hoc autem verbum vsque in præsentem diem cantitur, & posteri nostri, & posteri illorum omnes ad ipsum audient, nec hoc solum est admirandum, quod audient, verùm quod laudibus, & faustis verbis prosequentur, dicentesquè laudabunt, & audientes gratè suscipient: nec vllus est, qui hæc audiens silere possit, quin pariter exclamet, & talia dicentem laudet, & innumera ipsi vel defuncto bona precetur; quòd si propter illud verbum apud homines tanta potitus est gloria, quot apud benignum Deum coronas assequatur?* Hæc ille aptè in rem. Quibus appendicis instar ipsius Baronij verba subtexenda videntur: *Sed hæc* (inquit) *eò magis admiratione digna sunt in Constantino, quòd qui ante susceptum Baptismum animo ferox, et ingenio truculentus, parcere nescius, de sanguine intimè sibi coniunctis supplicium sumpsit, ac tempore summæ pacis, vt vidimus, tempora Neroniana reddidit: simul ac sacro Baptismo initiatus est, mox tantam sibi gratiam cælitus impertitam consequutus; vt tam atrox Maiestatis crimen relinquerit impunitum, immò despexerit.* Hęc quidem in Constantini laudem, qui post acceptas à contumeliosis iniurias clemens adeo extitit; at de ipso item opportune alibi sermo recurret.

Chrysostomus tom. 10. ad Pop. Antiochen.

Lapidibus eius imago appetitur, & ipse inter immanes cõtumelias inultus ridet.

Ob id maxime à Chrysostomo laudatus, & à cunctis suscipiendus.

Baronius vbi supra n. 15.

Ante Baptismum parcere nescius postmodum vel læsus lædentibus ne scit irasci ex Baronio.

13. Hìc autem, vbi opportuna nobis incidit mentio, haud silentio præterundum est, quod suum ante obitum pœnitentia adductus, nec absque laude præstitit Theophilus Alexandrinus Episcopus, qui alioqui virtute clarus, ac pluribus animi dotibus præfulgens, de Ecclesia insuper ob miram sapientiam, & præclara gesta optimè meritus, vbi in Ioannem Chrysostomum Constantinopolitanum Episcopum varijs persequutorũ calumnijs, ipsisque vnà cum persequutoribus insurrexit, bonam sui famam deturpans, cunctis planè omninò fuit inuisus, vt Baronius his verbis testatur: *Quo ad causam* (inquit) *spectat, accidit planè Theophilo, vt bene currenti pedibus in via lapso, cùm in decliuum præceps adactus ruina vlteriùs, casu grauiore corruerit. Etenim laudandus eius ille impetus fuit, quo aduersus Origenistas commotus est, commendandusquè zelus eius in eorundem propulsionem latebras captantium, vbique serpentium: id quidem pleno ore S. Hieronymus, S. Epiphanius, S. item Anastasius Papa, ac denique Occidentales omnes summis laudibus prædicarunt. Verùm cùm in Ioannem Chrysostomum causa publica pretermissa inimicitias priuatas exercuit: aperuit calumniantibus ianuas obtrectandi, & optimos quosque animo à se abalienauit; vndè & perpetuam suo nomini ignominiam irrogauit, redditus posteris eo nomine odiosus, cùm tantum Virum, Ioannem dico, quem innocens imbuta literis adolescentia illustrarat, monasticisquè institutis exculta iuuentus nobilitarat; necnon disciplina, atque exercitatio clericalis Antiochiæ mirificè sublimarat, ac deniq; ipsa Pontificalis functio nullo præpedita terrenarũ rerũ affectu, Deo, Angelis, & hominibus commendaret: talem, inquam, tantumquè Virum columnam Ecclesiæ conatus sit Theophilus comparatis vndique machinis deorsum in terram prosternere, penitusquè contere; Sed longè aliter, ac concepit animo, accidit, ac planè contrarius est consequutus euentus: si quidem ille persequutione clarior, calumnijs illustrior, ac denique morte toti Orbi radijs immortalitatis effulsit.* Hæc Baronius.

Baronius an. 412. n. 11.

Theophilus Alexandrinus Episcopus in Chrysostomum insurgens suas antiquas laudes deturpat.

Baronius an. 385. n. 30.

Pia ipsius pro tuenda Ecclesia, ac Religione studia, Chrysostomum persequendo obscura fiũt.

Chrysostomus persequutione, et aduersis illustrior.

14. Cùm verò Synodus à Theophilo in Chalcedonis suburbiò esset indicta, ad eam vocatus Chrysostomus ire noluit, hisquè Theophilo verbis, (vt Sozomenus tradit) respondit: *Sic itaque* (inquit) *Theophilo mandauit dicens: Ego, an*

Sozomenus lib. 8. cap. 17.

aliquis dicere contrà me aliquid posset, nescio. Porrò si quis propòsuit contra me, vultisquè veniam, manifestos inimicos meos, quos mihi negligentia sua facit infensos, conuentu vestro primùm abycite, neque iam de loco contendam, vbi me oporteat indicari, & si in Ciuitate maximè fieri oportuit. Sunt autem, quos & suspectos renuo, Theophilus, quem & in Alexandrina, & Lycia dixisse certum est. In Comitatum proficiscor, vt Ioannem deponam. Idquè ex eo verum probatur, quod adueniens neque congressus est mihi, neque communicauit. Qui ergo ante audientiam inimicus comprobatus est, quid post in Iudicio facturus putatur? Acacium itidem abyci Populo, qui dixit: ego ipsi ollam condio, etc. Hæc Chrysostomus, calumniatores, & conflatarum item in se calumniatum totam suo quasi digito seriem ostendens.

Chrysostomus quid in Concilio calumnus aspetitus dixit, fecitq;

15. Adeoq; Theophilus suum ante obitum, vti verè pœnitens iusto Dei nutu recantare palinodiam, & patratarum rerum in Chrysostomum ab eo petere veniam compulsus, non priùs animam exhalare permissus est, quàm Chrysostomo, in quem turpes, acerbasque calumniarum strophas antea struxerat, ipsius supplex imagini honoris obsequium daret, Sanctum Christi Præsulem venerando, de quo itē Ioannes Damascenus isthæc: *Theophilus*(inquit)*ob illud peccatum (quod scilicet nunquam Ioannis Chrysostomi nomen passus esset in Ecclesia recitari) non poterat animam agere, don c allata ei fuit imago Chrysostomi, quam ille cùm adorasset, spiritum emisit*. Hæc Damascenus. Pœnitens igitur suum retractando errorem, è vita decedens, certam suæ spem salutis toti(Baronio teste) Ecclesiæ reliquit: *Sic quidem*(inquit) *Deus magna suæ dispensatione misericordia operatus est, vt tantus Vir de Catholica Ecclesia (vt vidimus) ob expulsionem Origenistarum, & alia benemeritus, non decederet ex hac vita absque eius delicti pœnitentia, cuius causa, vt vidimus, indignationem quoque Romani Pontificis incurrisset*. Sed & apud Vitas Patrum(vt Baronius docet)hæc de eodem: *Sancta mem. Theophilus* Archiepiscopus cùm moriturus iam esset, dixit:*Beatus es Abba Arseni, quia semper hanc horam ante oculos habuisti*. Scriptorum verò ab ipso editorum, & plura quidem Gēnadius digna ipsius ingenij monimēta non absque ingenti præconio recenset, quæ Lector apud ipsum consulat. Licet igitur(vt Baronius ait) Theophilo ob Ioannis Chrysostomi causā à Romano Pōtifice denegata communio; tamen, quòd *constiterit*(ait Baronius)*ipsū in obitu emendasse, quod viuens pertinax deliquisset, &c.* recepta est post obitum eius memoria in Ecclesia Catholica cum honore. Nam S. Leo Papa in epistola ad Marcianum Imperatorem hæc habet: *Sanctæ memoriæ Theophilus Alexandrinæ Ecclesiæ Vrbis Episcopus, &c.* Idemquè in Epistola ad Galliarum Episcopos hæc de Ecclesia Alexandrina: *Postea (inquit) recentioribus à nostra ætate tempor.bus Athanasium, Theophilum, & proximè Cyrillum probatissimos Præsules habuit*. Ex quibus hominem, qui Chrysostomo negotium aliquando facessiuit, tandem sub vitæ finem pœnitentia expiatum, magna cum laude satis Deo fecisse innotescit.

Thæophilus sub vitæ finem pœnitēs quid pro Chrysostomo mute a se habito fecerit.

Baronius An. 412. n 11.

Damascenus lib 3. de imaginibus

Eius nomen mortuus honorat, quod in Ecclesia recitari nunquam volue rat.

Baronius vbi sup.

E vita decedere, permissus a Deo nō est, nisi suū prius errorē expiasset.

Theophili pœnitentia a Ss. Patribus comprobata.

S. Leo Papa epist. 64.

Idem epist. 72.

15. Tantum denique, mitis lugitet (vt hæc vel obiter inseramus)tum perferendo, tum indulgendo Pœnitentium charitas proficit, vt ipsismet conuiciantibus, ac proximi tum famam, tum vitam per scelus lędentibus admirationi prodigij adinstar extiterit, ipsosq; ad bonam frugem magno tandem cum lucro traduxerit. Quod sanè recentioris pręsertim memoriæ exemplis à Francisco Veronensi Soc. Iesu sic traditur: *Duo*(inquit) *recentiora his addam: Conuicijs prouocabantur*(inquit Bencius) *diuersis temporibus duo è sodalitate Collegij Panhormitani in Sicilia, & verò incitabantur ira ad inferendam iniuriam; sed vterque rexit ea cogitatione animum, quòd de sodalitio esset. Hic admotam capulo suo sponte manum(habebat enim gladium) reponit, & Aduersarium molli sermone placauit: cum ille, à quo lacessebatur, duxit in proximum Templum, & ab admirante veniam petit genuflexus, quod ipsi causa iracundiæ fuisset. Gloriosa prorsus, qua se vicit vterque victoria.* Magnum profectò acerbas inter iniurias, contumeliasquè patiens, & benesibi constans animus lucrum, ac nobilem de conuiciante vnà simul triumphum retulit.

Pœnitentiū Charitas vel iniurijs prouocata minus maxime proficit.

Franciscus Veron. in Manuali sodalitatis cap. 11. § 5. ex Bencio in lit. Societ. Iesu.

Duo ab iniuriis iniurijs lacessiti. quid digne præstiterint.

16. At ampliori dignum admiratione est, quod & gratissimo itē Superis spectaculo

culo fuit,cùm duo inter conuicia,& contumelias certando, vterque ambiguam pro se victoriæ palmam reliquit,vt idem, qui supra Auctor his verbis meminit: *Aliud*(inquit)*ex sodalitate Vallitoletana in Hispania subiungam, quod contigit Anno* 1596. *Duo*(*quæ humana fragilitas est*) *ex hoc B.Virginis grege lectissimi Viri, & factis, & conditione præstantes, cum de quadam re in medio Regalis iudicij foro*(*Carcellariam vulgò dicimus*) *vehementiùs, quàm par erat, concertare cæpissent; vnus alterum tum mendacem appellauit, tum colapho in maxima litigatorum turba percussit. Qui hanc duplicem iniuriam acceperat, memor ex Congregatione se esse Virginis, & cui se viuendi sectæ dedisset, animaduertens; hac tantùm effatus post alapam, postquè conuicium: meis sceleribus* (*inquit*) *multò plura debentur, Dei ergò amore hæc perpetiar. Hæc verba protulit, quietus assidet, non aliter, atquè si nihil ei acerbum, & triste contigisset. At Auctor iniuriæ, celeriter agnita culpa, multò plura præstitit, quàm quæ ab illo petebantur: Etenim eodem in loco, eademquè auditorum, spectatorumquè frequentia, se ipse retexuit, palinodiamquè cecinit, se insanum, & à mente destitutum effutysse, neque in illum cadere, quem temere offendisset*. Sic planè pari pœnitentiæ, & patientiæ item studio vterque haud parum profecit. Alter quippe patienter ferens, nec talionem alteri rependens; alter verò errorem seriò agnoscens, ac publicè confessus, veniam petendo ne dum verbo, sed & opere insuper pœnitentiam exhibuit. Et hæc satis.

Bencius vbi supra.

Duo alij inter se in Regali iudicio contendunt iniurijs, ac se inuicem acriter lacessunt.

Læsus, ac lædens dubiũ reliquunt, quis eorum perferendo palmam mereatur.

CAPVT XI.

Fœminæ illustres, ac delicatę pœnitentiæ causa delicijs se abdicant, austeramque vitam sectantur.

1 Pœnitentiæ virtus, quæ post lapsum Deo immortali hominem conciliat, blanda in primis fæculi cunctasquè à se, suisquè delicias, pestes veluti maximè noxias procul ablegat, & austerioris vitæ formam, ac nedum carnis molestiam, sed pœnas insuper acerbiores pro ludo, ac delicijs habet, nec vlla re magis delectatur, quàm ipsius fastidio voluptatis. *Quæ etenim* (Tertullianus ait) *maior voluptas, quàm fastidium voluptatis*: Nam sola (*sola inquam* Chrysostomo teste) *compunctio cordis est, quæ facit hominem horrescere purpuram, amare cilicium*. Quæcunque igitur carni displicent, hæc sapidè Pœnitentium palato in primis sapiunt, & grata, maxime prę cunctis sunt. Quapropter delicatiores fœminæ, sexu alioqui fragiles, at se ipsis fortiores suum in hoc præcipuè animi robũr, ac fortitudinem pugnando haud semel inuictam mortalibus demonstrarunt, dum nullis patcentes molestioris vitæ incommodis, ac pœnitentiam sectando, se ipsas viriliter ac fæculum pariter vicerunt, adeò vt iusto Sapiẽtis calculo in ipsis præsertim fęminis, (quod tamen rarum est) admiranda proculdubio animi fortitudo prę cunctis extiterit: *Mulierem*(inquit) *fortem quis inueniet; procul, & de terræ vltimis finibus pretium eius*: *Et manum suam misit ad fortia*. Quo sane recolendæ virtutis genere illud præ alijs Hieronymus admirandũ censuit, quòd quis pœnitẽdi amore adductus procul à fæculo, ac fæculi delicias abhorrens in deserto magis, quã in Vrbibus sedem sibi delegerit: *Grandis* (inquit) *est fortitudo Aegyptum dimittere, & in externa solitudine commorari*. Solitudo namque solemnis non tam regio, quàm regia; immò sedes, ac thronus animarum Pœnitentium est. Quis verò in in primis non venerabũdus iure stupeat, delicatiores in sexu fragili fœminas, de sexų, ac fæculo pariter reiectis fæculi, carnisquè blandicijs, longè ampliores, quàm Viros ex attritis in bello hostibus nobiles reportare triumphos? Maior quippe hæc animi, quàm illa corporis, & non tam virium, quàm virtutũ (vt Hieronymus docet) fortitudo est; amica, videlicet & blanda respuere, & tristia quæque, ac permolesta amplecti: Quo quidẽ olim Demetrias Virgo præ cæteris, Hieronymo teste, præfulsit: *Incredibilis* (*inquit*) *animi fortitudo inter gemmas, & sericum, inter inter Eunuchorum, & puellarum cateruas, & ministeria familię perstrepentis, & exquisitas epulas, quas ampla domus pręebat abundantia, appetysse eam ieiuniorum laborem, asperitatem vestium,*

Tertul'ian.in Apol.

Chrysost. ser. de compunct. cordis.

Pœnitentia pœnas, & carnis molestias pro delicijs, delicias pro pœnis habet.

Prouerb. 31. 12.

Fœminæ pœnitendi studio sexum se ipsis fortiores vicerunt.

Hieronym. ad Fabiol. de mansi in solit.

Hieronymus lib. 2. epist. 18. ad Demetriadem Virg.

Demetrias Virgo delicias, victus ac vestium asperitate commutat.

ſtium, victus continentiam. Ita planè res iſta noua prorſus, & præter morem, ipſiuſque naturæ ordinem. Ambroſius ſiquidem illum veræ fortitudinis dignum præconio cenſet, qui ſe ipſum, haud alium, nec tam viribus, quàm virtutibus pugnando vincit, nullis item illecebris emollitur, atque inflectitur. Magno quippe cumulatus triumpho, haud promeritis laudibus eſt fraudandus; Cui Gregorius item paribus verbis ſubſcribens: *Iuſtorum* (inquit) *fortitudo eſt carnem vincere, proprys voluntatibus contraire*.

Vera fortitudo non viribus, ſed virtutibus ſe ipſã, ac alios vincere ex Ambroſio.

S. Gregor lib. 7. in moral. c. 9.

2. Verùm Pœnitentiæ virtus nedum ſuam in viris, ſed & in fœminis quoque meritorum gloriam, & excellendi prærogatiuam oſtendit, cùm in puellarum imbelli ſexu tot, tantaquè præter morem, ac vires diuinitus præſtitit, vt & fugiendo interdum ſæculo, ac ipſo quibuſuis ſaginando pœnis corpuſculo, omniquè auſterioris vitæ ſectanda norma longè viris fœminæ ad miraculum vſq; antecellerent, adeoque (vt Hieronymus ait) *Ieiunia pro ludo haberent, et omnibus carere delicijs, delicias computarent*. Hæ profectò extra ſæculum fieri cupientes, ad Deum iugiter propoſitis ſibi auſterioris vitę ad æmulandum ſemitis, Sanctorumque inhęrendo veſtigijs, alacres in ſtadio contendebant. Quod ſanè Hieronymus olim ad Lętam ſcribens, viuis in tabula quod optabat coloribus, adumbrauit: *Nutriatur* (inquit) *in Monaſterio, ſit inter virginum choros, iurare non diſcat, mentiri ſacrilegium putet, neſciat ſæculum, viuat angelicè, ſit in carne ſine carne, etc.* Atqui aſperioris ſubinde genus vitæ, mulierum quamplures Deo aſpirante, mirum in modum amplexas, ad Sanctitatis vſque apicem pœnitentiæ præſertim ſtimulo incitatas pertigiſſe feliciter nouimus.

Hieronym. epiſt. 19. ad Lætam.

Piæ Fœminæ ieiunia pro ludo, & omnibus carere delicijs delicias cõputarunt ex Hieronym.

Hieronym. Epiſt ad Euſtoc. de dormit. Paulæ

3. Suus itaq; in Domo Dei, tum adultis, tum pœnitentibus ipſos etiam poſt viros fœminis locus ſuppetit; ſed primus quidem iunioribus, ipſiſque meritò innocentibus, iuxta illud Pſalmiſtæ verbum: *Adducentur Regi virgines poſt eam: proximę eius afferẽtur tibi etc.* Quæ quidẽ appoſitè Bernardus verba aliquãdo ediſſerens: *Virgines* (inquit) *dicit illas, quæ antè Chriſto fœderatę, quã fœdatę Mundi amplexibus, ipſi firmiter perſeuerant, cui ſe tantò feliciùs, quàtò maturiùs deuouerunt. Proximas verò, quę priſtinam ſuam deformitatem tandem erubeſcentes, et exuentes in noui hominis formam, quantò ſeriùs, tantò ſinceriùs ſe reformare feſtinant*. Quibus haud incongruè piarum Chriſti mulierum ſors multiplex, at felix ſemper, ac iugiter recolenda deſcribitur; Innocentium videlicet, ac Pęnitentiũ quæ validis pœnitentiæ ad pugnandũ armis accinctæ ſe ipſas, vincũt & aduerſus Tartari hoſtes viriliter in acie dimicando, palmas ſibi poſt pugnam digniſſimas à Deo expetunt, expectantque in Cœlo glorię coronam.

Pſalm. 44. n. 15.

Bernardus ſer. 14. in Cãtic.

Virgines innocentia, ac patiendi deſiderio in Eccleſia illuſtres.

4. Id ſiquidem fęminarum olim, quæ ad Tabernaculi oſtium excubabant, quaſi digito Ordinem indicat; virgines videlicet, viduas, & nuptijs dicatas, quæ illic Diuino iugiter addictæ obſequio peculiarem ſibi in Templo locum, ac laudem ſimul vendicabant, vt Sacri paſſim ſcriptores docent, ad quod item pſaltes alluſiſſe videtur, ac illis inſuper Exodi verbis apte quo quomodo oſtenditur: *Fecit labrum* (inquit) *ex ſpeculis mulierum, quę excubabant in oſtio Tabernaculi* ſeu, vt alij legunt, *quę militabant, quæ ieiunabant, quæ orabant*. Pijs quippe fœminæ ſe iugiter pœnitentiæ operibus exercentes, Diuinis præſtò erant obſequijs. E quarum numero illa inſignis Anna Propheti ſſa, filia Phanuel, de tribu Aſſer, iure merito Pœnitentium exemplar adnumeratur, *quę* (vt ſacer textus habet) *non diſcedebat de templo, ieiunijs, et obſecrationibus ſeruiens die, ac nocte.* Dei quippe amor, eiuſque ſacer cultus huic à delicijs omnino abſtinendũ indixerat. Chriſtianas verò mulieres poſt moſaici Teſtamenti tabulas, religionis zelo adductas, ipſiuſquè Dei amore ſuccenſas ſic pœnitentię operibus pręfulſiſſe conſtat, vt ſe, ac ſexum pariter pro Chriſti amore patiendi ambitioſiſſimæ ſuperarent, ac piè in ſe met ipſas quodammodò ſęuientes, nullis parcerent pœnis, ac corpus excruciandi nullum finem facientes, ingenti cunctis portento, & ſi non ſexu, fortiores tamen ſpiritu fortiſſimos quoque viros (vt Chryſoſtomus monet) ſuperarint: *Sæpe* (inquit) *in eiuſmodi acie fortiores Viris fæminæ decertarunt, ac trophæis inſignibus claruerunt.* Has profectò ſi piè curioſus quiſque ſeriò recolat, meritò Hieronymi potiſſimùm ore lau-

Mulieres olim ad tabernaculi oſtium in Dei obſequium excubabant.

Exodi cap. 38. v. 9.

Exodi cap. 38. v. 9. Origenes tract. 26. in Matth. Niſſeum. Cyrillus Alexan. Amb lib. 1. de virginibus Luca 2. ver. 3.

Excubabant fæminæ, ſeu vt alii legũt ieiunabant, et orabant.

Anna prophetiſſa Dei, & Templi obſequio vacat.

Chryſoſtom. hom. 8. in Matthæum.

Fœminæ viris fortiores in acie virili ter dimicando extitere ex Chryſoſtomo.

laudatas, & vnà simul rabido inuidorum hominum dente perstrictas comperiet, ac duas præsertim illas omnium laudatissimas, Paulam nempe, ac Melaniam; quarum sic Hieronymus aduersus ipsarum detrectatores meminit: *Nulla aliæ* (inquit) *Romanæ Vrbi fabulam præbuerunt, nisi Paula, & Melania, quæ contemptis facultatibus, pignoribus desertis, Crucem Domini quasi quoddam leuauere vexillum*. Sæculi itaque delicijs, eiusque amore procul à se abdicato fortes in acie vsque ad stuporem fœminæ perstitere.

Hieronymus ad Asellam. epist. 41.

Paula, & Melania sæculi olim contemptu clarissimæ.

5. Et sapido quidem Bernardi Claræuallensis calculo virtus ipsa magis est in fæminis, quàm in viris plerumque miranda: *Si in viris* (inquit) *virtus rara est auis in terris, quantò magis in fæmina fragili, & nobili? Denique mulierem fortem quis inueniet? multo magis quis fortem, & nobilem; &c. Nescio, quomodò virtus in nobili plus placet; an fortè quia plus claret? &c.* Et sanè mulieres, quæ sibi à virtutibus ornatum quærunt, ampliùs in sæculo fulgent, quàm suis mulieres sæculi pompis, vel potiùs Babylonis filiæ, *quarum* (vt idem Bernardus ait) *verè gloria in confusione ipsarum. Induuntur purpura, & bysso, & subinde conscientia pannosa iacet; Fulgent monilibus, moribus sordent. E contra tu foris pannosa, intus speciosa resplendens, sed Diuinis aspectibus, non humanis*. Hæc ille, dum pulchram mulierum faciem, ac mire virtutibus fulgentem viuis in tabula coloribus adumbrat.

S. Bernardus epist. 118. ad Sophiam Virg.

Rara in fœminis animi fortitudo, ac maior gloria.

Bernardus vbi supra.

6. Solitariam verò Bernardus haud in fœminis præsertim viuendi rationem omninò probans, commendat. Quamdam etenim Sanctimonialem, quæ solitudinem exambiendo quærebat, & ad hanc alacrius contendebat; suis vltrò ditris Vir Dei, cautè sapienterque à proposito reuocandam voluit, ipsamque sic alloquens, ac loquentem insuper inducens: *Cur* (inquit) *non est sapere, vt opulentiam, vt Vrbis frequentiam, vt pinguia fugiam, & delicias? An non mea mihi pudicitia tutior est in eremo? vbi in pace cum paucis, aut sola conuersans, soli placeam, cui me probaui? nequaquam; Nam volenti perperam agere, & desertum abundatiam habet, & nemus vmbram, & silentium solitudo. Malum quippe, quod nemo videt, nemo arguit: Vbi autem non timetur reprehensor, securiùs accedit tentator, licentiùs perpetratur iniquitas. In Conuentu verò bona, si qua facis, nemo prohibet: malum autem facere, si vis, non licet. Mox enim à pluribus videtur, arguitur, emendatur: sicut è contrario bonum, cùm videtur, omnes mirantur, venerantur, imitantur, &c. Denique vt ex illa euangelica partitione omnem tibi auferam tui excusationem erroris, aut de fatuis virginibus vna es (si tamen virgo) aut de prudentibus. Si de fatuis, congregatio tibi necessaria est; si de prudentibus, tu Congregationi, &c. In nemore lupus habitat: Si sola ouicula vmbras nemoris penetras, præda vis esse lupo. Sed audi me filia, fidele audi consilium: siue peccatrix, siue sancta sis, noli te separare à grege, ne quando rapiat, & non sit, qui eripiat*. Solitudo igitur, quæ delicias procul à se amouet, suis haud periculis, haud insidijs caret.

In fœmina solitariâ vitam Bernardus haud probat.

Bernardus epist. 115. ad Sanctimonialem Trecensis Monastery.

Solitudo periculis subest in fœmina.

Siue peccatrix mulier, siue sancta, haud ab aliarum grege seiungi debet.

7. Vt narrandi ergò à pœnitentibus fæminis initium sit; Paula Romanarum nobilissima, Gracchorum stirps, & (vt ait Hieronymus) soboles Scipionum, Dei amore incensa, Christianæ pœnitentiæ iugo eum in modum colla subiecit; vt sæculi blanditias inuicto prorsus animo proculcans, Romaque excedens dignum sibi apud Bethlehem hospitium delegerit, vbi perpetuò mansura, bonisque intenta operibus, viuendi postmodum finem faceret. Plurimùm autem illi B. Hieronymi consuetudo profuit, & ad virtutem incitamento fuit, quo illa duce, & ad contemptum sæculi facem præferente, forti, constantique animo siccis oculis filios, quos diligebat, relinquens: patriæ, ac Parentum penitus immemor, necnon diuitiarum pertæsa, & chara item amoris pignora pro Christo sponte dimittēs, Hierosolymam se contulit, austerioris ibidem vitæ pro Christi amore sarcinam arreptura. Sed Hieronymum isthæc narrantem audire hìc præstat: *Descendit ad portum* (inquit) *fratre, cognatis, affinibus, et quod his maius est, liberis prosequentibus, et clementissimam Matrem pietate vincere cupientibus. Iam carbasa tendebantur, et remorum ductu nauis in altum protrahebatur, paruus Toxotius supplices manus tendebat in littore: Ruffina iam nubilis, vt suas expectaret nuptias, tacens fletibus obsecrabat; et tamen illa siccos tendebat ad Cælum*

Baronius an. 385 n. 20. 21.

Paula Romanarum nobilissima pœnitentiæ se ipsam pro Christi amore deuouet:

Hieronym. epist. 27. de laudibus Paulæ.

Hierosolymam ad sacra loca nauigat ac Bethlē sibi ad habitandum deligit.

lum

lum oculos, pietatem in filios pietate in Deum superans. Nesciebat se Matrem, vt Christi probaret ancillam: torquebantur viscera, & quasi à suis membris distraheretur, cum dolore pugnabat; in eo cunctis admirabilior, quòd magnam vinceret charitatem. Inter hostium manus, & captiuitatis duram necessitatem nihil crudelius est, quàm Parentes à liberis separari. Hoc contra iura naturæ plena fides patiebatur, immò gaudens animus appetebat; & amorem filiorum maiore in Deum amore contemnens, in sola Eustochio, quæ & propositi, & nauigationis eius comes erat, acquiescebat. Sulcabat interim nauis mare, & cunctis, qui cum ea vehebantur, littora respicientibus; ipsa auersos tenebat oculos, ne videret, quos sine tormento videre non poterat. Fateor, nulla sic amauit filios, quibus antequam proficisceretur, cuncta largita est, exhæredans se in terra, vt hæreditatem inueniret in Cælo. Hæc ille de pijs beatę fœminę, dum Romano soluit è portu, primordijs. Et certè (vt Baronius ait) quænam gentilium Romanarum nobilium quid tale, aliquando religionis gratia præstitit? Cuius verò disertè, eleganterquè Hieronymus ab Vrbe discessum narrat, susceptam quoque ab ea pœnitentiæ causa ad sacra Hierosolymæ loca peregrinationem prosequitur.

Amorem filiorum maiore in Deũ amore contemnit.

Baron. an. 386. nu. 36.

Nulla gentilium Romanarum nobilium, quid simile præstitit.

8. Sed quantum præferuida in primis mulier pia, assiduaquè pænitentium virorum consuetudine, atque exemplo gauderet, & quo animi studio austeram eorundem vitæ normam curiosius nosse, ac ipsorum sectari vestigia cuperet; vt quod visu primùm, ipsomet postea opere delibaret, Aegyptũ adnauigauit, quo pręcipuos degentes ibi sanctitate, ac sub arctioris vitæ disciplina Monachos, dignos Pauli, ac Antonij æmulatores è proximo salutaret; de cuius maritimo itinere hæc ille: *Post visam* (inquit) *Alexandriam venit in Oppidum Domini Nitriam, in quo purissimo virtutum nitro sordes lauantur quotidie plurimorum; quod cùm vidisset, occurrente sibi Sancto, & Venerabili Episcopo Isidoro Confessore, & turbis innumerabilibus Monachorum, ex quibus multos sacerdotalis, & leuiticus sublimabat gradus: lætabatur quidem ad gloriam Domini, sed se indignam tanto honore fatebatur. Quid ergò narrem Macharios, Arsenios, Serapiones, & reliqua columnarum Christi nomina? cuius non intrauit cellulam? quorum pedibus non aduoluta est? Per singulos Sanctos Christum se videre credebat; & quidquid in illos contulerat, in Dominum se contulisse lætabatur. Mirus ardor, & vix in fæmina credibilis fortitudo: oblita sexus, & fragilitatis corporeæ, inter tot millia Monachorum cum puellis suis habitare cupiebat, & forsitan cunctis eam suscipientibus impetrasset, nì maius Sanctorum locorũ retraxisset desiderium. Atque propter feruentissimos æstus de Pelusio Maiumam nauigatione præueniens tanta velocitate reuersa est, vt auem putares. Nec multò post in sancta* Bethleem *mansura perpetuò, angusto per triennium mansit hospitiolo, donec extrueret cellulas, & Monasteria, & diuersorum peregrinorum iuxta viam conderet mansiones, in qua Maria, & Ioseph hospitium non inuenerant. Hucusquè iter eius descriptum sit, quod cum multis virginibus, & filia comite peragrauit.* Hæc ille de Paula monasticæ, arctioris vtpotè vitæ cupida, sectatoresquè ipsius Monachos, inter deserta degentes loca auidis oculis perlustrante; de fœmina, inquam, deserti horrorem præcelso mẽtis studio exambiente, vt quorum mirabatur virtutes, eorundem probè morum vestigia sectando assequeretur.

Baron. vbi supra n. 36.

Pia fœmina Aegyptum ad sanctos inuisendos Monachos nauigat.

Hieronymus epist. 36.

Ibi sancta mulier, per singulos Sãctos se Christum videre credebat ex Hieron.

In Bethlehẽ perpetuò ibi mansura pedem figit.

9. Porrò Consularis prosapiæ fæmina delicijs quondam assueta, diuitijsquè in Vrbe affluens, quo pietatis, & intermisso nunquam studio, constans in arrepto proposito corpus macerando vrgeret, ac pœnitentiæ iugo mancipata, tota ad Christum mente carnem quibusuis modis castigando in seruitutẽ redigere contenderet; ipse Hieronymus in eius epitaphio pænitentię viriliter insistentem operibus, vel dum ægrotantem contemplandam exhibet, his planè verbis describit: *Mollia* (inquit) *etiam in grauissima febri lectuli strata non habuit, sed super durissimam humum stratis ciliciolis dormiebat, lauabatquè per singulas noctes lectulum suũ, oculos eius fontes crederes lachrymarum. Ità leuia peccata plangebat, vt illam grauissimorum criminum crederes ream. Cumquè à nobis crebriùs admoneretur, vt parceret oculis, & eos seruaret euangelicæ lectioni, aiebat: Turpanda est facies, quam contrà Dei præceptum purpurisso, & cerussa, & stibio sæpè depinxi. Affligendum corpus, quòd mul-*

Austeritas vitæ, & quibus pœnitens mulier se ipsã modis cruciaret.

Delicias sæculi acerbis, assiduisque, pœnis compensat.

multis vacauit delicijs. Longus risus perpeti compensandus est fletu; mollia linteamina, & serica asperitate cilicij commutanda sunt. Quæ viro, & sæculo placui, nunc Christo placere desidero. Hæc profectò sunt, quæ delicata in sexu fragili mulier, præ ardore spiritus, semetipsā superans forti, & plusquā virili animo, pænitentiæ, ac Cœlo digna cunctis, documēta præmisit.

10. Neque his contenta, quæ adhuc in terris viuens, carnem iam exuisse quodammodò videbatur, Mundum quoque vnà cum suis pompis exuere satagebat. Quamobrem ambitiosè Christi paupertatem mulier virtutibus diues, & censu ob Christi amorem iam inops effecta, dilexit; vt luculentèr Hieronymus docet, cùm ait: *Omnes suos pauperes pauperior ipsa dimisit*; quin id vnum in primis (vt idem ait Hieronymus) suis serio dictis testabatur, *hoc habere voti, vt mendicans ipsa moreretur, vt vnum nummum filiæ non dimitteret, & in funere suo aliena Sindone inuolueretur.* Quæ proculdubio immensum paupertatis in fœmina amorem Christiano Orbi non tam verbis loquuntur, quàm digito, cunctorum oculis demonstrant. Porrò sectandæ pœnitentiæ is in fæmina nobili ardor fuit, vt, clementiam in alios exercens, in se vnam piè dumtaxat moribus recrudesceret. Ad quod comprobandum, ipsius interim Hieronymi verba repetenda hic à nobis sunt. *Quid* (inquit) *memorem clementiam, & sedulitatem in ægrotantes, quos miris obsequijs, & ministerijs confouebat, cùmquè alijs languentibus largè praberet omnia, & esum quoque exhiberet carnium: Si quandò ipsa ægrotasset, sibi non indulgebat; & in eo inæqualis videbatur, quod in alijs clementiam, in se duritiam commutabat. Nulla iuuenum puellarum sano, & vegeto corpore tantæ se dederat continentiæ, quanta ipsa fracto, & senili, debilitatoquè corpusculo. Fateor in hac re pertinacior fuit, vt sibi non parceret, & nulli crederet admonenti: Referam, quod expertus sum. Mense Iulio feruentissimis æstibus incidit in ardorem febris; & post desperationem cum Dei misericordia respirasset: & Medici persuaderent ob refectionem corporis vino opus esse tenui, et parco, ne aquam bibens, in hydropem verteretur; et ego clàm Beatum Papam Epiphanium rogarem, vt eam moneret, immò compelleret vinum bibere: illa vt erat prudens, et solertis ingenij, statim sensit insidias: et subridens, meum esse, quod ille diceret, intimauit. Quid plura? cum Beatus Pontifex post multa hortamenta exisset foras, quærenti mihi, quid egisset? Respondit: Tantum profeci, vt seni homini penè persuaserit, ne vinum bibam.* His planè fæminam inter delicias impensè olim enutritam, sic ab ijs, Christi amore præuentam temperasse postmodum liquet, vt plus quàm dici, aut credi potest, in semetipsam stabili, illibatoquè mentis proposito rigida, haud sibi parcendo perstiterit.

Hieronymus epist. ad Eustochium.

Virtutibus diues & cēsu pro Christi amore pauper.

Hoc se voti habere dicebat, vt mendicans moreretur, & vt aliena sindone inuolueretur.

Hieronymus in Epitaphio Paulæ.

Paula indulgens cunctis & clemens, sibi soli non indulgebat.

Et si infirma vinum bibere nullis rationibus adduci potest.

11. Demum quæ, vel dum ægrotans lectulo affixa iaceret pœnitentiæ hunc in modum addicta operibus institit, moriens quoque totis animi viribus, ac si pœnis reuiuisceret, pœnitendo magis inhæsit. Contigit autem eiusdem obitus sub Arcadio, & Honorio Imperatoribus, vt his Hieronymus verbis testatus: *Dormiuit Sancta* (inquit) *& Beata Paula septimo Kal. Februarij, tertia Sabbati post Solis occubitum: sepulta est quinto Kal. earundem, Honorio Augusto sexies, et Aristenio Consulibus. Vixit in sancto proposito Romæ annos quinque, Bethlehem annos viginti: omne vitæ tempus impleuit annis quinquaginta sex, mensibus octo, diebus viginti et vno.* Hæc ipse sub finem epistolæ ad Eustochium, qua præclaræ in primis, ac pijssimę fæminę gesta haud satis vnquam pro merito celebranda prosequitur. Decessit autem sanctissima mulier anno Christi CCCC.IV. Sed cuius nunc meminimus obitum, eiusdem funus omni memoria dignum Hieronymo narrante prosequamur: *Ex hinc non vlulatus* (inquit) *non planctus, vt inter sæculi homines fieri solent, sed Psalmorum linguis diuersis examina concrepabant; Translataque Episcoporum manibus, et ceruicem feretro subijcientibus, cùm alij Pontifices lampades, cereosquè præferrent, alij choros psallentium ducerent, in media Ecclesia spelunca Saluatoris est posita. Tota ad funus eius Palæstinarum vrbium turba conuenit. Quem Monachorum latentium in eremo cellula sua tenuit? Quam Virginum cubiculorum secreta texerunt? Sacrilegum putabant, qui non talē fæminæ vltimum reddidisset officium. Viduæ, et pauperes in exemplum Dorcadis vestes ab ea præbitas ostendebant: omnis inopum*

Hieronymus epist. 27. de obitu Paulæ ad Eustochiū.

Felix vitæ inter pænitentiæ opera finis.

Hieronymus vbi supra.

Dignum Paulæ funus ab Episcopis, & Religiosis viris instruitur.

Concursus Populorum, & Monachorum cœtus dū corpus tumulo infertur.

pum

pum multitudo Matrem, et nutriciam se perdidisse clamabat. Quodquè mirum sit, nihil pallor mutauerat faciem: sed ità dignitas quædam, et grauitas ora compleuerat, vt eam putares non mortuam, sed dormientem. Hebræo, Græco, Latino, Syroquè sermone psalmi in ordine personabant, non solùm triduo; sed & per omnem hebdomadam cunctis, qui venerant, suum funus, et proprias credentibus lachrymas. Hæc funebris quidem pompæ haud obscura, ac se digna pœnitenti fæminæ apud Betlehem quiescenti his nostris paginis apud posteros Pœnitentiæ triumpho monimenta statuimus; cuius nimirum in altissimarum virtutum studijs consectandis ardorem, ac operæ sollicitudinem non nisi consumpta, demũ vita finem habuisse ipsemet Hieronymus testis rei oculatus affirmat, dũ hanc mortalium cunctis contemplandam proponit.

In feretro iacens non mortua, sed iã dormiens putabatur.

12. Fabiola quoque Romanas inter fæminas præstantissima antiquum gentis splendorem, ne dum Christi fide, sed excolendæ insuper Pœnitentiæ studio mirificè auxit, adeò vt Sanctis demum cumulata operibus dignum de se cunctis pænitentiæ relinquens exemplum, supremum vitæ diem felicitèr, ad præmia in Cœlum euocata clauserit. Fuit hæc nobile antiquæ Fabiorum stirpis germen, quæ cùm post indictũ priori marito, diuortiũ haud ritè iuxta præscriptas ab Ecclesia leges audactèr secundas nuptias inijsisset, publicè postmodum pro reatu eiusmodi Romæ pęnitentiam agere ad expiandum facinus minimè erubuit. Vigebat quippe eo tempore (vt Baronius ait) seuera publicæ in Dei Ecclesia pœnitentiæ lex, à qua nec ipsius nobilitas generis, nec præcelsi dignitas muneris, neque sexus ipse quemquam vlla ratione excusando subtraheret. Christiana igitur mulier facti pęnitens, ac rubore libèrtèr pro Christo suffusa, admissam corã omnibus retractare erroris culpam, & sese totam pœnitentię legibus mancipando deuouere haud timuit. Rem autem gestam S. Hieronymus elegantèr his planè verbis describendo meminit.

Baronius an. 390. n. 33.

Fabiola antiqui splendoris fœmina, pęnitentię operibus affulget.

Baron. vbi supra.

13. *Igitur Fabiola*, (inquit), *quia persuaserat sibi, et putabat à se virum iure dimissum, nec Euangely vigorem nouerat, in quo nubendi vniuersa causatio viuentibus Viris, fœminis amputatur: dum multa Diaboli vitat vulnera, vnum incauta vulnus accepit. Sed quid ego in abolitis, et antiquis moror? quærens excusare culpam, cuius pænitentiam ipsa confessa est: quis hoc crederet, vt post mortem secundi viri in semetipsam reuersa, quo tempore solent viduæ negligentes, iugo seruitutis excusso, agere se liberiùs, adire balneas, volitare per plateas, vulnus circumferre meretricis; saccum indueret, et errorem publicè fateretur? et tota Vrbe spectante Romana, ante diem Paschę in Basilica quondam Laterani, qui Cæsariano truncatus est gladio, staret in Ordine Pænitentium, Episcopo, Presbyteris, et omni Populo collacrymantibus sparsum crinem, ora lurida, squallidas manus, sordida colla submitteret? quas inueteratas maculas hęc lamenta non abluant? quę peccata fletus iste non purget?* Hæc quidem magno virtutis, ac laudum præconio, ac pari simul meritorum cumulo clari nominis fœmina, pœnitentiæ dumtaxat amore haud in Vrbis angulo laudabiliter præstitit, ob quæ fœdam culpæ maculam diluit, optatamquè visa est compuncto corde promeruisse à Deo veniam; dum ipsa delicatulis fęminis, ac sexui imbecilliori ad pœnitendum viam præmonstrans, nec nõ ad commutandas nouo facci, ac vitæ austerioris habitu carnis delicias, blandiciasquè sæculi, nobile de se cæteris documentum exhibuit. Sed his haud suo satis pro merito claræ virtutis æquè, ac prosapiæ fæminam sibi Hieronymus collaudasse visus, enarratis hactenus isthæc subtexit: *Non est confusa* (inquit) *Dominum in terris; et ille eam non confundet in Cælo. Aperuit cunctis vulnus suum, et discolorem in corpore cicatricem flens Roma conspexit. Dissuta habuit latera, nudum caput, clausum os. Non est ingressa Ecclesiam Domini, sed extrà Castra cum Maria sorore Moysis separata consedit, vt quam Sacerdos eiecerat, ipse reuocaret*. Hæc ille, qui fœminam subinde pœnitendo illustrem, post publicę in se pœnitentiæ exẽplar exhibitum intra Ecclesiæ ambitum, receptam, diuinisquè non absque ingentis indulgentiæ cumulo Sacramentis impertitam idem, qui supra, Hieronymus sic describit.

Hieronymus epist. 30.

Quæ viro adhuc super stite alteri contra eiusgelij præceptũ nupsit, publicè culpam fatetur & pœnitet.

In Laterani Basilica in pęnitentiũ numero, sac co induta, & lacrymis respersa apparet.

Hieronymus vbi supra, epist. 30.

Fęminæ ad pœnitendũ compunctæ laudes ex Hieronymo

Hieron. mus vbi supra.

14. *Recepta* (inquit) *sub oculis omnis Ecclesia communione, quid fecit? scilicet in die*

die bona malorum non oblita est, et post naufragium rursus tentare noluit periculum nauigandi. Hæc ille, dum Fabiolam ipsius Vrbis gloriam, ac splendidæ item domus opulentiam, necnon auitę insuper nobilitatis delicias præcelso auersantem animo memorat. Verùm nobilis mulier cùm Sacra apud Hierosolymam loca summo postmodum deuotionis affectu inuisens venerata esset, demum in Italiã remeans, cũ suas dignis, nedũ pœnis; sed & misericordiæ operibus culpas redemisset, in Christo suauiter meritis plena Pœnitentium in morem viuendi finem fecit, de qua Hieronymus, eius tum viuentis, tum mortuæ laudator, cui ab Oceano rogatus epitaphium se, ac illa dignum inscripsit, hæc habet: *In præsentiarum* (inquit) *tradis mihi Fabiolam, laudem Christianorum, miraculum Gentilium, luctum pauperum, solatium Monachorum*. Sed quę Fabiolæ istius, cuius mentio hic est, virtutum fuerint decora, ab eodem Hieronymo (vt Baronius ait) paucis summatimquè, scripta ad Oceanũ relegamus, quibus hanc primùm Romæ hospitalem ægrotantibus aperuisse, & charitate eximia domum erexisse satis constat; sed Hieronymum quæso sic isthęc narrantẽ audi. *Hęc Prima omnium* (inquit) *Nosocomium instituit, in quo ægrotantes colligeret de plateis, et consumpta languoribus, atque inedia miserorum membra foueret. Describam ego nunc diuersas hominum calamitates, truncas nares, effossos oculos, semiustos pedes, aridas manus, tumentes aluos, exile femur, crura turgentia, et de exesis, ac putridis carnibus vermiculos bullientes? Quoties morbo regio, et pudore confectos humeris suis ipsa portauit? Quoties lauit purulentam vulnerum saniem, quam alius aspicere non valebat? Præbebat cibos propria manu, et spirans cadauer sorbitiunculis irrigabat. Scio multos diuites, et religiosos ob stomachi angustiam exercere huiusmodi misericordiam per aliena ministeria, et clementes esse pecunia, non manu: quos equidem non reprobo, et teneritudinem animi nequaquam interpretor infidelitatem: sed sicut imbecillitati stomachi veniam tribuo, sic perfectæ mentis ardorem in Cœlum laudibus fero; magna fides ista contemnit*. Et paulò post aptè poeticum illud vsurpans, eius virtutes laudando, longe se laudibus imparem conqueritur; ait enim.

Non mihi, si lingua centum sint, oraquè centum.
Ferrea vox etc. ———
Omnia morborum percurrere nomina possim.

Qua Fabiola in tanta miserorum refrigeria commutauit, vt multi pauperum sani languentibus inuiderent: quamquam illa simili liberalitate erga Clericos, et Monachos, ac Virgines fuerit. Quod Monasterium non illius opibus sustentatum est? Quem nudum, et clinicum non Fabiolæ vestimenta texerunt? in quorum se indigentiam non effudit præceps, et festina largitio? Angusta eius misericordiæ Roma fuit. Peragrabat ergò Insulas, et totum Etruscum mare, Volscorumquè Prouinciam, et reconditos curuorum littorum sinus; in quibus Monachorum consistunt Chori, vel proprio corpore, vel transmissa per Viros sanctos, ac fideles munificentia circuibat. Quibus narratis ipsius quoque Hierosolymam (cuius supra mentio incidit) peregrinationem ingerit, ac post multa eam demum Christianis virtutibus diuitem, bonisquè operibus, ac pœnitentiæ laude plusquàm gemmis & auro, ac generis splendore conspicuam, cumulatamque mortali è vita in Cœlum abijsse, eiusque postremò funeris mentionem faciẽs his verbis tradit: *Quantum* (inquit) *haberet viuentis Fabiolę Roma miraculum, in mortua demonstrauit; nedum spiritum exhalauerat, nedum debitam Christo reddiderat animam: et iam fama volans tanti prænuncia luctus, totius Vrbis Populum ad exequias congregabat: sonabant Psalmi, et aurata tecta Templorum reboant in sublime quatiebat Alleluia: hic iuuenum chorus, ille senum, qui carmine laudes fœmineas, et facta ferant*. Et hęc sunt, quæ de Fabiola in pœnitentium Choro, nobili præ cunctis fœminis, totoquè Christiano Orbi pœnitentia potius, quàm diuitijs; ac potentia, & humilitate magis quàm sæculi splendore clara disertè Hieronymus laudando meminit, cui & nos ipsiusmet verbis parentasse voluimus.

15. Quoniã verò *suum* (vt Hieronymus ait) *seruata pudicitia Martyrium habet*; meritò Virgines, quæ seruandæ virginitatis gratia, se sponte à Mundi illecebris abdi-

Post veniam sibi indultã ab Vrbe deliciarum fugam ambiẽs ad Hierosolymam conuolat.

Hieronymus nobile post nouem Fabiolæ epitaphium inscribit.

Hieronymus epist. 30. ad Oceanum.

Hæc omniũ prima Romæ ægrotantibus domũ aperit vt manu, et ope ra languentes foueat.

Mira ipsius in Christi pauperes charitas.

Virgil. Aenei dos lib. 6.

Talis & tãta, vt multi pauperum sani languẽtibus inuideant.

Roma angusta ipsius misericordiæ fuit ex Hieronymo

Hieronymus epist. 30.

Mira fœminæ charitas, haud ipsa moriens mori, sed magis in omnium cordibus viuere visa est

Hier. in vit. Mal.

Baronius an. 413. num. 8.

Hieronym. in vit. Malchi Monachi.

abdicarunt, magnum sui exemplum in Ecclesia exhibuere. Quo quidem genere (vt cęteras, quibus Christi fides pręfulget, virgines sileamus) Demetrias nobilis ex Aniciorum genere, Romanarum lectissima immortalem sibi laudem promeruit: Oppignorata quippe iam Sponso, ac inopino rei euentu vnà cum veste vitę pariter formã immutans, monastico Monachorum vitam habitu, pœnitentium more, professa est; vt idem Hieronymus à clarissimis Gallicanis fœminis isthæc accepta sic verbis dignè satis commendat: *Aiunt* (inquit) *Sancta, et nobiles faminæ, quæ eam, nempe Demetriadem, viderunt, quæ norunt, quas de littore Galliarum ad habitationem Sanctorum locorum, hostium per Africam compulit sæua tempestas: noctibus, et secretò, conscijs tantùm virginibus Dei, quæ in Matris, et Auiæ comitatu erant, nunquam eam linteaminum, nunquam plumarum vsam mollicie; sed ciliciorum in nuda humo habuisse pro strato, iugibus faciem rigasse lacrymis, Saluatoris mente, genibus aduolutam, vt suum reciperet propositum, vt impleret desiderium, vt Auiæ animum, matrisquè molliret. Quid vltrà differo? Cùm iam nuptiarum propinquaret dies, et futuro Matrimonio thalamus pararetur; secretò, et absque arbitris, noctemquè habens pro solatio, talibus se fertur armasse consilijs. Quid agis Demetrias? Cur pudicitiam tanto pauore defendis? Libertate opus est, & audacia. Quę sit in pace metuis, quid faceret in martyrio perpetiendo? quæ tuorum vultum ferre non potes, quomodò sustineres Tribunalia persequutorum? si te virorum exempla non prouocant, hortetur, faciatquè securam Beata Martyr Agnes, quę & ætatem vicit, & Tyrannum, & titulum castitatis martyrio consecrauit. Nescit, misera, nescis, cui virginitatem tuã debeas, &c.* Et post multa: *His, & alijs compluribus inflammata stimulis omnem corporis cultum, ac habitum sæcularem, quasi propositi sui impedimentum proiecit; pretiosa monilia, & graues censibus vniones, ardentesquè gemmæ redduntur scrinijs: vili tunica induitur, viliori tegitur pallio, & insperata Auiæ genibus repentè prouoluitur; fletu tantùm, & planctu, quę esset, ostendit. Obstupuit Sancta, et grauis fæmina Proba auia, alienum habitum in Nepte cõspiciens: Mater gaudio stabat attonita, vtraque verum non credere, quod verum esse cupiebat; hæsit vox faucibus, & inter ruborem, et pallorem, metumquè, atque lætitiam cogitationes variæ nutabant, &c. Certatim in oscula Neptis, et filiæ, Mater, & Auia ruunt, amplexariquè trepidantem: agnoscere in illius proposito mentem suam, et gratulari, quod nobilem familiam virgo virginitate sua nobiliorem faceret, &c.* Sic præclara Christi Virgo pœnitentiæ gratia, Mundi delicias, ac nuptialem thalamum, carnisquè blandientis contemnens illecebras, muliebrem Mundum, ac se ipsam paritèr Christo dicauit, & pauperum Christi verè fecit esse patrimonium; vt idem Hieronymus sic docet: *Fertur* (inquit) *& omnium Christianorum laude celebratur, quidquid fuerat nuptijs præparatum à Sancta Christi Synoride* (*Proba scilicet, et Iuliana*) *virgini traditum, ne Sponso fieret iniuria, immò vt dotata pristinis opibus veniret ad sponsum, et quod in rebus Mundi periturum erat, domesticorum Christi sustentaret inopiam.* Hæc ille.

Demetrias virgo ex Aniciorũ genere, sæculo se abdicans Monasterio deuouit.

Hieronymus epist. 8.

Austerioris vitæ formã sectatur.

Ciliciolum pro strato, lachrymas pro cibo, & potu habet.

Nuptias pro Christo respuit, virginitatem deuouens.

Preciosum corporis ornatum abijcit, vt Christum induat.

Baronius vbi supra.

Proba ipsius Auia puellæ propositum, ac feruorem miratur.

Hieronymus vbi supra.

Quidquid nuptijs fuerat præparatum virgini, vt se, suaquè Deo simul offerret, traditum.

16. Vndè autem tanta isthæc (vt Baronius inquit) Demetriadi? exquirendus quidem est tantæ molis sapientissimus Architectus. Fuit hic S. Augustinus, qui de sancta virginitate cum illa sermonem habuit, quē posteà Proba, & Iuliana sic de re à Demetriade præclarè gesta certiorem reddiderunt; hæc enim ille: *Implestis* (inquit) *gaudio cor nostrum tantò iucundiùs, quantò chariùs; tantò gratiùs, quanto citiùs. Vestræ namque stirpis sanctimoniam virginalem, quam quàcumque innotuistis, ac per hoc vbiquè fama celeberrima prædicat, velocissimum volatum eius fideliore, atque certiore literarum nuncio præuenistis, et priùs nos fecistis exultare de cognito tam excellenti bono, quàm dubitare de audito. Quis verbis explicet, quis digno pręconio prosequatur, quantum incomparabilitèr gloriosiùs, et fructuosiùs habeat ex vestro sanguine fæminas Virgines Christus, quàm Viros Consules Mundus? Nam volumina temporum si magnum, atque præclarum est nominis dignitate signare, quantò est maius, atque pręclariùs cordis corporis integritate transcendere? Magis igitur gaudeat puella nobilis, generis nobilior sanctitate, quod sit per Diuinum consortium præcipuam in Cœlis consecutura sublimitatem, quàm si esset per humanum connubium prolem propagatura sublimem. Generosiùs quippè elegit Aniciana poste-*

Baronius vbi supra nu. 11.

S. Augustinus epist. 179.

S. Augustinus ob Demetriadis pręclarè gesta, Probæ, & Iulianæ gratulatur.

Puella nobilis generis sanctitate nobilior dũ se Christo, ac pudicitiã dicat.

posteritas tam illustrem familiam beare, nuptias nesciendo, quàm multiplicare pariendo; & in carne imitari vitam Angelorum, quàm ex carne adhuc numerum augere mortalium. Hac est uberior, facundiorquè felicitas, non ventre granescere, sed mente grandescere; non lactescere pectore, sed corde candescere, non visceribus terram, sed Cælum orationibus parturire, &c. His quidem, alijsque nobile Demetriadis in seruanda virginitate propositum, ac dignum in monachali tùm vita, tùm veste sibi deligenda consilium aptè, eleganterquè Augustinus prosequitur.

Mira virginum, ac virginitatis prærogatiua.

17. Quantum verò fœminarum pœnitentium, ac Virginum præsertim illustrium, in Claustro simul sub austerioris vitæ norma degentium virtus, & Christo reiectis sæculi gaudijs, blandimentisque deuotè inseruientium illibata, ac pœnitens vita Deo in primis arrideat, acceptaque sit; feræ ipsæ interdum naturalis oblitæ feritatis, deposita ad ipsarum pedes sæuitia, arcanoquè Dei nutu præter naturæ ordinem mitescètes vniuerso Orbi testimonium dedere, vt apud Baronium ex B. Gildæ gestis hunc in modum suis in Annalibus de Carolo Magno Imperatore tradit: *Posthac* (inquit) *memoratus Imperator, & Rex Carolus venationi pro more deditus, locis vicinis venationi aptis exturbat rabidas feras à suis saltibus; inter quas miræ magnitudinis Vrsum insequitur, qui iam multo spatio victus, cùm nullum esset effugium, vndique campis latè patentibus, ac mortem imminentem iam, iamquè capiendus crebris differret flexibus, properè cursu recto tendit Mosellam, & in S. Saluatoris irrumpit Ecclesiam, vbi tunc res contigit, quàm facilius sit admirari, quàm eloqui. Nam Deus, qui (vt scriptum est) homines saluat, & iumenta, bestialem quodammodò Vrsi sensum permutauit, rationemque quandam intelligendi in eo formauit. Erat namque cernere propè Lipsana sacra Virginis eum sese inferre, & sub tanta protectione à strepitu insequentium eum securum procumbere: deinde oblitus feritatis suæ flexa ceruice, submissoquè humilitèr capite Sanctimonialium aduenientium vestigia lambere, & lasciuientium more catulorum omnibus blandiri, & hoc ipso satis indicare se fuisse defensum patrocinio famulæ Dei, eiusque deinceps paratum esse seruire obsequys. Quod vbi nunciatum est Regi cum suis, rem, quæ in bestia diuinitùs agebatur, intellexit, Deiquè magnalia in Virgine venerans recessit, sine eiusdem quidem vrsi læsione; sed non sine rei, quam viderat, admiratione. Iam verò Vrsus è syluestri cœpit esse domesticus, & in reliquum apud eiusdem loci Sanctimoniales non aliter vixit, quàm ab illis iussus est.* Et congruè immites alioqui belluæ Virgines austeriori obseruantiæ addictas, non absque summo rei portento delato stupentes, venerantur obsequio; & se vltrò earum pedibus humilitèr procumbendo, mites præter vsitatum naturæ morem erga ipsas, rigidasquè vltrò in cæteros Diuino planè impulsu ipsarum morem gerentes nutibus submittunt.

Baronius an. 805. num 3.

Feræ interdum mitescentes, nobile seruandę virginitati argumentum, & obseruántię testimonium exhibuere.

Surius die 5. Ianuar. to. 1.

Psalmo 35.

Vrsus miræ magnitudinis è saltu ad Ecclesiam fugiens, ad Sanctimonialium pedes mitis subsidit.

Factis bestiæ se B. Virginis pattocinio defensā fateri visa est.

Vrsus è syluestri cœpit esse domesticus, nec aliter apud Sanctimoniales vixit, quam ab ipsis est iussus.

18. Ea igitur est Pœnitentiæ laus, & is, ac tantus in Dei Ecclesia præcellentis decor virtutis; vt nedum viris, sed etiam, fœminis, quę ipsius amore illectæ, contempto sæculo, eiusquè spontè reiectis illecebris, se spontè, suaq; Claustro deuouere, ac procul à se nuptias abdicantes, quibusuis modis semetipsas ad Deum promerendum excruciabant, miris vltro portentorū signis è Cœlo patentibus Dei manus ad custodiendum affulserit: Quod quidem illarum exemplo Monialium toti testatissimum Orbi redditur, quæ apud Murcianicense Monasterium sic arctioris vitæ, ac religiosæ obseruantiæ studio tenebantur; vt vel flammarum grassante incendio, reseratisquè Monasterij foribus foras egredi iussæ, minimè inter pericula iubentis imperio paruerint sed viuas adhuc se penitus igne absumi, quā pedem è Claustro efferre maluerint, ni exhibito diuinitus portento ipsis honorem Elementa deferrent; ac ignis ab earundem domo resilire iussus, constantesq; è proximo in arrepti Instituti proposito fœminas reueritus, nobile acceptæ Deo earundem pœnitentiæ testimonium dedisset. Sed rem à Petro Venerabili Abbate Cluniacensi omni fide dignissimo, dum de Monastico instituto agit, gratis (si libet) auribus excipiamus.

Baronius an. 1094. n. 18.

Virginum in Claustro degentium, ac pœnitentium merita portētis diuinitus illustrantur;

Murcianicēse Monasterium flammis obsessit Virgines in suo constantes proposito deserere nolunt,

19. *Est idem* (inquit) *locus inter alia Sanctimonialium loca singularem gratiam obtinens, & velut inter fulgentia Cæli sydera quodam suo proprio fulgore præfulgens. Ibi nobilium mulierum multitudo, & quæ de ipsius Regij sanguinis sublimitate descen-*

Petrus Venerabilis lib. 1. miracul. c. 22

dunt, spernunt diuitias, & honores contemnunt, calcant superbiam, luxuriam subigunt, Christique sequentes pauperiem, proprio Mundum cum Principe vincunt. De quarum numero plurimæ virorum morte destitutæ, secundas iterare nuptias refugerunt, aliæ incolumes maritos deseruerunt (legitima putà ex causa) quadam ab omni carnis corruptione immunes euangelicum virginitatis honorem carnalibus voluptatibus prætulerunt; omnes tamen in communi virili constantia fœmineam mollitiem supergressæ, non solùm mundana omnia, sed se ipsas sibi subiugant. Hæc ille, quibus exactam, omnibusquè absolutam numeris Pœnitentium, ac nobilitate præstantium fœminarum viuis in tabula coloribus imaginem visus est adumbrasse; & dum quibusuis earundem constantiam ad se excruciandas modis, adinuentisquè instructam, ac cunctis sęculi delicijs, blandimentisquè muliebrē sexū iam planè præmortuum describit: adeò vt fœminas ipsum extra Mundum cunctis quodammodò reiectis Mundi sarcinulis factas, Cœlo iam propiores, pro exoptato illuc obtinendo ingressu vim sibi facienres videre contingat, iuxtà Euangelicum illud oraculum; *Regnum Cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.*

Ibi Regij sāguinis fios, & obseruātię decus mirificè in Virginibus fulget.

Ne dum fesum, sed se ipsas fortitèr agendo vicere.

20. Sed quàm constanter inuictę mulieres obfirmato animo, mentisquè proposito, claustrali (quam semel elegerant) disciplinæ, & arctiori custodiæ se ipsas vincendo immobiles inhæserint, idem qui supra, his verbis prosequitur: *Claustro (inquit) salutari conclusæ, & (vt sic dicam) vitali obrutæ sepulturę pro præsenti coarctatione sempiternam latitudinem, pro sepulchro beatam resurrectionem expectant. Vndè potiùs mori, quàm egredi, antè occumbere, quàm limen designati ostij transgredi elegerunt: Quod tunc apparuit, quando in circumpositis Villæ domibus casu quodam tempore ignis exarsit. Ferebantur ex sublime globi flammarum, & exustis circumquaquè omnibus, sanctarum illarum habitaculis appropinquabat; Tollitur in altum clamor Populi, ne sacræ domus comburerentur, magis, quàm de proprijs damnis solliciti; fit concursus omnium ad muri eas ambientis propugnacula, & super domum tecta conscendentes, totis viribus obuiam ire ignibus parant. Arentem materiam, quam superueniunt, longè proijciunt; nihil, quod ad igneam vim repellendam possit valere, intentatum dimittunt.* Sed vt fidei, necnon pœnitentiæ dumtaxat vim igni vndiquè excurrenti obsistere, vel vno satis mortalium oculis constaret exemplo, ignis debacchari sic vltrò permissus est; quò Dei amore feruentes subinde mulieres, validoquè circum pœnitentiæ vallo septas flamma, quæ foris sæuiebat, reuerita condignum, ipsis vt par erat, honorem deferret; sed quæso rem prosequamur.

Petrus Venerabilis vbi supra cap 22

Claustro spontè inclusę, haud metu mortis è Claustro exire acquiescunt.

Sollicitatæ Populi vocibus ad exeūdum, vel sui cum periculo obsurdescunt.

21. *Sed nequaquam (inquit) proficiunt; aer enim vento commotus multiplicatas vires ignibus dabat, & fumum flammeo vapore admixtū vultibus, atque oculis defensantium inferens, ne defenderent, prohibebat. Cùmquè aliquandiù restitissent, victi tandem violenso elementorum conflictu, tecta relinquunt, & se passim ad terram præcipitantes, non iam domos, sed propria corpora saluare contendunt. At ignis obstaculo remoto, liberè omnia peruagatur, & partem propinquiorem sibi ædificiorum inuadens, horrisono strepitu maximas lignorum moles consumit: Dum verò luctuosa vniuersorum vox confuso clamore omnia replet, totius ignari consilij, nihil nisi extremum ancillarum Dei exitum prestolantur. Erat tunc fortè in loco Lugdunensis Ecclesiæ Archiepiscopus venerabilis Hugo multa morum probitate, & religiosa conuersatione, à Domino Papa Vrbano cunctarum ferè Galliarum constitutus Legatus, ad quem velut ad Patrem, confugiunt, & (vt in perturbatis rebus fieri solet) anxiè ab eo consilium exposcunt.* Sic profectò ignis, qui aduersus imbellem Religiosarū mulierum cateruam adeò inualescebat, pertinax eo magis excreuit, eumque sæuire in modum visus est; vt sola earundem postea mulierum fide compressum, sedatumquè suis quisque, isthæc perlegendo, oculis incendium aspiceret. Quid verò omni dignum admiratione fœminis in pœnitentię, arctiorisquè vitę studio perstantibus acciderit, videamus.

Petrus Venerabilis vbi supra.

Flammæ à vento cursū feruntur, & vires acquirunt, sed fœminæ haud animū Christo præsidētes despondent.

Hugo Archiepiscopus Lugdunensis, & Galliarum Legatus pro Virginum salute aduocatur.

22. *Precantur (ait) præcipuè, vt inclusis sanctis mulieribus exitum persuadeat, neque tantum ouium Christi gregem ignibus Pastor perire permittat. Motus Archiepiscopus cursim Claustrum ingreditur, omnesquè sub celeritate congregans, summa industria, vt periculo cedant, hortatur. Cùmquè illi omninò renuerent, & priùs se mori; quàm* pro-

Petrus Venerabilis vbi supra.

Hortatur inclusas, & B. Petri, ac Papæ auctoritate, ipsis, vt confestim exeāt, sed frustrà præcipit.

propositum infringere, constanter affirmarēt, ait Episcopus: Auctoritate B. Petri, et Domini Papę, cuius vice fungor, atque ex Abbatis vestri obedientia vobis pręcipio; vt ad præsens hinc exeatis, neque vos cum habitaculis vestris hic incendio incremari sinatis. Ad hęc quædam maximę nobilitatis, et conuersationis, Gisla nomine, quam et ipse multoties vidi, spiritu, et fide succensa respondit: Nos Pater, timor Dei, et præceptum Abbatis nostri, vt ignem æternum euadere possemus, intrà hos, quos cernis limites, vsque ad mortem permansuras inclusit. Vnde nullo pacto fieri potest, vt aliqua necessitate præfixos nobis pœnitentiæ terminos saltem pedis passu transgrediamur, nisi ab illo, qui in nomine Domini in hoc nos inclusit loco, soluamur. Noli ergo Domine, si placet, hoc iniungere, quod nobis agere non licet: sed sicut nos ignem præcipis fugere, ita magis igni, vt à nobis fugiat, virtute Christi Domini nostri armatus iniunge. Pręcepto quippe Sanctissimi Præsulis ad fugam adhortantis priùs ignem, quàm corda Christi amore sub arrepto pœnitentiæ iugo flagrantia, ipsi è Claustro exitum suadenti paritura virgo propositi tenax edixit, vt edito palam fides miraculo comprobaretur; hęc enim ille.

Gisla inter cæteras nobilis Archiepiscopum suum, & aliarum propositum obijciens monet, vt non tam ipsis exitum, quàm igni à Monasterij muris fugam iniungat.

23. *Ad quam* (inquit) *mulieris fidem stupefactus Archiepiscopus, ac subitò et ipse fide repletus, foras exijt, et coram cunctis, qui aderāt, flammas intuens, ac lacrymis ora perfusus ait: In nomine Domini, et per meritum fidei huius, qua nunc loquuta est, mulieris, recede ignis pestifer ab ancillarum Dei habitaculis, nec damna aliqua vltrà inferre presumas. His à Pontifice verbis prolatis (sicut mihi testificati sunt, qui viderunt) repentè immensitas flammarum inuisibili virtute repressa, velut ferreo muro obstante, vltrà procedere non potuit, et absque vllo humano subsidio, absque aliqua pluuię gutta, incredibili celeritate semetipsum extinxit. Sic magnifico, atque insperato miraculo sanctum propositum Mulierum sibi bene acceptum esse Diuina pietas comprobauit, et verę fidei merito omnia possibilia credenti (sicut in Euangelio promiserat) demonstrauit.* Hæc Petrus Venerabilis de mira, ac stabili nobilium fœminarum, non nisi fide, ac pœnitentię armis aduersus irruētes flammas pugnantium constantia in suis paginis tradit, quas illicò desęuiens ignis deuoto sui planè obsequio reueritus, ipsas nedum lædere; sed nec earumdē vestes, ac corpora itē lambendo, propiùs attingere ausus, ardua quæque Pœnitentium virtuti, ac meritis subesse testatissimè cunctis ostendit. Sed ne hìc alia piarum fœminarum exempla sileamus.

Petrus Venerabilis vbi suprà.

Archiepiscopus eius fidem miratus, flammis Dei nomine recessum præcipit, & se ipso sic incēdium extinguitur.

24. His quoque Margarita olim, vidua Semptempedana in Piceno pijs operibus, ac pœnitentię, licet culpis minimè obnoxia, exercendæ feruore illustris accedit, vt Pompilius Caccialupus sic habet: *Simplicitate* (inquit) *Charitate, mansuetudine, et humilitate præcipua Deo grata extitit, illud sibi prę oculis semper ponens; Deo optimo maximo, ac proximis inseruire, ac opem ferre, dijudicans neminem: corpori tamen suo plagas infligere, ac ipsum semper macerare, vt pauperibus prestò esset, condignum putans, &c.* Ipsa siquidem decreuerat virginitatem perpetuò colere, nisi de ipsa Deus aliter statuisset; nam Matrimonio iuncta vt filios, ac filias miro pietatis studio in Dei cultu, educando proueheret, miro coniugalis pudicitiæ, honestiquè in virum obsequij documento pręfulsit. Viro subinde vita functo, omnem in eo curam, ac sollicitudinem posuit; vt filios à vitiorum cęno illibatos seruando, se ipsam austeriori totam vitæ addiceret: hæc enim Auctor. *Vestibus* (inquit) *iuxta consuetudinem induta extrinsecus, intrinsecus verò asperrima interula, quam cilicium appellant, semper induta, chorda carnes suas circuiens post ipsius mortem ossa collidens, & consumptis carnibus eadem quasi latens reperta est.* Atqui memor ipsa Cruci affixorum Christi pedum, clauo item pedi infixo, vt Christo similis fieret, se ipsam excruciabat, ac mortis demum à Deipara sibi impendentis facta certior est; vt Auctor sic tradit: *De instanti (inquit) obitu quindecim ante diebus ab ipsa Virgine Dei Matre fuit admonita, & rogata à filia, vt quid moriens sibi relinqueret, cum calceos relinquere se dixisset; quibus tamen vsa nunquam fuerat, filia Matrem nihil temere loqui solitam sciens, rem diligentium prescrutata, pedum folia sic à reliquis partibus deprehendit seiuncta, vt calceorum speciem preseferrent, affixo etiam alteri eorum clauo ferreo in calce, quem illuc corporis grauiùs afficiendi gratia, seuerior aduersum se mulier intulisse creditur. Seruantur*

Rainaldus an. 1395. n. 20.

Baronius in not. ad Martyrol. 27. Augusti. Acta extant in M. S. Cod. Bibliot. Vallic. sign. lit. a pag. 415.

Margarita vidua septēpedana pœnis se ipsam macerat.

Pompilius Caual. in gestis latinè scriptis.

Cilicio sēper indura, & corda, sęculi amorē pænitùs exuit.

Clauo pedē in Christi Cruci affixi memoriam transfigit.

Pompilius vbi suprà.

nantur

uantur adhuc eadem calceamenta vnà cum clauo ipso Septimpedæ ad DiuiDominici Ædē seorsum à reliquo corpore in vitreo quodam vasculo. Sic mulier tot ob Christi amorem pœnis confecta, & simul patiendi iugiter ambitiosissima, signis quoque post mortem diuinitus effulsit, & in Martyrologio Romano Apostolica auctoritate, dignà eiusdem quotannis memoria recolitur.

Mortis à B. Virgine monetur, & calceamēta filiæ relinquens, quid sic loquendo ipsis innueret.

25. Heduigis insuper Polonorum Regina, tam morum probitate, quàm patiendi desiderio illustris, nec non propagandæ apud Gentiles Christianæ Religionis studio nobiliter clara, vitam pœnitentiæ iugiter intenta operibus, ieiunijs videlicet, & terrenarum rerum, ac deliciarum præsertim contemptu excoluit; adeoquè meritorum potiùs cumulo, quàm Regijs diues thesauris, ad Deum feliciter coronam acceptura migrauit, de qua isthæc Cromerus: *Donauit*(inquit) *Basilicæ Cracouiensi vestem ad Sacra peragenda factam, margaritis, & lapidibus pretiosis distinctam: duo anni tempora, Quadragesimam, & Aduentum Domini religiosa abstinentia, et ieiunio semper coluit; delicias, pompas, & ostentationem diuitiarum contempsit, ita vt cum propinqua partui, regali cultu, atque magnificentia exornare cubiculum, Regis absentis literis iuberetur, respondisse ei feratur: se pompam omnem, & inanem splendorem pridem abdicasse, nec insciam esse sæpe mortem partui comitem esse: tum autem rectiùs se vilitate, & neglectu mundani fastus Diuinæ benignitati, qua sterilitatis probrum à se amouerit, responsuram esse. Feruntur autem ob sanctitatem eius, miracula quædam ad tumulum eius postea fuisse edita.* His itaque virtutum, & Pœnitentię infulis illustris fœmina, plusquam Regio cultu clara, miraculorum item signis illustrari è Cœlo meruit; & à terreno Regno ad Cœlestia prœmia euocata anno sal. M. CCC. LXXXXIX. cum Christo semper victura, viuendi finem fecit: Quam Dama Leuicius summis laudum præconijs, ac meritò elogijs celebrat. Et hæc interim satis.

Rainaldus ann. 1399. num 8.

Heduuigis Polonorum Regina Pœnitentiæ operibus eluxet.

Cromerus lib. 15. histor. Polonic.

Quàm religiosè à cibis abstinēdo sacra ex ritu Ecclesiæ ieiunia coleret.

Signis à Deo illustrari meruit.

Dama Leuicius in laud. ipsius.

26. Quoniam verò illustres, ac delicatiores item fœminas ob eximium pœnitentiæ cultum à delicijs se abdicantes hactenus recensuimus, illibatarum quoque Virginum, ac pari tum innocentiæ, etsi minus sanguinis splendore insignium haud Deus huic nostrò sæculo deesse exēpla est passus. Quarum vna inter præcipuas affulsit Rosa virgo Peruana, & vulgò à S. Maria, tertij Ord. B. P. Dominici. Cuius videlicet sacer, ac admirandus præ cæteris Ordo sub Deiparę Virginis auspicio, velut amœnus Ecclesię hortus lectissimis semper virtutum sexus vtriusq; flosculis sub florido itē Mariæ Rosario tot sęculis ditescēs, nouis in dies adhuc decoratur. Hæc igitur Virgo licet delicatior, sic vltroneis ob Christi amorem non tam pœnis se ipsam excruciare, quàm dignè suauiterque excolere studuit; vt dubium reliquerit, an vitæ innocentia, & morum puritate: num verò pœnitentiæ merito dignam sibi inter cæteras palmam vti Rosa inter flores vendicet, & an Dei amore, an patiendi desiderio, & impenso in carnē suā odio reliquas tot, quæ in Sacro Ordine præcessere, Virgines hęc vna antecellat; vt Religiosus Sacri Prædicatorum Ordinis, miras summatim res complexus, sic narrat: *Denunciamus* (inquit) *admirabilem quandam Sororem nostram obijsse, &c. habitu Tertij Ordinis nostri, qua sic Institutum, in domo Paterna manens, & Regulę, et Sancti P. N. Dominici Constitutionibus inhærens, obseruauit; vt omnibus alia Catharina Senensis (quam ab ineunte ætate totis viribus imitari conabatur) in hoc Terrarum Orbe degens videretur. Orta fuit celebris hęc Virgo pijs Parentibus Limæ An. Domini 1586. à quibus religiosè educata, et maximè à diuino Sponso ita illuminata; vt quintum annum agens, ad perfectionis culmen assiduis ieiunijs, ac pœnitentiæ asperitate pertingere conaretur. Pertigit ergò mirabili abstinentia, pœnitentiaquè insigni: Pro lectulo equuleo varijs textulis intertexto vtebatur, argēteam coronam ad modum spineæ coronæ capiti circumpositam habebat. Ferrea catena vsque ad sanguinis effusionem corpus singulis noctibus crudelitèr affligebat. Patientia fuit incredibili, humilitate rara, puritate tàm animæ, quàm corporis insignis. Diuinis reuelationibus admirabilis: Orationi, & contemplationi ita semetipsam dedit; vt ad vitam vnitiuam summa cum animi tranquillitate, et omnium admiratione peruenerit, ad cuius orationis exercitium eam per multum temporis Sacra Deipara Virgo singulis noctibus excitauit. Prædita fuit spiritu prophetica, quo multa futura prædixit: Ac tandem cæteris virtutum gene-*

Harald. Ord. Prædic. in gestis B. Rosæ Limēsis cap. 12.

B. Rosa Peruana Præd. Ord. Tert. patiēdi ambitiosissima.

In libello in Comitijs Peru an. an. 1617.

Altera Catharina Senensis ob vitæ puritatē, & patiendi desiderium dici meruit.

Mira ipsius in excruciādo corpusculo adinuenta.

Deiparæ Virg. fauoribus cumulata.

generibus insignita praclara sanctitatis sua relinquens exempla feliciter in eadem Ciuitate obdormiuit in Domino die 24. Augusti Anno videlicet salutis M. DC.XVII. &c. Hæc ille. Plura autem lectissimæ Christi sponsæ Virgini huic elogia à plerisque decantata sunt; adeoquè Fr. Ioannes Lopez Episcopus Monopolitanus in sua Ord. Præd. historia Rosam *viuum ectypon, seù effigiem vita, ac sanctitatis B. Catharina Senensis appellat*; Quin & ipsi, quod S. Ambrosij ore depromptū est, S. Agnetis itē elogium cōcinnè, appositèq; consonat: *Cuius* (inquit) *ne nomen quidem vacuum est luce laudis*. Et quod de Eugenio Cassiodorus meminit: *Gerebat* (inquit) *nomine, quam possidebat meritis dignitatem*. Rosa igitur in horto Ecclesiæ congruè eiusmodi nomen præfetulit, quæ vti *bonus Christi odor*, suis mirifice vniuersum Christianum Orbem, Deo aspirante, virtutibus procul, & de vltimis terræ finibus afflauit.

Io. Lopez Episcopus in hist. Ord. Præd. dic lib. 3. c. 3.

S. Ambr. lib. de Virginibus

Digna ipsius præconia.

Cassiodorus in Eugenij Laud. m.

2. ad Corint. c. 15.

27. Verùm enimuerò ipsa præ cæteris in Sacra Rituum Congregatione corā Sanctissimo Alexandro Papa huius nominis Septimo fe: re: Decio Cardinale Azzolino referente, his potissimùm verbis primum innotuit, ac laudari eiusdem Sanctitas meruit: *Ex suo (inquit) in Deiparam obsequio, Rosa de S. Maria voluit appellari. Sexus, atatisquè ieiunijs teneros adhuc sensus firmauit virtute robusta, & Parentum monita simul, ac vota adulta probitate, & multiplici pietatis vsu praeuenit puella, iuuenis excessu: Tantus enim eius amor in Deum, tantus in Deiparam cultus, tanta sensuum, & carnis castigatio, morum, & cogitationum munditia, vt argentea corona caput redimita, adinstar spinea, quam Christus passus est, ferreaquè catena virgineum corpus singulis noctibus dilanians, sicut lilium inter spinas virginitatem custodierit, quam cum se tota & Deo vouit perpetuam, & seruauit, &c.* Hæc ille; Cunctis verò à purpuratis Patribus Sacræ Rituum Congregationi Præpositis ritè peractis, magna nuper totius Vrbis lætitia, & Christiani Orbis plausu Peruanam hanc Rosam, quæ Limæ Deo aspirante exorta est, Beatæ titulo à Clemente Nono auctam vidimus, futurum vt aliquando totius vtpote Ecclesiæ cultu Rosa, vti Christi dignus flos, Sanctarum Virginum numero adscribatur, dum de ipsa interim solemne illud singulari elogio, & pro condigno laudū themate in Vrbe, ac Viri præ cūctis clarissimi publice ipsā laudantis ore meritò decantatum est: *Pro ul, & de vltimis finibus pretiū eius*. Quo quidē sapido laudatoris dicto nil breuius, sed quò ad laudum merita spectat nil virtute vberius dici aliquando potuit.

Ex relat. D. Card. Azzolini in Sacr. Rit. Cong. reg. die 15. Septembris 1663

A singulari in Deiparam obsequio, Rosa à Sancta Maria nuncupari se vult.

Fenea catena singulis noctibus corpus dilaniat.

Prouerb. cap. 31.

28. Inter alias quoque recentioris memoriæ Virgines, quæ hac nostra ætate in Vrbe omnium Regina, virtute, ac pietatis, & pœnitentiæ studio præfulsere, vna fuit Martha Marchina; quæ Neapolim vrbem nobilissimam, patriam habuit, sed Romam virtutibus vtpote conspicua pro domicilio. Huic Parentes quidem tenuis fortunæ, pij magis, quàm nobiles; honesti potiùs, quàm diuites fuere. Poesim illa latinam egregiè callens, humaniores literas, vltra quàm credi potest, & sperari de fœmina, ad eruditorum vsq; stuporem exercuit. Cuius planè ingenij in literario opere indolē, ac peritiam Viri præstantissimi satis vnquam mirari non potuere; Et inter hos Eminētissimus Franciscus Card. Barberinus Vicecancellarius, ac Sac. Collegij Decanus; & Bernardinus itē Cardinalis Spada olim Prænestinus Episcopus, alijq; in Vrbe doctissimi, qui ipsius carmina suspexere; eoq; magis, quod ipsa, vt idem Eminentissimus Spada ait, *Latinam literaturam sine vllo Praceptore, hoc est solo Deo Praceptore didicisset*. Sed vt miræ ipsius hic ingenij dotes, ac simul laudes innotescant, sic Frater P. Macedo Franciscani Ordinis Sacerdos, & laudator eius summatim gesta in libello, quem Christinæ Suecorum Reginæ dicauit, leui quodam pennicillo adumbrat: *Breui* (inquit) *ex Discipula Fratrum Magistra euasit, & disciplinam in doctrinam vertit. Calluit primùm exactè latinam linguam, deinde poesim, ad quam ingenio facta erat, edidicit. Adiecit Graca rudimenta, Hebraicis praceptis aspersa, qua postea assidua meditatione in doctrinam formauit, &c.* Quod ne quis gratis asseri à nobis credat, Quærengus Vir nostra ætate apprimè eruditus, ac prudens, cū sibi oblatos ab vno è nostris Sacerdotibus huius Virginis versus legisset, seriò demiratus, tam sibi benè pondere, ac numero

Martha Marchina Virgo Neapolitana virtutibus, & scientiarum laude clara.

Bernardinus Card. Spada in epist. ad ipsam.

Viris dignissimis admirationi fuit.

Fr. Macedo in edito eius vita, & libel. carminū Regina Suecia dicato.

Fr. Macedo Franciscani Ord. res ipsius gestas scribit, & laudum Virginis præco.

mero constantes, ac eruditos, ob excellentiam haud fœminæ fœtum ingenij credidit; donec probè rem experimento assequutus, non absque stupore dignis tum verbis, tum laudibus carmen simul, ac artem, nec non ingenium inprimis summoperè commendauit, quam subinde alij eruditorum suspicere, ac laudare pro meritis non destitere, quæ raro sæculorum exemplo id habuit, vt (quod mirum plane est) *pro lana librum, pro fuso calamū, stylumpro acu* (vt Eminentissimus Spada in ipsius elogio habet) *tractare nosset.* Huius quidem præclari ingenij nonnulla nos Lectori in nostris Subterraneæ Romæ nouissimæ paginis, necnon in nostro item Opere inscripto: *Mortes peccatorum pessimę*, epigrammatis ad rem alicubi allatis delibanda obtulimus.

Bernardinus Card. Spada clar: me. ipsā olim celebrat, ac miratur.

Eminentiss. Card. Spada epist. ad Marsham ex Bononia 1630.

29. Sed vt eius hic pietatem literaturę coniunctam vel obiter recolamus, sic suam illa vitam instituit, vt religiosas obseruatioris Instituti in sęculo fœminas æmulari quodāmodò videretur; hęc enim Frater Macedo vbi supra ipsius laudator summatim: *Cibus* (inquit) *ei parcus, & necessarius, etiam & somni parcissima, precum penè prodiga, quòd nimiū orabat. Sacris Mysterijs interesse quotidie, confiteri crebrò, conciones sæpe audire, cælesti pane refici; ter ad minus singulis hebdomadis, solemnioribus tamen anni temporibus quotidie Diuino illo pabulo recreari. Quadraginta horarum supplicationibus interesse, sacras Synaxes frequentare, statas S. Marię preces horarias recitare, & sacrum piacularium orbiculorum pensum singulis diebus reddere; solemnia Ecclesię ieiunia intra, & extra Quadragesimam ritè obseruare. His Aduentus, & aliorum, quos studiosè colebat, Sanctorum Vigiliarum, ac præcipuè B. Virginis voluntariè adijcere: quantum detracto cibo corpus extenuare, tantum sumpta Eucharistia animum saginare, S. Petri Basilicam adire quotidie, cætera Vrbis Templa incidentibus eorum solemnijs inuisere, Ecclesiam Patrum Oratorij in primis frequentare. Quod supererat temporis, id omne domi texendo, nendo, legendo, componendoque consumere; silentium amare, confabulationes fugere, hominum conspectum vitare, curas in Cœlo ponere, eòque se, dum animo non poterat, cogitatione transferre. Corpusculum varijs vexabat modis, & natura infirmum crebris afflictationibus infirmius reddebat. Fessum diurnis occupationibus lectus durissimus excipiebat. Santolino ipsi à confessionibus mortuo, tabulam, in qua cubare solitus, dono sibi dari petijt; eamque deinceps pro lecto habuit, & quasi naufragium reliquam vitam duceret, tabulę incubabat. Varijs morbis exercita, singulare patientiæ specimen præbuit. Torminibus sæpe laborabat, ac summis doloribus, cùm Congregationis Sacerdos hortaretur, adducto Pij V. Pontificis exemplo, vt eius verbis vteretur: Domine ne minuas dolorem, patientiam adaugeas: Negante illa, quod tanto Pontifici licuit, sibi licere, ac proindè sibi dicendum esse: Domine minuas dolorem, sed adaugeas patientiam. Hoc tenore innocentem vitam duxit ad annum 46. qui ei vltimus vitę fuit; Nam Aprili Mense, Anni 1646. lenta febre correpta, paulatim contabuit. Cùmque ad mortem omnibus salutis æternę præsidijs se muniuisset, obijt placidissimè.* Sic Martha probè suum virtutibus explens in Dei domo tum nomen, tum ministerij opus, & vix vmquam ex toto otiosa, ab omnibus laudem sibi promeruit; & pietate, ac literis exculta, æquè ac meritis diues, & virtutibus clara viuendi finem faciens, in nostra Vallicellana Ecclesia ad S. Philippum, quem illa impensè vti Patrem, ac semper Patronū coluit, suum condi corpusculū voluit: Cui sepulchralis lapis præclaris quidem notis à Gaspare de Simeonibus Innocentio X. ab epistolis ad Principes, his planè inscriptus legitur, vbi inter plura alia isthæc consultò habentur;

Fr. Macedo in lib. tit. Musa Posthuma

Digna, & austera vitæ ipsius norma

Pia ipsius in Deum, ac Sanctos studia.

Silentij prę ter fœminarum morem amantissima

Quid patiēdi cupida, sed humilitatis studio addicta inter dolores edixit,

Meritis clara diem fecit, hìcitèr obit, & in Vallicellano B. Mariæ, & S. Gregorij templo vult tumulari.

Seueriores disciplinas fastu procul
Religiosè attigit.
Animi quæsito magis ornatu, quàm nominis,
Cuius gloriam
Spontè latens in Vrbis luce, dum planè
abiecit.
In sinum transmisit immortalitatis.
Obijt V. Idus Aprilis. Anno Domini.
M. DC. XXXXVI.
Aetatis XXXXVI.

Sepulchralis Marthæ titulus in Vallic. Ecclesi.

Sepulchralis titulus ipsi inscriptus.

Et hæc vel obiter in prælaudatæ Virginis, quæ Christianas vnà cum literis virtutes, & Pœnitentiam præsertim, suprà sexum, & vltra modum excoluit, meminisse voluimus. Cuius subinde carmina Christinæ Augustissimę Suecorū Reginæ digna oculis, prædict. Frater Macedo

Fran-

Franciſcani Ordinis, in libello cui titulus; *Marthæ Marchinæ Virginis Neapolitanæ Muſa Poſthuma*, in lucem edidit: Sed hęc de ipſa interim ſatis.

30. Demum vt Virgini viduam,& Marthę illuſtrē in ſæculo pauperculæ fœminam;ſed tū literis,tum diuitijs pari ſtudio pręſtantem,& quę Marthę ſimul,ac Marię probè imitando partes exhibuit, haud ingrato meritorum conſortio iungamus. Felix item Zacchia Rondinina, Matrona lectiſsima nequaquam ſuas à nobis, laudes ſileri patitur; quæ Patris, Patruique, ac filij purpura nobilis: Sed adhuc nobilior ingenio, moribus, & cætero vitæ ſplendore fuit, vt inter cętera minimè in hac noſtra Ciuitate viſenda à magnis Viris huc confluentibus haberetur. Mirum fuit eius ſtudium optimarum Artium, ſed in primis Sacrarum literarum & veterum rerum Eccleſiæ cognitionis ſumma pietas, eximia prudentia, ſanctiſſima domi diſciplina & integra inter ſublimes curas, in gubernanda familia diligentia: Humilitati verò addicta cunctas, quibus præcellebat, animi dotes, & ſcientiarum præſertim (quæ rara in fœminis eſt) prærogatiuam, meritis viſa eſt laudibus cumulaſſe. Quo autem animi ſtudio cœleſtibus contemplandis intenderet, præter conſuetas, quas in precibus inſumebat horas, Sacras antiquiores Vrbis Eccleſias, & Beatorum præſertim Martyrum Chriſti memoria celebres, ac D. Sebaſtiani Martyris extra Vrbem adiens, ibique celeberrimum Calixti Cœmeterium tot Martyrum trium phalibus refertum exuuijs recolēs, mirum eſt, quo illic ſpiritus feruore incaleſceret; adeoque præferuidas illas olim Chriſti amore Lucinas videlicet, Cyriacas, Lucillas, cæteraſque Vrbis Matronas æmulari cupiens, alijs nonnullis pietate præcellentibus nobilibus fœminis, ac præcipuè Portia Lancellotta de Gabriellis (cuius digna nobis alibi incidit mentio) iuncta ſibi comite, ſacra paſſim Cœmeteria inuiſeas, mirò deuotionis cultu reconditas, ibi Martyrum exuuias, necnon pias veterum Chriſtianorum colonias, ac ſi ipſiſmet oculis præſentes cerneret, inter excurrendum mente recolens, impenſiùs venerabatur. Si quando autem Beati alicuius Martyris corpus à perſcrutantibus adinueniri, ac inde Pontificis iuſſu è tenebris in lucem efferri contigiſſet, ipſa totius mentis obſequio, & præ cordis lætitia geſtiens præſtò vna præ cunctis erat. Quin & ſacras Martyriorum ſarcinas, quibus inferior Vrbs Roma redundat, nec non pia veneranda Chriſtianæ antiquitatis Cymelia, non ſecus ac nobiles, & pretioſas margaritas quouis pretio redimens apud ſe domi ſeruandas curabat, vt in noſtro ſubterraneę Romæ Opere inſertis quamplur ibus ſepulchralibus titulis, ac Martyriorum inſuper inſtrumentis ab ea illic exhibitis non abſque ingenti poſterorum lucro, ac vtilitate, & ſumma item ipſius, quæ ſic piè poſteris laborando proſpexit, laude digna erit ſemper mentio, ad quæ cupidum Lectorem amandamus.

Felix Rondinina inſignis tum pietate, tum literis fœmina.

Pia ipſius erga Deum & proximos ſtudia.

Antiqua BB. Martyrum & Calixti præſertim cœmeteria, deuotiſſimè adit, perluſtratq;

Martyrum oſſa miro cordis obſequio proſequitur.

Martyrum ſepulchrales titulos, & Martyriorū inſtrumenta quouis pretio in vnum colligit.

31. Pia demum, ac virilis fœmina, dum bonis iugiter intendit operibus, & Pœnitentię præſertim cultu, ſuū plus animum, quàm aliæ fœminę corpus gemmis, ac auro ſollicitè excolit, atque apud Deum ſibi ornatum, ac decorem parat; patienter ambitioſè cupida carorum pignorum haud ſemel caſibus, aduerſiſque frequenter Dei nutu pulſata, quod de Paula olim à Hieronymo decantatum eſt, ipſa iu ſe ad viuum exhibuit: *Neſciebat* (inquit) *ſe Matrem, vt Chriſti probaret ancillam*. Quin & illud inſuper: *Filiorum charitatem maiori in Deum charitate vincebat*. Quot enim pręreptos ſibi filios conſtantiſsimè tulit, tot ſibi proculdubio in Cœlo coronas, ſe ipſam, ac ſexum vincendo promeruit, vt diſerte religioſus Sacerdos è Societate Ieſu in ſuo elegiaci carminis conſcripto ad ipſam Libello ſermonem his verbis auſpicatur.

Danielis Papebrochij è Societate Ieſu ad Felicem Zacchiam poſt cęſum in propugnatione Candiæ filium Ioſephum Rondininum, altero Filio Natali Rondinino orbatam.

Fuit hic in ipſomet iuuenilis etatis flore pręter ſummam pietatem, compoſitoſque ad virtutem ſuauiſsimos mores, omni ferè ſcientiarum genere, ac literis, tùm Latinis, tum Gręcis ſic excultus; vt inter alios Vrbis præcipuos eruditione ſumma laude numeraretur, adeoque AlexanderVII. ipſius tum ingenium, tum animi integritatem miratus, mox ad Pon-

Quanta fœminæ in pignorum ſuorum funeribus conſtātis animi virtus.

S. Hieronymus vbi ſupra.

Idem D. Hieronymus vbi ſupra.

Fœcundior virtutibus quam fœtibus.

Libellus elegiarū Danielis Papebrochij.

Conſolatoria ipſi carmina à Sacerdote Societ. Ieſu conſcripta.

Natalis Rōdininus omni fere ſcientiarum genere excultus, & Pontificijs epiſtolis ad Viros Principes ſcribendis ab Alexandro VII. adhibitus.

tificatum euectus apud se in Aulam euocatum Pontificijs conscribendis ad Viros Principes literis præfecerit; sed magnas ipse inter spes nil à se ipso mutatus, breui morbo correptus, ad vitę immortalitatẽ transiuit. Cui illud Sapientis oraculum aptè visum est occinere: *Raptus est, nè malitia mutaret intellectum eius, aut ne fictio deciperet animum illius etc. Et consumatus in breui expleuit tempora multa; placita enim erat Deo anima illius.* De quo pauca isthæc vti omni laude digno, ac nobis amicissimo, & quo Mater orbata, non potuit non sum mè obdolere, vel obiter dixisse voluimus.

Sap. cap. 4.

Daniel Papebrochius in elegia.

Consolatorijs verò suis elegiacis eiusmodi carminibus, sic profectò prælaudatus Vir fecit initium.

Cur ego Felicem verear te dicere Matrem;
Sis quamuis iterum pignoris orba tui, &c.

Mulier itaque miris tum virtutibus, tùm fœtibus clara, ac Dei præsertim cultu verè inter Vrbis fœminas felix dicenda, me ritisque insuper cumulata, haud multis abhinc annis matura iam ætate, & virili animo constans, Læto semper vultu, sacra item scripturarum verba corde simul, ac ore eructans, & re simul, ac nomine felix viuendi in Terris, Cœlo semper victura finem fecit. Sed iam ad alia orationis stylus recurrat.

Felix planè cum re tum nomine dicenda.

CAPVT XII.

Magi, & Prestigiatores ad Pœnitentiam confugiunt.

1 Nvlla profectò homini cum Diabolo, *qui nostris semper* (Chrysologo teste) *ruinis gaudet*, ineunda societas; nec vllum eum tartareo hoste, *cui mille* (vt Hieronymus ait) *nocendi artes, cui nomina mille*, vsurpandum aliquando commercium, si quis à virulento serpentis morsu liber, si quis à vitæ periculo fieri cupit immunis. Primus etenim (ad sua rem initia deriuando) totius humani generis, ac prosapiæ Parens, non nisi à serpente fraudem, ac ruinam pariter hausit, quã in omnes infelici subinde malorũ auctuario dispergit; vt illis palam verbis vel dum se mulier votis frustratã, ac deceptionis laqueo interceptam vidit, dolens confessa est: *Serpens* (inquit) *decepit me*. Meritò igitur mulier seducta dicitur, haud Vir; Ipsa quippe subdolo iam cum serpẽtis sybilo aurẽ præbens, cunctis profectò fatale hominibus, dum veritum Viro pomum exporrigit, exitium funestissime propinauit. Quod & aptè Chrysostomus aliquando expendens, totiusquè mali causam originario velut è fonte mortalium documento inculcans: *Colloquium* (inquit) *serpentis, venenum fuit mulieri. Cum mulierem interrogat serpens, et mulier serpenti respondet, familiaritate sermonis afflata decipitur, et colloquendi consortio iugulatur; cuius si colloquia mulier deuitasset, et serpens fallendi astutiam perdidisset, et mulier mortis sententiam declinasset.* Periculum itaq; dũ non videt, nõ vitat, cũctis inuidendo incurrit. Quapropter Deus vt ex primorũ Parentum ruina humano generi haud in leues eritasq; calamitates, & malorum incõmoda in præceps lapso, vel summe in hoc in posterum prouidus, serpentem alloquendo, consultum volens: *Inimicitias* (inquit) *ponam inter te, et mulierem, semen tuum, et semen illius*. In Dei namque contemptum, atque iniuriam sic conciliata animorum piacularis concordia, & pax nonnisi hostilis, Chrysostomo teste, redundat: *Nunquam cum hoste* (inquit) *concordia iungitur, nisi Imperator priùs offendatur; nec Imperatoris aliter iussa seruantur, nisi hostis decreta soluantur.* Atqui Diabolus intestina in primæuos Parentes odia, suasque in nos perpetuò fraudes exercens, vel semel cunctos, vt ab ipso sollicitè caueamus, satis superque admonuit: *At cùm nos ille* (inquit Chrysostomus) *cum nostris Parentibus occidit, nec vlli nostrum aliquando pepercit; cur inimicum, cur hostem diligimus?* Omnis itaque cum infenso humani generis hoste consuetudinis lex abrumpenda, quæuis tollenda occasio; omnis denique, ne periculum perditionis impendat, vitanda mortalibus vnà cum morte societas.

Chrysologus in serm. Hieronymus in epist.

Diabolus ruinis hominum semper gaudet ex Chrysologo.

Genesi cap. 3. v. 13.

Chrysostom. cap. 3. Genesis n. 13.

Eua Serpentis familiaritate, & colloquio iugulatur ex Chrysostomo:

Gen. cap. 3.

Omne hominis cum Diabolo commercium à Deo vetitũ.

Chrysostom. in cap. 3. Gen. vbi supra.

Chrysost. vbi supra.

Hominibus cunctis Euæ cum Diabolo familiaritas nocuit.

2. Quod item appositè Cyprianus aliquando inculcans: quia qui vel ipsi primùm in minimis Diabolo annuit, grãde periculum subit, ne illi in maximis subinde consentiendo adhæreat; ideo omnem peccandi licentiam, ac periculum pariter sibi seriò interdictum recolat: *Qui fre-*

fretus est (ait) *conuersari cum scandalo, sine causa dicit: Paratus esse volo cum Diabolo, contra Apost. Ephes.* 4. *Nolite locum dare Diabolo. Qui si de foris oppugnans, vix muris expellitur; quantum valebit, si intra muros acceperit habitaculum?* Itâ planè haud vnquam sibi ab hoste fidendum. Hinc iure merito diuinus gentium Doctor, Diaboli tum dolos, tum artes non ignorans, omnem procul ab eo consuetudinem conceptis verbis abscindens, ac ipsammet fœderis vmbram, nedum suspicionem reijciendo amouens: *Nolite* (dicit) *locum dare Diabolo.* Facilè enim totum sibi subinde vendicat habitaculum, si furtiuum vel semel aditum obtineat. Ignarus verò ipsius fraudum, ac nequitiæ omninò proditur, qui Deo carus, & virtutibus diues; securus tamen suo adhuc cum hoste agens, Cypriano edisserente, rem transigit: *Nunquam* (inquit) *securus cum thesauro latro tenetur inclusus: nec intra vnam caueam habitans cum lupo tutus est agnus. Ipse voluit superari, qui hostem proprium in suas portas induxit.* Qui ergò infensum sibi hostem cupit euadere, eius profectò dolos & technas sollicitè caueat. Et Tertullianus quidem ab impiorum hominum consortio, maximè ob seducendi periculum illis cauendum verbis inculcat: *Deo* (ait) *digna commercia sectare, memor illius versiculi sanctificati per Apostolum: Bonos corrumpunt mores congressus mali. Quę quidem verba sic aliter Basilius legit: Corrumpunt bonos mores conuersationes prauæ.* Magicis verò potissimùm artibus Dęmon, callidus hostis arietare mortalium mentes, ac homines sciendi maximè cupidos fallere consueuit: *Eritis* (inquit) *sicut Dij, scientes bonum, & malum.* Atqui Christianis à Diabolo deceptis, & ad Pœnitentiæ asylum profugientibus sic res diuinitùs contingit; vt agnita nimirùm impostoris fraude primò ad Deum conuersi, suos palàm errores accusent, accusantes damnent, & publicè demum aliorum documento palinodiam recantent. Id quippè Tertullianus olim pio Christianorum pœnitentium laudabilitèr vsui ascribit; *Neminem* (inquit) *pudet, neminem pœnitet, nisi planè retrò, non fuisse Christianum.* Nunquam enim homines verè Christianos pœnitet in Deum, nisi peccasse aliquando, & virtutem, ac Dei legem sectando, non omnimodis illibatum Christi seruasse Euangelium, omnemque suam Diuino religionis cultui operam non impendisse; pœnitet profectò ipsos non fuisse, quod esse debuerant, & prauarum dumtaxat artium, vitiorum, ac scelerum intimè pudet: dum se peccatores, ac Deo rebelles, damnatis publicè erroribus fuisse fatentur.

...nus lib. de singul. Clericorum.

Nullus Diabolo locus, eiusq; fraudibus dandus.

Ephes. 4. *n.* 27.

Cyprianus lib. de singul. Cleric.

Procul à domo arcendus latro, si quis nō vult expoliari thesauro.

Tertullianus lib. ad Vxor. Basilius 1. Cor. 5. *conc. quod Deus non est auctor mali.*

Magicis pęstiferum artibus Dæmon pręualere contendit.

Tertullian. lib. Apologetic.

3. Pœnitentia igitur ipsosmet (vt hinc dicendi initium sit) Magos, qui cum Diabolo, ac Morte pactum, & cum Inferno fœdus aliquando inierant, Deo reconciliatos in spem vltrò salutis adducit, & magno Ecclesiæ Christi, cunctorumq; gaudio aggregat; vt Augustinus cuidam olim magicis artibus apprimè vitiato, & dum ipse Psalmum sexagesimum primum Populo exponeret, accidisse sic adstantes alloquendo testatur: *Vt noueritis* (inquit) *quòd multi in commixtione Christianorum ore suo benedicant, & corde suo maledicant; iste ex christiano, & fideli pœnitens redit, & territus potestate Domini, conuertitur ad misericordiam Domini. Seductus enim ab inimico, cùm esset fidelis, diu Mathematicus fuit, seductus sedens, deceptus decipiens, illexit, fefellit, multa mendacia loquutus est contra Deum; qui dedit hominibus potestatem faciendi, quod bonum est, & non faciendi quod malum est. Iste dicebat, quia adulterium non faciebat voluntas propria; sed Venus: & homicidium non faciebat voluntas propria, sed Mars; & iustum non faciebat Deus, sed Iupiter, et alia multa sacrilega non parua. Quàm multis putatis Christianis nūmos abstulisse? quam multi ab illo emerunt mendacium, quibus dicebamus: filij hominum vsquequò graui corde, vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? modò, sicut de illo credendum est, horruit mendaciū, & multorum hominum interitum; se aliquandò à Diabolo sensit illectum, conuertitur ad Deum pœnitens. Putamus fratres de magno timore cordis accidisse. Quid enim dicturi sumus? namque si ex Pagano conuerteretur Mathematicus, magnum quidem esset gaudium; sed tamen posset videri, qui sic conuersus est, clericatum quærere in Ecclesia. Pœnitens est, non quærit nisi solam misericordiam. Commendandus est ergò & oculis, & cordibus vestris. Eum, quem videtis, cordibus amate; oculis custodite. Vide-*

Augustin. ex posit. in psal. 61. *in fine.*

Magus olim territus potestate Domini conuertitur ad misericordiam Domini, ex Augustino.

Mira, ac subita hominis ad Deum conuersio.

S. August. ex posit. in Psal 61.

te illum, scitote illum, & quæcunq; ille transierit, fratribus cæteris, qui modò hic non sunt, vos ostendite illum; & ista diligentia misericordia est, ne illum seductor retrahat, ac etiam oppugnet. Custodite vos, non vos lateat conuersatio eius, via eius; vt testimonio vestro nobis confirmetur verè illum ad Dominum esse conuersum: Non enim silebat fama de vita eius, quando sic vobis & videndus, & miserandus offertur. Nostis in actibus Apostolorum esse scriptum, quia multi perditi, idest talium artium homines, & doctrinarum nefariarum sectatores omnes codices suos ad Apostolos attulerunt, et incensi sunt libri tam multi; vt pertineret ad Scriptorem æstimationem eorum facere, et summam pretij conscribere. Hoc vtiq; propter gloriam Dei, ne tales etiam perditi desperarentur ab illo, qui nouit quærere, quod perierat. Perierat ergo, nunc quæsitus, inuentus, adductus est: portat secum codices incendendos, per quos fuerat incendendus, vt illis in ignem missis ipse in refrigerium transeat. Sciatis eũ tamen fratres olim pulsare ad Ecclesiam ante Pascha: Ante Pascha enim cœpit petere de Ecclesia Christi medicinam; sed quia talis est ars, in qua exercitatus erat, quæ suprà se esset, de mendacio, atque fallacia dilatus est, ne tentaret, et aliquandò tamen admissus est, ne periculosiùs tentaretur. Orate pro illo Christum, prorsus hodiernam precem pro illo fundite Domino Deo nostro: Scimus enim, et certi sumus, quia oratio vestra delet omnes impietates eius; Dominus vobiscum. Sic ille istius post quam prauum execratus est magiæ vsum, ac Diaboli procul abiecit commercium; iam verò ad Deum feliciter traducti, & Pœnitentię subsidio nouam vitę formam inchoantis, aptis, appositisque verbis concludit historiam.

Eius pridem impietas, & post modum conuersio cæteris, prodesse, ne & ipsi cadant.

Magus ad Deum traductus portat codices incendendos, per quos ipse fuerat incendendus ex Augustino.

§. 4. Quoniam verò magica potissimùm ars tum publicæ, tum priuatę rei incommodat, Virisquè præsertim Principibus inuisa adeo, ac infida semper fuit; hinc magicos in primis codices sub Valentiniano, & Valente Romanis Principibus quàm multis exitio fuisse satis constat & ipsum sanè Chrysostomũ in sæculo agentem, in apertum capitis periculum; dum quasdam paginas incautus arripit, vt ipsemet disertè narrat, olim proculdubio adduxere; hæc enim ille: *Mota est olim (inquit) me Adolescentulo magna tyrannorum hostilitas, militibus etiam foris extrà Ciuitatem ad insidias positis, fortè fortuito libellos quærebant incantatorios, & magicos. Et qui scripserat librum, nondum perfectum in flumen abiecerat: & captus, cùm postularetur ab eo, reddere non poterat; sed ducebatur per totam Ciuitatem vinctus, & cum ità accusaretur, dedit pœnam. Tunc ergò ad Martyris ædem proficisci volens, transibam per hostes iuxta flumen cum alio quodam. Ille autem viso libro, qui in superficie fluebat, primùm quidem putabat linteum esse: propior autem factus, agnouit esse librum, & descendens recepit. Ego autem contendebam, vt de communi inuento, & ridebam; sed videamus (inquit) quidnam hoc sit. Reuoluit partem paginæ, & inuenit scripta magica. Accidit autem eodem tempore militem transire: qui hoc animaduertens abijt, & timere nos fecit. Quis enim credidisset, quod è flumine sumptum sustulissemus, cùm omnes tunc etiam, qui non suspecti essent, detinerentur? & abijcere non audebamus, ne videremur; idem erat periculum, si scinderemus. Concessit igitur Deus, & abiecimus, & postea à periculis liberati sumus.* Hæc Chrysostomus, qui fuæ tunc annum ętatis decimũ sextum agebat, & id certè magno Dei beneficio tribuit, cùm grauissimæ pro his tunc quæstiones haberentur.

Baronius an. 370. n. 121.

Magicæ olim artes à Romanis Principibus seueris legibus exagitatæ, & in primis sub Valentiniano et Valente.

Chrysostom. in acta Apostolor. hom. 38

Chrysostomus ob magicum librũ ex aquis extractum, & apud se retentum in vitæ periculũ venit.

5. Et sanè, vt quàm noxia magorum sit cunctis fraus, luce clariùs pateat, magicis olim vir quidam artibus perierat, nisi Dei desuper aspirante gratia compunctus, ad Pœnitentiam spe salutis adductus conuolasset, de quo ex Chronicis Fratrum Prædic. Ord. Augustinus Mannus hæc habet: *Aegydius quidam (ait) natione Lusitanus, natus est ex Parente nobili; qui erat Consiliarius Regis Don Sancy, & Gubernator Colimbriæ. Huius Viri progressus extitit per omnia singularis; dum enim adhuc Adolescens esset, diligentia sua factus Clericus, tres obtinuit Canonicatus; sed non vt Clericus, qui in sortem Domini se dedit, viuebat: susceperat enim vitæ genus ab omni honestate, & virtute alienum; ità vt omniũ oculos prauitudine offenderet, &c. eius autem curiositas discendi fuit sibi multorum malorum occasio: Quapropter à Lusitania discedens, ad famosissimam Parisiorum Academiam proficisci decreuit. Dæmon hanc occasionem accepit, vt iuuenem hunc funditus perderet, persuasitque ei, vt Necromantia*

Augustinus Mannus select. hist. cap. 583. ex hist. S. Dominici, & Prędic. Ord. scripta à Fr. Ferdinando eiusdem Ord. part. 1. lib. 2. cap 72.

Aegidius natione Lusitanus sciendi cupidus in magicarum artium impietatem impingit.

tia artem addisceret; quæ eo tempore (sicut ferebatur) Toleti in obscura quadam, & secreta spelunca docebatur. Cumquè animo suo magna euolueret, arbitrareturquè hac via posse se consequi multa, quæ animo suo arriderent. Dæmon, *qui eiusmodi phantasias suggerebat, apparuit ei in via in similitudine Viatoris, & post multos sermones tanta ei familiaritate coniunctus est; vt iuuenis non timuerit narrare ei animi sui cogitationes, sequè proficisci Parisios, vt egregius Medicus euaderet. Quæ cùm audisset Dæmon: aliam scientiam (inquit) tibi proficuam, atque perutilem indicabo, quam si didiceris, futurum est; vt animos omnium ad te diligendum conuertas, atque etiam opes, ac facultates aliorum acquiras, & indulgere voluptatibus possis, quotquot Mundus habet. Cùm enim iuuenis sis, atque nobilis, nunc tempus est, vt vitæ genus suscipias periucundum, ex quo gloriam, & honorem in Mundo recipias; id, quod Medicinæ operam dando, & curis ægrotorum incumbens, consequi non poteris, &c. Hęc autem est Necromantia, quę præterquàm quod maiorem fructum affert, facilius etiam addiscitur, &c. Igitur ambo iter arripuerunt, vt ad eum locum peruenirent, vbi illa ars docebatur. Cumquè Toleto appropinquarent, obuiam habuerunt Ministros, qui expectabant eos, à quibus benigno, & læto vultu excepti sunt multis amicitiæ significationibus. Deinde secreta sollicitudine iuuenem ad antrum quoddam perduxerunt, vbi facultas hęc Diabolica docebatur. In quod cùm ingressi fuissent, audiuit iuuenis, quas conditiones obseruaret, vt admitteretur ad magna illa arcana perdiscenda. Prima autem erat, vt relicta Diuina lege, subijceretur penitus imperio, & dominio docentis Dęmonis, qui scientię illius ordinarius erat Magister. Secunda erat, vt fidem denegaret, & Baptisma. Tertia vt chirographum scriberet atramento sanguinis sui, in quo Dæmoni se inseruiturum polliceretur. Iuuenis, qui nihil cogitabat, nisi quod volebat, et duce sensu res agebat; factus fuerat suorum affectuum, et voluptatum infelix mancipium, propter infanda sua vitia à Deo derelictus, et datus in reprobum sensum, consensit omnibus, quæ dicebantur. Scripsit proprio sanguine chirographum, sequè in potestatem Demonis dedit: Sed Deus, qui ex terra faculenta nouit extrahere thesauros, in perditissimo iuuene ostendit misericordias suas, non corripiens eum, et vltionem exercens in media peccatorum colluuie, sicut contra aliquos è socijs suis fecerat, quos dum delinquerent, morti tradidit; sed mores eius sustinuit vsque ad præfinitum tempus.* Hæc Mannus.

Necromantiæ Diabolo suadente se addicit, inani bonorum spe abductus.

Toletum ad pessimam ediscendam artem proficiscitur.

Ministros, qui ad speluncā secretiorem deducant, obuios habet.

Dœmon quibus præmissis legibus iuueni scientiā eiusmodi repromittat.

Miser se ipsum Dęmonis obsequio Chirographo, in scripto deuouet.

6. Quibus autem modis potissimùm iuueni in pręceps currēti Diuinum è Cœlo lumen affulgens, ipsum ad sanam mentem breui adduxerit; adeo vt ad Pœnitentiam immanes post culpas confugiendo, bonam animo veniæ, ac salutis spem conceperit, his planè verbis Auctor prosequitur. *Cùmquè hoc modo* (inquit) *in hac miseria perseueraret, Deus de Cælo prospexit; et sicut moris eius est, misericordia motus ex inextricabilibus laqueis eum ernere voluit: Res autem hoc modo gesta est. Quadam die cum solus domi suæ in Bibliotheca sua permaneret, apparuit ei fortissimus Eques, et ferox, aspectuquè terribilis; qui super eum sedens, lanceam, quam in manu gestabat, contra eum conuertit, vt eum percuteret, terribiliquè voce insurrexit in eum dicens: Muta scelestè, muta scelestè mores. Hoc viso spectro Aegidius obriguit, et perterrefactus est, sed vt qui erat infixus in vitiorum profundo, et ebrius in iniquitatibus suis, proprijsquè inuolutus peccatis, paulò post ab animo eius timor ille discessit, non considerans, quid terribilis illa admonitio portenderet; quòusque tribus diebus prçteritis eodem loco, et modo apparuit ei tremendus ille Eques, qui sibi priùs apparuerat, magis indignans, quàm priùs, qui furore plenus eadem verba profatus est: Scelestè, muta scelestè statum tuum, muta vitam tuam. Cui Aegidius territus: Erraui (inquit) tibi Domine non obtemperans, cùm me priùs admonuisses; nunc faciam, quod iubes. Tunc Eques ille lancea pectus eius percussit, non vt feriret, et occideret; sed vt sanaret, et vitam daret, etc. Iuuenis nullam moram traxit, vt responderet supernæ vocationi, et quanquàm tunc quartana febri laboraret, Lusitaniam versus profectus est; vt in aliqua Religione se constitueret, vbi peccatorum suorum pænitentiam agere posset. Cùm autem vlteriorem Hesperiam perambulasset, vesperè peruenit Palentiam: Fortè fortuna audiuit in hac Ciuitate fabricari Monasterium Fratribus Ordinis Prædicatorum. Quapropter propter*

Augustinus Mannus vbi supra.

Horribili spectro oculis obiecto compungitur, & terri tus resipiscit.

Dei misericordiam, eiusmodi suum agnoscēs implorat.

pter famam Sanctitatis, qua de illis Patribus vbique percrebuerat, priùs quàm vlteriùs progrederetur, Patres illos visitare decreuit. Videnſquè illos portare lateres, et calcem, ligna, et ferramenta pro fabrica construenda, ac si mercede conducti essent, Ordinem illum adamauit, persuasus præcipuè tanta humilitatis exemplo. Sequenti die alloquutus est Monasterij Priorem, cui etiam peccata sua confessus est, petijtquè ab eis, vt Religionis habitum sibi impertirent, qui magna promptitudine ab illis Patribus sibi concessus est, remisitquè famulos suos in Lusitaniam, scribens ad Patrem suum epistolam, certioremquè eum faciens deliberationis suæ. Permansit in eo Monasterio totum annum Nouitiatus sui, fuitquè mirificus profectus, qui miserante Deo ab illo in morum disciplina factus est; nam Religionis austeritas maximè tunc temporis in eo loco florebat. Hæc Auctor.

Vèluti Saulus apparente sibi Domino compunctus, statim ad religiosorum Claustra conuolat.

Sacramentali Confessione expiatus Mundo, se abdicat.

7. Quanta verò præferuidus iuuenis animi alacritate totum se Pœnitentię dicauerit, atque austerioris vitæ normam sectatus, quàm sanctè insuper vitam finierit, haud silentio prætereundum est; hæc enim insuper de ipso narrans, historiam prosequitur. *Iuuenis* (inquit) *tantam corporis sanitatem obtinuit, & cordè ità erat alacer, ac si omnibus Mundi voluptatibus, atque delicijs potitus fuisset, & omnium rerum opulentia, magnas difficultates, & tentationes sustinuit, quas ipse Confessario suo reuelauit, & consolationem suscepit, semper Dominum rogans, vt ei vires præberet, vt prouinciam susceptam ad finem adducere posset, &c. Quapropter fauore Diuino tantam concupiscentiarum, à quibus impugnabatur, moderationem obtinuit, pacemquè cordis, & spiritus quietem adeptus est; vt nihil magis eum delectaret, quàm silentium, solitudo, clausura, & quidquid denique priùs natura eius aduersabatur, ad tantamquè perfectionem peruenit, vt Frater Vmbertus Generalis totius Ordinis Minister, qui multo tempore cohabitauerat, asseueret ex ore Aegidij verbum inordinatum exire se nunquam audiuisse. Semper enim colloquebatur, vt afflictam alicuius animam consolaretur, aut vt magnalia Dei enarraret, aut profunda humilitate taceret, & quanquam esset excellentissimus Medicus, non tamen ægritudinibus suis remedia sibi componebat, sed in omnibus obtemperabat*

Augustin. Manuus vbi supra.

Alacer in Dei seruitio, deliciis procul abiectis permanet, et si à Diabolo acerrimè tentatus.

Aegidij in stadio ad Deum currentis virtutes.

illi, qui sui curam gerebat, &c. Quocircà magis, magisquè de die in diem proficiendo progrediebatur, & in Sanctis exercitijs perseuerabat: addebat orationi orationem, humilitati humilitatem, silentium silentio, pœnitentiam pœnitentię, nulli rei parcens, quę rigida, & austera esset. Ferream catenam circa carnes gerebat, quę vsque hodie in Monasterio, vbi sepultus est, in testimonium virtutis eius conseruatur. Cęterùm extremo dolore conficiebatur propter chirographum illud, in quo se ipsum Diabolo deuouerat in illa spelunca, in qua exitialem artem didicerat. Quapropter se fletibus macerabat, et meditabatur, qua ratione ex Diaboli manibus apocam suam, suo sanguine scriptam eripere posset: millies orabat, & suspirijs anhelantibus petebat à Deo, vt concederet sibi petitionem cordis sui. Contulit se ad orandam Virginem Beatam, terribilem Diabolo, afflictorumquè consolatricem, prouoluebat se ad pedes eius, pronunciabatquè lamenta pœnitentię, et flens ante ipsam, rogabat enixè, vt intercederet apud omnipotentem filium &c. pro apoca recuperanda, ne forsan mortis tempore apocam illã superbus Dæmon contrà ipsum produceret.

Pœnas afflictando corpori sollicitè quærit.

Lacrymis, ac suspirijs Deũ exorans, ac Deiparæ inuocato patrocinio apocã è Diaboli manu vindicat.

8. *Quadam die, in loco quodam Monasterij sui, &c. deuotissimè orabat, cùm nequitiæ Princeps mugiens, et vlulans, et formidabili sonitu aerem verberans, visibiliter apparet illi, et nefandis verbis, et ignominia plenis eum compellans, vocat ipsum proditorem, mendacem, apostatam, et perfidum, ac fœdifragum; et secreta documenta, quibus eum instruxerat, et gloriæ opinionem, quam per illa apud homines acquisierat, improperat, et voluptuosam vitam, et delicijs plenam, quam illi procurauerat, obijcit, conqueriturquè se ad restituendum, quod suum est, cogi. Deinde minas intentat ingentes, et maledicens eum, euanuit, et statim apoca illa per aerem volitare visa est, decidereque in terram; quam cum arripuisset, coram Deo, et B. Virgine prouolutus, partim propter memoriam commissi sceleris dolens, partim propter ereptam ex manibus Dæmonis apocam alacer, et præ gaudio plorans, gratias ingentes optimo Deo, et Sanctissimæ Virgini agit de accepto beneficio, quoniam eripuissent eum de inimicis eius, et de manu omnium, qui oderant eum.* Sic planè qui pridem magicis vitiatus dolis, & artibus se Diaboli mancipium fecerat

Contumeliosis verbis, à Diabolo pulsatus, & ope Virginis apocam à se cõscriptam recuperat.

cerat

cerat, pœnitentia postmodum releuatus, ac Deiparę patrocinio suffultus, nobilem de Tartaro ad Deum conuersus, & Sanctitatem adeptus triumphum retulit; quæ hic prolixiori sermone in Lectoris gratiam referre haud, ab re, ac minimè otiosum diximus.

Lætus simul, et ob peccatum dolens, Deo pro accepto benefic. grates persoluit.

9. Atqui vt sermo susceptæ adhuc narrationi instet, Diabolus, qui ob immane (quo Deum prosequitur) odium, illius iugiter contraire voluntati, contendit, eiusquè totis, quibus valet, viribus peruertere consilia nititur, inueterati potissimùm liuoris in hominem tela conuertens, suis ipsum iugiter dolis impetere, ac innumeris circumuentum fraudibus in perditionis barathrum vnà secum pertrahere conatur: Deus autem, *cuius natura bonitas, cuius opus* (vt Magnus ait Leo) *misericordia est*, in eo maximè mortalium se oculis admirandum exhibet, dum victor sua Diaboli malitiam oppugnando bonitate confundens, ipsam ex ipsius manibus, immò ex Tartari faucibus prædam plerunque aufert, ac perditos quosque, & culpis grauioribus obnoxios ad salutis portum reuocans & praua eorundem peccata dimittens, ipsos ex mancipijs Diaboli, Dei filios, & ex peccatoribus iustos facit, & Sanctos. Quod quidem alterius in præsens non tam latronis, quàm maghi, qui debitum DeoReligiouis cultum superstitiosis vtiq; per scelus artibus auferebat, exēplo innotescit, cuius historiam ab Episcopo Bellicensi suis consignatam paginis, & hìc à nobis latinè redditam exponere, haud ab re futurum putauimus. Hæc enim ille.

S. Leo PP. Magnus ser. de natiu. Domini.

Immensa Dei pietas impios ad salutem vocando, & ipsis veniam indulgēdo prodit.

10. *In ipso*(inquit) *Alpium ore, Allobrogum sita est Metropolis, quę à Cambaris, quorum ingens ibidem est copia, suum aptè nomen deriuat. Ibi in præcelsis Montium Bauge cacuminibus certus quidam homo in lictorum manus venit, qui magicarum artium irretitus dolis, ac superstitionibus apprimè addictus, nefandi huius apud Prętorem criminis accusabatur. Porrò vbi tot palàm indicijs, ac certis item argumentis execrandum, cui se deuouerat, artis ad tribunal Iudicis crimen delatum innotuit, cum nullus tergiuersandi locus suppeteret, perditus homo iuxta legum præscripta à Prętore primùm suspendy pœna mulctatur, & post suspendium igni subinde absumendus adiudicatur. Postquam igitur Iudex sententiam tulit, reus non multò post ad patibulum ducendus, vt se ritè ad mortem paret, ac sue, vt par est, saluti consulat; admonetur. Cui interim piorum hominum, qui reorum procurandæ saluti inuigilant, haud operam desiderari contigit. Pius quippe Societatis Iesu Sacerdos, doctrina, ac pietate conspicuus, à quo rem accepimus, hominem iam morti addictum conueniens, hortatur, vt immensę bonitati, ac Dei misericordiæ præsidens, suis quantumuis enormibus veniam supplex culpis exoret, ac salubri item pænitentię ritu Christianum in morem expiatus, tristem, funestumquè vitę, quem iam subterfugere nequit, exitum præueniat. At ille obaudito mortis sibi iam in auribus obstrepentis nuncio, haud pænitentię, vt par erat, manus dedit: sed potiùs alter veluti Pharao corde in modum lapidis obdurnit, monitoremq; suum truci vultu, ac infenso auersatus animo, in suis obstinatior erroribus perstitit, neque vllam de Deo, aut de cælestibus rebus, de morte, aut Inferorum pænis, ac demū de animę iam summo laborantis periculo mentionem fieri sustinuit. Quin ad malorum cumulum salubria Religiosi hominis ad resipiscendum adhortantis verba, aniles veluti fabulas; irridens, asoidisquè in morem suas obturantis aures, ne vocem incantantium, et venefici sapienter (vt Psalmista ait) incantantis vocem ob audiat, ipse pariter in malis adhuc pertinax aurem dictis adhibere noluit. Atqui Vir Dei zelantissimus, quippe qui lucrandæ animarum salutis desiderio æstuabat, hominis in supremo tum vitę, tum animæ periculo constituti misertus, piorum eundem precibus commendatum voluit, ac ipse pariter instantissimè Deum exorare non destitit; vt obstinato hominis cordi, nec animæ salutem cogitanti tunc propitius adesset. Quoniam verò supernę visitationis lumen eius nondum menti affulserat, etsi multùm verbis alter, monitisquè instaret, homini tamen, qui diù in malo insordescens, Diuinis penitus vocibus obsorduerat; vt suam exomologesi apud Sacerdotem conscientiam expiaret, suadere minimè potuit. Itaque cùm tempus reo præfixum, & frustra item Dei seruus conterit, adeoq; absque vlla ipsum ad bonam frugem traducendi spe oleum se, atque operam perdere animaduertit: En tibi armati ad carcerem licto-*

Ex Libello vario eventuum Episc. Bellicensi lib. 2. cap. 11.

Quidam magicis artibus deditus, apud Prætorem vt reus accusatur.

Certis argumentis conuictus suspendio destinatur.

Mortis sententia enunciata, obstinatior in suis erroribus perstat.

Psalm.

Ad patibulū deducendus Religiosi viri adstantis verba deridet.

Internis Dei vocibus, & Sacerdotum monitis obduratus;

lictores unà cum carnifice properant, quò præscriptam Iudicis sententiam opere exequantur: Quamobrè dato iam signo homo restè collo inserta, inter armatorum cuneos ad patibulum ducitur. Cunctis verò id inserim deplorandum maximè videbatur, quod cùm adstantes in tanto rerum discrimine, ac ipsius causa vultu pallescerent, timerentquè vehementiùs, solus ipse dumtaxat reus nedum pro se sollicitus quidquã timeret: sed & ceteris ad commiserandum permotis, ac flentibus, vnus ipse vel inter mortis pericula rideret, atque insuper eos, à quibus iam tum ad supplicium rapiebatur, irridendo subsannaret; seriò interim affirmans, quod se vitam minimè suspendio finiturum pro certò sciret, ac se à patibulo ad carcerem mox illæsum, vegetumquè reducendum haud ambigeret. Qua quidem desperati, delirantisque hominis dicta, sicut iustum nonnullis stuporem, commiserationem quoque alijs non paruam ingerebat, sic cunctis pariter ingens tragica rei exitum videndi desiderium meritò excitarunt. Itaque vbi iam infelix patibulo proprio factus, & mox trabi appendendus constitit, Religiosus vir, qui vt miserum inter mortis angustias quoquo modo iuuaret, à dextris aderat, etsi nil prorsus de animæ salute cogitantem videret; sibi tamen vel contrà spem de homine ad suspendium deducto bene adhuc sperandi animum non despondit. Igitur in malo sic adhuc pertinacem per Deum, ac Sanctos ipsius obtestando precatur, animæ tandem suæ consultum velit, salutisquè negotium, quantumuis serò, seriò tamen agat.

Solus ipse, cuius salus ab omnibus timebatur, ne dum non timet, sed ridet.

11. *At magus, qui se moriturum neutiquam credebat, cum risu, & cachinnis, quæ dicebantur, excipiens, salubria verba adhuc spernens, isthæc monenti illudebat. Quid plura? funestam miser, cui appendendus erat, lætus, festinusquè trabem per scalam conscendens, carnifici, à quo trahebatur, hæc ait: Frustrà, frustrà, inquam, tu mortaliũ improbissime adeò mei gratia in præsens, vt video, defatigaris; citiùs enim, quàm credis, re ambo infecta hinc abibimus. Iam verò carnifex restem trabi alligabat, ac Religiosus Vir Deo hominem maximè lucrandi anxius, cunctos, qui spectaculo aderant, vt pro obdurati hominis conuersione preces ad Deum funderent, hortabatur. Cunctis itaque iam ex more peractis, nil aliud supererat, nisi vt reus carnificis manu è summo ipsius scalæ deorsum præceps ageretur (mirum dictu) cunctos fatalis patibuli trabes occulta repentè vi concuti, validoquè impetu disrumpi & in terram cadere contigit, adeò vt ipse in primis carnifex vnà cum reo corruens, vbs magus se nihil mali perpessum, & vti dixerat, sanum, vegetumquè vidit, cachinnos gestiens altiùs ederet.*

Magus ad patibulum à lictoribus rapitur.

Trabi appēdendus scalà festinus conscendit, carnifici insultans.

Trabes patibuli occulta vi corruunt, & magus illæsus carnifici alludens cachinnos edit.

12. *Iudex verò, qui post sententiam ibi tunc perditi exitum inspecturus, aderat, cum ob insusitatæ rei spectaculum adstantes stupore attonitos, festiuumquè præ gaudio reum, subridentemquè videret, mox funem, quo is furcarum palo appensus fuerat, præcelsæ cuidam arbori in foro, vbi fontes ex more mulctabantur, existenti, alligari præcepit. Quapropter Ministri iussa protinus exequentes ad prædictam arborem reum pertrahendo conuolant, & scala subinde ad ascendendum aptata, reus vt quantocyùs trahente carnifice conscendat, dictis, factisquè compellitur. Iudicis itaque imperio vix ad arborem vsque deuentum est, cum Spiritus Sanctus, qui digitus Dei dicitur, afflaturus hominem, inuisibiliter è Cælo descendens, cor deperditæ spei hominis tetigit, omnemq; ipsius Auerni offusam menti caliginem mira desuper oborta luce fugauit. Infelix quippe, qui tantam pridem animo lætitiam præferebat, trepidare exemplo cœpit, terroresquè mortis couturbabant eum, & squamæ quodammodo, quibus ne Cæli lumen videret, ipsius oculi tenebantur, protinus cecidere; adeò vt obdurati hominis mens mox Diuinæ lucis radio perfusa, Dæmonem vti hostem profectò callidum, ac humanæ salutis inuidum, quò ipsum in Tartara secum pronoueret, sic palàm sibi insidias parando illusisse proculdubio intelligeret: Fraudulentus quippe hostis nequaquam illum consueto furcarum supplicio perimendum edixerat, adeoquè omnes feralis machinę trabes, quibus alligari hominem contigisset, occulta infrigendos vi repromittens, quò tandem reus à suspendio liber euaderet. Hæc vtique (inquit ille) Stygius serpens, vt suis me irretitum dolis perderet, atque Orco inferret, certissimè præstiturum se vltrò promisit. At vesanus doli artifex, vbi me ipsius Iudicis iussu alteri appendendum arbori vidit, suis planè fraudibus interceptum, circumuentumquè animaduertens, vbi nulla iam euadendi reliqua spes adest, solum vtique, desperatumque inter pericula me derelin-*

Deperditæ spei homo Spiritu Sancto afflatus subito resipiscit.

Diaboli fraudes oborta e Cœlo luce agnoscit, vt non iam filius tenebrarum, sed lucis filius fit.

Furcarum trabes disrũpêdos vi occulta, nec ipsum trabi appensum moriturum Diabolus edixerat.

relinquens, meam, impostoris instar, tum fidem, tum calamitatem ridet, subsannatquè; sed ipse iam à Diabolo ad Deum profugus, meritas illi vices rependam. Magus igitur vel serò, suoque periculo sapiens, ubi se à Diabolo deceptum sensit, corde compunctus, ad Sacramentalem Confessionem, vnicum expiandis animi morbis remedium conuolat, & Dei aspirante gratia, tam mira diuinitus cordis compunctione perfunditur; vt suas haud secretò Sacerdotis auribus, vti mos Christianorum est, culpas detegere, sed ruborem, ac sui apud hominet confusionem subire nil veritus, sua apud Sacerdotem scelera omnibus coram intimo cordis dolore adductus, aperire voluerit. Quod quidem tam promptè, libenter adeo, eoquè animi sensu præstitit; vt cunctos ad compunctionem adstantes prouocaret: Quippe qui dum eiusmodi pænitentiæ signis Angelos, qui ob eius salutem festiuum in Cælis diem agebant, lętificaret, suo homines quoque exemplo salubriter instruens, ad lacrymas, bonamquè in Deum spem excitabat. Atqui Diabolus id ęgrè ferens, optatamquè sibi è manu prędàm dilabi haud sustinens, homini tam probè ad mortem subeundam parato propiùs accessit; vt sacram ipsius exomologesin præpediret, sed corde contritus omnes illius conatus magicarumquè artium fraudem execratus, in illius faciem expuit isthac dicens: *Vade retrò Satana, qui me tuis hactenus irretitum technis immane decepisti; par enim est, vt tibi, qui meam instanter adeo perditionem vis, tuisquè hucusque mendacijs, vt in præsens video, peruertere conatus es, ego vel serò pænitens, Deiquè afflatus gratia perpetuò renunciem, suamquè plusquàm hostilem amicitiam execrando, pristinos vitæ errores firmissimè detester. Iustum siquidem est, vt quoniam tu, qui mendacij es Pater, prior fallendo me inter pericula deseruisti; ipse quoque ad Dei misericordiæ sinum confugiens, tibi, cui turpe homagium feci, datam iustissimè fidem infringam.* Publicè igitur Diabolo, eiusquè artibus, ac sectatoribus maledicens, initum cum eo fędus irritum voluit, totoquè ad Deum corde traductus illud sub extremam vitæ horam suo cunctis exemplo palàm fecit, quòd peccator quisque quantumuis perditus, & quibusuis irretitus culpis, dum miserentis è Cælo Dei lumen affulget, eiusquè benignè gratia aspirat, breui multùm in Diuini amoris stadio currens proficere valet. Hic enim mortalium scelestissimus, vbi suam inter suprema vitæ momenta culpam agnouit, tanta pręstitit, ac maiora item dum taliter affectus dolet, ipsumque ex corde pænitet, præstiturus; ni Sole iam ad occasum vergente Prętoris Ministri ad iniunctum Iustitiæ opus perficiendum accelerassent. Verùm pius ille Societatis Iesu Sacerdos sic totis in iuuando homine animi viribus, ac tanta eloquentiæ vi, ac spiritus feruore tum dicendo, tum exhortando institit, vt nedum hominem, qui patibulo erat addictus, suis feliciter dictis monitisque Deo iunxerit, sed plures item ex adstantium numero, qui varijs tenebantur erroribus, compuncti se totos pænitentiæ ipso perorante deuouerint, multiquè ex his misero compatientes, se pro eius anima quàm multa piè præstituros promiserint. Magus itaque Dei gratia præuentus, cuncta, quæ contriti, ac compuncti cordis typum pręferunt, in se ipso magna ob id laude dignus exhibuit: Ac inter cætera, quibus animi feruorem palàm cunctis fecit, illud pręcipuè fuit; quod à Iudice semel, atque iterum instantissimè petijt, vt quò cumulatiùs pro suis facinoribus Deo faceret satis, viuum se ignibus tradi iuberet. Sed vbi talis, ac tantus de pręteritis culpis dolor aderat, Iudex sententiam, quàm priùs aduersus sontem tulerat, nouarum incremento pænarum, haud morituro cumulandam censuit. Miser ergo, antequam reste alligatus è patibulo præceps carnificis manu ageretus, coram obtestatus est, se haud semel, sed millies promptè, libenterquè, si fas esset, vitam daturum, vt Deo condignas pro tot, tantisque patratis à se culpis pænas exolueret. Et certè huic post turpe cum Diabolo commercium, suasque ex corde sub vitæ finem antiquas errorum culpas sic dolenti, & culpam magis, quàm mortis pœnam exhorrenti, illa Hieronymi egregiè verba occinunt: *Non quæruntur in Christianis initia, sed finis; Paulus malè cæpit, sed bene finiuit. Iudę laudantur exordia, finis verò proditione damnatur.* Ita planè hic primùm magus, & postea pœnitens; male cœpit, sed bene finiuit. Et de his hactenus.

Præ cordis contritione suas apud Sacerdotem publicè culpas fatetur;

Adstãtes ad cordis compunctionem, se ipsum taliter accusando prouocat.

Diabolus cõfitentem præpedire conatur.

Matt. cap.

Publicè Diabolũ, & magicas artes execratus ad Dei misericordiam præfidenter confugit.

Sacerdos è Societate Iesu, nedũ ad bene moriendum ipsum magum, sed adstantes varijs irretitos culpis ad bene posthac viuendum exhortando adduxit.

Magus adeò cõtritus moriens inter veræ pœnitẽtes est adscribendus.

Hieronym. ep. ad Furian Virg.

CAPVT XIII.

Mimicæ artis & Scenæ Professores Pœnitentiam arripiunt.

1. **V**Itia profectò sunt, quæ (vt moralis aiebat Philosophus) *scenam desiderant*; adeoquè non nisi homines maximè præ cunctis vitiosi in scenam, inde manifestam pro laude ignominiæ notam contrahendo prodire gestiunt; *Vituperium quippe* (vt Doctor Angelicus semel edixit) *debetur vitio, honor virtuti*. His quippe notissimis velut notis vnum ab altero, & quæ honesta videlicet sunt à turpibus æquo Sapientum calculo discriminari contingit. Scena verò sic se habet, vt dum turpia, obscenaquè, quò magis audientibus, ac spectantibus arridendo placeat, consultò ingerit dictisque permiscet, vel ob id, meritò culpanda, vix vnquam à culpa vacet, ac sit simul expers infamiæ. Quod certè in primis Apostolus semel aliquando proscribens, & procul à Christianorum castris rem, velut ingenuis indignam hominibus, noxiamquè ablegans: *Turpitudo* (inquit) *& scurrilitas, & quæ ad rem non pertinent, nec nominentur in vobis*. Vbi idem iuxta Syriacæ linguæ sonum turpitudo, non nisi auribus obscenitates personando importat, & siquidem haud incongruè; Semper namque obscena dictis turpibus facta iunguntur, quæ sua spectantium tum oculis, tum auribus, maximè verò animis fœditate, dum vltrò sese ingerunt, tandem exitio fiunt. Enim verò quid mali secum lasciuientis turpitudo scenæ afferat, Anselmus notæ tum sanctitatis, tum sapientiæ Vir aliquando inculcans: *Turpitudo* (ait) *est, qua mens inflammatur ad libidinem*. Cui Angelicus item Doctor paribus verbis subscribens: *Quidam ludi sunt*, (inquit) *qui ex se ipsis turpitudinem habentes, & tales ludi ab omnibus vitandi sunt, sicut ludi, qui in Theatris agebantur, ad luxuriam prouocantes*. Manifestam quippe se ipsis turpitudinem redolent.

Seneca lib. epist. — Honor virtuti, vituperium vitiosi debetur ex D. Thoma. — *Angelic. Doctor 22. qu. 144. art. 2. in c. art.* — *Ad Ephesios cap. 5* — Ars Mimica à Christianis procul arcenda ob turpitudinem, quam præfert. — *S. Thomas vbi suprà.* — *Anselmus ibi citt.* — Turpitudo sermonis hominem inflammat ad libidinem. — *S. Thom. 2. 2. quæst. 144. art. 2. in cor.*

2. Porrò si susceptus de Mimis, ac Comicis ab altiori principio sermo deriuetur, Scena quidem ob sua apud antiquos olim morum dedecora, rerumquè turpium, quas oculis exhibet, propudia, non nisi malè apud Christianos audire iugiter consueuit, necnon dignissimos Christianæ religionis Proceres, ipsiusquè Euangelij Præcones semper infensos meritò sibi hostes, ac vituperatores perpetuò habuit; E quorum numero Clemens Alexandrinus religionis zelo adductus, scenam non secus ac publicam Orbis luem à Christianorum cœtu proscribens, ac ipsismet insultans Gentilibus: *Deorum* (inquit) *nuptias, & liberorum procreationes, & puerperia, & adulteria, quæ canuntur, & conuiuia, quæ à Comicis recitantur, & risus, qui in potu inducuntur, incitant me, vt vociferer, etiam si velim tacere: O' impietatem, scenam Cœlum fecistis, & Deus vobis factus est actus: & quod sanctum est, Dæmoniorum personis in Comœdia ludificati estis, verum Dei cultum, ac religionem Dæmonum superstitione libidinosè inquinantes*. Quid enim malorũ, ac simul turpitudinis in publicam hominum rem à theatris, velut à publica vitiorum sentina, non sensim deriuat? Pari item Chrysostomus pietatis impulsu Scenam, eiusque cultores carpendo suggillans: *Nunquam* (inquit) *dicere cessabo*; ac eosdem subinde acriùs ad sibi cauendum ab eiusmodi teste auditores obtestans; *Si perseuerauerìtis* (dicit) *acutiore ferro discindam, nec quiescam, quoadusque diabolicum dispergam Theatrũ*. Detriméta quippè haud leuia, mortalibus à theatris plerùmque, tanquam ab ipsa malorum, & turpium officina contingunt.

Scena apud antiquos ob turpia, quæ oculis, & auribus ingerit malè semper oluit. — *Clemens Alexandrin. in exhortat. ad Gentes.* — Comici Deorũ turpitudines propudia in scena inuerecũde hominũ oculis exhibent. — *Chrysostom. hom. de Dauid, & Saul.* — In Mimos Clem. Alexandrinus, & Chrysost. proclamant. — *Chrysostom. hom. 7 in c. 1 Mathæi.*

3. Quis enim vir modo sapiens, viros plerumque theatro intemperantèr addictos, ac scenam plus quàm par est, vsurpantes, pessimè quibusuis oluisse temporibus nescit? certè Nero, qui suam vitijs maximè famam denigrando auxit, scenam in primis histrionis in morem studiosè excoluit, de quo hæc Suetonius: *Recitauit* (ait) *carmina in theatro tanta vniuersorum lætitia, vt ob recitationem supplicatio decreta sit, eaquè pars carminum aureis literis Ioui Capitolino dicata*. Et infra hæc habet: *Non dubitauit* (inquit) *priuatis spectaculis operam inter Scenicos dare; Tragædias quoque cantauit personatus*. Sic publicam Principis infamiam ambitiosi quique auro Dijs oblato non tam abolere, quàm Principis delinire aures, eiusq; sic haud vitia carpere, sed ipsis adblandiri

Nero Imperator scenæ, ac scenicis addictissimus ex Suetonio. — *Suetonius in Nerone c. 10. & 20.*

diri

diti potius palpando gestiebant. Id autem frequēs adeò in more habuit vel obscurus nomine Princeps, vt scenam veluti scelerum palęstram propudiosus obiret, ac se alijs spectaculum risu dignum, vel ridendo præberet; hæc enim Tacitus: *Scenam (ait) inscendit multa cura tentans cytaram, & præmeditans assistentibus familiaribus: accesserat cohors militum, Centuriones, Tribunique, & mœrens Burrhus.* Quod dum emotæ Princeps mentis suis coram militibus, rem vti Principe indignam, dedecoramquè præstaret, cordatus ille, qui ipsum adolescentulum iā probè moribus educandum susceperat, videns, ac seriò turpes, prauosque ipsius mores subodorando agnoscens, non potuit non valdè simul dolens mirari; etsi alioqui, nè ipsius indignationem subiret, in scena vna cum cæteris insanienti adblandiendo plauderet; vt enim moralis ille aptè in rem præsentem edisserit; haud scenam Romanorum Principe, ac ludum eiusmodi dignum reputans: *Burrhus (inquit) marebat tacitus tantam eius Principis insaniam, quem ipse seueritate morum olim aliter instituisset; sed quod Aulicorum ingenium est, infami adulatione propudiosam cantus harmoniam laudabat, & à mœrente pectore assentatorias laudes auellebat.* Enimuerò sciebat probe sensatus vir scenæ, ac Sectatorū ipsius aspectu, nedum infamiam turpitudinis animo ingeri, sed & spectantibus efficaciter suaderi, adeoque, quòd turpissimus Nero, cum ingenti propudio in scena gessit, alter etsi rogatus à Cæsare non absque ingenti mœrore animi in scena dum esset, vel tunc iam senex, famosusque inter Poetas, rem velut sibi, ac ætati incongruam, sano, ac prorsus capite haud dignam, nonnisi tandem inuitus præstitit, his cautè ad excusandum facinus in prologo adhibitis:

> *Ego bis trigenis annis actis sine nota,*
> *Eques Romanus, larè digressus meo,*
> *Domum reuertar Mimus? nimirum hoc die*
> *Vno plus vixi mihi, quam viuendum fuit.*

Hæc ille. *Suggillans videlicet his verbis Cæsarem, qui rem Equiti Romano, & Seni indignam imperasset, cuius non parere votis equè periculosum est, atque mandata spernere, vt prudens ille inter Scriptores subinfert.* Prauas igitur res theatra exhibent, turpesquè spectantium tum auribus, tum oculis, Lactantio proclamante actus ingerunt: *Docent (inquit) adulteria, dū fingunt.* Id planè à sapido rei Præceptore Arnobio mutuatus, qui cunctos histriones execrando: *Histrio (inquit) dum fingit, infligit.* Ad quod item paribus Augustinus verbis alludens, ac latentes Diaboli fraudes oculis reuelans: *Diabolus (inquit) muscipulam spectaculorum proponit, vt capiat, quos amiserat.* Sic planè scenam ille proscribit.

4. Vt noster igitur à theatris ad mimos stylus opportunè recurrat, hos quidem inter ludos, ac sales, Mimicæ quondam artis Professores à Deo repentè afflati, ac omninò à se ipsis immutati in Viros planè alios, spectaculum Deo dignum ad Christum feliciter traducti, ipsiusq; fidē amplexantes exhibuere; adeo vt ipsis illud Apostoli verbum congruat: *Spectaculum facti sumus Mundo, Angelis, & Hominibus;* & mirandum quidem, quod cùm maximè turpiter Christo illuderent, ipsimet Christo Martyres subinde effecti, ludus, ac iocus, immò & triūphus cederent. Nec verò id vni, aut alteri, sed permultis, vt in sacris Martyrum actis videre est, contigit, *Quibus* (vt Tertullianus ait) *ante Cęlum patuit, quàm via.* At verò Baronium hic mira Dei portenta in Genesio sub Diocletiano Imperatore in ipsomet Vrbis, ac Orbis theatro mimum agente, & ad Deum mox traducto, & alijs pariter recensentē audire hic præstat: *Tunc etiam* (inquit) *egregium spectaculum Vrbi prabuit Genesius Mimus, qui in theatro, Imperatore spectante, cum mysterijs Christianorum illuderet, repentè Dei virtute mutatus, seriò agere capit, quod iocis antea actitabat, vsque adeò, vt perfectè factus Christianus, Christumquè alta voce confessus, tormentis exagitatus, consecutus fuerit tandem coronam martyrij. Longè planè felicius iste verum repræsentauit ex ficto, quàm ille miser, qui Aiacis furentis personam agens, tantoperè eo est raptus affectu, vt in insaniam verè fuisse conuersum recitet Lucianus. Quod Genesio accidit, Ardealoni quoque pariter contigisse, eumque mimum ex ioco, factum seriò Christianum, & Martyrem, tam Gracorum, quàm Latinorum tabula testantur, qua eius natalem diem adscriptū habent decimo octauo*

Tacitus lib. 14.

Impudētia ipsius, qui personæ Maiestatem nil veritus publicè Mimū agebat.

Domestici dolentes, dū Princeps nō erubesceret, ipsi, pro eo erubescebāt

Velasquez c.3. in epist. ad Philip. C. annot. 11. n. 3.

Eques Romanus Senex erogatus à Cæsare non nisi se ipsum excusando, & cum rubore in scena mimum agit:

Ludouicus Bussius è Soc Iesu part. 1. cap. 5. n. 70. de māsis defensu.

Lactantius.

Arnobius.

Histriones docent adulteria, dum fingunt, ex Arnobio.

Augustinus lib. 2. de symb. cap. 9.

1. ad Chor. 4. 9.

Mimi in theatris ad Deum conuersi aliquando dignū se Deo, & hominibus spectaculum prębuere,

Tertullian. in apol. Baronius an. 303. n. 118.

Genesius sub Diocletiano mimus dum in scena Christianis illudit, ad Christū conuertitur.

Lucianus lib. de Saltat. prop. fine.

Ardealoni mimo in theatro e Cœlo lumen affulsit.

Kalendas Maij. Est haud longè dissimile illud, quod de Dioscoro Architheatro ad Alypium Augustinus scribit exemplum, qui in deridendis Christianorum rebus esse soleret effusus, effectus & ipse licet sæpè frustra renitens Christianus, sicque planè accidit, quod scriptum est: Dominus illusores deludet. Scena igitur quàm sæpè ipsümet Christum sui derisorem, & serò spectatorem habuit, dum garrientem petulantemq; Mimum ad martyrij coronam in Cœlum vnico interdum actu proueheret, non absque magno Gentilium, qui isthæc inspectabant, ridebantq; propudio, quibus illud iure occineret: *Qui habitat in Cælis irridebit eos, & Dominus subsannabit eos.*

August epist. 67. ad Alypium.

Psal. 2,4.

5. Atqui Dioscorus dignum de se, dum adhuc mimum ageret, Dei virtute mutatus spectaculum præbuit. Et quidem patentibus cum ipso signorum è Cœlo portentis fuit agendum; nam dum desperatam eius filij salutem recuperat, ipse ad Deum mentem, & se ipsum pariter traducens, animæ salutem ex Baptismo retulit; sed ipsius hic Augustini verba excipiamus: *Architheater noster* (inquit) *Dioscorus Christianus fidelis est simul gratiam consequutus; Audi etiam quemadmodum, neque enim ceruicula, vel lingua nisi aliquo prodigio domarentur: filia eius, in qua vnica acquiescebat, ægrotabat, & vsque ad totam desperationem salutis temporalis eodem ipso Patre renunciante peruenit. Dicitur ergò, & constat, cum mihi hoc, et ante fratris Pauli reditum Comes Peregrinus vir laudabilis, et benè Christianus, qui cum eis eodem tempore baptizatus est, indicaret. Dicitur ergo ille senex tandem conuersus ad implorandam Christi misericordiam, voto se obligasse Christianum fore, si filiam saluam videret: Factum est. At ille, quod vouerat, dissimulabat exoluere, sed adhuc manus excelsa. Nam repentina cæcitate suffunditur, statimque venit in mentem, vnde illud esset, exclamauit confitens, atque iterum vouit, se recepto lumine impleturum esse, quod vouerat. Recepit, impleuit, et adhuc manus excelsa. Symbolum non tenuerat, aut fortasse tenere recusauerat, et se non potuisse excusauerat; Deus viderit. Iam tum post festa omnia receptionis suæ in paralysim soluitur, multis, ac penè omnibus membris, ac etiam lingua. Tunc somno admonitus confitetur per Scripturam, ob quod sibi dictum esset accidisse, quod symbolum non reddiderit. Post illam confessionem redduntur officia omnium membrorum, nisi lingua solius: se tamen didicisse symbolum, ideoquè memoria tam tenere, nihilominus in eadem tentatione literis fassus est, sicquè omnis est ab eo deleta nugacitas, quæ (vt scis) multùm decolorabat naturalem quandam eius benignitatem, eumque insultantem Christianis faciebat valdè sacrilegum. Quid dicam, nisi Domino hymnum canamus, et superexaltemus eum in sæcula.* Hæc Augustinus de homine mimicis apprimè artibus dedito, sed signorum potentis ad Pœnitentiam, & Christi fidem mirabilitèr tandem traducto.

Dioscorum quoque Christianorum inter mimos hostis Christo dat nomen.

Augustin. ep 67. ad Alypium.

Dioscori filia salutem corporis, & ipse animæ salutem lucratur.

Vouet se futurum Christianum si filia sanaretur & non adimplens cæcitate percutitur.

Vouet Christi fidem si lumen recipit, & obtinet.

In paralysin membrorum soluitur ipsius etiam lingua, sed tandem adimplens totus & si non lingua sanatur.

Lingua haud sanatus, qua lingua Christianis insultarat.

6. Pœnitentia verò, quæ sibi opportunum vbiquè locum vendicat, & vel vnico hominem contritionis actu quibusuis refertum vitijs in alterum planè hominem immutandi vim habet, certam quoque ad Dei Tribunal indulgentiæ, ac Dei amicitiæ recuperandæ spem vnà simul mortalibus refundit; Enimuerò haud vnus inter mimos, ac scenæ Professores ex historiarum monimentis in præsens testis adest, & ex Sophronio quidem illud est (cuius alibi mentio incidit) de quo isthæc: *Babylas* (inquit) *Tharsi Ciliciæ, mimus professione, et magus, vir flagitiosissimus duas concubinas tenebat: Multa pro Demonis arbitrio, quo vtebatur familiariter, siue cum eo, siue cum alys nefariè transigebat. Ingressus quodam die Ecclesiam, auditoquè Euangelio, quod ad Pœnitentiam hortatur: Pœnitentiam agite, appropinquauit in vos Regnum Cælorum; ità compunctus est, vt rediret domum, et suis concubinis: Quo* (inquit) *amore, quàm æquabili vnamquamquè complexus, sat superquè animaduertistis. Iam mutatus, aliud de rebus meis cogor statuere. Quacumque labore consequutus sum, per me licet (iam Monachus fio) accipite. Illæ oratione huius permotæ responderunt cum lachrymis: & nos in flagitys tibi sociæ fuimus, erimus et pœnitentiæ. Omnibus ergò in pauperes erogatis, incorruptæ deinceps, castæ, sanctæque vixerunt. Hunc Babylam antiquus auctor Ioannes Moschus se vidisse venerabilem, modestum, & clementissimum Virum. Quis hunc hominem flagitiosissimum fuisse dixerit. Hæc certè mutatio dexteræ excelsi: nam meretrices, & latrones multos præcedent in Regnum Cælorum.* Pœnitentiæ igitur dumtaxat nomen

Contritio hominem ex Dei inimico amicum facit, & in alterum plerũque hominẽ immutat.

Sophronius in prato spirituali.

Matth. 4. 1.

Babylas professione mimus, & magus Vir pessimus ad Christum repente traductus fit Monachus.

Duas concubinas secum ad Christũ traducit et pœnitentiæ sociat.

men

men ex Euangelio depromptum, & vnà cum sonitu, tum auribus, tum cordi immissum, repentè hominem in alium, & lupum ferè in agnum diuinitùs conuertit.

7. Verùm vt susceptæ narrationis seriem prosequamur; suos inter scenas quoque, ac mimicas artes Pœnitentia haud semel cultores ingenti planè miraculo adinuenit. Quapropter mira olim senis, & scenici pariter Sacerdotis ad Deum traductio non nisi venerabilium Societatis Iesu Patrum operę, pijsque eorundem exercitationibus tribuenda videtur, vt sic & his verbis ab Orlandino in suis paginis traditur: *Sacerdos (inquit) prætereundus non est, quem hæc cælestis exercitatio vehementer accendit. Is scenica leuitate tota Vrbe notissimus scribebat ingeniosè comædias multitudini mox edendas, non ad eius carpenda vitia, moresquè notandos, sed ad captandos risus, auresquè pascendas, & Sacerdotalis dignitatis oblitus, semet in theatrum sępè dabat mimum agens exhausto pudore, tantò nequior actor, quantò Poeta præstantior. Sed inter exercendum oborta de Cælo luce pudor rediit, & semetipsum erubuit: odioquè sui rationem excogitauit, quemadmodum & ab se superiores castigaret insanias, et offensæ multitudini satisfaceret. Statuit igitur iniecto fune ceruicibus in frequentissimum venire Templum, & inspectante Populo stratus humi delicti veniam suppliciter implorare. Hoc cum Patribus communicato consilio, auctores ei fuere Patres, ne rem aggrederetur inconsulto Vicario: si is annueret, ad ipsos rediret, reportaturus extrema responsi. Non potuit datam à Deo mentem improbare Vicarius, vt quod corruperant exempla nequitiæ, pœnitentia resarcirent. Nec enim leuis est nota Christiani hominis, multoquè turpior Sacerdotis, histrionem si velit agere, cùm tam graui Cyprianus Martyr exagitet oratione Christianum, qui in huius adhuc dedecore permaneat; vt affirmare non dubitet, nec Maiestati diuinę, nec Euangelicę disciplinæ congruere, vt pudor, & honor Ecclesiæ tam turpi, & infami contagione fœdetur. It igitur magno animo redit ad Patres, rem ocyus aggressurus: Patres ad Vrbis concionatorem è Franciscana familia hominem mittunt, vt cùm ille ad Populum verba faceret priusquàm concionem dimitteret, si ità illi visum esset, iuberet Populum expectare tantisper, ac tum demum suggestum petere, & quę ad petendam veniam facerent, & verbis supplicibus, et ardentissimis promeret. Vt in sacro illo suggestu scenicus Sacerdos apparuit, iamque alia in scena alium gestum agebat, suspensa de collo reste, ore exangui, deiectis in terram luminibus, totoque vultu ad modestiam humilitatemquè composito, excussit illicò multitudini lachrymas, qui risus, & cachinnos solebat. Valuitquè noua illa persona non minùs ad sanciendos Christianos mores, quàm paulò ante mimica illa ad deprauandos, multoquè plus vniuersam concionem veri pœnitentis aspectus, quàm prioris concionatoris permouit oratio. Is postea summis è Societate votis, & inflammata voluntate contendit, vt in nouam familiam, cuius essent ad permouenda pectora tam firma præsidia, nomen daret, sed moræ impatiens, longioris quippe deliberationis consilij res erat, ad Capuccinos transiit, vbi reliquam vitam in summa Religione traduxit, multo vtiquè lętior horrido illo, contemptoquè sacco, morte appropinquante, quàm si in molli, & vano perseuerasset ornatu.* Hæc Auctor, dum Sacerdotem mimicum ad Pœnitentiæ luctum è scena feliciter traductum ostendit.

Orlandinus hist. Societ. Iesu lib 2. n.70. 77.

In Mimis quoque et scenicis suā olim Deus virtutem ostendit.

Sacerdos quidam, qui comedias scribēs, egregiè mimum agebat; ad Deum conuertitur.

Comediarum nedum auctor, sed et actor Sacerdotio iniurius erat.

Compunctus publicè in Ecclesia se ipsum accusare decernit.

Scenicus Sacerdos suspensa collo reste apparens, multitudini lacrymas excussit, qui prius risum cōciliabat.

Magis animos mouit veri pœnitentis aspectus, quàm concionatoris oratio.

Ad Cappuccinorum Religionem conuolans lętus è vita migrat.

8. Nulla ergò est hominū conditio, quæ vbi serio ad Pœnitentiam confugit, Dei Regno apta, idoneaq, non sit, & ab æternæ felicitatis sinu, ac Beatorum consortio repulsam aliquando sustineat. Enimuerò vt disertis Hieronymus verbis inculcat: *Non accipit religio nostra personas, nec conditiones hominum, sed mores inspicit.* Pœnitentiæ siquidem virtus sic hominū singulos blandè ad se venientes excipit, vt mox gratos Deo exhibens, Cœlo tandem, & Sanctorum consortio dignos renunciet. Quod sanè Paphnutius, ille olim Monachorum Abbas ab Angelo est edoctus, dum Monachis, qui Deo summa vitæ austeritate inseruiebant, præteritis, Symphoniaco, & ipse par meritis ostēditur; homini scilicet, qui canendi arte scurram quodammodò, ac mimum in scena peragens, non nisi ludicram, contemptibilemque inter homines vitam transigebat; hæc enim auctor in vitis Patrum: *Cum fuisset (inquit) vitę euangelicę quodam tempore, orauit Deum, vt sibi ostenderet, cui Sanctorum similis haberetur. Assistens verò Angelus respondit ei, quòd similis esset Symphoniaco cuidam, qui in vico illo cantandi arte victum quærebat. Tum ille obstu-*

Christiana religio non personas accipit, nec conditiones, sed mores inspicit ex Hieronymo

Hieronym in epist.

In vitis Patrum in gestis S Paphnutij Ab. c.16.

Symphoniacus olim Paphnutio Abbati, Angeli oraculo præfertur.

obstupefactus nouitate responsi, cum omni properatione pergens ad vicum, perquirit hominem. Et cum inuenisset, studiosissimè percontatur ab eo quidnam Sancti, & religiosi operis gestum sit ei, omnesquè actus eius curiosius discutit. At ille respondit, quòd res erat, se esse indignissimum vita peccatorem, atque ante non multùm temporis ex latrone ad istud, quod nunc exercere videretur, fœdum artificium deuolutum, &c. Postquam verò egregium, quod is adhuc latro præstiterat opus, illibatam à se mulierẽ, quæ in ipsius de venerat manus, dimittendo, & mariti insuper debita exoluendo, ipso narrante accepit; arcana Dei admiratus consilia, ac se ipsum magis, magisque deprimens, hæc ait: *Ego(inquit) nihil tale gessi, tamen credo etiam ad te peruenisse, quod celebre Paphnutij nomen inter Monachos habeatur. Fuit enim mihi non mediocris studij, vt vitam meam in eiusmodi excolerem disciplinis: Deus etenim de te mibi reuelauit, quia nihil minus apud Deum meriti habeas, quàm ego. Quià ergo vides frater, te non minimo loco haberi apud Deum, non negligas animam tuam: At ille statim fistulas, quas manu gerebat, abyciens, sequutus est eum ad Eremum, & artem musicam in spiritalem commutans, vitæ, mentisquè harmoniam per integrum triennium arctissima se tradidit abstinentia, in psalmis, & orationibus se ipsum exercens die, noctuquè, atque iter celeste animi virtutibus agens, inter Sanctorum angelicos Choros reddidit spiritum.* Spectaculum planè Deo dignum, abiectissimæ vitæ hominem in sæculo, ipsismet Eremi cultoribus Sanctitate parem adinuenisse.

Abbas hominem adiens, ab eo se indignũ esse præ cunctis & ex latrone feliciter ad Deum traductũ cõperit.

Adhuc latro mulieris illibatam castitatem seruat.

Dum se Symphoniacus de primit, vilemque fatetur, ad Eremum à Paphnutio ducitur, ac meritisclarus in pace tandē quiescit.

9. *Postquàm hunc igitur*(vt historiam prosequamur) *Paphnutius ex omni exercitio virtutum consumatum præmisit ad Dominum, ipse arctioribus semetipsum studijs quàm priùs exercuerat, agens, &c. Iterum Domino supplicabat, vt sibi ostenderet, qui ei similis esset super terram, &c.* Paphnutius verò iterum diuinitus sibi alios, & tum negociatorem, tũ pagi proximi Comitem sibi meritò esse pares edoctus, quò magis se ipsum deijceret, & Christiana humilitate sublimis, abiectoquè mentis fastu, virtutes sui ipsius contemptu magis, magisquè apud Deum in tuto sic repositas cumularet: piè demum, sanctèq; vitam conclusit, vt Auctor in ipsius gestis sic tradit: *Et vnum (inquit) post hæc in corpore adhuc positus diem ducens, cum quidam Presbyteri ad eum visitandum venissent, omnia eis, quæ sibi Dominus Iesus Christus reuelauerat, nota fecit, dicens ad eos: nullum in hoc sæculo despici debere, etiamsi latro sit aliquis, aut in scena positus, etiam si cultum ruris exerceat, & coniugio videatur astrictus; etiamsi negociator dicatur, vt mercimonijs seruiat, cum in omni Ordine humanæ vitæ, aut habitus speciem Deo esse placitam, quantum sinceritatem, atque perfectionem mentis, & operum probitatem: Et cùm similia de singulis quibusque disseruisset, tradidit spiritum.* Ità planè quibusuis hominibus Pœnitentiæ suffultis præsidio promptam, expeditamquè patere in Cœlum viam haud semel diuinitus præostensum est. Sed de his hactenus, dum ad alia stylum conuertimus.

In vit. S. Paphnutij vbi supra.

Paphnutius iterum ab Angelo, sibi cũ Mercatorẽ, tum Comitem, pagi Dominum meritò pares edisci, vt se magis humilitate deprimat.

Nullus in hoc sæculo perditus licet moribus, & sæculo addictus, dè spiciendus est.

CAP. XIV.

Meretrices, ac impudicæ fœminæ Pœnitentiam amplexæ, austeriori se vitæ dedunt.

1 IN fœdis profectò, impudicisquè tum Viris, tum fœminis, si ad Pœnitentię lauacrum festinent, magnum in sacris Diuinarum scripturarum Tabulis absconditum, est adinuenire thesaurũ; Nè quis verò id gratis dictum existimet, vel ipsum Dauidis, quod aliquando admisit, adulterium suo, ac præcipuo haud vacat mysterio, cùm & ipsum Dei Verbum humanæ demum naturæ copulandum, Ambrosio teste designet. In ipso quippe adulterij crimine, culpa simul, ac mysticæ item rei argumentum agnoscitur. *Mysterium*(inquit Ambrosius)*in figura, peccatum in historia, culpa per hominem, Sacramentum per Verbum.* Enimuerò si quis rem seriò expendit, quemadmodũ Dauid alienam in suum thalamũ induxit vxorem, sic suæ alienã pariter naturam sumens Verbum hypostasi iunxit. Quod appositè Augustinus, aptèque in rem præsentem edisserens, Dauidem profectò Christi, qui Ecclesiam inmundam alioqui ex gentibus sibi in sponsam cooptauit, typum gessisse, ac Pœnitentiã insuper vel in diluendis quibusuis culpis

In rebus quibusque vel fœdis, sacræ scripturarum paginæ thesaurũ quærentibus offerunt.

Ambrosius lib. 3. in Lucam.

prę-

prerogatiuam, atque imaginem ad viuũ adumbrasse affirmat: *Ipse Dauid*(inquit) *grauiter, sceleratequè peccauit; veruntamen ille desiderabilis omnibus gentibus adamauit Ecclesiam super tectum se lauantem, ideśt mundantem à sordibus sæculi, & domum luteam spirituali contemplatione transcedentem, atque calcantem.* Ità planè quia mulier se lauit, ingenti planè mysterio impuras quasque animi labes, ac peccatorum sordes ne dum in Ecclesia Pœnitentiæ lacrymis, ac Baptismi Sacramento dilui, sed & aboleri peccata suo velut digito ostẽdit; His verò Gregorius paribus item verbis consonat: *Vria Dauid* (inquit) *uxorem abstulit, sibiquè coniunxit, quia in carne Redemptor apparens legem à Iudaico Populo extraneam demonstrauit.* Post Dauid item Salomon & si carnalibus turpiter delicijs difflueret; Christum tamen & quoquo modo etiã ipse, vt Augustinus docet, errando signabat: *Salomon*(inquit) *per umbram futuri prænuntiabat etiam ipse Christum Dominum nostrum, non exhibebat.* Quasi illud vel tacite innueret quod Salomon Christum præcurrendo, non imitando, eius sub cortice tantum literæ significabat amorem; at mores ad viuum minimè exprimebat, in ipsis dumtaxat amoribus, quod futurum erat aliquando, mortalibus prænunciando. *Nisi fortè quis dicat* (inquit Augustinus) *mulieres alienigenas, quarum amore exarserat, significare Ecclesias electas de gentibus.* Occultiore autẽ Sacramento Diuinus à Christo refundendus honor Ecclesiæ iam tum præsignabatur; Fornicariam quippe, & adulteram insuper fœminam, quæ haud otiosè sacris in paginis recensentur, & quas demum sibi Diuino Propheta imperio copulauit, Synagogam, & Ecclesiam Hieronymus apposité interpretari nil veritus, magnum in Christo, & in Ecclesia Sacramentum venerabundus agnoscit: *Quod adulteræ (inquit) & meretrices synagoga, & Ecclesia dicantur in scripturis, nulla dubitatio est.* A Christo namque omnis auferenda vel tunc ab Ecclesiæ filijs morum, culparumque fęditas, ac per pœnitentiam tã virtutum gratia, quam animæ salus à Christo Domino diuinitus portendebatur. Quin immò & mulier illa, quæ peccatrix, & septem Dœmonijs fœda in Euangelio describitur, & compuncta subinde, ac dolens, copioso ad ipsius pedes lacrymarum imbre madida gratiam recepit; nonnisi Ecclesia, ac gentilium populus salubri pœnitentię lauacro, ac fidei Sacramento innouandus, Hieronymo edisserente monstratur: *Mulier* (inquit) *illa meretrix in Euangelio, quę pedes Iesu lacrymis lauat, crine detergit, & cui peccata omnia dimittuntur, manifestè pingit Ecclesiam de gentibus congregatã.* Nil profectò Vir tãtus isthæc narrãdo veritus innocentissimas Christi Sponsas, seù columbas in turpibus ipsis, sordidisq; Dęmonum cultoribus repræsentare, cunctisque id ipsum summo palam laudum præconio, ac digno meritorum elogio prædicare.

Magnum in ipso Dauidis adulterio, Christi, & Ecclesiæ Sacramentũ ex Augustino.

Augustin. lib. 22. contra Faust. cap. 87.

Gregor. lib. 3. moral. c. 21.

Salomon quoque Christum Dominum prænunciabat, non exhibebat ex Augustino.

Augustin. lib. 17. de Ciuit. Dei c. 8.

Osee, 3. v. 2.

Adultera mulier quã Dei imperio Propheta sibi copulat synagogam, & Ecclesiã designat.

Hieronymus epist. 131. ad Ruffinum.

Luca cap. 7.

Mulier, quæ in Euãgelio peccatrix dicitur, suis haud vacat mysterijs ex Hieronymo.

Hieronym epist. 131. ad Ruffinum.

2. Atquì haud vna, quæ peccatrix in Euangelio describitur mulier, sed plures vberrimis insolitas turpitudinum labes, ac morum fœditatem lacrymis diluendo, à Christo tandem, ijsdemquè planè verbis: *Remittuntur tibi peccata tua*; veniam deniq; culpis amplissimam sunt consequutæ, & quæ immundæ primùm venerant, mundæ omninò ad sua postmodum rediere: adeoquè vna quæque istarum suam lacrymis animæ faciem vbertim rigando diluens, illud Samaritanæ in se ad viuum iterando miraculum oculis contemplandũ exhibuit; *Nouo*(inquit Ambrosius) *admirationis genere, quę peccatrix aduenerat, reuertitur prædicatrix.* Immensam quippe Dei misericordiam, obtenta culparum venia vnaquæque istarum, ac Pœnitentiæ insuper excellentiam prædicat; Haud desperanda enim salus, ac venia, vbi lacrymis causa ad ipsũ Dei, qui misericordiarũ Pater est, Tribunal peroratur, nec vlla mulier quantùmuis immũda à Christi pedibus, ipsiusque consortio repellitur, vbi primò Pœnitentiæ virtus accedentibus patrocinatur. Quin immò Magdalena sui totum animi decorem ex Pœnitentię lacrymis hausit: *Illa*(inquit Chrysostomus) *in Ecclesia meretrix Virgines quoque honestate superauit.* Enimuerò haud Christus momento ploranti fœminæ indulgentiam distulit, sed ream protinus, ac dolentem excipiens, mundam, culpisquè omnibus liberam dimisit: *Vbi vidit*(inquit) *compunctam, iam non repulit quasi publicanam, aut spreuit importunam; sed recepit dolentem, & amplectitur pœnitentem*

Lucę cap. 7.

Samaritanæ miraculum Christi ope ra exhibitũ, non nullis quoq; interdum diuinitus affulsit.

Ambrosius serm. 30.

Meretrix Christi virtute, ac ope à culpis, expiata, virgines honestate superauit ex Chrysostomo.

Chrysost. hom. 6. in Math.

Christus vbi Magdalenam vidit compunctã, recipit dolentem, amplectitur pęnitentem.

B. Lauren. Iustinian. hom. 1 de pœnitentia.

Matth. c. 25. 31.

tentem. Vbi igitur animæ apud Deum gemitibus negotium agitur, indulgentiæ in promptu donum est. Beneficij autem Christus celerem Iudæis gratiam ob sanctioris vitæ normam sibi adblandientibus inter exaggerandum inculcans: *Quia Publicani* (inquit) *& meretrices præcedent vos in Regnum Dei.* Enimuerò non nullæ tam seriò, adeoque ex corde meretrices vel serò suas dolendo, ac pœnitendo culpas fleuisse leguntur; vt mox omnem abolendo reatum, inferi Cœlo meruerint: aliæ verò tot se cruciatibus mulctarunt, vt anteactas vitæ culpas pœnis compensando Pœnitentium magno cunctis nedum exẽplo, sed & portento extiterint.

3. Vt narrandi autem ab ea, quæ cunctarũ Princeps mulierũ Pœnitentium fuit, initium faciamus; Magdalena primùm absolutissimæ ad Deum conuersionis se ipsa argumentum præbens, compendiariam cunctis Deum placandi, ac promerendi viam ostendit: toto etenim mox corde compuncta, ac pœnitentiæ typum exhibens, Dei quoque immensæ ergà se, ac peccatores indulgentiæ quibusuis liberalitatem ostendit. Hanc quippe Euangelista opportunè irruisse conuiuio tradit, & Christi abluendo pedes, suisque item crinibus extergẽdo, quibus vel post culpas à peccatoribus Dei pietas pœnitendo obsequijs sit obtinenda, designans: *Lacrymis* (inquit) *cœpit rigare pedes, & capillis suis tergebat, & osculabatur pedes eius.* Quod aptè eleganterquè suo ex more doctissimus inter modernos hũc in modũ peccatricẽ inducens fœminã viuis verborũ in conuiuij tabula coloribus expressit.

Peccatrix in Euangelio pœnitẽtium in Ecclesia Princeps, & Dux.

Luca cap. 7.

Assueta insidiari hominibus fœmina,
Insidias nectit & Deo;
Ne sedentis iudicia toleret,
Occupat recumbentem,
Et eiusmodi violentiæ auidum
Capillis irretiens, &c.

Aloysius Iuglaris in suis elog. sacr.

Posthæc verò non iam peccatricis, sed verè pœnitentis fœminę ad viuũ pariter adumbrans imaginem, ac toto Deum corde diligentis, tum pœnitendo, tum amando formam, eiusque portenta suo idem veuerabundus stylo sic cunctis ob oculos contemplanda proponit; hæc enim ille:

Quæ blanditijs insidias hominibus parabat, lacrymis Deo nectit.

Quæ diù malè ambulauerat,
Vestigia rectà doceri

Aloysius Inglaris elog. de S. Maria Magdal.

Sanctis quærit à pedibus;
Silentio explicans plura,
Quàm voce potuisset.
Fletus, & oscula
Fidos affectus sui habet interpretes;
Amores Magdalena non exuit,
Sed mutauit.
Seù de virginibus vna non esset,
Sumpsit tamen oleum secum,
Et ne excludi posset à nuptijs,
Se se Sponsi pedibus alligauit, &c.

Ad Christi pedes mystice conuolat, vt rectè posthac ambulet, & amores non iã exuit, sed immutat.

Benigno demum Christi iudicio, quam Pharisęus pridem à Cœlo proscribendo damnauerat; absolutã, ac exoptato à Christi pedibus lucro diuitem, cum gratiæ thesauro redeuntem videamus:

Cur Magdalena cum vngue nto ad Christi recumbentis pedem confligit.

In pace dimittitur,
Quę se ipsa triumphata
Iam non haberet hostem, quem vinceret.

Iuglaris vbi supra.

Pretiosa siquidem, ac salubris vnius Magdalenæ pœnitentia, quæ quanti ad promerendam Dei gratiam, lachrymæ, & cordis simul compunctio, ipsaque amoris vis valeat, vel suo mortales pœnitendi magisterio docet, indultaquè illi peccatorum veniam, immensam simul Dei largitatem commendat: *Remittuntur ei* (inquit) *peccata multa, quoniam dilexit multùm.* Christus namquè impuræ olim fœminæ ipsũ quærenti, & vt adinueniret, ad pœnitentiæ asylum imploranti, omne gratis debitum relaxat, vt idem, qui planè suprà, sic ostendit:

In pace post sui victoriam à Christo dimittitur.

Luca cap. 7.

Cœlestis Creditor
Totum debitum charitate compensat,
Et ad incrementa fœnoris,
Amoris solius exigit, & requirit vsuram.

Aloysius Iuglaris vbi supra.

Hanc quippe & iustam Dominus in ipsam tulit sententiam: *Dimittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm;* adeoque, & mulier flendo, ac amando pœnitens, & Christus pariter trhaendo, ac dimittendo verè misericors, ac benignus ostenditur.

Diligendo mulier, totumDeo debitum Charitate compensat.

Luca c. 7.

4. Peccatrix igitur, ac famosa in Vrbe mulier (cuius mentio hic est) in sacris Euangelij tabulis illis planè verbis, de facie agnoscitur: *Et ecce mulier, quæ erat in Ciuitate peccatrix, vt cognouit, quòd Iesus accubuisset in domo Simonis Leprosi, attulit alabastrum vnguenti, & stans retrò secus pedes Domini, lachrymis cœpit rigare pedes eius.* Quibus profectò egregiè vnius mulieris pœnitentia, ad viuum in tabula

Luca c. 7.

Suo Lucas mulierem peccantem, sed postea pœnitentẽ penicillo adumbrat.

tabula Lucæ ipsius pennicillo contemplanda exhibetur. Postquam enim peccauit, sic pœnitendo, sic dolēdo profecit, vt iam pœnitentium exemplar, quàm cunctarum item mulierum dux diligendo salubritèr fieret. Hoc quippe vno Christi ipsius ore apprimè commendari meruit: *Remittuntur illi* (inquit) *peccata multa, quoniam dilexit multùm*. Quæ multùm igitur illicita ante amando peccauit, multùm item postea amare flendo pœnituit; adeò vt quantum ipsa pœnitendo creuerit, iuges ipsius lachrymæ, & mirus, qui cordi inhæsit Diuinæ charitatis feruor ostenderit. Enimuerò mox tota in alteram diuinitùs immutata; *Quod sibi* (inquit Gregorius) *turpiter exhibuerat, iam Deo laudabilitèr offerebat. Quot in se habuit oblectamenta, tot de se reperit holocausta. Conuertit ad numerum virtutum numerum criminum, vt totum seruiret Deo in pœnitentia, quidquid ex se Deum contempsit in culpa*. Cuius item egregias suo Cyprianus elegantèr stylo laudes prosequitur, dum seipsam in alteram subita amoris vi conuertisse fœminam, prauisque exutam moribus, cœlestes induisse virtutes, donisquè supernis auctam testatur: *Nihil* (inquit) *de se retinens, totum se tibi deuouit*. Pœnitentiæ itaque sic post acceptam culparum indulgentiam operibus inhæsit, vt vel post totum dimissum gratis sibi à Christo debitum; semper Augustino teste, doleret, ac ingemisceret iugiter: *Peccatrix* (inquit) *illa Maria non solùm in domo Simonis, sed etiam post aduentum Spiritus Sancti semper dolebat, semper peccata, quę commiserat, flebat*. Paucis item Gregorius verbis præcellētem mulieris pœnitendo simul, ac diligendo modum demiratus: *Quæ frigida* (inquit) *peccando remanserat, postmodum amando fortitèr ardebat*. Cuncta quippe ipsius gesta si quis recolat, nescire modum visa sunt.

Lucæ c. 7.

Quæ multū peccauit, multum quo que dilexit & diligendo fecit Deo satis.

Gregorius hom. 33. in Euang.

Subita, & totalis peccatricis fœminæ immutatio ex Cypriano.

Cyprianus hom. de ablut pedum.

Augustinus in serm. ad fratr. in Eremo.

Quæ modū peccando excessit, amando quoque modum nescisse videtur.

5. Porrò auditis mulier Christi Domini verbis, eiusquè vi per aurem cordi diuinitùs illapsa, subitò ad Deum conuersa, dignam, ne dum sibi pœnitendi formam indixit, sed & subindè alijs æmulandam proposuit; instructa quippè sæculi nugis, ac ornamentorum pompis onusta, vel dum aliorum pedibus retia intentat, diuinis Christi interceptà colloquijs, ad ipsius pedes festina suam perorando causam, ac spe veniæ suffulta currit. Quod suis egregiè D. Antoninus verbis aliquando complexus: *Vnde fuerit* (inquit) *inducta ad pœnitentiam, quamuis ex Euangelio non habeatur; potest tamen piè credi, quòd ex auditu prædicationis Christi: nam cum multitudo maxima ad prædicationes eius concurreret ex omni genere hominum etiam iuuenum, Maria, quæ erat pulchra, vana, & curiosa, appetens videri, & amari à mundanis, ibat ad loca, vbi erat concursus hominum, vt videretur; pergens ergò ad prædicationem Christi, cùm Iesus eam videret, & conuersionem eius præsciret, cœpit loqui contra vanitates Mundi, & de pœnis sequendis: Inde Maria compūcta*. Adeoquè dum ad prædandos Magdalena ambitiosa homines festinat, nobilis & ipsa Deo præda extitit: Is verò, ac tantus, vel in hac vna pœnitentiæ, & amoris ardor effulsit; vt vel post acceptam ab ipsius Christi ore culparum indulgentiam, triginta tamen annos in spelunca visu horrida, ac asperrima apud Massiliam pœnitendo, intimū vniuerso Orbi cordis dolorem, & Pœnitentiæ vnà simul feruorem testatum proculdubio reliquerit. Enimuerò postquam vnà cum fratre, sorore, & Marcella pedissequa, ac Maximino itē ex septuaginta Christi Domini Discipulis, nauigio à Iudęis ad certum naufragrandi periculum inuecta; salua Massiliam appulit, se totam pœnitentiæ deuouit, vt in Breuiarij Romani tabulis sic traditur: *Magdalena assueta orationi, & pedibus Domini, vt optima parte contemplandæ cœlestis beatitudinis, quam elegerat, frueretur, in vastam altissimi montis speluncam se contulit, vbi triginta annos vixit ab omni hominum consuetudine disiuncta, quotidiequè per id tempus ad audiendas Cœlestium laudes in altum ab Angelis elata*. In spelunca itaque pedem figens, vt Christo magis placeret; non nisi pro gemmis lachrymas, pœnas pro delicijs, & iugem pro risu, ac ludo fletum habuit: Sic enim perhorridam Massiliensis speluncę faciem, dū cœlestis fœmina terrenorū pertæsa illuc subintrat, Martha Marchina Virgo Parthenopensis, in nostris alibi paginis prælaudata, suis ante, eleganterquè carminibus ob oculos contemplandam proponit.

Gregorius hom. 25. in Euang.

S. Antoninus ter. in lucæ c. 7.

Magdalena dum curiose ad sermones Christi audiendos properat, ipsum contra vanitates loquētem, & pœnas exponētem audiens conuertitur.

Magdalena compuncta, sic doluit, sic pœnituit, vt nō prius dolor quàm vita finierit.

In lect. Breuiarij Rom. die 22. Iulij.

Massiliæ speluncam horridam ad pœnitendū subintrat.

Martha Marchina epigr. in laudem S. Mariæ Magdalenæ.

Horrida saxa vides, pendentia tecta ferarum,
Antraquè cernino vix adeunda pede.
Hic ego præruptas inter mea crimina rupes
Flebo: delicijs hęc domus apta meis.
Pectoris ad gemitus nostri, cytharamquè doloris,
Aligerum cœtus concinet ore melos.
Mors tua, Christe, mihi, & pœnarum sola voluptas
Pellendæ fuerit dulcior esca fami.
Vnda deest (inquit) labris arentibus, humor,
Qui fluit ex oculis, pellet ab ore sitim.
Hic deerit florum terrę decus, arida quamuis.
Florebit lacrymis terra rigata meis.
Horrida sint alys nemorum penetralia, tales
Hæc mihi perpetuò dent loca delicias.

Locus Magdalenæ lacrymis, ac pœnitentia sacer suauisque licet aspectu horridus eleganter a Martha Marchina metricè descriptus.

His quidem Beata mulier, quæ peccatrix olim nunc vero pœnitendi amore succensa, hic totam se longo annorum decursu pœnis saginando, Diuinis cumulandam virtutibus, Deo obtulit: cuius & si alibi mentio; hic quoq; opportunè meminisse voluimus.

6. Et sanè meretrices, quæ pio huius exemplo edoctæ, ac pœnitentiæ cultui salubriter addictæ, omnem à se culparum labem flendo abstergere didicerunt, Cœlo tādem inter pretiosas margaritas Magdalenæ iunctæ consortio inseri meruere, adeò vt ipsis Euāgelicū illud meritò Christi oraculū occineret: *Amen dico vobis, quia Pubicani, & Meretrices præcedent vos in Regnum Dei*. Pœnitentium etenim lachrymæ, omnem culparum quantumuis grauium labem diluunt, & quam anima peccando contraxerat, inuisam Deo turpitudinem dicto citiùs abolent. Sed ne nostra longiùs aberret oratio, mulier Antiochena, quæ omnem procul à se pudorem abiecerat, & quæstui corpus, ac voluptati formam, animamquè & corpus luxuriæ paritèr captiuando, perdire vixerat; vbi ex corde compuncta ad pœnitentiæ lauacrum properat, dignum se Deo spectaculum, necnon peccatoribus simul sui pœnitendo exemplum præbens, fœliciter è vita tandem migrauit in Cœlum. At hic Chrysostomum sua isthæc ætate Antiochiæ, & dum adhuc adolescentior

Peccatrices lacrymis suas probe culpas diluere Magdalenæ exemplo addiscunt.

Matt. 21. 31.

Baronius an. 370. n. 103.

esset sub ipsius oculis gesta narrantem audiamus. *At non audistis (inquit) quomodò illa meretrix, quæ omnes impudicitia superauit, vniuersos rursus continentia, & virtute à tergo reliquit? non dico illam, de qua in Euangelio scribitur; sed hanc, quæ nostra memoria ex Phœnice omnium Ciuitatum antiquissima fuit. Hæc enim pueris nobis apud nos erat, & cùm prima in theatro esset, nomen eius vbique ferebatur, non in Vrbe nostra solummodò, sed ad Cilicas vsque Cappadocas. Hæc multorum Patrimonia exhausit, hæc multos parentum orbos tenebat, hæc maleficis quoque vti artibus dicebatur, quasi non eleganti corporis forma solùm; verùm etiam magicis cantibus, & herbis retia tenderet. Hæc Reginæ quoque fratrem attraxit, tanta libidinis tyrannide pollebat.* His ille verbis prophanam fœminam, scortumquè impudentissimum malis quibusque ad suas explendas libidines artibus instructam, intuentium oculis contemplādam proponit; sed hanc ad Christum mira postmodum Dei virtute traductam, subitaquè vnà simul vitæ, ac morum nouitate mutatam his planè verbis inculcat.

7. *Sed subitò* (ait) *nescio quare, immò verè certissimè scio: voluntate namquè commutata, & Dei gratia hoc modo impetrata, omnia illa spreuit, & calcauit: ità Diaboli officina proiecta, facilè ad Cœlum ascendit: & quamuis nihil erat ea petulantius, dum in scena versaretur, postea tamen continentiæ magnitudine multas antecelluit. Cilicium enim induta per totam reliquam vitam hoc se pacto exercebat. Huius gratia, & Præfectus à Scenicis perturbatus, armatos milites misit, qui non potuerunt eam rapere, nec à numero Virginum, quæ ipsam receperunt, abducere. Hæc cum ineffabili Sacramento communicasset, & condignè suscepta gratia vixisset, vniuersis per gratiam maculis detersis, naturæ demum concessit. Mirabilem enim Philosophiam post Baptismum ostendit, nec vnquam amantibus antea, eamquè sequentibus, ac diligenter quærentibus visa est: sed postea quàm semel se ipsam inclusit, multos annos quasi vincta in carceribus peregit.* Hæc ille, quibus fœminam Dei aspirāte gratia toto corde compunctam, & ad Christi fidem diuinitùs traductam, vbi salutaribus aquis abluta est, eum in modum in alteram planè fœminam

Antiochena mulier in ciuitate peccatrix, ac dignum quoq; pœnitentiæ exemplar et Chrysostomo.

Chrysost. hom. 68. in Matt.

Prima hæc in theatro, & apud omnes famosa.

Forma, & magicis artibus sibi apud homines gratiam conciliabat.

Chrysost. hom. 68. in Matt.

Subitò ad Deum conuersa cilicii pro delicijs habuit, & sui odium pro vesanis amoribus dilexit.

Monasterio inclusa quasi vincta ob Christi amorem sponte vixit in carcere.

minam

minam mutatis moribus conuersam videre est, vt Monasterio inclusa, ac sæculo prorsus posthac ignota, dũ Pœnitẽtiæ operibus intendit pro auro, & purpura sacci, pro sericis, mollibusquè indumentis cilicium continuò induerit; quin pro vnguentis lachrymas, pro stibio, ac cerussa ipsum conscientiæ ruborẽ, necnon pallorem vnà simul ipsamet facie præferret: nec his contenta pro turpiloquio, obscenisquè cantiunculis, quibus blandiendo adolescentibus occinere consueuerat, post lapsum, suspiria, & querulas ad Deum voces contrito iugiter ex corde eructans, non iam intuentibus lupam; sed innocuam inter Christi ouiculas agnam, siue potius columbam mortaliũ oculis exhiberet. Fœminæ igitur post culparum noxas anteactæ vitæ Pœnitentiæ lachrymis expiatę, ac vitę pariter felix subindè finis contigit; nam post obtentam à Deo tot lachrymis, assiduisquè suspirijs indulgentiam, læta demum ad præmia in Cœlum auolauit.

Meretrices oblato inter dũ auri pretio ad Christum traductæ.

8. Meretrices verò (vt noster ad ipsas sermo nunc redeat) multimodis Deus ad pœnitentiã miserando perduxit: piorũ videlicet Virorum, qui ipsas vtpotè Diaboli mancipia oblato vltro ad resipiscendum auri pretio allicerent, interdum opera vsus; quo quidẽ à Vitali Monacho quàm plures è lupanari ad Christum, & pœnitentiam traductas his Marulus verbis tradit: *Vitalis* (inquit) *Monachi in Vrbe Alexādria mira admodum charitatis opera extitere. Post ribula adibat fœminarum, & cum ea, quæ impudentiore lasciuia diffluere videbatur, noctem pactus, pretium offerebat. Admissus autem in fornicis angulo, procumbens deprecando peruigilabat, donec illucesceret dies. Factum admirans mulier cogebatur interim intra se cogitare, non iam quantum lucrifecisset, sed quantum turpiter viuendo Deum offendisset. Itaque multæ ab eo hoc modo conuersæ vitam correxere. Ipse verò peruersa hominum opinione iactatus, quoniam circa lupanaria frequens erat, palamquè reprehensus, patienter tolerabat: cum plus vtilitatis ex correctione alieni delicti caperet, quàm ex sua infamia damni.* Hæc ille. Quo sanè pio charitatis officio, pariter, ac exẽplo Vir Deo animas lucrandi cupidus obscænas quamplures fœminas è carnis volutabro ad pudicitiæ, ac salutis portum, Deo afflatus perduxit, ac solis interim charitate contentus, auri lucro impuris, auarisquè fœminis, ne Deum offenderent, pro mercede dimisso, earundem animas auro pretiosiores lucrari corde gestiebat.

Ex Theatro vit. humanæ pag. 2153.

Marulus lib. 3. cap. 2. apud Ottonellium, tom. 2.

Vitalis Monachus Dei charitate per mortus impudẽtiores meretrices in lupanari dato pretio, ne peccẽt, Christo lucratur.

Ipse ex lucro animarum famæ apud homines dispendium patienter sustinet.

9. Præferuido item meretricularum animas lucrandi zelo percitus olim Salamãticę Antonius Madridius dignus plane, ac venerabilis Soc. Iesu Sacerdos, & Diuini verbi eximius præco, in diebus Bacchanalium ludo dicatis, ipsa impudicitiæ castra haud alijs armis, quàm Diuini verbi virtute aggredi, atque oppugnare proposuit; adeoque fidis pijsq; iunctis sibi socijs, ac rei testibus fidelissimis Lupanar oppugnaturus ingreditur, vbi cùm Lupæ suis è caueis ad audiendum accessissent: sed aliæ risu, per iocum aliæ rem ludicrè agerent, vbi in eas Vir Dei acriùs inuehi cœpit, singultus verbis, ac suspirijs lacrymas adijciens; compunctæ, mox fœminæ nec Deo resistere ampliùs valentes ad pœnitentiam cucurrerunt, quę tuto subinde loco piorum hominum opera repositæ, ab ipsius auerni præreptæ faucibus se in Dei manus ob lucrandam animæ salutem dedere. Sed Bencius rem his verbis prolixiùs tradit: *Orlandinus* (ait) *quid idem Madridius ergà mulieres, quas Christo lucratus fuerat, charitate apud Granatam præstiterit sic narrat: Hic* (inquit) *Antonius Madridius etiamnum tyro, cùm catechismũ explicaret, ea loquebatur vi, ipsas vulgò, vt ferrent, columnas ad eius verba concuti, ac contremiscere. Cùm aliquando mulieres ab impudicitia conuersas, rerum laborantes inopia, auditorum beneficentiæ commendaret, continuò viri ad quadraginta, inter se Societatem caiere, vt in Orbem ei gynæceo diebus singulis singuli alimenta suggererent.* Sic Vir Dei, quas Diuini primũ verbi pabulo refecit, nunc ne opportuna ipsis alimenta deessent, abundè panem ipsis porrigendum curauit.

Anton. Madridius è Societ. Iesu impuras fœminas Dei verbo, ac Deo præfisus aggreditur.

Bencius lib. 2. hist. Soc. Iesu n. 144. Orlandin an. 1556 num. 57.

Verbo Dei lasciuientes, & contemnentes expugnat, & pane itẽ à pijs viris prouidẽ alendas curat.

10. Et mira quidem in hoc Christianorum charitas, & quibusuis temporibus feruor planè admiratione dignus extitit. Anno quippe Christi M. C. XCVIII. Innocentio huius nominis III. Romano Põtifice, Fulco eximiæ Sacerdos pietatis ad insectandos, reducendosquè in Galliarum partibus hæreticos ab eo directus; Diuino planè zelo succensus, Populos è vitiorum cœno abduxit, & quàmplures item è lupanaribus fœminas ad Christum, & ex libidi-

Rainald an. 1198. n. 38.

Fulco Sacerdos, valdè pius sub Innocẽtio III. quamplures è lupanari fœminas ad Deum traducit.

bidinum cœno ad pudicitiæ claustra, & ad puram videlicet, religiosamquè vitam, pijs tum monitis, tum etiam miraculorum signis adduxit, de quo isthæc Rogerius: *Eodem* (inquit) *anno erat in Gallia quidam Sacerdos nomine Fulco, quem magnificauit Dominus in conspectu Regum, deditquè ei potestatem cæcos illuminare, claudos, mutos, & alios diuersis languoribus oppressos curare; Dæmones effugare; hic autem Meretrices relicto impudicitiæ fræno ad Dominum conuertit.* Eadem planè de Fulconis opera editis à Deo miraculis, pijsquè eius operibus Rigordus, & Iordanus, qui plures aiunt ex ijs, impuris vtpotè mulierculis, quæ in lupanari velut Diaboli mancipia, ne ad puram venirent vitæ lucem, latebant, Fulconis opera ad laudabilem connubialis vitæ continentiam reuocatas, alias verò, quæ coniugium respuendo, soli Deo vacare cupiebant, assumpto regularis Obseruantiæ habitu, in noua S. Antonij Abbatia, quæ ipsarum causa tunc temporis cõdita est, collocatas fuisse, alias demùm varijs peregrinationum, & laborum incommodis nudis incedendo pedibus, se excruciasse, quæ quidẽ à Iordano, dum de rebus huius anni agit, disertè affirmantur. Enimuerò execrãda meretricũ libertas, ac impudicitia nedum in Gallia, sed & in reliquo item Christiano orbe laxatis vbiquè tunc maximè habenis inualescebat. Quapropter Innocentius earundem turpitudinem ęgrè ferẽs, atque exhorrens; earũdemque licentiam, & ad pœnitentiam redire cupiens, perditas illas (vt Rainaldus ait) *mulieres, quæ pudicitiam obuijs quibusque, & animas Dæmonibus prostituebant, miseratione ductus, & è cœno faciliùs abducendas ratus, si viros, qui eas ducerent nancisceretur, infamiam, quæ in iungendis sibi Matrimonio eiusmodi fœminis vigebat, amouere conatus est, atque indulgentiarum thesauros ijs proposuit, qui ex Christiana pietate huiusmodi meretriculas vxores ducerent, quo maritali fræno coercita à scelere impudicitiæ sibi temperarent.* Sic planè quamplures infamium meretricularum animas ad Christum ex libidinum sordibus adducendo, magno id Christianis, sapientissimus Pontifex meritorum lucro adscribendum putabat.

Roger. histor. Anglic.

Signis à Deo illustratur.

Mulieres impudicas, sed iam pœnitẽtes, alias cõnubio, alias claustro, ne post hac peccent, dicandas vult.

Rigordus. & Iordan. in supracit.

Innocentius epist. 102. & habetur inter opera de spõsal. & Matr.

Innocentius oblatis indulgentiarũ thesauris viros ad nubẽdum cũ meretricibus allicit.

11. Verùm vt recentioris item hîc memoriæ gesta narrentur, prophana mulier, quę publicum in Vrbe meretricium exercebat; sed quia sanctam Sabbati diem habens, hanc maximè colendam, & in Deiparæ honorẽ à peccando in primis abstinendum sibi ipsa omnimodis die proposuit, eiusdem Virginis ope à perdiræ vitæ barathro subinde emergẽs, austerioris se obseruantiæ Claustro, pœnitentiæ causa deuouens, pœnitens tandem feliciter è vita decessit, vt Augustinus Mannus his verbis tradit: *Quædam* (inquit) *mulier satis formosa vitam meretriciam in Vrbe viuebat, quæ cum singulis diebus peccare non vereretur; Sabbati tamen diem propter B. Virginis amorem nunquam se violaturam fornicando proposuerat, quod cum diu inuiolabiliter obseruasset, & multis procaciter sollicitantibus semper constantiùs restitisset: B. Virgo misericordiæ Mater, inter media mulieris peccata, illius qualemcunque animi deuotionem non contempsit; sed illi odium peccandi à Deo impetrauit. Vnde mulier, vt nec Sabbato, nec aliquo die peccare posset, Monasterium Conuersarum meretricum ingredi deliberauit; & cùm dotem, quæ Monasterio dari ab ingredientibus consueuerat, non haberet, ingressum retardabat; Interim ingreditur ad eam Vir natione Anglus, qui cum illam rogaret, vt libidini eius obsequeretur, & esset Sabbati dies; negauit illa, se vnquam die illa peccaturam, immò se, vt nullo tempore Deum offenderet, constituisse religiosam vitam in Monasterio Conuersarum acturam, sed plurimum tristari, id se quàm primùm facere non posse, cum satis dotis non haberet. Quod cùm ille audisset, quanquam libidine feruens, pietate motus, mulieris animum laudans, spopondit sese, quidquid ei deesset, libenter daturum, si propositum adimplere vellet. Accepit illa viri fidem, & obtinens ab eo aureos, quotquot habebat necessarios, Religionis habitum, & professionem suscepit Anno 1601. in mense Iunij.* Sic peccatrix Deiparæ Virginis ope, religiosæ vitæ, atq; austeram pœnitentiæ normã amplexa, viriliterque in arrepto mentis proposito (postquam è cœno emersit) permanens, in sanguine Agni dealbata, Cœlum lucrata est.

Meretrix Deiparæ obsequio addicta pœnitentiam, ac salutem ipsius ope assequitur.

August. Mãnus select. histor cap. 38. pag. 117.

Peccatrix die sabbati omnimodis à peccato sibi abstinendum statuit.

Ab impuro homine die Sabbati ad peccandum sollicitata, propositi memor respuit: Alter verò eiusmodi demirando, pro Monasterij ingressu pecuniam tradit.

12. Ingens quoque post impuras libidinum faces, post Veneres, Cupidinesquè de se Christiano Orbi Pœnitentiæ exemplum Catharina de Vanninis exhibuit, dum æquè postea in ipsius pœnitentię obsequium, ac pridem in impudicitiæ cul-

Cathatina de Vanninis ad Deum cõuersa pœnitentiæ late de affulget.

Ex fastis Senensibus pag. 173. ex Vita ipsius à Federico Card. Borromeo descripta.

cultum, amoremque Deo aspirante exarsit. Cuius historiam vitijs pariter, ac virtutibus claram, sed pœnitentiæ subinde meritis apprimè illustrem ex Senensibus fastis exceptam hîc repetere operæ pretium duximus: *Dum choreæ* (inquit Auctor) *nescio cuius illecebris capta, nequissimè saltationi dat operam, primò ad labendum inducitur, mox domo per honestatis iacturam infeliciter locupletata, luxu, delicijsquè cœpit diffluere, & fieri manibus suis hydra formarum per plura blandè nocendi capita, alienos*

Saltando, miserè amoribus capta corruit.

oculos vehementer inficiens. Et iam Senarum, mox etiam Romæ (quò promissis ingentibus illecta se contulit) pudor enaserat, alieniquè pudoris ipsa pernicies; adeo vt sanctissimi nominis Tertius decimus Gregorius, ne flamma latiùs vel in Potentiorum ædes excurreret, iusserit primò quidem in custodiam tradi Catharinam, Vrbe postmodum, ac ditione proscribi. Hac publici dedecoris nota, & valetudinis è carceris intemperie contractæ stimulis facilè excita, generosa alioqui puellæ indoles fidem denique habuit veteri dicto: nimiam pulchritudinem nimiam esse miseriam; & nobilem illicò pœnitentiam, ardens clariùs, quàm ille olim, ostendit animum suum in nequitia peregrinatum esse, non habitasse. Et verò intermortuo quanquam fomite, seruauerat tamen pectore assiduè quosdam veteris pietatis igniculos, quos subitas excitarunt in flammas radij è Diuæ Mariæ Magdalenæ icone prodire visi, in quam aliquando non sine teneriori quodam sensu oculos Catharina defixerat. Sed benignissima tunc verè, luce intimam Catharinę mentem Magdalena peruasit, cùm illa Senas reuersa, in S. Augustini audiens Religiosum Oratorem de eiusdem Diuæ ad saniorem mentem reductione verba facientem, Oborto repentè lacrymarum imbre, crebris, altisque suspirijs, interruptisquè singultibus, altera planè Magdalena amarum cordis dolorem demiranti Populo prodidit. Nec mora, vestigia fletibus signans, & vias, quas oculorum flammis incenderat, vndis prioribus eluens, vix domum regressa est; cùm furys, sed cælestibus acta, pretiosas discerptas vestes, attrita cum gemmatis monilibus lenocinia capitis omnia, ipsosquè laceros crines, amores illos suos, & amantium laqueos, ad Christi è Cruce pendentis pedes abiecit, debellati Cupidinis Cælo gratissimas exuuias. Parum tamen rata mari doloris, duo tantùm ex oculis flumi-

Senis & Romæ scandalum cunctis effecta exilij pœna mulctatur.

Oculos in icone Beatæ Mariæ Magdalenæ figens, radios inde micantes cōspicit.

Seruum Dei de B. Mariæ Magdalenæ pœnitentia perorantem audiens, in lachrymas, & singultus compuncta soluitur.

na tributaria excurrere, aureis torquibus delicatos artus torquere aggrediens, auroquè triumphantem superbiam auro premente triumphans, sanguine è venis omnibus defluo errores suos defleuit acerbiùs, &c. asperioris vitæ rationem hanc exinde suscepit, atque inuiolabilem seruauit, quò ad intrà claustra Pœnitentium Sanctimonialium se se recepit, per integrum nempe decennium. Quibus omnibus malè partis in pauperes optimè collocatis, talarem induit è sacco tunicam, quam ad latera fune constrinxit, ter in hebdomada cibario tantùm, eoquè modico pane, ac frigida famem sollicitans veriùs, quàm sedans, flagris per horam cruentabatur; & se se non iam molliter infringebat, pedibus incedebat assiduè nudis: dum lectulo incubauit, interpositis sarmentis, vel rudibus lignorum segminibus somnum excruciare in more habuit, &c. His afflictationibus voluptates, quibus interdum indulserat, toto corpore perenniter vindicans; & hinc maximè dolens, quòd maximè non doleret, tam bene de se probauit Pœnitentium Duci Magdalenæ &c. His quidem præferuida inter pœnitentes mulier se ipsâ in virtutum stadio exercens, culpisque dignissimè expiatis, sanctitatis quoque lauream attigit, & signorum insuper portentis clara quanti apud Deum pretij pœnitentia sit, satis, superquè mortalibus ostendit. Cuius gesta Federicus Cardinalis Borromæus Mediolanensis dignę me: Archiepiscopus, qui eius conscientię moderator aliquandiù fuerat, eiusquè præsentem sibi è Cœlo inter periclitandum opem expertus, suo ad posteros rem stylo conscriptā in sinum immortalitatis transmisit. Inter quę id mirum, eiusq; tumulo sepulchralis instar tituli, meritò insculpendum traditur: *Quoties* (ait Auctor) *alicui è pœnitentibus Senarum Sanctimonialium fatū ineuitabile imminet, sonoro strepitu suum pulsat Catharina sarcophagum, quasi illis, quæ coluere mortuam viuentes, morientibus grata iterum viuat.* Et hæc vel obiter narrasse voluimus.

Domum reuersa Veneris blandicias, exuuiasque, velut pelles abijcit.

Aureos torques ad carnem excruciādam adhibet.

Sacco, & fune contenta, ieiunio, & flagellis lasciuiam carnis edomat.

Pœnitendo iugiter Magdalenæ se verè Discipulam ostendit

Ipsius res gestas Federic. Card. Borromæus describit.

Feder. Card. Borromæus vbi suprà.

Portento Catharinæ quasi adhuc viuentis sepulchrum illustratur.

13. Huic altera, quæ nostro hoc sæculo, dum hæc scribimus, ad Deum traducta feliciter, magnum cunctis Pœnitentię documentum pręstitit, hîc meritò iungenda est, quæ dum lues Anno salutis 1656. in Vrbe grassaretur, publica calamitate, ac frequenti morientium strage

com-

Peccatrix in Vrbe mortuorū aspectu cōpuncta resipiscit.

compuncta, omnem confestim libidinis luē ab animo abijciēs, ad Pœnitentiæ remedia mox pro currens, vt mortē animæ euaderet, corporis nil mortem verita, ac si mortem accerseret, fœminis epidimico morbo laborātibus in publico Vrbis Xenodochio gratis inseruire decreuit, ac pro lucranda animæ vita, corporis vltrò vitam perdere haud timuit. Alia itē post publicæ luis stragem, ac tot in Vrbe morientiū funera vitæ superstes, vt suæ in posterum saluti à sæculi delicijs caueret, haud in propriam amplius domum diuertere; sed in publicum S. Iacobi Nosocomium, quod vulgo Incurabilium dicitur, perpetuò ibi miserabilium fœminarum obsequio operam datura conuolauit, vbi laudabiliter, & cum magna salutis spe diù vixit.

Alia inter morientium funera pœnitens Deo viuere incipit.

Domin. Ottonellus de vitan. mul. cōsuetudine, pag. 113.

14. Magno demum exemplo animarum fructu ingentem meretricularum numerum, Anno redempti Orbis 1623. Florentiæ Religiosus Vir Seraphici Ordinis de Obseruantia solemni Quadragesimalis ieiunij tempore, quo potissimùm Magdalenę ad Deum conuersę in Euangelicis tabulis mentio recurrit, inter concionandum verbis acriter ad resipiscendum permouit; hic igitur cùm in cathedrali Ecclesia ad ipsas è suggestu ingenti spiritus feruore diceret, sub ipsum concionis initium se valdè anxium, & animo ancipitē ostendit, à quo nā videlicet narrandi exordium faceret: *Vos* (inquit) *ò fœminæ, quæ huc conuenistis, alloquor; num vobis hìc de pœnitentia verba faciam? Sed meretrices in primis pœnitentiam ipsā, plusquàm mortem oderunt, vtpote quæ pœnis blanditias carnis, quibus delectantur, anteferunt. Quid igitur? tacebo forsitan? an Inferorum vobis pœnas quoquo modo ob oculos contemplandas proponam? Sed probè scio, quòd meretrices, quæ deperditæ voluptatibus indulgent, haud animi immortalitatem se credere factis ostendunt; adeoquè futura, quę ipsas manent, tormenta, aniles veluti fabulas, nugasque computant. At dicet quis, quòd Deus profectò malorum vindex, & bonorum remunerator sit mulierculis istis à te in præsens ostendendū est: Sed quid sermo proderit, cùm istę, quæ Atheorum more inter blandas carnis illecebras viuunt, se absque vlla prorsus fide in Mundo viuere opere, si non verbis, testentur? Quid igi-*

Florentiæ ingens meretricularū numerus dum B. M. Magdalenæ conuersionis memoria in Euangelio agitur, audito Dei verbo conuertitur.

In spiritu vehementi fœminas Vir Dei è fugge stu verba faciens persuadit.

tur? loquendum mihi in præsens est, an tacendum? ambigo si quidem, statutas quippe à Deo tam peccatis, quàm peccatoribus pœnas suo vnusquisque vel nolens tandem experimento intelliget. Hęc ille cùm diceret, sermonem ad Deum conuertens, sic ipsū alloquitur: *Profectò non nisi signis* (ait) *signorumquè portentis, deperditæ istæ, tum fidei tū spei, vt video, mulierculę conuertentur ad Deum, & his vt q; in præsens opus est; haud enim sordidis verba meretricibus prosunt, immò potiùs verbera earum saluti præsto sunt, Tu ergò, qui tot vbique terrarū antea factis te digna sæculi præstitisti, et tamē pertinaces in malo fœminæ tuis haud fidē factis adhibent; Fac ergò tu, qui omnia potes, vt cōfestim hìc Dęmonis è Tartari abysso emergant, quo miserę ipsos, à quibus deceptæ sunt, oculis videntes, quibus nam sua deferunt obsequia, hostes, hospitesquè blandulos de facie agnoscant; & quoniam tam multæ quotidie harum causa animę in Orcum demerguntur, vel vna saltem obsecro ex tot adstātium numero alijs cernentibus in Orcum Dæmonum ministerio perpetuò in illum vtpote tormentorum locum asportetur, adeoquè acerba, quę eas illic expetunt, & quibus interim damnatorum animę à Stygijs tortoribus excruciantur, tormenta, eorumquè vel tactu acerbitatem nouerint.* Cùm igitur Vir Dei, Deo plenus hæc, aliaquè tenoris eiusmodi ad adstantes terrefaciendas fæminas diceret, Deo dictis fidem adaugente, is in ipsarum cordibus metus, ac horror exortus subitò est, vt omnes ferè ob rei magnitudinē, & præ timore exanimes redditę, ex tot, quæ ibi præsentes aderant, numero decem & octo impuræ vitæ genus, fædosquè libidinum mores execratæ, sana mentis cōsilia mox arriperent, & ex Diaboli diuersorio ad Christū, è cœno ad Cœlum, & ad tutam Pœnitentiæ tabulā impuris abdicatis amoribus trāsfugerint.

Ad absterreodas proraces, obduratasque signis agendū, & Diabolo, vt pro libitu puniat tradēdas edicit.

Diabolus, qui fœminis ad impuram artē sectandam suadendo auctor est, ipse iustè tortor à Deo immittendus.

15. Idem ferè longè ante Ferrariæ, vt idem Ottonellus narrat, apud Patres item Societatis Iesu contigit, vbi cū permultę meretrices ab eo in Templum quadragesimali tempore ad audiendum Dei verbum inuitatæ conuenissent; Sacerdos suggestum conscendens, nil primùm, & quidem consultò, quod ad ipsas, impurosquè earumdem actus spectaret, dixit, vbi autem concio ad secundam partem

Ottonellus vbi supra.

Ferrariæ meretrices terroribus prouocatæ resipiscunt;

partem deuenit, tunc ad orandum adstantes instantissimè hortatur; Dei quippe auxilio res eiusmodi, haud humanis viribus erat peragenda, adeoquè postquam flexis cunctis genibus Deum enixiùs exorarunt, tunc ipse graui, ac præferuido eas sermone aggressus, sic dicendo inualuit, miseram videlicet earum conditionem, & tum mala, tum pericula, animæ simul & corporis detrimenta singillatim recensendo, vt sermo ipsius Deo aspirante, tanquam malleus conterens petras, validè infelicium corda peruadens, mox ex illis viginti & octo salubriter ad Deũ traduxerit, quæ lupanar arrepta quantocyus fuga relinquentes, se ad Pœnitentiæ cultum, & religiosæ vitæ Castra, negotium animæ seriò agentes, suo tum ingenti lucro, tum communi omnium gaudio conuolarunt.

Cõcionator perditam fæminarum cõditionem, & præsentaneum animæ periculum aptè inculcat.

Viginti, & octo ex illarum numero conuersæ ad Pœnitentiã conuolant.

16. Meretrices itaque, quoniam de ipsis adhuc mentio nobis est, nedum suæ resipiscendo animæ negotium salubriter agunt; sed alijs quoque interdum resipiscendi viam demonstrantes, his ad Deum redeundi in causa fuisse comprobantur, quo Diuinũ illud (vt supr.) Christi oraculum adimpleri contingat: *Amen dico vobis, quia publicani, & meretrices præcedent vos in Regnum Dei*. Ità planè hac nostra ætate, nec multis ab hinc annis certo cuidam homini prauas inter libidines diffluenti contigit, qui meretricem, quam explendæ libidinis causa adierat, ac sui in malo consortem fieri volebat, ipsam in bono ducem, ac nouo resipiscendi, insitatoque diuinitus portento inter ipsamet lupanaria Magistram sortitus est; Clericus quippe cum aliquando libidinis æstu percitus, morarum impatiens, suas mox expleturus voluptates, in prophanæ ac impudentis, quæ publico pudorem quæstui prostituerat, fœminæ domum diuertisset, suum mox illi palam desiderium aperit. At ipsa præter consuetum impudicarum morem, sanam, piamque mentem præseferens, vbi hominem talari indutum veste vidit, Religionis zelo adducta, constanter ipsum à se protinus reiecit. Ad quod miser obstupescens, & vel ex hoc magis, magisquè ad libidinem (in vetitum quippe magis vnusquisque nititur) cum ipsa explendam, quò ipsam sic detrectantem videbat, extimulando enixè tum verbis, tum modis quibusque, ampliori item (vt sibi acquiesceret) oblato turpitudinis pretio, ipsam supplex vltro precari cępit, vt votis haud suis abnuat. At illa in arrepto semel mentis proposito constans, iterum à se hominem repulit, & vnicum, cur id faceret, religionis obtentum pro ratione afferens: *Absit, absit* (inquit) *à me, ac Deus auertat, vt cum homine, qui clericali tonsura insignitus, immortali Deo se ipsum (vt video) ac vitam per continentiam deuouit, ego mulierum infelicissima Deo meo grauiorem post meas tot culpas iniuriam faciendo turpiter commiscear.* Vir igitur repulsam à muliere passus, & ęgrò id animo ferens, optata ieiunus voluptate è lupanari discessit, & oculos in se ipsum conuertens, ac inolitas libidinum fœces à muliere, quæ grande (si illi consuescere) piaculum computabat, religionis studio abijcere procul edoctus est: Debitum insuper deferendum Deo, cui se dicauerat, cultum reuerentiæ admonitus, omnimoda miser confusione respersus, se ipsum, ac dedecoram simul vitam exhorruit; quin & ad Deum se confestim traducere, & nolle amplius, religiosi cultum obsequij proculcando, peccare decreuit, adeoquè his se ipsum verbis seriò arguens, & non secus ac validis ad virtutẽ stimulis incitans: *Quis id vnquam crederet* (aiebat) *quod impura fœmina clericalis militiæ hominem in lupanari non ad scelus; sed ad Deum potiùs, & ad pœnitentiam traduceret?* Igitur sicut dixit, sic pariter fecit. Quapropter è lupanari compunctus alius à se ipso discedit, & præter consuetum morem vbi certa pudoris iactura, ibi certum pudicitiæ, ac religionis lucrum adinuenit; adeoquè cùm suas pœnitens culpas Sacramentali confessione diluisset, quò digne compunctus pœnitentiam in posterum sectaretur, Deoquè suis pro culpis faceret satis, ad austeriorem ipso aspirante Religiosorum hominum Ordinem, ipsi perpetuò inseruiturus, se ipsum contulit: Mira Dei, qui se impudicę mulieris ore, ac exemplo ad bonam frugem, & vel in lubrico lasciuiarum cœno naufragantem in salutis portum perduxerat, consilia iugiter admirando. Nec verò amplam fœminæ à Deo defuisse mercedem, credere par est, iuxta illud

Matt. 21. 31.

Meretrices alijs interdũ vt ad Deum conuertantur, in causa fuere.

Ex relat. d Viro fide digno.

Clericus meretricem ad suam explendam libidinem adit; sed ab ipsa religionis in Deum zelo reiectus, compũgitur, & animę saluti cõsulit.

Ab impudica fœmina se religione vinci, & pietate superari Clericus confunditur

E lupanari castus, & ex libidinum domo alius ab eo, qui venerat, discedit.

Epist. Iacobi cap.

illud scripturæ: *Qui conuerti fecerit peccatorem, saluabit animam eius etc.* & hæc à Viro omni fide digno acceptam opportunè hic narrasse voluimus.

Famosa in Vrbe mulier, ann. Iubilæi 1650. sub Innocētio X. ad Deum conuertitur.

Ex Diario Symeonis Rogery an. Iubilæi 1650.

17. Demum famosa illa narratis hactenus iungenda est mulier, quæ recurrente Iubilæi anno quinquagesimo suprà millesimum sexcentesimum, turpem in Vrbe meretricium iuxta S. Ludouici Gallicanæ nationis Ecclesiam exercens; sanctioris verò temporis opportunitatem nacta, ad pœnitentiam feliciter cōuolauit. Enimuerò infelix cum suis prauis amoribus, in libidinum cœno diffluens scandalo cunctis foret, eo potissimum anno, qui remissionis, & Indulgentiæ dicitur, ac opportunum pœnitendi tempus est, quando tot vbique virtutum exempla affulgent, & frequens adeò ex cunctis Terrarum regionibus ad sacros elucrandos Indulgentiarum thesauros peregrinorum numerus deuotè in Vrbem confluit, hęc Deo aspirante compuncta, intimoque animi dolore affecta, cùm suas priùs in amaritudine animi culpas recogitans, Sacramentali apud Sacerdotem confessione expiasset, ac triginta ex ritu diebus sacras de more Basilicas inuisisset, festiua demùm Corporis Christi die, cunctis ritè peractis Sacrosancto Altaris pabulo refici meruit. Quo autem mentis proposito, ac fidei ardore rem mulier pręstiterit, vel hoc cūctis argumento probauit; Domum quippe regressa, vt habitum vnà simul, & vitam vnà cum veste mutaret, pristinis lætitiæ depositis vestibus, mox asperum, horridumque saccum austerioris vitę symbolum Cappuccinarum fœminarum ritu, corda vesti superinducta induit, adeoque lacrymis perfusa totam subinde viciniam excurrens, ac singulas fere domos adiens ab his scandali, quod ipsis exhibuerat, donari sibi veniam humillimè poposcit, cunctorumque ad Dei gratiam promerendam preces expetijt. Quo præstito paratam ad iter agendum rhedam conscendens, vnà cum sorore, ac pedisequa Neapolim se contulit; ibique claustrum ingressa, austerioris vnà cum sorore vitæ normam pro culpis factura Deo satis arripuit, vt illi aptè Hieronymi verba occinerent: *Affligendum est corpus, quod multis vacauit delicijs, longus risus perpeti compensandus est planctu.* Et sic pœnitens viam sibi ad immortalitatem parauit. Sed de his hactenus.

Annum absolutionis et remissionis pœnitendo salutis sibi annum fecit

Veniam à cunctis, quibus scandalo fuit, petens ad claustrum subinde conuolat.

Hier. in Epitaph. Paulæ.

CAP. XV.

Adulteri, & Incestus rei resipiscentes pœnitentiam sectantur,

1 FOeda carnis voluptas, quę promptum semper in ianuis, paratumquè sibi, nedum exitium; sed & insuper tormentum habet, haud aliunde, quàm à se ipsa intimos in præcordijs, intolerandos planè accersit aculeos, adeò vt Apostolus vel suam quoquo modo in ipsis carne diffluentibus tribulationem agnoscens: *Tribulationem* (inquit) *carnis habebunt huiusmodi*. Quin immò acrioribus malorum incommodis, qui maioribus interim voluptatibus indulgent, iusto Dei (vt Anselmus docet) calculo pęnis, tormentisque insuper exagitantur. *Maiores* (inquit) *tribulationes hi frequenter ex carne suscipiunt, qui carnis voluptatibus delectantur*. Enimuerò quemad modum in diebus Noe lubricis irretitos vitiatosque oblectamentis homines fatalis diluuij pœna inuasit, sic & futuri Iudicij terror impuris detentos, ac lasciuientes amoribus subitò proculdubiò inuoluet. *Sicut in diebus Noe* (inquit Christus) *ità erit & aduentus filij hominis*: At quæ nam fuisse anteactis sæculis dicenda est tribulatio, cū nil funesti tunc memoretur, quin immo vt scriptura loquitur: *Erant comedentes, & bibentes, nubentes, & nuptui tradentes*. Attamen sicut Apostolus subinde monet: *Cum dixerint* (ait) *pax, & securitas, tunc repentinus eis superueniet interitus*. Quod Christus paribus item verbis inculcans: *Erit tunc* (inquit) *tribulatio magna, qualis non fuit ab initio Mundi vsque modò, neque fiet*. Quod ergò Paulus pacem, & securitatem dixit, id ipsum tribulationem magnam Christus iustissimè nuncupat; adeoquè rebus, ac nominibus longè cōtrarijs id ipsū pacem Apostolus vocat, quod Christus aliter futuram nimirum pugnam proculdubiò renunciat, ad quod item Chrysostomus egregiè suo ex more alludens: *Quomodò* (inquit) *tribulationem illorum dierum ait, si deliciarum lasciuia & pax.*

Carnis voluptas suum in carne ipsa tormentū præfefert.

1. Corinth. 7 n. 28.

Anselmus in 1. ad Chorint.

Mathæi 24. num. 37.

Matt. 24. 38.

Dies Iudicij prauis detētos voluptatibus subitò insperatoq; inuoluet exitio.

Math. cap. 24. ad Tessalon. 5. n. 3.

Chrysostom. hom. 78. in Matt.

si pax, si securitas secundùm Paulum futura est? si delicijs lasciuiunt, quomodò tribulantur? & quæsito respondens: Insaniam (inquit) eorum hoc modo dicendi ostendens. Quam suam enim peccatores altius delirando pacem dicunt, hanc miseri profectò suam fore Crucem comperiunt; cum enim magis sensibus adblandiendo in se ipsis pacatiores videntur, tunc maximè intus se ipsis torquentur, adeoque vana ipsorum, & lasciuiarum præsertim oblectamenta, non nisi atrociora miseris tormenta fiunt.

Illud ipsû, quod peccatibus pax videtur, iisdem crux, & triste, funestumq; tormentum fit.

2. Qui lubricis itaque libidinum vitijs diffluunt, & exleges fieri cupientes, vel cum Dei iniuria, & contemptu, tum Dei, tum naturæ ipsius, ac hominum legibus iniurij, delicijs carnalibus indulgent; nonnisi confusionem inde, ac pœnam pro sui ampla laboris mercede colligunt. Hinc appositè Salomon conceptis adulteros verbis perstringens, eorumquè miserandam blandas inter illecebras, & turpia, morum deliramenta velut digito sortem demonstrans: *Qui adulter est* (inquit) *præter cordis inopiam, perdit animam suam, turpitudinem, & ignominiam congregat sibi.* Quibus sanè futuram nedum ipsorum tristi, funestoque perditionis titulo pœnam denunciat; sed & præsentem obscænæ insuper turpitudinis, ac infamis notæ vocabulo calamitatem portendit. Enimuerò quænam pœnalis adulterorum voluptas? Quod item infame ipsorum gaudium? cùm tot, ac tanta iusto Dei, ac hominum iudicio ex legum præscripto malorum incommoda, lasciuientium perditorum ceruicibus, Chrysostomo teste, intentari contingat *Quæ* (inquit) *possit illic esse voluptas, vbi metus, vbi discrimen, vbi periculum, vbi tantorum malorum expectatio, vbi Tribunalia, vbi accusationes, vbi Iudicis ira, vbi gladius, vbi carnifex, vbi barathrum?* Tot quippe adulteros pœnæ à tergo insequuntur, vt carnis tandem voluptas nonnisi in tormentum, & carnis, & animæ carnificinam desinat; meritoquè voluptuosus quisque illud Ionathæ verbum vsurpare queat: *Gustaui paululum mellis, & ecce morior.* Pro momentanea etenim voluptatis guttula perenne mortis supplicium, ac mulctam omnium acerbissimam pro mercede accipit; Eiusmodi igitur est fallax peccatorum voluptas, quæ inter dulces, suauesq; mellis fauos ipsos mortis aculeos offédit, sub blandulo deliciarũ, ac pomi edubio lethale venenũ haurit, adeoq; vna simul foris mellis dulcedinẽ, ac fellis item amaritudinem intus in cute experitur. Ità planè ementita carnis voluptas decipiendo, non nisi tristem hominem deserit, quem gestientem primò in foueam præcipitem egit; quod satis concinnè Ambrosius expendens, id ipsum homini, vbi mentis tandem oculos aperit, suamquè manu infelicitatem palpat, ad Pœnitentiam quantocyus procurrendi, stimuli adinstar, vt è luto fæcis, ac turpi volutabro emergat, inseruire proculdubiò affirmat. *Vbi quis* (inquit) *resipuerit à furore, tunc conscientiæ interioris visus aperitur, factique succedit pœnitentia, & pudenda sui vnusquisque facinoris erubescit.* Quàm plures etenim hoc quasi stimulo è somno excitos, mox è luto pedem contrahentes, ad salutis subinde portum pœnitendo cucurrisse haud semel constat. Inter quos Rex Dauid, postquam adulterij incautè labem incurrit, erroris adeò ipsum pœnituit, adeo proinde fleuit, cumque in modum corde obdoluit, vt cunctis pœnitentiæ ipsius, Dei nutu exemplar, ac pręco simul, Ambrosio teste, extiterit: *Dauid ideo* (inquit) *lapsus creditur, vt nimirum post peccatum, nos doceret; quomodò oporteat aboleri peccatum.* Breui namque peccauit, sed diù pœnituit, noxam lacrymarum non tam imbre, quàm diluuio iugiter expiãdo: *Peccauit* (inquit) *vna nocte Dauid, sed fleuit, &c.* Sic breuis profectò voluptas longo fletu, assiduisque pœnitentiæ lamentis compensanda est. Sed vt exemplis res comprobetur.

Prouerb. c.6. num. 32.

Adulterium perditionis, & ignominiæ nota.

Chrysost. hom. 3. de verbis Isaiæ.

Adulterorũ voluptas pęnarum abysynthio, & in commodis redundat.

1. Regum 14. 43.

2. Regum cap.

Ambros. lib. in Lucam cap. 4.

Tristitia, & dolor, sunt fędæ voluptatis reliquiæ.

Ambros. lib. 1. de pœnitentia.

3. Clotarius Clodouei Francorum Regis filius (vt hine narrandi initium fit) cum multa ad Regni apicem prouectus, adulterinis pręsertim indulgens amoribus deliquisset; multipliciter à Deo subinde flagellis est expetitus, adeò vt ipsummet filium Dauidis instar, nomine Cramnum, qui pridem in eum insurgens conspirauerat, & cui iam semel, atque iterum post tentatum parricidij scelus veniam indulserat, gladio tandem vlciscente sustulerit. Hic verò S. Medardo Nouiomensi Episcopo tantùm detulit, vt ipsi è vita decedenti præsens adesse voluerit,

Clotarius Clodouei Francorum Regis filius ob adulteriorum nefas à Deo punitur.

Regis pietas erga S. Medardum Episcopum.

Baron. ann. 565. nu. 22.

ac sacrum, venerandumque cadauer summa ad Suessionensem Vrbem religione transferendum curauerit; Rex igitur sacris ferendis pignoribus baiuli munus exhibens, id vnum maximo sibi honori adscripsit, si Regios Beati Pontificis feretro, ac nobili ossium eiusdem deferendo thesauro humeros deuotionis ergò admoueret. Atqui cum subinde Theodibaldi nepotis demortui vxorem sibi per nefas copulasset, Episcoporum iussu ab eius cõsuetudine procul fieri compulsus, ac incestæ cum ea turpitudinis suspicione notatus, meritò à S. Nicetio Trecensi Episcopo Ecclesiasticis ob id censuris perculsus est: Demum anteactæ vitæ, errorumque pertæsus, ad S. Martini Turonensis Episcopi sepulchrum, veniam à Deo pro culpis exoraturus, multisque donis, ac muneribus secum delatis accessit, vbi præteritas lacrymis diluere culpas, & Deũ sibi, quē grauiter offenderat, promereri fategit: Sed non multò post graui inter venandum correptus, morbo, cùm vnum suprà quinquagesimum in Regno annum ageret, laudabiliter pœnitens è vita decessit; de quo Gregorius Turonensis, qui sui temporis res scriptis tradidit, isthæc habet.

Ob incestæ consuetudinis suspicionem anathemate perculsus.

Gregor. Turonens. hist. Franc. lib. 4. cap. 21.

4. *Rex* (inquit) *Clotarius anno quinquagesimo primo sui Regni cum multis muneribus limina B. Martini expetijt, & adueniens Turonos ad sepulchrum antedicti Antistitis actiones, quas fortasse negligenter egerat, replicans, & orans cum grandi gemitu, vt pro suis culpis Beatus Confessor Domini misericordiam exoraret, ea, quæ irrationabiliter commiserat, suo obtentu dilueret. Exin regressus quinquagesimo primo Regni sui anno, dum in Cotia sylua venationem exercet, à febre corripitur, & exinde Compendium Villam redijt; in qua cùm grauiter vexaretur à febre, aiebat: Vah quid putatis? qualis est ille Rex cœlestis, qui sic tam magnos Reges interficit? in hoc enim tedio positus spiritum exhalauit*; Hæc ille.

Poenitens ad S. Martini Ecclesiam, veniã a Deo imploraturus accedit.

Rex igitur, qui turpes vitæ culpas vberrimis respersit lacrymis, ac intimò cordis tactus dolore, Beati Martini meritorum suffultus præsidio; vt se digne expiaret, Deo ceruicem inflectens, eius conspectui, ac nutibus humiliari non destitit, veniam proculdubiò, vt credere par est, à Deo Patre misericordiarum imetrasse valuit.

Dum se venando exercet morbo corripitur, ac diem poenitens obit.

His autem enarratis, Baronius delictorum eius mentionem paucis admodũ refricat. *Quod ad eius*(inquit)*culpas pertinet, ipsum quidem compluribus delictis obnoxium, potissimùm vero incestis nuptijs infamatum, sæpe excommunicatum fuisse à S. Nicetio Episcopo Treuirensi, idem Gregorius in rebus gestis eiusdem Episcopi, quas conscripsit, affirmat. Sed de eius sepultura vbi suprà idem Auctor hæc addit: Quatuor filij sui cum magno honore Suessiones deferentes, in Basilica B. Medardi sepelierunt. Loco scilicet, quem delegerat ad Basilicam construendam, quam tamen filius Sigebertus construxit, ac demum: Obijt autem post vnum decurrentis anni diem, quo Chramnus fuerat interfectus.* Hæc Gregorius, quibus Clotario Regi pœnitentię munito subsidijs decedenti parentasse sufficiat.

Baronius vbi supra n. 22.

Quibus potissimũ Rex culpis obnoxius ex Baronio.

5. Atqui Clotario Theodigildis, Chariberti Regis Francorum concubina iungenda est, quę, cùm ob incestum ipsius coniugii Charibertus excommunicationis iaculo perculsus, funestoquè tandem exitu è vita præreptus fuisset; ipsa Guntheramni Regis, qui germanus erat mariti frater, nuptias auidiùs expetens, nuncijsquè ad ipsum directis id illi significauit. Quibus Rex auditis vnà cũ diuitiarum thesauris, fœminam à se vltrò, libenterquè excipiendam respondit, adeoquè benignè prius inuitatam, venientem postea, vt dixerat, lætus excepit; sed bonis postmodum, quæ secum attulerat, velut rebus non suis, immò potius alienis, & ad Regij throni Maiestatem spectantibus expoliatam, ipsam in Arelatensi Monasterio recludendam curauit, vt anteactorum ibi scelerum pœnas exolueret. At illa ieiuniorum, vigiliarum, & consueti demum austerioris Instituti pertæsa, dum clam è Claustro fugam arripere meditatur, ab ipsa Monasterij Præfecta, quę rem præscierat, præuenta, meritisquè affecta pœnis, arctiori in Monasterio custodiæ traditur, vbi assiduis anteactæ vitæ culpas afflictationibus, varijsquè pœnarum modis ad exitum vsque compensare coacta, mulier (dum facit de necessitate virtutem) pœnitens demum in Claustro inter cęteras Christi famulas laudabiliter decessit, vt Turonensis rerum Francarum scriptor his verbis.

Theodigildis Chariberti Regis concubina iram Dei in se prouocat.

Claustro à Rege inclusa, dum fugam meditatur, arctiori custodiæ traditur.

6. *Nec multò post* (inquit) *illatam ex-*

com-

Gregorius Turonensis de gloria Confess. c. 19

communicationem à S. Germano, & ipse Rex post eam decessit. Cuius post obitum Theodigildis vna Reginarum eius nuncios ad Guntheramnum Regem dirigit, se vltrò offerens Matrimonio eius. Quibus Rex hoc reddidit responsum: Accedere ad me ei non pigeat cum thesauris suis; Ego enim accipiam eam, faciamquè magnam in Populis, vt scilicet maiori mecum honore, quàm cum germano meo, qui nuper defunctus est, potiatur. At illa collectis omnibus ad eum profecta est. Quod cernens Rex ait: Rectiùs est enim, vt hi thesauri apud me habeantur, quàm apud hanc, quę indignè germani mei thorum adiuit. Tunc ablatis multis, paucis relictis, Arelatensi eam Monasterio destinauit. Hęc verò ęgrè acquiescens ieiunijs, & vigilys affici, per occultos nuncios Gothum quendam adiuit, promittens; si se in Hispanias deductam coniugio copularet, quod cum thesauris suis de Monasterio egrediens, libenti eum animo sequeretur. Quod ille nihil dubitans, rem promisit. Cumquè hęc collectis rebus, factisquè inuolucris è Cenobio pararet egredi; anticipauit voluntatem eius industria Abbatissę, deprehensaquè fraude, eam grauiter cęsam custodię mancipari pracepit: in qua vsque ad exitum vitę prasentis non mediocribus attrita passionibus perdurauit.

Thesauris à Rege expoliata, dum in Monasterio suorum poenam delictorum subire cogitur, se ad Deum traducit.

Hucusque Turonensis, qui procacem fœminam, detrectantem subire Pœnitentiæ iugum, cui pridem ipsius Regis iussu fuerat destinata, dum iam clandestinam è Monasterio fugam parat, à Monialibus arctiùs reclusam, sanis postmodum, Deo aspirante, arreptis consilijs ad meliorem frugem traductam; diem tandem in Monasterio flagellis ad præteritas redimendas culpas attritam, clausisse tacitè innuere videtur: adeo vt, quemadmodum opinari fas est, dum vitam inter piarum fœminarum choros ageret, earundem subinde permota exẽplo, earumquè suffulta precibus, pio randem fine decesserit; Quo Euangelicum illud oraculum adimpleri videretur: *Compelle intrare*. Cui item illa Gregorij verba consonant, magnam vtique aduersis ad traducendum ad Deum homines rebus inesse vim asserentis, dum ait: *Felix tribulatio, quæ nos ad Deum ire compellit*. Nam prophana, vt ex narratis constat, mulier nonnisi pœnis, calamitatibusquè in Monasterio attrita, sic tandem ad Deum conuersa noscitur.

Pœnitendo regia foemina laudabiliter facitde necessitate virtutem.

Luce 14. 23.

Gregorius in moral.

7. Alia verò est ista Theodigildis à duabus alijs laudatissimis fęminis, ac Regio item stemmate in Francorum stipite virtute claris, ac pietate conspicuis; quarum Gregorius meminit, & quibus Venantius Fortunatus suis condignum carminibus elogium cecinit: Alteri enim veluti Reginæ tunc viuenti, illustrem feminæ prosapiam, & æque virtutibus, ac prole fœcundam, piorumquè item ipsius morum exempla, ac splendorem suis egregiè carminibus adumbrans, hæc meritò tradit.

Gregor. hist. Franc. lib. 4. cap. 26.

Hæc Theodigildis à duabus alijs differt, quę hoc item nomine, & meritis claræ dicebantur.

Inclyta progenies Regali stirpe coruscans,
Cui celsum à Proauis nomen origo dedit.
Currit in Orbe volans generis noua gloria vestri,
Et simul hinc frater personat inde Pater, &c.

Venantius Fortunatus carm. lib. 6.

De huius item nobili prole, ac virtutibus conspicua sermonem faciens, hæc addit.

Mens veneranda, decens, solers, pia, clara, benigna,
Cùm sis prole potens, gratia maior adest.

Elogium huius tumulo insculptum.

Alterius item Theodigildis Gregorius in suis historiarum paginis mentionem faciens, hanc dignis Christianarum virtutum meritis illustrem, & iam Cœlo maturam; prouecta tandem ætate diem clausisse docet, cui isthæc aptè carmina, eius insculpta sepulchro consonant.

Venantius vbi supra.

Cui frater, genitor, coniux, auus, atque priores
Culmine succiduo Regius ordo fuit.
Orphanus, exul, egens, vidua, nudęquè iacentes,
Matrem, escam, tegmen hic sepelisse dolent.

Alterius Theodigildis laudes ex Venantio.

Quam demum impensè tum meritis, tum annis cumulatam è vita feliciter migrasse carminibus illis edocet.

Venantius vbi supra lib. 4.

Artibus his instans, terrena in luce redacta,
Terquino lustro vixit in orbe decus.

Et hæc sunt, quæ de pluribus vno, eodemque insignitis nomine fęminis hic obiter narrasse voluimus, dum plura cupientem ad Baronianos Annales remittimus.

8. Post recensitos, autem hactenus Fran-

Baronius an. 631. n. 7.

Dagobertus Clotharij Regis Fran. cor. filius, in quæ turpiter prolapsus errata.

Francorum Reges, Dagobertus Clotharij Regis Francorum filius silentio hic prætereundus non est, qui omnem sibi aliquãdo laudem promeruit: Nam S. Arnulpho Metensium Episcopo, bonis imbuendus moribus à Patre traditus, primùm quidem pietatis mirificè studio præfulsit; at post Patris obitum Regni administrandi prouinciam nactus, quo vsque Pipini, Caroli Magni filij consilijs, monitisquè inhæsit, optimum de se eunctis specimen præbuit, postmodum verò lasciuiendi, necnon habendi cupiditate abductus, sic à recto tramite deflexit; vt Dei Ecclesias impia manu suis ne dum bonis expoliauerit, sed Pipinum insuper monitorem fastidiens, de ipso è viuis tollendo cogitauerit. Cùm igitur S. Arnulphus se se in solitudinem recipiendi vltrò facultatem ab eo posceret; Rex primùm sacrilegis ipsum impetere manibus audacter tentauit, sed postmodum errore agnito supplex veniam petens, ipsi humiliter accidit: Adeò insuper sæculari fretus potentia, tum à recto, tum à se ipso desciuit; vt vxorem legitimi consortem thori, eo quòd sterilis esset, à se ablegando dimiserit, & Natildem puellam è Monasterio ductam sibi per scelus copulauerit. Verùm quia S. Amandus Traiectensis Episcopus ipsum meritò, aciterq; obiurgauit, suo ipsum protinus è Regno exulare præcepit. At paulò post ad meliorem frugem traductus, adulteram à se reijciens, legitimæ vxori adhæsit, & facti pœnitens Amandum ab exilio reuocans, eidemquè dolens vltro, ac supplex sibi delictum ab eo humiliter donari poposcit.

In S. Arnulphum monitorem insensus de ipso è vita tollendo cogitat.

Baronius an. 631. num 7. Stephanus Abbas in vita S Modal. di lib. 1. c. 3.

9. Verùm vt ipsius hic omni laude digna, dum Pipini in Regno administrando vsus est opera, repetamus initia, hæc Stephanus Abbas tradit: *Tali* (inquit) *huius Ducis industria, & consilio Dagobertus eo celebritatis splendore enituit, vt liberalitate, iustitia, mansuetudine, alijsquè virtutibus, quibus Regem decebat, plures ante se Reges præcelleret; Sed hanc regiam viam, virtutis lineam tenuit, quamdiù sanam doctrinam sapientissimi Præceptoris instituit, & non ad sua desideria coacervauit sibi Magistros. Felix, si secundùm viri sapientis monita de mille pacificis suis vnum hunc elegisset Consiliarium: Sed demum Salomonis exemplo deprauatum est cor eius ad tempus per mulieres, vtquè solet in magna rerum copia, ac soluta libertate prona esse in consensum peccati natura mortalium, ob diuitiarum affluentiam, ac secundos rerum successus, à bono, honestoquè in prauum abstractus, salubribus monitis aures occlusit; Capit ergo tam auaritia, quàm libidine æstuare, rebus Ecclesiarum nouos thesauros implere. Cuius impudentiam cùm Pipinus dolore permotus liberrimo ore increparet exprobans, quòd maximis Dei beneficijs ingratus existeret, ille obscœnis libidinibus potiùs, quàm sanis obtemperans consilijs, tentabat magis more phrænetici Medicum quolibet modo extinguere, quàm à prauitatis suę furore resipiscere.* Hinc ipso sub sceptro aberrantem, ac inter Mundi prospera Dagobertum procul à recto fieri videre est; cùm is suo nonnisi monitori iniurias, & pro beneficijs haud gratiam in se benefico, immò potius necem tentaret inferre.

Dagoberti initio principatus ob virtutem laudes.

Per mulieres postmodum Rex deprauatur.

In quæ turpiter vitia ingratus im pingit.

10. Quid verò Arnulpho insuper Metensi Episcopo contigerit, cui ipse ingrato prorsus animo obluctans, pro beneficijs non nisi contumeliam per scelus rependi volebat, silentio prætereundum non est. Hic enim dum regijs haud suam negotijs operam prodesse intelligit, à Rege, quem ipse enutrierat, ad eremum, cuius summo tenebatur desiderio, abeundi facultatem petens, parum abfuit, quin euaginato mox gladio ab emotæ mentis homine impeteretur; hæc enim Ionas Abbas: *Defuncto* (ait) *Clothario Rege cum adhuc Beatus Arnulphus Episcopus eodem desiderio, quo priùs, conuersandi videlicet in eremo flagraret, & iterum, atque iterum à Dagoberto Principe, quem ipse diligentissimè nutrierat, licentiam huius rei postularet, instinctu Diaboli commotus aduersus eum Rex; cùm ei die quadam nimis importunus in petendo fuisset, arrepto mucrone voluit eum sauciatum à se remouere. Tum ille paruipendens iram morituri Regis, constanter dixit: Quid agis miser? mala pro bonis mihi rependere vis? nunc autem, quoniam ità placet, sæuias in me, quantum velis; ego pro illius amore mori non dubito, qui mihi vitam dedit, & pro me mortuus est. Hæc eo dicente cum vnus astantium Procerum blandis verbis redargueret temeritatem Regis, sedatus est furor ipsius, & mediante*

B. Arnulphus ab ingrato Rege abeundi facultatem petens euaginato gladio impetitur.

Baronius vbi suprà nu. 11.

Ionas. Ab. in vita B. Arnulphi.

diante gratia Dei, caruit effectu sceleratus affectus. Interea superueniente Regina, vt audiuit commotionem, qua contra Virum Dei sine causa incanduerat, prostrauit se vnà cum Rege pedibus eius; & vt sui misereretur, remittendo illatam iniuriam, cum lacrymis postulauere, dicentes: Perge Domine ad eremum, sicut desideras: tantùm te placatum habeamus, quem iniustè offendimus. Hæc Auctor.

Regina, & Rex subinde humiliméad eius pedes procumbunt

Huybaldus in gestis S. Rictrudis.

11. Venia igitur abeundi obtenta, confestim Vir Dei ad solitudinem velut ad portum quietis conuolat; cùm pius Rex, quam pridem inferre voluerat iniuriam, magna humilitate, atque intimo cordis sensu compensandam curasset. Sed in quas potissimùm Dagobertus subinde vitiorum syrtes impegerit, repetendum hic est; quod ex his, quæ Huybaldus Monachus in B. Rictrudis gestis narrat, Lectori innotescit, hæc enim ille: *At Dagobertus* (inquit) *Rex in administrando Regno preclarus, vni vitio subiacuit, immodico deditus amori mulierum. Vnde accidit, vt legitima coniuge sua ob sterilitatem repudiata, alteram sibi copularet.* Sed quam potissimùm sibi in Matrimonio iunxerit, & quàm atrox eiusdemodi facinus sit ab Episcopis habitum, ex his, quæ Aimoinus tradit, palàm innotescit; hæc enim habet: *Romuliaco* (ait) *villa constitutus, Gomatrudem Reginam nouercę suę Sichildis germanam, eo quòd esset sterilis, consilio quorundam Francorum relinquens, Nantildem quandam puellam à Monasterio raptam in Matrimonium sibi iunxit, &c. Cumquè id flagitium in eo Pontifices, in primis verò Vir Sanctissimus, & mirabilium operum patrator Præsul Amandus reprehenderet; ille indignatione, & fastu Regio inuitatus, eundem venerabilem Antistitem non absque iniuria è suo Regno eiecit, &c.* Amandum igitur Rex suis vtpote obsistentem votis, ac turpes constanter lasciuias redarguentem, suo procul à Regno, vti maximè sibi inuisum amandat.

Baronius vbi suprà an. 632. num. 2.

Dagobertus mulierum amori impotentèr deditus.

Legitima vxore ob sterilitatem repudiata alteram sibi copulat.

Aimoinus lib. 4. cap. 19.

12. Verùm cùm Dagobertus filium subinde à Deo Sigebertũ nomine impetrasset, ad meliorem frugem traductus, hunc nonnisi B. Amandi ab exilio reuocati manu baptizandum voluit; cùm prius ante ipsius conspectũ humi prouolutus, sibi vltrò veniam poposcisset, vt Baudemundus in rebus gestis S. Amandi hunc in modum scribit: *Cùm sibi* (inquit) *nunciatum fuisset, quòd Dominus filium dare dignatus esset, magno mox repletus gaudio, cogitare cœpit, cui ipsum puerum traderet, qui eum sacro Baptismate regenerare deberet; statimquè accersitis Ministris, vt Sanctum perquirerent Amandum, sagaci intentione pręcepit. Nam dudum ipse Pontifex, dum pro capitalibus criminibus (quod nullus ex Sacerdotibus facere ausus est) ipsum redargueret Regem, iubente eo iam furore percito, non absque iniuria de Regno eius fuerat expulsus. Ille verò remotiora perquirens loca verbum Dei gentibus prędicabat, &c.* Et post multa de adducto postmodum Amando à Ministris, ac Regio conspectui exhibito isthęc Auctor: *Tum Rex ad S. ait Amandum: Pœnitet me valdè, quòd stultè aduersum te egerim. Precor igitur, ne memineris iniuriæ, quam tibi irrogaui, atque preci meæ, quam summoperè postulo, ne dedigneris abnuere. Dedit mihi Dominus filium non meis precedentibus meritis, precorquè, vt eum Sacro digneris abluere Baptismate, atque in filium tibi spiritualem suscipere. Quod Vir Dei vehementer renuens, &c. e conspectui Regis abscessit.* Vir quippe sãctitate præcipuus Regij occasione Baptismi iuiam sibi frequentandi Curiam, quod tamen ægrè ferret, patere intelligebat; sed Rex alijs ad eum missis, Dei famulum conueniens, filio Baptismi Sacramentum non nisi sacra ipsius manu impertiendum voluit. Hæc præmemoratus Auctor de pio Regis, cui vel inuitus Amandus morem gerere compulsus est, desiderio. Dagobertus verò ad mortem, quæ sibi impendebat, obeundam, salubriter sibi viam parans; cùm Testamentum nuncupasset, vt animæ suæ prospiceret, pijs ad pœnitentiam operibus procurrens, hæc, aliaque laudabiliter præstitit, vt ex fragmento quodam apud Baronium videre est.

A B. Amando reprehẽsus ipsum exilio mulctat, & ipsius ope filiũ à Deo obtinet.

Baronius an. 639. num. 19.

Filium sortitus, ipsum B. Amando baptizandũ tradit.

Veniam Rex supplex poscit & filium ipsius curæ cõmittit.

Impẽdenti sibi morti Rex paratus obuiat.

Baronius an. 645. num. 7.

13. Cùm Rex igitur munifica manu Ecclesias donis amplissimis cumularet, ac seriò animæ negotium ageret, feliciter tandem pœnitentis in morem supremum vitę diem claudens, nobili sepulchro est conditus, vt sic Aimoinus tradit: *Eius corpus conditum aromatibus sepultum est in Ecclesia S. Dionysij in dextero latere sepulchri illius Martyris, &c.* Verùm quod ad animæ iudicium spectat, quæ ipsi post-

Baron. anno 647. n. 2.

Aimoinus vbi suprà.

mo-

modum defuncto acciderunt, & procul ab hominum oculis sunt, Sanctis suis patefieri Deus voluit. Qui enim immanibus se culpis obstringens, conscientiam inquinasset, ijsdem nondum penitus expiatis, quod ad pœnitentiam pertinet, mulris licet bonis refertus operibus, post obitũ Purgatorij igne malignis spiritibus traditus est excruciãdus: at Sanctis postmodum, quos coluit, propitiantibus, è pœnis liber vnà cum ipsis feliciter Cœlum conscendit. Rem verò gestam Aimoino narrante hìc Lectori ob oculos contemplandam proponere operæ pretium est; hæc enim ille: *Eodem* (ait) *tempore, quo Dagobertus &c.* Et visum Solitario subinde ostensum narrans, hæc habet: *Cùm repentè* (inquit) *aperto Cœlo inter fulmina in fluctus cum fragore ruentia visi sunt descendisse viri decore nitentes mirabili. Requirere cœpit ab eis, qui essent, qui dixerunt, se illos esse, quos Dagobertus ad suum vocarat auxilium, Dyonisium videlicet, & Mauritium Martyres, nec non Martinum Confessorem. Hi arreptam Dæmonibus animam secum ad æthera leuauerunt, canentes hunc psalmum: Beatus, quem elegisti, & assumpsisti Domine, habitabit in atrijs tuis. Hęc Vir ille venerabilis Ioannes Ansaoldo retulit se vidisse; qui in Gallias reuersus Sancto Adoeno narrauit, &c.* Hæc ille.

Anima ipsius in Purgatorij ignibus pœnas acerbissimas exoluit.

Baronius vbi supra n. 1.

SS. Dionysius, & Mauritius Martyres, & Martinus Confessor Dagoberto auxiliantur.

14. Postremùm verò Auctor cùm piam Regis, atque munificam in exornãdis Sanctorum Basilicis operam summoperè commendasset, hæc ipsi coronidis instar inscribit: *Dagobertus* (inquit) *eo specialiùs Sanctos sibi auxiliari poscebat, quorum Basilicas plus cæteris se opibus ditasse meminerat.* Eam verò sibi eiusmodi historia fidem vendicat, vt Ludouicus Imperator in epistola ad Hilduinum Abbatem Monasterij S. Dionysij, eius sicut rei haud dubiæ (vt Baronius ait) meminisse voluerit. Dum enim condignis Dionysium Christi Martyrem laudibus extollit, hęc de Dagoberto inter cætera scribit: *Prædecessores autem nostri, &c. per eius dignissimas preces, honoris priuilegio potiri, & in terrenis, & in cęlestibus meruerunt: vt videlicet vnus ex primis Francorum Regibus Dagobertus, qui eundem pretiosissimum Christi Martyrem veneratus non mediocriter fuerat, & immortali est vita sublimatus, & per eius adiutorium (sicut Diuina, & cœlestis ostensio perhibet) à pœnis est liberatus.* Quibus sane ipsa pro indubitata omninò re Dagoberti salus, eiusquè historia asseritur. Sed qui plura vult, Baroniũ in suis isthæc Annalibus edisserentem consulat.

Aimoinus lib. 4. cap. 34.

Baronius an. 416. nu. 311.

Impensi Dagobertus obsequij Martyrem remuneratorẽ sentit ex Baronio.

Ludouic. Imper. epist. ad Hilduinũ Abbatem.

15. Regi autem fœdis, prauisque amoribus abducto, sed postmodum penitentia salubriter expiato nũc pari mulier turpitudine, ac virijs clara iungitur, quæ tum potentia, tum nobilitate, tum opibus suffulta; impudicitia tamen, & crudelitate sic cæteras post se reliquit, vt nescias, an fœda magis, & impudens, an verò dira magis, & scelestior fuerit, dum omni se ipsam scelere, ac cæteras item agendo turpitèr superaret. Vvilla igitur filia Bosonis Marchionis Tusciæ, fratris Hugonis & Berengarij vxor sæuitia, impudicitia, atque omni ferè dedecorum labe infamis, quid summa vitia eum summa fortuna possint, suo satis exemplo monstrauit; quam quidem fœminarum nequissimam meritò Luitprandus appellat. Ipsi etenim Berengario iuncta Matrimonio, qui totius Italiæ tyrannidem occupauit, sic suis prauis moribus, malisque apud ipsum artibus inualuit, vt eius gratia Adalbertus filius per scelus sit Regno exauctoratus. Mulier verò ab Imperialibus Ministris, armis primùm obsessa, & ab Othone Imperatore libertati reddita, vnà cum ipso in Bauariam relegata est, vbi quo vsque maritus vixit, ipsa quoque exilij marito consors fuit. At illo mortuo dum ipsam anteactorum scelerum pœnitet, Monasticum velum assumens, ad veniam à Deo impetrandam bonis intenta operibus, ac Pœnitentiæ iugo colla submittens, mirificè in Dei obsequio profecit; & dum serio sibi vacat, morte intercepta, diem tandem feliciter obijt.

Baronius an. 966. num. 3.

Vvilla Bosonis filia impudicitia, & crudelitate præcellit.

Luitprandus lib. 4. cap. 5.

Nequissima mulierũ a Luitprãdo dicitur.

Ab Othone in Bauaria exilio relegatur.

16. Porrò cùm assiduis ipsa, & maritus anteà armorum molestijs, ac turbis vndique Italiam compleuisset: Nam, vt cætera sileamus, dum Berengarius, & Adalbertus tyrannidem in Italia exercerent, Ioannes Papa XII. Othonem pro Ecclesia aduersus prædictos sollicitè interpellans, Legatos huius rei gratia ad ipsũ direxit, vt his Luitprandus verbis: *Pugnantibus* (ait) *immò sæuientibus in Italia,*

Baronius an. 960. num. 1.

Luitprandus lib. 8. cap 6.

lia, & vt verius fateamur, tyrannidem exercentibus Berengario, atque Adelberto, Ioannes Summus Pontifex, & vniuersalis Papa, cuius tunc Ecclesia supradictorum Berengarij, atque Adelberti sęuitiam erat experta, Legatos Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, Ioannem videlicet Diaconum Cardinalem, & Azonem Scriniarium Serenissimo, atque pijssimo tunc Regi, nunc Augusto Cæsari destinauit Othoni, &c. Hæc Luitprandus, qui tum Berengarij, tum Vuillæ eius vxoris intolerandam planè sęuitiam perstringens de ea Vualbertum Mediolanensis Ecclesiæ Archiepiscopum vnà cum alijs, qui de Italia venerant, iure merito apud Othonem his planè verbis conquestum tradit. *Hęc (inquit) dum Romani Legati conquererentur, Vir venerabilis Vualbertus Mediolanensis Ecclesiæ Archiepiscopus semiuiuus ex supradictorum rabie Berengarij, atque Adelberti liberatus, superiùs memorati Othonis potentiam adijt, indicans se non posse pati Berengarij, Adelbertiquè, necnon Vuillæ sęuitiam, quæ Manassem Arelatensem Episcopum contra ius, fasquè Mediolanensis Ecclesiæ Sedi præfecerat. Aiebat sanè hanc Ecclesiæ suæ calamitatem, quæ quod se, suosquè capere oporteret, interciperet. Sed Vualdo Cumanus Episcopus hunc ponè est sequutus, non disparem à Berengario, atque Adelberto, & Vuilla, quam Vualbertum contumeliam se esse perpessum clamitans. Venerant & nonnulli alterius ordinis ex Italia Viri, quos inter illustris Marchio Otbertus cum Apostolicis concurrerat Nuncijs à Sanctissimo Othone tunc Rege (vt dixi) nunc Augusto Cæsare auxilium expetens.* Hæc ille. Ex quibus delatæ contra impudicam fœminam iustæ pro acceptis iniurijs ad Imperatorem querelæ, eum ad parandam in Italiam belli expeditionem, quò auxiliarem afflictis rebus manum præberet, impulere.

Berẽgarius Vuillæ coniux armis Italiam exagitat.

Luitprandus vbi supra.

Quæ sub eius tyrannide Vualbertus Mediolanensis Archiepiscopus damna pertulit.

Vualdo Cumanus Episcopus à Berengario, & Vuilla malè habitus.

Otbertus Marchio illustris & ipse iniurijs affectus.

17. Porrò Vuilla præferocis, ac immitis ingenij fœmina cum adueniente in Italiam Othone se ipsam munito quodam loco inclusisset, resistere tandem haud amplius valens, capta; sed clementer ab Imperatore dimissa, ad Berengarium continuò accurrens, ei ne Imperatori se dederet, pertinaciter vltrò suasit, vt apud Reginonem his verbis: *Vuilla (inquit) in lacu maiori, in quadam Insula, quæ dicitur ad Sanctum Iulium, se inclusit; filij verò Adelbertus, & Guido huc illuc incerti vagabantur; quasdam tamen munitiones cum suis sequacibus adhuc possidebant, hoc est Grad castellum, & Traualcum, & Insulā in lacu Cumano. Tunc Vuilla in Inprimis hostiliter aditur et redempto omni de lacu exitu, quotidianis fundibulariorum, & sagittariorum, aliorumquè belli instrumentorum impugnationibus fatigatur, & non plenis duobus mensibus obsessa capitur, & ad vltimum clementia Imperatoris dimissa, quò vellet, ire permittitur; quæ quanta potuit celeritate Berengarium adijt, & ne se Imperatori dederet, omnibus modis persuasit.* Hæc ille, ex quibus fœmina per summam impudentiam in malo adhuc pertinax, cùm in hostium iam manus venisset, magnis ab eo beneficijs affecta, ac liberta te insuper in primis donata, suā Imperatori ceruicem minime inflexit: At frustrà maritum ad potentiori resistendū adhortari non destitit. *Victo quippe tandem Anno Christi 964.* (vt Baronius tradit) *& capito Berengario, expugnatoque S. Leonis Castro, ipsum vnà cum Vuilla eius Coniuge exulatum in Baioariam mittit, ibiquè vsque ad obitum permanserunt.* Hæc quidem Baronius.

Vuilla capta, & benignè ab Imperatore dimissa, Berẽgario, ne se Imperatori dedat, pertinaciter suadet.

Baron. ann. 962. num. 12.

Regino in histor.

Vel iam victa, ā victori tamen cedere nescia.

Baronius an. 964. n. 30.

18. Atqui cùm Berengarius infelix Anno redempti Orbis 966. supremum in exilio diem clausisset, postquàm eius solemni funere corpus tumulo illatum est, Vuilla, quæ vel in exilio degens, pertinaciam adhuc præsetulit, aduersis demum attrita, calamitatibusq; simul edocta, omnem post mariti obitum animi ferociam deponens, superbosquè spiritus exuens, sua sponte pœnitentiæ iugo colla subdidit: adeò vt se totam Christi obsequio tradens, Monachale velum ad austeriorem vitam traducta susceperit, vt his apud Reginonem verbis: *Eodem (inquit) anno quondam Italię Rex Berengarius exul moritur, & in Bamberge regio more sepelitur. Cuius vidua Vuilla antequam sepeliretur, sibi velum sanctimoniale assumpsit.* Mulier igitur, quæ Mundo hactenus, tum inter prosperà, tum inter ipsas calamitatum procellas immobilis diù inhæserat, acerbo subinde extincti mariti casu, aspectuq; fluxam sæculi pompam, rerumquè vmbratilem humanarū faciem edocta, haud ampliùs rerum inanium, quæ sæculi sunt, curam gerens, & voluptatibus, ac deli-

Post mariti obitum infelix calamitatibus edocta sponte se deprimens monachalem habitum induit.

Baronius an. 966. num. 2.

Regino in hist.

Pœnitentiæ operibus, ante actę vitæ culpas redimit.

cijs

eijs nuncium remittens, pijs iugiter pœnitentiæ operibus anteactæ vitæ culpas ad promerendam sibi à Deo veniam sollicitè compensare non destitit. In quo quidem arrepti instituti proposito persistentem constantissimè fœminam, salutem animæ lucrando, vitam finisse, haud temerè credere nobis par est; sed vt alijs res comprobetur exemplis.

19. Alphonsus item Castellæ Rex cùm praua aliquando abductus libidine, ac Regali suffultus potentia deliquisset, à Romano Pontifice, vt veniam à Deo precaretur, & vt sibi opportunè consuleret, monitus est. Ob vxorem quippe indignè habitam, eo quòd concubinæ turpiter inhæreret, bello à Lusitano Rege lacessitus, nec non admissi à Pontifice sceleris iure merito admonitus, ad mouendum subinde in Mauros bellum viriliter incitari debuit. Quapropter pacis fœdere cum Lusitano inito, Gundisalui Ducis opera insignem victoriæ palmam retulit: Sed cùm post triumphum eumdem Ducem, præstitis ingratus beneficijs, vi opprimeret, Ecclesiarumquè opes per tyrannidem occuparet, acerbè denuò, vt par erat, arguitur; cùmquè multis se ille pactionibus Pontifici pro Christiana re augenda obstringeret, armatorum classis, quam direxerat, dissipata ab Afris est. Ex aduerso autem rei exitu opportunam Pontifex exhortandi occasionem nactus, vt bonis præterita crimina operibus expiet, si diuinum sibi Numen propitium velit, hortatur; qui instaurata in bellum classe profectus, nobilem de innumeris ferè barbarorum copijs triumphum retulit, quorum spolia gratulabundus ad Pontificem misit.

Alphonsus Castellæ Rex adulterio Dei in se irà concitat.

Rainaldus an. 1350. n. 41.

A Romano Pontifice, vt à malo aduersis pulsatus resipiscat, monetur.

20. Verùm quia Rex aliquando carnis acriter titillatus illecebris peccauit, ad cordis ingerendam homini compunctionem, quæ ipsi Benedictus XII. salubriter bella in hostes meditanti suggessit, audire hic præstat: *Optaremus*(inquit) *te attendere diligenter, quod proficiscenti ad bella Principi multum inter cætera noscitur expedire, vt pacem in domo propria conscientiæ studeat stabilire, ne pugna lacessitus domestica, minùs ab hostibus timeatur. Inter omnia sanè prælia illud magis est intimum, & dici debet rectiùs intestinum, quod sub Dei solius oculis in conscientiæ sinu geritur, & quietem animi nunc rodendo, nunc lacerando, & prosternendo quandoque deijcit, vel perturbat. Ideò fili amantissime, considera, quæsumus, diligenter, quid in domo conscientiæ tuæ agitur, & si ratione illius concubinæ, cui in tua salutis, & famæ dispendium diutiùs inhæsisti, ac nihilominus, quod in illum quondam . . . . . Magistrum domus de Alcantara personam vtique religiosam, & Ecclesiasticam manus violentas vsque ad extinctionem vitæ illius super terram non sine magno sententiarum latarum à Canone periculo per te, vel alios extendisti, bella in domo tua conscientiæ moueantur, vel moueri debeant intestina, volens, & reuoluens intrà Regij claustra pectoris diligenter mulierem ipsam à cohabitatione tua, corrigendo, & mutando in melius amodò vitam tuam, remoueas, & ad obtinendum absolutionis beneficium à dictis sententijs te disponas: sicquè pace in tua conscientia firmiter, & salubriter stabilita, teque accepto apud Deum, per quem regnas, & regeris, reddito, securus inire bellum poteris contrà hostes.* Quibus hæc addit: *Et quia sacra scriptura testante, quandoque propter peccata Regum punitur Populus, ex tunc de peccatis prædictis, dum ab illis mundatus, & liberatus fueris, non habebis, quod te, vel dictum Populum periculis subijciant, formidare, nec labores tuos ab æterni retributione premij vacuabunt.* His planè verbis Rex ad arripienda pœnitentiæ magis, quàm ad pertractanda belli arma Pontifice adhortante excitus est; Victoriatum igitur palmis auctus, dignam quoque ex Mauris victoriæ palmã reuexit, & Mahumeticam potissimùm superstitionem in locis, quæ suæ subiecit ditioni, abolendam in primis curauit.

tom. 6. epist. secret. 104.

Vt è domesticis insuper hostibus victor, externis quoque timendum se præbeat.

Vt inductam mulierem præter canonicas leges abijciat.

Placatur Deus, quià propter peccata Regum punitur Populus.

21. At dum operi totus incumbit, & Heraclæam obsidet, pestilentia correptus, eius tandem vi ad extrema perductus feliciter obijt, de quo isthæc Rainaldus in suis Annalibus ex Mathæo Villano, & Mariana mutuatus tradit: *Reliquerat*(inquit) *magnum sui desiderium, & luctum Alphonsus Castellæ, & Legionis Rex mense Martio, cui si vita longior superfuisset, Mahumeticã superstitionem è Granatensi Regno eius virtute excisum iri spes ingens in pijs omnibus manebat. Premebat tunc obsidione Heracleam arcem munitissimam, illiusquè potiendæ expectatione bellum vrgebat; cùm lues*

Rainaldus an. 1350. n. 41.

lues castra inuasit, erexitquè obsessos Saracenos. Suadebant Ioannes Lara, & Ferdinandus Emanuel cedendum inopinatæ calamitati, & dissoluendum exercitum: at recuperandæ arcis, quam ipso Rege amissam vidimus, fideiquè propagandæ studium Alphonsum incendebat, ac præteritæ felicitatis memoria nitendum contrà aduersa, strenuis viris respondit; nullibi honestiùs, quàm in Castris pro fide pugnanti moriendum occurrere. Correptus igitur lue, paulò post maxima rei Christianæ iactura è viuis subtractus est. Hæc ille. Sed tanto haud nobilior homini triumphus adscribi potuit, quàm cũ dicitur ipsi pro Catholica fide pugnanti, supremum in Castris diem contigisse, pænitentia quippe ipsum omnem prorsus aboleuisse reatum, ac mortem strenuè, patienterquè religionis causa subeundo culparum à Deo veniam impetrasse, nemini est ambigendum. Sed nobilis instat elogij, quæ Mariana inscribit, subtexenda hic sunt.

Alphonsus Pestilentia correptus haud à pugnando desistit.

Nullibi honestius, quã in Castris pro fide pugnanti moriendum dicit.

22. *Hunc* (inquit) *vitæ finem Alphonsus Castellæ Rex eo nomine XI. octauo, & trigesimo ætatis anno habuit, si vita longior contigisset, Maurorum reliquias, excisurus in Hispania, magnisquè Principibus comparandus rerum gestarum magnitudine, scientia militari, ciuili prudentia. Vna domestica incontinentia ad reliquarum virtutum iniuriam non leuem accessit. Vindicis nomen, Iustitiæ amor ad Populum conciliauit, aliquandò fortasse nimius. Extincti Regis corpus obsidione soluta, Hispalim relatum, & in Regum Sacello conditum: Inde Corduba, vti moriens Testamento cauerat.* Quibus isthæc appendicis instar Rainaldus subtexit: *Defuncto tanto Rege, Christiano exercitui animus concidit, solutaquè est Heracleæ obsidio. Sparsa verò Alphonsi obitus fama, non illum Hispani modò, sed vniuersi fideles luxere, ac præ cæteris iure merito ipse Christi Vicarius immaturam mortem defleuit, vt eius consolatoriæ ad Mariam Reginam viduam literæ testantur.* His itaque laudum auctus præconijs pœnitens pius Rex in Castris contra barbaros strenuè dimicans, solutus carne sui victor immortalitatem adiuit.

Mariana vbi supra.

Mors ipsius, ac digna virtutū elogia.

Cunctis sui desiderium moriens reliquit, & luctum.

Rainaldus vbi supra.

23. Demum adulterij crimen, quo Dæmones maximè delectantur, tam immane, horrendumquè, adeoquè Numini in primis inuisum; vt hominem in belluã transferens, ipsum non nisi prauo Dæmonum consortio dignum renunciet, Deique orbatum patrocinio Dæmonibus ludum exhibeat. Quod quidem Indo olim homini diuinitus ad sceleris atrocitatem inculcandam præostensum, mox ad Pœnitentiam adduxit, de quo isthæc in annuis PP. Soc. Iesu Tabulis. *Indus quidam alebat domi suę in oculis coniugis concubinam, non tam venerem vt expleret, quàm vt coniugem irritaret: huic nocturnas per tenebras visam esse aiunt horribilem cateruam Dæmonum, qui cubanti prementes fauces, animam intercluderent; vt nè manum quidem admouere posset ad imprimendum pectori Crucis signum: verùm implorata à coniuge Dei Matre, melius ei esse factum. Postero Die positis ritè noxis, sic deinceps est immutatus, vt non cognoscas eundem esse.* Pœnitentia quippe sic prauum hominis cor immutari contigit, vt in alterum is propè virum transierit. Quo vel hìc obiter narrato, iam de Adulteris ad pœnitentiam traductis dixisse sufficiat.

Adulterij crimen Dæmoni in primis arridet.

Catechis. hist. cap 37. tit. 104. de Adulterio.

Annuæ lit. Societ. Iesu an. 1583 sub prouinc. Mexic.

Indus sacrarum Matrimonij legũ violator Dæmones sibi insidiantes videt.

CAPVT XVI.

Homicidæ, & sanguinarij se totos pœnitentiæ deuouent.

1 Atrociora quæque mortalium scelera, iustam proculdubio vltionem à Deo expetunt, suisquè vltrò ipsum vocibus ad condignas ex impijs reposcendas pœnas lacessunt. Inter hæc autem illud vti omnium meritò scelus ob sui atrocitatem maximum, homicidij videlicet reatus, profususquè per vim, ac dolos hominum sanguinis æquo, sapientique omnium calculo computatur. Quod sanè olim Caino mortalium nequissimo, ac fratris iugulatori pessimo, Deus ad suum illicò Tribunal his quidem vocando repetens verbis inculcat: *Vox* (inquit) *sanguinis Fratris tui clamat ad me de terra*. Delictum quippe, quod Deum qui totus (vt Augustinus ait) *oculus est, quia omnia videt*, latere, & cuncta probè scienti, quoquo modo abscondere infelix præoptabat, altiùs in Dei auribus inclamando, ipsumquè ad vindicandum interpellans, haud facinus diù aliorum documento impunitum abire sustinuit,

Homicidiũ atrocissimũ præ cunctis scelus.

Genesis cap. 4. n. 10. Augustin. epist. 111. ad Fortunat.

totũ quippe in Dei auribus immanis noxę piaculum vox erat, quæ funesti auctorem parricidij ad iustas tandem pœnas repetebat, vt aptè Augustinus edisserit: *Clamorem* (inquit) *solet ponere scriptura pro tanta impudentia, & libertate; vt nec verecundia, nec timore abscondatur*. Horrendum itaque capitalis noxæ genus designatur, quod sic ad Deum iugiter vociferando inualescit, vt ipsum vel nolentem, vel inuitum vlcisci, promeritasquè reo pœnas intentare compellat. Tria verò præ cunctis vti maximè capitalia scelerum genera iuxta id, quod Doctor Angelicus docendo monet, ad Deum vlla absque intermissione clamare dicuntur: Primum scilicet innocentis oppressio, atque iniusta ipsius per vim sanguinis profusio; vt de Abelis sanguine scriptura loquens testatur. Secundum infame Sodomitarum inuisum Deo crimẽ: *Clamor*(inquit)*Sodomorum,& Gomorrheorum multiplicatus est*: *Tertius verò fraus pauperum laborantium, iniustàque miserorum afflictio, iuxta illud; Ecce merces operariorum, qui messuerunt regiones vestras, quę fraudata est à vobis, clamat, & clamor eorum in aures Domini Sabaoth introiuit*. Quæ tria sane acerbiora, & magis præ cunctis horrenda scelerum monstra binis Carthusianus versiculis sapidè, eleganterque complexus, primatum inter scelera homicidio tribuit, eius apprimè atrocitatem exaggerando; hæc enim habet:

Clamitat ante Deum vox sanguinis, & Sodomorum,
Vox oppressorum, & merces detenta laborum.

Iustas igitur iure merito homicidij piaculum à Deo clamando iugiter pœnas exposcit, eiusquè purissimas ad iram contra delinquentes assiduè aures pulsat.

2. Porrò suam primum immanis homicidij noxa nonnisi ex fraterni liuoris fonte originem trahit, adeoquè meritò Ioannes Apostolus indè homicidij magis magisque reatum exaggerat. *Quicunque*(ait)*odit fratrem suum homicida est* & ipse qui fratrẽ odit iam apud Deũ homicidij reus efficitur*Et, rectè*(inquit Hieronymus)*cùm enim homicidium ex odio sæpe nascatur, quicunque odit, etiamsi nec dum gladio percusserit, animo tamẽ homicida est*. Si ergò haud culpæ immunis renunciatur, ac pœnæ item acerbæ subijcitur, qui vel odio in fratrem insurgit, quas profectò Deo daturus est pœnas, qui suas eius sanguine manus cõtaminare nõ dubitat? adeoque Deus vel in belluas iustè animaduertens; *Sanguinem*(inquit)*vestrum de manu earum requiram*: In ipsas quippe bestias, etsi rationis omninò, & culpæ expertes supremus rerum Arbiter durum exercendum iudicium, vt à culpa hominem absterreret, comminatus est; nec acerbã item suã in Dauide ob homicidij scelus Diuino plane calculo mulctam dissimulauit.

3. Atqui Pœnitentiæ virtus, vbi quis post homicidij reatum ex intimis dolet præcordijs, & quod ante per scelus admisit, seriò apud Deum retractat, ipsam quodammodò per pœnitentiam, vel postquàm corpus occidit, cum proximo charitatem reintegrat, Deumquè sibi ex irato propitium reddit; haud enim homicidij reus apud Deum est ille, quem seriò homicidam fuisse pœnitet, iuxta solemne illud Tertulliani carmen:

Non erit in culpa, quem pœnitet ante fuisse.

Quamuis verò homicida pœnitens, culpæ à Deo veniam dolendo sibi meruerit, dignas tamen à seipso, & acerbissimas quidem pro scelere pœnas expetit; adeoquè iudicium in se iustissimè Iudicis adinstar exercet, vt patratę atrocitas noxæ ipsiusquè homicidij animaduersio cunctis palam innotescat. Verùm vt consultò hic eiuscemodi reos criminis, ac pœnitentia salubriter expiatos recenseamus.

4. Dignum planè in se ipsum mortalibus Latro quondam pœnitentiæ argumentum præbuit, qui homicidij scelere obnoxius, cùm aliquot sub monachali veste annos pœnitentiam agens, in Monasterio præferuidè transegisset, tandem è Monasterio abiens, se Prætori ad iustas Deo exoluendas pœnas sponte obtulit, de quo isthæc in vitis Patrum: *Dicebat Abbas*(inquit)*Cùm sederem in Monasterio Abbatis Firmini, venit latro quidam ad Abbatem Zosimum Cilicem, & rogabat senem dicens: Fac charitatem per Deum, te precor, quia multis homicidijs obnoxius sum; Fac me monachum, vt iam tandem desistam à sceleribus meis: Senex verò exhortans illum,*

Marginalia:

Sanguis Abelis occisi vox erat in Dei auribus aduersus Cainum.

Augustin. lib. 1. in Genesim.

Tria scelerum genera vindictam apud Deum clamant ex Doct. Angelico.

Gen. cap. 4. S. Thomas opusc. de Erudit princip. lib. 7. cap. 12.

Carthusian. in script. in Gen.

Ioannis c. 3.

Qui fratrem odit, homicida merito dicitur.

Hieronym. epist. 19. ad Castorium.

Quia & si non gladio, animo tamẽ homicida est ex Hieronymo.

Per pœnitentiæ mulctam homicidij abolentur culpa, & læsa charitas reintegratur.

Tertullian. in carmine ad Senatorẽ à fide transfugam.

Homicida pœnitens nõ à Deo, sed à se pœnas reposcit.

Ioannes Moschus in vitis Patrum lib. 10. cap. 166.

Latro homicida multos annos in Monasterio pœnitens, demũ se ipsum Prætori ad supplicium sub eundũ sistit.

lum, fecit Monachum, & sanctum ei habitum dedit. Post modicum verò temporis dixit ad illum senior. Crede mihi fili, non potes hic habitare; nam si audierit Princeps, tenebit te, similiter & Aduersarij tui necabunt te: Sed audi me, & ducam te in Cœnobium Abbatis Dorothæi prope Gazam, & Maiumam; Illuc igitur iuit. Vbi cùm moratus esset annis nouem, didicissetq; psalterium, & cunctam monasticam obseruantiam, rediyt rursus in Firmini Monasterium ad senem, & ait illi: Fac misericordiam mecum Pater, & da mihi vestimenta mea sæcularia, recipe monastica; senior autem tristis effectus ait illi: Cur fili? qui respondens ait; Ecce nonam (vt nosti Pater) annos egi in Cœnobio, & quantum potui ieiunaui, & continenter vixi, & cum omni quiete, & timore Dei fui in subiectione, & scio, quia infinita Bonitas multa peccata mea remisit mihi: verumtamen aspicio sæpius puerulum astantem, & dicentem mihi; cur me occidisti? hunc autem aspicio in somnis, & in Ecclesia, & cùm ad communionem pergo, & in Refectorio hæc eadem mihi dicentem, & vel vna hora non sinit me quiescere. Itaque, Pater, abire volo, & pro puerulo moriar; frustrà enim, & sine vlla causa occidi puerulum ipsum. Sumptis ergò vestimentis suis exiit, & cum sic indutus pergeret Diospolim, tentus est, & sequenti die decollatus. Sic profectò dignè, ac verè pœnitens, quàmuis homicidij, se diù in Claustro affligens, reatum lacrymis expunxisset; pœnam tamen homicidæ legibus statutam, ipsum vlto, ac sollicitè nullo prorsus, sed sola instigante conscientia requirebat.

A puerulo, quem pridè occiderat, se assidue accusatum exagitari sentit.

5. Vt de homicidis itaque ad pœnitentiam confugientibus narrandi initiū sit, Sigismundus Burgundionum Rex, Vir valdè pius, qui & Monasterium Agaunense ædificauit, vt his Gregorius Turonensis verbis narrat: *Mortuo* (inquit) *Gundebaldo, Regnum eius Sigismundus filius obtinuit, Monasteriumquè Agaunense solerti cura cum domibus, Basilicisquè ædificauit &c.* Verùm Vir ita in Deum pius, in Sigericum filium impius postmodum extitit, adeò vt ipsius vxoris dolo aduersus filium, quem ex prima coniuge susceperat, instigatus eundem veluti ob violatam sibi fidem suspectum crudeliter necandū præceperit, vt Turonensis sic tradit: *Qui perdita priori coniuge filia Theodorici Regis Italici, de qua filiū habebat nomine Sigericum, aliā duxit vxorē, quæ validè contra filium eius, sicutnouercarum mos est, malignari, & scandalizari cœpit. Vnde factum est, vt solemnitatum die, cū Puer super eam vestiměta Matris agnosceret, commotus felle diceret: Non enim eras digna, vt hæc indumenta tua terga contingerent, quæ Dominæ tuæ, idest Matris meæ fuisse noscuntur. At illa furore incensa, instigat verbis dolosis virum suum, dicens: Hic iniquus Regnum tuū possidere desiderat, teque interfecto, id vsq; Italiam dilatare disponit: Scilicet, vt Regnum, quod Auus eius Theodoricus Italiæ tenuit, & ipse possideat; scit enim, quòd te viuente, hæc non potest adimplere, & nisi tu cadas, ille non surget. His, et huiusmodi ille innitatus verbis, vxoris iniquæ consilio vtens, iniquus extitit parricida: Nam sopitum vino dormire post meridiem filium iubet; cui dormienti lorum sub collo positum, ac sub mento ligatum trahentibus ad se inuicem duobus pueris suffocatus est. Quo facto Pater serò iam pœnitens, super cadauer exanime ruens, flere cœpit amarissimè. Ad quem senex quidam sic dixisse fertur: Te (inquit) plange admodò, qui per consilium nequam factus es parricida sæuissimus; nam hunc, qui innocens iugulatus est, necessarium non est plangi, nihilominus ille ad Sanctos Agaunenses abiens, per multos dies in fletu, et ieiunijs durans, veniam precabatur, psallentium (hoc est psalmodiam) ibi assiduum instituens. Agauno regressus est, vltione Diuina de vestigio eius prosequente. Huius filiam Theodoricus filius Clodouei accepit.* Hæc Auctot, ex quibus immanis, in quam Rex vxoris dolo, atque impulsu prolapsus est, crudelitas cunctis palam ostenditur. Quod item facinus Gregorius de gloria MM. agens meminit, ac Sigismundum facti seriò pœnituisse, Deumquè sibi propitium habere cupientem, ab Agaunensibus Martyribus enixis vltrò precibus expetijsse tradit; vt in hoc sæculo potiùs de horrendo (quod patrarat) scelere, quàm in futuro pœnas exolueret, assiduis lacrymis, & ieiunijs pariter conscientiam expiando.

Baronius an. 526 num. 44. Gregorius Turonensis lib. 3. de gestis Francorum cap. 6.

Sigismundus Burgundionum Rex homicidij reatum pœnitentia exoluit.

Turonensis vbi supra.

Sigericum filium suum nouercæ dolis extimulatus occidit.

Turonensis vbi supra.

Parricidio se turpiter, fœminæ præbens aurem fœdat, filium præfocando.

Lacrymis, & ieiuniis immane scelus expiare non desinit.

In hoc sæculo potius, quam altero se à Deo puniri postulat.

7. Verùm haud suis preces votis frustratæ sunt; Godomarus enim, & Sigismundus Burgundiæ Reges, iidemquè germani, à Clodomero victi, fugatiquè,

Sigiſmundũ ſubinde, dum iam ad Agaunenſes ſaltus fugeret, captum vnà cum filijs, atque vxore occidendum decreuerant: Sed ne occideretur, S. Auitus Nutiacenſis Abbas, egregiæ Vir Sanctitatis, precator acceſsit; ipſum verò nihil profeciſſe idem Gregorius hunc in modum tradit: *Diſcedentibus his Regibus Godomarus reſumptis viribus Burgundiones colligit, Regnumquè recipit: contra quem Clodomerus iterum ire diſponens, Sigiſmundũ interficere deſtinauit, cui à Beato Auito Abbate Nutiacenſi, magno tunc temporis Sacerdote dictum eſt: Si (inquit) reſpiciens Dominum, emendaueris conſilium tuum, vt hos homines interfici non patiaris, erit Deus tecum, et abiens victoriam obtinebis; ſi verò eos occideris, tu ipſe in manus inimicorum traditus, ſimili ſorte peribis, fietquè tibi, vxoriquè, et filijs tuis, quod feceris Sigiſmundo, et coniugi, ac liberis eius. Sed ille auſcultare deſpiciens conſilium eius, ait: Stultum enim conſilium eſſe puto, vt inimicis domi relictis, contra reliquos eam, eiſquè à tergo, hoc à fronte ſurgente, inter duos hoſtium cuneos ruam; ſatiùs enim, et faciliùs victoria parabitur, ſi vnus ab alio ſeparetur; quo interfecto, facilè et alius morti poterit deſtinari; ſtatimquè interfecto Sigiſmundo cum vxore, et filijs, apud columnam Aurelianenſis Vrbis vicum in puteum iactari pręcipiens, etc.* Hæc ille de illata Regi clade, qui & alibi tradit Sigiſmundi cadauer è puteo extractum ad Agaunenſe Cænobium, quod ab ipſo erectum fuerat, delatum, vbi & miraculis item, poſtquam pœnitentia præteritæ culpæ reatum expiauit, diuinitus effulſit; hæc enim in rem præſentem Gregorius.

Turonenſis de gloria Mart. cap. 75.

A Clodomero, & Sigiſmundo Burgundiæ Regibus captus tandem cum filijs perimitur.

A Beato Auito Abbate præmonitus, quod niſi ipſis pareret, ab ipſis pariter iugularetur.

8. *Poſtea* (inquit) *captus Sigiſmundus ab Clodomero Rege cum filijs, interfectuſquè eſt eius iuſſu, ad eundem locum (nempe Agaunum) ſepulturæ mandatus eſt. Quem in conſortium Sanctorum adſcitum ipſa res, quę geritur, manifeſtat. Nam qui nunc frigoritici, qui et quartanarij dici ſolent, et eius honore Miſſas deuotè celebrant; eiuſquè pro requie Deo offerant oblationem: ſtatim compreſſis tremoribus, reſtinctis febribus, ſanitati priſtinæ reſtituuntur.* Eius autem tumulo nobilis inſtar tituli, quæ Baronius in eius laudem ſubtexit, conſultò inſcribenda hìc ſunt: *Accidit autem, vt miraculorum ſigna ad Sigiſmundi ſepulchrum iugiter demonſtrata, tanquam Deo eius Sanctitatem teſtante, ipſe in ſacris Tabulis receptus fuerit, anniuerſaria vbique memoria celebrandus.* Quo quidem exemplo mortalibus demonſtratum eſt, quàm Deo grata, & accepta ſit poſt immane quoduis patratum facinus pœnitentię virtus, & quantum pręſtet hìc potius à Deo pœnam accipere delictorum, quàm in futuro damnandum ſæculo reſeruari. Pœnitentia quippe nedum ſuis veniam, ſed & Sanctitatis inſuper prærogatiuam, ac miraculorum quandoque à Deo obtinere gratiam conſueuit.

Turonenſis vbi ſupra.

Pœnitentia expiatus à Deo poſt mortem miraculis illuſtratur.

Turonenſis de gl. MM. c. 75.

Baronius vbi ſupr. n. 47.

Elogium Sigiſmundi ſepulchro à Baronio inſcriptum.

9. Homicidij autem tanti olim præ cunctis ſcelus apud B. Romualdum Claſſenſium Abbatem momenti habitum eſt, vt paternæ in ſe ipſo culpę rigidus, ſeueruſquè exactor, & vindex in primis inexoratus extiterit. Enimuerò cùm Sergius ipſius Pater cum quodam rixas aliquando exercens, armis rem ageret, occiſus forte aduerſarius cecidit; ipſe verò, quia rixæ dumtaxat ſpectator interfuit, & culpæ immunis (haud enim vulnus occiſo inflixerat) attamen reum ſe computans non leuem, vulgaremque ſibi pœnã indixit, vt Petrus Damiani ſic tradit: *Sergius* (inquit) *eius Pater, dum aduerſus quendam propinquum ſuum exortis ſimultatibus pro poſſeſſione partis inimicitias exerceret, videns filium Romualdum in contentione molleſcere, crimenquè fratricidij medullitus formidare, minari cæpit ex hæredem facere, ſi in eadem diutius ſententia permaneret. Quid plura? Tandem vtręque dimicantium partes ex Vrbe ad litis materiam prorumpunt, arma corripiunt, bellum ſociale committunt, et dum cominus hinc inde pugnatur, repentè manu Sergij inimicus, et affinis occiditur. Romualdus autem licet nullum perempto vulnus inflixerit, quia tamen interfuit, pænitentiam tanti reatus accepit: moxquè ad Claſſenſe Monaſterium Beati Apollinaris, more homicidarum, diebus quadraginta permanſurus in luctibus properauit. Illic autem diſtricta ſe pænitentia iugiter macerans, cæpit cum quodam Conuerſo quotidianum habere colloquium, à quo etiam iuxtà mediocritatem ſenſus bonæ exhortationis audiebat ſæpe conſilium. Quē cum Conuerſus frequenter admoneret, ſæcularem vitam omninò poſtponere, et ad Sanctæ conuerſationis Ordinem feſtinare; ſed ad* hoc

Petr. Damiani in vit. S. Romualdi 19. Iunij an. 980.

S. Romualdus Abbas ſeuerè in ipſo Patris homicidium punit.

Quia prælio tantum, interfuit, nec gladium extraxit, mox ad Claſſenſe Monaſteriũ conuolat.

hoc mentem eius humiliare nullatenus possset, etc. Hæc ille. Apparente autem sibi Beato Appollinari, ac cœlesti visu confirmatus, Mundo se protinus abdicans, ad Classense Monasterium contulit, vbi austeriorem vitæ normam vnà cum monachali veste arripuit, acerbas pro homicidij, quod Genitor patrarat, piaculo, toto vitæ tempore pœnas daturus.

Pœnitentiæ vitę se ipsū deuouet.

Petrus Damiani in vita S. Romualdi Abbatis c. 14.

10. Atquì Sergius item ipsius Romualdi Pater, facti postmodum pœnitens, ipsiusq; tum monitis, tum exemplo compunctus; ad pœnitentiæ lamenta pro homicidij noxa confugiens, sæculo se abdicans, Classensis Monasterij Monachis aggregari voluit, vt sic rem Damianus prosequitur: *Interea* (inquit) *Sergius Pater Romualdi Monachus efficitur, sed aliquantò post suadente Diabolo, facta confessionis pænitens, in Aegyptum redire conatur. Quod protinus Monachi Cœnobij S. Seueri, quod non longè ab Vrbe Rauenna est positum, vbi corpore, non corde Sergius habitabat, B. Romualdo indicare per nuncium studuere, etc. Hac ille sinistra relatione perculsus, necessarium esse decreuit, vt Guarinus Abbas, et Ioannes Gradenicus vnà cum comite ad eius conuersionem pergerent, ipse verò perenni Patri quantocyus subueniret, etc.* Quanta verò Romualdus Genitorem ab arrepto Religionis proposito resilientem verborum vi, & sui auctoritate peruadens, seuerioris disciplinæ norma mulctauerit, sic Auctor prosequitur. *Deinde* (inquit) *iam libera vti facultate permissus, non equo fultus, non vehiculo deportatus; sed solùm in manibus ferens baculum, nudis plantis ex intimis Galliarum finibus Rauennam vsque peruenit, ibiquè Patrem ad sæculum reuerti violentem reperiens, in ligno pedes eius fortiter strinxit, clauibus duris affixit, et tandiù corpus eius pia seueritate perdomuit, donec eius mentem ad salutis statum Deo medente reduxit. Sergius igitur tandem sana mentis recepto consilio, quidquid priùs retrograda voluntate deliquit, multipliciter postmodum rectis sanctę conuersationis gressibus emendauit, etc.* Demum Sergius in arrepto mentis proposito præferuidus adeò perstitit, vt cælestibus item visis dignus sit habitus, ac pœnitentia salubriter expiatus, in Pœnitentium Castris sancto fine quieuerit. Hæc enim Damianus: *Qui statim* (inquit) *idest post visionem languore correptus, lecto decubuit, et intra paucos dies felici consummatione vitam finiuit. Hinc sanè probatur, quod Diuina voce ad Moysen dicitur: Non enim videbit me homo, et viuet, etc. Rectè igitur Sergius postquàm æternam vitam, quę Deus est, cernere meruit, à temporali mox vita defecit.* Sic planè in austeriore Monachorum Claustro vsque in vitæ finem pœnitens, patrati homicidij culpam sibi à Deo relaxari promeruit.

Sergius Romualdi Pater pro homicidio compunctus Monasteriū pęnitens subit.

Quam seuerè in patrem Romualdus in stabilem ǹ bono mẽte puniuerit:

Petr. Damiani vita S. Romualdi Abbatis.

Sergius pœnitentium operibus intendens, ac se ipsum maçerans diem obit.

11. Capitalis itaque homicidij noxa nonnisi acerbioribus, iusto tum Dei, tum hominum calculo, digna pœnis ex Diuinarum, humanarumquè legum præscripto censetur. Quapropter Otho Imperator cùm in Crescentium suis obsistentem votis, & armorum conatibus insurrexisset, in ipsum adeò exarsit; vt expugnato S. Angeli Castro, ipsum omnimodis occidi iussisset, eiusquè sibi vxorem scelus sceleri addens concubinam iunxerit: Quo quidem sic ob effusi piaculum sanguinis, tum apud Deum, tum apud homines offendit; vt non nisi maximè acerbis subinde, præ sui magnitudine f[...]nus, ipsius B. Romualdi Abbatis calculo pœnis fuerit compensandum. Sed quid Vir Sanctus Othoni Imperatori ad dignè pœnitendum indixerit, videamus: *Ipse* (inquit) *ex eodem crimine Beato Viro confessus, pœnitentiæ causâ nudis pedibus de Romana Vrbe egrediens, vsque in Garganum Montem ad S. Michaelis perexit Ecclesiam. Per totam etiam Quadragesimam in Classensi Monasterio Beati Apollinaris, paucis sibi adhærentibus, mansit: Vbi ieiunio, et psalmodię, prout valebat, intentus, cilicio ad carnem indutus, aurata desuper purpura tegebatur. Lecto insuper fulgentibus pallijs strato, ipse in storea de papyris confecta, tenera delicati corporis membra tenebat. Promisit denique B. Romualdo, quòd Imperium relinquens, Monachicum susciperet habitum, et cui innumeri mortales erant obnoxij, iam ipse pauperculo Fratri capit esse subiectus.* Sic itaque iustè vel in supremo Romanorum Principe Romualdus admissum homicidij reatum seueris vltrò, ac diutinis mulctandum pœnis censuit, dum ipsum è throno deiectum pœnitentię causâ, Imperiali tum sceptro, tum corona, relicto sæculo abdicandum edixit.

Baronius an 996 n 7.

Otto Romanorum Imperator ob Crescentij necem pęnitens quibus pęnis à B. Romualdo sit perculsus.

Petr. Damiani in vita S. Romualdi cap. 17. apud Surium die 19. Iunij.

Nudis pedibus Ad S. Michaelis Ecclesiam in Gargano monte pergit.

Cilicio, ac ieiunijs intentus, se Monachum futurum promittit.

12. Et

S. Thomæ Cantuar. Episcopi interfectores.

Baronius an. 1170 n. 44.

12. Et impij quidem, ac sacrilegi olim Henrici Anglorum Regis satellites, cùm Regem Thomæ Cantuariensi Episcoporum Sanctissimo acriter indignatum probè scirent, dolentemquè iugiter animaduerterent; adeò vt ipse eundē haud alio nomine, quàm sui perturbatorem Regni, persequutorem Episcoporū, omnium insuper malorum facem, ac bonorum destructorem diceret, ac manifestum item Regis inimicum, atque Episcoporum suo nōnulli adblandientes Regi inclamarent, quo ipsius nimirum isti malis sibi artibus gratiam conciliarent: vbi Principem furoris æstu abductum in aspera, amarulentaque verba prosilientem audierunt, regijs permori vocibus, & non secus ac ardentibus extimulati facibus, vnanimes necem Sanctissimo inferendam Viro condixere; hæc enim Ioannes Saresberiensis tradit. *Sepe sæpius* (inquit) *ex ira inflammatus, in funestam vocem erumpens, omnes, quos nutriebat, qui familiaritatis gratia, & beneficiorum collatione sibi obnoxij fuerant, maledixit; quòd ipsum de vno Sacerdote non vindicarēt, qui ipsum, & Regnum suum sic turbabat, & suis dignitatibus exauctorare, & exhæredare quærebat*. Hæc, & id genus alia amarulento Rex ore in dies ingeminans, eructansque omnes planè suos in Dei Virum velut in apertum sui hostem, verborum aculeis, atque auctoritatis imperio vrgebat; è quibus milites quatuor cæteris in aula arrogantiores, iunctis sibi inuicem in execrandi sceleris fœdus dexteris in Archiepiscopi necem per summum scelus conspirant: Moxquè in Angliam profecti, Archiepiscopum conueniunt, miscentesquè in ipsum verborum iurgia, ac rixas passim concitantes; occasionem, quam ad perpetrandum facinus præoptabant, ex inuicti animi constantia, ac libertate, qua Præsul dignissimus pro ruendis Ecclesiæ iuribus loquebatur, scelestissimè captant. Firmato igitur sacrilegæ inuicem pactionis consilio, ipsum post festum SS. MM. Innocentium diem, insontem vtpotè ac omni præditum innocentia virum, Beatis Christi Martyribus, & mox Cœlo, vti hostiam Deo dignam aggregandum gladijs confodiunt, sed impiam hominum carnificinam, ac Beato Præsuli intentatam impiorum manu necem, Rogerius in Anglicanis Annalibus hunc in modum tradit.

Ioan. Saresberiensis.

Vt Henrici Regis gratiā sibi conciliēnt in Thomæ caput conspirant.

13. *Vix* (inquit) *Pater in Ecclesia sua per mensem moram fecerat, et ecce quinta die Natalis Domini venerunt Cantuariam quatuor milites, immo Satanæ condicti satellites, quorum nomina sunt hæc: Vuillhelmus de Traci, Hugo de Moreiule, Richardus Brito, Reginaldus filius Vrsi, viri quidem generis præeminentia conspicui, sed enormis sceleris ausu militiæ gloriam, & stemmatis titulum perpetua ignominia mox damnaturi. Hi ergò introeuntes ad Archiepiscopū; et quia non directa in manu eorum ex concepta malitia salutationis eloquium prætermittentes, cum fastu, et superbia alloquuntur. Accipiunt, reddantquè minas minis adijcientes responsum. Denique probra, et contumelias post se relinquentes, exierunt continuoquè reuertentes, Claustrum Monachorum irrumpunt cum multa armatorum sequela, et ipsi armati. Iam Præsul cum modestia, et grauitate præcesserat eos in Oratorium, suadentibus, immò et compellentibus Monachis propter diem solemnem ad peragendam vespertinam synaxim, cùm eos respiceret in medio Claustri armatos, arcere eos debuit propria malignitas; sed nec facinus dissuasit solemnitatis reuerentia, nec à sanguine cohibuit Patriarchæ innocentia: vsque adeò occupauit, et excæcauit eos impudorata patrandi facinoris voluntas; vt nec militiæ iacturam recogitarent, nec vllius discriminis haberent æstimationem. Præcipites ergò, et stupidi insequentes Archiepiscopum, extractis gladijs intrant Ecclesiam, furiosè clamantes: Vbi est proditor ille? nemine verò respondente, ingeminant illi: Vbi est Archiepiscopus? sciens itaque Christi Confessor, et Martyr mox futurus, priori nomine se falsò impeti, alterum verò sibi pro officio competere, à gradibus obuiam illis progrediens: Ecce (inquit) adsum.*

In festo SS Innocētium Martyrum, insons Episcopus ab impijs occiditur.

In ipsa Ecclesia Christi Præsulē orantem inuadunt.

Rogerius de martyrio S. Thomæ Cantuarien.

14. *In tanta autem se exhibebat constantia, vt nec animus eius pauore, nec corpus horrore concuti videretur. Cui vnus funestorum militum in spiritu furoris intulit: Tu modò morieris; impossibile enim est, vt vlterius viuas. Respondit autem Archiepiscopus non minori constantia verbi, quàm animi: Ego pro Deo mori paratus sum, et pro assertione iustitiæ, et Ecclesiæ libertate; sed si caput meum quæritis, prohibeo ex parte Omnipotentis Dei, et sub anathemate, ne*

Archiepiscopi tum respondendo, tum moriēdo constantia.

cut-

cuiquam alij, siuè Monacho, siuè Clerico, siuè Laico, maiori, vel minori in aliquo noceatis; sed sint à pœna immunes, sicut extiterunt à causa. Verba eius nomine Christum exprimere videntur in Passione dicentem: Si me quæritis, sinite hos abire. Cui statim injicientes manus milites tenuerunt, vt extra Ecclesiam ad peragendum propositum traherent, sed non potuerunt. Videns ergò Archiepiscopus carnifices eductis gladys, in modum orantis inclinauit caput, hæc nouissima proferens verba: Deo, et Sanctæ Mariæ, et Sanctis huius Ecclesiæ Patronis, et B. Dionysio commendo me ipsum, et Ecclesiæ causã, et post multa: Stabat ergo adhuc iustus pro iustitia patiens velut agnus innocens sine murmure, sine querimonia, seipsum holocaustum offerens Deo, etc. Quartus miles igitur mucrone vertici intruso cerebrũ eius cum sanguine super panimentum lapideum effudit, etc. Consumans ergò mortem Abel in martyrij gloria in breui expleuit tempora multa, etc. Hic tandem finis Thomæ pro Ecclesia Dei sanguine candidati, ac Martyrij palma in Ecclesia illustris, quem impia sicariorum manus è vita, terrisq; sublatum Cœlo, ac Martyrum choris inuexit. Mox autem in perduelles, ac barbaros eiusmodi tui ipsorum victoria victos, captiuosquè formido impietati, & pauor conscientia facinoris admissi, plus quàm Auerni furijs exagitatos irruit; qui cùm se hominibus inuisos, ipsisquemet belluis ob anathematis notam execrandos viderent, miseri reuertentes ad cor, ipsius, quem fuderunt, emolliti sanguine ad pœnitentię remedia vel serò cõfugiunt, & Beatissimum Præsulem, quẽ dirè adeò pridem trucidarant, inuocantes, immensam sibi à Deo ipsius meritis misericordiam implorant, nec frustra preces: nam salubri iniuncta sibi ad immane expiandum crimen pœnitentia à Romano Pontifice, ad quem pœnis, ac doloribus tabescentes profugerant, intimò singuli ex corde compuncti, diem deniquè magnã salutis spe concluserunt; vt ex quadripartita historia apud Baronium his verbis traditur:

Ne cuiquã è suis nocerent discipulis præcipit

Alter veluti Abel capite percussus Martyr obit

Interfectores Caini ad instar timore, ac tremore corripiuntur.

Baron. ann. 1172. n. 16. 17. Historia Tripartita.

Ipsis belluis ob scelus inuisi sunt, dum famelici canes panem ab eis recusant.

15. *Inter hæc autem sacrilegi illi percussores, qui hactenus extremam Angliæ orã in vnius ex eis possessionibus habitarũt, cùm viderent se ab omnibus hominibus vitari, quin etiã ab animalibus, vt execrabiles haberētur (canes enim quantumlibet famelici panem ab eis porrectum, vt intinctum veneno anathematis horrebant, longiùs autem à se ipsis eos sua ipsorum conscientia mali conscia propulsante) inuocantes eum, quem percusserunt Sanctum, ab eo quærunt misericordiam, in quem extitissent ipsi immisericordes, et crudelissimi; quibus inter lachrymarum imbres, nebulasquè mæroris lux effulsit spei veniæ impetrandę, iterquè ostenditur, nempè vt Romam se conferant ad Christi Vicarium Alexandrum, ad cuius vestigia procidentes, peccatumquè admissum aperientes, ab eo remedium, quod exhiberet, acciperent. Veniunt Romam, etc. et post multa. Iubentur itaquè in expiationem immanissimi sacrilegij transmarinas quærere Christi præsentia illustratas regiones, petere loca Sancta, vt vbi Christus operatus est salutem in medio terrę, &c. illic ipsi, qui iniquissimè sanguinem fudissent innocẽtissimũ, eius sanguine mundarentur. Dum pergunt, vnus ex illis, idemquè Princeps, et instigator, primusquè percussor Sanctissimi Viri, etc. vbi in Calabriam peruenisset, morasquè nectens Cosentiæ, graui percussus corporis infirmitate, cogitur remanere, etc. Etenim tali percutitur infirmitate, vt putrescentibus carnibus, apparentibus neruis, et ossibus, eadem è compagibus suis soluta, siue spontè diffluentes, siuè manibus ipsius sui carnificis, doloris impatientis diuellerentur, inuocantis iugiter in auxilium, quem occidisset Martyrem Thomam, quò vsque extremum efflauit spiritum, etc. Porrò tum hunc, qui Cosentię decessit, tum tres illos, qui Hierosolymam nauigarunt, non vltra triennium ab illata nece Martyri superuixisse in eadem citata nuper historia constanter asseritur, sicquè sequentis anni curriculum neminem excessisse. Illi verò in loco dicto Monte Nigro tanquam carcere pœnitentię clausi iussu Põtificis extremum clausere diem, vtiquè pœnitentes; nam et honesta sepultura dignati, nempè ante ostium Templi: vbi (inquit Rogerius) eiusmodi apposita fuit inscriptio: Hic iacent miseri, qui martyrizauerunt B. Thomam Archiepiscopum Cantuariensem.* Et hæc sunt, quæ ex Rogerio Baronius colligens præmemoratis tanquam nobile, ac Deo gratæ, acceptæque pœnitentiæ monumentum statuit. Primus igitur carnibus putrescentibus Beatum Christi Martyrem supplex, ac fiducialiter inuocans,

Pænitentes, & Christi Martyrẽ inuocantes veniam obtinent.

Romam ad Pontificẽ se conferunt, & pœnam sibi indictam subeunt.

Vnus dux aliorum graui morbo absũptus obit.

Alij tres sicarii, etsi pœnitentes non vltra tertium annum vitę superstites.

Sepulchralis ipsis inscriptus titulus.

cans, cum magna spe salutis decessit, tres verò alij Hierosolymam profecti, & in Monasterio reclusi non vltra triennium vitam prorogantes, pœnitentia ibidem salubriter expiati, viuendi finem fecere.

16. Ipsis verò indulta homicidis diuinitus pœnitentia, non nisi Christi Martyris, quem occiderunt, sanguini tribuenda est; Beati Thomæ quippe Cantuariensis inter hostiū gladios perempti, velut Christi, ac alterius innocentis Stephani cruor, & suprema ipsius inter moriendum oratio suis haud percussoribus vindictam, sed culpæ indulgentiam poscens impetrauit: *Ignosce* (inquit) *quia nesciunt, quid faciunt*. Christus namque *non se vindicari, sed nobis postulabat ignosci*. Nouum siquidem vindictæ genus, vt Beati ipsius carnifices post carnificinā cōpuncti Deo lucrum, non præda Inferno cederent. Miram verò in vno Thoma clementiam patientiæ adiunctam, absolutamquè numeris omnibus virtutum formam Aloysius Iuglaris meritò quidem admiratus, hæc ipsi totidem, quot verba, elogia se digna statuit.

In homicidarū pœnitentia præ Martyris preces exaudiunt.

Ita Regi placuit,
Vt alterum penè faceret Regem.
Ita Deo, vt alterum penè redderet Deum.
Cùm ità placeret omnibus,
Sibi vni non placens,
Et Regis, & I ei suffragys factus Antistes,
Eò deuenisse doluit,
Vbi & Deo placere non posset, & Regi, &c.

Aloysius Iuglaris lib. elogiorum elogiorum pag 162.

Dignum Beati Martyris elogiū, et atque me ritis inscriptum ab Aloysio Iuglari.

Et infrà ipsius in afferenda, tuendaquè omnimodis veritate constantiam, ac Sacerdotalis inuictum insuper animi robur expendens, sic ait.

Iuglaris vbi supra.

Principum legibus obstare paratus,
Si Diuinis obstarent,
Cùm Regi dare non posset,
Nisi quod eriperet Deo.
Ingratus videri potuit, quàm esse, &c.
Aulę iam grauis, quia leuis esse nesciret;
Ibi diutius esse noluit;
Vbi secum veritas libera esse non posset.
Nobilis exul vbique patriam inueniens.
Optimam causam
Tolerantiâ sua meliorem effecit.

Quæ Sacerdotalis pectoris constantia.

Sed pronus semper ad indulgendum animus, & perpetua in vlciscendis iniurijs mititas, ac iniuriarū obliuio, nobilem ipsi tum Cœlo coronam, tum etiam & interris triumphum promeruit. Hæc enim idem, qui suprà.

Quæ & quanta in Beati Martyris animo virtutes.

Nunquam memor iniuriæ;
Nisi vt condonaret.
Suorum ærumnis indoluit, non doluit suis,
Tempori seruiens, vt Deo seruiret impensiùs:
Inter Monachos ità vixit in syluis,
Ac si nunquam inter Aulicos
Vixisset in Vrbibus, &c.
Exilium sæpe permutans,
Animum nunquam;
Reuocatus in patriam,
Vt inde parricidio pelleretur.
Maluit adulatorum gladijs
Inter aras occumbere,
Quàm adulator in Aula regnare,

Maluit adulatorum gladiis occumbere, quam adulator in aula regnare.

His profectò notis inuicta Thomæ in condonando mititas, in tolerando constantia, & in diligendo charitas laudari à mortalibus, ac demum ab immortali Deo coronati promeruit.

17. Demum hic, vbi de homicidis sermo adhuc est, à prædictorum consortio ipse, qui occidendi, causam dedit, & homicidij suspicione haud caruit, ac ob id tandem verè pœnitens è vita decessit, seiungendus procul dubio non est; Henricus videlicet, Secundus huius nominis Angliæ Rex, qui cum sæculari fretus potentia, cuncta tum Dei, tum Ecclesiæ iura floccifaceret, ac plura aduersus Ecclesię libertatem per scelus quotidie moliretur, B. Thomā Cantuariensem Archiepiscopum, ac si totius Ecclesię propugnaculum, suis validè conatibus, imperterritoq; semper animo resistentem nactus, ferro neci ipsius quo quo modo aditum patefecit. Enimuerò cùm dignus Præsul eos, qui erant Clericali militiæ adscripti, sæculari mulctandos gladio, ac Regię potestati tradere nollet, Regem propterea acriùs infestantē expertus, alios quoque Anglicanæ Ecclesiæ Præsules in se ab eodem concitatos offendit. Quapropter Thomas terga vertere compulsus est, ac Rex tam Episcopales redditus, quàm consanguineorum eius Fisco addicere nil veritus, suo fręna furori laxans, cunctos exilio mulctauit. Atqui Alexander Tertius Romanus Pontifex ipsum ab insequendo Christi sacerdote, sed frustrà, reuocare conatus; tandem cùm Cantuariensis Ecclesiæ bona sibi vsurpasset, monitusquè, vt redderet, in Sanctissimum Præsulem vehementiùs exacerbatus, itaquè

Baronius an. 1171. n. 5.

Henricus II. Angliæ Rex Thomæ infensus ipsum persequitur.

Ipsum, & consanguineos fisco mulctat.

què æſtuans, ſic ſuam verbis ſortem doluit, Epiſcopum ſibi maximè infenſum teſtatus eſt, vt quatuor milites rem maximè Regi gratam facturi, gladio eũdem trucidare decreuerint. Quo ſubinde immani facinore à nefarijs nebulonibus patrato, Alexander Pontifex in ſacrilegos, impioſque carnifices, ac fautores pariter, anathematis gladium exeruit. At Rex tandem ſceleris, cui quoquo modo viam viſus eſt præmonſtraſſe, immanitate perſpecta, facti pœnitens, Apoſtolicæ Sedis Legatis ſe humiliter ad faciendum vltrò ſatis, promptum, paratumque exibens, quæcunque ſibi iniunxere, humiliter exequi nõ recuſauit; adeoq; extra Eccleſiam ſe ab ipſis amandari ſuſtinens, ibidẽ abſolui, ac ſibi pœnitentiã obeunti filium adeſſe voluit: quem quidem Deo poſtmodum vlciſcente, ac filios reliquos in ſemetipſum rebelles inſuper expertus eſt. Verùm quia ex corde pœnituit, teſtatiſſima cunctis præſeruli pænitentiæ gna, dum ſupplex ad Beatiſſimi Præſulis martyrio candidati ſepulchrum, veniam petiturus acceſſit; ibiquè vili indutus in pænitentium morem amictu, diem ac noctem ieiunijs trãſigens, ſacra Epiſcoporũ manu verberibus multipliciter affici, nec non à Monachis pariter flagellari aliquãdo ſuſtinuit. Cùm diù igitur ob culpam doleret; tandem infirmitate correptus vere pœnitens è vita deceſſit. Sed iſthæc ex Annalibus hic ſummatim reperẽda ſunt; & quidem de Regis pœnitentia hæc Baronius:

Non niſi in Regis gratiã Thomas præmemoratus occiditur.

Rex humillime pœnitentiã ob homicidij ſuſpitionem amplectitur.

Baronius An. 1174. num. 5.

18. *Hoc* (inquit) *planè vnum deſiderari poterat, ad pleniſſimam Regis ſatisfactionem, & quem offendiſſet toties verbis, atque factis, et cauſam præbuiſſet necis eius, purgaret id ipſũ publica pænitentiã ad ſepulchrum Martyris; quod expleuit abundè. Mirum dictù, quòd Regem iſta adeò neceſſaria præſtare negligentem, ſicque morãtem neceſſitas coegit quàm pleniſſimè exhibere. Quomodò autem iſta ſe habuerint, ad martyris glorioſiorem, & auguſtiorem triumphum deſcribere ex Hereberto, qui aderat, non grauabimur.* Hæc Baronius, qui mox ſcriptoris prælaudati verba ſubtexens: *Verum* (*ait*) *modico exacto tempore, nempe biennio elapſo, inter Regem Patrem, & Regem filium profana ſeditio, & bellum inteſtinum exortum eſt; adeò vt aduerſus Regem Patrem, & ſui ferè omnes, & etiam alieni Francorum videlicet Rex in potentatu ſuo magno) cum filio Rege fœdus iungentes inſurrexerint Reges terræ, & Regna, & nationes & Populi, tam ſui, quàm alieni aduerſum ſolum Regem Patrem armarint. Igitur Pater Rex quid faceret? quò ſe verteret? ad quos declinaret?* Et poſt multa Regis ad Beati Thomæ patrocinium, quem ipſe hoſtiliter olim fuerat inſequutus, & pro cuius nece pœnitentiã agens, culpæ à Deo veniam, ipſiuſque meritis gratiam ſibi conciliaſſe ſperabat tot inter deprehenſus anguſtias, præfidenti animo confugiendũ ſtatuit. *Qua propter ſola* (inquit) *ſpe aduerſus hoſtes ſuos armatus tranſiuit maria, & omni occaſione, & dilatione poſtpoſita Cantuariam venit.* Quæ autem.

Exorta inter Regem, & filiumd iſſidia Henricus in anguſtias redigunt.

Herebertus in Henr. 6. Anglorum rege.

Beati Thomæ aduerſus hoſtes opem implorat.

19. *Verùm Rex antequam Ciuitatem vt ipſam, vidit Metropolitanam Eccleſiam, in qua Martyr requieſcit, mox incredibiliter humiliatus, deuotus, exinaniuit ſe poteſtate tanta, pauperis ſerui formam induit, nudis pedibus, totoquè nudato corpore, præterquam vili quadam tunica ſuper nudo amictus, & pedes, & nudus ſic palam in omnium conſpectu Ciuitatem intrauit, & per vias, & plateas Ciuitatis lutças tanquam de plebeijs viliſſimus vnus abiectè ſic inceſſit. Ecce Dauid alter, &c. qui ſicut filio ſuo Abſalone ob peccatum ipſum perſequente, nudis plantis Ciuitatem exiuit, itã iſte ſecundus Dauid ingreditur. Et ita ſuſpirijs, & gemitibus, tot gentibus, & nationibus tremebundus ipſe timens, ac tremens, Martyris adijt ſepulturam. Vbi tota illa aduentus ſui die, & nocte ſequente ieiunus, & peruigil ante martyrem pernoctauit, & pias apud martyrem orationes effundens, eius meritis, et orationibus, & patrocinijs in tam arcto toto cordis affectu ſe commendans, &c.*) Et Regis ſubinde culpã intimo corde dolenris, & veniam a Chriſti Martyre, auxiliaremque ſibi ipſius è Cœlo manum implorantis exemplum his verbis proſequitur:

Herebertus in vit. S. Thomæ Cantuarien. ſis.

Diuina regis tuga Chriſti Martyrem obſequia.

20 *Ibidem* (*ait*) *coram Martyris ſepultura, quam coram ipſo martyre Sancto illo, et venerabili Fratrum cætu conuocato, à ſingulis virgæ diſciplinaris percuſſiones ſingulas velut quaſdam ſecundas quadragenas Apoſtolicas, immò Regias, nouas, & (ſicut arbitror) vſque tunc inaudita accepit.* Cui paribus verbis Eduardus conſonans

Herebertus vt ſupra.

Baronius an. 1174. num. 7.

Ante martyris ſepulchrum à mo-

nachis iuxta Ecclesiæ ritum flagellis cęditur. Eduardus in S. Thoma Cantuarien.

hæc addit *Vesse* (inquit) *se nudans, caput in tumuli fenestram magna humilitate submisit, ita vt omnes eo spectaculo, ad lacrymas mouerentur. Primo que ab Episcopo quinquies cæsus est, deinde à monachis amplius octoginta ternos accepit ictus.*) Herebertus autem sic rem totam concludit: *Rex* (ait) *tanquam verè pænitens pro tāti martyris deuotione, & martiry virtute abdicauit malas & iniquas, bonas verò solùm seruandas leges sanxit imposterum.* Quibus narratis victoriam hūc in modum poenitenti è Coelo Regi tū ex Aduersarijs, tum ex filijs donatam affulsisse affirmans, hæc habet: *Rex* (inquit) *rem totam adscripsit Domino: & glorioso Martyri Thomæ, cui erat certissimè adscribenda.*) Demum Baronius isthæc ab ipso Rogerio mutuatus, Regem ob Pœnitentiæ meritum innumeris plane bonis auctum his verbis tradit: *Rogerius in Annalibus* (ait) *hoc anno pluribus narrat, quot ex ipsa pænitentia idem Rex bona fuisset consequutus; cum omnes aduersarios, quos Deus conuerterit in amicos, & obsequentes, filiumque Regem rebellem vnà cum fratribus redire fecerit ad Patris gremium pacificum, & pænitentem: hæc omnia inexpectata hoc eodem anno, Rex à Deo feliciter, ac facilè fuit bono pænitentiæ consequutus.* Quibus præmissis, coronidis instar, à nobis subtexenda hìc quæ Regi contigere, his ex Baronio verbis excerpta.

Herebertus vit S Thomæ Cant. In Vere pænitens iniquas leges abolet, & bonuus Sancit.

Baronius vbi supra num. 7

Martyri cūliatus bonis à Deo post aduersa cumulatur.

21 *Ecce* (inquit) *certamen Martyris audistis, & finem Domini vidistis, qui viuens, nec adminiculis Romani Pontificis, nec Regis Francorum, aliorumquè Principum superare potuit perfidiam Regis Anglorum; de ipso iam triumphauit occisus, superauit cùm iam putaretur extinctus. Istiusmodi sunt noua prælia Domini, vt exurgant mortui vindices, & de persecutionibus sic exigant, Hatuanquè tropheu, qui iam oppressi, et compressi, & ad nihilum penè redacti, à persequentibus hostibus videri poterant.*) Hæc Baronius; plura item & alia Petrus Blessensis in præmemorati Henrici Regis laudem, ipsum à parricidij crimine excusando vindicans; Quo plane argumenti genere vsus, volumen Regis ipsius laudes, celebrando, vt in Epistola ad Sacellanos Regis Catholicos meminit disertè, ac luculenter cōscripsit, quibus præferuida Hērici pœnitentia satis superque dicendò comprobatur.

Baronius vbi supra n. 2. 9.

B. Thomas martyr de Henrico, in ipsum beneficus beneficijs triumphat.

Petr. Blessen. epist. ad Sacellanos Henrici.

22 Verùm quò magis vnicuique constet, quod Henricus Rex pœnitendo ex corde resipisceret nec, Archiepiscopū ipse neutiquam trucidandum præceperit, & quòd item se ad cuncta, quæ sibi à Romano Pontifice, eiusque Legatis iniuncta forent, promptum exhiberet, ex pagina, in qua integrum (quod à Rege præstitum est) iuramentum, exponitur, & ex actibus Alexandri Tertij Romani Pontificis ex Vaticano Codice his verbis recensenda sunt. *Ego Henricus iuro super hæc Sancta Dei Euangelia, quod mortem Thomæ Archiepiscopi Cantuariensis, neque cogitaui, neque sciui neque fieri præcepi, &c.* Et multa se subinde præstiturum promittit. Quibus planè verbis Regem factis, nedum verbis poenitētiam sectatum, omnem prorsus, si quam perpetrandæ ipsius neci, vel nesciens causam dedisse visus est, delicti penitus culpam diluisse cōstat. Demum Rex post multos in administrando Regno annos laudabiliter exactos, pœnitens è vita decedēs, totius vitæ cursū feliciter absoluit, vt Baronius his verba tradit: *Henricus* (inquit) *Anglorum Rex in octauis (vt idem ait Rogerius) Apostolorum Petri, & Pauli ex hac vita decessit pænitens, Christiano more confessione peccatorum facta, & sacratissima Eucharistia accepta, sepultusque est in Monasterio fontis Eberardi, &c.* Et hæc sunt, quæ de Henrico, qui culpam omnem pœnitendo salubriter lacrymis diluit, deumquè sibi promeruit, hìc opportunè narrasse voluimus:

Quod nec ior Thomæ illa tæ Rex auctor nō fuerit, conspicit verbis hi sce testatus est.

Baronius an. 1172. num. 5 ex Actor Alexandri papæ quarti.

Pœnitens tandem pius Rex decedit

Baronius an. 1182. 9. nu. 1

CAP. XVII.

Latrones in desertis plerumque locis, vbi deliquerant, pænitentiam agunt.

DEus *misericordiarum Pater*, adeoque semper miserando, ac sua pariter dona largiendo diues, qui perire neminem vult, ac proinde neminem quantumuis indignum à Cœlorū Regno excludit, neminem quoque perditis alioquì vitiatum moribus, à pœnitendo repellit

2. ad Chor.

Nemo quantumuis impius à pœnitentiæ sinu repellitur.

pellet. Quin immo cunctis misericordię sinum aperiens ad sui Regni consortia, & supernę gaudia felicitatis inuitat, quod adeo verum est, vt latrones, qui rapinis olim agendis, mactandisque pecudum more hominibus inter horrida, quæque ac deserta Orbis terrarum loca, ipsaque, mete ferarum latibula, per scelus operam dabant, cœlitum præuentos lumine in viā reuocando adduxerit; & dum Cœlorum ipsis ob oculos ianua ad intrandū, si vellint, pāditur, semel errantibus Dei gratia mirificè affulserit. Id sanè in vastis, desertisquè olim Aegypti, regionibus arcano, miroq; Dei nutu adimpleri contigit vbi olim cōsulto innumeros ferè pœnitentiū hominum greges pedem fixere, & facti iam ex latronibus Monachi, & ex Dei hostibus hospites vim Deo precibus, ac bonis operibus facere, ac Cœlū quoquo modo rapere didicerunt; adeò vt ipsis, potissimùm in solitudine morantibus, illa aptè Isaiæ verba occinerent: *Latabitur deserta, & inuia, & exultabit solitudo, &c. Exultabat* profectò *vel iam* (vt ille ait.) *futura spe frequentia solitudo* Infamis etenim quondam Regio, Sanctorum, posteà Monachorum referta agminibus, eum in modum per tot sæcula floruit, vt toti Terrarum orbi Sanctitatis semen, ac bonum Christi odorem afflans nec non fœcunditatem, quam dare Nilus nō poterat à Deo acceperit, ipsos ad Cœlum incolas Deo dignos, ac Cœli futuros ciues tandem Thesauro meritorum diuites in lucem pro exerit. Ipsis namque haud immeritò Prophetiæ itidem verba congruunt: *In cubilibus* (inquit), *in quibus prius Dracones habitabant, orietur viror calami, & iunci, & erit ibi semita, & via, & via Sancta vocabitur, & non transibit per eam pollutus, & hac erit vobis directa via, vt stulti non errent per eam. Nō erit ibi Leo, & mala bestia non ascendet per eam, nec inue nietur ibi.* Quod quidem ipsius Christi,) dum Herodianam à Iudęa crudèlitatem fugiens, in Aegypti oras infans adhuc illatus est, suaque ibi intimè præsens Diuinitate id contulit, vt regio verè beata Cœlitus irrigata, ac post modum germinans, fructus redderet sanctitatis vberrimos; Baronij autem verba hìc & appositè recēsenda sunt; hæc enim ille:

Latrones qui rapinis, ac hominum neci vacabant ad Deum conuersi.

Isaia cap. 35. n.

Isaia c.

Isaie c. 35. n

Deserta loca in quibus latrones olim degebant in Pœnitentium castra mutantur.

Baronius an. 42, n. 47.

2. Porrò (inquit) *non modò AEgyptum Domini præsentia illustratum, sed & ipsam solitudinem, per quam transiuit, esse nobilitatam tradunt: qua tunc quoquo modo semen benedictionis suscipiens, postea suo tempore (quod idem ait Propheta) exultabit solitudo, & florebit quasi lilium, germinans germinabit, tot Sanctorum, Monachorum illic quaqua versum incolentium produxit sacra germina.* Hæc ille, dum digna Aegyptiacę solitudinis Diuino Christi aduentu, ac præsentia exculta, ac nobilitatę in suis Annalibus monimenta recolit, adeò vt omnis, qui cœlestium illic hominum turmas, vel potiùs Angelorum innumeros consedisse choros videt, Dei vel hoc vno maximè opus obstupescens, illa iure merito Psalmistæ verba vsurpare queat: *à Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris.*

Aegypti Regio, ac desertum, Christi Domini præsentia illustrata.

Isaia c. 35.

Adimpletū Isaiæ vaticinium.

Psal. 117.

3. Atqui concinnè admodum, eleganterquè disertissimus ille inter modernos prodigia, quę dum Christus Dominus illuc Parentum manibus illatus est, contigere; ac beatorum futuram illic hominum multitudinem, ac fortem adūbrans, illisquè potissimùm verbis alludens: *Ascendit super nubem leuem, & commonebuntur cuncta simulachra Aegypti, &c.* hęc habet.

Isaia vbi sup.

Fœcunditatem, quam dare Nilus non poterat,
Accepisti.
Coram Arca Dagones tui corruunt,
Et in cineres soluti,
Sepulchra, non aras exposcunt, &c.

Aloysius Iuglaris lib sacr. Elogiorum elog. 13.

Aegypto ex Christi aduētu virtutum & sanctitatis fœcunditas.

Ad beatę insuper regionis felicitatem suum ipse orationis stylum inflectens, ac si futuros ibi ceù in nobili virtutum palestra, dignos posthac, fœcundosque vllo absque numero Pœnitentium greges editis portentorum signis præsagiret, hæc subijcit.

Exultas futura spe frequentię solitudo.
Virtutem, vnde mox Ascetas allicias,
A Petra magnete cordium attrahit,
&c.
Speras nouum Deo Populum alere,
Cui iam nouum de Cœlo manna cudit.
Regnaturum in arbore.
Arbor vnaquaque
Præoccupare curat obsequijs,

Iuglaris vbi supra.

Solitudo ob innumeros, sanctosque futuros ibi incolas exultat.

Vt exaltari cum illo possint,
Se se singula abijciunt coram illo.
Demereri tantum hospitem,
Tellus assentatrix intendit
Cui ipsosmet immolat Deos suos.

Portentis item vel suę diuites.

Aegypti insuper ex beato Christi infanti aduentu, tanquam ex noui Solis ortu, ac præsentis aspectu laudes auspicando, ipsi plaudens, ac terrestri Cœlo gratulabundus hæc addit.

Nec est, qui timeat primogenitis suis,
Quandiù inter eos est primogenitus
Dei.
Nouo lumine Pharos accensa,
Toti rutilat spectabilis Cœlo.
Nunc verò Mundi horreum Aegyptus est,
Quando tam pinguia Mundo alimenta custodit.
Et iterum ad Iosephū accurrite,
Quotquot in regione vestra
Non habetis annonam, &c.
Ex Aris pellite Crocodillos, & cepas;
Numina lacrymarum hęc sunt,
Illis ciendis genita, non placandis.

Iuglaris elogio 13. vbi supra

Aegypto ex Christi aduētu fęcunditas.

Annonæ haud illi sub Christo timēdus defectus.

Idola cuncta destruenda.

Sic profectò immensis auctam Aegypti ditionem Dei infantis præsentia diuitiarum bonis, ac innumeris posthac vberi meritorum prouentu, Monachorum turmis refertam, qui Angelorum instar, plusquàm Nilus aquis, Diuinis ipsam virtutum exemplis, irriguis non secus ac fluentis fęcundet, colonijsque mirificè illustrandam, pius iste presagientis in morem scriptor, dignis cumulando laudibus celebrat.

4. Meritò itaque (vt hinc narrandi initium sit) Monasticus in primis Ordo in desertis olim Deo aspirante locis sub Antonio Magno, innumeris illuc ex vndique ad Poenitentiam procurrentibus, coalescens, rerum in modum propagari cępit; vt Eremus Monachorum turbas ibi, Ciuitatum instar, haberet incolas, qui sanctissimis exculti legibus, ac diuinis præfulgentes moribus, non tam homines, quàm Angelos in humanis corporibus, immò cœlestes potiùs in terris homines contemplandos mortalibus exhiberent, de quibus isthæc aptè Chrysostomus: *Denique si quis* (inquit) *nunc ad Aegypti veniat solitudines, Paradiso quouis omnem illam videbis Eremum digniorem, & innumerabiles Angelorum cætus in corporibus fulgere mortalibus.* Sic itaque cum laudabilis Monachorum disciplina Deo benedicente in dies cresceret, breui quidem tempore (vt Baronius ait) vniuersum ferè Orbem, mira virtutum, ac sanctitatis replens propagine, illustrauit: Palestinam videlicet, Syriam, Asiam minorem, Cappadociam, Pontum, Armeniam, Mesopotamiam, et Boreales regiones vsque ad latrones Bessos, & Dacos: de quibus S. Paulinus in reditu S. Nicetæ Viri Sanctissimi, à quo isthæc accepit, testis locupletissimus accedens, hæc cecinit.

Baronius an. 328. n. 17. 18.

In Aegypto primum sub Antonio monasticus Ordo propagatus ex Chrysostomo.

Chrysost. hom. 8. in Matth. cap. 2. Baronius vbi supra.

A Monachis propagata vbique religio.

O vices rerum benè versa fama.
Inuij montes, priùs et cruenti,
Nunc tegunt versos Monachi latrones,
Pacis alumnos.
Sanguinis quondam, modò terra vitę est.
Vertitur Cœlo pia vis latronum;
Et fauet Christus supera occupanti
Regna rapinæ.
Mons vbi quondam fuerat ferarum,
Nunc ibi ritus viget Angelorum,
Et latet iustus, quibus ipse latro
Vixit in antris, etc.

S. Paulinus in Carmine de reditu Niceta ad natal. S. Felicis.

Loci pridem à latronibus, & feris, post modum à Monachis sanctissimè exculti.

Enimuerò Monachos cęlestis vitæ cultores, ipsis vtique latronibus inter abdita syluarum degentibus suffectos, ijsdemquè deserta loca satis fuisse vbique olim referta quis mortalium nescit? Hominum scilicet, qui Cœlum iugi Diuinatum virtutum studio aduersus se ipsos pugnando raperent, & quotidie vel in Mundo, & quibus dignus non erat Mundus, viuentes, mente simul & corpore ipsum extra Mundum fieri contenderent; quod non nisi immensæ virtuti, ipsiusque Dei potentiæ adscribendum meritò fuit.

Baronius vbi supra n. 18.

5. At de Bessis deperditæ tum vitæ, tum famæ hominibus Hieronymus ad Heliodorum scribens, sic meminit: *Indus* (inquit) *Persa, Gothus, Aegyptius philosophantur: Bessorum feritas, et pellitorum turba Populorum, qui mortuorum quondam inferijs immolabant, stridorem suum in dulce Crucis fregerunt melos.* Et ad Lætam: *De India* (inquit) *Perside, Aethyopia Monachorum quotidie turbas suscipimus;* eorum scilicet, qui ad sancta visenda loca pietatis ergò ventitabant. Et Basilius quidem fœcundam Monachorum prosapiam breui admodum absque numero au-

Hieronymus epist. 3. ad Heliod. Idem epist. 7. Ad Lætam.

Bessorum feritas, mitis, & Christo captiua redditа ex Hieronymo.

auctam, desertaquè hisce frequenter hominibus loca in dies exculta, ad Neocæsariēses aduersus subdolos operarios, qui ipsos subuertebant his planè verbis scribit: *Accusamur* (inquit) *et huius, quòd homines habeamus Monachos pietatis studiosos, qui Mundo renunciarint, et vniuersis sæculi istius curis, quas Dominus comparat spinis fertilitatem verbi impedientibus. Qui huiusmodi sunt, mortificationē Iesu in corpore circumferunt, et Cruce quisque sua accepta, Deum sequuntur. Ego verò omnem vitam meam impenderem, vt mihi possent talia impingi delicta, haberemquè apud me Viros, qui me doctore hoc pietatis studium amplexi hactenus fuerint. Nunc autem in Aegypto quidem audio talem esse Virorum quorundam virtutem, et forsitam in Palestina quoque sunt, qui ad Euangelij normam vitæ suæ conuersationem perfectam reddant. Audio et in Mesopotamia Viros esse perfectos, atque beatos; Nos verò perfectis collati pueri sumus. Sunt autem, et feminę euangelicam vitam amplexę, quę virginitatem quidem nuptijs præferunt, sensum verò carnis seruituti subijciunt, et beato luctui immorantes beatæ sunt ex proposito vbicunque Terrarum degant. Apud nos verò ista, qui primis adhuc elementis ad pietatem instituimur, et initiamur, minuta sunt, et rudia.* Quibus sanè Monachos, obseruantioris vitæ Instituta sectantes, ingenti quidē numero excreuisse Basilius refert; cuius res Chrysostomus quoque testis accedit, dum de clarissimis, qui in Aegypti solitudine florebant, Viris agens, ac de fœminis quoque idem vitæ Institutum arripientibus, hæc subdit.

Basilius epist. 63.

Deserta loca cęlestibus hominibus mirifice redundant ex Basilio.

Palestina & Mesopotamia Diuinis virtutibus florent.

6. *Atque hæc* (inquit) *non in viris solùm, verùm etiam in fœminis splendere conspicias. Nam illæ quoque non minori, quàm viri virtute decorantur: non clypeo abiecto in equum insilire callentes, vt honestissimi illi, ac sapientissimi Gentilium iubent Magistri, sed multò certè vehementiùs bellum gerunt. Communis enim illis, ac viris aduersus Diabolum pugna est, contraquè huius Mundi potestates: nec vspiam teneritudo sexus his congressibus impares facit; non enim natura corporis, sed voluntate animi exercentur ista prælia; propterea sæpe in huiusmodi acie fortiùs viris fœminæ decertarunt, ac trophæis insignibus clarnerunt: Nam in varijs astrorum choris. Cælum refulget, vt Aegypti Eremus innumeris Monachorum, ac Virginum distinguitur, ac illustratur habitaculis.* Porrò Monasticę item vitæ Instituta apud Romanam postmodū Ecclesiam propagari feliciter, vsuquè recepta mirum in modum coalescere contigit; adeo vt ipsa primùm intra Vrbem, suisq; item suburbijs Monachorum Cęnobia esse voluerit, quod nobiliores postmodum Ecclesiæ pari virtutum exemplo sunt ęmulatæ, ac Mediolanensis præsertim, quæ primùm intra Ciuitatem Monasterium habuit, vt S. Augustinus testatur, qui de his, quæ tum Romæ, tum Mediolani viderat; hæc tradit.

Nedum viri in Aegypto, sed & fęminæ sanctitate præfulgēt.

Chrysost. hom. 8. in Math.

Sexu; ac se ipsis fortiores contra diabolū dimicant.

Baronius vbi supra n. 31. August. Confessio. lib. 8. cap. 13.

7. *Vidi ego* (inquit) *diuersorium Sanctum Mediolani non paucorum hominum, quibus vnus Presbyter præerat Vir optimus, et doctissimus. Romę etiam plura cognoui, in quibus singuli grauitate, atque prudentia, et Diuina scientia præpollentes cæteris secum habitantibus præsunt Christiana charitate, sanctitate, et libertate viuentibus. Ne ipsi quidem cuiquam onerosi sunt, sed Orientis more, et Pauli Apostoli auctoritate manibus suis se transigunt. Ieiunia etiam prorsus incredibilia multos exercere didici, non quotidie semel sub noctem reficiendo corpus, quod est vsquequàque vsitatissimum: sed continuum triduum, vel amplius sæpissimè sine cibo, et potu ducere: neque hoc in Viris tantùm, sed etiam in fœminis; quibus item multis viduis, et virginibus simul habitantibus, et lana, ac lino victum quæritantibus præsunt singulæ grauissimæ, probatissimæquè, non tantùm in instituendis, componendisquè moribus peritæ, atque paratæ.* Hæc ille. Enimuerò tam prompto animi studio Occidentalis Ecclesia sanctioris eiuscemodi vitę genus amplexata est; vt & Clerici id ipsum in suis Ecclesijs degentes summa cum laude præstarent, & in Aegypto præsertim Monachi abditis locis, ac solitudinibus recepti, idem austerioris vitæ propositum seruarent: Quæ si quis nosse cupit, Baronium in suis isthæc Annalibus fusiùs narrantem consulat, ad quem consultò Lectorem cupidum amandamus.

Austera Monachorum religio apud Romanam Ecclesiam propagata ex Augustino.

Monachi in occidente florent.

Baronius an. 328. n. 31.

8. Porrò Athanasius vitæ sanctitate præcipuus, Alexandriæ Episcopus, vbi Romam ad Iulium Papam veniens, res gestas Antonij Magni adhuc viuentis scriptis à se traditas secum detulit, mo-

na-

nasticæ vitę Institutum in Vrbem primùm inuexit, quod nobilissimæ postmodum Romanæ fœminæ piè, alacriterque æmulandum suscepere, vt Hieronymus his verbis docet: *Nulla eo tempore* (inquit) *nobilium fœminarum nouerat Romę propositum Monachorum, nec audebat propter rei nouitatem ignominiosum (vt tunc putabatur) et vile in Populis nomen assumere. Hæc (Marcella scilicet) ab Alexandrinis priùs Sacerdotibus, Papaque Athanasio, et postea Petro, qui persequutionem Arianæ hæreseos declinantes, quasi ad tutissimum communionis suæ portum, Romam confugerant, vitam Beati Antonij adhuc tunc viuentis, Monasteriorumque in Thebaide Pachomij, et Virginum, ac vidaurum didicit disciplinam; nec erubuit profiteri, quod et Christo placere didicerat.* Hæc ille. Et certè signis, ac virtutibus recens admirandumq; eiusmodi vitæ Institutum è Cœlo dignissimè comprobatum, à nobilissimis item fœminis totis animi neruis viriliter excoli meruit; adeò vt quamuis Monachi nomen, vbi primùm audiri cœpit, visum fit Vrbi quid nouum omninò, inusitatumque, res tamen ipsa vetus, ac florida subindè Ecclesiæ pace legibus item suis exculta, fœcundiori virtutum germine vbique propagata est.

Ex quo S. Athanasius Romam veniens, Antonij vitâ à se conscriptam tulit, Monachorum austeritas sectatores habere cœpit.

Hieronym. Epist. 16. ad Principiam.

Baronius an. 349. n. 8.

9. Neque item silentio hic obuoluendum est ipsum Monachi nomen à Donatistis, qui & Circumcelliones Baronio teste dicti sunt, dum aduersus Catholicos in Africa insurgentes grassarentur, validè oppugnari cœpisse; hi enim primò ausi sunt non de re ipsa, sed de nomine à pijs quærere, *Et dicere* (inquit) S. Augustinus) *consueuerunt: Quid sibi vult nomen Monachorum? Et inferiùs: Nobis dicant ostendite nobis, vbi scriptum sit nomen Monachorum. Respondit post alia ad hæc ipse: Quare ergo et nos non appellemus Monachos, cùm dicat Psalmus: Ecce quàm bonum, et quàm iucundū habitare fratres in vnum. Monos enim Gręcè vnus dicitur, vnus et non vnus quomodocunq; nam et in turba vnus est, sed vnus cum multis dici potest monas, idest solus est, monas enim vnus solus est. Qui ergo sic viuunt in vnum, vt vnum hominem faciant, vt sit illis verè: Vna anima, et cor vnum; multa corpora, sed non multę animæ multa corpora, sed nō multa corda, rectè dicitur Gręcè monos, idest vnus solus, etc.* Hæc aptè in rem Augustinus. Quibus coronidis instar hæc Baronius addit: *Probè* (inquit) *iam vides Lector, à quorum partibus stent, qui hoc nostro infelices sæculo Monachorum nomen adeo execrantur, et quorum nam profitentur se esse; cùm eorū sectentur impietatem duplo, quàm illi planè impij.* Et hęc satis, quod ad Monachorū nominis ęthimologiā spectat.

Augustin. in psalm. 13.

Monachorū nedum lex austera sed et nomen à Donatistis impugnatur.

Augustin. in psal. 133.

Quid sonet Monachi nomen.

Actuum apost. c. 4.

Baronius vbi supra n. 9.

Non nisi Hæreticis Monachorū vita inuisa;

10. Christus verò, qui ex ipsismet latronibus Monachos facit, & vt impios sibi homines pios faciendo lucraretur; huc è Cœlo descendit, sui quoque socium patibuli, ac pœnarum in Cruce consortem latronem habere voluit, ipsū haud multò post Regni habiturus consortem. Is igitur, qui sui rapinam Regni non fecerat, & facere prorsus nesciebat: *Non rapinam* (inquit Apostolus) *arbitratus est esse se æqualem Deo etc.* Latrones quoque sui participes Regni dedignatus non est, illis à Latrone in Cruce præuentus verbis: *Memento mei Domine, dum veneris in Regnū tuum.* Sed elegantissimus ille modernus compunctū, electumq; in Cruce latronem ad Cœlos vsque extollens, his concinne verbis compellat.

Apost. ad Philipp. 2.

Latronem Christus Crucis consortē voluit, vt latrones cruci subigeret.

Ioannis c. 19.

Peregrino Regi
Beneficijs eum adortus
Ad Regni sui deditionem coegit.
Ne tum quidem immemor artis suæ,
Cùm propter illam periret;
Mutauit furti materiem, furacitate retenta,
Viatori Deo non profuit
Dissimulasse nuditate thesauros;
Exeuntem de Mundo,
In aerem vsque secutus
Adhæsit lateri,
Et festinata noctis opportunitate vsus,
Quando iam non poterat manu,
Furatus est halitu,
Turbatum Cælum est,
Cùm iam violenti raperent illud;
Gazis suis timuit trepidum
Cùm eas cerneret furibus patuisse.
Iterum viator te moneo,
Latroni plus æquo ne fide,
Plures hic piè moriendo,
Quàm impiè viuendo
Peremit.

Aloysius Inglasius elog. 68. de bon. Latron. Matthæi. 27. Marc. 15. Lucę 23. Ioannis. 19.

Mira latronis ex Christi, & crucis consortio dignitas.

Latro vel cū Christo in Cruce pendens Cœlū rapere didicit.

Latronis exēplo haud quis nimiū male viuens præsidat.

Sic modernus argute pius iste argute satis haud otiosam furandi artem, & furis maxime ingenium haud furtim, obiterque exaggerans, suo eleganter stylo adumbrat;

brat; Homines quippe huius inter viuendum ęmuli, sectatoresque in sæculo impietatis haud tandem moriendo ipsius exemplo Cœli rapinam faciunt, & regni sortem sua miseri spe frustrati, non nisi rarò sortiuntur. Qui demum ipsis typum, ac documentum mali latronis ob oculos cautè proponens, hæc habet.

A mali latronis casu timendum homini, qui ex boni latronis exemplo præsumit.

Malum latronem nè preteri,
Qui bonum attendis.
Portum salutis
Vtrinque scopuli obsident.
Necredas igitur sine causa,
Inter hanc geminam Pharon
Medium stare.

Aloysius Iuglaris elog. 67.

Ita planè Regnum Christus latroni in Cruce morienti sub ipsum vitæ finem, sed soli duntaxat nè cæteri præsumant, iure iurando promittit: *Amen dico tibi, quia hodie mecum eris in Paradiso.* Quæ sanè Christi verba serio Augustinus aliquādo expendens: *Vnus est* (inquit) *ne desperes, vnus est, ne presumas.* Hæc ille.

Salus inter suprema vitæ momenta valde sero pœnitenti timenda.

11. Christus itaq; vbi primùm in hunc Mundum venit, vt vnà secum corda hominum prædis onustus rediens in Cœlum raperet, rapiendi latronum more vnus præ omnibus artem egregie visus est exambisse; dum latronum quoque finem medius inter latrones in Crucis patibulo pendens, pari cum ipso donatus ignominiarum titulo subijt, & latronum lucris, & marsupio ditesceret, non aurum; sed hominum animas ipso pretiosiores auro in terris nundinando quæsiuit. Quapropter id meritò Isaias olim de Christo Domino palam edixit: *Voca* (inquit) *nomen eius Accelera spolia detrahere: Festina prædari.* Quæ suo item auctor prælaudatus sic eleganter stylo expressit.

Aloysius Iuglaris elog. 63.

Quid ni igitur latronum fine desineres,
Qui latronum initys ceperas?
Latroni cuicunque
Praferri in pænis debueras,
Qui non humana, vt cateri,
Sed homines rapuisses.
Nequicquam tamen,
Tam seuero correctus supplicio,
Furta luens in Cruce,
Adhuc ipsos etiam inter fures.
Induxisti noctem,
Latrocinys opportunam.
Batchatus in illa es vel in tumulos;
Vt tamen nouo artificio furacitatis tuę

Christus egregie tum viuens, tum moriens latronis artē exercuit.

Super illa verba: Medius inter latrones Matthæi c. 27. Marci 15. lucæ 23. Ioannis 29.

Plauserit Mundus,
Adhuc multa, in quibus peritiam hanc
Experiare, superfunt.
Quandiù mihi me ipsum non rapias,
Fur mihi parùm callidus es, &c.

Hæc ille. Ad Christum vtique, qui è Patris sinu ad prædandum homines in terras venit, conceptis verbis alludens, vbi Cœlorum Regnum vim pati ab hominibus docuit; & vel suo hanc maximè rapinam exemplo commendans, quæ latronum ars est, hanc Deo haud ingratam, sed suo illustrem; acceptamque inprimis magisterio docuit.

Inter latrones medius merito moritur, latronum artem egregie sectatus.

12. Pœnitentiæ itaque virtus quæ vim Cœlorum Regno infert, ipsos quoque ad illud rapiendum fures, ac latrones rapinis deditos, inhiantesque & rapiendo insuper assuetos probè id ipsum ostendit. Quapropter in sacris, recolendisquè historiarum Tabulis, Moyses Aetyops latronum dux, & signifer, latronum quoque pœnitentium subinde Dux factus, innumeros ferè ad Christum adduxit, ac Cœlo feliciter ipsosmet, quos prædabatur, gratam vtique Dei prædam intulit, de quo isthæc Palladius: *Fuit* (inquit) *quidam Moyses nomine, Aetyops genere, niger seruus cuiusdam, qui gerebat Rempublicam, quem propter morum improbitatem, et latrociniy crimen proiecit eius dominus: Dicebatur enim etiam vsque ad cædes progredi; cogor enim dicere facta eius improbitatis, vt posteà ostendam virtutem esse pænitentia. Narrarunt ergò aliqui, eum fuisse prafectum magnę caterua latronum. Cuius inter catera latrocinādi opera, hoc quoque fertur, quod infesto, & vindictę cupido animo erat in pastorem, qui ad rem aliquam patrandam eunti sibi fuerat cum canibus suis impedimento. Quem cùm vellet occidere, obibat locum, in quo eius oues habebant stationem: Ei autem significatum est ipsum esse trans Nilum, et cum fluuius illo tempore inundaret, et ad mille passus pateret latitudine, ensem tenens mordicus, et tunicam, qua erat indutus, imponens suo capiti, natando transmisit fluuiū. Dū autem transnataret, potuit pastor se abscondere alicubi infodiens. Cum ergo Moysi cęptum non successisset, occisis quatuor egregiys arietibus, et fune colligatis, Nilum rursus tranatauit. Et cùm in paruam quandam cellam venisset, excoriauit arietes, et cùm, qua erant carnis, opti.*

Pœnitentia latrones rapinis asuetos, à peccando sabductos Coelo rapit.

Palladius in Vitis PP. lib. 8. cap. 22.

Moyses Aetyops latro, & latronum Princeps ad Deum conuersus,

Quę & quā ta ipsius feritas, scelerat & impietas.

optima comedisset, & pelles pro vino vendidisset, cum saltem Italicorum circiter octodecim ebibisset, illinc ad quinquaginta milliaria est profectus, vbi habebat Collegium.

Palladius vbi supra.

Hic Princeps latronum serò tandem casu aliquo, qui ei acciderat, compunctus; tradidit seipsum Monasterio, & ad tantam processit Pœnitentiam, quantam res ipsa indicarunt. Inter cætera autem dicitur, quòd cùm quatuor latrones eum in cella sedentem inuenissent, ignorantes eum esse Moysem, beatus Moyses eos tanquam saccum paleæ ligatos, & humeris imposuit, & ad Fratrum portauit Ecclesiam, dicens: Quoniam non licet mihi alicui iniuriam facere, inueni autem eos me aggressos, quid de his iubetis fieri? hoc autem modo comprehensi à Sancto Moyse, Deo confessi sunt, & cùm cognouissent eum esse Moysem, qui fuit aliquando insignis Princeps latronum, Christum eo nomine glorificantes, illi quoque Mundo renunciarunt propter eius pœnitentiam, & euaserunt Monachi probatissimi, sic cogitantes; Si hic, qui tantum valebat viribus, latrocinia parui faciens, sic Deum timet; quid nos adhuc nostram salutem differimus? Quibus Auctor narratis, miram ipsius in laboribus tolerantiam, in cibo abstinentiam, in luctando cum Satana, eiusque tentationibus resistendo constantiam planè inuictam subtexit, eiusque virtutem aduersus Dæmones exponens: *Dignatus est* (inquit) *hic Sanctus gratia aduersus Dæmones, adeò vt sicut nos muscas hyeme contemnimus, ità atque adeo amplius hic magnus Moyses contemneret Dæmones. Hæc Religiosa, & Sancta vita, quam egit inuictus Athleta Moyses Aethiops, qua ipse numerabatur inter magnos. Obijt ante septuaginta quinque annos natus in Scete, cùm factus esset Presbyter relictis septuaginta quinque Discipulis.* Ad hunc profectò sanctitatis apicem Moyses quondam latro Pœnitentiæ suffultus meritis peruenit, cuius memoria quotannis in Martyrologio Romano his planè verbis recolitur: *Item Sancti Moysis Aetyopis, qui ex insigni latrone insignis Anachoreta multos latrones conuertit, & secum duxit ad Monasterium.* De ipso Græci quoque in suo Menologio; Nicephorus item lib. 11. c. 36. est tamen alius ab illo Moyse Anachoreta, de quo Sozomenus lib. 6. cap. 38. Quæ de latrone hic vel obiter narrasse voluimus.

Compſictus fit Monachus & alios latrones sibi insidiantes captos ad Monasteriũ defert.

Latrones à Moyse seruati Monachorum se institutis deuouent.

Palladius vbi supra.

Magna Moysis in Dæmones virtus.

Ipsius in Romano martyrolog. agitur mentio.

Martyrol. Rom die 18. Augusti. Nicephorus lib. 11. c. 38.

13. Quantum verò pia iugiter Christianorum, ac Monachorum præsertim inter deserta lucrandis, rraducendisque ad Christum latronibus opera, ac Deo grata in primis exstiterit, alrero Palladius, aptèque in rem nostram exemplo confirmar: Ammonis videlicet Monachi, qui plurimos in solitudine latrones conuertit, eosque Christo feliciter lucratus, ac Pœnitentiæ salubriter in Eremo addictos, Cœlo tandem inseruit; de quo isthæc in suis paginis: *Frequentes* (ait) *veniebant ad eum latrones, panem, quo solo vescebatur, auferentes ei, etsi quid erat, quod ad victum suum continentissimum repositum videbatur. Cùmque frequenter ab his molestiam pateretur, quadam die processit ad Eremum, & inde rediens duos Dracones ingentes, secum comitari iussit, atque ad Ostium Monasterij manere eis præcepit, ingressumque seruare. Veniunt ex more latrones, videntesque, qui essent custodes in limine, vt viderunt Dracones, exanimes, & amentes effecti obmutuerunt, & statim conciderent. Quod vbi senior sensit, egressus inuenit eos semineces, & accedens, atque erigens, increpabat eos dicens: Cernitis, quantum vos duriores bestijs estis; Illæ enim nobis propter Deum obediunt, vos autem nec Deum timetis, nec vitam Seruorum Dei inquietare erubescitis. Verumtamen introducent eos in cellam, posuit eis mensam, & iubet, vt perciperent cibum. Illi verò corde compuncti, & ab omni mensis sua immanitate conuersi, multis, qui prius Domino seruire cœperant, in breui meliores fiunt. Intantum enim per pœnitentiam profecerunt, vt post non multum temporis etiam ipsi eadē facerent signa, easdemque virtutes.* Hæc Palladius. Mititatem quippe à bestijs edocti, tantum compuncti, ac Pœnitentiam sectando profecere; vt anteactæ expiatis vitæ culpis, virtutibus quoque, ac signis clarescerent, cunctisque merito admirationi forent. Nam perditis quandoque hominibus, sic Dei desuper gratia, ac virtus affulsit, vt iuxta sapidum Augustini verbum: *Agnus occisis à lupis, de lupis agnos faceret*, ac tenebrarum, & sæculi filios, in lucis, ac Dei filios repente mutaret. Hæc etenim in vitis Patrum habentur.

Palladius in vit. PP. c. 53.

Ammon Monachus plures ad Christum latrones conuertit.

Dracones ostio Monasterij custodes adhibet.

Latrones, quod Monachis essent molesti, increpans ad Deum traducit.

Conuersi miraculis fulgent.

Augustin. expos. in ad. Apost.

14. *Cyriacus* (inquit) *nomine, qui latrocinia exercebat circa Emaus, quæ est Nicopolis*

In vitis Patrum Io. Moschus lib. 10 c. 16.

Cyriacus latro sævissimus & Lupus dictus.

copolis adeo truculentus, & immanis fuit, vt lupus vocaretur. Hic secum alios habuit latrocinijs socios non solùm Christianos, verùm & Iudæos, & Samaritanos. Quadam ergo die profecti sunt quidam ex agro Nicopoleos in Sanctam Ciuitatem magna hebdomada, vt per baptisma illuminarent filios suos. Quod cùm fecissent, & reuerterentur in agrum suum, vt celebrarent Sanctum Resurrectionis diem, occurrerunt illis latrones Principe suo absente, & viri quidem fuga euaserunt, mulieres autem proiectis nuper baptizatis filijs tenuerunt Hebræi, & Samaritani, & habuerunt eas. Fugientibus igitur viris, obuius fuit latronum Princeps, & ait illis: Cur fugitis? Illi autem dixerunt, quid sibi contigisset. Sumens ergo illos, venit ad socios suos, inueniensque infantes in humum proiectos, cùm sciscitatus esset, quinam hoc fecisset, sceleris decollauit Auctores, reddensque viris filios (nam vxores, quia inquinatæ fuerant, recipere passi non sunt) salutauit eos latronũ Princeps, & reduxit vsque ad agrum suum. Post modicum verò temporis tentus est latronum Princeps, egitque in carcere decem annos, nullusque Principum illum occidit; ad postremum verò etiam absolutus est. Dicebat ergo semper, quia propter infantes illos amaram effugi mortem; Aspiciebam enim illos frequenter in somnis dicentes mihi: noli timere, nos pro te satisfaciemus. Locuti autem post ea cum illo sumus, ego, & Abbas Ioannes Presbyter Monasterij Eunuchorum; & hæc eadem ipse narrauit, glorificans Deum. Sic profectò latronum Princeps ob misericordiam, quam præstitit, misericordiam pariter à Deo obtinuit.

Ipsius in vindicãda iniuria æquitas, & inoppressos pietas.

In carcere manens decem annis postea fit liber.

15. Latrones igitur, ipsa nedum quandoque immensa Dei pietas ad Pœnitentiam traduxit, sed ad percipiendam vsque Martyrij coronam mirificè prouexit. Quod in latrone præsertim, qui Christi in Crucis patibulo socius, ac pœnarum consors mirificè enituit; *dum pœna* (vt ait ille) *quæ incæpit in latrone, nouo ordine consũmata est in Martyre.* Et in alijs item, quorũ est celebris memoria, & innotescit. Latrones quippe interdum intimè, ac ex toto compunctos corde, Pœnitentiæ virtus, ac Dei charitas salubriter Cruci confixit, ac Cœlo postmodum expiatos inuexit. Quod sanè in Romani Martyrologij Tabulis dignã septẽ latronum Pœnitentia, nec non martyrio subinde candidatorum præferuida olim charitas ostendit; quorum nempe memoria quotannis in Ecclesia his planè verbis recolitur: *Eodem die Sanctorum septem latronum, qui à S. Iasone ad Christum conuersi, martyrio vitam adepti sunt sempiternam.* Pœnitentia igitur hos primùm ad Christum feliciter traductos, expiatosque, Martyrij palma, ac Cœlo dignos reddidit. Quorum item Baronius nomina ad ipsorũ gloriç cumulũ in suis ad Martyrologium notis sic meminit: *Agunt* (inquit) *de his item hac die Græci in Menologio, à quibus etiam recensentur eorum nomina, scilicet Saturninus, Iacischolus, Faustianus, Ianuarius, Marsalius, Euphrasius, & Mammius; quos omnes Iason, & Antipater Christi Confessores eodem cum illis inclusi carcere, primùm ad Christi fidem, inde ad confessionem eius nominis, ac tandem ad promerendam Martyrij coronam incitarunt. Hæc ipsa in dicto Menologio recitantur.* His planè immortalis gloriæ titulis clara pœnitentium latronum, & Martyrio candidatorum memoria in sacris adhuc Tabulis perseuerat.

Latrones ne dum ad Pœnitentiam, sed ad Martyrij coronã proueceti.

Rom. Martyrolog. die 29 Aprilis.

Septem latrones martyrio coronantur.

Baronius in notis ad Martyrologium die 29. Aprilis.

In Martyrologio Romano, & in Græcorũ itẽ item Menologio ipsorum memoria.

16 Demũ illustris Pœnitẽtiæ virtus nedum promptam latronibus à Deo indulgentiam, sed & altissimarum quoque ij dem virtutum dona, ac mira insuper diuinitus signorum portenta non absque ingenti hominum stupore promeruit, vt in Vitis Patrum videre est; hęc enim ibi: *Latro quidam* (ait) *Dauid nomine apud Hermopolim plurimos expoliabat, plures etiam interficiebat, ita vt nullus ei in his crudelitatis operibus cõferri posset. Die quadam, dum exerceret latrocinia cum Socijs plusquam triginta, ad mentem rediens, compunctus est corde, relictoque consortio, abijt ad Monasterium: quærit de Abbate: Interrogat, quid vellet: Monachus* (ait) *fieri volo; Recusante Abbate ingressum, eo quòd senex esset, & delicatæ vitæ assuetus, minùs par esset laboribus, & abstinẽtia Religiosa, feruens animo in hæc verba erumpit: Ego sum Dauid Princeps ille latronum: idcircò huc veni, vt defleam peccata mea; si me suscipere renueris, Deum testor ad priorem redibo vitã, assumptisque mihi socijs Monasteriũ hoc funditus euertã. His auditis, suscepit eũ Abbas, tondensque eũ, habitũ religiosum induit. Hic in humilitate, obedientia, alijsque virtutibus tantum profecit; vt inter septuaginta*

Io. Moschus in prat. spirit. cap. 143.

Latrones itẽ signis diuinitus illustrati.

Dauid latronum Princeps repentè compunctus, fit Monachus

Qua ratione Monachi habitũ ab Abbate poscit.

a Monachos (qui erant in illo Monasterio) tanquam exemplar singulare emicuerit. Quodam tempore cùm in cella esset, Angelus Domini his verbis eum interpellauit: David, David, remisit tibi Deus peccata tua & eris ex nunc signa faciens. Cui David; credere, non possum omnia peccata, quę arenā maris numero excedunt, tam breui tempore mihi à Deo dimissa esse. Iterum Angelus: sicut Zachariæ non credenti mihi propter incredulitatem suam linguę vsum ademi: ità & tibi faciam, erisque admodò mutus. Tum David humi se prosternens, Angelum hoc modo compellat: Cùm essem in sæculo, nefaria scelera faciens, et sanguinem fundens loquebar; modò, quando seruire Deo volo, laudesquè illi offerre, tunc linguam meam, ne loquar, ligabis? Ad quem Angelus: Cùm implebit psalmodię cātum loqui poteris, Carmen verò penitus tacebis. Quod & factum est, plurimaquè per illum Deus miracula fecit. Latrones igitur Deo aspirante in desertis pœnitentiā amplexi, vim Deo precibus faciunt, & quidquid petēdo voluerint, post indultam sibi culparum à Deo veniam proculdubiò obtinent. Quod illud Gregorij hominiad Deum conuerso, ac per pœnitentiam ad ipsum redeunti occinat: *Si mens* (inquit) *in Deum forti intentionè dirigitur quìquid sibi in hac vita amarum sit, dulce æstimat, omne quod affligit, requiem putat, transire & per mortem appetit, vt obtinere plenius vitam possit.* Sed de his hactenus.

Adeo Sanctus, vt ab Angelo dimissa sibi peccata intelligat.

Angelo hæc dicente mutus euadit, & postea loquendi vsu ad Deum laudandum recipit.

Gregor. lib. 7. Moral. c. 7.

CAPVT XVIII.

Hæresum auctores, sectatoresque prauorum dogmatum errores corrigunt.

1 PRaua Hæresum monstra, Idololatriæ iuncta consortio, non nisi Diabolum, (*Qui mendacij Pater est*) ab Inferis emergentem, legitimum sui auctorem, progenitoremque agnoscunt. Diaboli namque potissimum arte, ac studio ipsis post idololatras Hæreticis, certo cunctorum prodire in Orbē dispendio adnitentibus, pari simul conatu vtrosque propagari, & per contentionem Terrarū vbique crescendo sedem figere contigit. Ambo etenim isthæc nō tam hominum, quàm nominū, scelerumque portenta suā in ipsius Tartari officina initium accepere, eundemquè antesignanum, ac principē haud obscurè in apertam Diuinitatis iniuriam, Tertulliano teste, deriuando sortiūtur: *Neque ab Idololatria* (inquit) *distant hæreses, cùm & auctoris, & operis eiusdem sint, cuius & Idololatria.* Enimuerò perniciosa isthæc impietatis germina nonnisi ipsius antiqui Serpentis dolo, ac magisterio tantū profecere, ac velut impia adulterinę fidei commenta, ab vno primùm, eodemque stipite pullulando, intimam cum ipsomet impietatis auctore affinitatē obtinere Augustino edisserente certissimum est. *Hæreticus quippe* (ait) *si non frater Diaboli, certè adiutor, & frater, & filius est.* Adeoquè nulla pestilentior, magisque præ cunctis noxia, quàm hæresum perdita, ac omnibus deterior lues, quæ cuncta secum detrimenta gregatim affert; ac sua tamen instabilitate duntaxat gaudens, orthodoxæ fidei dogmata vel sua euidenter in dies infirmitate confirmat, lydiusque veluti lapis aurum veritatis in Ecclesia probat: His quippe hæresum assertores à Tertulliano verbis egregiè adumbrātur: *Hæretici* (inquit) *instabiles, contrarij sibi ipsis, discordes inter se, de quibus Nouatianus: fidem nostram, dum sibi aduersantur, affirmant, & illa incostantia credunt omnia incerta vana esse apud se, & bellum illorum pax est Ecclesiæ.* Perpetua verò iugis, hominum discordia solido Christianæ rei, ac veritatis asserendæ argumēto luce clarius ostēditur, & vana eorum fides proditur. Solo namque miseri fastu contenti suam dumtaxat in medium mentis cæcitatem proferunt, ipsiusque Euangelij lucem altiùs cœcutiendo propugnant; De hæreticis autem solemne est Augustini verbum: *Omnes* (ait) *tument, omnes scientiam pollicentur, ante sunt perfecti cathecumeni, quàm edocti.* Sic planè hæresis, vbi semel primùm in Christiano Orbe radicem fixit, in tot subinde immanes errorum Sectas infamis in dies, ipsiusque morbi incremento profecit.

2 Diabolus quippe dum magnum sibi ab hæresi, nec sine ingenti Ecclesiæ propudio lucrum repromittit cuncta inuertens, nouas, fœdasque dogmatum turbas induxit, quibus illi bo[...]tam, si posset

Hæresis, & Idololatriæ simul iunctæ ab Inferis emergunt.

Tertullian. lib. de præscript. cap. 40.

Eiusdē ambo sunt, operis, & auctoris ex Tertulliano.

Augustinus lib. de Pastor. cap. 12.

Quæ, sint vulgares Hæresum, ac Hæreticorum notę.

Tertullianus lib. de præscr. cap. 41.

Ecclesiæ pax Hæreticorū est bellum.

Augustini vbi supra.

Hæretici scientia tumidi.

Chrysologus serm. 96. Non nisi dogmatum nouitas Hæreticis placet.

set, Christi fidem subuertẽdo pessundaret: *Quia* (inquit) Chrysologus) *Diabolus hæreses inter fideles; inter Sãctos peccatũ inter pacificos milites, inter simplices dolos nõ cessat, ne quitiã ingratis ferere cõsuenit.* At nõ nisi magno ipsius demũ Ecclesiæ, & credẽtiũ bono hęreses Deo aspirante inseruiunt, quæ haud nocent; sed proficiunt, cùm ipsã validè oppugnando veritatẽ, magis, magisque confirmant: *Oportet* (ait) Apostolus,) *hæreses esse, vt qui sunt, manifesti fiant in vobis*. Et Sanè hæreticorum nonnullos, vel dum magis inter suas errorum tenebras oculus eorundem caligat, obor ta Dei nutu fidei lux, ad Ecclesiæ salubriter sinum adduxit, ipsosque è tenebris emergentes dies lætus excepit: adeo vt hi post tenebras lucẽ viderent, & post culpam, abdicatosque à se procul errores Dei gratiam promeruerint: *Nouit quippe* (vt Ambrosius ait) *Dominus mutare sententiam, si tu noueris emendare delictum*. Haud enim punit, quos demum conpunctos correctosque ad pœnitentiã, Hieronymo reste, redire vel serò conspicit. *Ne que enim* (inquit ille) *Deus hominibus, sed vi tijs irascitur, quæ cũ in homine non fuerint, nequaquam punit, quod mutatum est*. Vbi Igitur praua hominum mens immutatur, Deus quoque illico ad misericordiam flectitur, adeoque pœnitentia hominem Deo reconcilians, quos pessima hęresum labes filios Diaboli fecerat, ipsa postmodum amicos Dei, ac lucis item filios ex perditis, qui pridem fuerant, hostibus, & tenebrarum filijs videntes constituit, Diuinisque delibandis rebus idoneos.

Apostol. Epistola.

Hæreses Catholicæ fidei veritatẽ probant. *Ambrosius in serm.*

Hieronym. in cap. 4. Daniel.

Deus non hominibus sed vitiis irascitur. *ex Hieronymo.*

3. Infamis verò, ac noxia hęresum lues impiorum hominum fraude, ac patrocinio suffulta (vt vel hinc dicendi initium sit) sua nedum Christiano Orbi venena, Diabolo insufflante refudit, sed & quò cœteris magis, magisquè noceat, consultò item Orthodoxorum præcipuè, & Catholicæ fidei propugnatorum scriptis, dictisquè per scelus aliquando irrepsit. Quod sanè Osius, ille Cordubensis Episcopus, Vir pietate, sapiẽtia, ac tuendæ zelo Religionis conspicuus in se ipso est olim expertus, qui & si iam ętate longæuus, ac meritis insuper clarus, sub Cõstantio tamen Arianę impietatis fautore, valido Diaboli, atque hæreticorum impulsu, ac metu pariter perculsus, incautè olim Arianorum Sectę subscripsit: Sed culpã subinde agnoscens, ac se ipsum, & errorem impietatis retractans, noluit suum esse, quod fecerat, adeoque iure in primis inter pœnitẽtes recensendus hic est. Facti igitur ex corde dolens, ac pali nodiam recanrans, quidquid pridem incautè deliquit, mox pœnitentia abstersit. Verùm vt præclaras vel obiter à tanto Viro res gestas Lector meminerit, is pri mùm quidem omni dignus laude sub Diocletiano Imperatore, & à Daciano sæuissimo Hispaniarum Pręside requisitus pari cõstantia Christi Fidẽ cõfessus, Beatũ Confessorũ numero aggregari meruit, quod ipsemet in suis ad Constantiũ Imperatorẽ literis his quidẽ verbis affirmat *Ego* (ait) *confessionis munus expleui primum cum persecutio moueretur ab Auo suo Maximiano, &c.* Quas profectò Epistolas S. Athanasius recenset, qui & paulò superius de eodem Osio, dum in acie aduersus Arianos consistens, strenuè decertaret, hæc habet: *Neque* (inquit) *quòd Pater esset Episcoporum, reueriti sunt neque quòd Confessor erat, pudore commoti sunt, neque quod sexagesimum annum à confessione, & eò amplius agebat, respexerunt*.) Hæc ille de Osio Cordubensi Episcoporum dignissimo. Porrò quòd tam ipse quàm Valerius Cesaraugustus Episcopus non eo vsque peruenerint, vt Martyrium, (quod ipsis in votis erat,) consumarint, Baronius id ea potissimùm ex causa accidisse narrat, quod dũ iam in carcere, ipsiusquè Cofessionis titulo illustres, ac martyrij mox palma donandi detinerentur, Diocletianus, ac Maximianus Imperio se abdicantes, liberas occidentalis Imperij habenas Constantio administrandas reliquerint, quide Christianis optimè semper meritus fuisse describitur.

Baronius an. 303. nume. 142.

Osius Cordubensis Episcopus me ritis clarus sub Cõstantio titubat.

Facti pœnitens palinodiam recantat.

Baronius vbi supra n. 142.

Pius sub Diocletiano dignus Christi Confessor. *ex Athanasio.* *Apud Athanasium in hi ri. ad Solitarios.*

Baronius vbi supra. num. 143. Ob Diocletiani, & Maximiani ab dicatione ipse martyrio coronatus est.

4. Osius itaque innumeris pro Dei Ecclesia, ac magna semper cũ laude perfunctus laboribus, ac Legationibus item insignitus cunctis in propaganda Catholica fide strenuum se, ac præferuidum iugiter exhibuit; Synodo etenim Eliberinæ primùm interfuit, ac postmodum sub Costantino Magno à Syluestro Papa aduersus Arium Legatus in Orientem mittitur; Tanti verò ipsum Costantinus Imperator fecit, vt vbi turbas ab Ario in Aegypto excitas comperisset ad sedandas

Baronius an. 318. num. 92.

Pro orthodoxa fide strenue decertat.

das ipsum mittendum curauerit, quæ de eo Socrates scribit, palàm testantur. Demum Cõstantino Magno Romam reuersus, ipsiquè charus, sua illi, vt salutari baptismo initiaretur, auctoritate suasit. In Concilio item Niceno Apostolicæ Sedis imperio Legatus præfuit, cui Synodo dum interesset, ipsius Romani gerens Põtificis vices, primum in sacro cœtu locũ tenuit, vt ex eorundem Legatorum subscriptione, eorundemque Epistola sic liquet: *Beatissimo Papę Vrbis Romæ omni reuerentia colendo Syluestro, Osius Episcopus Prouincię Hispaniæ Ciuitatis Cordubensis, Victor, & Vincentius Presbyteri Vrbis Romæ ordinati ex directione tua, &c.*

Socrates lib. 1. cap. super.

Costantino Magno charus ipse, vt Baptismo initietur suadet.

Baronius an. 325. num 13 & 20.

5 Sic planè Osius toti Christiano Orbi spectatissimus fuit, de quo Baronius isthæc, dum Legationem ipsi à Syluestro iniunctam prosequitur: *Delectus* (inquit) *hic fuit inter omnes Occidetalis Ecclesię Episcopos, quorum præclara eruditio erat, spectataquè vitę sanctimonia, ob singularem quandam, tum doctrinæ, tum virtutum prę stantiam, & admirabilem in rebus agendis dexteritatem, atque prudentiam; quem & tempore Maximiani Imperatoris confessionis gloria effulsisse satis, superquè dictum est; quamobrem Athanasius eum Magnum Osium nominare consueuit.* Porrò Vir vnus quanta apud cunctos auctoritate præstaret ipsemet Cõstantius Arianorum Dux, acerrimusquè eorumdem propugnator, vel factis palam docuit, dum totis animi, vt idem aduersus Athanasium subscriberet, neruis contendit: Parui quippè momenti rarus, quòd Liberium Romanum Pontificem in exilium fidei causa amandasset, acerbiorem in reliquos, Catholicæ fidei, ac Religionis Proceres sæuiendi modum excogitans, & vehementiori furoris impetu suos in Osium gloria confessionis illustrem, ac veluti martyrio candidatum, totique Christiano Orbi ob res præclarè gestas fama notissimum dolos, ac vires conuertit; De cuius aduersus Constantium lucta summis laudibus digna, hæc Athanasius habet.

Baronius vbi supra numero. 20

Ipse vnus ex Occidentalibus Episcopis à Siluestro ad Concilium Legatus deligitur.

Osius Magnus ab Athanasio dictus.

A Costantio vt is aduersus Athanasium subscribat, totis viribus contendit.

6 *Tantis* (ait) *& talibus sceleribus factis, nihil omninò adhuc se fecisse Ariani arbitrabantur, quandiù Magnus ille Osius illorum malitiam expertus non esset: nam in eum talem, tantumquè Virum suam rabiem protendere studuerunt; neque quòd Pater esset Episcoporum, reueriti sunt neque quòd Confessor erat, pudore moti, neque quòd Sexagesimum annum, & eo amplius à confessione agebat, respexerunt: Sed omnia simul vilipendentes, ad solas suam ipsorum haresim oculos intentos habuere homines rè vera neque Deum timentes neque hominem reuerentes, &c.*) Hæc Athanasius. Quibus verò Constantius eundem artibus ab orthodoxa fide ad Arianismum pertrahere conaretur, idem Athanasius sic tradit: *Subinde* (inquit, *Constantio scribente, & nunc quidem blandiente, patremquè eum appellante, nunc interminante, & relegatos enumerante, & his verbis eum conueniente: solus ne etiam num hostis hareseos manebis? obsequere, & scribe contrà Athanasium; qui enim contra eum scribit, ille planè nobiscum Arianas sententias amplectitur. Nihil ad ista expanuit Osius qui inter contumelias, quas patiebatur, istiusmodi scripsit epistolam, quam ipsi legimus, eidem finem adiecimus.* Hæc quidem Osius cùm pro Athanasio aduersus Constantium vere in acie constans, atque inuictus sic perstitit, vt validis, appositisquè subinde rationibus ab arrepto Imperatorem proposito amouere, atque absterrere conatus sit; cuius sanè Ariani auctoritatem tanti faciebant, vt se causam egisse feliciter crederent, si vnum Osium pro se, suisque suffragantem votis nacti fuissent. Eius verò epistolam, qui vult, apud Baronium consulat, & qua sacerdotalem Magni planè Viri, inuictique pectoris constantiam, nec non indefessum in Orthodoxa tuenda fide robur, iure merito mirari quis possit. Quibus autem Athanasius Osij Epistolam cotonidis in star verbis concludat; referre haud otiosum est: *Hac* (inquit) *Abrahamicus ille senex verè Osius, idest Sanctus, & sensit, & scripsit.* Et paulò infra eius paucis laudes complexus, quanta apud Principis Aulicos auctoritate præstaret, sic scribens testatur. *Omnibus* (ait) *ille notus erat ac verus pro nomine Osius, hoc est, Sãctus habebatur, vitaquè eius irreprehensibilis, nisi ex odio eius contra heresim crimen mutuarentur.* Vir igitur tantus, ac omni dignus laude sic habitus est, vt vel inimici ipsum miraculi adinstar suspicerent, ac venerarentur, ac suæ magno Sectæ tum honori ducerent, tum incremento

Athanas. Epist. ad Solitar.

Ariani ipsũ in suam pertrahere sententiam conantur.

A Costantio blandis tum verbis tum minis ad Arianismũ solicitatus.

Magnæ apud fideì Hostes præcunctis vnus auctoritatis.

Baronius an. 355 num. 65

Athanas. Epist. ad Solitar.

Cunctis notus ac verus pro nomine Osius dictus habituque.

mento, si suo eumdem errori socium adscriberent.

Baronius vbi supra n. 66.

7. Atqui Imperator inuictam Osij constantiam in fide propugnnanda expertus, haud animum despondet; sed tum minis, tum terroribus ipsum aggreditur, quem suis alioqui conniuentem habere votis nequiuit, nec precibus insuper lenocinando emollire valuerat. Sirmij igitur integro anni spatio Osium senem velut exulem detineri mandat, vt sic ipsis ad subscribendum incommodis attritum, ad id vel nolentem compelleret, vt de eo Athanasius docet: His quippe armis mirum imperterriti hactenus animi robur frangendum Princeps putabat. Euocatus itaque senex dignissimus, & ad impietatis execrandæ scelus vnà simul impulsus, ac vehementer sollicitatus, quis vnquam crederet? Sirmianæ formulę ab Arianis conscriptæ Osius metu tandem adactus subscripsit, vt Socrates his verbis tradit: *Quanquam iste* (inquit) *paulò ante per fraudulentum Arianorum conatum erat in exilium missus, ità temporis tandem studio, et labore Episcoporum, qui Sirmij conuenerant, factum est; vt Imperator illum accerseret, habens in animo vel persuadendo, vel cogendo eum inducere, vt cum Episcopis ibi coactis consentiret. Nam si istud factum esset, illorum fides perillustri testimonio confirmata videretur*: Hac de causa *innictus, vt dixi, accessit ad Concilium. Simul atque verò senex ille eorum fidei assentiri abnuebat, plagę illi erant inflictæ, membraquè machinis distorta. Quapropter fidei formulis eo tempore editis, vi, & necessitate compulsus consensit, subscripsitquè.* Hæc Socrates.

Socrates lib. 2. cap. 26.

Imperator vel persuadendo, vel cogendo pręualere cupit.

Sozomenus lib. 4. cap. 5.

Senex vi tormentorũ adactus formulę Arianorum subscribit.

8. Porrò ad id nonnisi Osium vi adactum ipse Athanasius his verbis disertè affirmat: *Tantam* (inquit) *vim intulit seni, quem Sirmij in exilio detinebat, vt afflictus, attritusquè malis, tandem ęgrè cum Vrsacio communicaret, &c.* Idem planè Seuerus affirmat, ipsum videlicet inuitum, reluctantemquè ad subscribendum, minisquè adductum, & senij imbecillitate tolerandis imparē verberibus ad tempus cessisse. Illa verò dignissima Hilatij in Osium quetela extitit, quod nimirum *sepulchri sui, nempe corporis nimiùm amans fuerit*. Ita planè de Osij item lapsu mentio est apud Hieronymum, dum eius his verbis meminit: *Non potest eius* (ait) *auctoritate præscribi, quia aut nūc errat, aut sēper errauit, &c. nam si nonaginta annis male credidit post nonaginta annos illum rectè sentire non credam.* His planè lamentis, ingentiquè Patres certatim luctu tam digni præsulis casum prosequuti sunt, qui nauim Præclaris mercibus onustam, in Syrtes post tot superatas procellas incautè impegit.

Athanas. epist. ad solit. Baronius vbi sup. n. 15. Seuerus tom. 5 in biblioth. n. 8. Hieronym. de script. Eccles. in Leobadio.

SS. Patres ipsius casum dolent:

Baronius an. 357. n. 18.

9. Lugubri autem stylo Baronius infelicem tanti hominis lapsum, quo totaquodammodò Ecclesia concuti visa est, deplorando prosequitur, & pro ipsius iactura impensè lamentari non cessat, quæ hic repetere haud otiosum erit: *Superauit mea* (inquit) *sententia lapsus Osij prę teritorum omnium casum, siue Origenis, siue Tertulliani, vel quorumuis aliorum dixeris: nullus enim æquè ac ipse, neque tanta temporis diuturnitate, tot, tantisquè publicis actionibus, ijsdemquè summis, ac statum totius Reipublicę Christianæ spectantibus, tum in Occidente, tum in Oriente perfunctis; nullus, inquam, æquè vt Osius spectatus est. Cui non Concilio interfuit? atque magna pars fuit, &c. Quem tot, ac tantę Legationes Apostolicę decorarunt, quem in suo ipsius Christianæ fidei tyrocinio Constantinus Imperator inhærescentem suo lateri habere voluit monitorem, quem Parentem nomine diceret, atque filiali affectu coleret: hunc illum Osiū, quem et Ariani synodorum Principem dicerent, et Nycæni symboli formam concepisse: hunc, in quam, et Conciliabulo Sirmensi ignominiosè prostratum, turpissimè factum esse eiusdem Nicænæ fidei proditorem.* His Baronius amarulentis viro naufrago verbis visus est parentasse.

Osij lapsus ob merita in Ecclesiā iusta dolēdi causa ex Baronio.

S. Leo in serm.

Baronius vbi sup.

10. At Deus, cuius *opus*, (vt Leo inquit) *misericordia est*, immensos tanti Viri labores pro Catholica Ecclesia toleratos perire, ac sua hominem de publica Christianorum re optimè meritum frustrari mercede passus non est. Respiciens enim illum, non secus ac Petrum, ex animo dolentem, suumquè retractare errorem, & ad Ecclesiæ petram; à qua pridem recesserat, saluum redire voluit. Namque vt vno cuncti ferè SS. Patres ore testantur, compunctus subinde, & quod fecerat, vehementer execratus, omnem sub vitæ finem pœnitentiæ lacrymis culpam diluit. Quamobrem S. Athanasius vim

Deus tanti Viri labores irritos haud fore permisit.

vsm homini ab Imperatore illatam, ipsumque inuitum ad subscribendum Hæreticis impulsum, sed postmodum resipuisse his verbis tradit: *Verùm (inquit) nè ita quidem tam rem pro leui habuit; moriturus enim quasi in Testamento suo eorum vim protestatus est, et Arianam hæresim condemnauit, vetuitquè eam à quoquam probari, aut recipi*. Hæc ille, dum res sui temporis describens, satis amplum de Osij pœnitentia testimonium exhibet; qui & insuper in Oratione contra Arianos, præclaros quosque Viros, ac de Catholica fide optimè meritos recensens, priori quidem loco, & perhonorifico titulo Osium recolit, dum eiusdem non nisi ad tempus & ex metu lapsum, verberibusq; itē adhibiris contigisse affirmat, quam profectò pœnitentia erroris culpam expiasse, euidentissimè constat: Sed ipsius hìc Athanasij verba si libet, excipiamus; *Vis tamen (inquit) illa, et tyrannica Constantij potestas, multæquè contumeliæ, et interminationes satis ostendunt, minimè eum in nostri condemnationem, sed senij imbecillitate imparem verberibus ad tempus cessisse*. Qui igitur ad tempus dumtaxat hostibus cessit, post illud planè tempus, in pristinum se, vnde exciderat, memor statum recepit, primam, illibatamquè fidei normam, & confessionem amplexus, vt haud obscuris Athanasius verbis innuit; cui & Hilarius insuper adstipulator accedit: *Sed de eo (inquit) nihil queror: qui idcirco est reseruatus, nè iudicio humano ignoraretur, qualis ante vixisset*. Haud enim in hæresi, quam semel nolens, inuitusquè scripserat, & cui item subscripserat, perdurauit; cùm ipsa impietatis vsurpata professio ab ipso statim reuocata, atque abolita, necnon Imperatoris edicto vetita sit.

Athanasius in sua Apolog.

Vim ab imperatore passus errauit, sed pœnitens demū errorem retractat.

Athanasius orat. contr. Arianos.

Athanasius pœnitentiæ ipsius præco.

Hilarius de Synodis. Baronius vbi supra n. 221

11. Demum Osij tum fides, tum Pœnitentia testem, atque assertorem insuper Augustinum sortitur. Cùm enim Donatistæ ipsum acriter criminarentur; Eum namque valdè inuisum habebant, quod Constantini tempore magnopere Cæciliano patrocinatus contrà ipsos fuisset, apertis Dei Virum verbis, argumentisque defendit. Ex quibus fanè nil aliud Donatistas habuisse constat, quod vltrò illi obijcerent, nisi quod ipsis communicare detrectasset. Quod si hæresis adeò enormis labe vitiatus, ipsiusquè Dei iudicio infamis viri obitus extitisset, Donatistæ profectò haud tacuissent; sed id mordicus ipsi, vti par erat, perpetuò exprobrando meminissent. Si quis autem curiosius nosse isthęc cupit, Baronium in suis edisserentem Annalibus consulat. Pœnitens itaque Osius è vita decessit, & priorem maculam erroris sua tum pœnitentia, tū confessione abolens dignè (vt par est) expiauit.

Baronius an. 357. n. 30. & 38.

S. Augustinus Osii aduersus Arianos propugnator.

12. Sed alter Episcopalibus item infulis clarus, & hæresi pariter vitiatus; qui tamen postmodum resipiscendo, ac turpē admissi erroris labem pœnitentia diluens Orthodoxam fidem professus, quidquid pridem deliquit, salubriter postea retractauit, hìc à nobis silentio prætereūdus non est: Theodoretus videlicet Cyrenensis Episcopus, Theodori Mopsuesteni hæresiarchæ discipulus, ac laudator; qui primùm se à Nestorio hæreticorum perditissimo alienum simulans, ipsi postmodum adhærens, omnimodis fauit, eumq; pertinacissimè propugnans, ipsius hæreses promulgare nō destitit. Quapropter iusto Ephesinæ Synodi calculo anathematis iaculo perculsus, à Catholicæ fidei communione amotus, proscriptusq; est: Vir adeò alioquì pertinax, vt in S. Cyrillum scriptis insurgere, eumquè impudenter calumnijs impetere, ac lacessire sit ausus. Demum cum obstinato mordicus animo in acie stās pro Nestorio pugnaret, suum tandem culpæ reatum agnoscens, factisquè pœnitens; Nestorium, eiusquè impiam ex corde sectam execratus, S. Cyrillo reconciliari studuit, multisquè insuper eundem laudum præconijs cumulauit. Sed ne tanti Viri, ac ingenij, quæ reliquit, monimenta sileamus; Vir fuit eruditione clarissimus, duodecim quippe aduersus Gentiles libros conscripsit; at varijs postmodum à Dioscoro affectus molestijs, vtpote qui impensè Nestorio faueret, necnon ab Eutychianis eum in modum insuper exagitatur, vt Ephesinæ Synodo adesse eorum dolo permissus non sit, ac ipsius epistolæ Theodosij iussu absumendæ, vti quid execrandum, sint igni traditæ.

Theodoretus Cyrenē. Episcopus post defensam hęresim pœnitens errorem execratur.

Baronius an. 433. n. 23.

Pro Nestorio primum mordicus pugnat.

Theodoreti in quibusdā laudes.

13. Verùm cùm pro Catholica fide viriliter in acie perstans, eandem haud semel constantissimè propugnaret, nedū omnem culpæ, quam ex hæreticorum

commercio contraxit, ac infamiæ simul notam aboleuit; sed & sibi dignam resipiscendo insuper triumphi coronam peperit. Enimuerò aduersus Nestorium scripsit, ac nemo magis Orientales inter Episcopos sicut ipse in Eutychianam hæresim, eiusdemquè sectarios stylum intorsit. Quapropter à Calcedonensi Concilio in suam sedem reuocari meruit, & à S. Leone Romano Pontifice de facie agnitus, probatusque, ipsum sui sortitus est laudatorem. Demum Christi Anno 453. bonis cumulatus operibus, ac Pœnitentia apprimè clarus, è vita decessit; sed Baronius hic nobis consulendus est, hæc enim habet: *Quid verò (ait) Theodoretus? equidem nauiter collaborasse, certum ducimus argumentum ex ijs, quæ ab eodem gesta sunt ante Concilium Calcedonense, &c. Cæterum ipsum haud diù fuisse superstitem, ijsdemque fermè temporibus mortuum esse, ex eo possumus intelligere; quòd in literis Syrorum Episcoporum pro defensione Calcedonensis Concilij ad Leonem Imperatorem post biennium datis, nulla eius mentio habetur, &c.* Et in fine. *Porrò antequam vita defungeretur, quod ab orthodoxis Orientalibus haud secretè in communionem fuisset receptus, eo quòd fauisset aliquando Nestorio, quodque in magno Calcedonensi Concilio à Patribus iussus est publicis illorum conclamationibus Nestorio dicere anathema, testatam suam fidem Catholicam pluribus epistolis voluit reliquisse, & inter alia in ea (vt supra dictum est) ad Sporacium data, quæ inter eius epistolas primum obtinet locum. Qui ergo malè cœpit, gratiam Dei (quod paucorum est) benè perfecit, honestatus ante obitū egregijs S. Leonis Papæ præconijs epistola ad eum hoc anno, quam diximus, data, affigendaque tanquam nobile epitaphium lapidi sepulchrali.* Hæc in ipsius Pœnitentis laudem Baronius.

Contra Nestorium scribit, & nullus Eutychianos magis ipso impugnat.

A S. Leone PP. laudari meruit.

Baronius an 453. nu. 33

Baronius vbi supra.

Culpam suā Fatetens damnat, & in Calcedonensi Concilio palam Nestorio dicit Anatema.

Se Catholicum scriptis dictisque testatur.

14. Quod enim B. Leo inter Orientales omnes Episcopos Theodoretum probè sciret cunctis Religionis zelo præcellere, ipsius aduersus illos operam pluribus quidem commendans, vt opus viriliter cœptum prosequatur, conceptis verbis inculcat, hortaturque; dum inter alia ipsi gratulabundus hæc aptè suggerit. *Exulta* (inquit) *charissime frater, & in vnico Filio Dei victor exulta; Vicit per nos ille pro se, cuius carnis veritas negabatur; Vicit per nos, & pro nobis ille, cui vicimus*, Hæc, aliaque ad Theodoretum S. Leo. Et Theodoretus quidem monasticam primùm vitam excoluit, & magnum de se cunctis præbuit exemplum, dum in acie pro Religione consistens, hæreticos ad fidem Catholicam traducere, totisque neruis homines à fide alienos, Christo aggregare contendit. Quod illi bene adeò cessit, vt plusquā decem millia ipsorum ad Christi fidem, & Catholicæ Ecclesiæ sinum Pœnitentes tandem adduxerit, vt ipsemet ad monasticæ vitæ cultores his verbis scribens testatur: *Ego vero lugeo* (ait) *& suspiro, quod eas, quas paulò ante illis, qui labe Marcionis erant infecti, attuli demonstrationes, ex quibus plures, quàm decem millia, Diuina gratia, & opera ad Sanctissimum duxi Baptismum, easdem nunc illis, qui habiti sunt nobiscum fideles, ob eam, quæ orta est infirmitas, & hæresis, iterum afferre me cogit.* Textus verò iste ex numero decem millium, qui eius ad Christum opera conuersi dicuntur, eiusdem Theodoreti textu (vt Baronius ait) in Epistola ad S. Leonem, vbi legitur mille loco decem millium, corrigendus planè videtur.

Magna inter Orientales Theodoreti auctoritas.

S. Leo epist. ad Theodoretum. Baronius vbi supra n. 32.

Monasticam vitam primū exercens, postea hæreticos ad fidem adducendis intendit.

Theodoret. epist. 9 ad monasticæ vitæ sectatores.

Marcionitas quot numero ad Ecclesię sinum perducit.

Baronius an. 444. nu. 19.

15. Porrò haud cum Marcionitis dumtaxat, sed cum alijs item hæreticis Christi Ecclesiam labefactare conātibus, nec magno absque periculo Theodoreto pugnandum strenuè fuit, vt ipsemet ad Nomum Consularem scribens testatur: *Vicos* (inquit) *octo Marcionis heresi laborantes vnà cum vicinis locis ad veritatis agnitionem libenti animo duxi, alium praeterea vicum Eunomianorum plenum, & aliorum Arianorum in lucem veritatis accedere procuraui: & Diuina ope ne vnum quidem apud nos extat hæreticorum zizanium, aut germen. Nec ista sine periculo feci, sed sanguinem sæpius effudi meum, sæpè etiam ab ipsis lapidatus fui, & sæpè ad Inferorum, & mortis pœnas perueni; sed iam insipiens factus sum, dum glorior: hæc autem ex necessitate, non autem ex animo à me dicta sunt; hoc etiam Beatissimus Paulus facere aliquando coactus est.* Hæc ille, quæ acerbissimis exagitatus vndiq; procellis vel nolēs prodere cōpulsus est, qui & in Epistola, quā eadem occasione ad monasticæ vitæ cultores scripsit, vt vidimus, desertis hæc item verbis meminit.

Baronius vbi supra. Theodor epist. 146 ad Nomum.

Marcionitas nedum, sed & cum a ijs pugnat hæreticis Eunomianis, Arianis &c.

Quanta ab hæreticis perpessus.

Theodoret. epist. 146. ad monac.

16. Ve-

16. Verùm qui tot, tantisque seipsum Catholicæ fidei causa periculis obiecit, etsi postmodum à recta veritatis aliquando semita aberrans, & in hæresim miserè impingẽs, in Nestorij castris militasse dicitur, Dei tamen postmodum beneficio, quod non nisi rarò contingit (vt Baronius ait) illud à Deo consequutus est, vt classicum canens, & in Catholicorum sinum se recipiens à perfidiæ proculcastris confessionis ibi vexillum erigens, qui malè cœperat, suæ demum actum vitæ bene finiret, ac Pœnitentia omnem, quam contraxerat, labem sic agendo dilueret, aboleretque. Virum itaque hunc, qui primùm hæreticis fauit, primò vituperandum; quia verò Catholicis postmodum vsque ad vitę finem inhærens, pœnitensque laudabiliter vitam compleuit, hic iure meritò laudandum constat: Adeò vt ijsdem prorsus (quod olim Nazianzenus de Maximo Philosopho, quem ipse laudasse, ac dictis pariter perstrinxisse postmodum legitur) Theodoreto Episcopo haud incongruè verbis sit parentandum, cui ipsius item Hieronymi verba, quæ & Maximo olim, coronidis instar apposite satis occinũt. *Quasi* (inquit) *non licuerit eundem laudare, & vituperare pro tempore.* Sed de eo satis.

Ab hæresi tandem resipuit, quod rarò hæreticis contingit ex Baronio.

Theodoretum licet laudare, eũdemque vituperare pro tempore.

Hieronym. de script. Eccles. in Nazianz.

17. Atqui vt cæteros, qui post eiuratam hæresim, Pœnitentiæ fulti subsidio, non exiguam sibi in Ecclesia laudem promereure, consultò recenseamus, Euthycus quidem Cõstantinopolitanæ Vrbis Episcopus, qui magnam sanctitatis famam, quam tum sibi apud omnes, tum apud Romanorum Imperatorem Mauritium conciliarat, etsi hæretica aliquantum labe visus sit denigrasse; pœnitens tamẽ laudabiliter deterfit, decessitq; tandẽ è vita expiatus. *Qui igitur confessionis gloria* (vt Baronius ait) *ob exilium, quò amandatus fuerat, illustris, miraculorumque operatione sublimis extitit, qui prophetia item charismate pollens, animarum lucro (vt idem ait) praditus, victorijs aduersus hæreticos longè latèque conspicuus; propè exitum tamen obscuro nimbo contectus penitus obscuratur: sed quàm citissimè flante Diuino spiritu, nubibus illis procul expulsis enitescens, prioribus fulgoris radijs ad occasum ascensurus in Cælum descendit.* Hæc in ipsiusmeritò laudem Baronius.

Euthycus Constantinop. Episcopus, hæreticus aliquãdo:

Baronius an. 586. num. 3.

Magna apud omnes & apud Imperatorem sanctitatis ipsius fama.

18. Sed quæ homini tot, tantisque virtutum meritis conspicuo, ac turpiter aliquando deliranti honestè contigerint, ex Gregorio, qui vnà cum ipso certamen inijt, suisque eundem verbis à recta sanæ fidei regula aberrantem ad orthodoxę religionis sinũ perducere conatus est, hic nosse oportet. Sic enim in commentarijs illud Iobi explicans: *Et rursus circumdabor pelle mea*, dicendi exordium fecit: *Dum aperte* (inquit) *pellis dicitur, omnis dubitatio vera Resurrectionis aufertur: neque sicut Eutychius Constantinopolitanæ Vrbis Episcopus scripsit, corpus nostrum in illa Resurrectionis gloria erit impalpabile, ventis, aereque subtilius. In illa enim Resurrectionis gloria erit corpus nostrum subtile quidem per effectum spiritualis potentia, sed palpabile per veritatem natura. Vnde etiam Redemptor noster dubitantibus de sua Resurrectione Discipulis ostendit manus, & latus palpanda ossa, carnemque prabuit, dicens: Palpate, & videte, quia spiritus carnem, & ossa non habet, sicut me videtis habere. Qui cùm eidem Eutychio in Constantinopolitana Vrbe positus, hoc Euangelica veritatis testimonium protulissem, ait: Idcirco Dominus hoc fecit, vt dubitationem Resurrectionis suę de Discipulorum cordibus amoueret. Cui, inquam, mira res est valdè, quam astruis, vt inde nobis dubietas surgat, vndè Discipulorum corda à dubietate sanata sunt; Quid enim deterius dici potest, quàm vt hoc nobis de eius vera carne dubium fiat, per quod Discipuli eius ad fidem ab omni sunt dubietate separati. Si enim hoc non habuisse astruitur, quod ostendit, vnde fides Discipulis eius confirmata est, indè nostra destruitur.* Hæc ille.

Gregorius moral. lib. 14. cap. 29. 4. 5.

In Resurrectionis futurę articulo credẽdo erat.

Corpus resurgentium impalpabile asseruit.

S. Gregorius ipsum acriter, & errorem confutando arguit.

19. Sed si quis reliqua interim, & quæ non nisi manifestam redolent hæresim, ac hominem eiuscemodi labe obnoxium renunciant, scire cupit, Gregorium consulat, qui isthæc sub finem tradit: *Tunc itaque* (ait) *hac de re in longa contentione producti, grauissima cępimus abnobis simultate resilire. Cùm pia memoria Tyberius Constantinus Imperator secretò me, & illum suscipiens, quid inter nos discordia versaretur, agnouit, & vtriusque partis allegationes pensans, eundem librum, quem de Resurrectione scripserat, suis quoque allegationibus destituens deliberauit, vt flammis cremari debuisset. A quo vt egressi sumus,*

Gregorius, & Eutychius disputando altercantur

Baronius vbi supra n. 4. Gregorius ibi supra.

Imperator ipsius librum flammis addicit.

mus, me ægritudo valida, eundem verò Eutychium ægritudo, & mors protinus est secuta. Quo mortuo quia pœnè nullus erat, qui eius dicta sequeretur, dissimulaui cœpta perfequi, ne in fauillas viderentur verba iaculari. Dum tamen adhuc viueret, & ego validissimis febribus ægrotarem: quicunque noti mei ad eum salutationis gratia pergebant (vt eorum relatione cognoui) ante eorum oculos pellem manus suæ tenebat dicens: Confiteor, quia omnes in hac carne resurgemus. Quod sicut ipse fatebatur, omninò priùs negare consueuerat. Hæc Gregorius, quibus omnem, quæ de vera carnis Resurrectione inter ipsos præcesserat litis controuersia, homine, antequam spiritum Deo redderet, ad sanam mētem, & ad illibatæ fidei normam perductō, à qua aliter loquēdo altiùs visus est aberrasse, diuino tandem aspirante Numine, sopiri contigit. Verùm haud ipse futuram carnis Resurrectionem negauit; nec id crimini (Baronio teste) Gregorius ipsi adscribit, sed quod *eam* (inquit) *non secundùm Catholicam assertionem assereret, sed vt Origenistæ solerent*. Ita planè.

Euthycus inter moriēdum manus suas palpans errorem pridem assertum execratus pœnitens moritur

Resurrectionem cum Origenistis sentiendo asserebat ex Baronio.

Baronius vbi supra n.6.

20. Porrò, vt pium eius hìc obitum consultò repetamus, & quanto apud Imperatorem Mauritium in honore haberetur, Lectori innotescat; Sic eum Princeps coluit; vt ipsum iacentem in lectulo adiens, ac expetitam ab eo benedictionē sibi supplex, humiliterque venerando deposcens, de impendente sibi fato sit ab codē præmonitus: Hæc quippe Eustatius, qui res ab eo preclarè gestas post suis tradidit scriptis, cum exactam de Eutychij ægritudine ingerit mentionem: *Imperatorem* (ait) *magno desiderio, & fide beatum Virum inuisit: primùm quidem vt ab illo benedictionem acciperet; deinde vt intelligeret, quis post illum Pastor esset Populum gubernaturus: Benedixit ille quidem Imperatori, sed alterum reticuit, non quod ignoraret; sed propter quasdam causas, quas Deo sibi aperiente ipse nouerat. Quare cùm ea, quę res, & tempus postulabant, cum Imperatore locutus esset, hilari, lætoque vultu ille discessit. Ego autem à quibusdam Imperatoris familiaribus accepi, ei fuisse à Sancto Viro pronunciatum, colerem ipsi mortem instare; idque verum fuisse exitus docuit: nam quatuor post mensibus à vita discessit Christi amantissimus Imperator.*

Mauritius Imp. ipsum adit, & benedictione m. supplex poscit.

Baronius an. 586.num.1.

Eustatius de gest. Eutichy;

Mauritio proximum vitę finem prędicit.

Hæc Eustatius. Optimo igitur Eutychius fine virtutum merito conspicuus supremum diem clausit Anno videlicet Christi CCCCC.LXXXVI., *Qui etsi* (vt Baronij hìc verbis vtamur) *codē argumento commentarium à se scriptum ediderit, quo cum firmiter aduersus Gentiles, & hæreticos carnis Resurrectionem astrueret, ab Origenis tamen erroribus petitam opinionem ijsdem suis scriptis insereret, nimirum fore eam absque carne palpabili. Cùm autem id accepisset Gregorius, conuenit eum, atque redarguit, vtque ab erronea, & prorsus hæretica sententia recederet, verbis instans admonuit; atque perfecit tandem, vt damnatus liber incendio cremaretur, ipseque Eutychius sanioris mentis effectus, suum fuerit detestatus errorem. Ità planè humana sors fert, vt sicut illustrans Orbem è Cœlo Sol rarò contingat ad occasum absque nubium obice puris radijs deorsum ferri, ità Sanctissimi quoque Viri virtutum fulgore coruscantes absque aliqua labe rarò vsque ad obitum perseuerent, quod de Eutychio dici potest, qui gloria confessionis ob exilium passum illustris, miraculorum operatione sublimis obscuro nymbo obscuratur; vbi tamen primùm Doctore, & Monitore Gregorio didicit veritatem, eandem coram omnibus ad se ingredientibus certa confessione professus est, vt non immeritò eum Græci vt Sanctum colant, anniuersariaque die eius natale celebrent.* Hæc Baronius, quæ nobilissimi instar tituli egregio Viro, ac Pœnitentis tumulo inscripsisse voluimus; dum ipsum suam sic labem pœnitentia expiasse innotescit, vt qui pridem sanctitate cōspicuus vixerat, illustris quoque pœnitentia, ac pietate, dum sic priora reparat damna, decesserit:

Baronius vbi supra nu.2.

Tota Eutychij historia à Baronio summatim collecta.

Baronius vbi supra n.6.7.

Digna ipsius elogia, & vti Sanctus à Græcis colitur.

21. Berengarius quoque Hæresiarcha, & Cariosus itidem, (vt Baronius ait) dictus, qui falsò olim, ementitoque Ecclesiam Pœnitentiæ typo eluserat, summo tamen Dei beneficio tandem verè pœnitens ex hac vita migrauit; Hildebertus verò epitaphium ipsum significare visus est, quod in Ecclesia Catholica subindè vita functo inscripsit, cùm tamen Catholicus homo Baronio teste, *honorificum adeo epitaphium eius tumulo inscripserit*. Sed hìc Vuilhelmus dum ipsius exitum meminit, ac nobile epitaphium recenset, consulendus hìc nobis est; isthæc enim habet. *Videas*

Berengarius qui & Cariosus dictus, & si primum falsò pœnitentem præsetulit, tamen postea dignè resipuit.

Baronius an. 1088. nu.18.

Ggg (in-

Vuilhelm. Mamesburiss. 3. apud Baronium vbi supra.

(inquit) *his versibus, quod laudis excessit modū Episcopus* (& paulò post) *Berengarius planè quamuis ipse sententiam correxerit, omnes tamen, quos ex totis terris deprauauerat, cōuertere nequiuit; adeo pessimū est alios exemplo, vel verbo à bono infirmare, quia fortasse peccatum regrauabit alienum, cùm deletum fuerit tuum.* Et rursus inferius: *Quin & ipso die Epiphaniorum moriens, gemituque producto recordatus, quòd miseros quosdam adolescentes primo ætatis flore secta sua infecerit: Hodie (inquit) in die Apparitionis suæ apparebit mihi Dominus meus Iesus Christus propter pœnitentiam, vt spero, ad gloriam, vel propter alios, vt timeo ad pœnam.* Hæc Hildebertus. Pœnitentia igitur vel sub vitæ occasum iste suffultus, ac Dei misericordiam sibi impertiendam sperans, iustè tamen grauibus in altero sæculo ob enorme scandali offēdiculum suis prauis dogmatibus exhibitum, pœnarū se haud expertem futurum, & à Deo iure merito percellendum timet. Narratis verò ipsius Baronij, quę illi egregiè consonant, verba appendicis instar hic subtexenda: *Hoc (ait) anno die Epiphaniæ (vt eius epitaphium habet) Berengarius Cariosus hæresiarcha sæpe falsa pœnitentia eludens Ecclesiam, ex hac vita migrauit. Scripsit illud, sed cum non adhuc Genomanensis Episcopus esset Hildebertus, quo significasse visus est, ipsum in Ecclesia Catholica esse defunctum, cùm Catholicus homo ad eius tumulum honorificum adeò epitaphium scripserit; sed planè longè gloriosius, quàm humana conditio hominis toties lapsi, ac nefandissimi hæresiarchæ ferret, vtpote qui vix laica communione in exitu magna misericordia dignus haberi potuisset.* Sed hæc interim satis. Speciosum verò, ac nobile ipsius tumulo inscriptū ab eo tenoris huiusmodi titulum, his planè notis recenset, vt infra.

Quàm intimo animi dolore culpas recolens pœnitet.

Bar nius an. 1088. nu 15.

Festo Epiphaniæ die hæresum execranf errorem decedit.

Nobilior ipsi, quam par est, titulus inscribitur.

Vuilhelm. Malmesburiensis lib. 3.

Elogium vitæ ipsius gesta continens.

Quem modò miratur, semper mirabitur
Orbis.
Ille Berengarius non obiturus obit.
Quem sacra fidei fastigia summa tenentem
Iani sexta dies abstulit ausa nefas.
Illa dies, damnosa dies, & perfida Mundo,
Quà dolor, & rerum summa ruina fuit.
Qua Status Ecclesiæ, qua spes, qua gloria Cleri,
Qua cultor iuris iure ruente ruit.
Quidquid Philosophi, quidquid docuere Poetæ,
Ingenio cessit, eloquioque suo.
Sanctior, & maior sapientia maius adorta,
Impleuit sacrum pectus, & ora Deo.
Pectus eam voluit, vox protulit, actio prompsit,
Singula factori sic studuere suo.
Vir sacer, & sapiens, cui nomen crescit in horas;
Quo minor est quisquis maximus est hominum.
Cui nec desidiam, nec luxum res dedit ampla;
Nec tumidum fecit multus, & altus honor.
Qui nec ad argentum, nec ad aurum lumina flexit;
Sed doluit, quoties, cui daret, hac aberant.
Qui non cessauit inopum fulcire ruinas,
Donec inops dando, pauper & ipse fuit.
Etc. & infra.
Cui vestis textura rudis, cui non fuit vnquam,
Ante sitim potus, nec cibus ante famem.

Laudatus ab Hildeberto ob animi dotes præter modum.

Et post multa in ipsius laudē luculenter satis decantata meritorum præconia his Auctor supremam enarratis in præmemorato sepulchrali titulo manum imponit.

Vuilhelm. vbi supra.

Quàm priùs è vita, tam nunc ex morte gemiscit,
Et queritur celeres huius abisse dies.
Vir verè sapiens, & parte beatus ab omni,
Qui Cœlos anima, corpore ditat humum.
Post obitum viuam secum, secum requiescam,
Nec fiat melior sors mea sorte sua.

Felix ipsius sub finem exitus.

Hæc Hildebertus, qui suo Berengarij laudes stylo prosequutus, plus æquo hominem visus est laudibus cumulasse, dum non tam sinceri laudatoris, quàm Poetæ encomiastis partes exequitur. *Hæc quippe Hildebertus* (vt Baronij verbis rē concludamus) *luxurians, ceū vitis in pampinis, fructu carens veritatis poetico luxu.* Sed hęc satis.

Landator non tam sinceri laudatoris, quam poetæ encomiastis partes exequitur.

22. Nunc verò opportunè post ipsū se nobis offert Petrus Abailardus, qui nimio mentis fastu elatus, ac literarum fuco à veritatis orthodoxę sinu abductus, cum praua hæresum in Gallijs dogmata petulanter disseminat, ab Episcopis apud Innocentium Secundum huius nominis Roma-

Baronius vbi sup. nu. 1°.

Baronius an. 1140. nu. 3.

Romanum Pontificem delatus, in suis adeò pertinax dictis, scriptisq; & arrogans adeò extitit; vt vel excutiens, ac suæ præfidens sapientiæ S. Bernardum Ab. Claræuallensẽ ad differendum publicè pronocaret, & à Beato subinde Viro sapientissimis inter disputandum argumentis conuictus, & confusione resperfus, ad Apostolicam Sedem appellare perfrictæ frontis homo non dubitauerit, & qui Petri fidem impugnabat, ad Petri Sedem confugium quærere haud erubesceret; sed eius postmodum meritò proscripta hæresis, ac ipse silentio addictus, subindè ex corde, Deo desuper afflatus resipuit, ac vitæ laudabiliter cursum in Monasterio inter Cluniacenses receptus pœnitendo compleuit. At prius, quæ S. Bernardus aduersus ipsum prauis dogmatum erroribus delirãtem pro fidei defensione proclamat, præmittẽda hic sunt; Hæc enim de eo prælaudatus Sãctissimus Abbas. *Stultè* (inquit) *mihi requiem promittebam, siquidem leonina rabies quieuisset, & pax Ecclesiæ redderetur, sed secus accidit; Nam inferiùs: Leonem euasimus, sed incidimus in Draconem, qui non minùs forsan noceat in insidijs, quàm ille rugiens de excelso. Quanquam non iam in insidijs, cuius virulenta folia vtinam iam laterent in scrinijs, & non in triuijs legerentur. Volant libri, & qui oderunt lucem, quoniam mali sunt, impegerunt in lucem, putantes lucem tenebras. Vrbibus, & Castellis ingeruntur pro luce tenebræ, pro melle, vel potius in melle venenum passim omnibus propinatur. Transierunt de gente in gentem, & de Regno ad Populum alterum. Nouum cuditur Populis, & gentibus Euangelium, noua proponitur fides, fundamentum aliud ponitur præter id, quod positum est. De virtutibus, & vitijs non moraliter; De Sacramentis Ecclesiæ non fideliter; De arcano Sanctæ Trinitatis non simpliciter, nec sobriè disputatur: sed cuncta nobis in peruersum; cuncta præter solitum, & præter quàm accepimus ministrantur. Procedit Golias procero corpore nobili illo suo bellico apparatu circummunitus: antecedente quoque eius armigero Arnaldo de Brixia, squama squamæ coniungitur, &c. Sibilauit apis, quæ erat in Francia, api de Italia, & venerunt in vnum aduersus Dominum, & aduersus Christum eius, &c.* Hæc ille.

Petrus Abailardus praua disseminans dogmata in Gallijs, vti hæreticus apud Romanum Pontificem accusatur.

Bernardus epist. 189.

S. Bernardus in ipsum insurgens proclamat.

Baronius an. 1140. num. 3.

De ineffabili Trinitatis mysterio nõ simpliciter disputabat.

Arnaldus de Brixia suis ipsi præit erroribus.

23. Verùm quàm perfidè se aduersus Deum, & Dei Virum hic scientia inflatus extolleret, & quibusnam disputando armis in Catholicos prævalere contenderet, Archiepiscopus Senonensis hæretico homine acriùs perurgente Dei famulum ad singulare certamen cum ipso ineundum inuitans, his ex D. Bernardi epistola verbis inculcat: *Denique* (ait) *scripsit mihi sollicitante ipso Archiepiscopus Senonensis, diem statuens congressionis, quo ille in præsentia eius, & Coepiscoporum suorum deberet, si posset, statuere praua dogmata sua, contra quę ego mutire ausus fuissem. Abstinui, tum quia puer sum, & ille Vir bellator ab adolescentia, tum quia iudicarem indignum, rationem fidei humanis committi ratiunculis agitandam, &c. Dicebam sufficere scripta eius ad accusandum eum, nec mea referre; sed Episcoporum quorum esset ministerij de dogmatibus iudicare.* Sed quod Vir Dei nonnisi Religionis zelo permotus, ac necessitate dũtaxat compulsus, certamen huiusmodi, in arenam præliaturus descendens, arriperet, ac Diuina fretus ope, Aduersarium inter disputandum sacrarum vi scripturarum, ac oraculis euictum falsitatis argueret; adeò vt miser, dum nimis sapere mox putat desipiens, & ex tempore turbatus mente, ac occultam in se vim passus, id non hominis, sed Dei, quod tunc agebatur opus, intelligeret, ex eiusdem Bernardi gestis hunc in modum liquet: *Adfuit* (inquit) *dies, & Ecclesia copiosa conuenit. Vbi à Dei famulo Petri illius Abailardi in medium scripta prolata sunt, &c. Demum illi optio data est, aut sua esse negandi, aut errorem humiliter corrigendi, aut respondendi, si posset, obijciendis, &c. Nihilominus Ecclesia dimisit hominem, mulctauit abominationem, à persona abstinens, sed dogmata praua condemnans.* Quod disertis item verbis idem Bernardus ad Innocentium scribens, luculenter affirmat; hæc enim habet: *Occurri* (ait) *ad eum locum, & diem imparatus, &c. Capite nobis Pater amantissime vulpes, quæ demoliuntur vineam Domini, &c.* Hic ille.

Bernard. epist. 189.

S. Bernardus ad singulare cum ipso certamen prouocatur.

Ex gestis S. Bernardi Ab. lib. 3. cap. 5.

Petrus infelix mente inter disputandum turbatus dum se nimis putat sapere desipit.

Bernardus epist. 189.

24. Enimuerò quàm multis, & quã immane Abailardi dogmata scaterent erroribus, dum S. Bernardus ad S.R.E. Cardinales, & præcipuè ad Guidonem de Castello, qui postea fuit re:me: Celestinus

Impia ipsius dogmata à Bernardo summatim collecta.

nus Papa, antea verò ipsius in Philosophia Abailardi Discipulus, nè hominem patrocinandum susciperet, errores eius quàm immanes fuerint, his prope finem verbis exponendo inculcat: *Cùm de Trinitate* (inquit) *loquitur, sapit Arium; cùm de gratia, sapit Pelagium; cùm de persona Christi, sapit Nestorium, &c.* Paribus item verbis Episcopi, qui pridem ipsius disputationi interfuerant, & qui præfuerant Iudices ad Innocentium scribentes; quòd toto Cœlo à veritate aberrans hic homo se supra cunctos extolleret, & à sanæ fidei regulis esset omnino alienus, his verbis docent: *Petrus Abailardus*(aiunt) *Christianæ fidei meritum euacuare nititur, dum totum, quod Deus est, humana ratione arbitratur comprehendere. Ascendit vsque ad Cœlos, & descendit vsque ad abyssos. Nihil est, quod latet eum, siue in profundum Inferni, siue in excelsum suprà. Homo est magnus in oculis suis, disputans de fide contra fidem, ambulans in magnis, & mirabilibus super se, scrutator Maiestatis, hæresum fabricator.* Hæc de impio homine ad Romanum Pontificem epistolares Patrum, tunc temporis paginæ pro tuendæ Religionis zelo, iustissimè proclamarunt.

Bernardus epist. ad Cardinales.

Episc. epist. ad Innoc. Papam

25. Porrò cùm Innocentius, ad quē homo appellauerat, Episcoporum sententiæ inhærens, tum homini, tum prauæ ipsius doctrinæ, atque erroribus silentium indixisset, Abailardus Romam profecturus, in itinere Cluniacum diuertit; vbi à Petro Venerabili eiusdem Monasterij Abbate idem admonitus, vt assertos à se errores corrigeret, palinodiam recantando, in eodem Monasterio pœnitens manere decreuit, vt idem Petrus Venerabilis ad Innocentium, his verbis testatur: *Interim* (inquit) *à nobis admonitus, magis autem à Deo (vt credimus) inspiratus, dimissis, & studiorum tumultibus in Cluniaco vestro sibi perpetuam mansionē elegit. Quod nos senectuti eius, debilitati eius, & Religioni eius congruere putantes, & scientiam eius vobis ex toto non incognitam, magna Fratrum nostrorum multitudini proficere posse credentes, voluntati eius assensimus, etsi sic benignitati vestræ beneplacitum esset, benignè, & cum gaudio nobiscum vineret (vt nostis) per omnia remanere concessimus, &c.* Hæc Petrus Cluniacensium Abbas ad Innocentium, dum Abailardum ex corde compunctum, ac errores, quos pridem ediderat, retractantem, nec non cuncta literarum studia à se penitus abdicantem ipsi ob oculos cōtemplandum proponit.

Palinodiam recantans in Cluniacensi Monasterio Petrus remanet.

Petrus Venerabil. lib. 5. ep. 3.

Petrus Cluniacensis ad Ecclesiæ sinū redeunti dat manum.

26. Atqui (vt ipsis hìc Baronij ad rē confirmandam verbis vtamur) *Mirandū* (ait) *valdè est, quòd & sic rarò contingens, idem hæreticus pœnitens perseuerans vsque ad finem, magnum edidit specimen sanctitatis. Perseuerans enim in arctissima monastica obseruantia, demum Sancto fine quieuit, dignusque habitus est, qui ab eodem Venerabili Petro Cluniacensi conscripta post obitum epistola magnopere laudaretur.* Scribens quippe ad Aloysiam eius quondam vxorem, quæ & ipsa doctrina præcellens, idem planè vitæ genus arripuerat, post multa in ipsius laudem isthæc subinfert: *Concessum est* (inquit) *de illo, inquam, sæpè, ac semper cum honore nominando seruo ac vero Christi Philosopho Magistro Petro, quem in vltimis vitę suæ annis eadem Diuina dispositio Cluniacum transmisit, & eam in ipso, & de ipso super omne aurum, & topazion munere chariore ditauit. Cuius Sanctę, humili, & deuota inter nos conuersationi, quod quantumuis Cluniacus testimonium ferat, breuis sermo non explicat. Nisi enim fallor, non recolo vidisse me illi in humilitatis habitu, & gestis similem, intantum, vt nec Germanus abiectior, nec ipso Martinus bene discernēti pauperior appareat. Cùmquè in magno illo Fratrum nostrorum grege me compellente gradum superiorem teneret: vltimus omnium vestitu incultissimo videbatur. Mirabar sæpè, & in processionibus eo mecum reliquis pro more præcedente, penè stupebam, tanti, tamque famosi nominis hominem sic semetipsum contemnere, sic se abycere posse, &c. Simplicitate contentus, nihil vltrà quærebat, hoc & in cibo, hoc & in potu, hoc & in omni cura corporis sui seruabat; & non dico superflua, sed & cuncta nisi valdè necessaria tam in se, quàm in omnibus verbo pariter, & vita damnat. Lectio erat ei continua, oratio frequens, silentium iuge, nisi cùm aut fratrum familiaris collatio, aut ad ipsos in Cōuentu de Diuinis publicus sermo eū loqui vrgebat. Sacramenta cælestia immortalis Agni sacrificium Deo offerendo, prout poterat, frequentabat; immò postquam literis,*

Baronius vbi supra nu. 10.

Pœnitens in arctissima vitæ obseruantia vsque ad exitum perseuerans laudatur.

Petr. Ven. lib. 5. epist. 10.

Baronius vbi supra nu. 11.

Ipsius digna post mortem elogia & cōsolatoria ad Aloysiam ipsius coniugē epistola.

Mira hominis in bonum mutatio.

terit, et labore meo Apostolicæ gratiæ reddius est, penè continuabat. Et quid multa? mens eius, lingua eius, opus eius semper Diuina, semper philosophica, semper eruditoria meditabatur, docebat, fatebatur. Nec his ipsum præconijs extulisse contentus, sic laudibus laudes exornando adijcit.

Petr. Ven. vbi supr.

27. *Ille nobiscum Vir simplex, et rectus, et timens Deum, et recedens à malo, tali, inquam per aliquantum temporis conuersatione vltimos vitæ suæ dies consecrans Deo, etc. Nec sicut de magno Gregorio legitur, momentum aliquod præterire sinebat, quin semper aut oraret, aut legeret, aut scriberet, aut dictaret. In his sacrorum operum exercitijs eum aduentus illius Euangelici Visitatoris reperit, nec vt multos, dormientem, sed vigilantem inuenit. Inuenit eũ verè vigilantem, et ad æternitatis nuptias non vt fatuam, sed vt sapientem Virginem euocauit, etc. Nam ad soluendum commune mortalium debitum morbo correptus, eoque ingrauescente, in breui ad extrema perductus est. Tunc verò quàm sanctè, quàm deuotè Catholicæ primò fidei, dehinc peccatorum confessionem fecerit, quanto inhiantis cordis affectu Viaticum peregrinationis, ac vitæ æternæ pignus, Corpus scilicet Redemptoris Domini acceperit, quàm fideliter corpus suum, et animam hìc, et in æternum ipsi commendauerit, testes sunt Religiosi Fratres, etc. Hoc Magister Petrus fine dies suos consumauit; et qui singulari scientia magisterio toti penè Orbi terrarum notus, et vbique famosus erat, in illius discipulatu, qui dixit: Discite à me, quia mitis sum, et humilis corde, mitis, et humilis perseuerans, ad ipsum (vt dignum est credere, sic transijt.* Hæc Petrus Abbas, qui post laudatum ob pia, nec vulgaria pœnitentiæ, ac sanctitatis insuper in Monasterio exhibita cunctis exempla, eiusdem laudibus epitaphium hoc tumulo perennis instar laudum monimenti inscribit.

Felix vitę post ipsius lapsum forma pœnitentis, ac dignus finis:

Mors ipsi ad immortalitatem transitus

Petrus Cluniacens. vbi supr.

Sepulchralis Abaelardi titulus:

Gallorum Socrates, Plato maximus Hesperiarum,
Noster Aristoteles, logicis, quicunque fuerunt,
Aut par, aut melior: studiorum cognitus Orbi
Princeps, ingenio varius, subtilis, et acer,
Omnia vi superans rationis, et arte loquendi,
Abelardus erat; sed tunc maximè omnia vicit.
Cùm Cluniacensem Monachum, moremque professus,
Ad Christi veram transiuit Philosophiam;
In qua longeuæ benè complens vltima vitæ,
Philosophis quandoque bonis se connumerandum
Spem dedit, vndenas Maio renouante Kalendas.

Quia pœnitẽs laudatur.

Isthæc igitur post praua abdicata hæresũ dogmata homini ad pœnitentiæ sinum traducto, & in arctioris vitæ obseruantia diem feliciter obeunti, tituli adinstar sepulchralis, nec non famæ haud nunquam moriturę argumentum statuisse sufficiat, vt videlicet ipsi anteactos vitæ errores nil, vbi sic pœnitentia præsto est, attulisse detrimentum innotescat.

28. Et plures quidem numero Viri hìc nobis suppetunt, qui Deo afflante, ad Catholicam fidem post eiuratam hæresim, traducti feliciter sunt; sed vnus præsertim, qui Caluini pridem vitiatus erroribus, præferuidè adeò resipuit; vt constans iugiter in fide postmodum perstiterit, de quo Augustinus Mannus noster in suis selectis historiarum paginis isthæc: *Circa Annum* (inquit) 1569. *quidem iam diu hæresibus suis immorans, licet diu, multùmque sollicitatus in contrarium à quibusdam Catholicis, quos amatus amabat, tam graui correptus est morbo, vt vitam non speraret. In tãto igitur periculo ausus est à Deo signum petere, rogans, vt propitius sibi foret, et veram, qua saluaretur, religionem diuinitus reuelaret. Quæ cogitanti apud se, et in cordis secreto precanti, ecce iuxta lectulum ignis apparuit corporalis, et in circuitu ignis multæ manus, quæ arreptos libros Caluinicæ communionis in Anglia nimis notos, et oculis eius, vt videret, atque agnosceret, admotos, in ignem deinde coniecerunt, omnibusque exustis euanuerunt. Hominis nomen, et habitationem indicare possem, si liceret, testium quoque fidelissimorum, quibus non sine Dei nutu post quatuor demum annos (tandiu enim celauerat) reuelauit terribiliter, denseque contestans Deum, qui eum iudicaturus esset, se non conficta, sed gesta narrare, idque etiam*

Augustin Mãnus hist. select. cap. 500. an. 1569:

Ricc. 2. Brist. to. 1. mot. 12.

Caluinista post impios errores portent visu ad fidem, & Ecclesiæ sinum conuertitur:

tum

Videt manus igni libros inijcientes.

tum in suis hæresibus perseuerans; ex quo ipsi quidem iam maior imminebat cumulus damnationis, nisi resipuisset (est enim iam Catholicus, vt audio, ac reconciliatus Ecclesiæ) sed visioni maior inde, certiorque allata est fides, vt facilè vident omnes: quippe, qui tandiù reticere, tam difficulter reuelare voluerit: et quando reuelauit, et postquam reuelauit, in hęresi permanere, neque tamen vnquam, quod dixerat, retractare: sed vt tunc hæreticus, ita etiam nunc Catholicus cum omni constantia, et asseueratione identidem confirmare. Sic planè præstitis è Cœlo portentis admonitum, mox ad Christi fidem hęresis reiecto mēdacio, ac labe expiatus profugit.

Veritatem fidei è Cœlo edoctus Catholicus fit, & visum narrat.

29. Sacrorum verò librorum lectione haud semel hæretici, agnito prauorum dogmatum errore, & ad pœnitentiam, Deo aspirante feliciter traducti, salutem animi post naufragiū deniq; sunt elucrati. Quod sanè iusto olim Caluino, & ex ipsiusmet Caluini stirpe progenito contigit, qui dum Cæsaris Cardinalis Baronij Annales attentè perlegit, Deo afflatus, ac cœlesti mox lumine respersus, ad Orthodoxam, illibatamque Christi fidem conuolans, magnum de se cunctis, tum pœnitentiæ, tum pietatis exempla reliquit; Cuius quidem Hieronymus Barnabeus Congregationis Oratorij Presbyter in conscriptis à se Baronij gestis, atque his planè verbis, ipsius Baronij recensendo laudes meminit: *Quamobrem* (ait) *Iustus Caluinus Vir clarissimus, idemque doctissimus, qui Annalium beneficio ex hæretico Catholicus Baronij fidem, et nomen accepit*, etc. Ipsius item infra his iterum verbis mentionem agit: *Testis est* (inquit) *Iustus Caluinus vetera Castrensis Vir genere, et doctrina clarissimus, qui (vt supra innuimus) ex hęretica prauitate Annalium Ecclesiasticorum lectione ad Catholicam fidem excitatus, Romam cùm venisset, Auctore Baronio, largè, liberaliterque à Clemente Pontifice tractatus est, mox in Basilica Lateranensi ab eodem Pontifice solemni ritu sacro chrismate confirmatus, eundem Baronium patrinum habuit, quem Patrem fidei suę paulò ante habuerat, cuius et in familiam cooptatus, ex Caluino deinde Baronius dici voluit, et tanquam filius charissimus innumeris propè beneficijs auctus, atque exornatus est, videre est eius epistolas, et parentalia in obitu Cæsaris Cardinalis Baronij, vbi effusissimam tanti Parentis charitatem, et beneficentiam ad Cælum extollit*. Hic verò pœnitens Religiosæ postmodū vitæ rationem volens, libensque amplexus, tum scientia, tum pietate clarus è vita decessit.

Hieronymus Barnabeus in gest. Card. Barony lib. 3. c. 2.

Iustus Caluinus, & è Caluini stirpe legendo Baronij Annales conuertitur.

Vir gente, & doctrina clarus à Clemēte VIII. sacro chrismate confirmatur.

Grati animi gratia Iustus Baronius dici voluit, ac piè moritur.

30. Alter quoque præmemorato, & ab hæresi pariter pia Baronij opera, & charitate ad fidem traductus, hic se nobis offert, de quo scriptor, qui supra, hæc tradit: *Hanc* (inquit) *ipsam charitatem expertus est Gaspar Scioppius Francus, Vir doctissimus eorundem Annalium beneficio ad veram salutis semitam reuocatus, quem ille velut filium de Regione longinqua reuertentem affectu planè paterno complexus est: pro quibus omnibus quid reponeret, non inueniens, nisi quod facto naufragio pręter suam ipsorum spem liberati factitare consueuerunt: Hanc (inquit in libello de sua ad orthodoxos migratione) Cardinali Baronio ob deuitatum ęternum animę naufragiū in ade memoriæ, et æternitatis tabellam suspensam, dedicatamque volo*. Sic ille, vt Deo se in primis, ac Baronio gratum exhibeat, dum à fide longiùs aberrat, ab ipso mortis impetu liberatum, & ad orthodoxæ Ecclesiæ sinum feliciter adductum, amplissimis palam verbis testatur.

Hieronymus Bernabeus vbi supra cap. 2.

Gaspar Scioppius Vir doctus Annalium lectione ab hęresi resipiscit.

31. Illud demum narratis hactenus, coronidis instar, subteximus, in hæreticis videlicet ad fidem traducendis plus Christianorum virtutum exempla, quàm verba, doctorumque subtilia hominum argumenta prodesse. *Homines quippe* (vt moralis ait Philosophus) *magis credunt oculis, quàm auribus*; adeoque magis plerunque apud ipsos ad suadendum exemplis, quàm verbis proficitur. Hinc recurrēte Iubilęi Anno 1600. cùm magni ad Vrbem ex remotioribus Orbis terrarum partibus cōcursus fieret, peregrinum quendam hæreticum in hospitali Confraternitatis Sanctissimæ Trinitatis domo hospitio recipi contigit, quā præsertim die Clemens VIII. fel. & immortalis memoriæ Pontifex ad Peregrinorum mensis, quod tunc sæpè, ac sæpius faciebat, ministrandum accesserat; priùs autem (quo charitas humilitate magis clatesceret) ipse Christi Vicarius peregrinorum rarò Christianæ tum humilitatis, tum

In hæreticis ad fidem cōuertendis plus valent exempla, quam verba.

Seneca in moral.

Clemens VIII. anno Iubilæi suo hæreticum hominem piæ charitatis exemplo ad fidem traducit.

tuam pietatis exemplo lauare pedes consueuit. Hæreticus itaque cum ante se, vt pedes ablueret, Romanum Pontificem in genua procumbentem videret, rei nouitate ac totus mente permotus, attonitusque qua potuit voce altiùs exclamauit: *Absit, absit, vt Sanctitas tua, (Pater Beatissime) pedes mihi lauet: hoc quippe (vt libere fatear) honore sum omninò indignus*; Ipsismet itaque Petri ad Christum vocibus compellans: *Domine tu mihi lauas pedes? non lauabis mihi pedes in æternum.* Pontifex verò eò magis propositum, consuetumque sibi humilitatis exercere ministerium præoptans, vt loco stet, & à se interim charitatis officiū excipiat, districtè præcipit; vbi alter sui rationē dicti subtexens: *Ego (ait) peccator omnium maximus, quinimmò, et hæreticus sum*: At præstitis ille modo sibi officijs, ac visa insuper Romani Pōtificis humilitate corde compunctus, iugiterque illacrymans, dū sibi Pontifex lauat pedes, & è loco subinde exiliens, ac humi ad pedes Pontificis prouolutus, hæresim execratus, ac pessimos vitæ errores, ad Romanæ Catholicæ Ecclesiæ sinum procurrens, paterna à Pontifice aberrantis instar ouiculæ intra ostium charitate receptus est, nec tam Scholasticorum argumentis, quàm Pontificiæ documento humilitatis, pijsque ipsius in se misericordię operibus efficacissimè conuictus, compunctusque se ad eiurandam hæresim efficacissimè adductum palam cunctis testatus est.

Hæreticus lauare sibi pedes recusat.

Pontificiæ humilitatis permotus exemplo Catholicam fidem eiurata hæresi amplectitur.

32. Idem planè nouissimis diebus, quando isthęc scribimus, sub Sanctissimo Pontifice Clemente huius nominis Nono, cùm & ipse Archihospitalem Sanctissimę Trinitatis domum per sanctioris hebdomadæ recurrentis dies inuiseret innouari contigit. Enimuerò cùm Pontifex pari paternæ Pontificiæ pietatis, ac mirò item humilitatis exemplo peregrinorum mensis inseruit, & pia quoque charitatis officia illic exhibet. Duo ex Batauis nequiores hæretici, qui præsentes ibi tunc aderant, visa Pontificis adeò se ob Christi amorem demittentis, vt etiam lauaret peregrinorum pedes, exemplo mox intimo animo compuncti sunt, ac subinde Fratrem Commissarium Generalem Romanæ Inquisitionis adeuntes, prauam coram ipso hæresim eiurando, se Catholicam velle omnimodis sectari in posterū fidem obtestati; à quo subinde interrogati, quanam potissimùm re fuissent ad id præstandum adducti: *Alia nulla profectò re* (inquiunt) *quam insigni Romani Pontificis tantum se ob Christi amorem, et pietatis causa demittentis, et tam benignum se erga exteros, qui ad Vrbem confluunt exhibentis, visa nuper pietate, ad Catholicam nunc fidem proculdubio venimus; Contraria quippe omninò sunt, quæ nostri prædicantes suis quotidie mendacijs fingunt, ac nobis inculcant: His profectò, quę oculis nunc nostris vidimus, et quę illi de Romano Pontifice è suggestu mendacissimè proferunt nūciando. Nos igitur, qui hodie mirabilia vidimus, Romanam ex operibus fidem verè Catholicam, verè Apostolicam, ac ipsinsmet Christi è Cælo fidem agnoscimus, ac proindè libera voce profitemur.* Idipsum alteri quoque hæretico, & excellentioris notæ Viro accidisse à Viris fide dignis accepimus, qui Pontificia Clementis, tum pietate, tum benignitate; sed Christiana in primis humilitate simul, & charitate permotus, hæresi vnà cum suis erroribus ipsam ad Inferos ablegando, nunciū remittens, Catholicæ demum Ecclesiæ, feliciter est aggregatus, quæ nos hìc ad immortalem tanti Pontificis memoriam, quem suæ Deus breui tempore Ecclesiæ Pastorem dedit, & iam immortalitatis stola in Cœlum donauit, vel obiter narrasse voluimus.

Idem sub Clemente IX. posterioribus his temporibus contigit.

Duo Bataui nequiores hæretici viso Pontificis peregrinum pedes lauantis exemplo hæresim execrātur.

Alius item hæreticus fit ad fidem venit.

CAPVT XIX.

Hæreticorum Fautores quid resipiscendo præstiterint.

1 **R**Egia vnicuique via, si à periculis liber, ac saluus tandem fieri vult, incedendum proculdubio est, adeoque ab extremis, quæ se ipsis vitiosa plerumque sunt, & nonnisi perditionis, ac perditorum viæ, pes inter ambulandum cautè contrahendus, vt inter abrupta sæculi per rectam quis virtutis semitam, ad immortalis Regni probè magisterio edoctus felicitatem pertingat: *Non declinaueris* (inquit Scriptura) *ab eis nec ad dexteram, nec ad sinistram.* Quod sanè Moy-

Via Regia incedendum si quis saluus esse cupit.

Deuteronomij. cap. 18. nu. 14.

Moyses olim sapientissimus Iudæorum Legislator, & Dux, cùm ad repromissam Palestinorum ditionem vnà cum Israelitis pergendo contenderet, conceptis Regi Edom per internuncios verbis aliquando denūcians: *Obsecramus* (inquit) *vt nobis transire liceat per terram tuam, etc. Gradiemur via publica, nec ad dexteram, nec ad sinistram declinantes.* Quod sanè Rex perditus, ac in suis per scelus consilijs obstinatior nedum petentibus vltrò denegauit; sed armis insuper arrogantissimè vsus pro verbis, ac bello pro respōso venientibus indicto omnem penitus viam præcludens à suis quamprimùm ferro præoccupandam bellatoribus voluit: *Et egressus est* (ait) *cum infinita multitudine, et manu forti.* Neque verò suo, ac præcipuo id ipsum, quod tunc ille agebat, mysterio carebat; dum nil Rex, prophanus vtpote magis timeret, quā vt media Populus incedens via, cœptum feliciter tandem prosequendo iter procederet: A recta quippe declinantem via nōnisi in præceps proculdubio iturū sciebat, vt optimè Philo his mysticè verbis inculcādo adūbrat. *Id* (inquit) *molestissimè terrenus Edom fert: timet enim suis dogmatibus, ne subuertantur, confundanturque, et ideò bellum internecinum minatur, si conentur viam vi perrumpere.* Haud secus praua quæuis hæresum, prophanorumque dogmatum secta, dum à media, hoc est de regia veritatis, & credendi via per scelus recedit nonnisi certum, manifestūq; pertinaciæ lapsum incurrit. Callidus nāq; hostis haud multùm curat, si quis vel ad dexteram, vel ad sinistram potiùs ambulando declinet, dummodò à recto, totoque itineris tramite aberret, ac pedem obambulando per scelus inflectens, ac in lubrico tandem figens, Hieronymo teste, illidat: *Si à recta* (ait) *via paululum declinaueris, vtrùm ad dexteram vadas, vel ad sinistram; cùm verum iter amiseris.* Ità planè hæreticorum singuli in suis dogmatum deliramentis ad dexteram, vel ad sinistram declinando, rectam illibatamque fidei, quam sectari par est, normam reijcientes, tutum proculdubio ad Cœlum iter amittunt, iuxta id, quod Iobus mediam tenendam viam; vt ad beatum Dei conspectum pertingeret, sibi proponens:

Numerorum cap. 20. v. 17. Vbi supra num. 20.

Rex Edom Israelitis ex Aegypto venientibus etiam præludit.

Philo lib. quod Deus sit immutabilis.

Regia incedere via quid mysticè designet ex Philone.

Hieronymus in cap. 6. Mathei.

Hæresum dogmata à regia fidei regula declinant.

Si ad sinistram (inquit) *iero, non apprehendam eum, si me vertam ad dexteram, non videbo illum.* Nec aliter, cùm de ipsius Dei præceptis agitur: *Si quid addas* (ait Ambrosius) *vel minuas, præuaricatio quædam videtur esse mandati, etc. Plerumque testis, dum aliquid ad seriem gestorum è suo adijcit, totam testimonij fidem paucis mendacio decolorat; nihil igitur, vel quod bonum videtur, addendum est.* Hæc ille.

Iob. cap. 23. v. 9.

Ambrosius lib. de prædic. cap. 12.

2. Quo quidem callida hæreticorū fraus, & in malo pertinax consuetudo proditur, qui super antiquis, illibatisque fidei dogmatibus, ac diuinarum scripturarum verbis semper, quid aut detrahunt, vel certè è suo aliquid apponunt; adeoque sibi hæresim, eorum quisque sic credendo fabricat: tuti profectò singuli si in medio ambulantes cōsisterent; hæc enim Cyprianus: *Hæreticæ* (inquit) *professionis est ista contradictio calumniosa, quæ de bonis præscribit, vt asserat mala; et de sanctitate præiudicat, vt immunditiam subtiliter introducat; de licito calumnias facit, vt obtinere illicitum possit.* Quid enim in ipsam potissimùm Deiparam Virginem hæretici aliquādo peccarunt, nisi quod haud orthodoxæ fidei assertis veridicis inhærentes, nunc virginitati ipsius detrahendo, modò verò ipsi per scelus Diuinitatem tribuendo, altiùs, Epiphanio teste, delirabant: *Quidam* (ait) *contumelia afficere ipsam ausi sunt tanquam copulatam carni, et est hoc impiè nouissimum, ac flagitiosissimum. Quidam se ipsos ita deceperunt, vt in tractatione de ipsa Sancta semper Virgine, pro Deo hanc introducere studuerint; quod totum impium est, ac nefarium.* Sic planè miseri cæcutientes, dum passim sermones de Virgine parum veritati consonos miscent, vel ad dexteram nimis laudando, vel in ipsam perperam certè oblatrando, ac vituperando, ad sinistram non nisi certò semper fidei naufragio declinarunt.

Præuaricatio præcepti est vel ad sinistram pedem inflectere ex Ambrosio.

Cyprianus lib. de side.

Hæresis sen per Deiparæ vel detrahit ex Cypriano.

Epiphanius hæresi 78.

Hæretici Deiparæ aut Virginitatē denegant, aut Diuinitatem affirmāt ex Epiphanio

3. Atquì ingenti postmodum Dei beneficio aberrantibus è Cœlo veritatis lumen affulsit: *Primus quippe* (vt Cyprianus dolet) *felicitatis gradus est non delinquere, secundus delicta cognoscere.* Ipsisque demum hæresum propugnatoribus, fautoribusque, vt in viam possent redire iustitiæ, nec ad dexteram, vel ad sinistrā declinando; sed sacrarum scripturarum verbis

Cyprianus lib. 1. epist. 3.

verbis, & Ecclesiæ sancitis, Sanctorumque Patrum dictis mordicus inhærendo, tutum media via iter, vt salui è profundo emergerent, arripiendū omnimodis fuit. Quod nonnulli probè ipsius pœnitentiæ magisterio edocti, magna item cum laude captiuantes intellectum in fidei obsequium præstitere, dum conceptam semel animo hæresim abiecere, vel suam certè auxiliarem illi operam post errorem semel agnitum post hac impendere detrectarunt, vt multis quidem ex sacris historiarum tabulis, & Virorum præsertim Principum exemplis vltrò constabit.

Tutum credentibus diuinis Ecclesiæ assertis, ac Patrum dictis acquiescere.

4. Quoniam verò infame hæresum in primis patrocinium, ipsis tum fautoribus, tum alijs cunctis exitio est, vbi tamen plerumque praui error dogmatis manu deprehenditur, orthodoxæ coacta cit propagandæ plurimum fidei, & ne res gratis asseri videatur, tempore Arcadij, & Honorij Imperatorum; cùm Gazæ inita publicè disputatio fuisset inter Porphyrium Gazensis Ciuitatis Episcopum, & Iuliam Antiochenam, clarissimam fœminam, quæ illuc aduenerat, vt Gentiles, quos ad Christi fidem conuersos audierat, ad Manichęorum sectam blandiloquis verbis alliceret: confusa tandem infelix mulier, suisque tecnis, ac fraudibus intercepta, diuinitus obmutescere coacta est, & quæ hæresis patrocinandæ in arenam descendens partes susceperat, silentio fidei veritatem, ac perfidam Manichęorum falsitatem fateri compulsa, linguam simul, & vitam vnà simul amisit; hæc enim apud Metaphrastem in B. Porphyrij actis habentur. *Illo autem* (inquit) *tempore (nempe anno sequenti à ruina Marnei templi) venit in Ciuitatem quadā Antiochena, quæ vocabatur Iulia: erat verò ex execranda hæreticorum, qui dicuntur Manichæi, secta. Cùmque cognouisset aliquos esse recens illuminatos, & in Sancta fide nedum stabilitos, in eorum irrumpens animos, eos corrumpebat per doctrinam suam oculos perstringentem, & incantantem, sed multò magis per pecuniæ erogationem.* Ore igitur, atque auro mulier nequam perditæ patrocinando hæresi multos in laqueum trahebat, à Christi fide auertens; hæc enim Auctor: *Cùm illic* (ait) *versaretur pestifera mulier, quidam fallaci eius doctrina sunt traducti; Post aliquot verò dies, cùm id cognouisset à quibusdam fidelibus S. Porphyrius Gazensis Episcopus, eam accersitam interrogauit, quænam, & vnde esset, & quamnam haberet opinionem? Illa autem, & puram, & se Manichæam esse confessa est. Iis autem, qui erant apud ipsum ira motis (erant enim quidam pij) eos rogabat Beatus, ne irascerentur, sed patienter eam admonerent, & semel, & bis, seruans id, quod dictum est à Sancto Apostolo. Deinde dicit mulieri: Abstine ò soror, ab hac mala opinione; est enim Sathanica. Illa autem respondit: Dic, & audi & aut persuadebis, aut persuaderis. Sanctus verò dixit: Para te in crastinum diem, & veni huc. Illa autem eum valere cùm iussisset, est egressa.* Atqui altero die mulier inter disputandum mēte prorsus confusa, ac diuinitus obmutescēs hæresi Manichęorum lingua posthac patrocinari desijt: *Postquam* (inquit) *mala pluribus horis esset fabulata, & consuetas dixisset blasphemias in Dominum, et Deum vniuersorum, etc. in eam tulit sententiam dicens: Deus, qui fecit omnia, qui est solus æternus, nec habens principium, nec finem, qui glorificatur in Trinitate, tuā percutiat linguam, & obturet os tuum, ne loquatur blasphemias, etc. cœpit tremere Iulia, et mutari vultu, et manens in extasi longum tempus, non loquebatur; sed erat muta, et immobilis, etc. Cùm longo autem tempore mansisset muta, emisit animam profecta ad tenebras, quas in honore habuerat.* Mortua autem infelici, quæ aduersus Deum blasphemias, fœmina; qui aderant, Manichęorum labe vitiati, ad Christum conuersi, nuncium Sathanæ, eiusque prauis doctrinis dedere, & qui fœminæ erroribus primùm fauebant, posteà ipsam execrati Catholicæ Fidei dogmatum patrocinium suscepere; hæc enim in actis: *Quicunque verò, qui audierunt id, quod factum fuerat, valdè sunt admirati, non solùm qui erant nostræ fidei, sed etiam alienigenæ. Qui autem cum ea erant duo viri, ac mulieres, et quicunque ab ea corrupti fuerant, currentes prociderunt ad pedes Sanctissimi Episcopi dicentes: Errauimus, et petebant pænitentiam. Beatus verò fecit omnes anathematizare Manetem auctorem eorum hæresis, ex quo etiam appellati sunt Manichæi; et cùm plurimos dies eos instituisset catechesi addu-*

Baronius an. 403. nu. 33.

Hæretica prauitas vbi innotescit, apprime orthodoxis prodest.

Marcus Diaconus in vit. Porphyrij, ad metaphrast. & Pom. 26. Ion.

Porphyrius Gazæ Episcopus Iuliā Antiochenā Manichęorū propugnatricem ad disputandum prouocat.

Mulier recens ad fidē conuersos auro & lingua seducebat.

Illa in ore fœminæ blasphema verba: *Aut persuadebis, aut persuaderis.*

Disputatio in multas horas protrahitur.

Mulier diuinitus muta & immobilis reddita, sic post multum temporis moritur.

Marcus vbi supra.

Multi hoc videntes ad fidem traducti à S. Porphyrio.

adduxit ad sanctam Catholicam Ecclesiam. Occasione autem illorum, & alij quoque ex alys gentibus pænitentia ducti, fuerunt illuminati. Sic planè quod susceptæ hæresis patrocinium fœminæ exitio pridem fuit, hæresis proculcandæ quàm multis postmodum, & veritatem agnoscendo ad Catholicæ Ecclesiæ sinum redeundi causa extitit.

5. Vnus verò, ac præcipuus ex eorum, qui hæresi olim patrocinati sunt, sed postea resipuit, numero fuit Theodosius Iunior Romanorum Imperator, Theodosij filius, qui multa dignè, ac laudabiliter domi, forisquè clarus præstitit; & cùm strenuè in acie pro fide Catholica stetisset, quò vsq; Pulcheriæ Augustæ sororis sanctissimæ in Romano administrando Imperio consilijs adhæsit, res feliciter ipsi, & ex voto cessit: Verùm postea, Chrysaphio Eunucho suadente, in B. Flauianum Constantinopolitanum temere insurgit, quod soror ægrè ferens, spontè se Imperij administratione abdicat; Post hæc autem Princeps Dei nutu in mulra malorum incommoda, calamitatesque impegit. Suo etenim Euthycem hæreticum fauore complexus, alteram Ephesi synodum, cui Dioscorus prçsideret, cogendã curauit, quod & posteà non tam Concilium, quàm Conciliabulum, sua per scelus auctoritate confirmat. Quamobrem à S. Leone Papa, & à Romano item Concilio admonitus, acriterque obiurgatus haud dictis paruit, sed paternis, atque Apostolicis dictis aurem minimè præbens, Deo tandem vlciscente, viuendi finem fecit. Atqui Imperator subinde suam vel serò, Dei aspirante gratia, & Pulcheriæ sororis adiutus precibus, culpam agnoscens, ad pœnitentiæ lamenta profugiens, culpa se ipsum, antequam diem obiret, piè, ac laudabiliter expiare non destitit.

Baronius an. 450. n. 11.

The odosius Iunior Rom. Imperator, prauæ aliquando hæresi Eutichianæ patrocinatur.

Chrysaphio Eunucho suadente S. Flauianum Episcopum exagitat.

6. Itaq; Chrysaphium totius mali facem, malorumque architectum, suis expoliatum bonis, quantocyus in exilium amandat: sic planè ante actæ diluere culpæ reatum, & quo se obstrinxerat, omnimodis scelus expiare pœnitendo contendens, vt Nicephorus his verbis tradit: *Theodosius (inquit), vbi re secum perpensa, se Chrysaphij astutia deceptum esse comperit, per quàm grauiter & impietatem in Flauianum perpetratam, & alijs Episcopis nefariè illatam contumeliam, & condemnationem tulit. Et cùm dolori suo mederi non posset, in Chrysaphium legitimum, iustumque effudit furorem. Itaque illum primùm dignitate, mox etiam substantia omni spoliatum, in Insulam quandam relegauit; cuius indicium quod cçlestis quoque calculus comprobaret, in mari nauigantem assecutus est.* Hęc Nicephorus; Neque his Princeps contentus, Eudociam Augustam vxorem pro adimissis acriter obiurgans, ab aula confestim amouit; Pulcheriam sororem denuo ad clauum Imperij administrandum reuocans, vt Nicephorus his verbis meminit: *Postea quoq; coniugem Eudociam per acrem obiurgationẽ malè admodũ accepit, pe quę malorum inualescentium causa fuisset; Sed hac iniuriam quoque germana sua Pulcheriæ, quę eius causa Imperiali Aula eiecta esset, factam adiecit, atque insuper illam de Paulino suspicionem, & contentionis ouem, vehementer eam perstringens, in medium protulit. Illa consily dubia, cùm in magnum esset coniecta metum, vt sibi Hierosolymam petere liceret, petijt; ad quam profectionem se voto nuncupato Deo obligauerat, si in Matrimonium collocatam filiam vidisset: Imperator confestim in septimum eam misit; sororem Pulcheriam septimum iam ibi annum agentem reuocauit, quę magno cum apparatu, & comitatu in Aulam redijt, Ephesum certis hominibus missis, sacrum Flauiani corpus inde in Vrbem imperantem transtulit, &c.* Hæc ille. In quibusdam verò, quæ ibidem narrat, Nicephorum hallucinatum, & quæ vtpote manifesti ipsum mendacij redarguunt, Baronius tradit, quem curiosus Lector super his consulat.

Nicephorus lib. 14. cap.

Eudociam vxorem a se ablegat, & Pulcheriam Augustam in aulam reuocat.

Nicephorus vbi sup. c. 23.

In subito inopinoque euentu, mutato dexteræ Excelsi affulsit.

Baronius vbi supra n. 14.

7. Porrò cùm Theodosium ex animi proposito pœniteret, is paulò antequàm fatis concederet, Ephesum venit, ibiquè suis iugiter ad Deum precibus, culpæ veniam obtinere, ac vnà simul de digno sufficiendo sibi in Imperio homine totis animi neruis enitendum curauit, vt Nicephorus his planè verbis inculcat: *Et cùm obitus eius (inquit) appropinquaret, Ephesum venit, S. Ioannem Virginem, & Euangelistam honoraturus, templumquè illius ingressus, orationi se se dedidit: in qua etiam quis ei in Imperio Romano successurus esset, edoceri se à Deo petijt. Quod vbi per*

Nicephorus lib. 14. c. 15.

Theodosius ex corde pœnitens, precibus intendit, ac de digno sibi sufficiendo cogitat.

per visionem ei Deus ostendit, Constantinopolim rediit. Nec ità multò post exercitu ex bello aduersus Attilam gesto, reuerso, Vrbe egressus est, vt equitatione, & venatione se recrearet. Atque inter equitandum equo delapsus, spinæ vertebram laxauit. Quapropter lectica in Vrbem relatus est: Atque vbi se moriturum esse sensit, cum Pulcheria sorore secretò ad se reuocata, de Marciano tribunitio locutus est, Deo gratum, placitumquè esse dicens, vt ille post se Romanam administraret ditionem. Et ille quidem cùm hac dixisset, mortuus est. Hęc Nicephorus. Hic autem quę de eius obitu Baronius meminit, repetenda sunt; licet Zonaras longè diuersam hac super re sententiam proferat, dum ipsum videlicet morbo perijsse affirmat, alij verò lapsum ab equo scriptis tradant, cui sententię Cedrenus item visus est annuisse, &c. At Theodorus Lector in Collectaneis hanc tragicæ rei causam affert: *Theodosius* (inquit) *Iunior ad venationem egressus, & in fluuium Albim abreptus, sequenti nocte mortuus est, &c.* Hæc ille.

Inter venandum lapsus, & morbo oppressus de Marciano subrogando cum Pulcheria decernit.

Poenitens, ac pie moritur.

Theodorus Lector in collectaneis.

8 Hic verò vt Principis culpam, ac simul pœnitentiam contemplandam sibi Lector ob oculos ponat, ipsum hac super re perorantem audire Baronium pręstat: *Certè quidem* (inquit) *in ipsius Imperij regimine eximio semper refulgens religionis exemplo, Theodosius ex institutione Pulcheriæ, & vitę moribus integerrimis pollens, superiores omnes Christianos Principes videri poterat superasse: Cùm verò vxoris, & Ennuchorum consilijs se se ab eadem S. Pulcheria ablegauit, quasi optimi regiminis ruptis habenis, in præceps actus, deteriora cæteris Principibus perpetrauit: cùm fauens priuatis affectibus, summum Catholicæ fidei intulit detrimentum, & immensa clade Ecclesiam Orientalem affecit. Cuius rei gratia in se ipsum primò è patientis Dei manu diræ vltionis fulmen extorsit. Vt planè ad eius exemplum illud sit sæpe Dauidicum repetendum: Et nunc Reges intelligite, erudimini, qui iudicatis terram: seruite Domino in timore. Etenim non homo lacessitur, sed ipse Deus vltionum, qui aufert spiritum Principum, & qui est terribilis super omnes Reges terræ. Cæterùm quòd miserationes Domini super omnia opera eius, non statim in Theodosium iræ suæ sagittas emisit, in quibus parauit vasa mortis, ne simul cum corpore, & anima æternæ salutis dispendium pateretur, sed pœnitentiæ tempus indulsit, &c.* Hæc ille.

Baronius vbi supra n. 11.

Pius princeps & bene de Ecclesia meritus in quæ mala deceptus proruit ex Baronio.

9. Dei itaque iustam pro delictis vltionem, ac ipsius pariter, dum humilis, compunctusquè Imperator ad pœnitentiæ lamenta recurrit, Dei clementiam experiri promeruit; vt quod incautus pridem peccauerat, iustè subinde mulctatus exolueret, & soluendo dignis culpam flagellis impetitus abstergens, è vita tandem expiatus abiret. Cui isthæc Baronij verba, amplissimi instar monumenti, insculpimus: *Qui quidem* (inquit) *attemperatam misericordia Dei vindictam expertus est, quod datum sit illi ante obitum admissum facinus intelligere, remedia quærere, in auctorem vlcisci, Romano Pontifici obedire, eidemquè communicare, vt data mutuò literæ docent. Tanta hęc haud dubium precibus Sanctæ sororis obtinuit, ne præteritæ optimè functæ vitę bona opera interirent. Sed & misericordiæ quoque Diuinę fuit, vt immanis perpetrati sceleris in hac vita potiùs daret pœnas, quàm in futura. Cùm non iudicet Deus bis in id ipsum: Nam si ex sententia Apostoli electi corripiuntur in hoc Mundo à Deo, vt non cum hoc Mundo damnentur.* Et hęc sunt, quæ Theodosio anteactas vitæ pœnitendo culpas, priusquam diem obiret salubriter reparanti promerita hic ipsius glorię statuere monimenta voluimus.

Dei misericordia præuentus ante vitæ finem culpā agnoscit, & poenitentiam arripit.

Baronius vbi supra nu. 16.

In hoc potius, quam in altero sæculo dans poenas pie obiit.

10. Atqui post Romani Imperij Principem, qui condigna suum pœnitentia, tum nomen, tum maximè Imperium illustrauit; ne cæteros inferioris notæ homines prętereamus, Otho Frisigensis rerum historicarum scriptor hic nobis occurrit, qui cum Giliberti Episcopi Pictauiensis, de quo in Annalibus mentio est palam ob infamem hæresis notam execrandi, dogmata, dictaquè mordicus defenderet, eius subinde prauis erroribus Apostolicæ Sedis iudicio proscriptis, damnatisquè, facti sub vitæ finem pœnitens, palinodiam publicè recantauit, cunctosquè, qui aderant, ex hac vita migraturus, se Catholicæ fidei assertorem obtestans, pro scandali offensa veniam humiliter obsecrauit, quò sic tutus è vita decederet, conscriptumquè è se historiarum codicem alieno discutiendum, corrigendumquè iudicio, pro-

Baronius anno 1147. n. 9.

Otho Frisigensis scriptor hæretici Gilberti scriptorum laudator resipiscit.

Baronius an. 1147. n. 7.

prijs manibus obtulit. Rem autem gestam Kadeuicus Canonicus Frisingensis enarrans, sic habet: *Rebus*(inquit)*Testamento dispositis, etiam hunc (historiarum videlicet) codicem manibus suis offerri præcepit, eumquè literatis, & religiosis Viris tradidit; vt si quid pro sententia Magistri Gilberti (vt patet in prioribus) dixisse visus esset, quod quemquam posset offendere: ad ipsorum arbitrium corrigeretur, seque Catholicæ fidei assertorem iuxta Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, immò & vniuersalis Ecclesię regulam professus est. Deinde multa priùs cordis contritione, & humili confessione reatum suum recognoscens, sumptis Sacrosanctis Mysterys, in medio multitudinis SS. tam Episcoporum, quàm Abbatum Domino spiritum reddidit.* Hęc ille de Othonis pœnitentia ob Gilibertum à se defensum, laudatumq; quem potiùs hæresi laborantem omnimodis vltrò reiectum proscriptumque execrari, haud defendere, vel quo quo modo excusare debuerat.

Sub vitæ finem pœnitens librum à se conscriptum Ecclesiæ iudicio discutiendū remittit.

Radeuic. in Frider. lib. 2. cap. 11.

Susceptis rite Ecclesiæ Sacramentis diem claudit.

11. Porrò prauę Giliberti hereses, & quæ ad Diuinitatem præsertim spectāt, ad quatuor capita recidunt; Alibi enim infelix, suoque præfidens ingenio longè à sana fidei regula aberrando recessit; dū mortalium neminem quidquam apud Deum pręter Christum Dominum mereri, necnon diuina Ecclesiæ Sacramenta vi, ac meritis fraudando, nullum nisi saluandum verè baptizari dogmatizādo assereret, vt Otho Frisigensis in Friderici gestis. Idem verò scriptor Gilibertum viuis in tabula coloribus visus est adumbrasse, cùm ait: *Fuit illis* (inquit) *in diebus in Aquitania Galliæ Ciuitate Pictauis, Episcopus Gilibertus nomine, hic ex eadem Ciuitate oriundus, ab adolescentia vsque ad vltimam senectutem in diuersis Galliæ locis Philosophiæ studium colens, re, & nomine Magistri officium administrarat; nouiterquè ante hos dies ad culmen Pontificale in præfata Ciuitate sublimatus fuerat, consuetus ex ingenij subtilis magnitudine, & rationum acumine multa præter communem hominum morem dicere. Is igitur cum quadam vice conuentum de sua diœcesi Clericorum magnum celebrans, sermoni, quem fortè gratia exhortandi habebat, quędam de fide Sanctę Trinitatis interfereret: à duobus Archidiaconis suis Arnaldo, & Calone, tanquam contrà Catholicæ normam Ecclesię doctrinam instituens, ad Summi Pontificis, Romanęquè Sedis examen interposita appellatione, vocatur.* Hęc ille de Giliberto in hæresim prolapso.

Otho Frisigensis in Frideri co lib. 1. cap. 50. n. 9.

Impia Giliberti dogmata 12.

Primùm in Gallijs magister, deinde Episcopus Pictauensis.

12. Et sanè ex nouis vsurpatis vocabulorum commentis, & ex nimia pro suo mentis arbitrio sentiendi, quæ fidei sunt, dicendi insuper, ac loquendi arrogantia, ex superbo item literatorum hominum fastu inuisa quæque in Dei Ecclesia hæresum tandem monstra coalescunt, contra quæ Apostolicæ postmodum censuræ mucro exerendus, exercendusquè est. Vt rem verò apposite ab eodem Othone excerptam prosequamur: *Sic*(inquit) *vtrique viam carpunt, Romanoque Pontifici Eugenio ab Vrbe in Gallias tendenti. Senis Ciuitate Tusciæ occurrunt. Quibus Romanus Antistes auditis, causaque viæ cognita, breuiter respondit, se Gallias interim ire, ibique de hoc verbo: eo quòd pręter literatorum virorum copiam ibidem manentium opportuniorem examinandi facultatem haberet, pleniùs velle cognoscere. Archidiaconi in Gallias redeunt, ac consulto Bernardo supramemorato Abbate Clareuallensi, eum in commodum causæ suæ aduersus Episcopum inclinant. Erat autem prædictus Abbas tam ex Christianæ religionis feruore zelotypus, quàm ex habitudinali mansuetudine quodammodò credulus; vt & Magistros, qui humanis rationibus, sæculari sapientia confisi nimiùm inhærebant, abhorreret, & si quidquam ei Christianæ fidei absonum de talibus diceretur, facilè aurem præberet.* Hęc Auctor, qui dum plus æquo Giliberto fauet, ipsius quidem causa S. Bernardo (vt videre est) suis nonnihil scriptis per arrogantiā visus est derogasse; ob quod postea palinodiam pœnitentia adductus, compulsusque recantauit. Vir quippe Sanctus ex his magis (vt Baronius docet) laudandus ab eo fuerat, vt qui quamlibet in fide Catholica nouitatem ferre minimè posset, & *humana*(velut ille inquit) *ingenia, quæ suis viribus Diuina petentia, elataquè superbia, haud essent humilibus consentientia, abhorreret, vt ea, quæ solerent sui æstimatione granaia parere hæreses monstruosas.* Hęc Baronius.

Hæreses sæpe semper ex nouis vocabulis exoriuntur.

Gilibertus ad Eugeniū dictorum suorum redditurus rationem ire compulsus.

Otho Frisigen sis vbi supra, c. 50. 51.

S. Bernardus homines suo præfidentes ingenio, ac rationibus, nec aliorum iudicio desidentes exhorret.

Baronius vbi supra n. 9.

13. Verùm Clareuallensis Abbas tū sapientia, tum sanctitate præcipuus cùm noua promulgari à Giliberto dogmata comperisset, omnem prorsus lapidem mo-

mouit, vt assertæ ab eo hereses ab Ecclesia proscriberentur, nec à proposito mentis Catholicæ fidei zelo succensus, destitit; quinimò propensiori apud Eugenium Romanum Pontificem animi studio institit, vt idem Gilibertus coram ipso Pontifice in varijs Conuentibus, atque Antisiodori primùm, deinde Parisijs, postremò in pleniori Concilio Rhemis compulsus, ac interrogantibus pro se responsurus se ipsum sisteret vt idem Otho his verbis tradit: *Prætaxati (inquit) Archidiaconi adscito sibi tantæ auctoritatis, & æstimationis Viro Abbate Bernardo, Episcopum Gilibertum eadem, qua prædictum Petrum, via damnare attentabat; sed nec eadem causa, nec similis erat materia. Iste enim ab adolescentia magnorum Virorum disciplinæ se subijciens, magisquè illorum ponderi, quàm suo credens ingenio, qualis primò fuit Hilarius Pictauiensis, postea Bernardus Carnotensis, ad vltimum Anselmus, Radulphus Laudunensis germani fratres: non leuem ab eis, sed grauem doctrinam hauserat, manu non subitò ferulę subducta, à scientia haud censura morum, vitaquè grauitate discordante, non iocis, seu ludicris, sed serijs rebus mentem applicarat. Hinc erat, vt tam gestu, quàm voce pondus seruans, sicut in factis, sic & in dictis se ostenderet difficilem, vt nunquam puerilibus, vix autem eruditis, & exercitatis, quæ ab eo dicebantur, paterent animis*. Hæc de Giliberti, eiusquè vitæ institutis; cuius quidem exemplo, quod satis apud antiquos vel ipso decantatum experimento, ac satis, vt Baronius (ait) re ipsa veraciter comprobatur: *Philosophos nimirum Patriarchas fuisse Hæreticorum*; quippè qui ex Aristotelicis topicis de Diuinitate, & Deo, quem à Diuinitate separabat, nonnulla tum in publicis concionibus, tum in priuatis, familiaribusquè colloquijs palà effutire ausus, sensim miser in hæresim prolapsus est; cuius erroribus sub Eugenio Tertio proscriptis, damnatisquè, Otho Frisigensis, qui eum suis pridem dictis defenderat) sub ipsum vitæ finem, ne certum salus animæ à Petri fide oberrando periculũ subiret; vel serò, seriò tamen palinodiam canens à se temerè gesta condemnans, nec non perperam hæreticum hominem à se defensum laudatumque affirmans, suos historiarũ libros Orthodoxæ fidei regulis, & Ecclesiæ iudicio censendos, tanquam lydio lapide tradi probandos, trutinandosquè voluit, vt compunctus patentibus hisce signis è vita iàm migraturus, suũ Deo exitum pœnitendo humiliter commendaret.

> Ipsius opera, & auctoritate Gilibertus apud Eugeniũ vtireus, & in Conuentibus Episcoporum sistitur.
>
> *Orthodoxa vbi supra.*
>
> Gilibert; disciplina ipsiusque scientiarum vis.
>
> *Baronius vbi supra numero 9.*
>
> Otho Gilibertì ab Eugenio ob hęresim damnati propugnator ac laudator se ipsum moriẽs retractat.

14. Vt noster autẽ sermo susceptæ narrationis proposito insistat; Guido Tarlatus Aretinus Episcopus præceteris suas in præsens tum culpas, tum laudes taceri non patitur, qui pius adeò fuit, vt à Deipara inter dormiendum Congregatio recens Sanctæ Mariæ Montis Olíueti illius Patrocinio sit credita, & primus insuper album Conditoribus amictum, sibi in somnis à Virgine preostensum tribuerit: sed vir Cæsarei tuendi iuris obtentu semper (vt Rainaldus tradit) arroganter vltrò oppugnare Ecclesiam cœpit, & Castruccio manifesto Ecclesiæ hosti, ac censuris item proscripto, cæterisque Ecclesiæ perduellibus fauere non destitit; adeò vt Pontifex postquam atrocia ipsius scelera recensuit, haud inulta reliquerit. In primis namque is ob Episcopatus administrationem, quam Pontificio vrgente imperio minimè dimiserat, anathemate perculsus, atque Episcopalibus insuper exauctoratus infulis, condignis tandem ab Apostolicæ Sedis Legato censurarũ pœnis mulctam meruit. At Guido à Castruccio subinde apud Bauarum, cui fauebat vti clam inniti cum aduersario fœderis conscius delatus, ac proditionis item crimine notatus, intimo tactus cordis dolore consulendarum Aretinarum rerum specie à Ludouico, nec absque acerba indignati ipsius animi significatione discessit, ac morbo proinde correptus, admissa coram multis in Romanum Pontificem crimina, ac Ludouicum inprimis vt hæreticum ac hæreticorum fautorem palam profitendo, execratus est: Nec id præstitisse contentus, si pristinã corporis valetudinem recuperasset, concepto defendẽdæ Ecclesiasticæ dignitatis voto, vigesima prima Ottobris (vt Villanus tradit) sic tandem corde pœnitens obijt, quibus & paribus item S. Antoninus verbis consonans illius tam virtutum, quàm vitiorum

> *Rainaldus an. 1327. nũ 18.*
>
> *Rainaldus ann. 1324. num. 20.*
>
> Guido Tarlatus Aretinus Episcopus, iuris Cæsarei tuendi gratia Ecclesiã dictis, factisque oppugnat.
>
> *Io Villan. lib 10. c. 36*
>
> Anathemate perculsus, & Episcopatu eiectus exauctoratusque.

Impia ipsius dogmata à Bernardo summatim collecta.

nus Papa, antea verò ipsius in Philosophia Abailardi Discipulus, nè hominem patrocinandum susciperet, errores eius quàm immanes fuerint, his prope finem verbis exponendo inculcat: *Cùm de Trinitate* (inquit) *loquitur, sapit Arium; cùm de gratia, sapit Pelagium; cùm de persona Christi, sapit Nestorium, &c.* Paribus item verbis Episcopi, qui pridem ipsius disputationi interfuerant, & qui præfuerant Iudices ad Innocentium scribentes; quòd toto Cœlo à veritate aberrans hic homo se supra cunctos extolleret, & à sanæ fidei regulis esset omnino alienus, his verbis docent: *Petrus Abailardus*(aiunt) *Christianæ fidei meritum euacuare nititur, dum totum, quod Deus est, humana ratione arbitratur comprehendere. Ascendit vsque ad Cœlos, & descendit vsque ad abyssos. Nihil est, quod lateat eum, siue in profundum Inferni, siue in excelsum suprà. Homo est magnus in oculis suis, disputans de fide contra fidem, ambulans in magnis, & mirabilibus super se, scrutator Maiestatis, hæresum fabricator.* Hæc de impio homine ad Romanum Pontificem epistolares Patrum, tunc temporis paginæ pro tuendæ Religionis zelo, iustissimè proclamarunt.

Bernardus epist. ad Cardinales.

Episc. epist. ad Innoc. Papam

25. Porrò cùm Innocentius, ad quē homo appellauerat, Episcoporum sententiæ inhærens, tum homini, tum prauæ ipsius doctrinæ, atque erroribus silentium indixisset, Abailardus Romam profecturus, in itinere Cluniacum diuertit; vbi à Petro Venerabili eiusdem Monasterij Abbate idem admonitus, vt assertos à se errores corrigeret, palinodiam recantando, in eodem Monasterio pœnitens manere decreuit, vt idem Petrus Venerabilis ad Innocentium, his verbis testatur: *Interim* (inquit) *à nobis admonitus, magis autem à Deo (vt credimus) inspiratus, dimissis, & studiorum tumultibus in Cluniaco vestro sibi perpetuam mansionē elegit. Quod nos senectuti eius, debilitati eius, & Religioni eius congruere putantes, & scientiam eius vobis ex toto non incognitam, magnæ Fratrum nostrorum multitudini proficere posse credentes, voluntati eius assensimus, etsi sic benignitati vestræ beneplacitum esset, benignè, & cum gaudio nobiscum viueret (vt nostis) per omnia remanere concessimus, &c.* Hæc Petrus Cluniacensium Abbas ad Innocentium, dum Abailardum ex corde compunctum, ac errores, quos pridem ediderat, retractantem, nec non cuncta literarum studia à se penitus abdicantem ipsi ob oculos cōtemplandum proponit.

Palinodiam recantans in Cluniacensi Monasterio Petrus remanet.

Petrus Venerabil. lib. 5. ep. 3.

Petrus Cluniacensis ad Ecclesiæ sinū redeunti dat manum.

26. Atqui (vt ipsis hìc Baronij ad rē confirmandam verbis vtamur) *Mirandū* (ait) *valdè est, quòd & sic rarò contingens, idem hæreticus pœnitens perseuerans vsque ad finem, magnum edidit specimen sanctitatis. Perseuerans enim in arctissima monastica obseruantia, demum Sancto fine quieuit, dignusque habitus est, qui ab eodem Venerabili Petro Cluniacensi conscripta post obitum epistola magnopere laudaretur.* Scribens quippe ad Aloysiam eius quondam vxorem, quæ & ipsa doctrina præcellens, idem planè vitæ genus arripuerat, post multa in ipsius laudem isthæc subinfert: *Concessum est* (inquit) *de illo, inquam, sæpè, ac semper cum honore nominando seruo ac vero Christi Philosopho Magistro Petro, quem in vltimis vitę suæ annis eadem Diuina dispositio Cluniacum transmisit, & eam in ipso, & de ipso super omne aurum, & topazion munere chariore ditauit. Cuius Sanctę, humili, & deuota inter nos conuersationi, quod quantumuis Cluniacus testimonium ferat, breuis sermo non explicat. Nisi enim fallor, non recolo vidisse me illi in humilitatis habitu, & gestis similem, intantum, vt nec Germanus abiectior, nec ipso Martinus bene discernēti pauperior appareat. Cùmquè in magno illo Fratrum nostrorum grege me compellente gradum superiorem teneret: vltimus omnium vestitu incultissimo videbatur. Mirabar sæpè, & in processionibus eo mecum reliquis pro more præcedente, penè stupebam, tanti, tamque famosi nominis hominem sic semetipsum contemnere, sic se abijcere posse, &c. Simplicitate contentus, nihil vltrà quærebat, hoc & in cibo, hoc & in potu, hoc & in omni cura corporis sui seruabat; & non dico superflua, sed & cuncta nisi valdè necessaria tam in se, quàm in omnibus verbo pariter, & vita damnat. Lectio erat ei continua, oratio frequens, silentium iuge, nisi cùm aut fratrum familiaris collatio, aut ad ipsos in Cōuentu de Diuinis publicus sermo eū loqui vrgebat. Sacramenta cælestia immortalis Agni sacrificium Deo offerendo, prout poterat, frequentabat; immò postquam literis,*

Baronius vbi supra nu. 10.

Pœnitens in arctissima vitæ obseruantia vsque ad exitum perseuerans laudatur.

Petr. Ven. lib. 5. epist. 20.

Baronius vbi supra nu. 11.

Ipsius digna post mortem elogia & cōsolatoria ad Aloysiam ipsius coniugē epistola.

Mira hominis in bonum mutatio.

terit, et labore meo Apostolicæ gratiæ reddimus est, penè continuabat. Et quid multa? mens eius, lingua eius, opus eius semper Diuina, semper philosophica, semper eruditoria meditabatur, docebat, fatebatur. Nec his ipsum præconijs extulisse contentus, sic laudibus laudes exornando adijcit.

Petr. Ven. vbi supr.

27. *Ille nobiscum Vir simplex, et rectus, et timens Deum, et recedens à malo, tali, inquam per aliquantum temporis conuersatione vltimos vitæ suæ dies consecrans Deo, etc. Nec sicut de magno Gregorio legitur, momentum aliquod præterire sinebat, quin semper aut oraret, aut legeret, aut scriberet, aut dictaret. In his sacrorum operum exercitijs eum aduentus illius Euangelici Visitatoris reperit, nec vt multos, dormientem, sed vigilantem inuenit. Inuenit eũ verè vigilantem, et ad æternitatis nuptias non vt fatuam, sed vt sapientem Virginem euocauit, etc. Nam ad soluendum commune mortalium debitum morbo correptus, eoque ingrauescente, in breui ad extrema perductus est. Tunc verò quàm sanctè, quàm deuotè Catholicæ primò fidei, dehinc peccatorum confessionem fecerit, quanto inhiantis cordis affectu Viaticum peregrinationis, ac vitæ æternæ pignus, Corpus scilicet Redemptoris Domini acceperit, quàm fideliter corpus suum, et animam hìc, et in æternum ipsi commendauerit, testes sunt Religiosi Fratres, etc. Hoc Magister Petrus fine dies suos consumauit; et qui singulari scientia magisterio toti penè Orbi terrarum notus, et vbique famosus erat, in illius discipulatu, qui dixit: Discite à me, quia mitis sum, et humilis corde, mitis, et humilis perseuerans, ad ipsum (vt dignum est credere, sic transiuit.* Hæc Petrus Abbas, qui post laudatum ob pia, nec vulgaria pœnitentiæ, ac sanctitatis insuper in Monasterio exhibita eunctis exempla, eiusdem laudibus epitaphium hoc tumulo perennis instar laudum monimenti inscribit.

Felix vitę post ipsius lapsum forma pœnitentis, ac dignus finis:

Mors ipsi ad immortalitatem transitus

Petrus Cluniacensis vbi supr.

Sepulchralis Abaelardi titulus:

Gallorum Socrates, Plato maximus Hesperiarum,
Noster Aristoteles, logicis, quicunque fuerunt,
Aut par, aut melior: studiorum cognitus Orbi
Princeps, ingenio varius, subtilis, et acer,
Omnia vi superans rationis, et arte loquendi,
Abelardus erat; sed tunc maximè omnia vicit.
Cùm Cluniacensem Monachum, moremque professus,
Ad Christi veram transiuit Philosophiam;
In qua longæua benè complens vltima vitæ,
Philosophis quandoque bonis se connumerandum
Spem dedit, vndenas Maio renouante Kalendas.

Quia pœnitẽs laudatur.

Isthæc igitur post praua abdicata hæresũ dogmata homini ad pœnitentiæ sinum traducto, & in arctioris vitæ obseruantia diem felicitet obeunti, tituli adinstar sepulchralis, nec non famæ haud nunquam moriturae argumentum statuisse sufficiat, vt videlicet ipsi anteactos vitæ errores nil, vbi sic pœnitentia præsto est, attulisse detrimentum innotescat.

Augustin Mānus hist. select. cap. 500. an. 1569.

28. Et plures quidem numero Viri hìc nobis suppetunt, qui Deo afflante, ad Catholicam fidem post eiuratam hæresim, traducti feliciter sunt; sed vnus præsertim, qui Caluini ptidem vitiatus erroribus, præferuidè adeò resipuit; vt constans iugiter in fide postmodum perstiterit, de quo Augustinus Mannus noster in suis selectis historiarum paginis isthæc: *Circa Annum* (inquit) 1569. *quidem iam diu hæresibus suis immorans, licet diu, multùmque sollicitatus in contrarium à quibusdam Catholicis, quos amatus amabat, tam graui correptus est morbo, vt vitam non speraret. In tãto igitur periculo ausus est à Deo signum petere, rogans, vt propitius sibi foret, et veram, quæ saluaretur, religionem diuinitus reuelaret. Quæ cogitanti apud se, et in cordis secreto precanti, ecce iuxta lectulum ignis apparuit corporalis, et in circuitu ignis multæ manus, quæ arreptos libros Caluinicæ communionis in Anglia nimis notos, et oculis eius, vt videret, atque agnosceret, admotos, in ignem deinde coniecerunt, omnibusque exustis euanuerunt. Hominis nomen, et habitationem indicare possem, si liceret, testium quoque fidelissimorum, quibus non sine Dei nutu post quatuor demum annos (tandiu enim celauerat) reuelauit terribiliter, densque contestans Deum, qui eum iudicaturus esset, se non conficta, sed gesta narrare, idque etiam*

Ricar. Brist. mot. 12.

Caluinista post impios errores portent visu ad fidem, & Ecclesiæ sinum conuertitur:

tum

Videt manus igni libros inijcientes.

tum in suis heresibus perseuerans; ex quo ipsi quidem iam maior imminebat cumulus damnationis, nisi resipuisset (est enim iam Catholicus, vt audio, ac reconciliatus Ecclesiæ) sed visioni maior inde, certiorque allata est fides, vt facilè vident omnes: quippe, qui tandiù reticere, tam difficulter reuelare voluerit: et quando reuelauit, et postquam reuelauit, in heresi permanere, neque tamen vnquam, quod dixerat, retractare: sed vt tunc hereticus, ita etiam nunc Catholicus cum omni constantia, et asseueratione identidem confirmare. Sic planè præstitis è Cœlo portentis admonitum, mox ad Christi fidem hæresis reiecto mendacio, ac labe expiatus profugit.

Veritatem fidei è Cœlo edoctus Catholicus fit, & visum narrat.

29. Sacrorum verò librorum lectione haud semel hæretici, agnito prauorum dogmatum errore, & ad pœnitentiam, Deo aspirante feliciter traducti, salutem animi post naufragiū deniq; sunt eluctati. Quod sanè iusto olim Caluino, & ex ipsiusmet Caluini stirpe progenito contigit, qui dum Cæsaris Cardinalis Baronij Annales attentè perlegit, Deo afflatus, ac cœlesti mox lumine respersus, ad Orthodoxam, illibatamque Christi fidem conuolans, magnum de se cunctis, tum pœnitentiæ, tum pietatis exempla reliquit; Cuius quidem Hieronymus Barnabeus Congregationis Oratorij Presbyter in conscriptis à se Baronij gestis, atque his planè verbis, ipsius Baronij recensendo laudes meminit: *Quamobrem* (ait) *Iustus Caluinus Vir clarissimus, idemque doctissimus, qui Annalium beneficio ex heretico Catholicus Baronij fidem, et nomen accepit, etc.* Ipsius item infra his iterum verbis mentionem agit: *Testis est* (inquit) *Iustus Caluinus vetera Castrensis Vir genere, et doctrina clarissimus, qui (vt supra innuimus) ex heretica prauitate Annalium Ecclesiasticorum lectione ad Catholicam fidem excitatus, Romam cùm venisset, Auctore Baronio, largè, liberaliterque à Clemente Pontifice tractatus est, mox in Basilica Lateranensi ab eodem Pontifice solemni ritu sacro chrismate confirmatus, eundem Baronium patrinum habuit, quem Patrem fidei suę paulò ante habuerat, cuius et in familiam cooptatus, ex Caluino deinde Baronius dici voluit, et tanquam filius charissimus innumeris propè beneficijs auctus, atque exornatus est, videre est eius epistolas, et parentalia in obitu Cesaris Cardinalis Baronij, vbi effusissimam tanti Parentis charitatem, et beneficentiam ad Cœlum extollit.* Hic verò pœnitens Religiosæ postmodū vitæ rationem volens, libensque amplexus, tum scientia, tum pietate clarus è vita decessit.

Hieronymus Bernabeus in gest. Card. Barony lib. 1. c. 2.

Iustus Caluinus, & è Caluini stirpe legendo Baronij Annales conuertitur.

Vir gente, & doctrina clarus à Clemẽte VIII. sacro chrismate confirmatur.

Grati animi gratia Iustus Baronius dici voluit, ac piè moritur.

30. Alter quoque præmemorato, & ab hæresi pariter pia Baronij opera, & charitate ad fidem traductus, hic se nobis offert, de quo scriptor, qui supra, hæc tradit: *Hanc* (inquit) *ipsam charitatem expertus est Gaspar Scioppius Francus, Vir doctissimus eorundem Annalium beneficio ad veram salutis semitam reuocatus, quem ille velut filium de Regione longinqua reuertentem affectu planè paterno complexus est: pro quibus omnibus quid reponeret, non inueniens, nisi quod facto naufragio preter suam ipsorum spem liberati factitare consueuerunt: Hanc (inquit in libello de sua ad orthodoxos migratione) Cardinali Baronio ob deuitatum ęternum animę naufragiū in ęde memoriæ, et æternitatis tabellam suspensam, dedicatamque volo.* Sic ille, vt Deo se in primis, ac Baronio gratum exhibeat, dum à fide longiùs aberrat, ab ipso mortis impetu liberatum, & ad orthodoxæ Ecclesiæ sinum feliciter adductum, amplissimis palam verbis testatur.

Hieronymus Bernabeus vbi supr. cap. 2.

Gaspar Scioppius Vir doctus Annalium lectione ab hæresi resipiscit.

31. Illud demum narratis hactenus, coronidis instar, subteximus, in hæreticis videlicet ad fidem traducendis plus Christianorum virtutum exempla, quàm verba, doctorumque subtilia hominum argumenta prodesse. *Homines quippe* (vt moralis ait Philosophus) *magis credunt oculis, quàm auribus*; adeoque magis plerunque apud ipsos ad suadendum exemplis, quàm verbis proficitur. Hinc recurrẽte Iubilęi Anno 1600. cùm magni ad Vrbem ex remotioribus Orbis terrarum partibus cōcursus fieret, peregrinum quendam hæreticum in hospitali Confraternitatis Sanctissimæ Trinitatis domo hospitio recipi contigit, qua præsertim die Clemens VIII. fel. & immortalis memoriæ Pontifex ad Peregrinorum mensis, quod tunc sæpè, ac sæpius faciebat, ministrandum accesserat: priùs autem (quo charitas humilitate magis clarescerет) ipse Christi Vicarius peregrinorum rarò Christianæ tum humilitatis,

In hæreticis ad fidem cōuertendis plus valent exempla, quam verba.

Seneca in moral.

Clemens VIII. anno Iubilæi suo hæreticum hominem piæ charitatis exemplo ad fidem traducit.

tum

tuam pietitis exemplo lauare pedes consueuit. Hæreticus itaque cum ante se, vt pedes ablueret, Romanum Pontificem in genua procumbentem videret, rei nouitate ac totus mente permotus, attonitusque qua potuit voce altiùs exclamauit: *Absit, absit, vt Sanctitas tua, (Pater Beatissime) pedes mihi lauet: hoc quippe (vt libere fatear) honore sum omninò indignus*; Ipsismet itaque Petri ad Christum vocibus compellans: *Domine tu mihi lauas pedes? non lauabis mihi pedes in æternum*. Pontifex verò eò magis propositum, consuetumque sibi humilitatis exercere ministerium præoptans, vt loco stet, & à se interim charitatis officiũ excipiat, districtè præcipit; vbi alter sui rationẽ dicti subtexens: *Ego* (ait) *peccator omnium maximus, quinimmò, et hęreticus sum*; At præstitis ille modo sibi officijs, ac visa insuper Romani Põtificis humilitate corde compunctus, iugiterque illacrymans, dũ sibi Pontifex lauat pedes, & è loco subinde exiliens, ac humi ad pedes Pontificis pronolutus, hæresim execratus, ac pessimos vitæ errores, ad Romanæ Catholicæ Ecclesiæ sinum procurrens, paterna à Pontifice aberrantis instar ouiculæ intra ostium charitate receptus est, nec tam Scholasticorum argumentis, quàm Pontificiæ documento humilitatis, pijsque ipsius in se misericordię operibus efficacissimè conuictus, compunctusque se ad eiurandam hæresim efficacissimè adductum palam cunctis testatus est.

Hæreticus lauare sibi pedes recusat.

Pontificiæ humilitatis permotus exemplo Catholicam fidem eiurata hæresi amplectitur.

32. Idem planè nouissimis diebus, quando isthęc scribimus, sub Sanctissimo Pontifice Clemente huius nominis Nono, cùm & ipse Archihospitalem Sanctissimę Trinitatis domum per sanctioris hebdomadæ recurrentis dies inuiseret innouari contigit. Enimuerò cùm Pontifex pari paternæ Pontificiæ pietatis, ac mirò item humilitatis exemplo peregrinorum mensis inseruit, & pia quoque charitatis officia illic exhibet. Duo ex Batauis nequiores hæretici, qui præsentes ibi tunc aderant, visa Pontificis adeò se ob Christi amorem demittentis, vt etiam lauaret peregrinorum pedes, exemplo mox intimo animo compuncti sunt, ac subinde Fratrem Commissarium Generalem Romanæ Inquisitionis adeuntes, prauam coram ipso hæresim eiurando, se Catholicam velle omnimodis sectari in posterũ fidem obtestati; à quo subinde interrogati, quanam potissimùm re fuissent ad id præstandum adducti: *Alia nulla profectò re* (inquiunt) *quam insigni Romani Pontificis tantum se ob Christi amorem, et pietatis causa demittentis, et tam benignum se erga exteros, qui ad Vrbem confluunt exhibentis, visa nuper pietate, ad Catholicam nunc fidem proculdubio venimus; Contraria quippe omninò sunt, quæ nostri prædicantes suis quotidie mendacijs fingunt, ac nobis inculcant: His profectò, quę oculis nunc nostris vidimus, et quę illi de Romano Pontifice è suggestu mendacissimè proferunt nũciando. Nos igitur, qui hodie mirabilia vidimus, Romanam ex operibus fidem verè Catholicam, verè Apostolicam, ac ipsissimet Christi è Cælo fidem agnoscimus, ac proindè libera voce profitemur*. Idipsum alteri quoque hæretico, & excellentioris notæ Viro accidisse à Viris fide dignis accepimus, qui Pontificia Clementis, tum pietate, tum benignitate; sed Christiana in primis humilitate simul, & charitate permotus, hæresi vnà cum suis erroribus ipsam ad Inferos ablegando, nunciũ remittens, Catholicæ demum Ecclesiæ, feliciter est aggregatus, quæ nos hìc ad immortalem tanti Pontificis memoriam, quem suæ Deus breui tempore Ecclesiæ Pastorem dedit, & iam immortalitatis stola in Cœlum donauit, vel obiter narrasse voluimus.

Idem sub Clemẽte IX. superioribus annis hęretico contigit.

Duo Batavi nequiores hęretici viso Pontificis peregrinorum pedes lauantis exemplo hæresim execrãtur.

Alius item hæreticus sic ad fidem venit.

CAPVT XIX.

Hæreticorum Fautores quid resipiscendo præstiterint.

1 Regia vnicuique via, si à periculis liber, ac saluus tandem fieri vult, incedendum proculdubio est, adeoque ab extremis, quæ se ipsis vitiosa plerumque sunt, & nonnisi perditionis, ac perditorum viæ, pes inter ambulandum cautè contrahendus, vt inter abrupta sæculi per rectam quis virtutis semitam, ad immortalis Regni probè magisterio edoctus felicitatem pertingat: *Non declinaueris* (inquit Scriptura) *ab eis nec ad dexteram, nec ad sinistram*. Quod sanè Moy-

Via Regia incedendum si quis saluus esse cupit.

Deuteronomij. cap. 18. nu. 14.

Moyses olim sapientissimus Iudæorum Legislator, & Dux, cùm ad repromissam Palestinorum ditionem vnà cum Israelitis pergendo contenderet, conceptis Regi Edom per internuncios verbis aliquando denũcians: *Obsecramus*(inquit)*vt nobis transire liceat per terram tuam, etc. Gradiemur via publica, nec ad dexteram, nec ad sinistram declinantes*. Quod sanè Rex perditus, ac in suis per scelus consilijs obstinatior nedum petentibus vltrò denegauit; sed armis insuper arrogantissimè vsus pro verbis, ac bello pro respõso venientibus indicto omnem penitus viam præcludens à suis quamprimùm ferro præoccupandam bellatoribus voluit: *Et egressus est* (ait) *cum infinita multitudine, et manu forti*. Neque verò suo, ac præcipuo id ipsum, quod tunc ille agebat, mysterio carebat; dum nil Rex, prophanus vtpote magis timeret, quã vt media Populus incedens via, cœptum feliciter tandem prosequendo iter procederet: A rectâ quippe declinantem via nõnisi in præceps proculdubio iturũ sciebat, vt optimè Philo his mysticè verbis inculcãdo adũbrat. *Id* (inquit) *molestissimè terrenus Edom fert: timet enim suis dogmatibus, ne subuertantur, confundanturque, et ideò bellum internecinum minatur, si conentur viam vi perrumpere*. Haud secus praua quæuis hæresum, prophanorumque dogmatum secta, dum à media, hoc est de regia veritatis, & credendi via per scelus recedit nonnisi certum, manifestũq; pertinaciæ lapsum incurrit. Callidus nãq; hostis haud multùm curat, si quis vel ad dexteram, vel ad sinistram potiùs ambulando declinet, dummodò à recto, tutoque itineris tramite aberret, ac pedem obambulando per scelus inflectens, ac in lubrico tandem figens, Hieronymo teste, illidat: *Si à recta* (ait) *via paululum declinaueris, vtrùm ad dexteram vadas, vel ad sinistram; cùm verum iter amiseris*. Ità planè hæreticorum singuli in suis dogmatum deliramentis ad dexteram, vel ad sinistram declinando, rectam illibatamque fidei, quam sectari par est, normam reijcientes, tutum proculdubio ad Cœlum iter amittunt, iuxta id, quod Iobus mediam tenendam viam; vt ad beatum Dei conspectum pertingeret, sibi proponens: *Si ad sinistram* (inquit) *iero, non apprehendam eum, si me vertam ad dexteram, non videbo illum*. Nec aliter, cùm de ipsius Dei præceptis agitur: *Si quid addas (*ait Ambrosius*) vel minuas, pręuaricatio quędam videtur esse mandati, etc. Plerumque testis, dum aliquid ad seriem gestorum è suo adijcit, totam testimonij fidem paucis mendacio decolorat; nihil igitur, vel quod bonum videtur, addendum est*. Hæc ille.

> Numerorum cap. 20. v. 17. Vbi supra num. 20.
>
> Rex Edom Israelitis ex Aegypto venientibus etiam prẹludit.
>
> *Philo lib. quod Deus sit immutabilis.*
>
> Regia incedere via quid mysticè designet ex Philone.
>
> *Hieronymus in cap. 6. Mathæi.*
>
> Hæresum dogmata à regia fidei regula declinant.
>
> *Iob. cap. 23. v. 9.*
>
> *Ambrosius lib. de prodit. cap. 12.*

2. Quo quidem callida hæreticorũ fraus, & in malo pertinax consuetudo proditur, qui super antiquis, illibatisque fidei dogmatibus, ac diuinarum scripturarum verbis semper, quid aut detrahunt, vel certè è suo aliquid apponunt; adeoque sibi hæresim, eorum quisque sic credendo fabricat: tuti profectò singuli si in medio ambulantes cõsisterent; hæc enim Cyprianus: *Hęreticę (*inquit*) professionis est ista contradictio calumniosa, quę de bonis pręscribit, vt asserat mala; et de sanctitate pręiudicat, vt immunditiam subtiliter introducat; de licito calumnias facit, vt obtinere illicitum possit*. Quid enim in ipsam potissimùm Deiparam Virginem hæretici aliquãdo peccarunt, nisi quod haud orthodoxæ fidei assertis veridicis inhærentes, nunc virginitati ipsius detrahendo, modò verò ipsi per scelus Diuinitatem tribuendo, altiùs, Epiphanio teste, delirabant: *Quidam (*ait*) contumelia afficere ipsam ausi sunt tanquam copulatam carni, et est hoc impie nouissimum, ac flagitiosissimum. Quidam se ipsos ita deceperunt, vt in tractatione de ipsa Sancta semper Virgine, pro Deo hanc introducere studuerint; quod totum impium est, ac nefarium*. Sic planè miseri cæcutientes, dum passim sermones de Virgine parum veritati consonos miscent, vel ad dexteram nimis laudando, vel in ipsam perperam certè oblatrando, ac vituperando, ad sinistram non nisi certò semper fidei naufragio declinarunt.

> Prævaricatio pręcepti est vel ad sinistram pedem inflectere ex Ambrosio.
>
> *Cyprianus lib. de fide.*
>
> Hæresis semper Deiparæ vel detrahit ex Cypriano.
>
> *Epiphanius hæresi 78.*
>
> Hæretici Deiparæ aut Virginitatẽ denegant, aut Diuinitatem affirmãt ex Epiphanio

3. Atquì ingenti postmodum Dei beneficio aberrantibus è Cœlo veritatis lumen affulsit: *Primus quippe(*vt Cyprianus dolet*) felicitatis gradus est non delinquere, secundus delicta cognoscere*. Ipsisque demum hæresum propugnatoribus, fautoribusque, vt in viam possent redire iustitiæ, nec ad dexteram, vel ad sinistrã declinando; sed sacrarum scripturarum verbis

> *Cyprianus lib. 1. epist. 3.*

verbis, & Ecclesiæ sancitis, Sanctorumque Patrum dictis mordicus inhærendo, tutum media via iter; vt salui è profundo emergerent, arripiendū omnimodis fuit. Quod nonnulli probè ipsius pœnitentiæ magisterio edocti, magna item cum laude captiuantes intellectum in fidei obsequium præstitere, dum conceptam semel animo hæresim abiecere, vel suam certè auxiliarem illi operam post errorem semel agnitum post hac impendere detrectarunt, vt multis quidem ex sacris historiarum tabulis, & Virorum præsertim Principum exemplis vltrò constabit.

Tutum credentibus divinis Ecclesiæ assertis, ac Patrum dictis acquiescere.

4. Quoniam verò infame hæresum in primis patrocinium, ipsis tum fautoribus, tum alijs cunctis exitio est, vbi tamen plerumque praui error dogmatis manu deprehenditur, orthodoxæ conducit propagandæ plurimum fidei, & ne res gratis asseri videatur, tempore Arcadij, & Honorij Imperatorum; cùm Gazæ inita publicè disputatio fuisset inter Porphyrium Gazensis Ciuitatis Episcopum, & Iuliam Antiochenam, clarissimam fœminam, quæ illuc aduenerat, vt Gentiles, quos ad Christi fidem conuersos audierat, ad Manichęorum sectam blandiloquis verbis alliceret: confusa tandem infelix mulier, suisque tecnis, ac fraudibus intercepta, diuinitus obmutescere coacta est, & quæ hæresis patrocinandæ in arenam descendens partes susceperat, silentio fidei veritatem, ac perfidam Manichęorum falsitatem fateri compulsa, linguam simul, & vitam vnà simul amisit; hæc enim apud Metaphrastem in B. Porphyrij actis habentur. *Illo autem* (inquit) *tempore (nempe anno sequenti à ruina Marnei templi) venit in Ciuitatem quadā Antiochena, quæ vocabatur Iulia: erat verò ex execranda hæreticorum, qui dicuntur Manichæi, secta. Cùmque cognouisset aliquos esse recens illuminatos, & in Sancta fide nedum stabilitos, in eorum irrumpens animos, eos corrumpebat per doctrinam suam oculos perstringentem, & incantantem, sed multò magis per pecuniæ erogationem.* Ore igitur, atque auro mulier nequam perditæ patrocinando hæresi multos in laqueum trahebat, à Christi fide auertens; hæc enim Auctor: *Cùm illic (ait) versaretur pestifera mulier, quidam fallaci eius doctrina sunt traducti: Post aliquot verò dies, cùm id cognouisset à quibusdam fidelibus S. Porphyrius Gazensis Episcopus, eam accersitam interrogauit, quenam, & vnde esset, & quamnam haberet opinionem? Illa autem, & puram, & se Manichæam esse confessa est. Iis autem, qui erant apud ipsum ira motis (erant enim quidam pij) eos rogabat Beatus, ne irascerentur, sed patienter eam admonerent, & semel, & bis, seruans id, quod dictum est à Sancto Apostolo. Deinde dicit mulieri: Abstine ò soror, ab hac mala opinione; est enim Sathanica. Illa autem respondit: Dic, & audi & aut persuadebis, aut persuadeberis. Sanctus verò dixit: Para te in crastinum diem, & veni huc. Illa autem eum valere cùm iussisset, est egressa.* Atqui altero die mulier inter disputandum mēte prorsus confusa, ac diuinitus obmutescēs hæresi Manichęorum lingua posthac patrocinari desijt: *Postquam* (inquit) *mala pluribus horis esset fabulata, & consuetas dixisset blasphemias in Dominum, et Deum vniuersorum, etc. in eam tulit sententiam dicens: Deus, qui fecit omnia, qui est solus æternus, nec habens principium, nec finem, qui glorificatur in Trinitate, tuā percutiat linguam, & obturet os tuum, ne loquatur blasphemias, etc. cœpit tremere Iulia, et mutari vultu, et manens in extasi longum tempus, non loquebatur; sed erat muta, et immobilis, etc. Cùm longo autem tempore mansisset muta, emisit animam profecta ad tenebras, quas in honore habuerat.* Mortua autem infelici, quæ aduersus Deum blasphemias, fœmina; qui aderant, Manichęorum labe vitiati, ad Christum conuersi, nuncium Sathanæ, eiusque prauis doctrinis dedere, & qui fœminæ erroribus primùm fauebant, postcà ipsam execrati Catholicæ Fidei dogmatum patrocinium suscepere; hæc enim in actis: *Quicunque verò, qui audierunt id, quod factum fuerat, valdè sunt admirati, non solùm qui erant nostræ fidei, sed etiam alienigenæ. Qui autem cum ea erant duo viri, ac mulieres, et quicunque ab ea corrupti fuerant, currentes prociderunt ad pedes Sanctissimi Episcopi dicentes: Errauimus, et petebant pœnitentiam. Beatus verò fecit omnes anathematizare Manetem auctorem eorum hæresis, ex quo etiam appellati sunt Manichæi; et cùm plurimos dies eos instituisset catechesi*

Baronius an. 403. nu. 33.

Hæretica prauitas vbi innotescit, apprime orthodoxis prodest.

Marcus Diaconus in vit. Porphyrij ad metaphrast. & ppum. 26. [illegible]

Porphyrius Gazæ Episcopus Iuliā Antiochenā Manichęorū propugnatricem ad disputandum prouocat.

Mulier recens ad fidē conuersos auro & lingua seducebat.

Illa in ore fœminæ blasphema verba: *Aut persuadebis, aut persuadeberis.*

Disputatio in multas horas protrahitur.

Mulier diuinitus muta & immobilis reddita, sic post multum temporis moritur.

Marcus vbi supra.

Multi hoc videntes ad fidem traducti à S. Porphyrio.

adduxit ad sanctam Catholicam Ecclesiam. Occasione autem illorum, & alij quoque ex alijs gentibus pœnitentia ducti, fuerunt illuminati. Sic planè quod susceptæ hæresis patrocinium fœminæ exitio pridem fuit, hæresis proculcandæ quàm multis postmodum, & veritatem agnoscendo ad Catholicæ Ecclesiæ sinum redeundi causa extitit.

5. Vnus verò, ac præcipuus ex eorum, qui hæresi olim patrocinati sunt, sed postea resipuit, numero fuit Theodosius Iunior Romanorum Imperator, Theodosij filius, qui multa dignè, ac laudabiliter domi, forisquè clarus præstitit; & cùm strenuè in acie pro fide Catholica stetisset, quò vsq; Pulcheriæ Augustæ sororis sanctissimæ in Romano administrando Imperio consilijs adhæsit, res feliciter ipsi, & ex voto cessit: Verùm postea, Chrysaphio Eunucho suadente, in B. Flauianum Constantinopolitanum temere insurgit, quod soror ægrè ferens, spontè se Imperij administratione abdicat; Post hæc autem Princeps Dei nutu in multa malorum incommoda, calamitatesque impegit. Suo etenim Euthycem hæreticum fauore complexus, alteram Ephesi synodum, cui Dioscorus præsideret, cogendã curauit, quod & posteà non tam Concilium, quàm Conciliabulum sua per scelus auctoritate confirmat. Quamobrem à S. Leone Papa, & à Romano item Concilio admonitus, acriterque obiurgatus haud dictis paruit, sed paternis, atque Apostolicis dictis aurem minimè præbens, Deo tandem vlciscente, viuendi finem fecit. Atqui Imperator subinde suam vel serò, Dei aspirante gratia, & Pulcheriæ sororis adiutus precibus, culpam agnoscens, ad pœnitentiæ lamenta profugiens, culpa se ipsum, antequam diem obiret, piè, ac laudabiliter expiare non destitit.

Baronius an. 450. n. 11.

The odosius Iunior Rom. Imperator, prauæ aliquando hæresi Eutrichianæ patrocinatur.

Chrysaphio Eunucho suadente S. Flauianum Episcopum exagitat.

6. Itaq; Chrysaphium totius mali facem, malorumque architectum, suis expoliatum bonis, quantocyus in exilium amandat; sic planè ante actæ diluere culpæ reatum, & quo se obstrinxerat, omnimodis scelus expiare pœnitendo contendens; vt Nicephorus his verbis tradit: *Theodosius* (inquit) *vbi re secum perpensa, se Chrysaphij astutia deceptum esse comperit, per quam grauiter & impietatem in Flauianum perpetratam, & alijs Episcopis nefariè illatam contumeliam, & condemnationem tulit. Et cùm dolori suo medcri non posset, in Chrysaphium legitimum, iustumquè effudit furorem. Itaque illum primùm dignitate, mox etiam substantia omni spoliatum, in Insulam quandam relegauit; cuius iudicium quod cęlestis quoque calculus comprobaret, in mari nauigantem assecutus est.* Hęc Nicephorus; Neque his Princeps contentus, Eudociam Augustam vxorem pro adimissis acriter obiurgans, ab aula confestim amouit; Pulcheriam sororem denuo ad clauum Imperij administrandum reuocans, vt Nicephorus his verbis meminit: *Postea quoq; coniugem Eudociam per acrem obiurgationẽ malè admodũ accepit, pe quę malorum inualescentium causa fuisset; Sed hac iniuriam quoque germana sua Pulcheria, quę eius causa Imperiali Aula eiecta esset, factam adiecit, atque insuper illam de Paulino suspicionem, & contentionis ouem, vehementer eam perstringens, in medium protulit. Illa consilij dubia, cùm in magnum esset coniecta metum, vt sibi Hierosolymam petere liceret, petijt; ad quam profectionem se voto nuncupato Deo obligauerat, si in Matrimonium collocatam filiam vidisset: Imperator confestim in septimum eam misit; sororem Pulcheriam septimum iam ibi annum agentem reuocauit, quę magno cum apparatu, & comitatu in Aulam redyt, Ephesum certis hominibus missis, sacrum Flauiani corpus inde in Vrbem imperantem transtulit, &c.* Hæc ille. In quibusdam verò, quæ ibidem narrat, Nicephorum hallucinatum, & quæ vtpote manifesti ipsum mendacij redarguunt, Baronius tradit, quem curiosus Lector super his consulat.

Nicephorus lib. 14. cap.

Eudociam vxorem a se ablegat, & Pulcheriam Augustam in aulam reuocat.

Nicephorus vbi sup. c. 23.

In lobito inopinoque euentu, mutatio dexteræ Excelsi af fulsit.

Baronius vbi supra n. 14.

7. Porrò cum Theodosium ex animi proposito pœniteret, is paulò ante quàm fatis concederet, Ephesum venit, ibiquè suis iugiter ad Deum precibus, culpæ veniam obtinere, ac vnà simul de digno sufficiendo sibi in Imperio homine totis animi neruis enitendum curauit, vt Nicephorus his planè verbis inculcat: *Et cùm obitus eius* (inquit) *appropinquaret, Ephesum venit, S. Ioannem Virginem, & Euangelistam honoraturus, templumquè illius ingressus, orationi se se dedidit: in qua etiam quis ei in Imperio Romano successurus esset, edoceri se à Deo petijt. Quod vbi per*

Nicephorus lib. 14. n. 15.

Theodosius ex corde pœnitens, precibus intendit, ac de digno sibi sufficien do cogitat.

per visionem ei Deus ostendit, Constantinopolim rediit. Nec ità multò post exercitu ex bello aduersus Attilam gesto, reuerso, Vrbe egressus est, vt equitatione, & venatione se recrearet. Atque inter equitandum equo delapsus, spinæ vertebram laxauit. Quapropter lectica in Vrbem relatus est: Atque vbi se moriturum esse sensit, cum Pulcheria sorore secretò ad se reuocata, de Marciano tribunitio locutus est, Deo gratum, placitumquè esse dicens, vt ille post se Romanam administraret ditionem. Et ille quidem cùm hæc dixisset, mortuus est. Hęc Nicephorus. Hic autem quę de eius obitu Baronius meminit, repetenda sunt; licet Zonaras longè diuersam hac super re sententiam proferat, dum ipsum videlicet morbo perijsse affirmat, alij verò lapsum ab equo scriptis tradant, cui sententię Cedrenus item visus est annuisse, &c. At Theodorus Lector in Collectaneis hanc tragicæ rei causam affert: *Theodosius (inquit) Iunior ad venationem egressus, & in fluuium Albim abreptus, sequenti nocte mortuus est, &c.* Hæc ille.

Inter venandum lapsus, & morbo oppressus de Marciano subrogando cum Pulcheria decernit.

Poenitens, ac Pie moritur.

Theodorus Lector in collectaneis.

8. Hic verò vt Principis culpam, ac simul pœnitentiam contemplandam sibi Lector ob oculos ponat, ipsum hac super re perorantem audire Baronium pręstat: *Certè quidem (inquit) in ipsius Imperij regimine eximio semper refulgens religionis exemplo, Theodosius ex institutione Pulcheriæ, & vitę moribus integerrimis pollens, superiores omnes Christianos Principes videri poterat superasse: Cùm verò vxoris, & Eunuchorum consilijs se se ab eadem S. Pulcheria ablegauit, quasi optimi regiminis ruptis habenis, in praceps actus, deteriora cæteris Principibus perpetrauit: cùm fauens priuatis affectibus, summum Catholicæ fidei intulit detrimentum, & immensa clade Ecclesiam Orientalem affecit. Cuius rei gratia in se ipsum primò è patientis Dei manu diræ vltionis fulmen extorsit. Vt planè ad eius exemplum illud sit sæpe Danidicum repetendum: Et nunc Reges intelligite, erudimini, qui iudicatis terram: seruite Domino in timore. Etenim non homo lacessitur, sed ipse Deus vltionum, qui aufert spiritum Principum, & qui est terribilis super omnes Reges terræ. Cæterùm quòd miserationes Domini super omnia opera eius, non statim in Theodosium iræ suæ sagittas emisit, in quibus parauit vasa mortis, ne simul cum corpore, & anima æternæ salutis dispendium pateretur, sed pœnitentiæ tempus indulsit, &c.* Hæc ille.

Baronius vbi supra n. 11.

Pius princeps & bene de Ecclesia meritus in quæ mala deceptus prociijt ex Baronio.

9. Dei itaque iustam pro delictis vltionem, ac ipsius pariter, dum humilis, compunctusquè Imperator ad pœnitentiæ lamenta recurrit, Dei clementiam experiri promeruit; vt quod incautus pridem peccauerat, iustè subinde mulctatus exolueret, & soluendo dignis culpam flagellis impetitus abstergens, è vita tandem expiatus abiret. Cui isthæc Baronij verba, amplissimi instar monumenti, insculpimus: *Qui quidem (inquit) attemperatam misericordia Dei vindictam expertus est, quod datum sit illi ante obitum admissum facinus intelligere, remedia quærere, in auctorem vlcisci, Romano Pontifici obedire, eidemquè communicare, vt datæ mutuò literæ docent. Tanta hęc haud dubium precibus Sanctæ sororis obtinuit, ne præteritæ optimè functæ vitę bona opera interirent. Sed & misericordiæ quoque Diuinę fuit, vt immanis perpetrati sceleris in hac vita potiùs daret pœnas, quàm in futura. Cùm non iudicet Deus bis in id ipsum: Nam si ex sententia Apostoli electi corripiuntur in hoc Mundo à Deo, vt non cum hoc Mundo damnentur.* Et hęc sunt, quæ Theodosio anteactas vitæ pœnitendo culpas, priusquam diem obiret salubriter reparanti promerita hic ipsius glorię statuere monimenta voluimus.

Dei misericordia præuentus ante vitæ finem, culpā agnoscit, & pœnitentiam arripit.

Baronius vbi supra nu. 16.

In hoc potius, quam in altero sęculo dans poenas pie obit.

10. Atqui post Romani Imperij Principem, qui condigna suum pœnitentia, tum nomen, tum maximè Imperium illustrauit; ne cæteros inferioris notæ homines pręteream, Otho Frisigensis rerum historicarum scriptor hic nobis occurrit, qui cum Giliberti Episcopi Pictauiensis, de quo in Annalibus mentio est palam ob infamem hæresis notam execrandi, dogmata, dictaquè mordicus defenderet, eius subinde praui erroribus Apostolicæ Sedis iudicio proscriptis, damnatisquè, facti sub vitæ finem pœnitens, palinodiam publicè recantauit, cunctosquè, qui aderant, ex hac vita migraturus, se Catholicæ fidei assertorem obtestans, pro scandali offensa veniam humiliter obsecrauit, quò sic tutus è vita decederet, conscriptumquè è se historiarum codicem alieno discutiendum, corrigendumquè iudicio, pro-

Baronius ann. 1147. n. 7.

Otho Frisigensis scriptor hæretici Gilberti scriptorum laudator resipiscit.

Baronius an. 1147. n. 7.

prijs manibus obtulit. Rem autem gestam Kadeuicus Canonicus Frisingensis enarrans, sic habet: *Rebus*(inquit)*Testamento dispositis, etiam hunc (historiarum videlicet) codicem manibus suis offerri præcepit, eumquè literatis, & religiosis Viris tradidit, vt si quid pro sententia Magistri Gilberti (vt patet in prioribus) dixisse visus esset, quod quemquam posset offendere: ad ipsorum arbitrium corrigeretur, seque Catholicæ fidei assertorem iuxta Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, immò & vniuersalis Ecclesię regulam professus est. Deinde multa priùs cordis contritione, & humili confessione reatum suum recognoscens, sumptis Sacrosanctis Mysterijs, in medio multitudinis SS. tam Episcoporum, quàm Abbatum Domino spiritum reddidit.* Hęc ille de Othonis pœnitentia ob Gilibertum à se defensum, laudatumq; quem potiùs hæresi laborantem omnimodis vltrò reiectum proscriptumque execrari, haud defendere, vel quo quo modo excusare debuerat.

Sub vitæ finem pœnitens librum à se conscriptum Ecclesiæ iudicio discutiendũ remittit.

Radeuic in Frider. lib. 2. cap. 11.

Susceptis rite Ecclesiæ Sacramentis diem claudit.

11. Porrò prauę Giliberti hereses, & quæ ad Diuinitatem præsertim spectãt, ad quatuor capita recidunt; Alibi enim infelix, suoque præfidens ingenio longè à sana fidei regula aberrando recessit; dũ mortalium neminem quidquam apud Deum pręter Christum Dominum mereri, necnon diuina Ecclesiæ Sacramenta vi, ac meritis fraudando, nullum nisi saluandum verè baptizari dogmatizãdo assereret, vt Otho Frisigensis in Friderici gestis. Idem verò scriptor Gilibertum viuis in tabula coloribus visus est adumbrasse, cùm ait: *Fuit illis* (inquit) *in diebus in Aquitania Galliæ Ciuitate Pictauis, Episcopus Gilibertus nomine, hic ex eadem Ciuitate oriundus, ab adolescentia vsque ad vltimam senectutem in diuersis Galliæ locis Philosophiæ studium colens, re, & nomine Magistri officium administrarat; nouiterquè ante hos dies ad culmen Pontificale in præfata Ciuitate sublimatus fuerat, consuetus ex ingenij subtilis magnitudine, & rationum acumine multa præter communem hominum morem dicere. Is igitur cum quadam vice conuentum de sua diœcesi Clericorum magnum celebrans, sermoni, quem fortè gratia exhortandi habebat, quędam de fide Sanctę Trinitatis interfereret: à duobus Archidiaconis suis Arnaldo, & Calone, tanquam contrà Catholicam normam Ecclesię doctrinam instituens, ad Summi Pontificis, Romanęquè Sedis examen interposita appellatione, vocatur.* Hęc ille de Giliberto in hæresim prolapso.

Otho Frisigensis in Friderico lib. 1. cap. 50. n. 9.

Impia Giliberti dogmata.

Primùm in Gallijs magister, deinde Episcopus Pictauiensis.

12. Et sanè ex nouis vsurpatis vocabulorum commentis, & ex nimia pro suo mentis arbitrio sentiendi, quæ fidei sunt, dicendi insuper, ac loquendi arrogantia, ex superbo item literatorum hominum fastu inuisa quæque in Dei Ecclesia hæresum tandem monstra coalescunt, contra quæ Apostolicæ postmodum censuræ mucro exerendus, exercendusquè est. Vt rem verò apposite ab eodem Othone excerptam prosequamur: *Sic*(inquit) *vtrique viam carpunt, Romanoquè Pontifici Eugenio ab Vrbe in Gallias tendenti. Senis Ciuitate Tusciæ occurrunt. Quibus Romanus Antistes auditis, causaquè viæ cognita, breuiter respondit, se Gallias interim ire, ibiquè de hoc verbo: eo quòd pręter literatorum virorum copiam ibidem manentium opportuniorem examinandi facultatem haberet, pleniùs velle cognoscere. Archidiaconi in Gallias redeunt, ac consulto Bernardo supramemorato Abbate Clareuallensi, eum in commodum causæ suæ aduersus Episcopum inclinant. Erat autem prædictus Abbas tam ex Christianæ religionis feruore zelotypus, quàm ex habitudinali mansuetudine quodammodò credulus; vt & Magistros, qui humanis rationibus, sæculari sapientia confisi nimiùm inhærebant, abhorreret, & si quidquam ei Christianæ fidei absonum de talibus diceretur, facilè aurem præberet.* Hęc Auctor, qui dum plus æquo Giliberto fauet, ipsius quidem causa S. Bernardo (vt videre est) suis nonnihil scriptis per arrogantiã visus est derogasse; ob quod postea palinodiam pœnitentia adductus, compulsusque recantauit. Vir quippe Sanctus ex his magis (vt Baronius docet) laudandus ab eo fuerat, vt qui quamlibet in fide Catholica nouitatem ferre minimè posset, & *humana* (velut ille inquit) *ingenia, quæ suis viribus Diuina petentia, elataquè superbia, haud essent humilibus consentientia, abhorreret, vt ea, quæ solerent sui æstimatione grauaia parere hæreses monstruosas*. Hęc Baronius.

Hæreses ferè semper ex nouis vocabulis exortę.

Gilibertus ad Eugeniũ dictorum suorum redditurus rationem ire compulsus.

Otho Frisigensis vbi supr. c. 50. 51.

S. Bernardus homines suo præfidentes ingenio, ac rationibus, nec aliorum iudicio deferentes exhorret.

Baronius vbi supra n. 9.

13. Verùm Clareuallensis Abbas tũ sapientia, tum sanctitate præcipuus cùm noua promulgari à Giliberto dogmata comperisset, omnem prorsus lapidem mo-

Ipsius opera, & auctoritate Gilibertus apud Eugeniū vti reus, & in Conuentibus Episcoporum sistitur.

Orthodoxa vbi supra.

mouit, vt assertæ ab eo hereses ab Ecclesia proscriberentur, nec à proposito mentis Catholicæ fidei zelo succensus, destitit; quinimò propensiori apud Eugenium Romanum Pontificem animi studio institit, vt idem Gilibertus coram ipso Pontifice in varijs Conuentibus, atque Antisiodori primùm, deinde Parisijs, postremò in pleniori Concilio Rhemis compulsus, ac interrogantibus pro se responsurus se ipsum sisteret vt idem Otho his verbis tradit: *Prætaxati (inquit) Archidiaconi adscito sibi tantæ auctoritatis, & æstimationis Viro Abbate Bernardo, Episcopum Gilibertum eadem, qua prædictum Petrum, via damnare attentabat; sed nec eadem causa, nec similis erat materia. Iste enim ab adolescentia magnorum Virorum disciplinæ se subijciens, magisquè illorum ponderi, quàm suo credens ingenio, qualis primò fuit Hilarius Pictauiensis, postea Bernardus Carnotensis, ad vltimum Anselmus, Radulphus Laudunensis germani fratres: non leuem ab eis, sed grauem doctrinam hauserat; manu non subitò ferulæ subducta, à scientia haud censura morum, vitaquè grauitate discordante, non iocis, seu ludicris, sed serijs rebus mentem applicarat. Hinc erat, vt tam gestu, quàm voce pondus seruans, sicut in factis, sic & in dictis se ostenderet difficilem, vt nunquam puerilibus, vix autem eruditis, & exercitatis, quæ ab eo dicebantur, paterent animis.* Hæc de Giliberti, eiusquè vitæ institutis; cuius quidem exemplo, quod satis apud antiquos vel ipso decantatum experimento, ac satis, vt Baronius (ait) re ipsa veraciter comprobatur: *Philosophos nimirum Patriarchas fuisse Hæreticorum*; quippè qui ex Aristotelicis topicis de Diuinitate, & Deo, quem à Diuinitate separabat, nonnulla tum in publicis concionibus, tum in priuatis, familiaribusquè colloquijs palā effutire ausus, sensim miser in hæresim prolapsus est; cuius erroribus sub Eugenio Tertio proscriptis, damnatisquè, Otho Frisigensis, qui eum suis pridem dictis defenderat) sub ipsum vitæ finem, ne certum salus animæ à Petri fide oberrando periculū subiret; vel serò, seriò tamen palinodiam canens à se temerè gesta condemnans, nec non perperam hæreti-

Giliberti disciplina, ipsiusque scientiarum vis.

Baronius vbi supra numero 9.

cum hominem à se defensum laudatumque affirmans, suos historiarū libros Orthodoxæ fidei regulis, & Ecclesiæ iudicio censendos, tanquam lydio lapide tradi probandos, trutinandosquè voluit, vt compunctus patentibus hisce signis è vita iàm migraturus, suū Deo exitum pœnitendo humiliter commendaret.

Otho Gilibertι ab Eugenio ob hæresim damnati propugnator ac laudator se ipsum moriēs retractat.

14. Vt noster autē sermo susceptæ narrationis proposito insistat; Guido Tarlatus Aretinus Episcopus præcęteris suas in præsens tum culpas, tum laudes taceri non patitur, qui pius adeò fuit, vt à Deipara inter dormiendum Congregatio recens Sanctæ Mariæ Montis Olíueti illius Patrocinio sit credita, & primus insuper album Conditoribus amictum, sibi in somnis à Virgine præostensum tribuerit: sed vir Cæsarei tuendi iuris obtentu semper (vt Rainaldus tradit) arroganter vltrò oppugnare Ecclesiam cœpit, & Castruccio manifesto Ecclesiæ hosti, ac censuris item proscripto, cæterisque Ecclesiæ perduellibus fauere non destitit; adeò vt Pontifex postquam atrocia ipsius scelera recensuit, haud inulta reliquerit. In primis namque is ob Episcopatus administrationem, quam Pontificio vrgente imperio minimè dimiserat, anathemate perculsus, atque Episcopalibus insuper exauctoratus infulis, condignis tandem ab Apoctolicæ Sedis Legato censurarū pœnis mulctam meruit. At Guido à Castruccio subinde apud Bauarum, cui fauebat vti clam initi cum aduersario fœderis conscius delatus, ac proditionis item crimine notatus, intimo tactus cordis dolore consulendarum Aretinarum rerum specie à Ludouico, nec absque acerba indignati ipsius animi significatione discessit, ac morbo proinde correptus, admissa coram multis in Romanum Pontificem crimina, ac Ludouicum inprimis vt hæreticum ac hæreticorum fautorem palam profitendo, execratus est: Nec id præstitisse contentus, si pristinā corporis valetudinem recuperasset, concepto defendēdæ Ecclesiasticæ dignitaris voto, vigesima prima Ottobris (vt Villanus tradit) sic tandem corde pœnitens obijt, quibus & paribus item S. Antoninus verbis consonans illius tam virtutum, quàm vitio

Rainaldus an. 1327. nū. 18.

Rainaldus ann. 1324. num. 20.

Guido Tarlatus Aretinus Episcopus, iuris Cæsarei tuendi gratia Ecclesiā dictis, factisque oppugnat.

Io Villan. lib. 10. c. 36

Anathemate perculsus, & Episcopatu electus exauctoratusque.

rum

S. Antoni nus 3. parte tit. 21. cap. 6. §. 5.

Errorem sub vitæ finem agnoscens Ludouicum Bauarum vti hereticum execratur.

Pœnitens bona suffultus salutis spe e vita decedit.

Et qui pridem ob hæresis suspicionem damnatus, postea sepultura in Ecclesia donatur. Rainaldus an 1327. num. 58.

Christianis Principibus vitãda summoperè hæreticorum consortia à Senonensi Concilio in dicitur. Rainaldus ann 528. num 18.

rum memoriam his verbis refricat.

15. *Vir quidem* (inquit) *magnus fuit, & gloriosus in sæculo, nisi quòd aduersus Pontificem rebellis, vt omittam, quod & statui suo, & dignitati exercitium id omnino fuit contrarium. Quem tandem errorem recognouisse ante obitum, ac pro Pontifice, si vita suppeteret, aduersus hostes militaturum promisisse quidam literis tradiderunt. Quamuis enim multos Soleat decipere sera pœnitentia, misericordiæ tamen Dei nec mensuras possumus, nec tempora definire, apud quem nullas patitur veniæ moras conuersio. Post eius autem mortem Petrus cognomento Sachon huius Guidonis frater tyrannidè Aretinorũ inuasit.* Hæc S. Antoninus, quibus sanè Guidonem piè ac salubriter culpis pœnitentia expiatis è vita abijsse testatur. Illud verò sciendum hic est, Pontificem paulò antè Censoribus fidei præcepisse, vt in Guidonem Episcopali Throno, ac munere deiectum, hæreseos vtpote infamia notatum canonicis ex more legibus ageretur. At audito eius obitu, Bertrando Cantiruariensi Archidiacono, & Guillelmo Dulcino Ordinis Prædicatorum Sedis Apostolicæ Nuncijs iniunxit, vt diligenter inquirerent; an Guidonẽ in extrema vitæ periodo constitutum ante actæ vitæ ex corde scelerum pœnituisset, quo præstito ipsius cadauer sepulturæ iuxta morẽ Ecclesiæ de mandari posset; dũ prius suis tamen publici tabelliones haud dubij rei testes Pœnitẽtiam ipsius scriptis confirmassent. Certo igitur S. Antonini rerum probe conscij testimonio Guidonem nonnisi veraciter pœnitentem fatis concessisse constat.

16. Ad praua igitur hæresum dogmata, hæreticorumquè consortia, tum scriptis, tum factis reijcienda, totisque animi declinanda viribus, acerbiùsque insectanda cunctorum hic pia hominũ sub finem tam dictis, quàm exemplis studia prouocantur. Conceptis siquidem verbis, adductisquè ad comprobãdum rerũ historicarum argumẽtis Christiani præsertim Principes ad hæreses procul à se, suisque ablegandas, abolendasquè penitus, nec non ad validè insuper hæreticis, perpetuò resistendum, à Senonensis Synodi, quæ nouissimè, cũ hæreses acriùs vigerent, celebrata est; Patribus meritò, ac præ sui Officij munere sunt aliquando admoniti. In Synodo namque, vbi Antonius de Prato Archiepiscopus Senonensis Galliarum, & Germaniæ Primas, ac Tit. S. Anastasiæ Cardinalis præfuit; fausta, ac felicia Principum, qui suam fidei asserendæ operam præstitere, ac infelicia item aliorum, qui hereticorũ quãdoque erroribus patrocinati sunt, exempla recensct vbi hæc dignissimi inter alia Patres aduersus hæreses earũquè fautores Catholicos egregiè Principes interpellando perorarunt: *Plurium* (inquit) *hactenus errores commemorauimus, sed non illorum sufficit commemoratio; opus namque est, quod Christianissimi Principes suppetias ferant zelò Zelantes pro Domo Domini exercituum, quę iuxta Apostolum est Ecclesia. Posset haud dubiè Deus absque illis vniuersam hæreticorum cohortem conterere, ac exterminare; nulliùs enim creaturæ suæ eget ministerio, vult tamen pro sua benignitate homines sibi cooperari: ampla quoquè eos donat mercede, qui ei cooperantur, in ijs præsertim negotijs, quæ ad fidei dignoscuntur spectare integritatem, quemadmodum multæ indicant historiæ. Laborarunt olim aduersus hæreticos, strenuè Christianissimi Principes Cõstantinus, Valentinianus, Theodosius, Clodoneus, Carolus Magnus, & Ludouicus Pater S. Ludouici. Sed nunquid præmio defraudati sunt? minimè certè. Nam apud Deum gratiam inuenerunt, qua nihil in vita est expetibilius, et apud homines immortale sui nominis decus adepti sunt: Contrà verò Principes, qui hæreticorum consuetudine abusi, et eorum deliniti consortio, impijs erroribus non obstitere, sed impenderunt subsidium, iram Dei vindicem sensere, etc.* Quæ quidẽ à Patribus præcipui nominis miro Religionis zelo haud inaniter prolata sunt verba, haud frustrà Principum auribus, scriptisque insuper demandata. Cùm enim postea (vt Rainaldus ait) nonnulli Galliarum Reges male ab insanis politicis persuasi, Hæreticorum Patrocinium suscepissent se; ac Regnum illud florentissimum in sũmas angustias adduxere, quorũ funestæ alibi clades legendæ, ac lugendæ pariter describũtur ac nos suo alibi opportunè loco meminimus. Sed de his hactenus.

Senonensis Synodus acta

Zelus Christianorum pro Orthodoxa tuẽda fide aduersus hæreticos. exẽplis comprobatus.

Constantinus Valentinianus, & alij principes ob id à Deo remunerati.

Rainaldus vbi supra. Fautores è cõtra calamitatibus multiplici ter affecti.

CA-

CAP. XX.

Schismatum auctores, sectatoresque pœnitentiam agunt.

1 POEnitentiæ sola duntaxat virtus, quæ vti certa, atque vnica post lapsum salutis tessera hominibus è Cœlo prouenit, Ipsa quidam proculdubio charitatis fœdus, violataquè insuper illibatæ tum fidei, tum, religionis, & concordiæ iura redintegrat, necnon perdita, inuisaque Schismatum monstra, & omnem penitus dissidiorum abolet infamiam, rixasque omnes funditùs disperdit; Christus quippe adeò in suis tum charitatis, tum fidei vnitatem diligit, suique in primis Magisterij auctoritate cómendat, vt nihil ipsi antiquius, & exoptatum, acceptumquè magis arrideat. Quapropter vbi suam initio regendam Petro Ecclesiam commisit, vnitatem in primis, rem veluti sibi vnicè charam, ac bonis precellentem (vt Bernardus docet) cunctis vltrò, disertisquè monendo verbis inculcat: *Committens* (inquit) *vni, vnitatem omnibus commendauit.* Enimuerò nè quisquam Christi sponsam, ipsamquè à charitate vnitatem, suam tum originem, tum laudem sortiri vllo modo ambigeret, prius quàm Ecclesiæ Petro curam demandaret, ter quidem ipsum, an se præ cæteris diligeret, consulto interrogauit; certus vtpote, qui charitatem in subditis, ac vnitatem maximè præoptabat, requirirebatquè instantius vnà simul in Principe, haud hanc aliquando in cæteris defuturã, si in ipso hæc primũ Pastore, suo, vt par est, muneri neutiquam defecisset. Quapropter inter ipsa Ecclesiæ surgentis exordia illud feliciter contigit, vt in tanta tot nationum, ac gentium multitudine, animorum, ac fidei vnitas ingenti planè portento illibata subsisteret: *Credentium quippe* (vt Lucas inquit) *multitudinis erat cor vnum, & anima vna.* Quorsum verò tantæ charitas multitudinis, ac tot hominum, animorumquè benè sibi cohærentium inuicem spectaret vnitas, suo aptè, eleganterq; digito Ambrosius ostendit, charitatis præcipuè, nec satis vnquam pro merito vnitatem extollens: *Vt qui* (inquit) *eodem consortio religionis tenebantur, eodem consortio fruerentur & vita; hoc est, vt quibus erat vna fides, esset & vna substantia, & quibus erat communis Christus, communis esset, & sumptus.* Sic planè charitas vnitate in primis gaudet, nec aliter à Deo hæc aliquando virtus comprobatur. Quod pari item verborum pondere Origenes omnimodam in his, quæ tum ad fidem, tum ad Diuinam charitatem spectant, & tam hominis intellectum, quàm voluntatem respiciunt, sapidè inculcans: *Cur non omnes* (inquit) *vnum dicantur, quorum cor, et anima vna esse describitur; Vnam omnes semper sapientiam meditantur, vnum sapiunt, vnum sentiunt, vnum Deum venerantur, vnum Dominum Iesum Christum confitentur, vno spiritu in Deo replentur? Vnde meritò et ipsi omnes non solùm vnum, sed et vnus dicuntur sicut Apostolus designauit dicens: Omnes quidem currunt, sed vnus accipit palmam.* Perfecta namque totius Ecclesiæ forma nonnisi charitatis glutino subsistit, eiusque insuper vnitas suæ cunctis subinde pulchritudinis gratiam portendens singularis prærogatiuam decoris, Nisseno teste refundit. *Vna est* (inquit) *columba mea, perfecta mea, quia scilicet* (vt *idem ait*) *dilectio efficit, vt vnitas sit id, quod salutem consequitur, omnibus inter se vnitis cum vno, soloquè bono.* Vnitas itaque charitatẽ perficit, charitas verò vnitatem pari meritorum cumulo, ac virtutum decore illustrat.

2. Animorum siquidem concors vnitas, vniuersę olim credentium multitudini feliciter adeò affulsit, ipsisquè credentium animis vnà cum fide insidens eum in modum diuinitus creuit; vt vel minima aliquando inter fidei cultores dissensio iuxta Apostoli oraculum impossibilis omninò crederetur. Quapropter eos iure merito admonens, præcauensquè, ne rixis, & schismatum aliquando, & discordiarũ turbis locum darent: *Conuenientibus* (inquit) *vobis in Ecclesiam, audio scisuras esse inter vos, & ex parte credo.* Incredibile tunc quippe apud omnes, quòd abiecta charitatis vnitate, hominibus in Dei Ecclesia coeuntibus, discordiarũ liuor aliquando subreperet, acportenti ad instar magni habebatur. Enimuerò, si quam discordiam fortasse priuatim domi

Pœnitentia vnica, post lapsum hominis salutis tessera.

Ioanni cap. 21. n. 17.

Ipsa læsę charitatis iura reintegrat, & Deo homines, ac ipsosmet coniungens inter se conciliat.

Bernardus lib. 2. de consid. ad Eugenium.

Vnitas maxime Deo placet, ac hominibus à Christo apprime commendatur.

Actuum Apost. 4. 32.

Amb. ser. 9. de vnit. char.

Credentiũ initio cor vnum, & ani ma vna, & quid eiusmodi vnitas designet ex Ambrosio.

Origenes hom. de Elcana.

Quid item ex Origene importet;

Prærogatiua Ecclesiæ singularis, est vnitas.

Cantic. 6. n. 7. Nissenus in Cantic.

1. ad Corint. 11. v. 18.

Animorum primæuos inter Christianos dissensio impossibilis omnino habebatur.

domi fonerent, cùm tamen finguli in vnum intra muros Ecclesiæ conuenirent, omnem schismatibus aditum vel ipsa illibata loci præcludere sanctitas videbatur. A schismatum namque dissidijs ipsi non immeritò Ecclesiæ, ac credentibus vnà simul suprema è proximo timenda vastitas semper fuit, ac si vbi semel charitas defecisset, ipsa iam prę foribus clades ac ruina adesset: *Omne regnum*(inquit)*diuisum desolabitur,& domus supra domum cadet, & si Satanas in se ipsum diuisus est, quomodo stabit Regnum eius?* Auerni etenim spiritibus, Christi vtpote hostibus ipsamet Christianorum concordia præ cunctis terrori adeò fuit; vt plus aliorum contentionibus, quam armis,armatisque bellando præsiderent, ac magis sibi(vt Bernardus docet)ab animorum vnitate,quàm amorum vel copia, aut robore timendum putarent: *Sicut hostes*(inquit)*timent, quando acies castrorum bene ordinatas ad bellum vident, ità Diabolus expauescit, quando spirituales Viros virtutum armis accinctos in vnitate concordię viuere conspicit.* Et congruè: non nisi enim Schismatum præsertim turbis, quibus Diuina Christianorum vnitas per scelus proditur, hostis humani generis aduersus Christianos præualēdo victoriæ sibi certò palmam repromittit. *Diabolus* (inquit Bernardus) *non timet nostra ieiunia, quia ipse nunquàm comedit, neque nostras vigilias, quia ipse nunquam dormit, neque nostram pauperiem, quia ipse nihil habet; timet tamen vehementer nostram concordiam, quia hoc tenemus in terra, quod ipse in Cœlo tenere noluit.* Acerbissimum itaq; iure, merito interChristianos Schismatis piaculum,quo Diabolus sibi tantū præsidit,computandum est,quod magno semper Ecclesiæ detrimento fuisse, condignisquè item vltricibus à Deo pœnis mulctatum noscitur. Quod quidem huius maximè sceleris conscij animaduertentes, ac si nullum, præterquàm ad pœnitentiam profugiendo remedium suppeteret, læsæ vulnus charitatis omnimodis ac opportuno inter pœnitendū animi dolore reintegrandum curarunt.

Lucæ cap. xi.

Diuisum haud stare diu regnum potest.

Bernard. ser. 45. de diuer. vi uend.

Concordia & pax Christianorum bellum, & diaboli exterminium.

Bernard. vbi supra.

3. Schismatici igitur (vt hinc noster aptè sermo deriuet) quò suo cæteris exēplo prodessent, iustas, acerbasque hic & in altero seculo sceleris, vel serò pœnas exoluendo,culparum socijs, ac toti Christiano orbi documento fuere, Inter quos Agrestinus merito recensendus est,qui è vita impœnitens, Deo vlciscente decedens,Romarico,& Amato, quem ipse pridem seduxerat valde ad resipiscendum profuit, dum nonnisi pœnitentię subsidio debitas culpis pœnas ad Dei tribunal profugiendo redimi docuit, vt Ionas in B. Columbani gestis sic tradit: *Cumquè*(inquit)*sibi sępius pœnitentię locum datum infelix Agrestinus non cognouisset, vt Eustatij sententia ad iudicium eum inuocantis pręualeret, ante triginta dierum circulum, quam vertentis anni meta compleret, à seruo suo, quem ipse redemerat, securi percussus interijt, & ratio criminis dicebatur, vxoris permixtio, &c.* Hęc ille; quibus isthæc Baronius subtexit. *Audisti*(inquit) *finem schismaticorum, & ad declarandam veritatem Dei iudicium in vindictam prę uaricatorum interpositum.* At quò ad lapsos pœnitentię vi expiatos pertinet, hæc Ionas: *Posthæc*(inquit)*Amatus, et Romaricus Eustatij patris indulgentiam postulantes, ab eo recipiuntur, et in pristinum gradum restituuntur.* Amatus verò se totum pœnitentiæ addixit, ac verè culpam post lapsum retractantem exhibuit; adeò vt & sanctitate, Baronio teste, claruerit, moriensquè se probè Catholicum esse,orthodoxam publicè fidem professus, declarauerit,vt eius gestorum scriptor his verbis tradit.

Schismatici diuinitus mulctati cæteris sūt exēplo.

Baronius an. 617. nu.15. & 16.

Ionas in Eustasio apud Baronium vbi supra.

Agrestinus schismaticus infeliciter sublatus Romarico, & Amato ad vitam prodest.

Ionas vbi supra.

4. *Iā annum*(inquit) *in eo cilicio, et cinere egerat, die, ac nocte iugiter precibus vacans, cum prę nimio membrorum cruciatu, cute, et carnibus exesis, nuda ossa paterent: Interim ille nihilominus cum lacrymis semper Domino loquebatur. Cum autem finem adesse sentiret, cuidam fratri ait: Affer epistolam Leonis Papę, quam ille ad S. Flauianum scripsit, in qua Catholicæ fidei plenissima ratio continetur. Allata est epistola, et cum illi legeretur, ità dixit: Sic credo, ò Trinitas ineffabilis, ita confiteor, Deus omnipotens, ità de te sentio, fili Dei Christe Iesu; Sic de tua intelligo Spiritus Sancte æterne Deus: Atque ita vnum Deum in Trinitate,trinumquè in vnitate confiteor. Cùm autem summa esset humilitate praditus, indignum se putauit, qui intrà Ecclesię septa sepeliretur. Iussit igitur sibi fodi sepulchrum in ipso aditu Basilicæ Matris Dei, & hoc*

Amatus ex corde resipiscens pœnitendo sanctitate claruit.

In vit. S. Amati apud Surium 13. Nouembris

Cinere, ac cilicio se ipsū macerat

Sub finem ineffabile Trinitatis mysterium confitetur.

et hoc epitaphium, quod ipse composuit, ibi poni. Omnis homo Dei, qui in hunc locum sanctum ad orandum introieris, si merueris obtinere, quæ postulas, pro anima Amati pœnitentis hic sepulti, Domini misericordiam deprecari digneris: ut si quid mea prauitas de meis peccatis obtinere non potuit tepidè pœnitendo, obtineat vestra tantorum charitas, sedulò Domini misericordiam deprecando. Hæc vtique Pœnitentis elogia in Amati epitaphio, qui pœnitentiæ meritis clarus præfulsit, ac veri pœnitentis (vt Baronius ait) specimen edidit; quibus eiusdem Baronij de Romarico loquentis verba subtexenda hîc sunt: *Romaricus etiam* (inquit) *et ipse dignè omnes veri pœnitentis numeros explens, sancto fine quieuit; etc.* Sic ambo post schismatis lapsum pœnitendo cunctis documento fuere.

Sepeliri iuxta Ecclesiã se indignũ ratus in atrio sepultus ita locum delegit cunctorum precibus se ipsum commendans.

Baronius vbi supra n. 15.

5. Quoniam verò de impijs schismatum auctoribus, sectatoribus item, ac fautoribus ad Deum feliciter traductis hîc sermo est, plures quidem numero pia Bernardi Clareuallensis Abbatis Sanctissimi opera, & mira Dei virtute compuncti ad sinum Ecclesiæ rediere, quorum præcipuus Vuilhelmus olim Dux Aquitaniæ fuit, qui nedum schismaticus, sed & schismaticorum Princeps contra Innocentium Secundum Romanum Pontificẽ pro Anaclero Pseudo papa per scelus insurgens ingẽtes in Ecclesia turbas concitauit, sed Diuina præuentus gratia, & alter ex Saulo Paulus mox euadens, Innocentio tandem ceruicem inflexit. Cùm enim Vir Dei venienti ad Ecclesiam Comiti, sacrosanctum Christi corpus manu ferens obuiam processisset, & is adhuc minarum, & cædis spirans in discipulos Domini, in terrãm diuinis exterritus Sacramentis & Christi præsentia vti iaculo perculsus corruisset, hæc Sacerdotem Dei suis vltrò auribus intonantem audijt: *Præsens est* (inquit) *Pictauiensis Episcopus, quem ab Ecclesia sua expulisti: vade, et reconciliare ei, et in osculo sancto pacis cum eo iungito fœdera: et ipse ad sedem suam eum reducito, et satisfaciens Deo, redde pro contumelia gloriam: et in vniuerso Principatu tuo diuisos, et discordes ad charitatis reuoca vnitatem. Subdere Innocentio Papæ, et sicut ei vniuersa obedit Ecclesia, tu quoque electo à Deo tanto pare Pontifici.* His ille verbis, non secus ac validis ad debellandã impietatem machinis, rebellis Deo hominis ceruicem protinus fregit, atque ex lupo agnum, & ex persequutore Ecclesiæ filium, ac patronum reddidit; de quo nos plura alibi infra, ad quæ Lectorem remittimus.

Baronius an. 1135 num. 6.

Vuilhelmus Aquitaniæ Dux schisma ticus à S. Bernardo ad Ecclesię sinum, vnitatemque reducitur.

Bernard. Abbas in vit. S. Bernard. Ab. Clareual. lib. 2. cap. 5.

Innocentio Romano pontifici sublatum, & Episcopum à se expulsum restituit à Bernardo increpatus.

6. Atqui Sanctissimus Abbas hæc, atque alia meritis digna laudibus in reducendis ad sinum Ecclesiæ Schismaticis ab Innocentio Pontifice in Vrbem directus præstitit, quæ gestorum eiusdem scriptor sic tradit: *Intelligit ex secretis* (inquit) *Clerum, qui cum Petro erat de statu suo sollicitum, scire quidem peccatum, sed non audere reuerti, ne perpetua notatus infamia vilis inter cæteros haberetur, et malle sub vmbra honestatis interim sic esse, quàm expelli à sedibus suis, et publicæ mendicitati exponi. Eorum, qui de Petri prosapia erant, hæc erat responsio: Quia iam credi eis à nemine posset, si demembrarent genus suum, et eum relinquerent, qui cognationis suę caput esset, et dominus. Cæteri iuramento fidelitatis excusabant perfidiam, nec aliquis ex sana conscientia parti illi conferebat suffragia. Denunciabat itaque Abbas eis colligationes impietatis esse sacrilegas, et prophanas conspirationes legibus, et canonibus condemnatas iuramentis non posse muniri, nec posse, nec debere veritatis Sacramenta mendacio suffragari. Insanire autem eos, qui rem illicitam sacramenti patrocinio constare existimant; cùm oporteat extraordinarias pactiones quocunque religionis obtentu sancitas reuocari in irritum, et auctoritate diuina dissolui. Auditis his, alijsque Viri Dei sermonibus, diffluebant à Petro, et quotidie partis illius dissociatis agminibus vulnera rumpebantur. Ipsius quoque Petri animus tabescebat, quia se quotidie minui, Innocentium verò crescere minimè dubitabat.* Hæc de perdito Schismaticorum statu, qui tamen magno ipsius Ecclesiæ, & Catholicorum prouentu, quamdiù Bernardus Romæ perstitit, ad Pastoris, & Ecclesiæ obsequium rediere.

Baronius an. 1137. n. 6.

Ber. Ab. in vit. S. Bern. cap. 7.

Schismaticorum ingens numerus S. Bernardi opera ad Ecclesiã reuertitur.

7. Verùm Vir Dei, vt cunctis suadendo proficeret, pro cunctis apprimè sollicitus, ac præ cunctis laborans, inita subinde cum Petro Cardinali Pisano Schismatico disputatione, conceptis rem verbis pro Innocentio egregiè adeò perorauit; vt eius quamplures dictis, argumentisquè conuicti, mox ceruicem In-

nocentio facti humiliter supplices inflecterent, ac vltrò veritatem agnoscerent: *Ad hæc (inquit) verba non vultu se posse rant, qui præsentes aderant, continere, sed abominati sunt, et vitam Petri, et causam. Abbas autem tenens manum Petri, eleuauit eum, & simul ipse surrexit: Tutiorem (inquiens) si mihi credas, intrabimus Arcam.* Et sicut iam pridem mente conceperat, *salutaribus illum aggrediens monitis, cooperante gratia Dei, protinus persuasit, vt ad Vrbem redeunti Innocentio Papæ reconciliaretur. Soluta concione Rex nec dum voluit obedire, quia S. Petri patrimonium, quod in Cassinensi & Beneuentana prouincia amplissimum est, cupidus occupauerat, putabatquè huiusmodi suspensionibus aliqua à Romanis extorquere priuilegia, per quæ in ius proprium deinceps sibi stabiliretur hæreditas. Sic Herodes visum Saluatorem contempsit, & quem desiderauit absentem, contempsit præsentem.* Signis verò Bernardus subinde miraculorum affulgens, ac desperatam ægris sanitatem diuinitus contulit, & pro Innocentio contra Schismaticos satis efficaciter causam egit.

Bernardus cum Petro Card. Pisano Schismatico disputando prævalens quamplures ab errore reuocat.

Baronius in vita S. Bernardi vbi supra n. 30.

8. Nec verò isthæc Vir Dei præstitisse contentus, suam à resecando, abolendoquè schismate manum contraxit, sed quotidie magis in Dei opere inualescens, se, ac Deo digna opere exhibuit. Mortuo quippe Anacleto Pseudo pontifice, is, qui à Schismaticis in præ mortui locum, fuerat indito Victoris nomine suffectus. Deo tandem aspirante, compunctus, summquè errorem agnoscens, Diuino Viri Dei exhortantis consilio, Pontificatu se spontè abdicans, mox supplex ad Innocentij pedes accessit, vt his Auctor vitæ S. Bernardi sic tradit: *Attamen (inquit) pars illius Anacleti Papam sibi pro illo alterum statuerant, non tam ex pertinacia schismatis, quàm vt opportuniùs per aliquam temporis moram Papa Innocentio reconciliarentur. Quod sine mora per manus Serui Dei, S. Bernardi scilicet, Christus effecit. Nam & ipse ridiculus Pontifex Petri Leonis hæres ad eundem Virum Dei nocte se contulit, & ille eum nudatum quidem vsurpatis insignibus ad Domini Innocentij pedes adduxit. Quo facto Ciuitas gratulabunda lætatur; Innocentio Ecclesia redditur; Romanus Populus vt Pastorem, & Dominum Innocentium veneratur. Abbas Clareuallensis in mira reuerentia habetur ab omnibus auctor pacis, et Pater patriæ prædicatur. Procedentem Viri nobiles prosequuntur; acclamat Populus, Matronæ sequuntur, et omnes ei prompto animo obsequuntur, etc. Igitur firmata pace, Vir Dei regreditur, & duplex exhibens gaudium, cum exultatione vniuersæ terræ suscipitur.* Sic itaq; diutina procella schismatis denique sedata est, & omni schismaticorum spe delusa, toti exoptata Ecclesiæ pacis tranquillitas & gaudium diuinitus affulsit, vt idem Bernardus his verbis: *Clerici (inquit) qui in schismate erant, simul cum idolo, quod erexerant, Antipapa videlicet, humiliantes se ad pedes Domini Papæ, obedientiam ei iuxta morem promiserunt, et facta est lætitia in Populo.* Hæc de schismaticis ad Deum feliciter traductis, quibus suam Christi famulus operam præstitit.

Baronius an. n. 1138. 4.

Victor à schismaticis ipsi Anacleto suffectus, Bernardo exhortante Innocentio subditur errorem execratus.

Ber. Bonaual. lib. 2. c. 7.

Idolo Schismatis ab Ecclesia sublato Vrbs gaudet, sibique gratulatur.

Bernardus auctor pacis & Pater patriæ prædicatur.

Bernard. epist. 120.

Clerici Schismatici resipiscunt.

9. Pœnitentia itaque sola est, quæ sua hominem quantumuis impium virtute releuat, & (quod alioqui impossibile est) immutare intus in cute ipsa in alium penè conuertere hominem diuinitus nouit; adeò vt quod Sapiens olim admirabūdus edixit: *Nūquid potest Aethyops (inquit) mutare pellem suam, &c.* Id ipsum in homine, vbi ad pœnitentiæ lauacrum compunctus conuolat, mirum dictu, adimpleri contingat. Quod sanè in Petro è Corbaria Schismaticorum præcipuo videre est, qui non tam Aethyopis pellem, quàm ipsiusmet corui nigredinem pœnitentiæ lacrymis diluendo absterſit. Cuius vt lapsus, antequam pœniteret cunctis probè innotescat. Hic praua infelix primùm vitiatus hæresi, vt scelus sceleri adderet, se Minoritis aggregando, vxorem inuitam, nolentemquè, præter Ecclesiæ morem, ac Euangelicarum tabularum præscripta dimisit; & post eiusmodi sacrificium, ac sui obligationem nouo ad maiora scelera sacrilegus impietatis cumulo, gradum faciens, Pontificatum, Ludouici Bauari potissimùm opera, ac studio inuadens idolum in Dei templo erigens se pro vero, ac legitimo Pontifice in Ecclesia gerere, Pseudocardinales creare, publicè symoniam exercere, manifestam denique persequutionis vim in Catholicum Clerum, ac Populos Christi fideles legitimo addictos Pontifici, tre-

Rainaldus an. 1330. n. 27.

Petrus è Corbaria Schismaticorum præcipuus ad Ecclesiæ asylum redit.

Quæ, & quāta ipsius scelera.

me-

merario planè ausu mouere non dubitauit. Verùm perditus homo, veluti fur, ac latro, quippè qui in Ecclesiam, & Dominici gregis ouile malis irrumpere artibus, ac Christi ouiculas perdere adnitebatur; tandem de facie tanquam lupus, ac verè hostis agnitus, habitusquè, à Romanis ad necem expetitus, turpem ex Vrbe arripere fugam compulsus est: At miser maiori se ipsum vincens, ac piaculo polluens, sceleri impietatem iunxit; adeoque in publicum repentè latronem conuersus, sacras Templorum gazas ausus est expilare. Impius itaque, immò ipsemet Pontificium thronum, & Christi locum exambiendo occupans Antichristus; cùm iam pro Christo se gereret, probris, ac maledictis Ioannem XXII. legitimum Christi Vicarium Romanum Pontificem, ipsumquè in eo Christum Dominum immanè furendo exagitans, fictitij insuper anathematis iaculo arroganter impetere non dubitauit; & Catholicis vltrò sacram, venerandamquè Petri, ac Successoris Cathedram propugnantibus: Pisanis verò Pseudopetri strenuè impietatem tuentibus, ac pro illo viriliter in acie consistentibus, Vir diù impietate, ac vitijs egregie vallatus obstitit, & sibi vtpote malè ob scelera conscius, promeritiquè metu supplicij adductus ad securitatem si quo modo captandam latebris seipsum credidit. Interim verò à Bonifacio Comite in custodia detentus, quamuis diligenter vbique perquisitus, lucemque perosus, tenebras atque angulos dignus vtpote tenebrarũ filius amabat. Caini namque par scelere, ac præ metu suæ parùm vitæ præfidens, detectus subinde, calamitatibusque attritus, & ad resipiscendum edoctus, supplicibus vltrò veniam libellis poposcit.

Vxore diuissa sceleri scelus addēs Pseudoponti ficatũ arripit

Sacrilegus aduersus Christi Vicarium censuras, & iacula intorquet.

Rainald. vbi supra;

Compulsus tandem aduersis resipiscit,

10. Spe igitur obtinendæ à Romano Pontifice indulgentiæ adductus, ptauosque intimo ex corde execratus errores, Pisis suam publicè hæresim damnare, ac palinodiam canere iussus, contriti haud obscura cordis, ac pœnitentiæ signa prætulit, ac dignum de se spectaculum Apostolicis oculis, damnatorum in morem exhibiturus, pẽdulo è collo laqueo supplicem Pontifici se obtulit, confusus adcò; vt dum conceptis in publico, ac primo Consistorio verbis, conspirationis ac suæ item conuersionis formam repeteret, interclusa penitus voce præ pudoris vi, coram omnibus, ob atrocitatem sceleris obmutuerit. Quod quidem in altero subindè Consistorio, eandem iterando confessionis formulam alta, humilique voce præstitit. Verùm dum se hunc ille in modum gerit, à Pontifice nõ secus, ac euangelicus alter prodigus filius, perditisque moribus supplex, peramanterque exceptus est. At ne nouos in Ecclesia tumultus homo noua occasione oborta cieret, cautè in custodia inclusus, non absque apertis inibi pœnitentiæ signis, documentisque publicè hæresim, ac schisma simul execrando, è vita tandem verè pœnitens abscessit.

Rainaldus vbi supra.

Pœnitens pendulo ex collo laqueo vti læsæ Maiestatis reus ad Pontificis pedes in Cõsistorio procumbit.

Obtentá à Pontifice venia custodiæ traditus ac demum pœnitens diem claudit.

11. Verùm quæ, & quanta prolapsi turpiter hominis facinora extiterint, ipse Ioannes XXII in suis literis ipsum ad pœnitentiam benignè prouocans, & efficaciter vnà simul adhortans expressit, quę si quis nosse cupit, apud Rainaldũ in suis Annalibus consulat, quæ nos haud hìc repetenda voluimus. Pontifex namque cum eo blandè, & non iam tanquam cũ hoste, sed rem vti cũ filio agens, vt emolliret, ac blandiendo alliceret, his ad eum conscriptas notis literas dedit, vt Rainaldus tradit: *Ioannes, &c. Petro de Corbaria Ordinis Fratrum Minorum, quod cœptum est laudabiliter, feliciter consumare*. Hæc enim primum ad eum Pontifex scripserat, cum redditis ille sibi Pontificijs epistolis, carceri mancipatus, se ex corde ab erroribus resipuisse eidem intimasset; Primæuam etenim tunc illi Pontifex conditionem ob oculos proponens, nec tam personam confundi, quàm errorem corrigi peramanter cupiens, his ipsum verbis conuenit: *Tuæ quidem* (ait) *personę conditio reddit offensam vtiq; multiplicitur grauiorem; eras enim Vir Religionem professus subditam singulariter Apostolicæ Sedi: Vir ætatis prouectæ, Scripturæ diuinę nequaquam inscius, atque diù moras traxeras in Religione prædicta, &c.* Quibus pręmissis consultò ad reliqua sermonem inflectens, à Religioso statu, ac sublimioris vitæ professione lapsũ, eiusdemque acerbiorem ruinam deplorat, quò magis ipsum, vt par est, ad pœnitendum inflectat, vbi demum hæc addit: *Profectò* (inquit) *fili, graues, & atroces offensæ*

Rainaldus an. 1330. n. 51

Ioãnes xxij. suis Petrum literis ad pœnitendum alacriter excitat.

Io. XXII. to. 7. p. epist. sec. lect. pag. 8.

Pontifex ipsi Religiosũ vnde eccido rat, statum, & mores pristinos in mẽtem reuocat

Io. 22. vbi supra.

fensę sunt istę, & tamen hæc omnia Bonitatem Dei non retrahunt, quin de tua salute sollicita, & quin cor tuum, vt defectus suos recognoscat, illumines, vt sic pedes tuos ad viā veritatis conuertere non omittas, etc. Blandis igitur Pontifex aberrantem turpiter hominem appositè dictis demulcēs, ad tutum Ecclesiæ sinum, paternæ charitatis pertrahendum zelo curauit.

12. Atquì Corbarius, quàm intimè, quàm seriò admissam hæresum, ac schismatis; noxam sit execratus, ex eo liquet, quod aduersis, dum adhuc in carcere detineretur, luculenter Dei beneficio edoctus, vbi nullum sibi patere vidit effugium, Pontificiam pro venia benignitatem humiliter sibi interpellandam ratus, pœnitentia adductus, datis ad Ioannem literis, sacrilegum assumpti Antipapatus crimen agnoscens, ac Ioannem verum Christi in terris Vicarium cōfessus, suam his planè verbis resipiscentiam testatus est: *Reuerendissimo, ac Sanctissimo Patri, & Domino, Domino Ioanni Papę Sacrosanctæ Romanę Ecclesiæ Frater Petrus de Corbario dignus omni pæna, se ipsum ad pedes cum reuerentia verę subiectionis.* Quibus sanè manifestum pœnitentiæ palam cunctis testatissimis verbis testimonium hunc in modū profert: *Licet* (inquit) *secundum canonem euangelica veritatis, qui non intrat per ostium in ouile gregis Dominici, fur appelletur, & latro rapacitatis lupinę, audiens, & considerans diligenter tanta enormia scelera prauitatis hereticæ stylo ferreo exarata in vngue adamantino, quanta dicebantur à multis de vestra solida fide, sicut præsumptuosus, temerarius, & superbus ascendi super astra Cæli Ecclesiastici, vbi mihi meis peccatis exigentibus parata fuit sedes iniquæ Prælationis: sed postquam deueni ad territoriū Pisanum, & quæsiui diligentissimè de prædictis, & inueni, quod obliqua erant, & falsa, & deficiebant in pondere veritatis, dolui, & doleo vehementer, & pænitet, me fecisse, quæ feci contra iura, & leges Sacratissimi nominis de consilio peruersorum. In cuius rei testimonium iam est annus completus, quòd aduersarium vestrum dimisi spontè, & Sedem mei præsumptuosi culminis dereliqui: & propono firmiter in Ciuitate Pisana, & etiam in Vrbe, & vbique locorum renuere, idest abiurare in scelus, secundùm quod vestra benignissima Sanctitas decreuerit ordinandum. Et quia grauissimè peccaui, & erraui patenter in inuio, & non in via, supplico vestra clementissimæ pietati, quatenus mihi maximo peccatori dignemini parcere secundum multitudinem magnam misericordiæ Dei viui, vt rediens ex totis visceribus reliquias deleam, & annihilem supradictorum de cordibus vniuersorum fidelium, & ora claudam omnium obloquentium de vestra serenissima Sanctitate, & Ecclesia Dei de cætero sit vnus Pastor, & vnum ouile pro pace totius Populi Christiani. Datū in confinibus Lucanorū.* Hæc Petrus ad legitimum Petri successorem, dum mancipatus carceri teneretur, humilis, deiectique animi verba suis ipsum scriptis conueniens protulit, qui iampridem Ludouici Bauari potentia fretus, abductusque, Romano petulanter Pontifici insultare, suisque ipsum dicterijs per iocū proscindere, ac Ioannem insuper è Caturco hæreticum, atque exauctoratum dicere non dubitarat. At quem ipse acerbis verborum iaculis exacerbando, iuratum velut hostem habuerat, amantissimum postea Patrem, haud amarulentum sceleris vindicem expertus est. Pontifex quippe redeunti quantocyus occurrere, ac supplicanti pro contumelia osculum exhibere paratus, his ad eum per epistolam verbis respondit: *Sano* (ait) *tibi suademus consilio, vt mora cuiusuis vinculis interruptis, & laqueis, de tenebris ad lucem, & de morte ad vitam exire, ac peruenire festines, nihil hęsitans; quin nos, si compensaueris facta dictis, reperies Patrem pium, benignū, & propitium, & omnium iuarum immemorem offensarum.* Hæc ille.

13. Porrò vbi Petrus iam pœnitens solemni ritu Pisis Antipapatum eiurauit, omnia à se hactenus in Christi Vicarium impiè dicta, gestaque condemnans, ad Ioannem directus est, apud Apostolicæ Sedis subsellia acerbi noxam schismatis expiaturus, quē alijs itē editis literis Niciæ cōmorantem, his Ioannes Papa verbis gratulabūdus conuenit: *Læti* (inquit) *percepimus, hodiè te iter spontaneè prosequentem ad nostram veniendi præsentiam, latum, & incolumem Niciam peruenisse. Profectò, fili, talis aduentus cor nostrum exultatione repleuit, & gaudio non indignè, &c.* Quibus narratis, hæc appendicis instar

Extant inter te in Pontificat: litera 1.7 ρ3, secret. p.8.

Petrus se carceri mancipatum, & nullam fugæ spem superesse videns, inde compūctus veniam poscit.

Literæ ipsius supplices ad Pont. pœnitentiæ ipsius ac doloris testes.

Schismatis noxam dolēs execratur.

Culpæ reatū agnoscens, & grauitatē expendens humiliter veniam poscit.

Epist. sec. om.2. par.2.

Pontificem, quem Petrus infensum prius hostē habuit, Apostolicum patrē experitur

Tom.7 Ep sc. secret. p:2; p:12.

Pontifex Petro de ipsius ad Ecclesiā reditu, ac pœnitentia gratulatur.

star

Pœnitens non iam hostis, sed filius à Pontifice habitus

star sub finem Pontifex ouiculæ salubriter adinuentæ gratulabūdus subdit: *Gaude ergo, fili, in Domino, qui de tantis malis te liberauit, & periculis, & gratiarum actiones non cesses agere: lætusque ad nos venire festina, sciturus indubiè, quòd nos pium Patrem, & clementem reperies, præterita in memoria non tenentem; sed te tractantem sicut charissimum filium, & specialem amicum. Datum Auen. 5. Id. Augusti. An. XIV.* Hæc illi Pontifex.

Ioannes Villanus lib. 10. cp. 164. & lib 7. cap. 13.

Pœnitentis insignia, quibus se Pontifici supplicē exhibet.

14. Petrus itaque postquam suum publicè erroris retractauit excessū, quod Pisis iam egerat, Auenionem denique perueniens, ac Pontificias subintrans Aedes, fune sibi collo iniecta (vt Villanus tradit) summa compunctus animi demissione Pontificijs aduolutus est pedibus, seque hæresi turpiter contaminatum cōfessus; dum Bauaro, qui eum Pseudopontificem crearat, sua malorum vtpotè auctori priora flagitia tribuens, ac exhibitum OrbiChristiano à se postea immane scandalum intimè execratus, optatam implorando misericordiam à Christi Vicario consequi meruit, vt conscriptæ in Pontificio Consistorio tabulæ, Rainaldo teste fidem cunctis faciunt. At Petrus sui manifestum animi dolorem cunctis fieri cupiens, vbi primùm ante Pontificis oculos Auenione in publico Consistorio videndum se obtulit, supplex veniam imploraturus, suum planè illis verbis sermonem auspicatus est: *Pater* (ait) *peccaui in Cælum, & coram te, & iam non sum dignus vocari filius tuus, &c.* Et suum subindè errorem amarissimis execrari verbis non destitit. Porrò ne Vir, & si tunc pœnitens, instabilis forsitan ad vomitum posthac rediret, Pontifex tum eius saluti, tum publicæ Christianorum quieti consultum volens, sub honesta hominum custodia apud se in Pontificio Palatio retinuit, vt Bernardus sic tradit: *Præfatus* (inquit) *Petrus fuit clementer, & misericorditer susceptus ad pœnitentiā, positus in decenti custodia ad cautelam, vt probaretur, an ambularet in tenebris, vel in luce, ibique hodie, quo hec scripsimus, tractatur vt familiaris, sed custoditur, vt hostis.* Petrus quippe, qui Dei præuentus gratia iam ex intimo corde anteactos vitæ errores, & scandala insuper amarissimè flebat, & qui carcere, non secus, ac fido pœnitentiæ sinu, ac virtutum schola, nec non, & opportunè ad expiandum salubriter conscientiæ reatúm officina, & calamitatū insuper inter aduersa suū post lapsum magisterio edoctus; postquam tres annos, & mensem vnum laudabiliter carceri mancipatus exegit, Petri, cuius nomen gerebat, flendo iugiter, ac pœnitendo, vestigia laudabiliter sectatus, morbo, ac senio tandem confectus, piè tum culpis, tum carne solutus diem clausit, & in Minoritarum Ecclesia, sacra Franciscani Ordinis veste, ac ritu indutus, sepulturæ locum, & apud Deum culparum indulgentiam obtinuit.

Prodigi filij verbis se indignum vocari filium protestatur.

Rainaldus an. 1330. nu. 16.

Bernard. vit. Io. 22. apud Bosquium.

Carceri ob cautelam, & probationē traditus.

Petrus Petri Apostoli exemplo vsq; in finem pœnitens decessit.

Schismata magno semper Ecclesiæ detrimento coalescunt, & haud facilè extinguuntur.

15. Quoniam verò ingenti plerumq; totius Ecclesiæ, nedum sui, ac aliorum insuper detrimento ab Inferis inter Catholicos schismata emergunt, ac vbi semel propagari cœpere, vix vnquam facilè aboleri contingit; hinc profectò ipsius maximè acerbitas noxæ seipsa proditur, vt alijs item exemplis videre est. Quapropter Iacobus Cardinalis Vrsinus, qui suis non parum laudibus, meritisque detraxit, dum in Vrbani VI. schismate, licet de Vrbani Pontificatu, ac de ipso visibili legitimo Ecclesiæ capite rectè (vt par est) sentiret; ad ipsum tamē vti suū ad Pastorem ouicula redire distulit, quo ingens de se cæteris offensionis scandalū præbuit, qui item aliquando à B. Catharina Senēsi per literas socordiæ, ac superbi simul fastus iure meritò obiurgatus, reuerti ad Vrbanum noluit, affirmans, pro dirimenda eiusmodi à fidelibus controuersia Concilium Oecumenicum necessariò cogendum: adeoque Reges, vt eiusmodi Synodo fauerēt, adhortatus iugiter est, haud tamen ob id Vrbani Pōtificatui ac legitimis iuribus à se detrahi, iam moriturus palā edixit; hæc enim de eo apud Rainaldum: *Oppressus est* (ait) *morbo hoc ipso anno in eodem Taliacotiano Oppido Iacobus Vrsinus, qui antequam è viuis discederet, publicè Notarij manu conscriptis monumentis reliquit, se vnà cum Petro, & Simone Cardinalibus sentire, ad schisma abolendum, Synodum œcumenicam celebrandam, atque eum Pontificem agnoscere, qui in Concilio Pontifex pronunciaretur.* Hæc Auctor.

Iacobus Car. Vrsinus schismatis culpa notatus.

Rainald. an. 1378. nu. 4. 5.

Rainald: vbi supra extant tom. 2. de schism. pag. 22.

Culpæ reatum agnoscens sub vitæ finē schisma execratus;

16. Iacobus igitur in conscripto Notarij manu libello, sic tandem pœnitens conclu-

conclusit: *Ego* (inquit) *me illum pro Papa tenere fateor, & teneo, qui per Sanctam Matrem Ecclesiam, & Concilium fuerit approbatus. Etsi verbo scripto, vel opere aliquid vnquam fecerim, vel dixerim contra illum, qui sic declaratus fuerit, fateor, me errasse, & correptioni, & determinationi Sanctæ Matris Ecclesiæ, & Concilij me submitto, & ex nunc humiliter veniam peto.* Quamuis verò Vrsinus isthæc posteris scripta reliquerit, ipsum tamen rectè de Vrbani VI. Pontificatu, ac legitima ipsius auctoritate sensisse Viterbiésis Episcopus docet, qui omnimodam facti rationem ab ipsius iam morituri ore se accepisse publicis hunc in modum tabulis testatur: *In Taliacotio* (ait) *vbi mortuus est dictus Dominus Iacobus de Vrsinis scilicet me præsente, habui ante mortem suam per duos menses, videlicet die 22. Augusti cum ipso Domino meo Iacobo ista verba: Reuerendissime Pater, bene credo fideliter tanto tempore me seruiuisse vobis, quod non negabitis mihi vnam gratiam: & ipse respondit; certè nihil negabo tibi, quod concernat personam tuam. Tunc dixi sibi: ego peto, vt dicatis mihi, si erro in adorando Dominum Vrbanum VI. pro Papa; quod si errarem, ego vellem deponere errorem meum, quia magis diligo animam meam, quàm ipsum. Tunc ipse respondit: Certè, immò erraret, si non adorares, quia ipse est verissimè Papa: Tunc ego dixi sibi: quarè ergò non redistis ad ipsum: ipse respondit: Quia via Concilij videtur mihi vtilis pro eo, pro me, & pro tota Christianitate.* Sic profectò Vir tantus vt cautè schismatis notam euitaret, sibique, ac Ecclesiæ probè consuleret, quòd rectè de Pótifice Vrbano sentiret, & quòd Concilij insuper pro vniuersalis Ecclesiæ bono necessaria foret auctoritas cunctis sub mortem veritati calculum ferés manifestè edixit; & hæc vel obiter narrasse voluimus.

Vrbanum legitimum in Ecclesia Pontificem fatetur.

Extant to. 2. de schismate pag. 76.

Viterbiensis Episcopi testimonio Iacobi oraculum confirmatur.

Cur Cardinalis Vrsinus pridem ad Vrbanú non rediret.

17 Perniciosum denique Schismatis piaculum, quod sola dumtaxat ignorantia facti excusat, condignis hìc interim pœnis, sed acerbiori in altero sæculo animaduersione plectitur. Quando quidé id excerptis ab historiarú promptuario exéplis liquet: Petrus quippe Lucemburgensis adolescens septendecim circiter annorum, nedum rigidus pœnitentiæ cultor; sed & innocentioris vitæ meritis apud Deum clarus, cum à Petro de Luna Pseudopontifice inter Cardinales, qui aduersus Vrbanum huius nominis Sextú legitimum Christi Vicarium pro ipso in acie stabant, adscriptus: haud tamen schismatis apud Deum reus habendus, ac pronunciandus videtur; quia Petrum videlicet, humano abductus errore, verum reputabat Pontificem: *Non aliter* (inquit Rainaldus) *quàm B. Vincentius Ferrerius, diù Petrum de Luna Antipapam, errore ductus, veneratus est; hos enim, & similes* (*vt idem ait*) *qui in Ecclesiæ Catholicæ communionem per Baptismatis sacramentum admissi, ob inuincibilem ignorantiam, nunquá schismatis flagitio se dedita opera deuinxere, fuisse Catholicos, quantùmuis inter schismaticos, quos tales non norant, agerent, censet S. Antoninus his planè verbis: Peritissimos* (inquit) *Viros in Sacra pagina, & iure Canonico habuit toto tempore illo, quo durauit schisma vtraque pars, seu obedientia, ac etiam religiosissimos Viros; & quod maius est, etiam miraculis fulgentes, nec vnquam sic potuit quæstio illa decidi, quin semper remaneret apud plurimos dubia: Nam etsi necessarium sit credere, sicut vnam esse Catholicam Ecclesiam, non plures, ita & vnicum eius Pastorem Vicarium Christi iuxta illud Ioannis X. fiet vnum ouile, & vnus Pastor; tamen si contingit plures per schisma creari, seu nominari Pontifices Summos vno & eodem tempore, non videtur saluti necessarium credere illum esse, vel illum, sed alterum eorum, qui scilicet fuerit canonicè assumptus: quis autem fuerit canonicè electus non tenetur quis scire, sicut nec ius canonicum; sed in hoc Populi sequi possunt maiores suos, seu Prælatos.* Hæc ille. Petrus igitur Lucéburgensis inter præcipuos Vrbani aduersarios adhuc iuuenis educatus, in re admodú dubia Cócilij œcumenici séntétiæ stare promptus, paratusq; errorē diuino item illustratus lumine facilè sub extremam vitæ periodum damnare potuit; cuius sanè rei haud absimile, vt probè Rainaldus edisserit, in Paschasio Romanæ olim Ecclesiæ Diacono eximiæ sanctitatis Viro exemplum suppetit, qui Laurentium aduersus Symmachum Papá sequutus, antequam è vita abiret, facti pœnitens ex corde resipuit, ac post mortem miraculorum insuper signis enituit, quamuis ad diluendam eiusmodi labem acer-

Scientes legitimum Pótificem, nec adorantes, rei apud Deú schismaticorum culpæ.

Rainald. an. 1387. nu. 11.

Petrus Lucemburgensis adolescés rerum ignorantia abductus haud culpandus, nec similes ex S. Antonino.

Viri insignes & miraculis clari in id, quandoque prolapsi.

Ioan. cap. 10.

Rainald. vbi supr.

Paschasius Rom. Ecclesiæ Diac. eximiæ sanctitatis aduersus Symmachú aliquando stás, pœnitens demum decessit.

S. Gregor. Dialog. 7. lib. 4. cap. 40. Baronius an. 98. n. 3. 8.

acerbiores subindè in altero sæculo pœnas exoluerit.

Molanus in nata. SS. Bel gij.

18. Petri verò Lucemburgensis miraculis clari mirâ ex historia Lutzemburgica in pœnis spontè assumendis austeritatem Molanus recolens, his verbis meminit: *Migrauit* (ait) *per mortem ad vitæ auctorem circa annum decimum octauum ætatis, Anno Domini M.CCC.LXXXVII. die 2. Iuly, abstinentijs, & disciplinis attritus: quinta autem die sepultus est Auenione in Cœmeterio, vt ipse voluit, S. Michaelis, vbi nunc est Monasterium Fratrũ Cælestinorum de Lucemburgo, in quo S. Petri meritis infra duos annos nongenta, & sexaginta quatuor leguntur miracula contigisse.* Vir igitur austerioris vitæ sectator, ac virtutibus præstans, quia tamen rei omnino ignarus, tutus dum viueret, ac omnis expers culpæ, à Schismatis labe immunis extitit; vel certè iam moriens culpam, si quæ adfuit omnem pœnitentia diluit, ac ingenti contritionis dolore cõpunctus deleuit, qui & tantis postmodum signis à Deo illustrari promeruit. Sed de his hactenus.

Petri sanctitas vitæ austerioris cultu, & miraculorum signis diuinitus asserta

Nongentis, & sexaginta quibus miraculis biennio illustratus.

CAP. XXI.

Apostatæ, & a Religiosorum Ordinum claustro transfugæ.

Grande piaculum acceptis vltrò à patre beneficijs ingratum esse, & vitiosè patrimonium prodigere.

1. Grandis profectò culpæ reatus, immane piaculum, & intoleranda prorsus iniuria, si quis acceptorum immemor beneficiorum ingratusquè insuper donis sibi vltrò exhibitis, non nisi prauis abductus amoribus paterna Domo exiliens longinquam in Regionem, turpiter ibi, ac luxuriosè cũ meretricibus viuendo, & quod accepit patrimonium, dissipaturus contendat. Quod sanè perditus ille filius in Euangelicis tabulis cognomento prodigus olim per scelus, ac infamia notatus præstitit, qui bonis abundè diues paterna è domo recedens, nudus illuc postea redijt; & qui pridem rerum copiam, ac ventris saturitatem inter domi delicias nouerat, egere postmodum inter extraneos cœpit, adeoquè *cùm saturari* vt Lucas (inquit) *de siliquis porcorum cuperet, nemo illi dabat.* Haud opportunè igitur infelix, sibique parum constans, ac prouidus in Regionem longinquam profectus: *Quid enim longinquius* (vt Ambrosius ait) *quàm è se recedere? nec regionibus, sed moribus separari: studijs discretum esse, non terris, & quasi interfuso luxuriæ sæcularis æstu, diuortia habere Sanctorum? Etenim qui se à Christo separat, exul est patriæ, Ciuis est Mundi.* At illud sanè in insano capite mirum, quòd miser tunc primùm sapere iuuenis didicit, quando egere, ac esurire amplius cœpit. Sana quippè vel serò mentis consilia in arena capiens, festinus de reditu ad Patrem tunc maximè cogitauit: *Quanti* (inquit ille) *mercenarij in domo Patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereo* Quæ quidem apte Chrysologus verba expendens: *Beatum* (ait) *se reputat, si vel in seruorum numerum recepi mereretur.* Ita planè. Tunc primùm paternæ vbertatem domus, ac suam vnà simul, qua pridem perfruebatur, sensit felicitatẽ expertus: *Fames quippè* (Chrysologo Teste) *reuocat quem à domo Patris saturitas extorrem fecerat.* Quid verò postmodum sibi opportunè consulens, ac suę pertæsus egestatis inter angustias, calamitatesque ferre haud sustinens, sapido planè consilio decernat, audiamus: *Surgam* (ait) *& ibo ad Patrem meum; Sed qua spe?* (inquit Crysologus) *Qua fiducia? Illa, qua Pater est.* Dum solis igitur miser ærumnis, ac malorum diues pœnisquè redundans domumnudus regreditur; redeuntem à longè Genitor ipsum conspicatus, in illius protinus oscula, atque amplexus ruit, ac pristinis ipsum festiuis indui vestibus iubens, annulo insuper donat, ac nuptiali lætus conuiuio magna totius domus lætitia excipit: *Proferte citò stolam primam, & induite eum, et date annulum in manu, et occidite illi vitulum saginatum.* Quo sanè pia Patris erga filium viscera dissimulandi amoris nescia sic cunctis produnt; dum vel in perditum, morosumquè filium ipse, non tam verberibus, quàm osculis, donisquè redeũti adblandiens, nec aliter, quàm benefaciendo animaduertit. Enimuerò *Sententiam* (ait Chrysologus) *citò vertit in veniam, qui redire cupit filium, non perire. Sic Pater indicat, sic emendat, sic peccanti filio*

Luca cap 15.

Ambrosius lib. 7. in cap 15. Lucæ.

Prodigi in Euangelio filij exemplo res comprobata.

Luca c. 15.

Chrysol. in Luca cap. 15

Sero calamitatibus edoctus sapere, & malis serò remedium quærere discit.

Luca cap. 15

Chrysol. vbi

Chrysol. vbi sup.

Luca cap. 15

Domum redeuntem, vnde exierat, & redeundo pœnitentiã culpæ exhibet, quam apostatando incurrit.

Chrysol. vbi sup.

filio dat oscula, non flagella. Pietatis quippè Genitor haud indignationis filio argumenta intus in corde seruabat.

Peniteus filius benignè à Patre exceptus.

2. Pœnitentiæ itaque virtus est, quæ filium denique ad Patrem magna redeuntem fiducia, ac certa simul indulgendæ sibi spe veniæ suffultum, è longinquo in domum reuocat, paternis iam donandum, tum osculis, tum amplexibus, in pristinæ gratiam felicitatis restituit. Enimuerò hic vnus primum in se ipso Apostatantium, ac pœnitentium subinde formam sic cunctis ad viuum expressit; vt aptè, meritoquè ipsi illud Apostoli verbum occinat: *Vbi superabundauit* (inquit) *delictum, superabundauit et gratia*. Quò sanè mortalium quisq; ipsius exẽplo edoctus intelligat haud vllum fore delictum, quod non continuò apud Deum pœnitentiæ lacrymis expietur, & cui non prompta, ac facilis ipsius vltrò gratia miserentis arrideat, iuxta id quod ipse olim Tertullianus peccatorem in Prodigo filio agnoscens contemplando affirmat: *Et si nudus* (ait) *redieris, recipiet, magisque de regressu tuo, quàm aliorum societate latabitur*. Tantum quippè homines ad pœnitentiæ subsidia conuolantes diligit, vt indulgere magis, quàm irasci, & parcere potiùs, quã vlcisci percupiat: Deus etenim *non putat à se aliena lucra nostra; chariorem quippè senserat, quem lucrifecerat*. Ideoque prodigum sibi vtpote charum opiparo cõuiuio excipiens, de illius reditu præ cunctis gestit; sed vt hinc narrandi de Apostatis initium sit.

Apost. epist. Rom. 5. 20.

Pater de filij post ærũnas regressu gaudet.

Tertullian. lib. de pœnit. cap. 38.

Chrysol. vbi supra.

Redeunti oscula dat, non flagella ex Chrysologo.

3. Atrox quidem in primis Apostasiæ piaculum est, sed ex hoc immensam Dei magis, magisquè benignitatem satis, superque mirari contemplando quis valet. In ipsum etenim Deum praui desertores eiusmodi æquo Basilij calculo peccare cumprobantur: *Qui factam* (inquit) *à se professionem resciderit, perinde aspici debet, vt qui in Deum peccauerit, quem videlicet professionis suę testem adhibuerit, cuique solemni se voto obligarit*. Quibus isthæc subinde sceleris atrocitatem inculcando, addit: *Qui se ipsum* (inquit) *semel deuouit, is si ad aliud vitæ genus transeat, sacrilegij se scelere obstrinxit. Quippè qui se ipsum Deo, cui se consecrauerat, veluti subfuratus sit*. Oppignoratam quippè Deo fidem, se ipsum rem vti sacram per scelus suffurando lædit vel ipso impius, ac sacrilegus facto renunciandus. Tanti autem momenti reatus eiusmodi apud Deum censetur; vt vel animo, si non dum corpore, ac mente, si nondum facto, à semel Deo promissis resilire, non nisi acerbissimis sit pœnis vltrò plectendus. Quapropter id suis maximè timendum, præcauendumquè Bernardus aliquando inculcans: *Quid vobis* (ait) *vltrà pauendum est? Vnum vtique, iamquè grauissimum, peccatum Iudæ, peccatum Apostasiæ &c. Hoc, inquam, omnino timendum est, nequis aut corde solo, aut etiam corpore ad vomitum reuertatur: legimus enim de filijs Israel, quòd corde reuertebãtur in Aegyptum, nam corpore reuerti, clausum post eorum talos rubrũ Mare prohibebat*. Porrò suis Vir Dei quo quomodò à Deo recedentes verbis iustissimè carpens, ipsorumquè infidelitatẽ meritò redarguens, vt Apostasiæ notatos crimine, quibusuis dignos pœnis proculdubio renunciat: *Hoc est* (inquit) *quod vehementer singulis quibusque timendum est, ne quando eatenus Deum offendat, vt manifestè abijcantur, si pudor neget apostasiam corporis, tepor ipse paulatim ingerat apostasiam cordis, vt videlicet in habitu Religionis cor sæculare gerant*. Meritò igitur suis, velut à crimine omnium maximo procul ipsos fieri Bernardus cupiens timendum indicit, adeoquè sic sermonem prosequitur: *Latos* (ait) *vos volo, sed nondum securos, etc.* Quod certè nonnulli, qui temerè ad sæculum è Claustro aufugerant, animaduertentes, Diuino pœnitentiæ magisterio adducti ad Christi, & Religiosorum subindè hominum Castra quamprimùm se recipere studuerunt, ibiquè vitæ cursum feliciter consumarunt.

Apostata grauiter in ipsum Deũ peccat, cui seipsum deuouit ex Basilio.

Basilius in regul. interrog. 14.

Basilius vbi supra.

Peccatum Iudæ, apostasiæ peccatũ cõpurandũ ex Bernardo

Bernardus ser. 3 in psal. qui habitat.

Bernardus vbi supra.

Bernard. vbi sup.

Diabolus Dei seruis tẽporem immittens Apostasiam paulatim ingerit.

4. Vt narrandi igitur initium faciamus, atrocioris quidem noxę piaculum est ab arrepto semel Religiosæ vitæ proposito resilire, & oppignoratam Deo fidem, ad vanas Mundi illecebras, & sæcularia vota per scelus redeundo infringere, quod vel suo olim exemplo Adelphõsus Hispaniarum Rex cũctos admonuit, qui non nisi, vt resipisceret, ac suum

A d elphonsus Hispaniarum Rex à Monastico instituto deficiens oculis orbatur.

suum, ad pœnitentiã confugiendo, culpæ reatũ expiaret; ingenti demũ suis orbatus oculis calamitate perculsus est, de quo isthæc Baronius: *Hoc anno* (inquit) *idest 926. Adelphonsus Quartus huius nominis Rex in Hispania spontè se abdicans, vitam monasticam amplexus est, Ramiro relinquẽs Regnum, de quo superiùs; sed cùm desertor Sacræ militiæ factus, recuperationi Regni operam daret, ab eodem Ramiro captus, oculis orbatus est, qua etiam pœna mulctati sunt tres filij Troilæ defuncti Regis, cùm aduersus eundem Ramirum insurrexissent, quod fieri contigit anno Redemptoris nongentesimo trigesimo. Porrò Ramirus patratæ sæuitiæ pœnitens, delictum bonis operibus expiare curauit, Monasteria erigens, multaquè donans Ecclesijs.* Hac & iusta siquidē Adelphonsus à Deo animaduersione expetitus, vt qui temerè ab arreptis Religiosæ vitæ Institutis recedens, ad sæculum redire ausus fuerat, nonnisi altam funesta oculorum amissione in sæculo mentis caliginem, calamitatesque pro mercede reciperet; & qui supina altiùs mente cæcutiebat, oculorum orbatus lumine futura disceret, saperetque, & vel dum tenebrosum negotium malè peragit, tunc maximè suam in pœna culpam videret, ac ipsius cæteri exēplo proficerent. Quo illa Gregorij verba ipsi occinerent: *Quia quidam cæcantur, vt videant.* Et certè ipsius documento alijs quoque ad pœnitentiam demonstrari viã contigit; vt enim Chrysostomus ait: *Quanta vincula promittere Deo: et non soluere?* Ita planè.

Baronius an. 927 nu. 3.

Ob apostasiæ, ac sæuitiæ culpã pœnitens dignè Deo facere satis contendit.

Gregorius in moral.

Chrysost. in hom.

5. Regio autem huic Apostatæ (cuius mentio incidit) alij item nonnulli è sacro Minoritani Ordinis Cœtu transfugæ iungendi sunt, inter quos Stephanus Vngarus nobile & dignum compūcti cordis, ac verè pœnitentis animi se cunctis exēplar præbuit; dũ ex vili Apostata in Apostolicũ subinde virũ, & Christi Martyrẽ immutatus, pœnis, quas pro Christi fide vltrò, libenterquè subijt, anteactas omnes vitæ culpas salubriter expiando, inter Beatos Christi Martyres adnumerari promeruit. Enimuerò vt rem altiùs repetamus; *Dum aduersus Idololatriam, ac Mahumeticam maximè superstitionem*, (vt Rainaldus in suis Annalibus tradit) *Prædicatores, ac Minoritæ pugnarent, interdum accidebat, vt plures gloriosissimè vincerent, palmamquè triumphalem martyrij referrent: nonnulli verò ab hoste sauciati caderent, obscænarumquè voluptatum lenocinijs deliniti, Mahumeticam superstitionem amplecterentur. Inter hos Bonacursius, et Philippus Ordinis Prædicatorum, et Iacobus Pistoriensis Minorita, cum incauti voluptate vinci se passi essent, et metuerent; ne suis Præpositis criminum pœnas darent, acti in desperationem, in Mahumeticam spurcitiam, eiurato Christo, se præcipites coniecere, versiquè in hostes, suis argutijs fidem oppugnarũt.* Hæc ille; at illud quidem planè mirãdum, quòd hominibus à supremo Religiosæ, obseruantiorisq; vitæ apice miserandum in modũ prolapsis, ac in fœdas carnis fæces demersis, Dei miserentis lumen desuper demum affulsit, eiusdemquè præpotens dextera ipsos ab ore putei propitiando misericorditer educens, ad sui agnitionem, ac tutum Ecclesiæ sinum feliciter perduxit, vt aptè rem totam Ioannes Papa XXII. in suis Apostolicis literis hunc in modum prosequitur: *Pro certis (inquit) culpis tunc ab eis instinctu maligno commissis ob fragilitatem eorum carnis, ipsorum spiritum superantis, vt euaderent eiusdem Ordinis disciplinam, in mortiferæ corruerunt desperationis abyssum, & se se in potestatem Saracenorũ easdem partes (nimirum imperij Vsbechi) colentium transtulerunt, et tanquam exhominati ex priuatione nobilis intellectus, et mentaliter obcæcati, ritum ipsorum Saracenorum obscænum, et abominabilem assumpserunt, cultumquè professi expressè fuerunt execratissimi Mahumetis, et se se more Saracenorum eorundem circumcidi fecerunt, seù permiserunt, supra dicta fide verissima publicè abnegata. Præfati quoque Bonacursius, et Philippus, qui anteà satagebant infideles prædictos rationibus veracissimis superare, et ad fidem conuertere prælibatam, iacentes in volutabro peccatorum, Christi fideles in dictis partibus existentes, et ad eas etiam accedentes, suis falsis, et sophisticis argumentis confundere, ac persequi coram eisdem infidelibus damnabiliter sunt moliti; ex quo fideles ipsi multas, et diuersas contumelias pertulerunt.* Hæc ille de misero, ac deplorando subuersorum religiosorum hominum statu; sed hi postmodum Deo

Stephanus Vngarus vnà cũ alijs ex Minoritana familia Apostatis crimen sanguine expiat.

Rainald. an. 1333. nu. 44.

Bonacursius & Philippus Prædic: Ord & Iacobus Pistoriensis Minorita apostatantes à fide postea repetã Mahumeticam superstitionē resipiscunt.

Ioannes Ep. XII. epist. 13 Rainaldus vbi sup.

Circumcisioni seipsos per scelus subdunt.

aspirante, pœnitentiæ tabulam arripientes, dum patrati eosdem facinoris pœnitet, & ex corde dolent, veniam sibi à Romano Pontifice humiliter postulantes, paterna Pontifex charitate complexus, haud ipsos perire sustinens; sed lucrari cupiens, datis ad Prædicatorum in Insubria Præpositum literis, eidem iniunxit, vt Bonaccursium, & Philippum, & Minoritarum Etruscorum Præfecto, vt Iacobum, ac cæteros corde compūctos impertita venia, Ecclesiæ conciliaret, vt Rainaldus in suis Annalibus tradit.

Tandem resipiscētes ad Ecclesiæ sinum reuertuntur.

Rainaldus vbi supra.

6. Cùm igitur Religiosi Viri miserè adeò lapsi, Dei aspirante gratia, à malis resipiscerent, & ad ipsum totius Ecclesiæ Pastorem, perditæ velut ouiculæ, aberrantesquè redirent, magnum de se ac imprimis prædictus Stephanus pœnitentiæ documentum pretulit, de quo Rainaldus isthæc ex Vvaddingo in suis paginis: *Clarius* (ait) *pœnitentiæ, et constantiæ fidei statuit trophæum Stephanus Vngarus Minorita in Vrbe Saray martyrij corona redimitus, cum primò voluptate corruptus, metuquè Religiosæ disciplinæ exterritus, ac Dæmonum, qui se illi obijciebant, victus insidijs, ad Mahumetanos defecit. Tum flagitij pœnitens, publicè impiam superstitionem damnauit, varijs suppliciorum generibus affectus, restitutus est diuinitus sanitati: ardenti fornace clausus, deinde illæsus exijt. Demum in carcere bipenni ad collum sauciatus, et ferro confossus, ad rogum constanter perrexit, in quo sepè igne diuinitus extincto, à furentibus Saracenis, gladijs, hastis, securibus oppressus animam Deo reddidit, ac post mortem miraculis claruit.* Hæc ille: Ex quibus homo qui pridē ob scelus deperditæ omninò spei videbatur, Dei afflatus gratia, eum in modum erroris lapsum reparauit, suique impietatem facinoris expiasse fertur; vt martyrij corona inter pugnādum donatus, suum apud Deum cruore feliciter exitum cumulauerit, adeoquè Angelis de sua conuersione gaudium, ac nobilem sibi triumphum pepererit, iuxta illud: *Gaudium est in Cœlo coram Angelis Dei super vno peccatore pœnitentiam agente.*

Vvaddingus an. 1334. nu. 5.

Stephanus Vngarus ex hoc numero nobili martyrio Apostasiæ scelus abolet.

Publicè Maumethi superstitionē execratur, & varijs tormentorū generibus & cruciatibus pro fide Martyr euadit.

Lucæ cap. 15. Rainaldus ann. 1344. num. 13.

7. Michael item Cæsenas ex Minoritani Ordinis professore, pessimus hæresiarcha huius pariter consortio adiungitur, qui primū Ludouico Bauaro Romanorum Imperatori per summum scelus aduersus Romanum Pontificem conspirando inhærens, vnà cum Ochamo, & Bonagratia, & Henrico è Chalem item Apostatis, in Benedictum XII. à quo ob defensam, propugnatamquè ab eo viriliter fidem, non secus ac ab hæretico homine ad Conciliū prouocarat; & quàm plura, nil ipsum Christi Vicarium reueritus, impiò, ac petulantiore perfidiæ veneno perfusus, impudētissimè effutijt. Ipse namquè vnà cum socijs Dux perduellium effectus, ac perditorū signifer, Benedicto (vt Rainaldus tradit) hæreseos calumniam temere impegit, quòd videlicet decreta fidei à Ioanne XXII. hactenus edita tueretur. Perfidi quippè homines delinquendi occasione arrepta, illud disceptando statuere ausi sunt; decretum videlicet, quod à Romano Pontifice editum nuper fuerat, veluti hæreticæ prauitati obnoxium, rectè, ac licitè reijci posse, quousque à generali Concilio definitiua super hoc sententia pronunciaretur. Et impium quidem assertionis eiusmodi argumētum vel ex eo satis, superquè euincitur, quòd vti quid certū, ac indubitatum apud pœnitus orthodoxæ, ac sanæ fidei assertores sit, nemini à Pontifice, cui suprema de fidei rebus iudicandi facultas, simul atque infallibilis diuinitus inest potestas, in eiuscemodi controuersijs sententiam ferente prouocare licitum esse; adeò vt ipsius decretis standum omnino, & non aliter, quàm à Concilio oecumenico certum aliquem fidei articulum decernēte, ad aliud vniuersale Concilium appellare, immane, apertumquè nefas censetur. Hæc enim de eo, dum suis erroribus pertinaciùs hæreret, Vvaddingus: *Perstitit* (inquit) *vsque ad mortem Michael in hac sua contumacia, retinens sibi nomen Ministri Generalis, quamuis omnes fermè præter Occhamum, Asculanum, & Bergomēsem, ab eo deflexerint, & multa scripsit tum ad Fratres, tum ad Principes, & vniuersos fideles in suam defensionem. Bis appellauit Auenione, tertiò Pisis, quartò Monachi à Ioannis decretalibus, & grauaminibus. Ioannes verò 4. Kal. Decembris Anno 1329. Pontificatus 14. contra eum scripsit diffusissimum libellum incipientem: Quia vir*

Michael Cæsenas Hæresiarcha cū alijs Apostatis aduersus Romanum Pontificem insurgit.

Ad Concilium generale per scelus appellat.

Nemini à Romano Pōtifice ad Cōcilium appellandi ius est.

Lucas Vvaddingus to. 3. Annal. ann. 1344. n. 6.

Minister Generalis nomen ad vsurpans in sua malitia diù cōtumax in Ecclesiam perstitit.

vir reprobus, &c. Quibus temerè Cæsenas pro sui defensione libellos,& pro incusando Pontifice,liuore perculsus, perfido calumniarum veneno refertos scripsit; quos si quispiam probè nosse vult, apud Vvaddingum in suis Annalibus consulat.

8. At Michael, qui in turpis adeò hæresis foueam præceps, hæreticorum quoque antesignanus euaserat; sub extremam vitæ periodum, Diuino afflatus lumine, serò tandem in se reuersus, prauosquè errores humiliter agnoscens, palinodiam recantauit, & ex intimis præcordijs hæresim, quam docuerat, execrando, resipuit; Cuius postmodum exẽplo Franciscus item Asculanus Minoritæ inhæsit, vt Lucas Vvaddingus in suis Annalibus disertè his verbis affirmat: *Obijt (inquit) hoc anno (idest salutis M. CCC. XLIV.) in Vigilia S. Andreæ Apostoli frater Michael Cæsenas post tot annorum pervicaciam, tandem pænitens, & pertæsus, quòd Summorum Pontificum non se submiserit clementiæ, & vsque ad mortem nomen sibi Ministri Generalis arrogauerit, quantumuis fuerit à Ioanne Pontifice, & in plenis Comitijs generalibus Ordinis, vti diximus, ab officio depositus.* Hæc Vvaddingus de homine apostata, & ad pœnitentiam sub ipsum vitæ occasum feliciter traducto, quem Deus piorum laborum, quos pro Sacro Franciscano Ordine susceperat, mercede frustrari noluit. Reformandis quippè Minoritanæ familiæ moribus sollicitè institit; quam ob causam generalem Perusij Religiosorum cœtum cõgregandum curauit. Sed cum nõnullas subinde contra ipsum ad Summum Pontificem querelas deferri contigisset, Auenionem ab eo euocatus, & in Curia subinde detentus, asperisquè à Pontifice verbis admonitus, ad Capitulum generale nullatenus ire permissus est. Atqui in officio à Capitulo cõfirmatus subinde, ipse quòd Põtificio ibidẽ inuitus imperio detineretur, tædio affectus, morarumquè impatiens fuga ex Auenione vna cum fratre Gulielmo Occhamo, & Bonagratia Bergomensi, arrepta à muneris, quod gerebat, & honoris gradu exauctoratus decidit. Ipse autem priori subinde pertinaciam errori addens, à Pontifice (cuius nulla maior sub Cœlo potestas est) aduersus ipsum Pontificem ad Concilium temerè, petulanterquè appellans, in suo diutius obduratæ mentis consilio, quibusdam sibi aggregatis socijs, atque errorum asseclis, multorum Principum fauore suffultus arrogantissimè perstitit; qui demum à Capitulo Parisiensi non secus ac præsidendi munere indignus, iustè proscriptus, acclamatusquè palam hæreticus: Dei tandem aspirante gratia, sub vitæ finem, quantumuis serò, seriò tamen, suam confessus, execratusquè ex intimis noxam præcordijs pœnitens, vt iam diximus, & non absque obtentæ salutis spè decessit.

Vvaddingus vbi sup. n. 6.

Cæsenas sub vitæ finẽ post hæresim, prauosquè errores eiuratos pœnitens obit.

Chronic. Sanm. M. S.

Ob contumaciam ipsius erga Põtificem, & arreptam temere fugam iuste proscriptus & gradu deiectus.

Vvaddingus an. 1328. n. 9.

9. Si quis verò (quoniam de Apostatis adhuc sermo est) postquam Deo se ipsum deuouit, fraudem Deo facit, & per scelus à Claustro aufugiens, per apostasiam ad sæcularia vota tanquam canis ad vomitum reuertitur; Dei tandem flagellis ad resipiscendum admonitus, nonnisi illuc, vnde discessit, reuertendo, culpæ à Deo veniam consequitur, vt Petrus Damiani de certo quodã his planè verbis narrat: *In Monasterio* (inquit) *quod Cliuus Scauri dicitur, quodquè B. Gregorius intra Romanæ Vrbis mænia condidit, puer quidam à Parentibus, vt Deo deinceps militaret, oblatus est. Qui postmodum, dum iam adolesceret, egressus de Monasterio ad sæculum redijt, vxoremquè sibi nuptiali fœdere copulauit. Deinde cum iam ad iuuenilem venisset ætatem, Diuina sententia repentè percussus est in gutture, cæpit morti languoris ingrauescente molestia appropinquare. Tandem malè fugitiuus, vt ad Monasterium deportaretur, expetijs, ibiquè pænitudinem de suis grauitatibus, habitumquè monachatus accepit. Cùmquè vxor eius cum nonnullis alijs lecto iacentis insisteret, cæpit ille grauiter gemere, vlulatus emittere, & tanquam phrenesim pateretur, inordinata vociferatione gemere. Percontantibus autem eis, cur non ille quiesceret: Non ne (inquit) videtis B. Andream Apostolũ, Sanctumquè Gregorium me suis verberibus immaniter flagellantes? Vlulatus autem rursus, ac flebiles voces emittens, paululum respirabat, atque dicebat: Modò me verberauerunt, propterea quod Monasterium dimisi, vxoremquè duxi, &c. Vt autem sciatis, quia non mentior, perendiè hora sexta de hoc sæculo migraturus sum. Erat* porrò

Apostata ad locum, vnde discessit, tanquam naufragus ad portum salutis redeat, oportet.

Petr. Damian. 4. l. epistol. Dravolt. Chatbechis, hist. c. 7 tit. 89. ext. 1

Religiosus è Monasterio S. Gregorij profugus diuinitus morbo præuentus morti propinquat.

Decumbens apparentibus SS. Andrea Apost. & Gregorio flagellis ad resipiscẽdum cœditur.

porrò tūc sexta feria; nocte verò, qua Dominicus illucescebat dies, qui dicitur in ramis palmarum de lecto cunctis mirantibus non segniùs exiliens, scapulare, atque cilicium, quæ iuxta se erant, repentè arripuit, moxquè Ecclesiam B. Andreæ attonitus, ac festinus intrauit, vbi strato compositus, his, qui aderant Fratribus ait: Ecce Sanctorum verberibus flagellatus, ita de corpore egredior purificatus, sicut de fonte Baptismatis mundus exiui. Inter Missarum igitur Sacrosancta solemnia, Dominica vix passione perfecta, hora, qua prædixerat Deo spiritum reddidit. Nudato autem ad lauandum ex more cadauere, sic vibices, ac stigmata in eius membris vndique videbantur, ac si corpus eius matertalibus fuisset allisum verberibus. Hęc ille. Pœnitens igitur, qui transfuga pridem à Claustro fuerat, magna post reditum salutis spe munitus viuendi finem fecit.

Ad Ecclesiam confugiens, ibi pœnitēs moritur expiatus.

10. Narratis verò hactenus haud otiosè subtexendum hic est, quod Catharina de Vanninis feliciter ad Deum post meretricios amores conuersa, & pœnitētium ingressa Cœnobium, aliàs lucrandi fœminas cupida, & tum suæ, tum alienæ simul pœnitentiæ, ac salutis ardore succensa diuinitus præstitit; hæc enim Auctor ibi in eius actis tradit: *Tunc verò* (inquit) *diuersi Religiosarum virginum cœtus certatim sibi Catharinam expetiere, nihil perhorrescentes, veterem illius infamiam, nec aliam, quàm tantarum virtutum dotem exigentes; sed illa ne in honorem, quem fugiebat, incideret, solam sibi deberi dixit earum Sanctimonalium domum, à quibus disceret præteritas impurioris vitæ sordes pœnitentiæ vndis diluere. Voti compos, & ad optata claustra deuecta, &c. Statim ostendit, quàm auspicatus sacro illi cœtui suus esset aduentus. Altero enim ab ingressu in Monasterium die, inspecto diuinitus vesano consilio, sex eius loci sororum, perniciosis rem fluxarum blandimentis earum ad se animos retrahentibus fugam è Cœnobio iam meditantium, iisdem ad se accitis, meliorem mentem induxit. Aliàs quoque occultiora rebellium Deo cordium arcana perspexit, & peccantibus ipsis aperuit: tunc incredibili cruciatu se confici asserens, cum ab ipsa monitas pœnitentiam oretenus profiteri cognosceret.* Sic salubriter monitæ, quæ animo duntaxat apostasiam meditabantur, ad Pœnitentiam conuolando, Dei citò sibi gratiam conciliarunt.

In fastis Senensibus pag. 176.

Catharina Vannina suis quam graue sit Apostasiæ piaculum monitis fœminas fugam meditantes docet.

Sex moniales, quæ discessum à claustro cogitabant, ipsius dictis resipiscunt.

11. Illud denique, vt pote admiratione dignum, à nobis silentio prætereūdum non est, quod in Societatis Iesu Annalibus de quodam itē apostata; at postmodum flagellis perculso diuinitus, ac resipiscente, his verbis traditur: *Veteribus* (inquit) *omissis, ad recentiora veniamus; Petrus Paradi cùm suorum improbitate morum Diuinæ se vocationis indignum reddidisset, nec in Societatis corpore contineri cum cæteris vlla ratione posset, ad extremmum & ipse domum suam, haud tamen à votis liber, immunisquè remissus est. Qui cum sua ipse sententia, iudicioquè Doctoris etiam cuiusdam auctoritatem sequutus, nullo se teneri voto censeret, solutissimo, pacatissimoquè viuebat animo cum cætero populo, & quod deterrimum erat, nullo amore, nulloquè Dei timore munitus, confidentissimè se se ad instituendos, iuuandosquè cęteros, qui se ipse destituerat, peneque perdiderat, comparabat. Non tulit hominis audaciam cœlestis vltio in ipso articulo temporis, quo se ad Ecclesię mysteria tractanda, proximisquè administranda conuertit, dirum ei morbi genus, & Medicis ignotum immittitur. Tantis autem vbique doloribus torqueri cœptus est, talemquè in tumorē corporis mēbra conuertit, vt nullam caperet quietis partem, neque diurnæ, neque nocturnæ præsertim nulla antegressa febri, nulla causa, vt in ea inuestiganda, reperiendaquè hæsitaret, desudaretquè omnis ars Medicorum. Iam curationis gratia deportandus erat propter paupertatem ad publicum Nosocomium, cum ad eum se confert Conimbricensis Collegij Rector, & pro paterna charitate rebellem, vt ad Collegium redeat, & curetur, hortatur. Is haud animo minùs, quàm corpore tumidus, respondit, suis se rebus, animiquè saluti, admonente nemine, consulturum. Ad eam vocem continuò pes lęuus intumuit, & à pedibus, quos in Aegyptum referre non puduit, primum orta pernicies. Rector tamen occasionem inde captans ad sanitatem hominis reducendi, acriùs eum cohortari, vt quando in tanto vitæ, salutisquè discrimine versaretur, duritiem à pręcordijs arceret, & mentem suam aduersus monitores amicissimos flecteret. Verùm ille non modò monitis non acquieuit, sed votorum sponsione liberatus, quò tutiùs è vita discederes, illa derisit,*

Ex Annalibus Societ. Iesu tom. 3. an. 1554.

Petrus Paradi ob suā culpam è claustro, non votis tamen liber domū dimissus flagellis à Deo plectitur.

Drauvls. catbechis. Histor. cap. 7. tit. 84.

Religiosis votis adhuc religatus religiosè viuebat.

Vniuersū hominis stratum Deus doloribus versat.

Admonitus nil proficiens, austeriorem in se prouocat Dei mulctā.

derisit perinde, ac si ijs vinculis solueretur, quibus nequaquam teneretur astrictus. Serpebat interim in pede tumor cum amplificatione doloris; & deportatus ad ægrotorum hospitium, Chirurgis Medicisquè committitur, quorum de sententia digitus ei, ne pes enormiùs intumesceret, amputatur. Nec tamen compressus est tumor, sed cum manaret in hora latiùs, reliqui etiam amputati sunt digiti. Iam cunctis erat digitis mutilus, nec multiplex obtruncatio, totoquè corpore vstiones adhibita sistere vitiosum humorem pestis pabulum, fontemquè valebant; neque reliquum erat aliud, quàm vt ipse quoque pes totus obtruncaretur, &c. Cùm denique mens obstinata resipuit, & sui misertus æger aperuit oculos. Tunc demum, ne totus, et animo, & corpore funditus interiret, Rectorem accersit, agnouit erratum, & professus, quam abiecerat, obedientiam, ad omnia se paratum ostendit. Mirum dictu, simul ac Rectoris amplexatus obsequium, tumorem animi posuit æger, tumor quoque corporis stetit, serpens putredo quieuit; tametsi antea Medici confirmarent, nullam ad eum curandum morbum reperiri potuisse medicinam, nisi scarpello, perpetuamque sectionem, vt appareret malum inuectum à Deo, cuius comparatam Sapientia, vt in suo quisque vitio plectatur, & noxæ pœna respondeat, &c. Is postea sibi restitutus cæteros inter homines mansit, segregatus à nostris, merito quidem sanus, nec Conimbricensi Episcopo, à quo multùm adhibebatur, inutilis. Cæterùm altero pede mutilus, quò diuini beneficij gratia, quoties gradum faceret, veniret in mentem, & Societatis recordaretur amissæ.

Ferro, & igni, qui verbis non acquieuit, traditur excruciandus.

Toto iam corpore mutilus, & dolore tabescēs animæ salutē recogitat, a. sib. remedia poscit.

Pœnitens Altero pede mutilus mīsit vꝫ amissæ vocationis iam crimen ambulans meminisset.

Hæc de viro gratis, ac temerè à claustro, & Religiosorum votis resiliente, suamquè ob inobseruantiæ culpam iure merito à Religiosorum castris dimisso. Quibus eximia in primis admiranda pij, ac religiosi potissimum Ordinis vel in ingrato quibusuis modis diligendo, dirigendoque homine charitas, in tolerando item, ac submonendo patientia, in curando insuper, ac fouendo apprimè sollicita, quod ad vtramque hominis partē spectat, opera hic cunctis contēplanda proponitur; ac demum ipsius è contrà haud impunè è claustro exilientis miseranda planè conditio, suisque perditis morem gerendo consilijs inconstans item animus, penitusque in malo obstinata præsumptio contemplantium oculis proditur, quæ iteratis è Cœlo haud semel flagellis in vanum Dei nutu adhibitis cędere nescia, ipsa tandem inter vulnera præpotentem ipsius sanantis dexterā agnouit, illudque Prophetæ oraculum probè intellexit. *Quia* (inquit) *percutiet Dominus ægyptum, & sanabit eam.* Quæ hic vel obiter, vbi de Apostatis ad pœnitendum traductis sermo incidit, narrasse haud ab re, aut omnino otiosum duximus.

CAPVT XXII.

Sacrilegi ad pœnitentiam confugiunt.

1 IVsto siquidem olim Altissimus in sacrilegos animaduersionis exemplo ad absterrendos, continendosque in officio mortalium animos, seuerum Cœlo se vindicem præbuit. Sacrilegos quippe Iudaici Populi, suaque ob scelera sacerdotes mulctando dispersens, ac prophanas eorumdem vel inter offerendum victimas, non secus ac sibi in primis abominandas execratus, magnificentissimi operis templum, quod totius terrarū orbis miraculum fuit, nedū funditus diruit, sed & cuncta simul (vt Ioel Propheta tradit) quæ illius erant, vastitati perpetuò addixit. *Perijt* (inquit) *Sacerdotium, & libatio de domo Domini luxerunt Sacerdotes Ministri Domini.* Verùm tristes, ac funestas eiusmodi clades, temporarias interdū fuisse, haud æternum durasse vel in sacris paginis nouimus. Postquam enim diù isthęc ipsius Dei nutu inualuere, suus tandem malis finis adfuit. At immane sacrilegum Iudæorum præuaricantium, horrendumque præ cunctis, quo suas Christi sanguine manus respersere, facinus, in cunctos postmodum, ac singulos Aaronicæ stirpis posteros transfusum, post longæuam temporum seriem in ipsis adhuc vigens, æternum perseuerat. *Viget* (inquit Augustinus) *fides, præstosunt res, cernuntur, tenentur, & videre volentium, vel (vt alij legunt) nolentium oculis ingeruntur.* Sacrilegis namque reiectis sacrificiorum ac cæremoniarum ritibus abolitisquè, & Templo insuper funditus exciso, quam immani occidendo Christum, sacrilegio se miseri ob-

Sacrilegium in sacerdotibus, sacrisq; locis Deo maxime iniurium, seuere punitur.

Ioelis cap. 1. n. 9.

Ob sacrilegam Christo intentatam à sacerdotibus Iudeorum necem ruina,

August lib. 17. de Ciuit Dei.

obstrinxerint, cunctis palàm ostenditur. *Quis*(inquit Augustinus) *nunc fideli oculo hæc intuens, non vides esse completa, quandoquidem nullum tabernaculum, nullum Altare, nullum sacrificium, & ideo nec vllus Sacerdos remansit Iudæis.* Adeo quippe capitalis sacrilegorum hominum Deo displicet noxa, vt tum Sacerdotes, tum Altare, necnon sacrificia respuens, scelus perpetuò abolendum voluerit, vt Theodoretus inculcat: *Ea*(inquit)*quæ cernimus, ferunt testimonium. Ex quo enim Christus Dominus fuit actus in crucem, dirutum quidem fuit eorum templum: deserta autem fuerunt Sancta Sanctorum, priuatiquè sunt, et sacerdotio, et prophetia.* Et Iosephus quidem tristem, funestamquè prophanorum Sacerdotum cladem, ac supremam Templi ruinam, & gladios insuper, atque debacchantes turmatim ignes demiratus: *Videbatur*(inquit)*sanguis igne largior esse, plures què interfectoribus interfecit.* Verùm magna quoque vbique Dei è Cœlo misericordia semper affulsit; dum multos ad Pœnitentiam, sacrilegio quantumuis obnoxios, profusis culpam lacrymis expiando, vel tunc maximè veniam consecutos videre est.

Aug. vbi supra.

Inde velut originario è fonte abominandū populi excidium, & templi sãcti desolatio.

Theodoret. lib. regnum. lib. 1. cap. 20.

Iosephus lib. 17. Antiquit. Iudaicarum cap. 11.

2. Immane verò, (si quis à Iudæis ad Gentiles sermonem inflectat) computandum sacrilegij piaculum semper fuit, & acrioribus quoque visum est pœnis diuinitus plectendum. In Deum quippe ipsum sacrilegi insurgere, ipsiquè impias intentare manus comprobantur. Nam (vt ille air): *Cum Dijs pugnant sacrilegi.* Cui moralis item Philosophus aptè consonans: *Sacrilegi*(inquit)*dant pœnas, quamuis nemo vsque ad Deos manus porrigat.* Ad quod item Poetarum ille visus est, allusisse, dum oblatis Numen donis placari, ablatis verò muneribus offendi, sacrificijs cōciliari, sacrilegis vero manibus contemni, & ad iracundiam iustissimè prouocari affirmat.

Sacrilegi in Deum, ipsū pugnant ipsique manus intentant.

Curtius lib. 7. Seneca lib. 5. de benef. cap. 14.

Ouidius lib. 5. Fastorum.

Sæpe Iouem vidi, cùm iam sua mittere vellet,
Fulmina, thure dato sustinuisse manum.
At si negligitur, magnis iniuria pœnis
Soluitur, et iustum præterit ira modum
Respice Testiadem, flammis absentibus arsit,

A sacrilegis Deum in primis ad iracundiam prouocari, & sacrificijs flecti gentiles ipsi fatentur.

Causa est, quòd Phœbi ara sine igne fuit.

At post supremum offensum diuinitatis Numen, vbi sacrilegi supplices ad immensæ pietatis asylum confugiunt, ipsum sibi propitium, ac placatum sortiuntur. Iusta quippe Dei ira ad indulgendum flectitur, adeoquè qui Christi sanguinem acerbiori ob id culpæ reatu sacrilegi fudere, vbi facinoris adeò impij culpam retractarunt, se ipsos(vt par est) expiando, veniam denique certam promeruere: *Ipso*(vt Augustinus habet)*Iudæi redempti sanguine, quem fuderunt*; Acerbissimā verò quorumuis peccatorum noxam apte Chrysologus expendens, haud vel ipsis post iniuriam sacrilegis de venia desperandum admonet; cùm plures & plusquam enormiter ob id vnum apud Deum aliquando reos, resipiscendo tum veniam, tum sanctitatem subinde diuinitus intelligamus adeptos: *Quis in sæculo* (inquit)*peccauit enormiùs Paulo? quis in religione grauiùs Petro? Illi tamen per pœnitentiam meruerunt assequi non solum ministerium, sed etiam magisterium sanctitatis.* Nullum itaque scelus est, quod Pœnitentiæ virtus non tandem aboleat, & quod immensa Dei benignitas non vltrò, ac libenter indulgeat: *Quia impij* (vt Hilarius (inquit) *puniri desinerent, si esse impij destitissent.* Sed prolatis in medium exemplis comprobanda res est.

August. in tract.

Pœnitentia ipsummet sacrilegium abolet.

Chrysol. in serm.

Dei gratia quibusuis post culpam pœnitentibus præsto est.

Hilarius in psal. 2.

3. Vt narrandi igitur initiū fit; sacrilegis quidem Otho Secundus Othonis Primi Romanorū Imperatoris filius meritò aggregandus hic est, qui à paternis moribus degener, vbi primùm Imperij clauum administrandum suscepit, sacrilegas rebus Deo, atque Ecclesiæ cultui dicatis, manus admouens, Macdeburgensem Episcoparum S. Laurentij patrocinio addictum, abolendum in primis curauit: Sed haud multò post iustas Deo sacrilegi piaculi pœnas exoluit; Sinistrum quippe in bello sortitus exitum, & Græcorum, & Saracenorum armis victus, attritisquè suorum copijs, ipse ad infelicitatis cumulum captus, captiuusque: cùm deinde filio sibi iam in Imperio suffecto, ipse Romam rediens, lethali correptus morbo, sacramentali se apud Pontificem intimè dolens confessione; & corde compunctus expiauit, ac eleemosynis Deo pro culpis sa-

Otho II. Romanorum Imperator sacrilegas Ecclesiæ bonis manus admouet.

Baronius an. 983. n. 7.

faciendum ſatis voluit, vt ſic pœnitens tandem è vita decederet, de quo iſthæc Baronius: *Deplorarunt* (inquit) *ſcriptores eius temporis eiuſdem Othonis mores, vtpotè nonnihil degeneres à parentis vita, cui ſucceſſerat, Othonis magni, etc.* Inter ſcriptores verò, S. Adalberti geſtorum ſcriptor ſuo rem ſtylo proſequutus ſic de Othone meritò conqueſtus eſt. *In tantis* (inquit) *aduerſis ipſum circumfluentibus non reſipiſcit, quid contrarium miniſtro æterni Imperatoris egerit, quid pio Laurentio peccauerit, non recognoſcit; Epiſcopatum, quem Pater in ſacrum honorem pretioſiſſimo Martyri erexit, ambitione ſuorum in peccatum ductus filius deſtruxit, non faciens ordinem, quaſi qui aquam in mare fundit, Epiſcopatum deiecit, vt plenum delicijs Archiepiſcopatum ditaret. Tulit Epiſcopum optimo Laurentio, poſuit Parthenopoli Archipræſulem noſtro Mauritio. Factum eſt contra ius in Eccleſia Dei, donec adueniens nouus Rex, et religioſiſſimus veterem errorem correxit. Poſt tres Othones Henricus Chriſtianiſſimus ecce venit, qui malefacta correxit.* Hæc de ſacrilegis pertentatis ab Othone in Dei Eccleſiam haud impune actibus.

Calamitatibus attritus reſipiſcit, & à Saracenis bello victus pacem cum Deo & Eccleſia inſtaurat.

In vita S. Adalberti apud Surium tom. 2 die 24. Aprilis.

Quæ nam ſcelera ipſius & in peccando arrogantia.

4. Sed Ditmarus quoque Macdeburgenſem his diebus ſedem expoliatam ab ipſo Epiſcopatu, ac dirutam penitus, his planè verbis tradit: *Propter hoc* (inquit) *peccatum (veluti patet) pugnante Laurentio, victoriam Otho perdidit, et diebus ſuis omnem confuſionem recepit. Auertente faciem Deo, quæ ſit virtus tua, ò homo, ſpecta nunc in vno homine. Quid prodeſt belliens ardor? Quid valet virtus ſine ſuo loco? Age nunc cuncta cum conſilio. Quorſum venis ſapiens inuito Deo? ſicut ſcriptum eſt: Non eſt conſilium, non eſt ratio contrà Deũ. Quapropter audiamus bonum conſilium, quo dicitur: omnes curas, et cogitatum tuum iacta in Dominum, et ipſe te enutriet: Spera in Domino, et ipſe faciet. Inſpiciamus magna indolis Virum ex multo merito Imperatorem Auguſtum: ecce dum peccat, flagellatur, plenus aduerſis media vita moritur, iacet nunc inglorius; ò vtinam et non reprobus pulchra virtutis alumnus. Priùs verò quàm moreretur, vt ad pænitentiam hominem ſtimularet, ſicut eſt ſolus ſemper clemens Deus, talem viſionem cuidam ſapienti oſtendit, quam vt auditam recolimus infrà annotare non abſurdum putamus.* Et infrà D. Laurentio ſe videndum illi præbuiſſe intentatis inſuper minis tradit. Atqui triſtis præ oſtẽſo ſibi viſo diuinitus ipſemet rei euentus reſpondit, vt ingens bellatorum, quæ ſubſequuta eſt, clades portendit; de qua hæc Marianus Scotus *Otho* (inquit) *Imperator apud Calabriam, occiſo à Græcis exercitu eius, de naui exiliens, natando fugit.* Hæc ille.

Ditmarus Chronicon in lib. 3.

S. Laurentij, cuius bona vſurparat, vltionem ſubit.

Viſa à Deo ad pœnitentiam prouocatur.

Marianus Scotus in Othone.

5. Verùm Otho Imperator Romam reuerſus, ad infelicitatis cumulum mœrore tabeſcens moritur; quæ autem ipſius geſta, & quæ pœnitentis animi ſigna in ſuis publicè expiandis culpis præceſſerint, ſic Ditmarus tradit: *Imperator* (inquit) *cum Romam veniret, relicta Matre, ſua venerabili Papia Ciuitate, grauiter infirmatus eſt, et vt extrema perſenſit adeſſe, omnem ſuam pecuniam partes diuidit in quatuor, vnam Eccleſijs, ſecundam pauperibus, tertiam dilecta Sorori Mathildæ, quartam ſuis miniſtris, ac militibus. Factaquè latialiter confeſſione coram Apoſtolico, atque Presbyteris, accepta ab eis optata remiſſione, ſeptimo Idus Decembris ex hac luce ſubtractus eſt, terræquè commendatus ad introitum Orientalis Paradiſi domus Sancti Petri, quæ cunctis patet fidelibus; Et imago Dominica honorabiliter formata venientes quoſque ſtans benedicit.* Pœnitens igitur, & corde compunctus, Otho è vita deceſſit, vt ſic apte geſtorum ſcriptor inculcat, dum ſatis aperte pia confeſſionis ab ipſo editæ cunctis argumenta proponit.

Ditmarus Chronicon. lib. 3.

Romam reuerſus grauiter infirmatur, ac pœnitens morti occurrit.

Publice ſuas fatetur culpas, vt ampliorẽ à Deo veniam obtineat, & ſic expiatus decedit.

6. Quoniam verò nullum eſt atrox, quantumuis, ac enorme piaculum, cui immenſa Dei pietas, dum inuocatur; miſerendo, ac ignoſcendo hominibus præſto non ſit, proinde haud ſemel deperditæ ſpei homines, ac ſacrilegos occultiore bonitatis diuinæ conſilio ſic à malo reſipuiſſe pœnitendo interdum conſtat; vt etiam inter Sanctos, ciues vtpote Sanctorum, & domeſtici Dei, ac inter ipſius pariter electos nũc merito adnumerentur. Et certè ſi de ſacrilegis agitur. Vuillelmus Comes Pictauienſis, & Aquitaniæ Dux, de quo item alibi, cum ſæculari abductus potentia, plura in Eccleſiam Dei, atque in Epiſcopos præſertim, ipſiuſquè Chriſti Sacerdotes ſacrilegè, arroganterque peccaſſet; Schiſmatis quippe piaculo ſe in primis aduerſus Innocentium

Baronius an. 1130. n. 65.

Vuilhelmus Comes Pictauiens, & Aquit. dux ſacrilegus.

Se-

Secundum Romanum Pontificem, ex quo innumera postmodum Ecclesiæ mala deriuarunt, obstrinxit. Paris verò hic vnus tum potentiæ, tum improbitatis (vt Baronius docet) fuisse describitur, de quo isthæc: *Modò (inquit) ex Vuillelmo Malmesburiensi Bibliothecario res sui temporis scribente, de ipso aliqua scribenda sunt, atque primùm tanta fuisse potentiæ, vt in Terram Sanctam secum duxerit ingentem militum copiam, nempe exercitum sexaginta millium equitum, et multò plurium peditum. Rursus verò tantum fuisse intemperantiæ, et omnium vitiorum sordibus inquinatum, vt gloriaretur, cum malefaceret, et exultaret in rebus pessimis, cuncta condiens malefacta salibus nugarum, et facetiarum ad risum audientium extorquendum, recitat idem Auctor de his plura, et obscœna valdè quæ libentiùs præterimus.* Qui ergò peccando adeo improbus, tam excors, nec non impius demum, ac pertinax cuncta non tam legibus, quàm suæ voluntatis arbitrio expendens, & vitijs pro moribus vtens, immanè adeò diffluebat, sacrilegas quoque haud ab Ecclesia, dicatisque Deo hominibus manus continuit; adeoquè in Petrū Pictauiensem noctæ Sanctitatis Episcopum, qui cum meritò à Sacra Christi fidelium communione segregãdo præcidit, nec leuiter, vt Vuillelmus tradit, per scelus aliquando peccauit, de quo isthæc.

Paris tum potentiæ, tũ improbitatis hic vnus ex Baronio.

Manus haud à rebus Ecclesiæ per arrogantiam continuit.

7. *Cùm Petrus (inquit) preclaræ Sanctitatis Pictauorum Episcopus, eum liberiùs argueret, et detrectantem palàm excommunicare inciperet: Ille præcipiti furore percitus, crimen Antistitis inuolat, strictumquè mucronem vibrans: iam (inquit) morieris nisi me absolueris. Tum verò Præsul timore simulato, inducias petens loquendi, quod reliquum erat excommunicationis silenter perorauit. Ita Comitem Pictauiensem à Christianitate suspendens, vt nec cum aliquo conuiuari, nec etiam loqui auderet, nisi maturè resipisceret. Ità officio suo, vt sibi videbatur, peracto, martiriy què trophæum sitiens, collum protendit: Feri (inquiens) feri. At Vuillelmus refractior consuetum leporem intulit, vt diceret: Tantum certè te odero, vt nec te meo digner odio: nec Cælum vnquam intrabis meæ manus ministerio. Veruntamen post modicum vipereo meretriculæ infectus sibilo, incesti dissuasorem detrusit exilio. Vbi beato fine conclusus, frequentibus, et magnis miraculis innuit Mundò, quàm gloriosè viuat in Cælo. Quibus auditis, Comes dicacitate insolenti non abstinuit, professus palàm pœnitere se, quod non ei dudum mortem accelerasset; vt ipsi anima Sancta grates haberet potissimùm, cuius fauore cœleste mercata esset commodum.* Quantæ verò sanctitatis Vir iste fuerit, nobilis inscriptus eiusdẽ tumulo titulus demonstrat:

Vuillelmus Malmesbur. de Vuillelmo lib. 4.

Sacrilegus euaginato in Episcopũ gladio furit.

Ab Episcopo anathematis iaculo silenter prolata forma percellitur.

Episcopus suo functus munere gladio collum feriendum exhibens: Feri (inquit) feri, sed exilio, haud morte mulctatus.

Exutus rebus, intentus pulsus ab Vrbe
Presul pauperiem, vincla, fugamquè tulit.
Nunc diues, liber, stabilis sua præmia Christum
Astra capit, sequitur, possidet iste Petrus.
Vitam religio, mentem discretio, famam
Lux operum, studium lectio, verba modus.
Iudicium ius, iustitiam rigor, ora venustas
Ornabant, pietas viscera, virga manum.
Promouit, priuauit eum, profugumquè recepit
Papa, Comes, Christus, ordine, sede, polo.

Baronius vbi supra n. 65.

Petri Pictauiensis Episcopi sanctitas nobili decoratur elogio.

Sacrilegus itaque suam ex eo impietatem auxit, quòd sanctissimum hominem, ac Cœlo dignum, coronis vltrò augendum sua aggressus vi è sede in exilium per scelus exturbare non timuit.

8. Atquì homo sacrilegus, alter veluti Saulus, nonnisi Dei potentia prosternendus denique fuit, ac erigendus; adeoquè S. Bernardus Clareuallensis Abbas illuc vnà cum Carnotensi Episcopo Apostolicæ Sedis Legato ab Innocentio directus, dum aptis, solidisque rationibus ad resipiscendum, & Innocentio parendum dictis suadendo instaret, ipse &si conuictus, in hæc verba prorupit: *His (inquit) auditis Comes ex parte sano vsus consilio, respondit, se in obedientia Innocenty Papæ posse dare consensum; sed in restitutionem Episcoporum, quos de sedibus expulerat, nulla ratione induci, quoniam implacabiliter eum offenderant, & iurauerat se eorum pacem nullo tempore suscepturum. Diù per internuncios protractus est sermo, & dum vicissim verbis se mutuò oc-*

Vuillelmus alter veluti Saulus prosternendus primũ ac & postea erigẽdus.

Bernardus Ab. Bonauallis in vit. S. Bernardi Ab. b. lib. 2. c. 6.

cu-

Apud Surium tom. 1. die 10. Febr. in vit. S. Vuillelmo.

cupant: Vir Dei efficaciora arma corripiens, ad Altare sanctum oblaturus, & supplicaturus accedit. Intrauerant Ecclesiam, quibus licebat Diuinis interesse mysterijs: Comes sustinebat præforibus. Peractis igitur consecrationibus, & pace data, & diffusa in populum: homo Dei iam se non agens vt hominem, corpus Domini super patenam ponit, et secum tollit, atque ignea facie, et flammeis oculis non supplicans, sed minax foras egreditur, & verbis similibus aggreditur Ducem: Rogauimus te (inquit) & spreuisti, etc. ecce ad te processit filius Virginis, qui est caput, et Dominus Ecclesiæ, quam tu persequeris. Adest Iudex tuus nunquid et ipsum spernes?

S. Bernardus vbi verbis nil cum homine profi cit, ad sacramentorum Christi præsi dia cōfugit.

Bernardus Ab. Bonæ Val lis vbi supra.

Dei igitur virtuti sacrilegus haud resistere valens, alter velut Saulus in terram corruit, prosternendus priùs, & postea erigendus, percutiendus, & postea sanandus; sic enim Auctor: *Videns* (inquit) *Comes Abbatem in spiritu vehementi procedentem, et Sanctissimum Domini corpus ferentem in manibus expauit, et diriguit, membrisquè tremebundis metu, et dissolutis quasi amens solo prouoluitur. Eleuatus à militibus, rursum in faciem ruit, nec quidquam alicui loquens, aut intendens in aliquem, saliuis per barbam defluentibus, cum profundis efflans gemitibus, epilepticus videbatur. Tum Vir Dei ad eum propiùs accedit, & pede pulsans acclinem, surgere iubet, stare super pedes, et Dei audire sententiam.*

Ab altari, Christi muni tus corpore furenti occurrit, ac ip sum prosternit.

Velut alterum Goliathū, non funda, & lapide, sed Sacramenti virtute debellat.

9. *Præsens est* (inquit) *Pictauiensis Episcopus, quem ab Ecclesia sua expulisti: Vade, reconciliare ei, et in osculo sancto pacis cum eo iungito fœdera, et ipse ad sedem suam eum reducito, et satisfaciens Deo, redde pro contumelia gloriā, et in vniuerso principatu tuo diuisos, et discordes ad charitatis reuoca vnitatem. Subdere Innocentio Papæ; et sicut ei vniuersalis obedit Ecclesia, tu quoque electo à Deo tanto pare Pontifici. Audiens hæc Comes, auctoritate Spiritus Sancti, et Sanctorum Sacramentorum præsentia victus, nec audebat respondere, nec poterat; sed statim occurrit, et in pacis osculo recepit Episcopum, et eadem, qua eum abiurauerat manu cum totius exultatione Ciuitatis ad propriam sedem reduxit, etc.* Sic profectò Comes repente mutatus iam è Saulo Paulus, & ex milite, ac persequutore sacrilego sacer, dignusque Christi pugil, ac deuotus Sanctorum Christi cultor è terra surexit: Quamuis enim inconstans prauis subinde suggerentibus, ac vitæ lubricum repetens iter, à sano mentis proposito resilijsse sit visus; adeò vt S. Bernardus suis eum epistolis conueniens, illis ipsum iure meritò verbis perstrinxerit: *Miror* (inquit) *quo, cuiusque consilio mira illa mutatio dexteræ Excelsi tam subitò in te in deteriùs est mutata; vt rursum ad iniuriam Ecclesiæ Clericos S. Hilarij de Ciuitate expelleres, & iam Dei in te grauiùs, quàm primùm excitares. Quis te fascinauit tam citò recedere à via veritatis?* Hæc Bernardus. *Nec frustrà quidem* (inquit Auctor) *si quidem idem Princeps verè pœnitens, austerissimum vitę genus arripuit, et Christianæ perfectionis verticem summum attigit.* Pœnituit itaque ipsum ex corde, totusq; in virum alterum mutatus est, adeoquè solemnis eius quotānis in Romano Martyrologio memoria, & conuersio item recolitur; & his non secus ac sepulchralibus notis Viri tum pœnitentia, tum vitę sanctitas à Baronio in suis ad viuum paginis adumbratur. *Hic ille* (inquit) *quem spirantem minarum, et cædis, tanquam alterum Saulum in Discipulos Domini Catholica vnitate coniunctos, et sæuo Schismate perturbantem Ecclesiam S. Bernardus Abbas Claraualensis ad Ecclesiæ coniunctionem reduxit, induxitquè ad sæculi contemptum, et Christi humilitatem amplectendam, prout constat ea Bernardo Ab. Bonæ Vallis in vita S. Bernardi. Ipsius autem res gestas locupletiùs prosequutus est Theobaldus Episcopus, quas exscripsit Surius tom. 1. etc. Migrauit ex hac vita Anno 1156. sepultus in stabulo Rhodis in agro Senensi.* Hæc in Viri sanctitate clari laudem Baronius. De quo nunc satis.

Bernard. Abbas Bonaual. vbi supra.

Promeritam in contumeliam Christi nomine functus sententiam incorquet.

Bernardus epist. 128.

Comes ad tempus, com pungitur, sed ab incepto resiliens à Bernardo li teris perstrin gitur.

Bernardus Ab. Bonaual. lis vbi supra

Conuersus tandem austerum vitæ genus arripiens ad san ctitatē pertingit.

In Rom. Martyrolog. die 10. Febr.

Baronius in notis ad Martyrol. Rom.

Conceptis à Baronio ipsius conuersio verbis exponitur.

Theobald. Episcopus in vit. S. Gulielmi Duc Aquitan.

10. Porrò vt alijs item, quæ non desunt, res comprobetur exēplis, & summa vel in sacrilegos admiranda Dei pietas innotescat: Henricus IV. Vratislauiensis Poloniæ, & Slesiæ Dux, cū vano sæculi, ac potentiæ sublimis fastu delirans, Ecclesiastica iura audacter nimis, ac temerè cuncta inuertendo violaret, Ecclesiasticis insuper innodatus censuris; tandem infirmitate ex veneno à Sletijs propinato contracta, anteactæ vitæ errores agnoscens, ac facti pœnitens, humillimis à Deo precibus veniam poposcit, & vt quas per

Henricus IV. Vratisla uiens. & Slesiæ Dux sacrilegus multa in Deum, & Ec clesiam peccat.

Rainaldus an. 1290. n. 44.

Rainald: an. 1290, n. 44.

summum nefas intulerat Ecclesiæ iniurias, compensaret, plura conscriptis testamenti tabulis in Ecclesiam liberaliter contulit, suam tum verbo, tum opere Christianorũ Orbi pœnitentiã restaturus. Cum vis igitur morbi inualescceret, mortemque iam sibi è proximo instantem præsentiret, res suas partim Ecclesijs, partim egentibus, ac suæ partim quoq; vxori, pia, ac munifica manu, vt Longinus tradit partitus est. Cui & Nicolaus IV. huius nominis Romanus Pontifex in suis ad Episcopum, & Clerum Vuratislauiensem literis adstipulatur, dum Henricum intimo animi dolore tactum ob diuexatas à se, suisque Maioribus Ecclesias, publicis literis, quæcunque erepta fuerant, reddi præcepisse, pristinamque insuper illis ab ipso libertatem vltrò indultam affirmat; quæ omnia idem Pontifex Apostolica subinde auctoritate roborauit.

Longin. hist. Polonic. lib. 7

Nicolaus IV. Roman. Pontifex ipsius tum culpas, tum pœnitentiam memorat.

lib. 3 epi. 397

11. Verùm quidquid Dux pridem in Ecclesiæ Præsules temerario ausu deliquerat, apertis postea pœnitentiæ signis diluendo, condignis offensam, vt Christianum Principem decet, cõpensare officijs non destitit. Olim namque dum in Thomam Vuratislauiensem Episcopum acerbiùs inueheretur, iraque excandescens, eum in suam adducere ditionem pertinaciter armis contenderet, quibus Ratisbonam, quò ille profugerat, validissimè cinxerat, eiusdem Episcopi sacris induti vestibus, ac solemni ritu in sua castra venientis præsentia absterritus, pronus ad Pontificis pedes, ac supplex accidit, veniamque ab illo ingenti diuinitus metu perculsus expetijt. In ipso quippe Christi Sacerdote, ac rerum Diuinarũ administro Deum, quẽ contempserat, veritus, veneratusquè, ac Dei præter spem nutu intus in corde mollitus, cõpunctusq; mox ad pœnitentiæ arma confugit, iramquè omnem deponens, eidem pro contumelia obsequium, pia pro molestijs officia, omnemque deuoti animi cultum, ac honorem detulit, vt subinde narrabitur. Thomas igitur Episcopus, ne quid inferret Vuratislauiensibus, ad quos confugerat, optimè de se meritis, damni, aut exitium parceret, impendentis Populo calamitatis commiseratione permotus, suo insanas potiùs Ducis iras cruore restinguere, quàm suis vel minimum amicis, ac beneuolis nocumentum inferre maluit. Quamobrem ad Ducis iram excoquendam castra profectus, Deum pro se pugnantem, ac iniuriarum sibi à Tyranno hactenus illatarum iustissimum expertus est vindicem, his autem suam Longinus historiam, verbis prosequitur.

Henricus in Episcopum armis insurgens, vt ipsum capiat, Ratisbonam obsidione cingit.

Dum Episcopus sacris indutus vestibus in ipsius castra procedit, territus ad ipsius pedes procidit.

Longin. hist. polon lib. 7. Michou. lib 3 c. 62. Cromerus lib. 10.

12. *Induit* (inquit) *vestes sacras, nonnullos quoque ex Clero iubet amiciri eisdem: ac sic thiara, & Pontificalibus insignitis cum Clero suo vniuerso secum exultante, Oppido egressus, ad castra pergit, tyranni iras sanat supremo humilitatis genere placaturus. Cuius tyrannus viso à longè aduentu, tanto metu diuinitus perculsus est, vt de tabernaculo suo exiliens, in occursum Pontificis ocyus procurreret, & corruens pronus in terram, quasi diuinum aliquod Numen in Episcopo videns, & in spiritualem illius æternum Pontificem venerans, transgressionum suarum veniam precaretur. Quem Thomas Episcopus ex terra eleuans, omnem se illi præuaricationem transactam, dummodò in ea contritione, & deuotione persisteret, obortis lacrymis, spondet indulturum. Et post flebiles amplexus, & oscula hinc inde vtrinque præstita, proximam ædem B. Nicolao sacratam Dux, atque Pontifex absque arbitris ingressi, longis, & mutuis habitis tractatibus, his demum conditionibus, eoquè pacto pax, & reconciliatio, & omnium offensarum obliteratio conuenit, vt Henricus Dux Vratislauiensis Castra, Ciuitates, Oppida, Villas, Decimas, & quascunque sortes Ecclesiasticas, quas occupauerat, Thomæ Episcopo, & suo Clero redderet, & pro perceptis satisfactione condigna impensa, amplas libertates, & immunitates Ecclesiæ Vratislauiensi, scelus commissum expiando, conferret.* Narratis hactenus Michouias consentit, qui & dignum verè pænitentis animi monimentum subdit: *Ea* (inquit) *reconciliatione sequuta Interdictum Archiepiscopi Gnesnensis Iacobi Succinka sublatum est: in memoriam verò beneficij, & hospitalitatis Thomas Episcopus Vratislauiensis, postulante Casimiro Duce Opplienfi, Ecclesiam S. Thomæ Cantuariensis in Castro Ratisbonensi fundauit.* Hæc ille, qui nonnullis interiectis, ab Henrico Duce

Suprema Dei in Sacerdote Christi pauenda Maiestas,

In oscula vterque prosilit, & pax animorum stabilitur,

Michou. vbi supra.

Dux Ecclesiæ, ac Episcopo facit, vt par est, pro iniuriis, & contumelia satis.

Duce ſequenti anno ad expiandum, quod in Epiſcopo inſectando patrarat, crimen, Templum excitatum fuiſſe his verbis tradit: *Anno* (inquit) *Domini* M.CC.LXXXVIII. *Henricus IV. Dux Vuratislauienſis Eccleſiam Collegiatam S. Crucis in ſummo Vratislauienſi fundauit, & erexit, certum Prælatorum, Canonicorum, & Vicariorum numerum inſtituens, & vnicuique munificè de ſuis introitibus largiens, per hoc Diuinæ Maieſtatis iram placaturus, quam, extliando Thomam Epiſcopum, & Clerum Vratislauienſem, incurrerat, & vehementer offenderat.* Ex quibus Henricum Ducem, alterum planè Saulum, ſed diuinitus repentè compunctum, mutatumquè inter ipſa odiorum, irarumque incendia, ex irato mitem redditum, Deo, eiuſque Sacerdoti humiliter acceſſiſſe; ac demum Pœnitentię ſalubriter addictum, pijs vltrò officijs iniurias, manſuetudine, iram, ac temeritatis auſum pietate, ad tutum ſibi parandum è vita exitum compenſaſſe vltrò legentibus liquet.

Michouias vbi ſupr.

Pœnitens eo quod Epiſcopũ exagitaſſet, S. Thomæ Templũ ædificat, & redditibus ad Dei cultũ adauget.

13. Sed ne eius hic vitæ finem haud dubijs pœnitentiæ documentis illuſtrem ingrato prætereamus ſilentio, quæ poſt errorem agnitum ſub extrema vitæ momenta laudabiliter præſtitit, hic ex Longino in ſuis apud Rainaldum Annalibus repetamus: *In Polonia* (inquit) *ob violatam Eccleſiaſticam libertatem, aliaque inflicta damna, eximium pœnitentiæ ſpecimen dedit* Henricus IV. *Vratislauienſis, & Sleſiæ Dux, qui aduerſa valetudine ex veneno à Sileſitis propinato contracta, hoc anno obijt. Cum enim morbi vim ingraueſcere ſentiret, res ſuas partim Eccleſiis, partim egentibus, partim vxori diſtribuiſſe ſcribit Longinus. At Pontifex in ſuis ad Epiſcopum, & Clerum Vratislauienſem literis refert, Henricum dolore animi tactum ob diuexatas à ſe, & Maioribus Eccleſias, publicis literis erepta reſtitui iuſſiſſe, priſtinamque ipſis libertatem conceſſiſſe, quæ omnia Pontifex ipſe Apoſtolica auctoritate corroborauit.* Ex narratis igitur Henricum optima ſalutis ſpe ſuffultum, & cum iam hauſto mortem veneno ſibi propinatam, ſalubri Pœnitentiæ pharmaco præueniſſet, intimo cordis dolore tactum, cunctas animi labes; vt ſupremã ſic vitæ horam Deo expiatus benè clauderet, lachrymis diluiſſe cõſtat.

Rainald. an. 1290. n. 44.

Longin. lib. 3 epiſ. 347.

Quæ pœnitens ſub vitę finem in Dei obſequiũ ad redimendas culpas præſtitit.

Expiatus, cũ magna ſalutis ſpe deceſſit.

14. Verùm quod Sapiens vel ſemel aliquandò edixit, mirùm in modum hominibus impijs, ac in Deum, & Dei Seruos per contemptum ſacrilegis, aperteq; in rem noſtram occinit: *Veh qui ſpernis, non ne & ipſe ſperneris? &c. Cum fatigatus fueris & deſieris contemnere tunc contemneris.* Vt enim nunc res probatis comprobetur exemplis, hæc appoſitè in S. Philippi geſtis habentur: *Ioannes Thomas Arena* (inquit) *proiectæ impudentiæ iuuenis, Oratorium interdum Sancti Hieronymi adibat, non vt è pijs ſermonibus fructum caperet, ſed vt concionantibus illuderet. Cum igitur Oratorij ſodales id ferre non poſſent, rem Philippo deferunt, quibus ille: Sinite filij: citò enim quid facturus ſit Deus, videbitis. Improbus interim iuuenis captas iniurias pergit inferre, cum repente improbitatem ſuam ſeriò recogitans, emollito corde, B. Parentis imperio ſe totum dat, nec multò poſt ſpiritus feruore concepto, Dominicanam familiam ingreditur: vbi dum adhuc inter tyrones agit, religioſiſſimè moritur.* Sic ſupernâ planè vi repentè ex illuſore in pium, deuotumq; cultorem homo, qui & dudum videbatur contemptor, atque ſacrilegus pœnitendo euaſit.

Iſaiæ c. 33. Petr. Iacob Baccius in Vit. S. Philip. Ner. lib. 2. c. 6 n. 5.

Sacras res, & quæ Dei ſunt contemnentes compuncti ſe ipſis pœnas exoluunt.

Io: Thomas Arena verbum Dei annunciãtibus illudit, ſed ipſe tandem deluſus reſipiſcit.

15. Quod & alteri pari itè Dei beneficio contigit, de quo iſthæc Baccius: *Petrus* (inquit) *Focilius iuuenis Neapolitanus, & ſcurrilitatum plenus, ac ſalibus iacidis apprimè deditus, inuitus admodum, ac ferè per vim à Socijs ad Oratoriũ deducitur, vbi obſeruat ſe à Philippo fixis oculis aſpectari & quaſi acutiſſimis haſtis penetrari. Cunctis Oratorij functionibus interfuit, quibus delinitus, cõfeſtim mutatis moribus, Templo egreſſus, alter ſibi propemodum factus videbatur. Sæpe deinde ad S. Parentem, peccata confeſſurus accedit: Sed Philippus quaſi ſpreto homine, aliorum confeſſiones excipiebat, & ipſum abire iubebat. Per duos menſes iuuenis patienter acceſſit: Cum denique Philippus benignè admodum eius confeſſionem excepit, ac fauente Deo, breui ad inſignem vitæ normam illum perduxit. Huic prædixerat futurum, vt in ſumma egeſtate aliquando moreretur, nec vox irrita: nam qui iunior diuitijs affluebat, ſenior effectus, ad tantam paupertatem redactus eſt, vt panis ad ieiunam ſuſtentandam*

Petr. Iacob. Baccius in Vit. S. Philip. Ner. lib. 2. c. 6. n. 7.

Petrus Focilius ſcurrilitati, ac dictorum ſalibus intendens ad Deũ traducitur.

Ad confeſſionem accedens, & à S. Philippo ſemel, ac iterũ reiectus tandem mirificè pęnitens in virtute profecit.

dam vitam deesset; piè tamen, vti semper vixerat, è vita migrauit. Hæc in rē Auctor.

Fr. Leonard. Hanzen. Ord. Prædic. in B. Rosæ Peruan gestis c. 2.

16. Demùm ipsis quoque sacrilegis contemptoribus semper ad Dei misericordiam aditus patet, vt sacrilego in suis prauis olim erroribus insordescenti contigit; cui vt in B. Rosæ Virginis Peruanæ gestis videre est, ipsius Virginis patrocinio contritionis, ac pœnitentiæ donum diuinitus contigisse his verbis traditur: *Admiratione* (inquit) *pra multis dignum est, quod de quodam insigni peccatore ysdem Iudicibus, eodemque mense, & anno, ex certa sua (vti protestatur) scientia aperuit P. Fr Bartholomaus Martinez Rosa quondam Confessarius, & Lima tunc Canobio FF. Prædic. ad S. Maria Magdalena Præfectus. Quidam profligata conscientia vir assiduè quidem cum alys vinifica pœnitentia, & Eucharistia Sacramenta frequentabat, sed non nisi in anima sua mortem, & exitium, nunquam enim toto sacrilega vita decursu ritè, integreque confessus fuerat, ac longissima annorum serie in hoc luto computruerat. Accumulabantur sceleribus scelera, & videbatur omnis occaluisse Synteresis, immò in dies obrutescebat magis, & prolapsa vsque in profundum impietas contemnebat. Non defuit tamen aliena pietas, quæ miserrimū Rosa tumulata commendaret. Mox ille quasi ab annoso lethargo euigilans, cæpit sentire intus sibilum illius auræ tenuis, ac potentissimæ, qua Deus afflat corda obstinatorum, vt instar ceræ liquescant. Exhorruit infelix, vbi se circumspexit immersum labyrintho tam cœnoso, & ineluctabili, verùm Diuina bonitas vnà cum acutissimis pœnitentia stimulis misericordiæ fiduciam ingerebat. Quid multa? generalem de totius vita sua delictis exomologesim amarissimo doloris sensu perfecit; ex horrendis, omnemque modum, ac numerum supergressis flagitys nullum subticuit, & conscientiā, quam callus obduxerat, timor Domini in eam emolliuit teneritudinem, vt deinceps minimos quoque excessus, tanquam prægrandes pauidissimè senserit, atque eluere festinarit.* Sacrilegus itaque sic toties exemplo à se ipso mutatus, nonnisi Deo, eiusque Sanctis tribuendum eiusmodi cordis, ac mutationis portentum suo ipse experimento probauit, sed iam ad alia stylum inflectimus.

Quidā profligatę conscientiæ ad pœnitentiā & ipsū Altaris Sacramentū sacrilegus accedens tādem conuertitur.

B. Rosæ Peruanæ patrocinio cōmendatus, errorē agnoscens ex corde compungitur.

Sacrilegus adeo pœnitens proficit, vt leuia quæque grauissimas vti culpas postmodum compræet.

CAPVT XXIII.

Dei voluntati, eiusque consilijs temerè obluctantes admissi criminis pœnitet.

Mortalium nemo immortalis Dei æternis contraire decretis, eiusque imperij obsistere nutibus, *ac nullis* (vt Hieronymus ait) *Deus cōtra se viribus superari potest: Subest enim illi* (vt sapiens ait) *cum voluerit, posse*; adeoque vel nolens quisque, vel inuitus, Numinis tandem sui obsequio deseruit. *Quis autem restitit ei, & pacem habuit?* Nulla igitur Dei voluntati obluctantibus pax, nulla quietis aliquando emolumenta contringunt, sed hoc ipsum, quo Deo quis repugnat, nonnisi repugnanti crux, ac tormentum inde in causis intolerandum redundat. Quapropter aptè, appositeque Augustinus ad id mortalium cunctos alacriter exhortando incitans, vel ipsius maximè deuotę, ac pròptæ voluntatis obsequio Deum ab hominibus coli affirmat: *Optimus* (inquit) *minister tuus est, qui non magis intuetur hoc à te audire, quod ipse voluerit, sed potiùs hoc velle, quod à se audierit.* Pax quippe cum *sit* (vt ille ait) *tranquillitas ordinis*, nisi voluntas hominis Deo, vt par est, omnimodis famuletur, haud animus aliquādo quiescere, haud perfectè simul gaudere aliquando potest; et quidem meritò: *Aequius enim est* (inquit Augustinus) *vt nos eius, quàm ille nostram sequatur voluntatem.* Quantæ verò felicitatis, & quanti item ad vitæ, & animi tranquillitatem id vnum momenti sit, idem Augustinus inculcans: *Nemo* (inquit) *melius ordinat, quid agat, nisi qui paratior est non agere, quod Diuina potestate prohibetur, quàm cupidior agere, quod humana cogitatione meditatur.* Enimuerò cum Deus cuncta prouidè sapienterq; se regat, & ad suū debitum vniuersa, quæ sunt, finē ordinando perducat, vbi mortalium voluntas pugnādo ipsius voluntati opponitur, pœnale vnusquisque in semetipso (vt Bernardus docet) supplicium tolerat: *Cesset* (inquit) *propria volun-*

Hieronym. epist. 26. ad Damasum Pap. c. 12 58.

Omnipotētis Dei voluntati, eiusque consilijs resistere nemo potest.

Augustin. lib. 10. Confess. c. 26.

Homo velit, nolit, quod Deus vult, vel nolens, vel inuitus exequitur.

Augustin. lib. de Catechis. rud. Iudic. c. 14.

Aequum magis hominē Dei volū tati parere, quā hominē Deū obsequi

Augustin. vbi supra.

Bernard in serm. ad fratres de monte Dei.

voluntas, & Infernus non erit; in quem enim Inferni ignis, nisi in propriam voluntatem desæuiet. Damnatorum quippè obdurata in malo voluntas, gehennam quibusuis acerbiorem pœnis sustinet; ac intoleranda malorum prorsus incommoda è proximo in se vnam accersit.

Voluntas Deo repugnans homini repugnāti infernus, & patens ad infernū via.

2. Dei itaque mortalium quisque voluntatem semper vel nolens adimplēdo exequi cogitur, adeoque dum magis, magisque recalcitrando repugnat, intus magis cruciatur, & dum longiùs à Deo fugit, tunc ad Deum propius compellitur ire. Quod sanè suo satis olim Ionas experimento didicit, qui à Deo ad prædicandam Niniuitis pænitentiam directus, cum sciret ipsum post intentatas eisdem irarum minas, eorumdem per pęnitentiam culpis reconciliandum, sponte tamen iusta ipsius subire mandata detrectans, in Tharsis profugus abit. Mox verò oborta in mari tempestate, sic procellis vndique exagitari cœpit, vt vel à nautis in mare proiectus, non secus ac certa mortis inter fugiendum præda, ac triumphus insuper secus imperanti exciterit: *Surge* (inquit) *& vade in Niniuem Ciuitatem magnam, & prædica in ea, quia ascendit malitia eius coram me.* Dum ergo animo fluctuans illuc deuectus nauigio, ire non vult, quo Deus iubet, ipsiusque adimplere voluntatem detrectat, ipsis ad parendum fluctibus, procellisque, Dei fidis velut apparitoribus, & nauigio non secus, ac carceri mancipatus obedire compellitur: *Deus* (inquit) *misit ventum magnum in mare, & facta est tempestas magna in mari, & nauis periclitabatur conteri.* Ionas siquidem iam tum Saluatoris, qui per pœnitentiam Mundo salutem attulit, typum gerebat, vt aptè Hieronymus docet: *Ionas* (inquit) *columba pulcherrima naufragio suo passionem Domini præfigurans, Mundum ad pœnitentiam reuocat, sub nomine Niniue salutem gentibus nunciat.* Qui igitur in mari iactabantur sic Ionā, vltrò inclamantes compellant: *Quid* (inquiunt) *faciemus tibi, & cessabit mare à nobis? quia mare ibat, & intumescebat: Et dixi ad eos: tollite me, & mittite in mare, & cessabit mare à vobis. Scio enim, quod propter me tempestas hæc grandis venit super vos.* Arcano itaque

Ionas Deo repugnans naufragium subit Dei obsequi imperio compulsus.

Iona cap. 1. num. 2.

Ionæ cap. 1. num. 4.

Quid suo Ionas naufragio mortalibus designet.

Hieron. ep. 1. ad Paulum.

Iona vbi supra.

Tempestas in mari, ob Ionæ Deo repugnantis culpam exoritur.

que Dei nutu accidit, vt fuga in Tharsis viam Prophetæ in Niniuen panderet; is enim, qui nauigium in Tharsis fugitiui in morem conscenderat, Balenæ inclusus aluo, non secus ac tuto vectus nauigio in Niniuen, iuxtà quod Gregorius docet, supernis vel nolens inseruiendo decretis asportatur: *Ecce (inquit) fugitiuum Dei tempestas inuenit, sors ligat, mare suscipit, bellua includit.* Sed quorsum, dicet aliquis, isthæc? profectò vt Propheta veluti reus, haud Dei contraire post hac imperio edoctus, iam tum carcerem captiuus pateretur; sic enim idem Gregorius: *Vt quia (inquit) auctori suo obedire renititur, ad locum, quò missus fuerat, suo reus carcere portaretur.* Sic planè, qui renuendo fugiebat, diuina vel nolens, vel inuitus, imperia exequi compulsus est. Quis enim Omnipotenti dum iubet, quoquo modo contraire præsumat? Quod probè Nazianzenus expendens: *Solus* (inquit) *ex omnibus rebus Deus est, qui nec fuga vitari, nec superari potest, cum aliquem arripere, & sub manum, & potestatem redigere voluerit; celeres anteuertit, prudentes decipit, fortes subuertit, sublimes contrahit, audaciam mitigat, potentiam premit.* Dei igitur consilia, haud hominum intercipi calliditate, haud mortalium retardari consilijs queunt.

Gregor. lib. 6. Moralium, c. 12.

Dei voluntas à seruo fugiēte, vel dū fugit impletur.

Gregor. vbi supra.

Nazianzen. in apol. orat. 1. de fuga sua.

Solus Deus nec fuga vitari, nec superari potest ex Nazianzeno.

3. At Deus dum sic Ionæ è Cœlo irascitur, non tam ipsum quam ipsius suo parere detrectantis imperio contumaciam oderat, adeoque non nisi in hāc suborta tunc acriter tēpestas desęuiebat. Sapiens itaq; Mundi Rector nō hominē, sed eius potius iter, ac viā calamitatibus vltrò amarulenter disperdit, vt aptè in rē Chrysostomus aliquando inculcat: *Vias peccatorū disperdet*, non tam enim Altissimus peccatorum personā, quàm peccantium mores, ac vias odit: *Non dixit* (ait ille) *disperdet peccatores, sed viam ipsorum etc. Non enim auersatur naturam, sed odio habet vitium.* Voluntatem quippè contradicentis Ionæ sic Deus haud Ionam ipsum profectò auersabatur, vt hæc in exlegibus maximè hominibus vtpote sibi contrariā odisse cūctis palā ostenderet. Qua propter meritò Dauid: *Iter* (inquit) *impiorum peribit.* Vbi enim ad Deum rebelles per pœnitentiam compuncti

Chrysost. in psal. 145. v. 9

Deus dū Ionæ irascitur ipsius contumaciam oderat non enim auersatur naturā, sed vitium odit ex Chrysostomo.

Psal. 1. n. 6.

puncti redeunt, propitium illico Deum ex irato sortiuntur. Quæ item apposite Ambrosius aliquando inculcans: *Perire* (inquit) *iter impiorum dixit, non impios: seruat eorum substantiam, qui si conuertantur, solum iter impietatis amittent*. Ita prorsus Ionæ Dei subinde nutibus obtemperanti, ac mortis periculo diuinitus liberato contigit. Quod adeò verum est, vt Deus haud puniendos homines interdum perdat, sed sola suis obluctantes mādatis ignominia cōfundendo respergat, quo suis ipsi nutibus ceruicem inflectant. Vt suis diuinus Psaltes verbis admonet: *Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuū Domine*. Quæ quidem imprecantis vox, non tam ex odio quàm ex diligentis affectu deriuat, vt sapide Augustinus inquirendo demōstrat: *An oderat* (inquit) *quorum facies ignominia implere cupiebat*. ? Quæsito autem subinde respondens: *Immo* (inquit) *& amat, & odit. Odit tua, amat te. Odit, quod fecisti; amat, quod fecit Deus; quæ sunt enim tua, nisi peccata? & quid es tu, nisi, quod fecit Deus, hominem ad imaginem, & similitudinem suam*. Sic planè immortalis Deus mortalibus suæ perperam voluntati obluctantibus irascitur, sic plerumque flagellis instat, sic procellis insuper vrgendo quatit; at vbi quis eius imperijs deuotus obsequitur, illicò post tempestatem tranquillum faciens ignoscat. Cuius quidem rei digna, ac testatissima nobis Pœnitentium in sacris historiarum paginis exempla non desunt.

Ambrosius in Psalm. 1.

Impios haud Deus perire vult, sed impiorum iter &, quid his verbis designet ex Ambrosio. Psam. 82. num. 17.

Augustinus. lib. 50. n. 40.

Peccatores Deus amat & odit, odit peccata, sed amat hominē ex Augustino.

4. Suam itaque Deus hoc vno maximè aliquando Potentiam ostendit, dum homines nedum à se alienos, sed & omnino auersos, suoque repugnantes arbitrio, ac inuitos quodammodò, nolentesquè ad suam fortiter gratiam pertrahendo adducit, vt in gestis S. Bernardi Clareuallensium Abbatis his planè verbis traditur: *Ingressus (inquit) aliquando Seruus Dei Germaniæ Regnum, festinabat ad partes Moguntinorum pacem reformaturus etc. Albertus honorabilem quendam Cleri cum nomine Mascelinum Viro Dei obuiam misit, etc. paulisper intuitus eum Vir Dei: Alius (inquit) Dominus ad sibi seruiendum te misit. Expauit Theutonicus, et miratus, quid dicere vellet, firmiùs asserebat à Domino suo Moguntino se se Archiepiscopo, destinatum. E contra Seruus Dei falleris (ait) maior Dominus est, qui misit te, Christus. Tunc demum intelligens homo, quorsum vellet vibrare sermonem: Putas (inquit) quòd Monachus fieri velim? Absit a me, non cogitaui, nec ascendit super cor meum. Nihilominus tamen renuente illo, Dei famulus affirmabat omnimodis fieri oportere, nō quod ipse de se cogitauerat, sed quod de eo disposuerat Deus. In eodem denique itinere conuersus ad Dominum, sæculo vale fecit, et cum alijs plurimis, etc. ipse quoque, vt prædictum fuerat, sequutus est eum*. Hominem igitur Deus primò vel nolentem ad sui tandem obsequium traxit, vt efficax ipsius vocantis tum vox, tum virtus Omnipotentis innotesceret: Deus quippè vbi vult, *dat voci suæ vocem virtutis*; vt illud meritò homini aliquando occinat: *Trahe me post te; curremus in odorem vnguentorum tuorum*.

Godefridus in gestis S. Bernardi Ab Clara Val. lib. 4. c. 3.

Mascelinus ab Alberto Moguntino Archiepiscopo obuiam S. Bernardo missus, eius palam dictis contradicit.

Deo repugnans se nolle Monachū fieri; quod vir Dei asserebat, palam cōstanterque edicit, & tamen monachus fit.

Psam. 67. 34.

Cant. 1. 4.

5. Porrò Pœnitentiæ potissimùm virtus, qua homo sibi diuinitus immutatur, adeoquè ipsius vi gratiæ quandoque mutatio dexteræ Excelsi innotescit, immensam profectò Dei Potentiam sic homines ad se trahendo demōstrat: *Faciam* (inquit) *vt in præceptis meis ambuletis*. De nolētibus quippè volentes fiunt vtcunctis palàm in eiusdem S. Bernardi gestis Auctor sic tradit. *Accidit (ait) vt veniens Henricus (germanus videlicet Francorum Regis) ad hominem Dei, super quodam sæculari negotio loquutus, conuentū etiam Fratrū visitans, eorum se se orationibus commendaret. Cui Pater Sanctus inter verba sanctæ exhortationis: cōfido, dicit, in Domino, nequaquam in eo statu te moriturum, in quo nunc positus es; sed velociter experimento proprio probatum, quantùm tibi istorum prosit oratio, quam expetisti. Quod eodem postmodū die non absque multorum admiratione completum est, et de tanta iuuenis conuersione Coenobium omne exultatione repletum est. Lugentibus autem socijs, et familia tota, ac si mortuum illud cernerent, eiulāte præ ceteris, Andreas quidam Parisiensis Henricum ebrium; Henricum vociferabatur insanum, nec conuicijs, nec blasphemijs parcens. E contrà sanè idem Henricus pro illius protinùs conuersione Dei hominem dare operam precabatur. Cui Vir Sanctus audientibus multis*.

Ezech. 11. 20.

Godefridus in Vit. S. Bernardi lib. 3. cap. 7.

Deus homines ad se trahendo, nō cogit nolentes, sed de nolentibus volentes facit ex Augustino.

Henricum germanum Regis Francorum futurum Monachum Cistercensis Ord. Sanctus Bernardus enūciat.

Andreas Pa-nfensis eius-dem socius hoc audito Dei Seruì dictis, ac Deo repugnans iniuriis fuit.

tis : Dimitte , (ait) *hominem: modò anima eius in amaritudine est, nec pro eo multùm sollicitus sis, quia tuus est ille. Cumque amplius spe concepta Henricus instaret, vt loqueretur Andreæ, seueriùs intuitus eum vir Dei: quid hoc est?* (ait) *nunquid non iam dixi tibi. tuus est ille? Audiens hæc Andreas (adstabat enim et ipse) sicut plurimùm improbus erat, & à Sacra conuersatione vehementer abhorrens talia secum, vt hodiè fatetur, tacita cogitatione voluebat: In hoc nunc scio, falsum te esse Prophetam. Hoc enim certus sum, quia loquutus es verbum, & non fiet. Hoc tibi ego coram Rege, & Principibus in celebri quocunque Conuentu improperare non parcam, vt tua omnibus falsitas innotescat. Cæterum quàm mirabilis Deus in consilijs super filios hominū, ridens eorum vana conamina, vt propositum suum, quando, & quomodo ipse noluerit, impleatur. Siquidem die altera ibat Andreas, mala omnia imprecans Monasterio, vbi Dominum dimittebat, ipsam quoque desiderans Vallem funditus subrui cum habitatoribus suis. Nec parum moti sunt, & mirati, qui prædictum Viri Sancti de ipso audierant verbum, cum taliter videretur abire: Sed non diu pusillanimitatem eorum, & fidem modicam tentari passus est Deus. Illa tantùm die procedens, & repellens quodammodò gratiam Dei, nocte proxima victus, & quasi vinctus, trahente se, & vim faciente spiritu Dei, diem expectare non potuit, sed exurgens ante diluculum, velociterque rediens ad Monasterium, alterum nobis Saulum, vel magis de Saulo Paulum exhibebat.* Sic pertinax pridem homo Dei vocibus, & imperio reluctans, totus vel dum corde obdurescens magis, magisque resistit, captiuum se, ac triumphatum repentè videns, Deo vel nolens, vel inuitus dare gloriam compulsus est.

Repugnantem Monachum futurum vir Dei indubitanter affirmat.

Certus sum (aiebat) quia loquutus es verbū non fiet.

Qui maximè repugnans nec sine conturnelius abscedens, paulò post victus vinctusque ad claustrum redit.

6. Enim verò Diuinæ voluntatis imperio contraire, ipsiusq; nutibus (*cuius imperium*, Hieronymo teste, *beneficium est*) nolle acquiescere, intolerandū planè piaculi genus est, adeò vt cuncta, si quæ, sunt hominis bona perdendo in vitium conuertat, ac ipsum vnà cum suis bonis abominandum Deo hominē reddat. *Grande* (inquit Bernardus) *malum propria voluntas, qua fit, vt bona sua tibi bona non sint.* Quo sanè quid dici, aut certè excogitari deteriùs queat, cum voluntas, quæ malorum omnium radix est, ipsi per summam Deo arrogantiam, suisque bellum insurgendo armis intentet, vt aptè Bernardus aliquando his culpæ reatum, ac malorum originem, summatim verbis exaggerat: *Propria* (inquit) *voluntas Deum impugnat, & aduersus eum extollitur. Ipsa est, quæ Paradisum spoliat, Infernum ditat, sanguinem Christi euacuat, & ditioni Diaboli Mundū subiugat.* Quod quidem appositè olim Sauli sub ipsa ferè Regni primordia, Diuinis parere imperijs per scelus detrectanti amarulentis Samuel dictis increpando edixit: *Nunquid* (inquit) *vult Dominus holocausta, & victimas, & non potius, vt obediatur voci Domini? melior est obedientia, quam victimæ, & auscultare magis quam offerre adipem arietum.* Quid enim ad placandam Dei iram holocaustum prodest, vbi fœda sacrilegio voluntas hominis nedū non placet, sed ipsum irritat magis, quā placat. Quapropter condigna planè Saulis piaculo ipsius Numinis calculo pena respondit. Regno quippè meritò decidit, qui non iam Rex, sed violati reus Imperij iam Deo subesse noluerat. In seruilem namque conditionem transire conuincitur, qui à Dei temerè recedens obsequio, vitiorum proculdubio captiuus fit, qui non nisi per scelus liber fieri contendit, vt suo August. experimento didicit: *Suspirabam* (ait) *ligatus non ferro alieno, sed mea ferrea voluntate, velle meum tenebat inimicus, &c.* Id planè alter dum suis potius voluptatibus, quam Deo voluntati obsequitur, & carni magis, quam spiritui totus indulget expertus est, qui oblatis Deo pro se precibus obsistere non valens, dū se victum agnoscit, verè victor euasit, de quo isthæc Belllouacensis in gestis S. Stephani Abbatis Grandimontensis: *Miles* (inquit) *generosus immensi criminis reus, cum inter alios, qui ad eum visitandi gratia venerant assisteret, ait. Obsecro te Serue Dei, noli pro me Deum deprecari, nam quoddam peccatum in tātum diligo, quod nullatenus illud, vel odire, vel relinquere volo. Quòd si pro me rogaueris, ne hoc mihi contingat, timeo, tuis orationibus alijs auxiliare, mihi verò minimè; His dictis recessit latus, & Vir Sanctus remansit tristis, & anxius. Ingressusq; ad capitulum Fratres congregauit,* sed

Hieronym. in epist.

Bernard. ser. in die Resur.

Haud Dei voluntati repugnandum.

Bernar. vbi supra.

1. Reg. c. 15 num. 23.

Saul Regno ob inobedientiæ reatum decidit.

August. in lib. Confess.

Vincentius Bellouacens. in spec. hist. lib. 25. cap. 48 in vit. S. Stephan. Abbat. Grandimon.

Miles impius seruum Dei pro se orare prohibet, ne à suis vitijs ad Deum conuertatur.

sed præ lachrymarum impetu vix loquens, tandem eos hortatur, vt pro stultissimo milite Deum eum eo deprecentur. Nec mora: peccator rediit, & de stultitia veniam postulans, iniquitatis sua corde, & ore renunciauit. Sic planè qui Dei voluntati hactenus repugnando, ac suæ obsequendo, grauiori se piaculo obstrinxerat, ac pacē à se procul cordis abdicans esse sub sentibus delicias computabat. *Quis enim ei restitit, & pacem habuit*. Vbi Dei iam captiuatus imperio, ipsius se totum dedidit voluntati, se ipsum, ac pacem vnà simul feliciter lucratus inuenit.

Vir Dei precibus prauā hominis voluntatem debellans ad Deum conuertit.

Iob.c.9.4.

7. Atqui eos potissimùm, qui Deo inseruientes, nedum omnimodis sunt à peccando alieni, sed & suis item pro culpis molesta quæque patiendi desiderio æstuant, ac pœnitentiæ iugiter exercendæ, spontè, ac sollicitè intendunt; haud aliter ab his, qui animo isthæc reluctante, ac prorsus inuito tolerant, discriminari contingit, quàm sola duntaxat voluntate. Hac quippè acerbiores mortalis vitæ pœnas amplexando delicias; delicias verò sæculi, nōnisi vt pœnas exhorrendo computāt; Christi vtiquè exēplo, *qui* (vt Cyrillus Alexandrinus ait) *cruciatus, & opprobria delicias sibi esse putabat, vt voluntatem Patris impleret*. Præferuidus quippè Christi amor pœnis, & quibusuis malorum incommodis quidquid intus acerbum est, tollens; ipsis saporem, ac simul gratiam refundit. *Quasi morientes* (inquit Apostolus) *& ecce viuimus, vt castigati, & non mortificati, quasi tristes, semper autem gaudentes*. Omnis namque labor, & pœna Deum sincerè amantibus, in gaudium procul dubio vertitur; adeo vt quamuis alieno iudicio miseri, suo tamen sint non tam miseri, quàm verè beati, quos ipsa spontaneos ad tolerandnm pariter, ac pœnitendum milites voluntas designat. *Nemo quippè aliorum* (vt Saluianus docet) *sensu miser est, sed suo, & ideo non possunt esse falso iudicio miseri, qui sunt verè sua conscientia beati*. Enimuerò quemadmodum vitæ huius mala inuito subire animo, ipsum facit miserum hominem, sic pariter spōtè, volentesq; ista perpeti, beatos haud dubiè renunciat: Quapropter *nulli* (Saluiano teste) *beatiores, quàm qui ex conscientia sua, & ex voto agunt*. Vt res autē nedum verbis, sed prolatis insuper comprobetur exemplis, si noster ad Religiosos viros sermo deriuet, nil profectò aliud, quo studiosi pœnitentiæ cultores à perditis secernantur hominibus, præter vnicum deuotæ voluntatis obsequium contemplantibus præsto est. Sic enim aptè Scriptor prælaudatus prosequitur: *Humiles* (inquit) *sunt Religiosi, hoc volunt; pauperes sunt, pauperie delectantur: sine ambitione sunt, ambitum respuunt. Inhonorati sunt, honorem reiiciunt: lugent, lugere gestiunt. Infirmi sunt, infirmitate lætantur*. Quidquid igitur arduum pia hominis mens spontè, ac volens amplectendo sustinet, neutiquam iusto Sapientum calculo pœna esse putatur. Ex quo planè numero inter Religiosos viros Monachi præsertim S. Bernardi Clareuallensis Cisterciēsis Ordinis dicēdi sunt, qui è Gallijs olim interlapso ferè iam sæculo in Vrbem aduenientes, satis amplam virtutum de se cunctis narrandi materiam reliquere, vt Pompeius Paterius Congregat. Orat. Presbyter in suis manuscriptis paginis his verbis meminit: *Religiosi* (inquit) *Cistercienses Ordinis S. Bernardi, Regulæ vtpotè obseruantioris Monachi, vbi primùm in Vrbem è Gallijs aduenere, Ecclesiam Sanctæ Pudentianæ Virginis antiquitate in Colle Exquilino celebrem, Diuinis excolendam Officijs acceperunt. Quapropter domum satis angustam, rudemque ad latus Ecclesiæ ad habitandum, & quæ ad Austrum respicit, nacti, mirum dictu, quàm rigidè ibidem vitam, sola diuites inopia ducerent. Pœnitentiæ quippè studio addicti cunctis ferè incommodis redundabant, adeò vt nonnisi excruciando omnimodis corpori, & in nulla re prorsus sibi indulgendo, omnem à se penitùs corporis curā, ac vitæ procul abiecisse amorem viderentur; solis namque herbis, ac leguminibus victitabant. Nudis item pedibus incedentes: somnum nonnisi supra asserem duobus latum palmis, ac rudi contenti inter recubandum culcitra capiebant; Diuinis sic rebus intenti, vt si quando ab orandi, & psallendi studio vacarent, Apostoli exemplo suis sedulò manibus laborarent. Egregiam verò istorum hominum pietatem, ac præferuida in Deum Religionis studia Christiana in primis humilitas cōmēdabat: Nam si quando Sacerdos aliquis ipsis inter deambulandum per Vrbem occurrisset, fixis*

Voluntas Christi amicos à sæculi sectatoribus discernit.

Cyrillus Alexandrin. lib. 10. in Ioan. cap. 21.

2. ad Corint. 6. num. 9.

Saluian. lib. de prouid.

In pœnis amplectēdis voluntas corona affert; è contra necessitas, & coactio meritū aufert.

Saluian. vbi supra.

Saluian. vbi supra.

Monachorū S. Bernardi vitæ rigor, & obseruātia in Vrbe.

Pompeius Paterius Cong. Orat. in M. S. paginis.

Piæ eorumdem exercitationes.

mox

mox humi genibus miro deuotionis terram, quam pedibus calcarat, affectu deosculabantur. Dum igitur Religiosi viri tam rigidè vitam agentes, quibusuis incommodis laborarent, agram insuper contrahentes corporis valetudinem breui morbo absumpti, è viuis abibant. Quod vbi Clementi VIII. dignissimo, & æterna memoria Pontifici innotuit, Virum æquè prudentem, ac pium, qui probè omnem Instituti eorumdem, ac regularum rationem inquirendo, recognosceus, rigorem, quo vtebantur, ex parte, ne ipsis obesset, temperando minueret, & qui eorum item cœtibus interesset, ac ipsorum sedulò curam ageret, deligendum præcepit, ad quod Paterius subindè destinatus ob pias, & multiplices curas, eiusmodi recusare Prouinciam compulsus est. Quam Pater Cosmus Bernabitarum Congregationis S. Pauli Sacerdos, Religiosus valdè pius, muneri suffectus, qui & posteà Tortonæ Episcopus renunciatus est, suam omnem ijsdem operam impendens egregiè adimpleuit; & Religiosos huiusmodi ad mitioris vitæ normam summo eorumdem exemplo, necnō aliorū item in Vrbe vtilitate feliciter tandem traduxit. Hæc ille de Religiosis corde magno, & animo volenti austerioris vitæ semitam, pœnitentiæ, ac Dei amoris feruore extimulante sectantibus. In quibus sanè præferuidus olim Clareuallensis Bernardi spiritus, ac primæua simul discipulorum ipsius in Deum pietas, nec non Charitatis ardor, ac Pœnitentiæ amor eximius hac nostra ætate rediuiuus in lucem visus est mortalium oculis affulsisse; dum dignorum insuper hominum, ac virtutum merita in Abbate nuper dignissimo Ioanne Bona diuinitus remunerata conspicimus, cui paucis ab hinc mensibus vniuerso Sacro Patrum approbante Senatu, ac pijs, doctisque plaudentibus à Clemente IX. fel. rec. homini scilicet, qui rudi Religiosorū Pœnitentium sacco induebatur, condigno meritorū suffragio, præter sui expectationem, cunctis mirantibus Purpura vltrò delata est. Sed vt ad sua iam nostra redeat oratio; plurimum quidem (Ambrosio teste) refert, *vtrum ex voluntate quid facias, an ex necessitate, voluntarius minister habet præmium, inuitus dispensat obsequium.* Nam in quibusuis operibus voluntas in primis attenditur: *Et in amicis quidem* (ait Hieronymus) *non res quæritur, sed voluntas.* Ità planè ipsa & in agendis rebus præmium, aut pœnam homini confert voluntas.

> Nimium vitæ rigorem ob ingruentes morbos à Religiosis téperari oportuit.

> Ioannes Bona Ab. inter Clareu. Monachos ad purpuram nouissimè euectus à Clemente IX.

> Ambr. ser. 14. in psal. 118.

> Hieron. epist. ad Castrus.

8. Secus verò, qui Deo, cui omnia obediunt, spontè subdi (vt par est) detrectant, eiusquè nutibus, vt lex, ac ratio poscit, haud obsequendo repugnant, quin immò ab ipsius, à quo sunt recta consilia, vti ribelles imperio resilientes, haud se ab eo regi patiuntur, sed Dei interdum audacter prouidentiæ detrahendo, sacrilegas insuper blasphemiarū voces eructant: hi profectò aduersis aliquandò rebus, calamitatibusque attriti, corde ex insperato compuncti, debitam immortali Deo iam victi victoriæ palmam deferre compulsi sunt. Quin & sub ipsius mortis aspectu, Pœnitentiæ subsidio releuati; quicquid temere pridē deliquerant, piè & magna ob id digni laude retractant. Quòd sanè, vt multa, quæ in rem suppetunt exempla prætereamus, vnus olim è Purpuratorum numero satis docuit, qui Vrbano huius nominis V. Romano Pōtifici diuino mox nutu in Italiam profecturo (& quo spiritu ductus, nescitur vnà cum nonnullis) acritèr, validèque primùm ad contentionem vsque restiterat; sed cum demū in Vrbe iam degens, iter in Gallias arripere, haud Dei consilijs acquiescendo excogitat, languore præuentus ipsiusque Dei impulsu edoctus, vel dum proficiscendi à Pontifice facultatem exposcit, se haud ex Vrbe in Patriam, sed ex hac vita potius à Deo in Cœlum euocari, ipsiusmet Pontificis ore intelligit; Quapropter totum se, viresquè suas ad salubrem è vita discessum, ac se dignè itineri comparandum, suisq; ad hoc probè consulendum rebus opportunè traduxit. Sed rem & ipsius hìc Petrarchæ, Cardinales super reditu in Italiam Pontifici obluctantes meritò carpentis, sugillantisque verba gratis auribus excipiamus. *Vnum* (inquit) *de multis interseram, fuisse ibi nonnullos ex illo etiam venerabili Ordine, qui confestim, vt ventus classem terris eripuit, ceù torti acriter muliebri eiulatu, omnium in se nautarum, vectorumque ora conuerterent, quin & conuicijs; neque stomachi esset excusatio, blasphemijsque non parcerent: O malum Papam! ò Patrem impium exclamantes; Quantum terrarum miseros*

> Rainal. ann. 1367. n. 2.

> Auersi à Dei imperio, & magis in suo sensu pertinaces, subitò conuersi, Dei cedunt obsequio.

> E Cardinalium numero vnus, qui Vrbano V. ad Vrbem redeunti aduersabatur, pœnitēs tandem, ac moriens errorē fatetur, & Dei se consilijs subdit.

> Petrarcha lib. 9. rerum senilib. lib. 2.

> Nonnulli Pontificē ad suam Sedem primatis adduci cōmodis nolebāt.

filios rapit? non quasi ad Christianitatis unicam, ac supremam arcem Vrbem Romã, sua in Sede Catholica futuri Reges Ecclesiæ, sed quasi Tysiphonem, aut Memphim, Saracenorum in carceres traherentur. Verè ergò miseri filij sic affecti: verè autem felicissimus Pater, ac pijssimus (si latinè dicitur) qui nolentes etiam, ac luctantes filios ad salutem ducit. Contrarios igitur suis Pontifex votis suorum animos magis, quàm ipsos ratibus ventos, nauigaturus; ac suam Sponsam Ecclesiam, Sedemque Petri tandem reuisurus, ipsos apprimè Cardinales passus est pertinacissimè repugnando aduersantes; quos potius è contrà monitores, impulsoresq; præferuidos, ad magnum eiuscemodi sortiri opus debuerat. Sed iustam planè vltricem Numinis dexteram, & vel inter plectendum amantissimam in altero ex his, qui acriùs in Romanum hac super re oblatrando Pontificem, eius improbare, ac oppugnare consilium non cessabat, hìc quæso videamus; de quo Petrarcha isthæc aptè in rem præsentem subtexit:

Imprudens horit consilium.

Petrar. ubi supr.

Deus manifestum aduersus repugnantem signũ edit.

9. *Meritò itaque* (ait) *Deus illi, qui in maledictis acerrimus omnium fuit, manifestum, ac terribile signum fecit, ut scilicet, ex quo Sanctam Ciuitatem attigit, illico moreretur; qui cum morti proximus esset, ad Summum Pontificem destinasse traditur, qui dicerent: persuasum sibi à Medicis, ut si saluus esse vellet, ad suum aerem, atque Patriam remearet, commeatumque deposcere. Quod audiens Papa quid responderit, ut nil penitus Illustrium latet, usque huc fama relatibus insonuit, quæ an vera sint, tu ad Sacros Pedes assiduus indicabis; Ego enim rei nescius rem scienti narro: sed id facio, ut si in manus fortassis alterius hæc venerint, responsum omnibus notum fiat, marmoribus insculpe, & præ foribus Vrbium, ac Templorum legi dignum, atque æterna omnium, sed præsertim Doctorum, Sanctorumque hominum memoria celebrari. Cum enim mandata Nuncij peregissent, ille subito:* Ite *(inquit)* & *Domino vestro, amico meo, & scholæ socio dicite: cura in patriam eundi bona est; modò nouerit, quænam patria sit sua, nam terrenam patriam cogitare in hoc statu, intempestiuum, ac mortiferum: cælestis illa Ierusalem verè patria nostra est. Ad hanc ergo suspiret, ad hanc animum attollat: cuius tamen in limine duos se maximos, potentissimosque hostes quasinisse meminerit Apostolos Christi, Petrum scilicet, & Paulum, quorum voluntati summa vi restitit, meque illius executorem præ cunctis dissuasoribus omni, quo quiuit, ingenio retardauit. Illos igitur, dum adhuc licet, compunctione cordis, & lacrymis, ac precibus mitiget, ut eos sibi propitios, nec obstrusum Patriæ limen inueniat: hìc insistat, hæc cogitet, omissisque curis inanibus, unam hanc arripiat, quæ placati Apostoli Christum placent, lætamque illi ianuã Regni Cælestis aperiant. Euntes hæc meis verbis nunciate. O responsum verè Angelicum, &c.* Hæc Romano quidem Pontifice, ac Pontificio item tum munere, tum zelo digna sunt verba, quæ suam repetenti Sedem, sollicitam quoque, ac mirãm Pontificij pectoris curam, atque operam non tam obscurè adumbrent, quàm ad viuum contemplandã cunctis exhibeãt; sed quid vni ex Cardinalium numero, qui acriter obluctando Pontifici, ipsum ab opere reuocare studuerat, ac pœnitenti postmodum funestè sub ipsum vitę occasum in Vrbe acciderit, silentio obuoluendum non est; hæc enim Petrarcha.

Petit à Pontifice redeũdi ad patrios lares licentiã, & mortus à proximo instantis ab eo nuncium audit.

Apostolis Beatissimis Petro, & Paulo sic repugnans cito e vita tollitur, & Pontificis impletur oraculum.

10. *Cardinalem illum* (inquit) *de quo sigillatim suprà dixi, sic in morte contritũ, ut deuotius; atque ita prioris pœnituisse peruicatia, ut alium nullum sibi vellet hæredem, nisi solam tituli sui Ecclesiam, quam præ cunctis horruerat, cuius in refectionem omne suum patrimonium iussit expendi, atque ibi sepeliri mortuus voluit. Valuisse illi consilium Apostolicum intelligo, imò Christi consilium, Vicarij sacro ore prolatũ, quo sera licet, tamen efficax illius animæ mutatio facta est: & hinc sibi prouideant collegæ eius, ut (dum datur) obstinatos animos ad amorem suarum sedium inflectant, nec expectent pro sanioribus consilijs diem.* Hæc de prædicto Cardinali, qui Pontifici ad Vrbem venienti, ac suam ambitione magna Pontificiam Sedẽ repetenti, dictis pertinaciùs obstiterat, ac subinde pœnitens, non absque certis, manifestisque contriti cordis, & compunctionis intimæ signis suum feliciter diem obijt, in suis Petrarcha historiarum paginis scribit. Verùm quia huius consultò Cardinalis nomen silẽtio ab Auctore prædicto obuol-

Petrarcha ubi supra num. 3.

Pœnitens Cardinalis in Vrbe moritur, & titularem Ecclesiam hæredem instituit.

obuolnitur, cum hoc anno (vt Rainaldus affirmat) quinque numero è Sacro Cardinalium Collegio desiderari contigerit, quorum tres primi Episcopali munere insigniti, alij postremi duo in Presbyterorum Ordine computantur; affirmare necesse est, hunc procul dubio, cuius nomen filetur, cùm in Presbyterij Ordine, ipso Petrarcha teste, adnotetur, aut Eliam Sacræ Minoritanæ Familiæ, ac tituli S. Vitalis, vel certè Guillelmum Bragosium tit. S. Laurentij in Lucina fuisse. Et hæc de felici Purpurati huius obitu, suum pœnitendo agnoscentis, ac retractantis errorem, obiter dixisse sufficiat.

Rainald. vbi supra ann. 367. num. 3.

Et si nomen à Petrarcha taceatur haud tamen alius, quàm Card. tit. S. Vitalis, Vvilelmus Bragosius fuit ex Rainaldo.

11. Atqui præmemoratis hactenus pari tùm culpæ, tùm pœnæ consortio īsignitur eximius decretorū Doctor Guillelmus de Agrifolio, & S. R. E. item Cardinalis sub Vrbano V. de quo isthæc Auctor in appendice ad vitæ ipsius Pontificis auctorem: *Huius (inquit) Papa socius, & familiaris fuerat, cum in Minoribus existebat, & qui post Deum suæ dictæ assumptionis dicebatur fuisse præcipuus promotor, & auctor, &c.* Hic vnus igitur præ cœteris Cardinalibus Gallis, patrio relicto solo, Romam vnà cum Vrbano Pontifice diuertens, iniquè adeò rem tulit, vt linguam protinus in lamenta, querulosque susurros soluens, cum iam vela ventis darentur, acritèr indignatus, vnà cum alijs in acerbiora quæq; maledicta amatulentus prorumperet; sed haud impunis, Deo ob id exarcebato pertransijt; lethali quippè morbo præuentus, dum facultatem in patriam remeandi à Pontifice instātissimè poscit, sibi de sepulchro potiùs, quàm de paterno reuisendo solo in præsens cogitandum, pro responso accepit; adeoque acri perculsus languore, suamque vel sub ipsum vitæ finem culpam agnoscens, pro obtinēda reatus venia, intima animi contritione perculsus, se ad mortem piè obeundam parauit, & quod pridem dictis, factisque peccauerat, ex animo sollicitè retractans, dum verè pœnitet, qui sibi infelix adeò, & exul à patria videbatur, feliciter demum in Vrbe, non iam Patriam, sed Cœlum suspitādo decessit, vt Petrarchæ hactenus prælaudati verba; ad quem Lectorem cupidum amandamus, edocent. Cardinalis igitur, qui suas iugiter Gallias deperibat, & illuc iter, Romam cum suis diuitiarum thesauris exhorrens, ac morarum impatiens Dei voluntati repugnando arripere cogitabat, vbi Apostolico præmonitus Oraculo vitę sibi instare finem accepit, mox animi mutato consilio, ac se breui moriturum recogitans, ad felicem è vita exitum, nec iam de reditu in Gallias parando sollicitus animum conuertit, ac alijs quoque hic vnus, haud parum moriendo profuit, vt supra recensitis Petrarcha verbis innuit: *Valuisse illi (ait) consilium Apostolicum intelligo, &c. quo sera licet, efficax tamen illius animæ mutatio facta est. Et hinc sibi prouideant Collegæ eius, vt (dum datur) obstinatos animos ad amorem suarum sedium inflectant, nec expectent pro sanioribus consilijs diem mortis.* Ex quibus vix quemquam Dei impunè decretis contraire constat.

Rainald. an 1367. nu. 3.

Gesta Vrbani V. apud Bosquium.

Guillelmus de Agrifol. Doctor decretorū Cardinalis, Dei pariter vocationi obsistens moritur, et patrias exoluit.

In patriam rediturus sibi de sepulchro magis, quam de patria cogitandum audit.

De tuto è vita exitu piè cogitans ad veram cœli patriam suspirat, & suo cœteris exemplo prodest.

Petrarcha vbi supra.

12. Et charò siquidem plerumque stetit magnis quibusque Viris, ac Principibus, ipsisquemet Summis Pontificibus, Dei quandoque nutibus, eiusq; segniùs imperijs obtemperasse; dum suam vel ipsa interdum morte culpam exoluisse leguntur. Quod quidem ipsimet Vrbano V. huius nominis contigit; Vrbanus namque natione Gallus, & ante Pontificatum Guillelmus Crimoaldi, vel Crisant dictus, Abbas Monasterij S. Victoris, Doctor insignis, ad Throni Pontificij culmen, & præter omnium spem, atque expectationem euectus, eo erga Christi Ecclesiam zelo æstuabat, vt ab Innocentio in Neapolitani Regni Prouinciam Legatus missus, eius subindè (vt Villanus ait) audita morte Florentinis palàm edixerit: si aliquando sibi Deo aspirante Pontificem, qui Apostolicam in Italiam Sedem reduceret, Tyrannosque cunctos subijceret, videre contigisset, magna se tunc cum lętitia in sequenti die mortem feliciter obiturum. Hic post multa domi, forisque præclarè gesta cum Vniuersalis Ecclesiæ regimini, & conciliandis Principum animis perpetuò vacaret, postquam in Italiam ex Auenionensi Vrbe redux Romam veniens, multùm ibi, Apostolica sedatis ingruentibus malis præsentia profuisset; vix tādem mutato præter Dei voluntatē consi-

Vrbanus V. natione gallus qui ante quā ad Pontificatū proueheretur, ad Vrbem Pōtificiam Sedem reducere cogitabat, & postea impleuit.

consilio in Gallias remeando peruenit, cum subito in morbum incidit, ex quo posteà fatis concessit. Enimuerò S. Birgitta Deo afflata, Petro Rogerio, qui fuit posteà Gregorius XI., ac nepos Clementis VI. secretò aperuit, Vrbanum videlicet si quando Auenionem, Vrbe Roma relicta, rediret cōtinuò moriturum, quod & ipsi contigit. Itaque Pontifex dum in Gallias reuersus suo totus muneri intēdit à Deo euocatus supremum vitæ actū omni virtutum laude præfulgens absoluit, de quo isthæc ex Archiuio Monasterij S. Victoris: *Obyt die decima nona mensis Decembris circà horam nonam, Pontificatus sui anno septimo, et Christi 1370. in Camera domus habitationis D. Cardinalis Albanensis, ianuis patentibus, et apertis omninò, vt quilibet veniens ad videndum eius finem felicem, et catholicum, intrare posset; signum Sanctæ Crucis tenens in manibus, et vestitus semper existens, nec in illa infirmitate iacuerat quomodolibet denudatus*. Ex quibus Pontificem suo macerando iugiter corpori tam sanum, quàm ægrum viriliter, constanterquè omnem prorsus à se blādiciarum mollitiem abijciendo instituisse liquet, adeò vt vestimēta deponere, quātumuis graui oppressus infirmitate, noluerit.

Sedatis turbis reditum in Gallias meditatur.

M. S. Vatic. sign. nu. 40. n. 25.

S. Birgitta diuinitus Nepoti ipsius edixit si Pontifex reditum in Patriam operi demādaret, fore breui moriturum.

11. Verùm dignus Christi Vicarius quàm exactè Christianorum Principum rebus, ac discordijs eorundem insuper componendis vacaret, conscripta ipsius gesta his verbis testantur. *Postquam rediyt de partibus Italiæ, totaliter mente disposuit, in propria laborare circà pacificationem dictorum Regum Francorum, & Angliæ, ad quod etiam certa circà præparatiua ordinauit. Sed satis citò magna infirmitas ipsum arripuit, ex qua sentiens grauari, mortemquè sibi propinquam æstimans, ad ea vacare destitit*. Hæc ibi in eius laudem; Porrò Pastor dignissimus præter Pontificium munus, quod laudabiliter adeo gessit, peculiarem, sollicitamquè in releuanda pauperum inopia curam præstitit, & in hominibus virtute præditis ad altiora prouehendis totus fuit, vt ex eiusdem gestis hunc in modum innotescit: *Viros literatos valdè dilexit, multosquè ex ipsis promouit, & exaltauit; & vt daret cæteris ad discendum materiam, & opportunitatem, quandiù vixit in Papatu, suis expensis tenuit mille studentes in diuersis Studys, ex quibus cum aliqui erant prouecti, aut aliàs deficiebant, illorum loco alios continuè subrogauit, libros necessarios tam eis, quàm alijs pluribus, quos sciuit studio esse intentos, ipsisquè indigere, etiam subministrauit de pauperibus, & egenis, alysquè miserabilibus personis semper sibi singulariter cura fuit, adeò quòd vbi ipsos esse cognouit, ipsorum inopiæ liberaliter, & generosè subuenit; præsertim illorum, qui aliàs abundantes extiterant, & demum ad paupertatem deducti erubescebant mendicare*. Et infra: *Non enim curauit conseruare pecunias, sed & si quas aliquando habuit, ipsas feliciter aut in Ecclesiæ negotys exposuit, aut in pys operibus erogauit*. Quin & post multa de insigni ipsius ergà omnes charitate hæc habentur: *Ipse paternaliter, & charitatiuè omnes dilexit: in his tamen, quæ pertinent ad Deum, neminem timuit, nisi eum, cuius gratia suffultus fuit: & taliter rexit, quod vniuersaliter amabatur à malis: fuit enim Sāctæ, & iustæ intentionis, faciendi in omnibus, quæ Deo credebat fore placitura, & contraria euitandi, habuitquè in mente constantiam, veritatem in ore, & efficaciam, seu virtuositatem in operatione*. Hæc ibi de præclaris Vrbani dotibus, quibus mirificè in Ecclesia præfulsit.

Gesta Vrbani V apud Bosqu.

Multa in Pontificatu se digna laudabiliter præstitit.

Publico bono sollicitè intentus.

Gesta Vrbani VI vbi supra.

Studiosos in literis ad discendis ope iuuat.

Munificus in expendēdis in publicæ rei bonū pecunijs.

Dei volūtatis adimplendæ ze lantissimus.

12. Atqui vir tantus, vt Alphonsus Episcopus Giennensis tradit, si quid culpabile vnquam admisit, ac plecti dignū, pœnitens sub vitæ finem vehementer ingemuit: Quod scilicet Dei imperium, sibique Diuæ Brigittæ ore diuinitus renunciatum (non vt parest) adimpleuerit, de Apostolica nimirum sede Vrbi Romæ restituenda, cuius ille votum mente conceperat. Ipsum itaque valdè pœnituit, quod huiuscemodi rem, vti ex Dei ipsius prædicto sibi oraculo pridem didicerat, exactè non perfecisset. Pœnitens igitur ac pœnitentium in morem Sacramentis Ecclesiæ discessurus è vita præmuniri, voluit, vt gestorum ipsius compilator his verbis tradit: *Ad illa (inquit) quæ animæ suæ salutem concernere poterant totaliter se conuertit, humiliterquè, & deuotè sæpiùs confessus est, & cætera Ecclesiastica Sacramenta suscepit. Præsentibus etiam Camerario, Confessore, pluribusquè alys familiaribus suis, ac alys multis notabilibus personis dixit, & asseruit, se tenere, et credere*

M. S. Vatican. biblio. tom. 2. de sch. pag. 22.

Ob quid tantus Pontifex à Deo pœnas dedisse creditur.

Gesta Vrbani VI. apud Bosq.

dere firmiter, sicquè confessus est simpliciter, quidquid Sancta Catholica, et Apostolica tenet, docet, et prædicat Ecclesia: et sic per prius docendo, legendo, prædicando, aut disputando; vel aliàs aliud quouis modo prædicauerat, vel dixerat, totum id reuocauit, voluitque haberi pro non dicto, submittens se, & dicta sua huiusmodi correctioni, & determinationi dictæ Sanctę Matris Ecclesiæ, à qua asseruit, se nunquam deuiasse scienter. Tandem verò post multa bona, & virtuosa opera in Domino requieuit die XIX. Mensis Decembris, anno Domini M.CCC.LXX. Pontificatus sui anno nono; fuitque sepultus in Ecclesia maiori Auenionensi, demum transferendus ad Monasterium S. Victoris Massiliensis, vbi viuens suam perpetuam elegerat sepulturam, magnis, & stupendis miraculis coruscando, vacauitque Sedes 11. diebus. Hæc ibi.

Egregiæ Pōtificis dotes ipsiusque elogia.

Signis post obitū à Deo illustratur.

13. Verùm tantæ virtutis, ac meriti Pontificem miraculorū item signis post mortem effulsisse, Petrarcha præ alijs testatur, à quo ob recessum ex Vrbe in Gallias, aliqua inconstantiæ labecula notatus est; hæc enim de eo: *Vt autem* (inquit) *auditum est, sanctitatis eius fama nunc maximè celebratur, & miraculis claret, quod nulli ex prædecessoribus suis his nouissimis accidit.* Et post alia hęc habet: *Nihilominus tamen adhuc sancto illi viro detrahitur ab his ipsis, vndè me solor, quibus ego peccator, vt dixi, nonnisi propter veri odium odiosus sum. Ille autem dictu mirum, ob hoc solum, quod Romanos Cardinales discolos, & errantes Romam, hoc est, in domum propriam reduxit, & reducturus iterum timebatur, Cardinalibus ipsis (non, vt reor, omnibus, sed omnium pessimis) odio erit æterno: quod nihil est aliud, quàm si cęcus pia manu fouea eductus ancipiti, suæque domus ad ostium directus, perpetuò directorem suum oderit.* Hæc ille.

Petrarcha lib. 13 rerum Senil. epist. 13

Pontifex ob recessum ab Vrbe in patriam à scriptoribus aliqua labecula notatus.

14. Atquì Vrbano primùm in Vrbem longa post tempora remeanti inter effusas subindè Principum supplices, ac populorum Italiæ gratulationes, Franciscus item Petrarcha suam & ipse panegyricam Vrbano Pontifici epistolam his planè ob reditum gratulabundus verbis conscripsit: *O iterum* (inquit) *te felicem! ò felicem diem, qui te matris ex vtero in lucem edidit, & ceù benignum sidus aliquod Mundo dedit. Nunc verus mihi verè Summus, ac Romanus es Pontifex verè Vrbanus, verè Petri successor, verè Vicarius Iesu Christi. Eras & ante, non inficior, potestate, dignitate, atque officio: nunc (quod est optimum) voluntate, pietate, atque exercitio. Neque enim aut voluntas sanctior, aut purior pietas esse potest homini, quàm tibi est, semperque fuit, vt puto: sed nunc ita rebus ipsis enituit, vt iam nemini possit esse occulta: neque à quoquam promptiùs posset, aut cautiùs in actum deduci, sine quo quidem sterilis est voluntas. Quinque Pontificum statu parium, non animis, & sexaginta vel eo amplius annorum, negligentias vnus tu diebus paucissimis emendasti.* Et infrà: *Reduc Ecclesiam tuæ creditam custodiæ in antiquos mores, quam in sedes pristinas reduxisti, vt vndique fiat irreprehensibilis, & qualis olim fuit toto Orbe venerabilis esse rursus incipiat, ac dilecta.* Et infrà: *Doce fratres, ac filios tuos spernere, quæ amabant, amare, quæ metuunt, quęuè oderunt: odisse se ipsos, qui tandiù oderint, quod amandum erat; Nimirum dignum litteris aureis Augustini verbum est: Nemo potest perfectè diligere, quo vocatur, nisi oderit, vnde reuocatur.* & post pauca: *Nec fiet quisquam, qualis cupit esse, nisi se oderit, qualis est.*

Petrarcha lib. 9. rerum Senil. epist. 1.

Petrarcha Pontifici ob Sedem Vrbi redditam gratulabundus panegyrim scribit.

Quinque Pontificum inter lapsas per annos sexaginta vnus his negligentias corrigit.

Digna Petrarchæ sententia.

15. *Ostende sensibus vagis adhuc malas domus Rhodani, & palustria rura quærentibus loca illa salubria, vbi effectum est, quod Ianitor Cæli, Doctor Orbis pariter, vt de vtroque canit Ecclesia, Iudices sæculi, vera Mundi lumina, per Crucem alter, alter ense triumphans, vitę Senatum laureati possident. Ostende illis digito non procul indè ab illius ingentis, ac deuotæ foribus Basilicæ, vbi Simon Petrus ascendit in Crucis patibulum, vndè Clauicularius Regni gaudens migrauit ad Christum. Ostende paululum distantius, vbi Paulus Apostolus lumen orbis terrę inclinato capite pro Christi nomine martyrio coronatus est. Hæc enim sępe de suis ducibus cecinerunt, ac legerunt; loca sancta (vt arbitror) non viderunt, quę cum viderint, hæserintque animo, pudebit eos (vt spero) prophanorum, & infamium locorum, ad quę non recto iudicio, sed obliquo affectu, & longo vsu amorem immeritum conceperunt, &c.* Hæc ille, quibus supinam nonnullorum præsertim Cardinalium operam, ipsorumque apertè

Quanti momenti Pontificis ad Vrbem reditus & populorū ad sacra loca concursus

socor-

socordiam carpit, qui Romanæ Vrbis solum præ ipsius patriæ, quo tenebantur, amore contemnentes, Pontificem vel inuiti sectantes, vt in Aegyptum inter ambulandum Hebræi olim, non secus isti mente in Gallias reuertebantur, quos profectò iustè, sapienterque culpans, non secus, ac manifestæ ipsius Dei voluntati temere obluctantes redarguit.

16. Porrò Scriptor, qui Vrbanum quoque amarulenter ob Apostolicam Sedem in Gallias reuectam perstringit, id quidem subdolo nonnullorum Cardinalium suasu, qui non tam spirituale bonum Ecclesiæ, quàm priuata rerum suarum studia, deliciasque Gallico assueti solo quærebant, proculdubio accidisse affirmat, vt in suis ad Franciscum Brunum litteris hunc in modum amarulenter queritur: *Flecti* (inquit) *se fecit pessimam in partem, & vt malis hominibus placeret, Christo displicuit, & Petro, bonisque omnibus; & quibus hominibus (Deus bone) voluit placere? nempe his, qui & sibi displicebant, & quibus ipse vtique non placebat, naturali inter virtutem, vitiumque odio. O felix, si contemptis, & quod maximè suum erat, auctoritate compressis, suauioribus imperijs, generoso principio inhæsisset? æternum inter clarissimos numerandus, si (vt quod flebiliter nuper scripsi, flebiliùs nunc rescribam) ipsa in morte, quæ proxima, imò contigua illi erat (quod ità esse scire debuerat, quia cum in omni ætate de morte non cogitare stultitia magna sit, tum in senectute dementia, atque insania summa est) ipsa, inquam, in morte grabatulum suum ante aram Petri Apostoli, cuius hospes erat, ac successor, ferri iubens, ibi tranquillam bonæ voluntatis animam emisisset, Deum, hominesque testatus, si vnquam inde discessum esset, non suam culpam, sed eorum fore, qui tam turpis fugæ inuenirentur auctores. Nesciuit hoc agere, neque (vt dictum est) voluit: vtique enim & poterat, & sciebat. Sic culpas multorum infamium in se vertit. Remitte illi misericors Iesu Christe hanc animi mollitiem, atque fragilitatem, & hanc, & alias culpas omnes, & delicta iuuentutis eius, & ignorantiam hanc senilem ne memineris, quia (vt nunc sunt homines.) Vir meo quidem iudicio bonus fuit.* Hæc in, Vrbanum Pontificē ob derelictum Vrbis domicilium Petrarcha, quibus sanè ideo acriter stylū exacuit, quia ex reditu ad Auenionem præter Dei nutū agendo, pessimi cōflandi schismatis, ex quo plura Christianorum millia periere, occasio suborta est; vt Rainaldus in suis paginis tradit, qui & illud insuper B. Birgittæ diuinitus reuelatum subdit. *Vrbanum videlicet, si Auenionem rediret, illico moriturum;* prout rèipsa mōstrauit. Verùm Petrarcha ipsi iam pridem nouo gratulabundus Pontifici Vrbano, ipsum idcirco ad Sedem Petri Dei nutu prouectum asserit; vt Apostolicam Sedem suo tandem loco, Vrbi videlicet Orbis terrarum Reginę, ac simul capiti restitueret. Ità enim ipsum conscriptis vltrò litteris ardenter compellat: *Attendisti* (inquit) *acriter, certus sum, seruasque memoriter, quibus vijs ad hoc culmen ascenderis: neque enim in Deum fas est ingratum suspicari eum, qui gratissimus in homines sis.* Et paulò post pro indito Vrbani nomine, ipsius à Deo fuisse procul dubio electionem conijciens, idque haud casu, sed Dei nutu factum, vt Vrbanus Vrbi Apostolicā Sedem, ac Romæ Romam ipsam restitueret, satis apertè pronunciat: *Incipit credo* (inquit) *Christus Deus noster suorum fidelium misereri. Vult, vt arbitror, finem malis imponere, quę multa per hos annos vidimus. Vult pro aurei sæculi principio Ecclesiam suam, quam vagari propter culpas hominum diù finit, ad antiquas, & proprias sedes suas, & priscę fidei statum reuocare.* Hęc ille, qui sic demum cōcludit: *Itaque* (inquit) *hunc rem vero, longumque sermonem ad hunc exitum deduco, vt Vrbanus Vrbem, Romanus Pontifex Romam petas.* Hæc ille Vrbano non nisi Dei spiritu ad dicendum permotus opportunè suggessit, cui deindè culpæ rem non perfecisse iure meritò adscriptum est; sed culpam, quam admisit, haud multo post pœnitens, morte præuentus diluit, & à Deo veniam piè se ad exitum comparando obtinuit.

17. Demùm hic Gregorius item XI. Romanus Pontifex silentio prætereundus non est, qui suas primùm Apostolicam B. Petri, Romanamq; repetendo Sedem, laudes promeruit; quamuis postea dū de se iterū in Gallias conferendo cogitat, suis nonnihil laudibus visus sit

Franciscus Petrarcha lib. 13. rer. senil. epist. 13.

In Gallias Pontificis regressus non tam Ecclesię bono, quam priuatis Cardinalium commodis contigit:

Vrbano venia ob reditum, & quam contraxit culpā à Deo precatur.

Rainaldus an. 1370. nu. 19.

Ex reditu Pontificis Auenionem coflādi schismatis occasio est orta.

Petrarcha vbi supra.

Vrbanus vt, bem & Romanus Pontifex Romā diuino consilio peteret, debuit.

Petrarcha vbi sup lib. 7. epist. 1.

Gregorius XI. Clemētis VI. Nepos ex reditu ad Vrbē & ob posthac iam sede illic reuectam apud omnes laudatissimus.

Raynaldus an. 1378. n. 5.

sit detraxisse. Qui igitur priusquam Pontificię Dignitatis culmen conscenderet Petrus Rogerius, Clementis VI. Nepos, sic virtutum meritò præfulsit, vt annos vix natus octodecim, dignus Purpura, & summis iam maturus honorum infulis haberetur, in sacrũ quoq; Purpuratorum Patrum Collegium à Patruo dignissimè est cooptatus. Huic S. Birgitta, diuino afflata spiritu edixit, Vrbanum V. videlicet Romanum Pontificem, prædecessorem suum, si Vrbe Roma relicta, in Gallias remearet, illico Numine vlciscente, moriturum, vti postea contigit. Quod ipsi quoque, Dei vt pote beneplacitum, de Apostolica Sede in Vrbem in suum vt pote locum reducenda, ibique post modum stabilienda probè scienti, at nihilominus Gallias iterum repetere cogitanti culpæ proculdubio adscribendum videtur, quam tamen accelerato subinde in rei pœnam interitu expiasse creditur. Hic itaque multis pro Ecclesia perfunctus laboribus, & pro cõciliandis inter se Christianorum Principum animis diu, multumque contendit; hæreticos insuper è Petri Cathedra perpetuò insectatus, dum Sacras denique Pontificij muneris partes omni laudum dignus pręconio exequitur, meritis ex hac vita clarus decessit.

Gregorij Pontificis virtutes, ac laudum præconia.

18. Cum præmemoratus igitur Pontifex post exoptatum diù sui in Vrbem aduentum, Sedemque Petri Vrbi redditam, Autumno appetente, ac si Dei immemor consiliorum, ad Kalen. Septembris proximè futuras Auenionem redire cogitaret animo, ac nonnulla edito super Romani Pontificis sibi post mortem sufficiendi electione, diplomate sanxisset, diebus paucis vitæ superstes, cunctisque ad procurandam animæ salutem neruis intentus, ritè Sacramentis Ecclesiæ præmunitus vita ocyus, quam ex Vrbe decessit. Pœnitentiæ autem hic quoque pręcæteris studiosus, qui pœnitentiæ asylum lapsis patere cupiens, apostatas, qui ad Mahumetem in Syria defecerant, ad Christum, & ad ipsius Ecclesiæ sinum obtinendæ spe veniæ redeuntes benignè acceptos, ac salutari pœnitentia impertitos absolui iussit. Sacrum item Cardinalium numerum auxit, & à Catharina Senensi notæ sanctitatis Virgine, vt Viros tanto muneri dignos, virtutibusque apprimè exornatos promoueret, Diuino nutu monitus est. Pœnitentibus item, Euangelici Pastoris imitatus exemplar, misericordiæ sinum aperiens, Florentinis, qui pro pace ab Ecclesia impetranda ad ipsum Catharinam Christi Virginem supplices direxerant, paternas votis eorumdem aures benignè porrexit. Sic autem gestorum eius Scriptor ipsius obitum dictis narrat: *Memoratus* (inquit) *Gregorius Papa à diù ante satis debilis, & valetudinarius, ac graui infirmitate detentus, deuotè receptis Ecclesiasticis Sacramentis cum magna cordis contritione, prout Domino placuit, die XXVII. Mensis Martij anni prædicti M. CCC. LXXVIII. in pace quieuit. Fuitque primò corpus eius delatum ad Ecclesiam B. Petri, & ibi pro eo solemnibus exequijs celebratis in crastinum translatum, & sepultum in Ecclesia B. Marię Nouę, in qua priùs Cardinalis existens, fuerat intitulatus, &c.* Hæc pręmemoratus Auctor.

Derelicta Vrbe dum Auenionē in Gallias redire parat, Dei immemor consiliorum ipsius vltionem subit.

Tom. II de scism: M S. Archiuij Vatic. pag. 12.

Pœnitentes ex Mahumethis secta redeuntes ad sinum Ecclesiæ benignè recipit.

Plura egregiè, ac se digna præstans feliciter, ac pœnitentis more è vita abit.

19. Verùm enimuerò, vt hìc pro sepulchrali lapide, quæ tanto sunt digna Pontifice, laudum præconia inscribantur, hęc præmemoratus in suis paginis scriptor, & primùm de ipsius erga gentiles, & consanguineos amore tradit: *Ipse* (inquit) *multum dilexit, suos, præsertim patrem, fratres, & nepotes, & alios de domo, & genere suo prodeuntes, quos licet denuò non exaltauerit, cum per priùs per Patruum suum Clementem Papam VI. sublimati fuissent, tamen ipsos in suo statu huiusmodi conseruauit, secumque tenuit, ac eorum consilio, & instigatione multa fecit, præsertim in promotionibus nonnullorum, quibus sufficientiores in moribus, & scientia forsitan reperiri potuissent.* Quod quidem iustam aliquam Pontifici apud posteros notam iuremerito attulisse videtur, dum sic rem agendo carni, & sanguini, humano ex more abductus, plus, quàm par est, deferret. Quæ autem immortalem illi apud posteros famam peperere, his planè verbis traduntur.

Gesta Gregorij XI apud Bosquin.

Gesta priuatim à Pontifice summa tim collecta

Inde Pontifex notam apud nonnullos merito contraxit

20. *Fuit tam aliàs multum virtuosus, Deo, & B. Virgini singulariter deuotus, quibus preces assiduas omni die cum magnis feruore, & intentione effundebat. Fuit insuper pauperum, & afflictorum pius fu-*

Gesta Gregorij Papæ XI. apud Bosqui.

Renta-

Digna ipsius meritorum pro rebus bene gestis elogia.

stentator, consolator, & largifluè benefactor. Dilexit etiam singulariter viros litteratos, multosque ex ipsis suo tempore promonit, & exaltauit, quandiù Ecclesiæ præfuit: Quasi continuè mentales anxietates habuit propter turbationes, quæ eidem Ecclesiæ suo tempore contigerunt, quibus quantum potuit, cum omni diligentia obuiauit: sed plenè non valens occurrere, etiam non minùs afflictus est in persona, quam gra- uella adeò grauauit, quod dies suos in magna parte minorauit; nondum enim annum XLVII. ætatis suę attigerat, quando eius spiritus, vt piè creditur, ad superos euolauit. Porro in ipsa Vrbe (vt Rainaldus tradit) fama vulgò percrebuit, Gregorij mortem diuinitus ideò acceleratã, vt in Vrbe, in qua iam redux morabatur, Sedes Apostolica fixa in posterum permaneret, cum alioqui Pontifex de ipsa Auenionem reducenda præter Dei consilium cogitaret; quamuis antea, *Diuino* (vt ait) *afflatus instinctu contra Cardinalium, Regum, nec non consanguineorum, ac patris luctantes sibi acriter voluntates, Romam accessisset, maximaque ea de causa discrimina subysset. Cæterum Religio ex illius morte damnum ingens passa est, cum hæresiarcham Ioannem Vuicleffum Apostolica sollicitudine comprimere cæpisset, illique iudicium intentasset*: de quo hæc infra. *Cuius obitus* (inquit Vvalsingamus) *non modicum fideles contristauit, sed in fide falsos, ipsum Ioannem, & ipsius asseclas animauit.* At tanto digna Pontifici pręconia consulto hic delibasse sufficiat. Cui Dei contraire præostensæ sibi quoquo modo voluntati, accelerati demùm aliorum ingenti documento fati pœnam iustissimè portendit.

Rainald. vbi supr.

Morte ideo sublatus creditur, quia in Gallias præter Dei voluntatem iam sibi fatis notam iter parabat

Thomas Vvalsinghamus in Ricardo II.

Demum vt narrandi isthæc finis sit, voluntas hominis vbi ipsius Dei voluntati repugnando resistit nedum culpæ reatum inducit, sed & animæ insuper pacem inuertens pœnis maximè quęq; obnoxium reddit; adeoq; meritò Bernardus cuncta propemodum malorum incommoda, nonnisi à praua hominis Deo per scelus obluctantis voluntate, originario velut è fonte prodire disertis verbis affirmans: *Cesset* (inquit) *propria voluntas, & infernus non erit.* Vbi è contra dum homo diuinæ (vt par est) voluntati, deuotè obsequitur, ab solutam virtutis, totiusque Christianæ disciplinæ normam, & sanctitatis apicem denique feliciter attingit, *Nec aliundè* (ait Bernardus) *hic Sancti, nec ibi futuri Beati, quam ex Deo, qui eorum, & sanctitas, & beatitudo est.* Et hæc interim satis.

Bernardus serm de vit. solitar: ad Fratres de Monte Dei.

Summa virtutum, ac sanctitatis hic & in altero seculo Dei voluntatè perfectè in omnibus quęrere, & adimplere.

SELE-

SELECTÆ POENITENTIVM MORTES

LIBER QVARTVS.

VT nostro supremam Operi, Selectisquè Pœnitentium narrādis Mortibus manum imponamus, consultò in hoc nouissimo, qui se nobis in præsens offert, rerum pertractandarum libro, opportunus de his potissimùm sermo incidit; qui ad Pœnitentiam, ac tutum, faustumque parandum è vita exitum se quoquo modo, & quantum ad ipsos spectat, præueniendo dignos in primis exhibuere. *Quod enim debeant* (inquit Cyprianus) *facere pœnitentes, magisteria Diuina docuere, operationibus iusti s Deo satisfieri, misericordiæ meritis peccata purgari*. Quibus verò id modis plerisque, Deo aspirante, contigit; vt opportunè prudentis iudicio lectoris exponatur, à nonnullis hic in præsens desiderari adhuc posse videbatur. Cōgruè igitur cum in alijs passim libris, & in præcedenti præsertim, cuiusuis generis, & conditionis homines ad Pœnitentiam præcipuo Dei munere traductos feliciter constet; nunc quibus maximè adhibitis ad Dei misericordiam promerendam, ipsiusquè diuinitus gratiā adinuentis cōsequuti sint, videamus. Quoniam verò *Charitas* (Augustino teste) *mors criminum est*? hinc merito eleemosynis potissimum, bonisquè operibus, quod ad hominem spectat, Dei fauor, & gratia conciliatur, eiusquè immensa ad commiserandum plus quàm hostiarum victimis, atque holocaustis Bonitas in primis flectitur; adeoquè exoptata subinde pœnitentibus venia, tutusquè post acce-

Postrema operis pars

Poenitentes nisi operibus iustis satis Deo pro peccatis faciunt ex Cypriano

Cyprianus ab ac spe. & eleemosyna.

Quibus modis pœnitentiū quisqs placare ipsique Deū placere possit.

Augustinus tract. de Charitate.

Nnn ptam

ptam culparum veniam tandem vitæ præsto est Deoque aspirante finis: *Beati*(inquit Dominus) *misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur Sola quippe*(vt Ambrosius ait)*misericordia comes est defunctorum*. Inde fit,vt misericordiæ intenti operibus, facilem, expeditumquè sibi adDei tribunal,ac beatæ perennitatis requiem perueniẽdi aditum, iuxtà Psalmistæ oraculum procuidubio comparent: *Beatus*(inquit)*Vir,qui miseretur,& commodat,disponet sermones suos in iudicio, quia in æternum non commouebitur*.

Matthæi c.5.

Sola misericordia comes est defunctorum ex Ambrosio.

Ambrosius hom. in psal. 40.

Psal. 111.

Psal. 111.

2. Congruè igitur, vt rerum, de quibus in hoc Libro sermo est, Cathalogus pręcurrat: Ab Eleemosyna,qua nil apudDeum efficacius, & cui subinde Pœnitentes addicti, suum probe salutis,vt enarrabitur, peregere negotium, dicendi initium est.Magna siquidem vis Eleemosynarum ad promerendam Pęnitentibus Dei gratiam, tutumque è vita exitum. Pœnitentes etenim magna quæque Eleemosynis, bonisque operibus peccata redimunt. Quin ob impensam proximo Charitatem, Deum sibi propitium in morte sortiuntur. Pijs insuper poximos ad Pœnitentiam dictis, factisquè prouocantes, nec non Procurandæ aliorum saluti sollicite intenti; Pro veritate, aut Iustitia itidem asserenda, corripiendisque hominum culpis, rerum, aut vitæ iacturam facientes. Infideles quoque sub vitæ finem pœnitentes, ac sacro baptismate expiati: Fideles insuper,vt ritè, recteque pœniteāt, Sacramentis Ecclesiæ ante obitum præmuniri volunt. Pœnitentes Sacramentalis confessionis fulti subsidio hilares decedunt. Peccatores animæ salutem desperantes, certam pœnitendo spem concipiunt. Pœnitentes Diuino Eucharistiæ pabulo se probè ad exitum comparant; Extremæ Vnctionis oleo inuncti, pie, alacriterq; diem obeunt. Quid plura? Pœnitentes ante obitum Sāctorum precibus contritionis donum à Deo obtinent, Quin & sub vitę finem de condonatis sibi culpis certiores fiunt. Pij insuper homines, ac fœminæ in sæculo Pœnitentium more humiliter, abiecteq; viuentes vitam concludunt: Pœnitētium itidē animæ Deiparæ,ac Sanctorum precibus ad Dei Tribunal iuuantur. Pœnitentium animæ, grauioribus licet culpis obnoxiæ, vehementi Contritionis vi expiatæ, in Cœlū mox auolant. Pęnitentium insuper animæ suis pro culpis rigide in Purgatorio plectuntur: Pęnitentium animæ pijs Christi fidelium precibus, operibusquè à Purgatorij pœnis releuātur. Pęnitētium quoq; lacrymis, bonisque operibus defunctorum præsertim animæ iuuantur; Denique Pęnitentium e Purgatorio animæ Indulgentiarum subsidio educuntur, ac diuino potissimùm Altaris sacrificio è Purgatorij pœnis liberantur.

Rerũ, quas liber continet, cathalogus.

Eleemosynæ vis magna ad promerẽdam culparũ veniam.

Sacramenta Ecclesię in primis homi num salus procurant.

Deiparæ, ac Sanctorum precibus pę nitentes iuuantur.

Quibus potissimũ post mortem rele uentur modis

CAPVT

CAPVT PRIMVM.

Magna eleemosynarum vis ad promerendam poenitentibus veniam, ac tutum è vita exitum.

1 CONCEPTIS Daniel Prophetarũ ille sapientissimus verbis Nabuchdonosor Assyriorum Regi opportunum ad quæuis atrocia redimenda peccata, nec non ad ipsum placandum Deum, suo appositũ prę cunctis quasi digito remedium ostendens, nonnisi Eleemosynis Cœlum expugnari, & à mortaliũ propulsari ceruicibus Dei iram inculcat: *Peccata tua* (inquit) *eleemosynis redime, & iniquitates tuas misericordijs pauperum*. Magnam siquidem Eleemosynarum oblatio ad expiandum, abolendumquè peccatum vim diuinitus obtinet, & ad promerendum sibi Deum plusquam holocautomata, virtutem præsefert; adeoquè meritò Sapiens illam Eleemosynarum prærogatiuam viuis in tabula coloribus adumbrans, nec non suis ad diluendas hominum culpas hanc vnã præ cunctis maximè efficacem, verbis designatis: *Ignem ardentem* (inquit) *extinguit aqua, & Eleemosyna resistit peccatis*. Enimuerò horum vnum sic alteri velut contrarium ex aduerso opponitur, vt vno, eodemquè pariter loco, & ambo vnà simul esse nequeant, sequè mutuò inuicem ab animæ excludant hospitio. Quod item probè, eleganterquè Ambrosius aliquandò expendens, Eleemosynis parem quodammodò, ac diuinis Baptismi aquis ad cunctas diluendas culparũ labes, reatumquè tollendum, virtutem tribuit; adeò vt quod Baptismus, id ipsum & Eleemosyna præstet; hæc enim ille: *Eleemosyna* (inquit) *quodammodo est alind animarum lauacrum, vt si quis fortè post Baptismum humana fragilitate deliquerit; superfit ei, vt iterum Eleemosynis emundetur*. Quo sanè nil dici, ac prædicari excellentius potest, cum Eleemosynarum largitionem, Sacramenti quodammodo vim sortiri contingit. Nec verò Augustinus imparem, minoremquè in Eleemosynis prerogatiuã, ac excellentiæ meritum agnoscit, dum ad placandam offensi Numinis iram, sacrificij apud Deũ præferre munus affirmat: *Sacrificium* (inquit) *Christianorum est Eleemosyna, in pauperes: hinc enim Deus sit peccatis propitius*. Certa igitur obtinendæ à Deo veniæ spes homini adest, vbi sacrificium eiusmodi adeò ipsi gratum, acceptumquè pia hominum manu pro culpis expiandis offertur.

Eleemosyna opportunum ad redimendas vitæ culpas remedium.

Danielis cap. 4. ver. 24.

Ecclesiastici cap. 4. n. 33.

Ignem aqua extinguit, & eleemosyna peccatum.

Ambrosius in Psal. vbi supra.

Eleemosynæ, ac baptismi per quodammodo vis ex Ambrosio.

Augustinus hom. 29. lib. hom. 50.

2. Quapropter Christus quoque sua Eleemosynis auctoritate suffragando, ac præpotentem earundem virtutem haud dubijs argumentis inculcans. *Date* (inquit) *Eleemosynam; & omnia munda sunt vobis*. Cuius sanè Tobias olim virorum sanctissimus vim expertus, & condigna item verborum trutina expendens: *Ab omni* (inquit) *peccato, & a morte liberat, & non patitur animas ire in tenebras*. Cui Magnus item Leo egregiè adstipulatur: *Per charitatis* (inquit) *largitatem omne peccatum aut vincitur, aut declinatur*. Quo quidem laudum præconio quid maius dici, aut affirmari possit, non video. Acquì Eleemosyna suis contenta meritorum haud alienis, emendicatisque laudibus indiget; cui illud Sapiẽtis pro elogio abũdè sufficit; *Qui miseretur pauperi* (inquit) *fæneratur Domino*. Meritoq; hæc à Chrysostomo ars omnium quæstuosissima appellari meruit. Ipsa item certum, ac securũ discedentibus è sæculo viaticum parat, & Dux insuper effecta tutum inter

Cuncta mũdandi eleemosynę virtus inest.

Lucæ c. 11. 41.

Tobiæ cap. 4. num. 11.

Charitatis largitate omne peccatũ, aut vincitur aut declinatur.

S. Leo Pp. in serm.

Chryſoſtomus hom. 33.

pericula iter præbet: vt regius Pſaltes inculcat: *Beatus, qui intelligit ſuper egenum, & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus.*

Pſal. 40. v. 1.

Eleemoſynis tutus vitæ exitus paratur:

Quapropter qui ſuis probè malorum periculis edocti tutum ſibi è vita exitum præoptabant, Eleemoſynas ad Deum ſollicitè pia pauperum manu præmittendas curarunt, ſapidis ipſius Ambroſij verbis inhærendo: *Non ſunt* (inquit) *hominis bona, quæ ſecum ferre non poteſt, &c.*

Ambroſius in pſal. 40.

Grande igitur, expeditumquè inter Deum, & hominem Eleemoſynarum largitione commercium proditur, vt apte Chryſologus ſic rem proſequitur: *Theſaurus Cæli eſt manus pauperum, quod ſuſcipit, ne pereat in terra, reponis in Cœlo. Da igitur homo pauperi terram, vt accipias Cælum; da nummum, vt accipias Regnum, damicam, vt accipias totum.*

Chryſologus ſer. 8. de ieiun. & eleemoſyna.

Homo dat pauperi terram, & Cœlum accipit ex Chryſoſtomo.

Tanti verò momenti eſt pia eleemoſynarum apud Deum largitio, vt promptus, expedituſquè ad Dei Thronum ipſi aditus pateat, & recta, Auguſtino teſte, in Cœlum via. *Sola* (inquit) *miſericordia ad Deum deducit hominem. Nunquam vidi hominem pium mala morte finiri.* Quod & recenſendis infrà magis, magiſquè exemplis patebit.

Auguſtin. ſer. 44. ſiue auctor: ad fratres in eremo

3. Et ſanè miram Eleemoſynarum vim ad ipſius Dei nundinandam charitatis auro gratiam vnus præ cæteris in præcelſa ipſius ſchola expertus olim didicit; Euagrius inquam Cyrenenſis Philoſophus, qui Gentilis adhuc cum idololatriæ apprimè deditus, à Syneſio Cyreneuſi Epiſcopo, cum quo illi arctum amicitiæ vinculum intercedebat, ad eiurandam Idololatriæ ſuperſtitionem, illibatamquè amplectendam Chriſti fidè ſalubriter, ſed fruſtra admoneretur, repulſã alter ſemel, ac iterum ab eo eſt paſſus. Quippè qui alteriùs ſæculi vitam, & mortuorum reſurrectionem ſomnium duceret, ſubſannanſquè credentes, ſe id credere nullo modo poſſe affirmaret, aniliſquè vti fabulas dirideret; præmia item cunctis centuplicato diuinitus fœnore pro his, quæ ob Chriſti amorem pauperibus dediſſent, reddenda haud vera computaret. At poſt veritate cõuictus ſuum Chriſto nomen dedit, ac baptiſmali tandem fonte ablutus eſt, cùm verò tercentum aureos Epiſcopo in pauperes diſpergendos obtuliſſet, cautione

Euagrius Cyrenſis Philoſophus, gentilis adhuc eleemoſynarum virtute ædificat.

Baronius an. 411. n. 63. 64

Veritate cõuictus dat manus Euangelio.

accepta, quòd eoſdem à Chriſto in altero ſæculo reciperet; morbo correptus, ac morte præuētus, feliciterque in Chriſto abdormiens, cautionem ab eo ſibi præſtitã, à ſuis intra tumulũ reponi iuſſit, ac tertia poſt obitum die Epiſcopo ſe videndum in ſomnis exhibens, ſe iuxtà Syngrapham recepiſſe cuncta aſſeruit. Qua propter aperto ſepulcro, rem ſicut dixerat, obtigiſſe reperit. Sed Sophronio narrante gratis hic auribus rem expiamus.

4. *Cùm Alexandria* (inquit) *eſſemus Leontius Apamienſis Vir religioſus, et fideliſſimus venit ex Pentapoli; multis enim iam annis Cyrene moratus fuerat. Venit autem diebus Eulogij Sancti Alexandrini Patriarchę eius, Cyrenenſis Vrbis futurus Epiſcopus. Cumquè familiari colloquio eſſemus vſi, narrauit nobis dicens: fuit temporibus Theophili Beatiſſimi Patriarchæ Alexandrini Cyrene Epiſcopus Syneſius Philoſophus: qui cùm veniſſet Cyrenen, reperit illic. Philoſophum quendam, Euagrium nomine, qui ſodalis ſuus in ſtudijs liberalibus fuerat, amicum ſibi chariſſimum ſed religione gentilem, & cultura Idolorum maximè deditum. Eum Epiſcopus Syneſius ab Idololatria transferre ad culturã Chriſti ſatagebat, curamquè ingentem eius rei ſibi aſſumpſerat pro charitate, quam erga ipſum à principio habuerat: Ille verò minime id patiebatur, neque illius doctrinam admittere volebat; Epiſcopus tamen præ nimio ad illũ amore, nec ſic quidem tadio victus deſiſtebat diebus illum ſingulis hortari, et inſtruere, ac inducere, vt Chriſto crederet: ipſiuſquè Sacramenta ſuſciperet. Cũquè ille quotidie iſta monita dare perſiſteret, dixit ad eum ſemel Philoſophus: Verè mi Domine Epiſcope, cum cæteris, quæ mihi diſplicent in Chriſtianis; hoc eſt quòd conſummationem huius ſaculi futuram dicunt, et poſt conſumationem omnes, qui ab initio ſæculi fuerunt homines, in iſto corpore reſurrecturos, carnemquè hanc incorruptibilem recepturos, et immortalem, atque ita in perpetuum victuros; ſicquè eorum, quæ in corpore geſſerunt, præmia percepturos: eum etiam, qui miſeretur pauperi, fænerari Deo, et qui diſperſit in pauperes, et inopes, in Cœlo ſibi theſauros reponere; et centuplicata, quæ erogauit, in regeneratione cũ æterna vita à Chriſto eſſe*

Sophronius prat. ſpirit. cap. 19.

Syneſius ex Philoſopho Cyrenſis Epiſcopus virtute clarus.

Euagrium Philoſophũ ab idololatriæ erroribus auertere fruſtra pertentat:

Carnis Reſurrectionẽ & vitæ immortalitatẽ ipſi prædicans deridetur.

esse reddenda. Quæ omnia cum dicuntur, deceptio, et irrisio, et fabula mihi videntur. His ab illo narratis aptè Synesius, appositequè ipsum de Eleemosynarum præmio iuxta Euangelij tabulas instruens, Christi fidem amplectendam suasit; hæc enim ille: *Post multum* (inquit) *temporis cùm illum induxisset Christianum fieri, baptizauit ipsum, et filios eius, cunctosquè domesticos illius. Ceterùm non multò post, quàm baptizatus fuerat, dedit Episcopo auri tria centenaria in vsum pauperum dicens: Accipe aurum istud, et distribue illud pauperibus, et fac mihi cautionem manu tua, quòd Christus mihi ipsum reddet in futuro sæculo. Qui suscepto auro promptè illi, vt patebat, cautionem fecit. Vixit itaque post Baptismum annos aliquot Phylosophus, ac tandem infirmatus est ad mortem. Cùm verò morti proximus esset, dixit filijs suis: Quando curabitis funus meum, chartam istam in manibus meis ponite, et me cum illa sepelite. Mortuo autem illo fecerūt filij, sicut eis ipse præceperat, sepelierūtquè eum cū chyrographo.* Atqui insigni diuinitus præstito pia hominis charitas portento commendari toto simul terrarum Orbi palàm fieri meruit, vt sua scilicet homines liberali manu ac plena fide pauperibus vltrò elargiri ob lucri spem non ambigerent; Sua enim manu defunctus iuxta promissum cuncta se recepisse fideliter obtestatus est, vt idem Auctor his rem verbis prosequitur.

Ipsum de eleemosynarum valore instruit, & baptizat.

Sophronius vbi supra.

Euagrius tercentum aureos dat Episcopo panperibus elargiendos, & in futuro sæculo eosdē à Christo recepturus.

Chyrographum promissionis ab Episcopo petit, & cum hoc sepeliri se mandat.

5. *Tertia autem* (inquit) *post sepulturam die apparuit Episcopo Synesio nocte quiescenti dicens: Veni ad sepulchrum, vbi iaceo, et accipe chyrographum tuum; Accepi enim debitum, et satisfactum mihi est: Atque vt certior eius rei fias, propria mea subscripsi manu. Ignorabat enim Episcopus, quod chyrographum illud consepelissent ei. Mane autem facto accersitis filijs eius dixit: Num aliquid cum Patre vestro in monumento posuistis. Illi putantes quòd eos de pecunijs interrogaret, dixerunt ei: Nihil Domine præter pannos consuetos. Quid igitur? Numquid vel cartam aliquam consepelistis ei? Tunc recordati filij (ignorabant enim, quòd de chyrographo diceret) dixerunt ei: Ità sanè, Domine, chartam enim quandam moriens dedit nobis, et ait: Quando sepelietis me, chartam istam mihi in manibus date, nullo penitus sciente. Tunc dixit illis Episcopus somnium, quod nocte illa viderat: Sumensquè illos cum Clericis, ac primarijs Ciuitatis, accessit ad Philosophi tumulum; quo aperto inuenerunt iacentem Philosophum, chyrographumquè manu Episcopi conscriptum suis manibus tenentem. Accipientes autem chirographum ex eius manibus, aperuerunt, inueneruntquè in eo nouiter manu Phylosophi subscriptum ita: EGO EVAGRIVS PHILOSOPHVS TIBI SANCTISSIMO DOMINO SYNESIO EPISCOPO SALVTEM: ACCEPI DEBITVM IN HIS LITERIS MANV TVA CONSCRIPTVM, SATISFACTVMQVE MIHI EST. ET NVLLVM CONTRA TE HABEO IVS PROPTER AVRVM, QVOD DEDI TIBI, ET PER TE CHRISTO DEO, ET SALVATORI NOSTRO.* Quantum verò ad multorum salutem res ista profecerit, verba, quibus Auctor narrationem concludit, hunc in modum testantur: *Qui verò* (inquit) *conuenerant, hoc videntes, obstupuerunt, et per multas horas clamauerunt Kyrie eleyson, glorificantes Deum, qui facit mirabilia, et talem, tantamquè promissionum suarum euidentiam dat seruis suis; Asserebat et hoc idem D. Leontius, cautionem illam manu Philosophi subscriptam seruari vsque hodie, atque in sacrario Sanctæ Cyrenensis Ecclesiæ custodiri, etc.* Res igitur tantò diuinitus comprobata portento palam cunctis innotuit, & tum Christiana pietas, tum munifica Euagrij manus patentibus vltrò notis, ac signis, Deum Eleemosynarum in Cœlo remuneratorem mortalibus ostendit.

Sophronius vbi sup ca. 9.

Mortuus Synesio apparet se in altero sæculo pecuniā recepisse affirmans.

Synesius cū Clericis ad tumulum accedens, rem omnēm probe cōperit.

Sibi in altero sæculo redditā pecuniam sua manu in pagina testatus.

Sophronius vbi supr.

Portentum dignis Dei laudibus celebratur.

6. His planè consonat, quod olim Gennadio rerum naturalium peritissimo, ac medicis præsertim disciplinis egregiè exculto, de animæ tamen immortalitate dubitanti contigit. Hic igitur cum larga, ac munifica manu diuitias pauperibus erogaret, adhuc tamen adolescens, de animæ post morrem vita dum aliquando secum ipse hæsitās cogitaret; iuuene sibi in somnis apparente, res alterius sæculi quoquo modo delibare datum est, & quæ futura sunt, & homini necessariò credenda, vt orthodoxæ fidei dogmata, haud somnia, sed omnino veritati consona, è Cœlo edoctus intelligeret.

Baronius vbi supra n. 61.

geret.

Augustinus epist. 100. ad Euodium.

Gennadius Gentilis Philosophus ac medicæ arti deditus de animæ immortalitate ambigens ob eleemosynas instruitur.

geret. Augustinus igitur ad Euodium scribens, nobis audiendus hic est: *Frater (inquit) noster Gennadius notissimus ferè omnibus, nobisque charissimus medicus, qui nunc apud Carthaginem degit, & Romæ suæ artis exercitatione præpolluit: & hominem Religiosum nostri, atque erga pauperum curam impigra misericordia, facillimoque animo benignissimum: dubitabat tamen aliquando (vt modo nobis retulit) cum adhuc esset adolescens, & in his eleemosynis feruentissimus, vtrum esset vlla vita post mortem? Huius igitur mentem, & opera misericordiæ, quoniam Deus nullo modo desereret, apparuit illi in somnis conspicuus iuuenis, & dignus intendi, eique dixit: sequere me. Quem dum sequitur, venit ad quamdam Ciuitatem, vbi audire cœpit à dextera parte sonos suauissimæ cantilenæ, vltra solitam, notamq; suauitatem. Tunc intento, quidnam esset, ait: hymnos esse Beatorum, atque Sanctorum. Sinistra autem parte, quid se vidisse retulit, non satis memini. Euigilauit, & somnium fugit, tantumque de illo, quantum de somnio cogitauit. Alia verò nocte ecce idem ipse iuuenis eidem rursus apparuit, atque ab illo, vtrum cognosceretur, interrogauit; respondit ille, quod eum benè, planèque cognosceret. Tunc ille quæsiuit, vbi se nosset. Nec memoria defuit, quid iste identidem responderet: totumque visum illud, hymnosq; Sanctorum, ad quos audiendos, eo duce venerat, qua quia recentissimos recordabatur, facilitate narrauit.* Et post multa, vt ipsum quoquo modo immortalitatẽ alterius vitæ doceret, hæc ad oculos subindè sermonem inflectens subdit:

A. conspicuo iuuene in somnis edoctus.

Suauissimę Cantilenæ sonos obaudit.

Augustinus vbi supra.

A rerum corporearũ visu ad spiritualia intelligenda manuducitur.

7. *Qui sunt ergo (inquit) isti oculi, quibus me vidisti ad hoc iste non inueniens, quid responderet, obticuit. Cui hæsitanti ille, quod his interrogationibus docere moliebatur, aperuit, & continuò: sicut (inquit) illi oculi carnis tuæ, vtique in dormiente, atque in lectulo iacente nunc vacant, nec aliquid operantur, & tamen sunt, quibus me intueris, & ista vteris visione, ità cum defunctus fueris, nihil agentibus oculis carnis tuę, vita tibi inerit, quà viuas, sensusque quo sentias. Caue deinceps, ne dubites, vitam manere post mortem. Ita sibi homo fidelis ablatam dicit huius rei dubitationem: Quo docente? nisi prouidentia, & misericordia Dei?* Hæc Augustinus. Mentis quippè oculus supernę fidei imbutus lumine, quæ alterius sæculi sunt, ac res futuræ vitæ mira Dei virtute propius attigit, vt posthac hominem viuere, & adhuc vitam manere post mortem, neutiquam sic edoctus ambigeret.

Ab oculis carnis, ad animę oculos inflectẽs monetur ne dubitet vitã manere post mortem.

Michael Mercatus Philosophus Platonicus cum Marsilio Ficino de animæ immortali Philosophorum more disputat.

Baronius ab 411. nu. 69

8. Huc item opportunè recidit, quod Michaeli Mercato, vt alibi meminimus Philosopho Platonico, sui aliorumque documento superiori sæculo, ipsomet Baronio enarrante, contigit; qui cum Philosophicis disciplinis satis liberalitèr instructus, vnà cum Marsilio Ficino amicitiæ glutino sibi coniunctissimo quadã die, quidnam animę post hominis obitũ superesit, iuxtà Platonis sententiam disputando inquirere, ac peruestigare cæpisset, data vterque sibi dextera promisit, vt qui ex eis prior è vita decederet, alteri post mortem, Deo permittente, reuelaret. Quod, & Marsilius iuxtà promissa adamussim præstitit: Michaeli etenim videndum se præbens, qua potissimùm die obijt, ipsum immortalitatem animæ luculentèr edocuit; adeò vt ille se ad piè, & laudabiliter moriendum disponeret; sed præstat hic Baronium in suis isthæc Annalibus edisserentem audire: *Sed quod (ait) in his versetur oratio, patere quæso lector, vt exemplo Euangelici Patris familias, qui profert de thesauro suo noua, & vetera, veteribus recentia coniungamus; erit enim, vt ex his, quæ breuiter dicturi sumus, magnam capiat animi voluptatem. Haud enim inexplorata referam, sed quæ complurium eruditorum virorum scimus assertione firmata, immò & à Religiosis Viris ad populum pro concione sæpe narrata, &c.* Et post multa, quid tandem inter differendum alter cum altero stabiliendo decernens, disputationi tandem finem imposuerit, subtexens: *Accidit (inquit) aliquando, vt ex more quidnam post obitum superfit homini ex eiusdem Platonis sententia, sed non sine tamen trepidatione deducerent, quę labantia Christianæ Fidei Sacramentis fulcienda essent eo enim argumento extat eiusdem Marsilij ad ipsum Michaelem Mercatum erudita quadam epistola de animi, & Dei immortalitate. Cum verò inter differendum eorum progressa longiùs fuisset disputatio, eam ad calcem perductam illo clauserunt corollario, vt iuncta simul dextera pacti fuerint, vter eorum ex*

Baronius v. supra.

Fœdus ambo ineunt, vt qui primus eorum moriator, alteri Deo permittente rei ueritatẽ edocturus appareat.

Marsilius equo vectus non multo post Michaeli videndum se præbet.

hac

hac vita prior decederet (si liceret) alterum de alterius vitæ statu redderet certiorem. Quibus inter se conuentis, ambo iurati ab inuicem discessere. Interlapso autem haud breui temporis spatio euenit, vt cum summo mane idem Michael senior in philosophicis speculationibus vigilaret, ex inopinato strepitum currentis equi, eiusdemque ad ostium domus cursum sistentis audiret, vocemque simul Marsilij clamantis: O Michael, Michael, vera, vera sunt illa. Ad vocem amici Michael admiratus assurgens, fenestramque aperiens, quem audierat, uidit post terga ad cursum iterum acto equo candido candidatum: prosequutus est eum uoce: Marsilium, Marsilium inuocans: prosequutus & oculis, sed ab eis euanuit. Sic ipse noui casus stupore affectus, quid de Marsilio Ficino esset, sollicitiùs perquirendum curauit (degebat ille Florentiæ, ubi diem clausit extremum) inuenitque eumdem illa ipsa hora defunctum, qua eo modo auditus, & uisus est sibi. Quid tum ipse? licet enim antiquæ probitatis uir esset, innoxiamque, & proficuam omnibus uitam hactenus excoluisset (prout decebat uerè Philosophum) ex eo tamen tempore uale dicens Philosophicis disciplinis, solius Christianæ Philosophiæ cæteris eminentioris propensior cultor effectus, quod reliquum fuit temporis, Mundo defunctus, soli uitæ futuræ vixit, specimen edens absolutissimi omnibus numeris Christiani, qui inter Philosophos sui temporis magna cum laude claruerat, nulli secundus. Hæc Baronius.

His verbis alloquutus: O Michael (inquit) ò Michael vera sunt illa.

Marsilius euanescit mox ab oculis, & sollicitè de ipso requirens ipsa hora, qua apparuerat defunctū comperit:

Baronius ubi supr. nu. 69.

9. Immortalitatem igitur animi, ac res alterius sæculi probè ab amico Philosophus iste edoctus, & non iam Platonicum; sed verè Christianum in Scholis Philosophum agens, Philosophicis postmodū disciplinis valefaciēs, virtutibus excultam ferè omnibus Christianæ Vitæ normam sectatus est, & cum Deo tantùm, ac sibi viuere posthac cœpisset, virtutum, ac Pœnitentiæ præsertim excultam operibus feliciter vitam absoluit, vt Christianum planè Philosophum diuina munitum spe, & æternitati iugiter inhiantem decebat. Hanc verò, testatissimam, acceptamque à teste dignissimo narrante historiam hic vel obiter, vbi præmiorum, quæ in altera Vita eleemosynis, pijsque veluti merces operibus seruantur, & immortalitatis, quæ post mortalem hanc Vitam homines manet, opportuna mentio incidit, consultò inseruisse voluimus. Christus quippè hanc eleemosynis in Cœlo, certam vtpotè remunerationis mercedē promittens: *Vendite* (inquit) *quæ possidetis, & date eleemosinam, &c.* Et alibi: *Facite uobis amicos de mammona iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiant uos in æterna Tabernacula.* Et de his hactenus.

Totum se virtutum studio & pie viuens, confidenter moritur.

Luca cap. 16.

10. Quoniam verò & præcunctis maximè *Viri misericordes misericordiam consequuntur*, & iuxta illud Sapientis Oraculum hominem ad Pœnitentiam adducendo: *Eleemosyna resistit peccatis.* Id Christianis solemne adeò semper fuit, vt anteactæ vitæ culpas eleemosynis iugiter redimendo, earumdem sibi à Deo veniam pijs vltrò promereri elargitionibus satagerent. Ad quod nunc probè confirmandum, haud pauca nobis piorum exempla Virorum suppetunt, qui Eleemosynis pauperū suum sollicitè præmunire exitū conati sunt. Inter quos Chrodinus Dux sub Chilperico Francorum Rege, præmissis satis liberaliter ad Deū eleemosynis, satisque elargiendo munificus vitā feliciter clausit, de quo isthęc Turonensis: *Eo* (ait) *anno Chrodinus obyt, Vir magnæ bonitatis, & pietatis, Eleemosynarius ualdè, Pauperumq; refector, prosluus ditator Ecclesiarum, Clericorumque nutritor: nam sæpè à nouo fundans uillas, ponens Vineas, ædificans Domos, culturas erigens, uocatis Episcopis, quorum erat parua facultas, dato epulo, ipsas Domos cum cultoribus, & culturis, cum argento, peristromatibus utensilibus, ministris, et famulis benignè distribuebat dicens: sint hæc Ecclesiæ data, ut dum de his pauperes reficiuntur, mihi ueniā obtineant apud Deum; multa autem, & alia bona de Viro audiuimus, quæ insequi longū est. Transijt ætate septuagenaria.* Hæc ille. Totus itaque Vir iste elargiendo pecunias pauperibus, vt eorum subsidio sibi ad ad Cœli Regna aditum patefaceret, diù institit: *Facite* (inquit Christus:) *Facite* (inquam) *vobis amicos, ut cum defeceritis, recipiant uos in æterna Tabernacula.* Et hoc quidē de obitu Chrodini viri maximè pij, de quo Turonensis etsi paucis magna refert.

Ecclesiast. cap. 333.

Baronius an. 585. nu. 13.

Chrodinus sub Chilperico eleemosynis clarus.

Greg. Turonens. lib 6. cap. 17. & lib. 9 cap. 20.

Quam munificus eleemosynis in pauperes, & in Ecclesias.

Septuagenarius, meritis ac annis cumulatus feliciter obit:

Luca cap. 9.

11. Sed quoniam tanti hic Viri mētio incidit, ne Virum dignissimum abs-

que

que promerito laudum præconio prætereamus, Fortunatum ipsius laudes carminibus prosequentem gratis nunc auribus excipiamus.

Fortunatus Carm. lib. 9. in fin.

Inclyte Dux meritis totum vulgate per Orbem,
Quem nimis egregium splendida fama refert.
Non ego præteream præconia celsa Chrodine,
Ne videar solus magna silere bonis.
Itala terra tibi, pariter Germania plaudunt,
Laus tua cunctorum semper in ore sonat.
Clarus ab antiquis digno generosior ortu
Regibus, et Patria, qui placiturus eras.
Tutoremque alij, nutritoremque fatentur,
Et fit certamen de pietate tua.
Vt habeant alij, nulli tua bona recensas,
Tu tibi plus auges, quas benè fundis opes.
Cui possis præstare, libens exquiris, & optas,
Vt sis apud cunctos, hoc facis esse tuos.
Est generale bonum, nulli grauis, omnibus aquus:
Iustitia socium nulla rapina tenet.
Mitis, in alloquio placidus, gratusque, modestus:
Omnia cui data sunt, vt decus omne geras.
Gentibus astrictus, Romanis charus haberis,
Felix qui populi semper in ore manes.

Dignum ipsi elogium à Fortunato inscriptum:

Dotes virtutum preclaræ, & misericordiæ præcipuæ in pauperes,

Hæc Fortunatus tanto digna Viro carminum præconia cecinit. Quibus item quæ Baronius coronidis instar subtexit, adijcienda sunt: *Sic igitur qui tot, tantisque laudibus merito à duobus dignis Episcopis celebratus Chrodinus Dux, his elogijs honoratum proponimus eius monumentum post obitum; cuius erga pauperes, Sanctaque loca munificentia semper enituit.* Et hæc de clarissimo Duce, ac tanto digna Viro, eiusque felici obitu dixisse sufficiat.

Baronius an. vbi sup n. 13

A duobus Episcopis merito celebratus ex Baronio.

12. Pari item laude suum Vir alter pietate insignis exitum illustrauit, cuius in coaceruandis solertia, erogandisque diuitijs pauperum vsui largitas summoperè affulsit, qui ex mercatura (quod magis, vt Baronius inquit, admirandum videtur) ad Deum conuersus, Iulianus dictus est nomine. Cui Fortunatus quot carmina, tot laudum titulos, ac elogia sepulchralis instar tituli, inscribit:

Baronius an. 586. nu. 14.

Iulianus ex mercatura ad Deum conuersus è leemosynarum largitate prefulget

Condita sunt tumulo Iuliani membra sub isto,
Cuius in æternum viuere nouit honor.
Mercator quondam, conuersus fine beato
Raptus ab hoc mundo crimine liber homo.
Collegit nimium, sed sparsit egentibus aurum;
Præmisit cunctas, quas sequeretur, opes.
Sollicitus quemcunque notum prospexit in Vrbe,
Hunc meruit veniens exul habere patrem.
Pascere se credens Christum sub paupere forma,
Ante omnes apud hunc sumpsit egenus opes.
Non solùm refouens, sed dona latendo ministrans,
Amplius indè placet, quod sine teste dedit.
Felicem censu, qui fratris migrat in almum,
Et viuos lapides ædificare potest.
Extulit hunc tumulum genitoris honore Ioannes,
Qui modò diuinis fungitur officijs.
Qualiter hic vino seruiret amore parenti,
Cum nati pietas ipsa sepulchra colit.

Fortunatus carm. lib. 9: vbi supra.

Misericordiæ titulus, ipsum apprime cunctis commendat.

Eleemosynis Cęlo, ac terris diues Gentiū laudes lucratus nobili elogio cumulatur.

Hæc Fortunatus, dum viri pietate, ac virtutum meritò præcellētis, et eleemosynis in pauperes satis liberaliter exculti, qui pietatem sibi perpetuum viuens apud posteros monimentum visus est statuisse, & qui aurum sapienter pridem mercatus fuerat, Cœlum quoque pari subindè artis solertia mercari didicit, ac viuendi finem feliciter fecit. Quod sanè binis illis carminibus Fortunatus innuit:

Mercator quondam, conuersus fine beato
Raptus ab hoc mundo crimine liber erit.

Mercator pridem dādo Cęlum mercatur,

Iure igitur eleemosynis Mercator optimus

mus Cœlorum Regnum lucratus est, qui suas pauperibus Christi pecunias elargiri maximum sibi lucrum ducebat, iuxta illud: *Qui dat pauperi, fœneratur Deo*; adeoque pauper in terris, diues in Cœlo extitit.

Atolius S. Remigij discipulus pietate illustris

13. Atolius quoque laudatissimus inter B.Remigij discipulos, vir pietate illustris, qui & hoc planè sæculo vixit, se ab huius seiungi consortio haud patitur, quippè qui pari eleemosynarum præconio effulsit, ac diē feliciter obiēs Rhemis in Ecclesia S.Iuliani Martyris hoc nobili titulo decoratus est:

Baronius an. 585. num. 14

Hic Pater est Atolus nato, nataque sepultus,
Expectansque diem nunc Domini properam.
Instruxit bis sena suis Xenodochia rebus,
Egit Iure fouens plebes diuitijs inopes.
Sic proprium censum Cœlum transuexit in altum;
In quo suscepit, quod miserando dedit.
Hoc totum sub amore Sacri, studioque Remigi,
Ob hoc prærutilum detinet ipse polum.

Eleemosynis in terris præfulsit.

Quibus ipsamet Baronij verba coronidis instar, subteximus: *Habes ex his Lector (neque putes hac obiter narrata) quibus consueuerint titulis exornari Christianorū sepulchra, non Episcoporum modò sed & laicorum hominum pietate præstantium*. Hæc digna Viro planè elogia.

Baronius vbi sup. n. 14.

Elogio nobili Vir laicus donatur

14. Mira item erga egenos liberalitate, ac munificētia Christiano olim Orbi clara extitit Euphrasia, quæ non minori Sanctitate præfulsit, quam vir eius, qui fuit postea Ecclesiæ Viennensis Episcopus Namatius, siue Manatius nomine, cuius laudes Fortunatus carmine conscripsit, & Christianæ Charitatis, ac Misericordiæ operibus ipsum apprimè diuitem, conspicuumque exhibuit; hæc enim tumulo carmina affixit.

Baronius an. 588. nu. 22.

Euphrasia in pauperes pie munifica, & Namatius item Vir eius qui postea Viennensis Episcopus.

Fortunatus in carm. vbi supra:

Si pietatis opus nunquam morietur in æuum,
Viuis pro merito fœmina Sancta tuo.
Inclyta sydereo radians Euphrasia Regno,
Nec mihi flenda manes, cum tibi læta places.
Terram terra edit, sed spiritus astra recepit:
Pars iacet hoc tumulo, pars tenet illa polum.
Corpore deposito leuiori vecta volatu,
Stans melior Cœlo, quàm prius esses humo.
Carnis iniqua domans, de te tibi facta triumphans,
Ad patria sedes ciuis opima redis.
Ardua nobilitas proauorum luce coruscans,
Plus tamen es meritis glorificanda tuis.
Vir, cui Namatius datus Vienna Sacerdos,
Coniuge defuncto consociata Deo.
Exulibus, viduis, captiuis omnia fundens.
Paupertate pia diues ad astra subis.
Aeternum mercata diem sub tempore paruo.
Misisti ad Cœlos, quas sequereris opes.
Sed rogo per RegemParadisi gaudia dantem,
Pro Fortunato supplice funde precem.
Obtineas votis hæc, quæ tibi carmina misi,
Vt merear claudi quandoque claue Petri.

Fortunatus vbi supra.

Nobili à Fortunato decoratur titulo,

Nobilis tū genere, tum pietate,

Namatius Christi Sacerdos virorum consors,

Hæc Fortunatus in fœminæ piæ adeò, ac eleemosynarum laude inter cœteras præcipuæ tot digna meritorum, quot carminum monumenta reliquit.

Baronius an. 593. nu. 88.

15. Immortalis quoque memoriæ fœmina, & eleemosynarum laude conspicua Ingoberga Francorum Regina, supremum mortalis vitæ diem clausit, quæ apprimè in pauperes liberalitate, vigilijs, atque orationibus diues ad Cœleste Regnum auolauit, vt Turonensis his verbis refert: *Anno quoque quartodecimo Childeberti Regis Ingoberga Regina Chariberti quondam relicta migrauit à sæculo mulier valdè cordata, ac Vita Religiosa prædita, vigilijs, & orationibus, atque eleemosynis non ignaua: quæ credo per prouidentiam Dei commonita, ad me vsque nuncios dirigens, vt in his, quæ de voluntate sua, idest pro anima remedio cogitabat, adiutor existerem: sic tamen, vt ad ipsam accedens, quæ consilio habito fieri decernebat, Scriptura connecteret. Accessi, fateor, vidi hominem timentem Deum: quæ cum me benignè excepisset, Notarium vocat, & habito (vt dixi) mecum consilio, quedam*

Ingoberga Francorum Regina charitate in pauperes, magis quā sceptro clara.

Greg. Turon. hist. Franc. lib. 9. cap. 26.

Quam munifica in Sanctorum Ecclesias, atque cum piis officiis prævenit.

Ecclesiæ Turonicæ, & Basilicæ S. Martini, quadam Cenomannicæ Ecclesiæ delegauit: ac post paucos menses subitanea ægritudine fatigata, migrauit à sæculo, multos per chartulas liberos derelinquens, septuagesimo, vt arbitror vitæ anno, relinquens vnicam filiam, quam in Canthia Regis cuiusdam filius matrimonio copulauit. Mulier itaque bonis operibus, ac Pœnitentiæ præsertim cultu diues, cum Sacris Dei Ecclesiam donis, ac muneribus augendam, decorandamque curasset, ad præmia in Cœlum euolauit.

16. Quantum denique hominibus eleemosynæ subsidij præstent illud argumento est, quod ipsis sua inter peccata altiùs naufragantibus, & in fæcis luto defixis, Dei misericordiam, & ad pœnitendum Dei gratiam impetrent. Quapropter, *haud potest* (vt Vir inquit ille Sanctissimus) *mala morte mori, qui libenter opera Charitatis exercet.* Quod Augustinus Mannus Congregationis Oratorij Sacerdos se à Religioso Viro Societatis Iesu accepisse rem sibi vt potè experimento comprobatam sic tradit: *Apud Hispanos* (ait) *fuit iuuenis quidam, qui sæculi vitam amplexus, & obscœnis concupiscentijs obtemperans, tempus in Diuinorum præceptorum transgressionibus conterebat. Quapropter odio habens, & fastidiens ea, quæ spiritus sunt, abhorrebat Diuina Sacramenta, & ad confitenda Sacerdotibus peccata, quasi funibus constrictus, ire non poterat. Multique anni præterierant, quibus peccata sua confessus non fuerat. Tandem improuisa quadam peccatorum detestatione tactus intrinsecus, profectus est ad Templum Venerabilium Patrum Societatis Iesu, vbi tanta cordis compunctione, tot oculorum lachrymis sua confessus est peccata, vt Confessarius eius admiraretur, & sciscitaretur ab ipso, quę bona opera peregisset vnquam, vnde meruisset hanc misericordiam à Deo impetrare? Respondit iuuenis: Ego multa, & grauissima mala in vita mea me commisisse recordor, totumque tempus, quod vixi consumpsi penè peccando, & viuendo in fœdis luxurijs. Tot malis operibus vnum tantùm bonum opus admiscui; delectabar enim facere eleemosynas, & pauperibus benefacere, cum se se occasio offerebat. Et pergens per viam, si pauper aliquis occurrebat, diuidebam illis nummos, vt poteram. Quod si aliquando contigisset, me non habere in crumena pecuniam, quam indigenti præberem, in proximam aliquam officinam ingrediebar, & petebam à Mercatore, vt mutuaret nummos, cui si forsan notus non fuissem, loco pignoris ensem, quo eram accinctus, & pugionem relinquebam. Hic igitur iuuenis expleta Confessione, & obtenta peccatorum absolutione ægrotauit, & post biduum mortuus est, &, vt credi potest, cum salute à misericordi Deo receptus est.* Ex qua quidem narratione apertissimè patet, eleemosynam à morte perpetua eum liberasse, *neque permisisse animam eius ire in tenebras, vbi est stridor dentium.* Et miser profectò perierat, sed misericordiæ operibus sibi tandem, ac simul Deo inter pœnitendū reuixit, & salutem animæ pauperibus pecuniam elargiendo lucratus est.

Non potest mala morte mori, qui libenter opera charitatis exercet.

August. Man. nas lib. selec. hist. cap. 313.

Iuuenis perditis apud Hispanos moribus salutis remedia contemnens.

Eleemosynarum virtute compũctus tandem primò confitetur & post biduum feliciter obit.

CAPVT II.

Pœnitentes magna quæque eleemosynis peccata redimunt.

1 NIl profectò ad mortalium culpas ritè, ac salubriter expiandas, & ad promerendam Dei insuper gratiam, necnon ad expeditum sibi in Cœlum iter parandum, misericordia in pauperes, ac eleemosynarum largitione, præstans magis, aut efficacius. Quod diuino item oraculo mortalibus haud semel Christus in Euangelio inculcans: *Vendite* (inquit) *quæ possidetis, & date eleemosynam: Facite vobis sacculos, qui non veterascunt, thesaurum non deficientem in Cælis &c.* Quisquis igitur Deo, cui tantum cunctorum bonorum fons, munditia cordis arridet, placere exoptat, de corde interim à culparum labe piis eleemosynarum operibus mundando seriò in primis cogitet secum ipse, oportet. *Beati enim* (inquit Christus) *mundi corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Hinc illud meritò Augustinus: *Deum* (inquit) *videre vis: cogita ergò de corde mundando.* Quoniam verò eleemosyna culpas diluit, & cordis insuper fluentorum adinstar maculas penitus aufert, hinc meritò maximam sic ritè expiatis accedendi ad Deum fiduciam

Eleemosynarum vis maxima ad veniam promerendam efficax.

Lucæ cap. 12.

Matthæi c. 5.

Augustinus hom. in Matthæum.

ciam præbet. Charitas etenim (vt hoc eius proficiat laudibus pauperum tum lacrymis, tum eleemosynis diues, repulsam à Dei conspectu non patitur, quò potissimùm pauperum manus eleemosynas deportant, nullasquè ab ipsius Regno, quod venale est, datoquè ab his pretio comparatur, moras sustinet. Ipsum namque Deum Viri misericordes promissorum debitorem tenent. Promptus ergò mortalibus ad vitæ immortalitatem, ipsius misericordiæ patrocinante suffragio aditus patet; Quod vel ipse certo quondam Hieronymus experimento confirmans: *Nunquam* (inquit) *memini me legisse mala morte defunctum, qui libenter opera charitatis exhibuit; habet enim multos intercessores, & impossibile est multorum preces non exaudiri.* Nulla itaque, vbi eleemosyna præsto est, difficultas, quæ currentes subinde retardet, in itinere occurrit, nulla item ad Dei tribunal, meritis tum pauperum, tum eleemosynarum suffragantibus, homines de salutis negotio cura solicitat, quos misericordiæ opera, ac profusa in miseros pecuniarum elargitio apud Deum releuando commendat tutosquè ad summum Iudicis tribunal omnis expertes labis, sibiquè bene conscios ipsius oculis repræsentat: *Iucundus homo* (ait psaltes) *qui miseretur, & commodat, disponit sermones suos in iudicio, quia in æternum non commouebitur.* Quid enim sibi à Iudice timeat, qui culpæ totius expers, haud accusatorem ex aduerso impugnantem habet, ac repromissam sibi ipsius Dei ore iam iudicandus misericordiam (teste Chrysostomo) securus expectat: *sine causa* (inquit) *accusat peccatum, quem pauper excusat; excusari non potest, quem fames pauperis accusarit. Videbit diem malum, qui diem iudicij sine aduocatione paupertatis intrarit. Qui fænerat pauperi, ipsum sibi Iudicem præstitit debitorem.* Sic planè.

Hieronym. epist. ad Nepotianum.

Vir Misericors ad Dei tribunal salutis negotium probe agit.

Psal. 111. v.

Chrysostomus hom. 40.

2. Hinc meritò Tabitha, quæ bonis diues operibus, ac eleemosynarum largitate suas Deo in pauperes erogabat, mortalium iugo, mortisquè subesse imperio nequiuit, sed ad Petri vocem quantumui smortua reuiuiscens, pauperum exorante manu reuocari quantocyus invitam meruit: *Et circumstantes* (inquit Lucas) *illum omnes viduæ flentes, & ostendentes ei tunicas, & vestes, quas faciebat illis Dorcas.* Ipsius namque ad Deũ pauperibus, non tã voce quã manu acceptis ab ipsa eleemosynis causam, Cypriano teste, perorantibus sub mortis tyrannide captiua diù esse haud potuit. *Quæ* (inquit) *laborantibus viduis largita fuerat subsidia viuendi, meruit ad vitam viduarum petitione reuocari.* Tot igitur ad Deũ supplices ac validæ pro ipsa voces altius instabant, quot viduarum manus vestes ab ipsa sibi donatas acceperant; vt enim magnus ait Leo: *Temporale donum in præmium transit æternum.* Nullum quippe eleemosynis cum morte commercium, nullum misericordiæ operibus cum pœnarum mulctis aliquando consorti um, quibus certum vitę à Deo lucrum ipsius Apostoli ore repromittitur: *Pietas* (inquit) *ad omnia vtilis est, promissionem habens vitę, quę nunc est, & futuræ.* Christianorum itaque Pœnitentium, & quæ eleemosynis insuper redundat, Charitas sic semper viget, & præsto apud Deum est, vt semper ad thronum gratiæ pro homine interpellet; sic denique viuit, vt nunquam sua spe frustetur, aut excidat: *Omnis quippe* (vt inquit Ambrosius) *summa disciplinę nostræ in misericordia, & pietate est.* Lucrum namque homini ingens ab eleemosynarum, quæ in terris exerceatur, commercio prouenit: *Qui miseretur pauperi, fæneratur Deo;* Quod & innumeris ex rerum gestarum, tum antiquæ, tum recentis memoriæ monimentis liquet.

Eleemosyna non finit homines ire in mortem.

Actuum Apostol. cap. 9.

Tabitha, quę eleemosinis pauperes fouebat dm morti subesse non potuit ex Cypriano.

Cyprianus in loc. cit.

S. Leo PP. serm. 6. de resurrect.

Apost. Ep. ad Tenal. Timotheum 6. 4.8.

Eleemosynarum prærogatiua ad vitam homini præstandam

Ambrosius in epist. Pauli

3. Inter hos verò Osuualdus Nordhumbrorum Anglorum Rex meritò recensendus est, qui Eduino suffectus, miræ vir pietatis, infeliciter quidem hominum oculis, sed exoptandum bonis operibus diues, ac meritis cumulatus diem clausit. Multiplicibus quippè victoriarum ob eximiam pietatem palmis ad auctus, Christianam quoque religionem totis animi neruis propagandam curauit, vt Beda his verbis testatur: *Idem ergo* (inquit) *Osuualdus mox vbi regnum suscepit desiderans, totam, cui pręesse cœpit, gentem* (Berniciorũ scilicet) *fidei Christianæ gratia imbui, cuius experimenta permaxima in expugnandis Barbaris iam ceperat, misit ad maiorem natu Scotorum (inter quos exulans ipse baptismatis Sacramenta cum his, qui*

Baronius an. 634. n. 9.

Osuualdus Nordhumbrorum Anglorum Rex Eleemosynarum operibus diues.

Beda lib. 3. cap. 6.

secum erant, militibus consequutus erat) petens, vt sibi mitteretur Antistes, cuius doctrina,ac ministerio gens, quam regebat, Anglorum dominicæ fidei, & dona disceret,& susciperet sacramenta. Tanti quidem in traducendis ad Christi fidem populis pius Regis ardor, ac desiderium affulsit, & vel ex eo magis ostenditur, quod misso Antistite Aidano Scoto, cum is Euangelium populis annunciaret, Rex interpretis munere fungi voluit, & ingenti quidem fructu Rex ipse nouo munus interpretis Apostolo exhibuit, vt Beda prosequitur.

Victoriarum palmis ob eleemosynas à Deo auctus.

4. *Pulcherrimo*(inquit)*sæpe spectaculo contigit vt euangelizante Antistite, qui Anglorum linguam perfectè non nouerat, ipse Rex suis ducibus, ac ministris interpres verbi existeret cœlestis: quia nimirum tam longo exilij sui tempore linguam Scotorum iam plenè didicerat. Exinde cœpit plures per dies de Scotorum regione venire in Britanniam, atque illis Anglorum prouincijs, quibus regnauit Rex Osuualdus, magna deuotione verbum Dei prædicare,&c. Construebantur ergò Ecclesiæ per loca, confluebant ad audiendum verbum Dei populi gaudentes, donabantur munere regio possessiones, &c. Imbuebantur præceptoribus Scotis paruuli Anglorum vnà cum maioribus studijs, & obstinatione disciplinæ regularis; Nam monachi erant maximè, qui ad prædicandum venerant, Monachus ipse Episcopus Aidanus, &c.* Vberrimus itaque ex euangelica prædicatione prouentus extitit. Verùm Aidani Antistitis quantum verbo,& exemplo, tum Rex, cuius recenset laudes, tum subditi profecerint, his Beda verbis tradit: *Huius igitur reuerendissimi Antistitis doctrina Rex Osuualdus cum ea, cui præerat, gente Anglorum institutus, non solum incognita progenitoribus suis Regna Cælorum sperare didicit: sed & regna terrarum plusquam vlli maiorum suorum ab eodem vno omnipotente Deo, qui fecit Cælum, & terram, consequutus est, etc. Quo regni culmine sublimatus,nihilominus,quod mirum dictu est, pauperibus, & peregrinis semper humilis, benignus, & largus fuit. Denique fertur, quod tempore quodam cum die sancto Paschæ cum præfato Episcopo consedisset ad prandium,positusquè esset in mensa coram ipso discus argenteus regalibus epulis refertus, iamquè essent manus ad panem benedicendum missuri, intrasse subitò ministrum ipsius, cuius suscipiendorum inopum erat cura delegata, & indicasse Regi, quia multitudo pauperum vndecunque adueniens maxima per plateas sederet, postulans aliquid eleemosynæ à Rege: Qui mox dapes sibimet appositas deferri pauperibus, & discum confringi, atque ijsdem minutatim diuidi præcepit. Quo viso Pontifex, qui assidebat, delectatus tali facto pietatis, apprehendit dexteram eius, & ait: Nunquam inueterascat hæc manus. Quod & ità iuxta votum benedictionis eius prouenit; Nam cum interfecto illo in pugna manus cum brachio à cætero essent corpore resectæ, contigit, vt hactenus incorruptæ perdurent; Denique in Vrbe regia, quæ à Regina quondam vocabulo Bebba cognominatur, loculo inclusæ argenteo, in Ecclesia S. Petri seruantur, ac dignè à cunctis honore venerantur.* Sic planè nedum Rex eleemosynarum elargitionibus, ac pietate in pauperes conspicuus; sed miraculis insuper clara post mortem ipsius manus præfulsit, adeò vt incorrupta adhuc persistat, quæ tam liberalis, ac munifica in Christi pauperes olim fuit.

Beda vbi supra.

In Sumpta Euangelij populis annunciandi ipsius regis deuotio.

Orthodoxa fides ab ipso propagatur.

Beda vbi supra.

Osuualdus in fide,& virtutibus proficit.

Mensæ accumbens, dapes sibi appositas & discum argenteũ in pauperes expectantes diuidi iubet.

Pōtifex hoc ipsius factum elogio celebrat: Nunquam veterascat (inquit) hæc manus.

5. Sed Christianissimus Rex acriter in prælio ab hostibus impetitus, dum Deo pro suis preces offert, vitam quoque pro illorum salute libenter impendens viuendi finem fecit, vt Beda his verbis: *Vulgatum est*(inquit),*et in consuetudine prouerbij versum, quod etiam inter verba orationis, vitam finierit. Namque cum armis, et hostibus circumseptus, iam, iamquè videret se esse perimendum, orauit ad Dominum pro animabus exercitus sui. Vndè dicunt in prouerbio: Deus miserere animabus, dixit Osuualdus cadens in terram. Ossa illius translata, et condita sunt in Monasterio,quod diximus. Porrò caput, et manus cum brachijs à corpore præcisas iussit Rex, qui occiderat, in stipitibus suspendi,etc.* Infeliciter quidem Osuualdus, si quis mundanis rem oculis aspiciat, diem clausit, dum quasi à Deo derelictus, suis in prælio hostibus, ac morti triumphus cessit; verùm pretiosa ipsius in conspectu Domini mors fuit, ipsumquè ad cœlestis Regni, & Christi consortium euolasse, mira, quæ eius mortem consequuta sunt, portenta signorum testantur, vt Beda his verbis affirmat: *Temporalis*

Baronius an 642.n.47.

Beda vbi sup

Inter precãdum pro suis in bello viuendi finem facit.

poralis Regni (inquit) *quondam gubernacula tenens, magis pro æterno regno semper laborare, ac deprecari solebat. Denique ferunt, quia à tempore matutinę laudis sæpius ad diem vsque in orationibus perstiterit, atque ob crebrum morem orandi, siue gratias agendi Domino, semper vbicunque sedens supinas super genua sua manus habere solitus sit, etc. Cuius quanta fides in Deū, quę deuotio mentis fuerit, id post mortem virtutum miraculis claruit, etc. Nec mirandum in loco mortis illius infirmos sanari, qui semper, dum vixit, infirmis, et pauperibus consulere, eleemosynas dare, et opem ferre non cessabat*. Hæc autem digna Regi pijssimo laudum præconia inscribit, quæ nobilissimi sepulchralis instar tituli, nos eius sepulchro insculpenda voluimus.

Beda vbi sup.

Assiduo orandi studio per noctem vacans signis post mortem fulget.

6. Aripertus quoque Longobardorū Rex eleemosynarum elargitionibus clarus, cum octo annos regnasset, diem feliciter clausit, vt Paulus Diaconus his verbis ipsius meritis testimonium præbens affirmat: *Fuit Aripertus quoque Vir pius, eleemosynis deditus, ac iustitiæ amator*. Et paulò inferius: *Post Ariperti* (inquit) *funus Ansprandus Longobardorum regno potitus, tres menses solummodò regnauit; vir per omnia egregius, et cuius sapientiæ rari æquandi sunt. Cernentes Longobardi huius interitum, Luitprandum eius filium in regali constituunt solio*. Ansprandus igitur filius, haud patre impar, laudibus necnon egregij Principis titulo donatus, ac nemine inferior, postquàm breui regnauit, fatis feliciter concessit, cui Luitprandus suffectus traditur. Porrò Aripertus munificum se in primis erga B. Petrum exhibens, Alpes Cottias donauit, vt Oldradus Mediolanensis Episcopus in Epistola ad Carolum Magnum testatur: *Primò* (inquit) *regni sui anno donationem, quam B. Petro Aripertus Rex donauerat, confirmauit, licet Alpes Cottias, in quibus Ianua est, et quidquid ab ea Alpes vsque ad Galliarum fines continebat*. Quam subinde donationem Luitprandus quoque ratam volens firmauit.

Baronius an. 991. n. 2.

Aripertus Longobardorum Rex Eleemosynis in pauperes clarescit.

Paulus Diaconus lib. 6 cap. 35. Baronius vbi sup. n. 8.

Eius erga S. Petrum munificentia.

Baronius vbi supra n. 9.

7. Huic iure merito Bertharidus Longobardorum Rex adnumerandus est qui pietate in Deum, & munificentia in pauperes conspicuus, cum decem & septem annos regnasset, bonis operibus ac eleemosynarum apud Deum elargitionibus diues, cumulatusque in Cœlum euolauit. Cuius egregias laudes Paulus Diaconus his verbis recenset: *Erat Vir pius, fide Catholicus, iustitię tenax, pauperumque largissimus nutritor*. Et paulò post: *Vt Regni iura suscepit, in illo loco, qui à parte fluminis Ticini est, vndè ipse olim fugerat, Monasterium, quod nouum appellatur, Domino, & Liberatori suo in honorem Sanctę Virginis, & Martyris Agathę construxit, in quo multas Virgines aggregauit, rebusque diuersis, pariterque ornamentis eumdem locū ditauit. Regina verò eius Basilicam Sanctę Dei Genitricis extra muros eiusdem Ciuitatis Ticinensis, quæ ad Perticas appellatur, opere mirabili condidit, ornamentisque mirificis decorauit*. Hæc ille. Misericordiæ itaque operibus laudabiliter insistens, Diuinam sibi misericordiam promeruit, & pauperum manu æternam sibi in Cœlis mansionem parauit.

Baronius an. 691. n. 2.

Bertharidus Longobardorum Rex erga Christi pauperes pius ac misericors.

Paulus Diaconus lib. 6. vbi supra.

Pietas in templis excitandis.

8. Cui item veluti paternarū æmulator virtutum Cunipertus filius adnumerandus est, qui omni probitate, sed pietate in Deum maximè conspicuus, cū Monasterium in B. Georgij honorem ædificasset, prosperè annos duodecim solus regnauit, optimum vitæ sortitus est finē; de quo Paulus Diaconus isthæc: *Hic in campo Coronata, vbi bellum contra Alachin gessit, in honorem B. Georgij Martyris Monasterium construxit. Fuit autem Vir elegans, & omni bonitate conspicuus, audaxque bellator. Hic multis Longobardorum lacrymis iuxtà Basilicam Domini Saluatoris, quam quondam auus eiusdem Aripertus construxerat, sepultus est, regnumque Longobardorum Luithberto filio adhuc puerilis ætatis reliquit, cui tutorem Asprandum virum sapientem, et illustrem contribuit*. Hæc Paulus. Ex hoc igitur hic vnus apprime laudandus, quòd sui cunctis desiderium moriens Longobardis relinquens, eorumdem lacrymis sibi parentari promeruit.

Baronius an. 703. n. 3.

Cunipertus prædicti filius paris in Deum mentis obsequio conspicuus.

Paulus Diaconus lib. 6. c. 12.

9. Luitprandus item Longobardorum Rex, quem licet furor interdum sub ito in mala præcipitem ageret, multa tamē laude digna præstitit, ob quæ demum diem feliciter clausit, vt Paulus Diaconus in fine historię rerum Longobardorum his verbis: *Luitprandus* (inquit) *post-*

Baronius an. 744. n. 21.

Luitprandus Longobardorum Rex eleemosynarum laude celebris.

Paulus Diaconus in sua hist. Longobardorum.

postquam triginta, et vno anno, septemquè mensibus principatum obtinuit, iam ætate maturus, huius vitæ cursum expleuit. Corpus eius in basilica B. Hadriani Martyris, vbi et eius requiescit genitor, sepultum est. Fuit autem Vir multę sapientiæ, consilio sagax, pius admodum, et pacis amator, bello potens, delinquentibus clemens, castus, pudicus, orator, peruigil, eleemosynis largus, litterarum quidem ignarus, sed Philosophis æquandus, nutritor gentis, legum augmentator. Hic initio regni sui Boiariorum plurima castra cępit, plus semper orationibus, quàm armis fidens, maximam semper Francorum, Auarumque pacem custodiens. Hæc scriptor. Quibus & ea, quæ Baronio addit, hic apte à nobis subtexenda sunt, eius vtpote condigna laudibus: *Verùm* (inquit) *plurima de eodem Rege prætermisisse satis euidenter scriptis Anastasij conuincitur, etc. Cum tamen non negandum multa fuisse eiusdem Principis laude dignissima, licet interdum furor in malum præcipitem egerit, vt planè de illo dicendum sit, quod de Theodosio S. Ambrosius ad ipsum scribens dixit: Quod habeas (inquit) fidei studium, non possum negare, quod Dei timorem, non diffiteor; sed habes naturę impetum, quem si quis lenire velit, citò vertes in misericordiam; si quis stimulet, in maius exuscitas, ita vt eum reuocare vix possis.* Ita si quidem Luitprandus comparatus, ad veniam facilis, si orator accedetet. Porrò vt quæ posteris pręlaudatus Princeps eximiæ pietatis monimenta reliquit, recenseantur, pręter illa, quæ ob impensam operam in transferendo ex Sardinia sacro S. Augustini Ecclesiæ Doctoris corpore, hęc Paulus Diaconus habet.

Præclaræ ipsius virtutes.

Baronius vbi supra n. 22.

Furor ipsius & si in malũ præceps in multis tamẽ [illegible] laude dignus ex Baronio.

Ambros. epist. 108.

Paulus Diaconus vbi sup.

10. *Hic gloriosissimus Rex multas in Christi honorẽ per singula loca, vbi degere solebat, basilicas construxit. Hic Monasterium Beati Petri, quod foras muros Ticinensis ciuitatis situm est, & Cælum aureum appellatur, instituit. In Summa quoque Bardonis Alpe Monasterium, quod Barcetum dicitur, ędificauit, &c. Intra suum quoque palatium oraculum Domini Saluatoris ædificauit, & quod nulli alij Reges habuerant, sacerdotes, & Clericos instituit, & qui ei quotidie diuina officia decantarẽt.* Verùm recensitis viri laudibus sepulchralẽ hunc titulum, qui eius sepulchro in Basilica Beati Petri Apostoli Principis legitur, velut nobile præconiorum ipsius monimentum, his conscriptum notis subteximus.

Ecclesias & monasteria in Dei SS. obsequium construit.

Flauius hoc tumulo Luithprandus conditur, olim
Longobardorum Rex inclytus, acer in armis,
Et bello victor. Sutriumquè Bononia firmant
Hoc, & Ariminum, necnon inuita Spoleti
Męnia: namque sibi hac subiecit fortior armis.
Roma eius vires iam pridem milite multo
Obsessa expauit. Deinceps tremuert feroces
Vsque Saraceni, quos dispulit impiger, ipsos
Cum premerent Gallos, Carolo poscente, iuuari.
Vngarbus à solo adiutus, Francus, et omnes
Vicini grata degebant pace per omnes.
Rege sub hoc fulsit (quod mirum est) sancta, frequensquè
Relligio, vt recolunt Alpes, Ecclesia quarum
Hunc habuit, vincẽte ipso, & prę grandia templa,
Quę viuens struxit; quibus et famosus in orbe
Semper, et æternus lustrabit sæcula cuncta.
Pręcipuè Petro cælesti hac sede locata
Clauigero statuit, Cælo, quam prouidus aureo
Augustinus vbi huc aliunde abductus, eodem
Ab Rege, et cuius doctrina Ecclesia fulget.

Baronius vbi supra n. 23.

Ipsius laudes elogio summatim collecta.

B. Petri Apost. Principis, & S. Augustini cultor eximius

Hæc titulus legenda præfert, quin etiam S. Augustini illuc ossa piè translata recolit.

Baronius an. 729 n. 1.

11. Verùm vt eximiam tegis pietatem, pronamquè ipsius ad pia amplexanda consilia quis mentem probè nouerit, cùm Romam valido vallatus exercitu quondam venisset, eiusquè aduentu iam Vrbi clades immineret, Gregorius Secundus Summum Pontifex eidem obuiam, velut alter Leo Attilæ, ad prata Neroniana factus, eumdem extemplo com-

Ab Vrbe, cui armis cladem minabatur, à Gregorio II. placatus recedit, & sua B. Petri sepulchro armorum spolia appẽdit.

compescuit, ac licet armis armatisque fretum, furentemquè, mirabiliter, Dei suffultus auxilio demulsit; adeò vt, qui ferox spolia detracturus aduenerat, spolia sibi detrahens, ac si se palàm victum triumphatumque fateretur, eadem B. Petro, eiusquè sepulchro affigeret; hæc enim Anastasius habet: *Eodem (inquit) tempore adest Christi An. septingentesimo, vigesimo nono sepè dicti Eutychius Patricius, et Luitprandus Rex inierunt consilium nefandum, vt congregato exercitu Rex subyceret Duces Spoletinum, et Beneuentanum, Exarchus Romam, et quę pridem de Pontificis persona iussus fuerat, impleret: non nempe vt eum occideret. Qui Rex Spoletum veniens, susceptisquè ab vtrisque Ducibus Sacramentis, atque obsidibus, cum tota sua cohorte in Nerouis campo conuenit (erat locus iste prope Basilicam Vaticanam, olim dictus Prata Neronis) ad quem egressus Pontifex, eique præsentatus studuit (vt potuit) Regis mollire animum commonitione pia. Ità vt ipse Rex se prosterneret eius pedibus, et promitteret nulli inferre læsionem. Atque sic ad tantam compunctionem ipse pijs monitis flexus est, vt quæ fuerat indutus, arma exueret, et ante corpus Apostoli poneret, mantum, armillam, baltheum, spatam, atque ensem deauratum, necnon coronam auream, et crucem argenteam. Post orationem factam obsecrauit Pontificem, vt memoratum Exarchum ad pacis concordiam suscipere dignaretur. Quod et factum est, et sic recessit Rege declinante à malis, quibus inierat consilium cum Exarcho.* Dignum planè tunc Petro, eiusquè sepulchro tum Vrbs, tum Orbis triumphum vidit, vt victorem nimirum ipse barbarus Rex, qui iam triumphaturus aduenerat, triumphatus Beato Petro, eiusquè successori supplex accideret, ac regium non nisi ad tuendam Petri Ecclesiam, eiusquè propugnandam ditionem, haud ad sæuiendum, mucronis gladium exereret. Iure igitur, qui de se iam pridem nobile adeò compuncti cordis specimen prætulit; pœnitentis quoque in morem è vita decedens, æternum pro momentaneo regno lucratus est.

Anastasius in Gregorio 2. Cron. an. 729. n. 1.

Ad Pontificis pedes Petrum in ipso veneratus procumbit.

Piè tandem diem claudit.

Rainaldus an. 1223.

12. Atqui summis quoque laudibus Philippus Galliarum Rex se dignum præbuit, qui multa (quod Reges solent) humanæ infirmitatis labe respersus deliquit, ob quæ Numinis in se iram iustissimè concitauit. Sed tandem pœnitentiæ subsidio veniam, ac felicem vitæ, Deo aspirante, finem est consequutus. Primùm verò cū Inseburgim Regis Dacorum sororem, quam sibi matrimonio iunxerat, superinducta pellice, iniquis, (nec vt par est) modis tractaret, ab Innocentio Papa admonitus, acerbissimisque perstrictus verbis, necnon cælestibus insuper, vt resipisceret minis, exterrefactus dum pellici arctiùs inhæret, bello tandem à Ricardo Anglorum Rege impetitus, qui vesanos inter amores fluctuabat, è ponte præceps in fluuium prolabitur; Ex quo cum euasisset illæsus se ipso factus nil melior, ac Pontificijs demum litteris ad superinductam procul abijciendam pellicem compulsus, in malo obstinatior, haud se ad parendum vt par erat, promptum, facilemque exbuit; Id vnum pro se excusando in medium afferens, nimirū fascino quodam ab vxoris amore præpeditum, quibus tamen nugis, vanisque excusationū commentis reiectis, nunquam matrimonialis cum Inseburga vinculi dissolutionem obtinere is potuit. Tandem verò se ad bonam frugem recipiens, connubij iuribus, ac thoro vxorem restituit; sed haud sine prœmio id præstitit: Rex namque ab Anglis salutatus, Apostolica in ipsum auctoritate Anglorum Regni sceptrum Innocentius transtulit. Atqui cùm multa subinde Philippus reprehensione digna tentaret, diutino tandem correptus morbo, varijsque attritus malorum incommodis, ànteactæ vitæ errores retractandi, animique ad Deum traducendi consilium salubri præuentus admonitione cœpit; sed fatis subinde concedens, munitusque salutaribus pœnitentiæ remedijs, diuinam sibi inter moriendum clementiam conciliauit.

Philippus Galliarum Rex calamitatibus ad resipiscendum adductus.

Pellicem à Pontifice monitus dimittit.

Morbo diutino correptus mores corrigit.

13. Eleemosynis quippe primùm Rex pius sibi veniam à Deo impetrandā curauit, vt à terreno Regno ad Cœli regiam aditus sibi pateret. Porrò ipsum animi probè pœnitentis laude conspicuum, bonorumque operum cumulo ditem decessisse D. Antoninus eiuscemodi testatum elogio reliquit, vbi eius verborum compendio laudes cōplexus ait: *Vir mirabilis fuit, & omni memoria dignus*

Rainaldus vbi supra.

Eleemosynis sibi ad vitam aditum parat.

gnus, cui post Carolum Magnum vix aliquis similis reperiri possit ex Regibus Franciæ. Hæc ille. At nos Regio ipsius tumulo, has sepulchralis tituli notas à Rigordo excerptas, haud ab re duximus inscribendas: *Anno* (inquit) *ab Incarnatione Domini M.CC.XIII. pridiè Idus Iulij obijt Philippus Rex Francorum illustris apud Castrum, quod vocatur Meduta. Qui sensu, & industria Vir prudentissimus, virtute strenuus, gestis magnificus, fama præclarus, victoriosus in bellis, ac triumphis multis, & magnis plurimùm gloriosus, ius, & potentiam Regni Francorum mirabiliter dilatauit, & regalem fiscum ampliauit in multis. Multos etiam præclaros Principes terris, militibus, armis, & opibus præpotentes Regno suo, & sibi grauiter aduersantes debellauit viriliter, & deuicit.* Hæc ille de Philippo, quem Galliarum Regni terminos dilatasse, multasq; ditioni suæ Prouincias adiecisse Iordanus his verbis tradit: *Probitate mira, Regno suo multos adiecerat Comitatus; scilicet Viromaduensem, Bellomontensem, Pontunensem, Alonconensem, Cenomanensem, Turonensem, Andegauensem, Pictauiensem.* Hæc Iordanus.

Rigordus in Chronic.

Ob insignes ipsius animi dotes laudandus.

Iordanus M S. in Biblio. Vaticana.

Eius in bello singularis gloria.

14. His itaque à Philippo præclarè gestis; pietas, quæ Christianum in primis decet Principem, in ipso (vt Rigordus testatur) mirificè affulsit, ob quod tutum sibi è vita exitum cōparauit; hæc enim Rigordus de eo: *Ecclesiarum* (ait) *defensor maximus, & protector; Istam præcipuè Sanctam Ecclesiam, Sancti videlicet Dionysij specialis fauoris gratia, et quasi quodam amoris priuilegio fouit propensius, et protexit, et quē habebat erga ipsam dilectionis affectum, multoties effectus operis comprobauit. Porrò ipse ab annis teneris zelator fidei Christianæ vexillo Crucis affixo humeris, in sua iuuenili ætate contra Saracenos manu valida transfretauit, vbi in obsidione Acconitanæ Vrbis vsque ad eius consumatam debellationem, plenamque recuperationem præclarè, & efficaciter laborauit: ac postmodum vergens in senium, proprio filio suo primogenito non pepercit, quin eum mitteret bis aduersus Hæreticos Albigenses cum magnis sumptibus, et expensis. Et in alia tam in vita sua, quàm in suo decessu multa largitus est ad eiusdem negotij, Albigensis subsidium, et iuuamen. Præterea dando pauperibus, et dona plurima charitatiuè per loca varia dispergendo, eleemosynarum fuit largissimus seminator. Sepultus autem est in Ecclesia B. Dionysij, etc.* Rex igitur pietate in Deum, ac misericordia in pauperes clarus, opportunè suum bonorum operum subsidijs exitum præmuniuit.

Rigordus vbi supr.

Pro Dei obsequio acRe ligionis cultu nullis in bello laboribus parcit.

Eleemosynarum munificus elargitor feliciter obijt.

15. Porrò Regi de Catholica fide optimè merito magna quidem pompa à duobus Archiepiscopis, ac viginti Episcopis exequias celebrari contigit, vt idē qui supra, Auctor testatur: *Qui Prælati* (inquit) *de mandato Domini Papæ, immò de ipsa totius, vt credibile est, ordinatione diuina pro negotio Albigensi tunc temporis erant Parisijs congregati. Missam autem exequialem celebrarunt simul Portuensis Episcopus, et Rhemensis Archiepiscopus, vna voce ad duo Altaria propinqua cæteris Episcopis cum Clericis, et Monachis, quorum aderat innumera multitudo, assistentibus, et eis respondentibus sicut vni. Inter quos adfuit, et Ioannes illustris Rex Hierosolymitanus, qui in Franciam venerat pro negotijs, et necessitatibus Terræ Sanctæ; præsentibus ad hoc inclytis prædicti Regis Philippi filijs, Ludouico primogenito, et Philippo. Sepè dictus autem Rex Philippus tale condidit testamentum. Legauit ad subsidium Terræ Sanctæ tria millia librarum Parisiensium, videlicet præfato Regi Ioanni centum millia, Hospitali Hierosolymitano centum millia. Datum est de suo Almarico Comiti Montisfortis viginti millia librarum Parisiensium, ad vxorem eius, et suos de Albigensi terra, et manu hostium reducendos. Præterea dedit quinquaginta millia librarum Parisiensium pauperibus eroganda. Magnam etiam summam pecuniæ dicitur insuper erogasse.* Hæc ille. Ex quibus constat, ingenti ipsum eleemosynarum, piarumque elargitionum subsidio ad superna sibi Regna aditum, ac viam parasse, dum suum, sic præmunire Rex pijssimus è vita discessurus transitum voluit.

Rigordus vbi supra in Phi. lipp. Franc. Rege.

Digno, ac solemni funere ab Episcopis decoratus.

Ioānes Hierosolymorū Rex ipsius tūc exequijs in Gallia præsens.

Pius Rex pecunias in Dei obsequium moriens legat

Pecunia in pauperes ab ipso erogata

12. Porrò haud lugubres, immo gratulatorias super Philippi obitu literas Honorius Papa Ludouico Octauo ipsius filio scribens, meritò ipsum post mortem visus est laudasse, cùm ad meliorem sortem concessisse his verbis affirmat: *Ineffabilis* (ait) *prouidentia Diui-*

HonoriusPapa gratulatorias Ludouico ob patris obitum literas dirigit.

Honorius Papa lib.8.ep.74

næ

na profunditas, inclytæ recordationis Philippo Rege Francorum Patre tuo post laudabiliter acta Regni terreni negotia, sicut firmiter credimus, ad meliora vocato, te in eius solio collocauit vt te regnante pro ipso, ac eius pietatem, et iustitiam imitante, Pater in filio viuere videatur. Paternis itaque virtutibus, eiusque decessui satis nobile Romanus Pontifex testimonium exhibuit, dum ad vitæ Regnum pium adeò Regem transmeasse, idque se firmiter, constanterque credere affirmat. Quo autem argumento adductus id Pōtifex asserat, Gulielmo Britone narrante liquet, qui idipsum diuinitus præostensō visu innotuisse narrans, rudi rem metro exposuit, carminibus illis narrandi exordium faciens.

Gulielmus Brito lib. 7. cap. 187.

Tempore, magnanimi quo Regis humatio facta est.

Signina tunc Papa moram faciebat in Vrbe.

Cœlesti visu felix ipsius finis comprobatus.

Vir igitur (vt ipse habet, & Rainaldus in suis Annalibus refert) Iacobus nomine, Pontificij Pœnitentiarij hospes in ancipiti mortis discrimine extrema sacri olei vnctione delibutus, cum suprema fugientis vitæ suspiria penè traheret, cœlesti obiecto sibi visu mirificè releuatus est. In quo S. Dionysius purpurea decorus veste, atque ingenti circūfusus splendore, cui præibant Angeli albo amictu, & quem sequebatur Regis Philippi anima, ignea veste superinduta videndam se obtulit: Cùmque illi, se Dionysium esse, illum verò Philippum Regem, qui è viuis discesserat, atque in purgatorijs flammis ad sua expianda crimina tenebatur, aperuisset; iussit vt mox adiret Pontificem, admoneretque vt incruentum pro Regis anima Altaris sacrificium offerret. Expauescenti verò ad iussa, ac respondenti in extremo mortis confinio, nec vires, nec animum suppetere, ad ea Pontifici renuncianda; eo quòd timeret se delirantē, atque insanum habitum iri: Tunc Diuus Dionysius omnem ab illius animo metum blandis verbis amouit, ac pristinæ mox valetudini restituit: *At ægrum* (vt Rainaldus ait) *confirmatis viribus, morboque liberum exilysse è lecto, et Pontifici visa retulisse, fidemque acceptæ diuinitus valetudinis argumento fecisse.* Hæc Rainaldus in suis Annalibus, qui Philippum Regem pœnitentia suffultum, Dei aspirante gratia, tuto è vita exitu decessisse affirmat. Sed de his hactenus.

Rainaldus an. 1223. num. 38.

E purgatorij igne Philippi anima S. Dionysij apparentis ope vindicatur.

Aegrotus, vt visum facto confirmet, sanus mox, ve etusque è lectulo exiliens rem totam narrat.

Rainaldus vbi supra.

13. Magnam quoque sibi eleemosynarum præsertim elargitionibus laudē Henricus Angliæ Rex peperit, qui pietate erga Deum, ac religioso erga Christi Ecclesiam cultu adeò præfulsit; vt eius tuendæ causa arma sumere, inuictoque contra hostes animo dimicaturus in arenam prodire non recusauerit. Vbi verò Orientalis aduersus infideles, ac barbaros Hierosolymorum ex impijs manibus vindicandam ditionem solemnis expeditio instruebatur, cum ipse administrando tūc Regno adesse cogeretur, Eduardum filium S. Ludouico Francorū Regi comitem iunxit; ipse verò nullis vnquam incommodis, laboribusque pro tuenda Religione fractus, pijs, ac laudabilibus suum è vita exitum operibus Deo commendans, mortalem tandem feliciter vitam absoluit, promeritisque cum viuens, tum mortuus præconijs cumulatus est: *Henricus autem* (cuius mentio hìc est) *lethalem* (vt Rainaldi verbis vtamur) *morbum contraxerat, cum post iustas de Noruuicensibus, qui immani sacrilegio Ecclesiam nobilissimam ex odio, quo in Monachos efferati erant, flammis exussērant, acceptas pœnas rediret, Sacramentisque Ecclesiæ communitus animam piè admodum Deo reddidit.* Hæc Rainaldus ex Vuestmonasteriensi, qui eundem quinquaginta sex annis, & amplius Anglorum sceptrum administrasse pronunciat.

Henricus Angliæ Rex eleemosynarum largitate præcipuus

Rainaldus an. 1272. n. 68

Rainaldus vbi supra.

Post factile gos iustè mulctatos piè obit.

14. Verùm laudatissimus Rex eleemosynis potiùs, quam Regijs infulis admirandus, & pietate magis, quàm sæculari potentia conspicuus, adeò profusæ in Christi pauperes liberalitatis extitit, vt Deus quamplures eidem viuenti victoriarum palmas miris planè modis contulerit, atque ab extremis rerum, ac vitæ periculis hominem pro sui gloria pugnantem ob singularem, quam præseferebat piæ, ac deuotæ mentis prærogatiuam haud semel eripuerit, in cuius laudem illud S. Ludouicus Francorum Rex edixit; *Eū videlicet eleemosynis suis ab omnibus periculis ereptum iri.* Cuius diuini planè oraculi veritas tunc maximè

Pietate in pauperes præcellens à periculis inter bellandum seruatur

Ionuil. in vita S. Ludouici Francorum Regis.

S. Ludoui. cus eleemo. fynarum ip. fius præco.

mè Christiano Orbi innotuit, cum inter hostium manus veniens, maximisque circumuentus angustijs ex ipsis saluus tandem, ac insuper cæsis hostibus rediens victor emersit. Cui item memorabile illud Leolini Vualliæ Principis dictum occinit; *dum se magis Henrici eleemosynas, quàm ipsius exercitus pertimescere affirmaret*: Qui igitur totis visceribus super egenū, & pauperē intendebat, Deum sub vitæ finem, munificū remuneratorē habuit, ad cœlitum præmia ab ipso euocatus.

Leolini de ijsdē solem. ne dictum.

Vuestmono. sterf. in Flor. hist.

15. Verum enimuerò Henricus quā pium se, ac religiosum iugiter exhiberet, & quam feruido deuoti animi affectu sacrosancto Missæ sacrificio interesset, quæ Vuestmonasteriensis in suis historiarum paginis affirmat, satis, superque testantur: *Hic Rex* (inquit) *quantum in actibus sæcularibus putabatur minùs prudens, tanto apud Dominum maiori deuotione pollebat: singulis namque diebus tres Missas cum nota audire solebat: at cum Sacerdos Corpus Dominicum eleuaret, manum Sacerdotis tenere, et illam osculari solebat*. Pius igitur Rex semetipsum, ac regias infulas pietate superans, quidquid Deo, eiusque obsequio in dies deferebat, haud satis vnquam suo muneri ratus, maiora in dies virtutum incrementa meditari non destitit. Verùm qui totum se sacrosanctæ, ac incruentæ, dum à Sacerdote peragebatur, altaris hostiæ, diuinisque recolendis mysterijs dicarat, cum à S. Ludouico ad sacras audiendas conciones inuitaretur, argutum illud, suaque dignum pietate responsum dedit, vt idem, qui & supra Auctor his verbis tradit. *Contigit aliquando, Sanctum Ludouicum Francorum Regem cum eo conferentem dicere, quod non semper Missis, sed frequentiùs sermonibus audiendis est vacandum. Cui faceta vrbanitate respondens ait, se malle amicum suum sæpius videre, quàm de eo loquentem, etsi bona dicentem audire*. Præsentia quippe Christi Domini, qua sacra altaris mysteria decorantur, se magis, quàm audito ipsius, sacrorumque eloquiorum verbo iuuandū, roborandumque ratus, sacris Missas eloquiorum sermonibus anteferendas edixit.

Sacrosancto Missæ sacrificio deuotissimè ad. stat.

Sacerdoti. quotidie manum sacrif. canti osculātur.

S. Ludouicus quid de mis. sis, & quid de pijs sermoni. bus audien. dis dicit.

Vuestmona. steriens. vti supra.

Dignum Henrici elogiū.

16. Henricus igitur, qui regales inter infulas pietate cęteros visus est antecellere, feliciterque diem obijt, sepulchralis instar tituli his ab eodem Scriptore post obitum notis laudari meruit: *Qui quantæ* (ait) *fuerat innocentiæ, quantæ patientiæ, quantæque deuotionis in obsequio Saluatoris, Dominus nouit, et qui ei fideliter adhæserunt: et insuper quanti meriti in vita sua fuerit apud Deum, testantur post ipsius mortem miracula subsequuta*. Qui enim pio Religionis cultu excelluit, haud obscuris subinde signorum portentis, ac victoriarum palmis auctus, cumulatusque est, vt ipsius virtutum merita hominibus innotescerent: Cui & illa Vrbani Papæ Quarti verba velut satis ampla meritis ipsius præconia aptè consonant, quæ in eius laudem haud silentio hic præterire voluimus; Vrbanus igitur conscriptis ad Henricum Regem Apostolicis literis, tunc aduersa eidem valetudine releuato his gratulatus est verbis: *Dum Annalium* (inquit) *Romanæ Ecclesię volumina legimus, et Prędecessorum nostrorum regesta Pontificum vigili attentione reuoluimus, eximia vtique tuę sinceræ deuotionis opera, et præclara tuæ purę fidei rectitudo, quibus placere Deo, et eidem Ecclesiæ matri fidelium ab annis teneris studuisti, sic in promptu nobis occurrerunt, quod nequimus ab illis nostrę mentis aciem declinare: Cum quasi quædam fulgētia in Ecclesia Dei sidera luceant, et ab alys sicut magna luminaria discernantur. Tu etenim, sicut tuorum laudabilium prædicat fama gestorum, et nos etiam nullatenus ignoramus, in augmentatione cultus fidei orthodoxæ sollicitus, in conseruatione libertatis Ecclesiasticæ peruigil, in Ecclesiarū, aliorumq; piorū locorū constructione beneuolus, et benignus in gratijs, et beneficys erga personas ecclesiasticas regulares, et sæculares valdemunificus, ac in obediētia prōptitudine circa eandem Ecclesiam stabilis, et accensus; dignè meruisti dies tuos diuina tibi fauente clementia in pace, et tranquillitate deducere, ac in statu prospero sub nutrice Dei dextera, et protectione Sedis Apostolicę conseruari*. Hæc Vrbanus in Apostolicis ad ipsum literis recolenda regiæ pietatis monimenta reliquit, quæ nos hìc studioso lectori suggessisse voluimus.

Vuestmonasteriens. vbi sup.

Vrbanus IV. epist. 165.

Ab Vrbano IV. præconia Henrici celebrata.

Zelus tuendæ ac propagandæ fidei.

17. Præmemoratis verò eleemosynarum laude conspicuis merito quidem accedit Robertus Siciliæ Rex, qui omni offi-

Robertus Siciliæ Rex ob eleemosynas extollendus.

officiorum genere Christi Ecclesiam cōplexus pietate, ac prudentia catholicos inter Principes clarus affulsit. Quanta item fortitudinis laude præcelleret, susceptа, administrata, ac feliciter ab eo gesta bella demonstrant. Quo autem tuendæ, ac propagandæ religionis studio Princeps pijssimus teneretur, illud documento est, quod sacra Hierosolymorum loca, quæ suo Christus Dominus quondam cruore sacrauerat, quibusuis diuitiarum thesauris pretiosiora ducens, oblato hostibus vltrò, ac liberaliter auro, à Soldano, qui per tyrannidem illa occupabat, redimere sategit, magnisque sumptibus sacrosanctum præcipuè Christi Domini sepulchrum, ac alia nonnulla sacratiora loca obtinuit, vt debitum videlicet Deo, ac Religioni cultum redderet, ac Religiosi itē Viri rē ibi diuinam instaurarent. Eius autem pietati Sancia Regina, eius vxor inhærens, Monasterium, Minoritis Franciscani Ordinis Fratribus in Monte Sion condidit, de quo Clemens Papa VI. certior factus gratulatorias ad Franciscanæ familiæ Præfectum epistolas Roberti Regis pietatem summopere commēdans, his planè verbis conceptas dedit: *Gratias agimus* (ait) *gratiarum omnium largitori, eique dignas laudes exoluimus, quod ipsi charissimorum in Christo filiorum nostrorum Roberti Regis, et Sanciæ Reginæ Siciliæ illustrium erga Redemptoris Domini Iesu Christi obsequia zelum deuotionis, et fidei sic feruenter accendit, quod ipsi, quæ ad Dei laudem, et gloriam, ac sacratissimi sepulchri Dominici, et aliorum locorum vltra marinorum reuerentiam, et honorem redundant, non cessant indefessis studijs operari. Nuper siquidem eorundem Regis, et Reginæ grata insinuatio nostro apostolatui patefecit, quod ipsi non sine magnis sumptibus, et laboribus grauibus à Soldano Babyloniæ, qui sepulchrum* Domini, *et alia sacra loca vltramarina proprio ipsius Redēptoris sanguine dedicata, non sine cunctorum Christianorum graui opprobrio detinet occupata obtinuerunt, quod fratres vestri Ordinis infra Ecclesiam dicti sepulchri possint continuè commorari, et ibidem Missarum solemnia, et alia diuina officia solemniter celebrare, etc.* Quibus verbis singularem Roberti Regis pietatem dignissimis Pōtifex laudibus prosequitur.

Pietas ipsius erga Sacra Hierosolym. loca.

Rainaldus an. 1343. n. 13

Clemens Papa VI. an. 1. lib. 5. epist. com. 1516.

Dignis à Cl. VI. laudibus cumulatur.

Rainald. an 1342. n. 24

18. Felix itaq; exoptatusque Regi pietate cōspicuo, & annos octoginta circiter nato, post longam annorum seriem, ac Regni bene administrati laudem vitæ finis obtigit, adeò vt ipse tanquam sibi bene conscius, nec ob mortem sibi impendentē tristis visus sit aliquando, nec minimè de futuro discessu trepidaret, aut angeretur; sed seipso, ac fato superior, mortem, vtpote Deo addictissimus è proximo lætus aspiceret, expectaretque festiuis vltro vocibus, quod rarò Viris in Regiæ potestatis culmine constitutis accidere consueuit. Sed extremā ipsius vitæ periodum cōdignis à Petrarcha descriptam notis, si libet, hìc, excipiamus: *Decubuerat* (inquit) *corpore quidem languido, sed animo alacri, et infracto; nullus dolor, nulla consternatio, nullus egrediendi metus, nullum manendi desiderium in illo presertim habitaculo, vbi tanto cum honore permanserat, corporis ergastulo: artusque satis fatiscentes velut totidem libertatis suæ vincula cernebat; arebat cutis, et vitalis calor infrà senile pectus iam redactus, assiduè accrescebat: ingeminabant morbi, rarescebant spiritus, transibat dies vltimus, extremæ hora tempus instabat: nullę interim querelę, nullæ ipsius lacrymæ fluebant, cum alienas abstergeret. Sentio, quid argutus nunc lector obijciat: Fortitudinis hoc potiùs, quàm sapientiæ videri. Non inficior, non contendo, sciens et virtutibus inesse cognationem quandam, et nunc ipsum, de quo loquimur omnibus vsque in miraculum abundasse.* Hoc sanè, *quod sequitur ad hoc, quod per tot præambula tendebat stylus sapientis, et vniuersa circumspicientis, atque in extremis solito iudicio feruentis animi signum est. Quid enim prohibet, quod in singulis, vel Regibus, vel Philosophis miratur antiquitas, in hoc (dicendum est enim sepius) et Rege simul, et Philosopho pesteritas admiraris.* Hinc Regium planè Roberti animū terrenis cunctis, se ipso, ac vita pariter excelsiorem admirari fas est; qui dum Christianum hominem, nedum Philosophum seriò ageret, pro æternis bonis temporalia isthæc despiceret, & ad mansura in Cœlis Regnorum præmia festino gradu properans, terreni sceptra culminis nauseabundus relinquendo contēneret.

Felix ipsius post vitam piè exactā obitus.

Rainaldus vbi supra an. 1343. nu. 70.

Franciscus Petrarcha rerum memo. lib. 3 pag. 60.

Egregiè ipsius in morte constantia à Petrarcha describitur.

Vita ipsius & mors admiranda.

19. Sed

Petrarcha vbi supra.

19. Sed quæ optatissima ipsi sub finem; quæue acerbi corporis languorem leuabant, decedenti acciderint, eodem narrante, videamus. *Nouerat* (ait) *se suis esse charissimum, seque id meritum gaudebat; quibus grauissimum se mærorem relinquere certus erat. Videbat adolescentulos Regni successores, et ætatem multis obiectam periculis verebatur, nouerat sacrum religiose coniugis arcanum, fugam è sæculo illo adhuc superstite meditantis. Tutò quidem poterat illustri fœminæ Regni pondus committere, poterat illi animo superadificare quantumlibet fundamenta non deerant nisi ipso, quod euentus docuit, quamuis miserata casum publicum, saluti propriæ succurrere maluisset, seque post sepulchrum tanti coniugis, mox intra sacros parietes Monasterij sepelisset; ad altiora suspirans. Hoc muliebre propositum iampridem cognitum, multa voluentis animum angebant, quis habenas rerum post se flecteret, quis Regnum statum acciperet, circumspiciebat scopulos, meminerat procellarum, et ab Aquilone, et ab Austro; venturasque præsagiēs tempestates, gubernator egregius clauum commissurus inexpertis, quid mirum si sollicitudinum variarū fluctibus æstuabat. Tot difficultatibus rerum, quæ vegetum licet, ac validum fatigare debuissent, moriens indefesso animi vigore consuluit. Primum omnium flentes, ac eius conditionem miserantes, magnificè castigatos docuit, nil sibi triste, nil asperum, nil miserabile, nil nisi suaue prorsus, & iucundum morte contingere. Satis se iuxtà Cæsaream sententiam, vel naturæ vixisse, vel gloriæ: optare se iam ex corporis statione discedere, sperare ab hoc mortali solio progressum ad stabiliora Regna proficisci. Minimè itaque lugendum, sed omni gaudio prosequendum iter suum.* Quid verò tam bene compositio ad virtutem, ad mortem, immò ad immortalitatem animo dignius? quid præcelsius? qui è Regno haud cum lacrymis, immò ridens, & cum gaudio abiret? Sed interim, quæ idem Auctor subinfert, excipiamus. *Quid multa* (inquit) *sic omnium gemitus oratione compescuit, sic omnem miseriarum mortis opinionem ex audientium pectoribus extirpauit, vt nunc vsque se se felices arbitrentur, quibus illum ex ipsa morte concionantem contigit audire; nec morientis cubiculo vllas Philosophorum scholas præferant. Demum aduersus singula, quæ terribilia prouidebat, accommodata remedia, veluti præstitura venenis antidota dictauit, Regni gubernacula successoribus, quos Matrimonio iunxerat, tradidit identidem admonens: Hoc istud consilio, hoc illud periculum declinate: Sic cum amicis, sic cum hostibus viuite. Hæc & alia similia cum solita, & aucta magis Maiestate dixisset, tota mente in Deum versus expirauit, & è corporis vinculis lætus excessit. O felicem, perfectamque sapientiam, inter mortis angustias cum cæteris hominibus nedum rerum externarum; sed sui etiam ipsius vix vlla superest memoria, ità superstites consolari, tanquam non ipse, sed hi morituri sint: ità res suas disponere, ceù rus peteret, non sepulchrum. Et Regno quidem in longum consuluit, modò voces abeuntis animis inhæserint; nec (quod multum vereor) externis vitæ consilijs euanescant.* Hactenus ille, quibus Roberto iustis, concinnisque laudum præconijs, nec tam verbis, quàm præclaris virtutum ritulis parentasse, absolutamq; numeris omnibus Regis omni ex parte imaginem viuis adumbrasse coloribus visus est. At ipsius corpus in Monasterio S. Claræ ab eodem constructo, bonisque amplissimis locupletato tumulatum est. Porrò Rex iste Ecclesiæ fuit studiosissimus, religionis, prudentiæ, scientiæ, omniumque virtutum laude clarus, vt passim scriptores testantur, cuius solemnis illa, ac digna posterorum memoria vox fuit vt Mariana tradit: *Dulciores videlicet sibi litteras regno esse.* Illum insuper Petrarcha satis nunquam meritò laudans ait: *Fuisse & summum Regem, & Philosophum, nec Regno, quàm literis clariorem: Quem vnicum* (inquit) *Regem, & scientiæ amicum, & virtutis nostra ætas habuit.* Et hæc sunt, quæ nobilissimo Regi virtutum, ac laudum monimenta Scriptorum stylo insculpta statuimus.

Quibus sub finem, se ipsum reuelabat.

Vxor ipsius quantæ virtutis, & prudentiæ.

Se ipso, ac sæculo Rex superior, lætus mortem excipit.

Petrarcha vbi supra.

Adstātibus lacrymas inhibet.

Quid simmo, cum laude sub extremā vitæ periodum præstat.

Moritur, qua fiad im mortalitatē nō ad mortem prope, 1 ans.

Io. Villan lib 11. cap. 9. Sub mortius lib. 1

Mariana lib 16. cap. 11.

Dulciores Regno illi fuere literæ ex Mariana

Petrarcha vbi supra.

21. Tanti denique pia eleemosynarum commercia emolumenti sunt, vt sua Cœlo lucra pauperum manu inferendo, certam exercentibus mercedem afferant; quo illud solemne verbum adimpleatur: Quod scilicet *Eleemosyna dāti magis proficit, quàm accipienti.* Quod quidem Augustinus Mannus allato sic exemplo confirmat.

Eleemosyna dāti magis proficit, quam accipienti ex Augustino.

August. Mannus lib selecti. hist. cap. 4

rinat. *Marcus Colignus* (inquit) *ciuis Florentinus referebat de Auo suo, quod Viri quidam pauper furatus fuerat ei pallium pretiosum penuria tempore, quod cum ei manifestatum fuisset, & posset furtum ex manibus deprehensi furis abripere, noluit; sed iussit famulum suum obseruare, quonam pallium ferret, & quid de eo faceret. Famulus autem obseruans, vidit furem vendentem pallium, & de pecunia ementem panes. Erat autem magna annonæ caritas anno illo, & fur ille fame discruciabatur. Quapropter non solum pallium illud recuperare noluit, sed ad domum furis panem, & triticum vltrò transmisit. Creuit autem taliter eius pietas, & in egenos commiseratio, vt cum alio tempore Florentini magna panis vrgerentur penuria, misericordia motus ipse solus plusquàm quatuor millia pauperum sumptibus suis pauerit. Saturabantur illi in indigentia sua, sed non saturabatur ipse in beneficentia sua, semper quærens, quem pasceret.* Hic *cum aliquando in morbum incidisset, & morti proximus esset, apparuit ei veneranda mulier, quæ exitum eius obseruabat. Eo autem vita functo, amplius non apparuit. Opinati sunt nonnulli mulierem istam fuisse B. Martam Lazari, & Magdalenæ sororem &c.* Sic plane profusa hominis in pauperes charitas, eiusque in elargiendis eleemosynis pietas tandem sub vitæ finem irremunerata non abijt.

Florentini in pauperes mira charitas.

Alit tempore penuriæ quatuor millia pauperũ

Felix ipsius mors.

22. Quoniam igitur *Misericordes* (vt Christus inquit) *misericordiam consequentur*, qui futiles, ac instabiles, & perituras sæculi diuitias in pauperes erogant, quo permansuras sibi thesaurizent in Cœlo, nonnisi feliciter tandem diem claudunt, vt idem Mannus sic tradit. *Referebat nobis* (inquit) *Episcopus Tudertinus Angelus Cæsius, qui per triginta prope annos illam Ecclesiam gubernauit, etc. fuisse in Ciuitate Narnij Virum quendam laicum, nomine Theodorum Cardonem, qui mirum in modum delectabatur exercere se in pietatis actibus, visitando eos, qui in carceribus tenebantur, et agros in infirmitatibus suis; et si quos dissidentes, et discordes esse rescivisset, inimicitiæ causa illud procurabat, vt ad amicitiam, & pacem reuocaret. Visitabat quotidie Capuccinorum Monasterium. Præsertim autem in hoc totus erat, et magna animi alacritate operam dabat, vt pauperes, et egentes viros, et familias*

Matthæi c. 5

Augustinus Mannus lib select. hist. cap. 466.

Theodorus Cardonus Vir pius valdè in cuiuscumque conditionis homines.

fame laborantes, quà poterat, charitate reficeret. Quapropter eleemosynas perpetuò largiebatur, et sicut alter Nicolaus Myrensis Episcopus secretò noctè obambulans vicos Ciuitatis, in pauperum domunculis per fenestrellas pecuniam introrsum proijciebat, sub aut valuas per foramẽ, per quod feles ingredi, et egredi solent, panes aliquot ponebat, vt de mane surgẽtes pauperes, panis benedictionem reperirent, et famem pellerent. Ecce quomodò Viri in sæculo viuentes, si sint humiles, benigni, et deuoti, rapiunt Cœlum, & disponunt sermones suos in iudicio, vt non commoueantur in æternum. Et certè non nisi felix, faustusque Viro misericordijs pauperum, & eleemosynarum largitione prædiuiti vitæ finis iuxta Diuinum oraculum contigisse potuit.

Eleemosynis S. Nicolai Myrensis Episcopi exemplo pauperes clam iuuat.

23 Et si quidem Charitas, quæ totum humani sibi cordis imperium vendicat, cunctis ità virtutibus præcellit, vt suo omnes, iuxtà Hieronymi verbum, valore transcendat. *Charitas* (inquit) *nulli rei comparari potest. Dilectio pretium nõ habet*; adeoque tantum quisque apud Deum virtutibus proficit, quantum cæteris charitate præeminent, ac feruor dilectionis in Deum suam, non nisi à feruore charitatis in proximos mensuram accipit. Quapropter meritò prælaudatus sapientissimus Ecclesiæ Doctor hominem Dei amore ditescentem demiratus aliquàdo, ipsius quoque præferuida in proximos amoris studia prædicando extollit. *Laudent* (inquit) *cæteri misericordiam eius, humilitatem, fidem: ego ardorem animi plus laudabo.* Quod fanè antè acto sæculo in plerisque nobilium Romanorum in ipsa virtutum schola, sub S. Philippi Nerij Congregationis Oratorij Fundatoris magisterio mortalium oculis, & præcipuè in Martio Alterio, dignissimo Clemẽtis X. Patruo ad viuum mirificè affulsit, qui inter cæteros, Pamphilios videlicet, Crescentios, Astallos, Patritios, Maximos, Molarios, ac Vitelleschos, vitæ innocentia, ac illibatis moribus dignum de se Vrbi exemplum præbuit; de quo ipse Antonius Gallonius in Beati Philippi gestis: *Martius Alterius Romanus qui Paulo Tertio Pontifice relicto sæculo, Christo, magno, fortique animo se adiunxerat, dicere solitus erat, ea lætitia*

Hieronymus in epist. ad Fabiolam

Charitas nullius rei pretio æqui paratur ex Hieronymo

Hieronymus vbi supra.

Martius Alterius Sancti Philippi Nerij discipulus quantum charitate nobiles inter Romanos sub ipsius disciplina in Spiritu profecit.

secum erant, militibus consequutus erat)petens, ut sibi mitteretur Antistes, cuius doctrina, ac ministerio gens, quam regebat, Anglorum dominicæ fidei, & dona disceret, & susciperet sacramenta. Tanti quidem inducendis ad Christi fidem populis pius Regis ardor, ac desiderium affulsit, & vel ex eo magis ostenditur, quod misso Antistite Aidano Scoto, cum is Euangelium populis annunciaret, Rex interpretis munere fungi voluit, & ingenti quidem fructu Rex ipse nouo munus interpretis Apostolo exhibuit, vt Beda prosequitur.

Victoriarum palmis ob eleemosynas à Deo auctus.

4. *Pulcherrimo*(inquit)*sæpe spectaculo contigit vt euangelizante Antistite, qui Anglorum linguam perfectè non nouerat, ipse Rex suis ducibus, ac ministris interpres verbi existeret cælestis: quia nimirum tam longo exilij sui tempore linguam Scotorum iam plenè didicerat. Exinde cæpit plures per dies de Scotorum regione venire in Britanniam, atque illis Anglorum prouincijs, quibus regnauit Rex Osuualdus, magna deuotione verbum Dei prædicare, &c. Construebantur ergò Ecclesiæ per loca, confluebant ad audiendum verbum Dei populi gaudentes, donabantur munere regio possessiones, &c. Imbuebantur præceptoribus Scotis paruuli Anglorum vnà cum maioribus studijs, & obstinatione disciplinæ regularis; Nam monachi erant maximè, qui ad prædicandum venerant, Monachus ipse Episcopus Aidanus, &c.* Vberrimus itaque ex euangelica prædicatione prouentus extitit. Verùm Aidani Antistitis quantum verbo, & exemplo, tum Rex, cuius recenset laudes, tum subditi profecerint, his Beda verbis tradit: *Huius igitur reuerendissimi Antistitis doctrina Rex Osuualdus cum ea, cui præerat, gente Anglorum institutus, non solum incognita progenitoribus suis Regna Cælorum sperare didicit: sed & regna terrarum plusquam vlli maiorum suorum ab eodem vno omnipotente Deo, qui fecit Cælum, & terram, consequutus est, etc. Quo regni culmine sublimatus, nihilominus, quod mirum dictu est, pauperibus, & peregrinis semper humilis, benignus, & largus fuit. Denique fertur, quod tempore quodam cum die sancto Pascha cum præfato Episcopo consedisset ad prandium, positusquè esset in mensa coram ipso discus argenteus regalibus epulis refertus, iamquè essent manus ad panem benedicendum missuri, intrasse subitò ministrum ipsius, cuius suscipiendorum inopum erat cura delegata, & indicasse Regi, quia multitudo pauperum vndecunque aduenientes maxima per plateas sederet, postulans aliquid eleemosynæ à Rege: Qui mox dapes sibimet appositas deferri pauperibus, & discum confringi, atque ijsdem minutatim diuidi præcepit. Quo viso Pontifex, qui assistebat, delectatus tali facto pietatis, apprehendit dexteram eius, & ait: Nunquam inueterascat hæc manus. Quod & ità iuxta votum benedictionis eius prouenit; Nam cum interfecto illo in pugna manus cum brachio à cætero essent corpore resecta, contigit, vt hactenus incorrupta perdurent; Denique in Vrbe regia, quæ à Regina quondam vocabulo Bebba cognominatur, loculo inclusæ argenteo, in Ecclesia S. Petri seruantur, ac dignò à cunctis honore venerantur.* Sic planè nedum Rex eleemosynarum elargitionibus, ac pietate in pauperes conspicuus; sed miraculis insuper clara post mortem ipsius manus præfulsit, adeò vt incorrupta adhuc persistat, quæ tam liberalis, ac munifica in Christi pauperes olim fuit.

Beda vbi supra.

In Sumpta Euangelij populis annunciandi ipsius regis deuotio.

Orthodoxa fides ab ipso propagatur.

Beda vbi supra.

Osuualdus in fide, & virtutibus proficit.

Mensæ accumbens, dapes sibi appositas & discum argenteū in pauperes expectantes diuidi iubet.

Pōtifex hoc ipsius factum elogio celebrat: Nunquam veterascat (inquit) hęc manus.

5. Sed Christianissimus Rex acriter in prælio ab hostibus impetitus, dum Deo pro suis preces offert, vitam quoque pro illorum salute libenter impendens viuendi finem fecit, vt Beda his verbis: *Vulgatum est*(inquit), *et in consuetudine prouerbij versum, quod etiam inter verba orationis, vitam finierit. Namque cum armis, et hostibus circumseptus, iam, iamquè videret se esse perimendum, orauit ad Dominum pro animabus exercitus sui. Vndè dicunt in prouerbio: Deus miserere animabus, dixit Osuualdus cadens in terram. Ossa illius translata, et condita sunt in Monasterio, quod diximus. Porrò caput, et manus cum brachijs à corpore præcisas iussit Rex, qui occiderat, in stipitibus suspendi, etc.* Infeliciter quidem Osuualdus, si quis mundanis rem oculis aspiciat, diem clausit, dum quasi à Deo derelictus, suis in prælio hostibus, ac morti triumphus cessit; verùm pretiosa ipsius in conspectu Domini mors fuit, ipsumquè ad cœlestis Regni, & Christi consortium euolasse, mira, quæ eius mortem consequuta sunt, portenta signorum testantur, vt Beda his verbis affirmat: *Temporalis*

Baronius an. 642. n. 47.

Beda vbi sup.

Inter precādum pro suis in bello viuendi finem facit.

poralis Regni (inquit) *quondam gubernacula tenens, magis pro æterno regno semper laborare, ac deprecari solebat. Denique ferunt, quia à tempore matutinę laudis sæpius ad diem vsque in orationibus perstiterit, atque ob crebrum morem orandi, siue gratias agendi Domino, semper vbicunque sedens supinas super genua sua manus habere solitus sit, etc. Cuius quanta fides in Deū, quę deuotio mentis fuerit, id post mortem virtutum miraculis clarnit, etc. Nec mirandum in loco mortis illius infirmos sanari, qui semper, dum vixit, infirmis, et pauperibus consulere, eleemosynas dare, et opem ferre non cessabat.* Hæc autem digna Regi pijssimo laudum præconia inscribit, quæ nobilissimi sepulchralis instar tituli, nos eius sepulchro insculpenda volu imus.

Vide vbi sup.

Assiduo orandi studio per noctem vacans signis post mortem fulget.

6. Aripertus quoque Longobardorū Rex eleemosynarum elargitionibus clarus, cum octo annos regnasset, diem feliciter clausit, vt Paulus Diaconus his verbis ipsius meritis testimonium præbens affirmat: *Fuit Aripertus quoque Vir pius, eleemosynis deditus, ac iustitiæ amator.* Et paulò inferius: *Post Ariperti* (inquit) *funus Ansprandus Longobardorum regno potitus, tres menses solummodò regnauit; vir per omnia egregius, et cuius sapientiæ rari æquandi sunt. Cernentes Longobardi huius interitum, Luitprandum eius filium in regali constituunt solio.* Ansprandus igitur filius, haud patre impar, laudibus necnon egregijPrincipis titulo donatus, ac nemine inferior, postquàm breui regnauit, fatis feliciter concessit, cui Luitprandus suffectus traditur. Porrò Aripertus munificum se in primis erga B. Petrum exhibens, Alpes Cottias donauit, vt Oldradus MediolanensisEpiscopus in Epistola ad Carolum Magnum testatur: *Primò* (inquit) *regni sui anno donationem, quam B. Petro Aripertus Rex donauerat, confirmauit, licet Alpes Cottias, in quibus Ianua est, et quidquid ab ea Alpes vsque ad Galliarum fines continebat.* Quam subinde donationem Luitprandus quoque ratam volens firmauit.

Baronius an. 991. n. 2.

Aripertus Longobardorum Rex Eleemosynis in pauperes clarescit.

Paulus Diaconus lib. 6 cap. 35. Baronius vbi sup. n. 8.

Eius erga S. Petrum munificentia.

Baronius vbi supra n. 9.

7. Huic iure merito Bertharidus Longobardorum Rex adnumerandus est qui pietate in Deum, & munificentia in pauperes conspicuus, cum decem & septem annos regnasset, bonis operibus, ac eleemosynarum apud Deum elargitionibus diues, cumulatusque in Cœlum euolauit. Cuius egregias laudes Paulus Diaconus his verbis recenset: *Erat Vir pius, fide Catholicus, iustitiæ tenax, pauperumque largissimus nutritor.* Et paulò post: *Vt Regni iura suscepit, in illo loco, qui à parte fluminis Ticini est, vnde ipse olim fugerat, Monasterium, quod nouum appellatur, Domino, & Liberatori suo in honorem Sanctæ Virginis, & Martyris Agathę construxit, in quo multas Virgines aggregauit, rebusque diuersis, pariterque ornamentis eumdem locū ditauit. Regina verò eius Basilicam Sanctæ Dei Genitricis extra muros eiusdem Ciuitatis Ticinensis, quæ ad Perticas appellatur, opere mirabili condidit, ornamentisque mirificis decorauit.* Hæc ille. Misericordiæ itaque operibus laudabiliter insistens, Diuinam sibi misericordiam promeruit, & pauperum manu æternam sibi in Cœlis mansionem parauit.

Baronius an. 691. n. 2.

Bertharidus Longobardorum Rex erga Christi pauperes pius ac misericors.

Paulus Diaconus lib. 6. c. vbi supra.

Pietas in templis excitandis.

8. Cui item veluti paternarū æmulator virtutum Cunipertus filius adnumerandus est, qui omni probitate, sed pietate in Deum maximè conspicuus, cū Monasterium in B. Georgij honorem ædificasset, prosperè annos duodecim solus regnauit, optimum vitæ sortitus est finē; de quo Paulus Diaconus isthæc: *Hic in campo Coronata, vbi bellum contra Alachin gessit, in honorem B. Georgij Martyris Monasterium construxit. Fuit autem Vir elegans, & omni bonitate conspicuus, audaxquè bellator. Hic multis Longobardorum lacrymis iuxtà Basilicam Domini Saluatoris, quam quondam auus eiusdem Aripertus construxerat, sepultus est, regnumquè Longobardorum Luithberto filio adhuc puerilis ætatis reliquit, cui tutorem Asprandum virum sapientem, et illustrem contribuit.* Hæc Paulus. Ex hoc igitur hic vnus apprime laudandus, quòd sui cunctis desiderium moriens Longobardis relinquens, eorumdem lacrymis sibi parentari promeruit.

Baronius an. 703. n. 3.

Cunipertus prædicti filius paris in Deum mentis obsequio conspicuus.

Paulus Diaconus lib. 6. c. 17.

9. Luitprandus item Longobardorum Rex, quem licet furor interdum sub ito in mala præcipitem ageret, multa tamē laude digna præstitit, ob quæ demum diem feliciter clausit, vt Paulus Diaconus in fine historię rerum Longobardorum his verbis: *Luitprandus* (inquit) *post-*

Baronius an. 744. n. 21.

Luitprandus Longobardorum Rex eleemosynarum laude celebris.

Paulus Diaconus in sua hist. Longobardorum.

postquam triginta, et uno anno, septemque mensibus principatum obtinuit, iam ætate maturus, huius vitæ cursum expleuit. Corpus eius in basilica B. Hadriani Martyris, vbi et eius requiescit genitor, sepultum est.

Præclaræ ipsius virtutes.

Fuit autem Vir multę sapientię, consilio sagax, pius admodum, et pacis amator, bello potens, delinquentibus clemens, castus, pudicus, orator, peruigil, eleemosynis largus,

Baronius vbi supra n. 22.

litterarum quidem ignarus, sed Philosophis æquandus, nutritor gentis, legum augmentator. Hic initio regni sui Boiariorum plurima castra cępit, plus semper orationibus, quàm armis fidens, maximam semper Francorum, Auarumque pacem custodiens. Hæc scriptor. Quibus & ea, quæ Baronio addit, hic apte à nobis subtexenda sunt, eius vtpote condigna laudibus: *Verùm* (inquit) *plurima de eodem Rege prætermissa se satis euidenter scriptis Anastasij conuincitur, etc. Cum tamen non negandum multa fuisse eiusdem Principis laude dignissima, licet interdum furor in malum præcipitem egerit, vt planè de illo dicendum sit, quod de Theodosio S. Ambrosius ad ipsum scribens dixit: Quod habeas* (inquit) *fidei studium, non possum negare, quod Dei timorem, non diffiteor; sed habes naturę impetum, quem si quis lenire velit, citò vertes in misericordiam; si quis stimulet, in maius exuscitas, ita vt eum reuocare vix possis.* Ita si quidem Luitprandus comparatus, ad veniam facilis, si orator accederet. Porrò vt quæ posteris prȩlaudatus Princeps eximiæ pietatis monimenta reliquit, recenseantur, prȩter illa, quæ ob impensam operam in transferendo ex Sardinia sacro S. Augustini Ecclesiæ Doctoris corpore, hęc Paulus Diaconus habet.

Furor ipsius & si in ma[illegible] præceps in multis tamẽ [illegible] laude dignus ex Baronio.

Ambros. epist. 108.

Paulus Diaconus vbi sup.

10. *Hic gloriosissimus Rex multas in Christi honore per singula loca, vbi degere solebat, basilicas construxit. Hic Monasterium Beati Petri, quod foras muros Ticinensis ciuitatis situm est, & Cælum aureum appellatur, instituit. In Summa quoque Bardonis Alpe Monasterium, quod Barcetum dicitur, ędificauit, &c. Intra suum quoque palatium oratorium Domini Saluatoris ædificauit, & quod nulli alij Reges habuerant, sacerdotes, & Clericos instituit, & qui ei quotidie diuina officia decantarēt.* Verùm recensitis viri laudibus sepulchralē hunc titulum, qui eius sepulchro in Basilica Beati Petri Apostoli Principis legitur, velut nobile præconiorum ipsius monimentum, his conscriptum notis subteximus.

Ecclesias & monasteria in Dei SS. obsequium construit.

Baronius supra n

Flauius hoc tumulo Luithprandus conditur, olim
Longobardorum Rex inclytus, acer in armis,
Et bello victor. Sutriumquè Bononia firmant
Hoc, & Ariminum, necnon inuita Spoleti
Mœnia: namque sibi hac subiecit fortior armis.
Roma eius vires iam pridem milite multo
Obsessa expauit. Deinceps tremuere feroces
Vsque Saraceni, quos dispulit impiger, ipsos
Cum premerent Gallos, Carolo poscente, iuuari.
Vngarus à solo aditus, Francus, et omnes
Vicini grata degebant pace per omnes-
Rege sub hoc fulsit (quod mirum est) sancta, frequensquè
Relligio, vt recolunt Alpes, Ecclesia quarum
Hunc habuit, vincēte ipso, & prę grandia templa,
Quę viuens struxit; quibus et famosus in orbe
Semper, et æternus lustrabit sæcula cuncta.
Pręcipuè Petro cælesti hac sede locata
Clauigero statuit, Cælo, quam prouidus aureo
Augustinus vbi huc aliunde abductus, eodem
Ab Rege, et cuius doctrina Ecclesia fulget.

Ipsius [illegible]des elo[illegible] summa[illegible] collecta

B. Petr[illegible] post. Pri[illegible]pis, & S. [Au]gustini [illegible]tor [illegible]exim

Hæc titulus legenda præfert, quin etiam S. Augustini illuc ossa piè translata recolit.

Baronius an. 729 n. 1.

11. Verùm vt eximiam regis pietatem, pronamquè ipsius ad pia amplexanda consilia quis mentem probè nouerit, cùm Romam valido vallatus exercitu quondam venisset, eiusquè aduentu iam Vrbi clades immineret, Gregorius Secundus Summum Pontifex eidem obuiam, velut alter Leo Attilæ, ad prata Neroniana factus, eumdem extemplo com-

Ab Vrbe, cui armis cladem minabatur, à Gregorio II. placatus recedit, & sua B. Petri sepulchro armorum spolia appēdit.

compescuit, ac licet armis armatisque fretum, furentemquè, mirabiliter, Dei suffultus auxilio demulsit; adeò vt, qui ferox spolia detracturus aduenerat, spolia sibi detrahens, ac si se palàm victum triumphatumque fateretur, eadem B. Petro, eiusquè sepulchro affigeret; hæc enim Anastasius habet: *Eodem* (inquit) *tempore adest Christi An. septingentesimo, vigesimo nono sepè dicti Eutychius Patricius, et Luitprandus Rex inierunt consilium nefandum, vt congregato exercitu Rex subijceret Duces Spoletinum, et Beneuentanum, Exarchus Romam, et quę pridem de Pontificis persona iussus fuerat, impleret: non nempe vt eum occideret. Qui Rex Spoletum veniens, susceptisquè ab vtrisque Ducibus Sacramentis, atque obsidibus, cum tota sua cohorte in Neronis campo conuenit (erat locus iste prope Basilicam Vaticanam, olim dictus Prata Neronis) ad quem egressus Pontifex, eique præsentatus studuit (vt potuit) Regis mollire animum commonitione pia. Ità vt ipse Rex se prosterneret eius pedibus, et promitteret nulli inferre læsionem. Atque sic ad tantam compunctionem ipse pijs monitis flexus est, vt quæ fuerat indutus, arma exueret, et ante corpus Apostoli poneret, mantum, armillam, baltheum, spatam, atque ensem deauratum, necnon coronam auream, et crucem argenteam. Post orationem factam obsecrauit Pontificem, vt memoratum Exarchum ad pacis concordiam suscipere dignaretur. Quod et factum est, et sic recessit Rege declinante à malis, quibus inierat consilium cum Exarcho.* Dignum planè tunc Petro, eiusquè sepulchro tum Vrbs, tum Orbis triumphum vidit, vt victorem nimirum ipse barbarus Rex, qui iam triumphaturus aduenerat, triumphatus Beato Petro, eiusquè successori supplex accideret, ac regium non nisi ad tuendam Petri Ecclesiam, eiusquè propugnandam ditionem, haud ad sæuiendum, mucronis gladium exereret. Iure igitur, qui de se iam pridem nobile adeò compuncti cordis specimen prætulit; pœtitentis quoque in morem è vita decedens, æternum pro momentaneo regno lucratus est.

Anastasius in Gregorio 2. Cron. an. 729. n. 1.

Ad Pontificis pedes Petrum in ipso veneratus procumbit.

Piè tandem diem claudit.

Rainaldus an. 1223.

12. Atqui summis quoque laudibus Philippus Galliarum Rex se dignum præbuit, qui multa (quod Reges solent) humanæ infirmitatis labe respersus deliquit, ob quæ Numinis in se iram iustissimè concitauit. Sed tandem pœnitentiæ subsidio veniam, ac felicem vitæ, Deo aspirante, finem est consequutus. Primùm verò cũ Inseburgim Regis Dacorum sororem, quam sibi matrimonio iunxerat, superinducta pellice, iniquis, (nec vt par est) modis tractaret, ab Innocentio Papa admonitus, acerbissimisque perstrictus verbis, necnon cælestibus insuper, vt resipisceret minis, exterrefactus dum pellici arctiùs inhæret, bello tandem à Ricardo Anglorum Rege impetitus, qui vesanos inter amores fluctuabat, è ponte præceps in fluuium prolabitur; Ex quo cum euasisset illæsus se ipso factus nil melior, ac Pontificijs demum litteris ad superinductam procul abijciendam pellicem compulsus, in malo obstinatior, haud se ad parendum vt par erat, promptum, facilemque exbuit; Id vnum pro se excusando in medium afferens, nimirũ fascino quodam ab vxoris amore præpeditum, quibus tamen nugis, vanisque excusationũ commentis reiectis, nunquam matrimonialis cum Inseburga vinculi dissolutionem obtinere is potuit. Tandem verò se ad bonam frugem recipiens, connubij iuribus, ac thoro vxorem restituit; sed haud sine prœmio id præstitit: Rex namque ab Anglis salutatus, Apostolica in ipsum auctoritate Anglorum Regni sceptrum Innocentius transtulit. Atqui cùm multa subinde Philippus reprehensione digna tentaret, diutino tandem correptus morbo, varijsque attritus malorum incommodis, anteactæ vitæ errores retractandi, animique ad Deum traducendi consilium salubri præuentus admonitione cœpit; sed fatis subinde concedens, munitusque salutaribus pœnitentiæ remedijs, diuinam sibi inter moriendum clementiam conciliauit.

Philippus Galliarum Rex calamitatibus ad resipiscendum adductus.

Pellicem à Pontifice monitus dimittit.

Morbo diutino correptus mores corrigit.

13. Eleemosynis quippe primùm Rex pius sibi veniam à Deo impetrandã curauit, vt à terreno Regno ad Cœli regiam aditus sibi pateret. Porrò ipsum animi probè pœnitentis laude conspicuum, bonorumque operum cumulo ditatem decessisse D. Antoninus eiusce modi testatum elogio reliquit, vbi eius verborum compendio laudes cõplexus ait: *Vir mirabilis fuit, & omni memoria dignus*

Rainaldus vbi supra.

Eleemosynis sibi ad vitam aditum parat.

gnus, cui post Carolum Magnum vix aliquis similis reperiri possit ex Regibus Franciæ. Hæc ille. At nos Regio ipsius tumulo, has sepulchralis tituli notas à Rigordo excerptas, haud ab re duximus inscribendas: *Anno* (inquit) *ab Incarnatione Domini M.CC.XIII. pridiè Idus Iulij obijt Philippus Rex Francorum illustris apud Castrum, quod vocatur Meduta. Qui sensu, & industria Vir prudentissimus, virtute strenuus, gestis magnificus, fama praclarus, victoriosus in bellis, ac triumphis multis, & magnis plurimùm gloriosus, ius, & potentiam Regni Francorum mirabiliter dilatauit, & regalem fiscum ampliauit in multis. Multos etiam praclaros Principes terris, militibus, armis, & opibus prapotentes Regno suo, & sibi grauiter aduersantes debellauit viriliter, & deuicit.* Hæc ille de Philippo, quem Galliarum Regni terminos dilatasse, multasq; ditioni suę Prouincias adiecisse Iordanus his verbis tradit: *Probitate mira, Regno suo multos adiecerat Comitatus, scilicet Viromaduensem, Bellomontensem, Pontunensem, Alonconensem, Canomanensem, Turonensem, Andegauensem, Pictauiensem.* Hæc Iordanus.

Rigordus in Chronic.

Ob insignes ipsius animi dotes laudatus.

Iordanus M S. in Bibliot. Vaticana.

Eius in bello singularis gloria.

14. His itaque à Philippo præclarè gestis, pietas, quæ Christianum in primis decet Principem, in ipso (vt Rigordus testatur) mirificè affulsit, ob quod tutum sibi è vita exitum cōparauit; hæc enim Rigordus de eo: *Ecclesiarum* (ait) *defensor maximus, & protector; Istam praecipuè Sanctam Ecclesiam, Sancti videlicet Dionysij specialis fauoris gratia, et quasi quodam amoris priuilegio fouit propensius, et protexit, et quę habebat erga ipsam dilectionis affectum, multoties effectus operis comprobauit. Porrò ipse ab annis teneris zelator fidei Christiana vexillo Crucis affixo humeris, in sua iuuenili atate contra Saracenos manu valida transfretauit, vbi in obsidione Acconitana Vrbis vsque ad eius consumatam debellationem, plenámque recuperationem praclarè, & efficaciter laborauit; ac postmodum vergens in senium, proprio filio suo primogenito non pepercit, quin eum mitteret bis aduersus Hareticos Albigenses cum magnis sumptibus, et expensis. Et in alia tam in vita sua, quàm in suo decessu multa largitus est ad eiusdem negotij Albigensis subsidium, et iuuamen. Praterea dando pauperibus, et dona plurima charitatiuè per loca varia dispergendo, eleemosynarum fuit largissimus seminator. Sepultus autem est in Ecclesia B. Dionysij, etc.* Rex igitur pietate in Deum, ac misericordia in pauperes clarus, opportunè suum bonorum operum subsidijs exitum præmuniuit.

Rigordus vbi supr.

Pro Dei obsequio ac Religionis cultu nullis in bello laboribus parcit.

Eleemosynarum munificus elargitor feliciter obit.

15. Porrò Regi de Catholica fide optimè merito magna quidem pompa à duobus Archiepiscopis, ac viginti Episcopis exequias celebrari contigit, vt idē qui supra, Auctor testatur: *Qui Pralati* (inquit) *de mandato Domini Papa, immò de ipsa totius, vt credibile est, ordinatione diuina pro negotio Albigensi tunc temporis erant Parisijs congregati. Missam autem exequialem celebrarunt simul Portuensis Episcopus, et Rhemensis Archiepiscopus, vna voce ad duo Altaria propinqua cateris Episcopis cum Clericis, et Monachis, quorum aderat innumera multitudo, assistentibus, et eis respondentibus sicut Vni. Inter quos adfuit, et Ioannes illustris Rex Hierosolymitanus, qui in Franciam venerat pro negotijs, et necessitatibus Terra Sancta; prasentibus ad hoc inclytis pradicti Regis Philippi filijs, Ludouico primogenito, et Philippo. Sepè dictus autem Rex Philippus tale condidit testamentum. Legauit ad subsidium Terra Sancta tria millia librarum Parisiensium, videlicet prafato Regi Ioanni centum millia, Hospitali Hierosolymitano centum millia. Datum est de suo Almarico Comiti Montisfortis viginti millia librarum Parisiensium, ad vxorem eius, et suos de Albigensi terra, et manu hostium reducendos. Prateree dedit quinquaginta millia librarum Parisiensium pauperibus eroganda. Magnam etiam summam pecunia dicitur insuper erogasse.* Hæc ille. Ex quibus constat, ingenti ipsum eleemosynarum, piatumque elargitionum subsidio ad superna sibi Regna aditum, ac viam parasse, dum suum, sic præmunite Rex pijssimus è vita discessurus transitum voluit.

Rigordus vbi supra in Philipp. Franc. Rege.

Digno, ac solemni funere ab Episcopis decoratus.

Ioānes Hierosolymorū Rex, ipsius tūc exequijs in Gallia præsens.

Pius Rex pecunias in Dei obsequium moriens legat.

Pecunia in pauperes ab ipso erogata

12. Porrò haud lugubres, immo gratulatorias super Philippi obitu literas Honorius Papa Ludouico Octauo ipsius filio scribens, meritò ipsum post mortem visus est laudasse, cùm ad meliorem sortem concessisse his verbis affirmat: *Ineffabilis* (ait) *prouidentia Dini-*

Honorius Papa gratulatorias Ludouico ob patris obitum literas dirigit.

Honorius Pa. pa lib. 8. ep. 74

na profunditas, inclytæ recordationis Philippo Rege Francorum Patre tuo post laudabiliter dicta Regni terreni negotia, sicut firmiter credimus, ad meliora vocato, te in eius solio collocauit vt te regnante pro ipso, ac eius pietatem, et iustitiam imitante, Pater in filio viuere videatur. Paternis itaque virtutibus, eiusque decessui satis nobile Romanus Pontifex testimonium exhibuit, dum ad vitæ Regnum pium adeò Regem transmeasse, idque se firmiter, constanterque credere affirmat. Quo autem argumento adductus id Pōtifex asserat, Gulielmo Britone narrante liquet, qui id ipsum diuinitus præostenso visu innotuisse narrans, rudi rem metro exposuit, carminibus illis narrandi exordium faciens.

Gulielmus Brito lib. 7. cap. 187.

Tempore, magnanimi quo Regis humatio facta est.
Signina tunc Papa moram faciebat in Vrbe.

Cœlesti visu felix ipsius finis comprobatus.

Vir igitur (vt ipse habet, & Rainaldus in suis Annalibus refert) Iacobus nomine, Pontificij Pœnitentiarij hospes in ancipiti mortis discrimine extrema sacri olei vnctione delibutus, cum suprema fugientis vitæ suspiria penè traheret, cœlesti obiecto sibi visu mirificè releuatus est. In quo S. Dionysius purpurea decorus veste, atque ingenti circūfusus splendore, cui præibant Angeli albo amictu, & quem sequebatur Regis Philippi anima, ignea veste superinduta videndam se obtulit: Cùmque illi, se Dionysium esse, illum verò Philippum Regem, qui è viuis discesserat, atque in purgatorijs flammis ad sua expianda crimina tenebatur, aperuisset; iussit vt mox adiret Pontificem, admoneretque vt incruentum pro Regis anima Altaris sacrificium offerret. Expauescenti verò ad iussa, ac respondenti in extremo mortis confinio, nec vires, nec animum suppetere, ad ea Pontifici renuncianda; eo quòd timeret se delirantē, atque insanum habitum iri: Tunc Diuus Dionysius omnem ab illius animo metum blandis verbis amouit, ac pristinæ mox valetudini restituit: *At ægrum* (vt Rainaldus ait) *confirmatis viribus, morboque liberum exilysse è lecto, et Pontifici visa retulisse, fidemque acceptæ diuinitus valetudinis argumento fecisse*. Hæc Rainaldus in suis Annalibus, qui Philippum Regem pœnitentia suffultum, Dei aspirante gratia, tuto è vita exitu decessisse affirmat. Sed de his hactenus.

Rainaldus an. 1223. num. 38.

E purgatorij igne Philippi anima S. Dionysij apparentis ope vindicatur.

Aegrotus, vt visum facto confirmet, statim mox, vestesque è lectulo exiliens rem to tam narrat. Rainaldus vt supra.

13. Magnam quoque sibi eleemosynarum præsertim elargitionibus laudē Henricus Angliæ Rex peperit, qui pietate erga Deum, ac religioso erga Christi Ecclesiam cultu adeò præfulsit; vt eius tuendæ causa arma sumere, inuictoque contra hostes animo dimicaturus in arenam prodire non recusauerit. Vbi verò Orientalis aduersus infideles, ac barbaros Hierosolymorum ex impijs manibus vindicandam ditionem solemnis expeditio instruebatur, cum ipse administrando tūc Regno adesse cogeretur, Eduardum filium S. Ludouico Francorū Regi comitem iunxit; ipse verò nullis vnquam incommodis, laboribusque pro tuenda Religione fractus, pijs, ac laudabilibus suum è vita exitum operibus Deo commendans, mortalem tandem feliciter vitam absoluit, promeritisque cum viuens, tum mortuus præconijs cumulatus est: *Henricus autem* (cuius mentio hìc est) *lethalem* (vt Rainaldi verbis vtamur) *morbum contraxerat, cum post infestas de Noruuicensibus, qui immani sacrilegio Ecclesiam nobilissimam ex odio, quo in Monachos efferati erant, flammis exusserant, acceptas pœnas rediret, Sacramentisque Ecclesiæ communitus animam piè admodum Deo reddidit*. Hæc Rainaldus ex Vuestmonasteriensi, qui eundem quinquaginta sex annis, & amplius Anglorum sceptrum administrasse pronunciat.

Henricus Angliæ Rex eleemosynarum largitate præcipuus

Rainaldus an. 1271. n. 68

Rainaldus vt supra.

Post sacrilegos iuste mulctatos piè obit.

14. Verùm laudatissimus Rex eleemosynis potiùs, quam Regijs insulis admirandus, & pietate magis, quàm sæculari potentia conspicuus, adeò profusè in Christi pauperes liberalitatis extitit, vt Deus quamplures eidem viuenti victoriarum palmas miris planè modis contulerit, atque ab extremis rerum, ac vitæ periculis hominem pro sui gloria pugnantem ob singularem, quam præseferebat piæ, ac deuotæ mentis prærogatiuam haud semel eripuerit, in cuius laudem illud S. Ludouicus Francorum Rex edixit; *Eū videlicet eleemosynis suis ab omnibus periculis ereptum iri*. Cuius diuini planè oraculi veritas tunc maximè

Pietate in pauperes præcellens à periculis inter bellandum seruatur.

Ionuil. in vita S. Ludouici Francorum Regis.

S. Ludouici eleemosynarum ipsius præco.

mè Christiano Orbi innotuit, cum inter hostium manus veniens, maximisque circumuentus angustijs ex ipsis saluus tandem, ac insuper cæsis hostibus rediens victor emersit. Cui item memorabile illud Leolini Vualliæ Principis dictum occinit; *dum se magis Henrici eleemosynas, quàm ipsius exercitus pertimescere affirmaret*: Qui igitur totis visceribus super egenū, & pauperē intendebat, Deum sub vitæ finem, munificū remuneratorē habuit, ad coelitum præmia ab ipso euocatus.

Leolini de ijsdē solemne dictum.

15. Verùm enimuerò Henricus quā pium se, ac religiosum iugiter exhiberet, & quam feruido deuoti animi affectu sacrosancto Missæ sacrificio interesset, quæ Vuestmonasteriensis in suis historiarum paginis affirmat, satis, superque testantur: *Hic Rex* (inquit) *quantum in artibus sæcularibus putabatur minùs prudens, tanto apud Dominum maiori deuotione pollebat: singulis namque diebus tres Missas cum nota audire solebat, et cum Sacerdos Corpus Dominicum eleuaret, manum Sacerdotis tenere, et illam osculari solebat*. Pius igitur Rex semetipsum, ac regias infulas pietate superans, quidquid Deo, eiusque obsequio in dies deferebat, haud satis vnquam suo muneri ratus, maiora in dies virtutum incrementa meditari non destitit. Verùm qui totum se sacrosanctæ, ac incruentæ, dum à Sacerdote peragebatur, altaris hostiæ, diuinisque recolendis mysterijs dicarat, cum à S. Ludouico ad sacras audiendas conciones inuitaretur, argutum illud, suaque dignum pietate responsum dedit, vt idem, qui & supra Auctor his verbis tradit. *Contigit aliquando, Sanctum Ludouicum Francorum Regem cum eo conferentem dicere, quod non semper Missis, sed frequentiùs sermonibus audiendis est vacandum. Cui faceta vrbanitate respondens ait, se malle amicum suum sæpius videre, quàm de eo loquentem, etsi bona dicentem audire*. Præsentia quippe Christi Domini, qua sacra altaris mysteria decorantur, se magis, quàm audito ipsius, sacrorumque eloquiorum verbo iuuandū, roborandumque ratus, sacris Missas eloquiorum sermonibus anteferendas edixit.

Vuestmonasteriens. in Flor. hist.

Sacrosancto Missæ sacrificio deuotissimè adstat.

Sacerdoti quotidie manum sacrificanti osculatur.

S. Ludouicus quid de missis, & quid de pijs sermonibus audiendis dicit.

Vuestmonasteriens. vbi supra.

16. Henricus igitur, qui regales inter infulas pietate cęteros visus est antecellere, feliciterque diem obijt, sepulchralis instar titulū his ab eodem Scriptore post obitum notis laudari meruit: *Qui quanta* (ait) *fuerat innocentiæ, quantæ patientiæ, quantæque deuotionis in obsequio Saluatoris, Dominus nouit, et qui ei fideliter adhæserunt: et insuper quanti meriti in vita sua fuerit apud Deum, testantur post ipsius mortem miracula subsequuta*. Qui enim pio Religionis cultu excelluit, haud obscuris subinde signorum portentis, ac victoriarum palmis auctus, cumulatusque est, vt ipsius virtutum merita hominibus innotescerent: Cui & illa Vrbani Papæ Quarti verba velut satis ampla meritis ipsius præconia aptè consonant, quæ in eius laudem haud silentio hìc præterire voluimus; Vrbanus igitur conscriptis ad Henricum Regem Apostolicis literis, tunc aduersa eidem valetudine releuato his gratulatus est verbis: *Dum Annalium* (inquit) *Romanæ Ecclesię volumina legimus, et Prędecessorum nostrorum regesta Pontificum vigili attentatione reuoluimus, eximia vtique tuę sinceræ deuotionis opera, et præclara tuæ purę fidei rectitudo, quibus placere Deo, et eidem Ecclesiæ matri fidelium ab annis teneris studuisti, sic in promptu nobis occurrunt, quod nequimus ab illis nostrę mentis aciem declinare: Cum quasi quædam fulgētia in Ecclesia Dei sidera luceant, et ab alijs sicut magna luminaria discernantur. Tu etenim, sicut tuorum laudabilium prædicat fama gestorum, et nos etiam nullatenus ignoramus, in augmentatione cultus fidei orthodoxæ sollicitus, in conseruatione libertatis Ecclesiasticæ peruigil, in Ecclesiarū, aliorumq; piorū locorū constructione beneuolus, et benignus in gratijs, et beneficijs erga personas ecclesiasticas regulares, et sæculares valdè munificus, ac in obedietia prōptitudine circa eandem Ecclesiam stabilis, et accensus; dignè meruisti dies tuos diuina tibi fauente clementia in pace, et tranquillitate deducere, ac in statu prospero sub tutrice Dei dextera, et protectione Sedis Apostolicę conseruari*. Hæc Vrbanus in Apostolicis literis ad ipsum literis recolenda regiæ pietatis monimenta reliquit, quæ nos hìc studioso lectori suggessisse voluimus.

Dignum Henrici elogiū.

Vuestmonasteriens. vbi sup.

Vrbanus IV. epist. 165.

Ab Vrbano IV. præconia Henrici celebrata.

Zelus tuendæ ac propagandæ fidei.

17. Præmemoratis verò eleemosynarum laude conspicuis merito quidem accedit Robertus Siciliæ Rex, qui omni offi-

Robertus Siciliæ Rex ob eleemosynas extollendus.

officiorum genere Christi Ecclesiam cõplexus pietate, ac prudentia catholicos inter Principes clarus assulsit. Quanta item fortitudinis laude præcelleret, suscepta, administrata, ac feliciter ab eo gesta bella demonstrant. Quo autem tuendæ, ac propagandæ religionis studio Princeps pijssimus teneretur, illud documento est, quod sacra Hierosolymorum loca, quæ suo Christus Dominus quondam cruore sacrauerat, quibusuis diuitiarum thesauris pretiosiora ducens, oblato hostibus vltrò, ac liberaliter auro, à Soldano, qui per tyrannidem illa occupabat, redimere sategit, magnisque sumptibus sacrosanctum præcipuè Christi Domini sepulchrum, ac alia nonnulla sacratiora loca obtinuit, vt debitum redderet, ac Religiosi itẽ Viri rẽ ibi diuinam instaurarent. Eius autem pietati Sancia Regina, eius vxor inhærens, Monasterium, Minoritis Franciscani Ordinis Fratribus in Monte Sion condidit, de quo Clemens Papa VI. certior factus gratulatorias ad Franciscanæ familiæ Præfectum epistolas Roberti Regis pietatem summopere commẽdans, his planè verbis conceptas dedit: *Gratias agimus* (ait) *gratiarum omnium largitori, eique dignas laudes exoluimus, quod ipsi charissimorum in Christo filiorum nostrorum Roberti Regis, et Sanciæ Reginæ Siciliæ illustrium erga Redemptoris Domini Iesu Christi obsequia zelum deuotionis, et fidei sic ferventer accendit; quod ipsi, quæ ad Dei laudem, et gloriam, ac sacratissimi sepulchri Dominici, et aliorum locorum vltra marinorum reuerentiam, et honorem redundant, non cessant indefessis studijs operari. Nuper siquidem eorundem Regis, et Reginæ grata insinuatio nostro apostolatui patefecit, quod ipsi non sine magnis sumptibus, et laboribus grauibus à Soldano Babyloniæ, qui sepulchrum Domini, et alia sacra loca vltramarina proprio ipsius Redẽptoris sanguine dedicata, non sine cunctorum Christianorum graui opprobrio detinet occupata obtinuerunt, quod fratres vestri Ordinis infra Ecclesiam dicti sepulchri possint continuè commorari, et ibidem Missarum solemnia, et alia diuina officia solemniter celebrare, etc.* Quibus verbis singularem Roberti Regis pietatem dignissimis Põtifex laudibus prosequitur.

Pietas ipsius erga Sacra Hierosolymæ loca.

Rainaldus an. 1343. n. 13

Clemens Papa VI. an. 1. lib. 5. epist. com. 1516.

Dignis à Cl. VI. laudibus cumulatur.

Rainald. an. 1342. n. 24

18. Felix itaq; exoptatusque Regi, pietate cõspicuo, & annos octoginta circiter nato, post longam annorum seriem, ac Regni bene administrati laudem vitæ finis obtigit, adeò vt ipse tanquam sibi bene conscius, nec ob mortem sibi impendentẽ tristis visus sit aliquando, nec minimè de futuro discessu trepidaret, aut angeretur; sed seipso, ac fato superior, mortem, vtpote Deo addictissimus è proximo lætus aspiceret, expectaretque festiuis vltro vocibus, quod raro Viris in Regiæ potestatis culmine constitutis accidere consueuit. Sed extremã ipsius vitæ periodum cõdignis à Petrarcha descriptam notis, si libet, hìc, excipiamus: *Decubuerat* (inquit) *corpore quidem languido, sed animo alacri, et infracto; nullus dolor, nulla consternatio, nullus egrediendi metus, nullum manendi desiderium in illo præsertim habitaculo, vbi tanto cum honore permanserat, corporis ergastulo: artusque satis fatiscentes velut totidem libertatis suæ vincula cernebat; arebat cutis, et vitalis calor infrà senile pectus iam redactus, assiduè accrescebat: ingeminabant morbi, rarescebant spiritus, transibat dies vltimus, extrema hora tempus instabat: nullæ interim querelæ, nullæ ipsius lacrymæ fluebant, cum alienas abstergeret. Sentio, quid argutus nunc lector obijciat: Fortitudinis hoc potiùs, quàm sapientiæ videri. Non inficior, non contendo, sciens et virtutibus inesse cognationem quandam, et nunc ipsum, de quo loquimur omnibus vsque in miraculum abundasse. Hoc sanè, quod sequitur ad hoc, quod per tot præambula tendebat stylus sapientis, et vniuersa circumspicientis, atque in extremis solito iudicio feruentis animi signum est. Quid enim prohibet, quod in singulis, vel Regibus, vel Philosophis miratur antiquitas, in hoc (dicendum est enim sæpius) et Rege simul, et Philosopho posteritas admiraris.* Hinc Regium planè Roberti animũ terrenis cunctis, se ipso, ac vita pariter excelsiorem admirari fas est; qui dum Christianum hominem, nedum Philosophum seriò ageret, pro æternis bonis temporalia isthæc despiceret, & ad mãsura in Cœlis Regnorum præmia festino gradu properans, terreni sceptra culminis nauseabundus relinquendo cotẽneret.

Felix ipsius post vitam piè exactã obitus.

Rainaldus vbi supra an. 1343. num. 7.

Franciscus Petrarcha rerum memo. lib. 2. pag. 60.

Egregiè ipsius in morte constantia à Petrarcha describitur.

Vita ipsius & mors admiranda.

19. Sed

Petrarcha vbi supra.

19. Sed quæ optatissima ipsi sub finem, queue acerbū corporis languorem leuabant, decedenti acciderint, eodem narrante, videamus. *Nouerat* (ait) *se suis esse charissimum, seque id meritum gaudebat, quibus grauissimum se mærorem relinquere certus erat. Videbat adolescentulos Regni successores, et ætatem multis obiectam periculis verebatur, nouerat sacrum religiosæ coniugis arcanum, fugam è sæculo illo adhuc superstite meditantis. Tutò quidem poterat illustri fœminæ Regni pondus committere, poterat illi animo superædificare, quantumlibet fundamenta non deerant nisi ipso, quod euentus docuit, quamuis miserata casum publicum, saluti propriæ succurrere maluisset, seque post sepulchrum tanti coniugis, mox intra sacros parietes Monastery sepelisset, ad altiora suspirans. Hoc muliebre propositum iampridem cognitum, multa voluentis animum angebant, quis habenas rerum post se flecteret, quis Regnum status acciperet, circumspiciebat scopulos, meminerat procellarum, et ab Aquilone, et ab Austro; venturasque præsagiēs tempestates, gubernator egregius clauum commissurus inexpertis, quid mirum si sollicitudinum variarū fluctibus æstuabat. Tot difficultatibus rerum, quæ vegetum licet, ac validum fatigare debuissent, moriens indefesso animi vigore consuluit. Primum omnium flentes, ac eius conditionem miserantes, magnificè castigatos docuit, nil sibi triste, nil asperum, nil miserabile, nil nisi suaue prorsus, & iucundum morte contingere. Satis se iuxtà Cæsaream sententiam, vel naturæ vixisse, vel gloriæ: optare se iam ex corporis statione discedere, sperare ab hoc mortali solio progressum ad stabiliora Regna proficisci. Minimè itaque lugendum, sed omni gaudio prosequendum iter suum.* Quid verò tam bene composito ad virtutem, ad mortem, immò ad immortalitatem animo dignius? quid præcelsius? qui è Regno haud cum lacrymis, immò ridens, & cum gaudio abiret? Sed interim, quæ idem Auctor subinfert, excipiamus.

Quibus sub finem se ipsum reuelabat.

Vxor ipsius quantæ virtutis, & prudentiæ.

Se ipso, ac sæculo Rex superior, lætus mortem excipit.

Renuisset. Petrarcha vbi supra.

Adstātibus lacrymas inhibet.

20. *Quid multa* (inquit) *sic omnium gemitus oratione compescuit, sic omnem miseriarum mortis opinionem ex audientium pectoribus extirpauit; vt nunc vique se se felices arbitrentur, quibus illum ex ipsa morte concionantem contigit audire, nec morientis cubiculo vllas Philosophorum scholas præferant. Demum aduersus singula, quæ terribilia prouidebat, accommodata remedia, veluti præstitura venenis antidota dictauit, Regni gubernacula successoribus, quos Matrimonio iunxerat, tradidit identidem admonens: Hoc istud consilio, hoc illud periculum declinate: Sic cum amicis, sic cum hostibus viuite. Hæc & alia similia cum solita, & aucta magis Maiestate dixisset, tota mente in Deum versus expirauit, & è corporis vinculis lætus excessit. O felicem, perfectamque sapientiam, inter mortis angustias cum cæteris hominibus nedum rerum externarum; sed sui etiam ipsius vix vlla superest memoria, ità superstites consolari, tanquam non ipse, sed hi morituri sint: ità res suas disponere, ceu rus peteret, non sepulchrum. Et Regno quidem in longum consuluit, modò voces abeuntis animis inhæserint; nec (quod multum vereor) externis vita consilys euanescant.* Hactenus ille, quibus Roberto iustis, concinnisquè laudum præconijs, nec tam verbis, quàm præclaris virtutum titulis parentasse, absolutamq; numeris omnibus Regis omni ex parte imaginem viuis adumbrasse coloribus visus est. At ipsius corpus in Monasterio S. Claræ ab eodem constructo, bonisquè amplissimis locupletato tumulatum est. Porrò Rex iste Ecclesiæ fuit studiosissimus, religionis, prudentiæ, scientiæ, omniumquè virtutum laude clarus, vt passim scriptores testantur, cuius solemnis illa, ac digna posterorum memoria vox fuit vt Mariana tradit: *Dulciores videlicet sibi litteras regno esse*. Illum insuper Petrarcha satis nunquam meritò laudans ait: *Fuisse & summum Regem, & Philosophum, nec Regno, quàm literis clariorem: Quem vnicum* (inquit) *Regem, & scientiæ amicum, & virtutis nostra ætas habuit.* Et hæc sunt, quæ nobilissimo Regi virtutum, ac laudum monimenta Scriptorum stylo insculpta statuimus.

Quid summi cum laude sub extremā vitæ periodum præstat.

Moritur, qua si ad immortalitatē nō ad mortem properans.

Io. Villan lib. 11. cap. 9. Summontius lib.

Mariana lib. 16. cap. 11.

Dulciores Regno illi fuere literæ ex Mariana

Petrarcha vbi supra.

21. Tanti denique pia eleemosynarum commercia emolumenti sunt, vt sua Cœlo lucra pauperum manu inferendo, certam exercentibus mercedem afferant; quo illud solemne verbum adimpleatur: Quod scilicet *Eleemosyna dāti magis proficit, quàm accipienti.* Quod quidem Augustinus Mannus allato sic exemplo confirmat.

Eleemosyna dāti magis proficit, quam accipienti ex Augustino.

August. Mannus lib. select. hist. cap. 46.

nat. *Marcus Colignus* (inquit) *eiuis Florētinus referebat de Auo suo, quòd Vir quidam pauper furatus fuerat ei pallium pretiosum penuria tempore, quod cum ei manifestatum fuisset, & posset furtum ex manibus deprehensi furis abripere, noluit; sed iussit famulum suum obseruare, quònam pallium ferret, & quid de eo faceret. Famulus autem obseruans vidit furem vendentem pallium, & de pecunia ementem panes: Erat autem magna annonæ caritas anno illo, & fur ille fame discruciabatur. Quapropter non solum pallium illud recuperare noluit, sed ad domum furis panem, & triticum vltrò transmisit. Creuit autem taliter eius pietas, & in egenos commiseratio, vt cum alio tempore Florentini magna panis vrgerentur penuria, misericordia motus ipse solus plusquàm quatuor millia pauperum sumptibus suis pauerit. Saturabantur illi in indigentia sua, sed non saturabatur ipse in beneficentia sua, semper quærens, quem pasceret. Hic cum aliquando in morbum incidisset, & morti proximus esset, apparuit ei veneranda mulier, quæ exitum eius obseruabat. Eo autem vita functo, amplius non apparuit. Opinati sunt nonnulli mulierem illam fuisse B. Martam Lazari, & Magdalenæ sororem &c.* Sic plane profusa hominis in pauperes charitas, eiusque in elargiendis eleemosynis pietas tandem sub vitæ finem irremunerata non abijt.

Florentini in pauperes mira charitas.

Alit tempore penuriæ quatuor millia pauperū

Felix ipsius mors.

22. Quoniam igitur *Misericordes* (vt Christus inquit) *misericordiam consequentur*, qui futiles, ac instabiles, & perituras sæculi diuitias in pauperes erogant, quo permansuras sibi thesaurizent in Cœlo, nonnisi feliciter tandem diem claudunt, vt idem Mannus sic tradit. *Referebat nobis* (inquit) *Episcopus Tudertinus Angelus Cæsius, qui per triginta prope annos illam Ecclesiam gubernauit, extitisse in Ciuitate Narnia Virum quendam laicum, nomine Theodorum Cardonem, qui mirum in modum delectabatur exercere se in pietatis actibus, visitando eos, qui in carceribus tenebantur, et agros in infirmitatibus suis; et si quos dissidentes, et discordes esse resciuisset, inimicitiæ causa illud procurabat, vt ad amicitiam, & pacem reuocaret. Visitabat quotidie Capuccinorum Monasterium. Præsertim autem in hoc totus erat, et magna animi alacritate operam dabat, vt pauperes, et egentes viros, et familias fame laborantes, qua poterat, charitate reficeret. Quapropter eleemosynas perpetuò largiebatur, et sicut alter Nicolaus Myrensis Episcopus secretà nocte obambulans vicos Ciuitatis, in pauperum domunculis per fenestrellas pecuniam introrsum proijciebat, sub aut valuas per foramē, per quod feles ingredi et egredi solent, panes aliquot ponebat, vt de mane surgētes pauperes, panis benedictionem reperirent, et famem pellerent. Ecce quomodò Viri in sæculo viuentes, si sint humiles, benigni, et deuoti, rapiunt Cælum, & disponunt sermones suos in iudicio, vt non commoueantur in æternum.* Et certè non nisi felix, faustusque Viro misericordijs pauperum, & eleemosynarum largitione prædiuiti vitæ finis iuxta Diuinum oraculum contigisse potuit.

Matthæi c. 5

Augustinus Mannus lib. select. hist. cap. 466.

Theodorus Cardonus Vir pius valde in ciuitatis conditionis hominibus.

Eleemosynis S. Nicolai Myrensis Episcopi exemplo pauperes clam iuuat.

23. Et si quidem Charitas, quæ totum humani sibi cordis imperium vendicat, cunctis ità virtutibus præcellit, vt suo omnes iuxtà Hieronymi verbum, valore transcendat. *Charitas* (inquit) *nulli rei comparari potest. Dilectio pretium nō habet*: adeoque tantum quisque apud Deum virtutibus proficit, quantum cæteris charitate præeminent, ac feruor dilectionis in Deum suam, non nisi à feruore charitatis in proximos mensuram accipit. Quapropter meritò prælaudatus sapientissimus Ecclesiæ Doctor hominem Dei amore ditescentem demiratus aliquādo, ipsius quoque præferuida in proximos amoris studia prædicando extollit. *Laudent* (inquit) *cæteri misericordiam eius, humilitatem, fidem: ego ardorem animi plus laudabo.* Quod sanè anteacto sæculo in plerisque nobilium Romanorum in ipsa virtutum schola, sub S. Philippi Nerij Congregationis Oratorij Fundatoris magisterio mortalium oculis, & præcipuè in Martio Alterio, dignissimo Clemētis X. Patruo ad viuum mirificè affulsit, qui inter cæteros, Pamphilios videlicet, Crescentios, Astallos, Patritios, Maximos Molarios, ac Vitelleschos, vitæ innocentia, ac illibatis moribus dignum de se Vrbi exemplum præbuit, de quo isthæc Antonius Gallonius in Beati Philippi gestis: *Martius Alterius Romanus* (*qui Paulo Tertio Pontifice*; *relicto sæculo, Christo, magno, fortique animo se adiunxerat) dicere solitus erat, & læ-*

Hieronymus in epist. ad Fabiolam

Charitas nullius rei pretio æqui paratur ex Hieronymo

Hieronymus vbi supra.

Martius Alterius Sancti Philippi Nerij discipulus quantum charitate nobiles inter Romanos sub ipsius disciplina in spiritu profecit.

titia

Paulus Diaconus in sua hist. Longobardorum.

postquam triginta, et vno anno, septemquè mensibus principatum obtinuit, iam ætate maturus, huius vitæ cursum expleuit. Corpus eius in basilica B. Hadriani Martyris, vbi et eius requiescit genitor, sepultum est.

Praeclaræ ipsius virtutes.

Fuit autem Vir multæ sapientiæ, consilio sagax, pius admodum, et pacis amator, bello potens, delinquentibus clemens, castus, pudicus, orator, peruigil, eleemosynis largus, litterarum quidem ignarus, sed Philosophis æquandus, nutritor gentis, legum augmentator. Hic initio regni sui Boiariorum plurima castra cepit, plus semper orationibus, quàm armis fidens, maximam semper Francorum, Auarumque pacem custodiens. Hæc scriptor. Quibus & ea, quæ Baronio addit, hic apte à nobis subtexenda sunt, eius vtpote condigna laudibus: *Verùm (inquit) plurima de eodem Rege prætermissse satis euidenter scriptis Anastasij conuincitur, etc. Cum tamen non negandum multa fuisse eiusdem Principis laude dignissima, licet interdum furor in malum præcipitem egerit, vt planè de illo dicendum sit, quod de Theodosio S. Ambrosius ad ipsum scribens dixit: Quod habeas (inquit) fidei studium, non possum negare, quod Dei timorem, non diffiteor; sed habes naturæ impetum, quem si quis lenire velit, citò vertes in misericordiam; si quis stimulet, in maius exuscitas, ita vt eum reuocare vix possis.* Ita si quidem Luitprandus comparatus, ad veniam facilis, si orator accederet. Porrò vt quæ posteris prælaudatus Princeps eximiæ pietatis monimenta reliquit, recenseantur, præter illa, quæ ob impensam operam in transferendo ex Sardinia sacro S. Augustini Ecclesiæ Doctoris corpore, hæc Paulus Diaconus habet.

Baronius vbi supra n. 22.

Furor ipsius & si in malū præceps in multis camē [illegible] laude dignus ex Baronio.

Ambros. epist. 108.

Paulus Diaconus vbi sup.

10. *Hic gloriosissimus Rex multas in Christi honorē per singula loca, vbi degere solebat, basilicas construxit. Hic Monasterium Beati Petri, quod foras muros Ticinensis ciuitatis situm est, & Cælum aureum appellatur, instituit. In Summa quoque Bardonis Alpe Monasterium, quod Barcetum dicitur, ædificauit, &c. Intra suum quoque palatium ora culum Domini Saluatoris ædificauit, & quod nulli alij Reges habuerant, sacerdotes, & Clericos instituit, & qui ei quotidie diuina officia decantarēt.* Verùm recensitis viri laudibus sepulchralē hunc titulum, qui eius sepulchro in Basilica Beati Petri Apostoli Principis legitur, velut nobile præconiorum ipsius monimentum, his conscriptum notis subteximus.

Ecclesias & monasteria in Dei SS. obsequium construit.

Flauius hoc tumulo Luithprandus conditur, olim
Longobardorum Rex inclytus, acer in armis,
Et bello victor. Sutriumquè Bononia firmant
Hoc, & Ariminum, necnon inuita Spoleti
Mœnia: namque sibi hac subiecit fortior armis.
Roma eius vires iam pridem milite multo
Obsessa expauit. Deinceps tremuere feroces
Vsque Saraceni, quos dispulit impiger, ipsos
Cum premerent Gallos, Carolo poscente, iuuari.
Vngarus à solo adiutus, Francus, et omnes
Vicini grata degebant pace per omnes
Rege sub hoc fulsit (quod mirum est) sancta, frequensquè
Relligio, vt recolunt Alpes, Ecclesia quarum
Hunc habuit, vincēte ipso, & præ grandia templa,
Quæ viuens struxit; quibus et famosus in orbe
Semper, et æternus lustrabit sæcula cuncta.
Præcipuè Petro cœlesti hac sede locata
Clauigero statuit, Cælo, quam prouidus aureo
Augustinus vbi huc aliunde abductus, eodem
Ab Rege, et cuius doctrina Ecclesia fulget.

Baronius vbi supra n. 23.

Ipsius laudes elogio summatim collecta.

B. Petri Apost. Principis, & S. Augustini cultor eximius

Hæc titulus legenda præfert, quin etiam S. Augustini illuc ossa piè translata recolit.

Baronius an. 729 n. 1.

11. Verùm vt eximiam regis pietatem, pronamquè ipsius ad pia amplexanda consilia quis mentem probè nouerit, cùm Romam valido vallatus exercitu quondam venisset, eiusquè aduentu iam Vrbi clades immineret, Gregorius Secundus Summum Pontifex eidem obuiam, velut alter Leo Attilæ, ad prata Neroniana factus, eumdem extemplo com-

Ab Vrbe cui armis cladem minabatur, à Gregorio II. placatus recedit, & sua B. Petri sepulchro armorum spolia appēdit.

compescuit, ac licet armis armatisque fretum, furentemquè, mirabiliter, Dei suffultus auxilio demulsit; adeò vt, qui ferox spolia detracturus aduenerat, spolia sibi detrahens, ac si se palàm victum triumphatumque fateretur, eadem B. Petro, eiusquè sepulchro affigeret; hæc enim Anastasius habet: *Eodem (inquit) tempore adest Christi An. septingesimo, vigesimo nono sæpè dicti Eutychius Patricius, et Luitprandus Rex inierunt consilium nefandum, vt congregato exercitu Rex subijceret Duces Spoletinum, et Beneuentanum, Exarchus Romam, et quę pridem de Pontificis persona iussus fuerat, impleret: non nempe vt eum occideret. Qui Rex Spoletum veniens, susceptisquè ab vtrisque Ducibus Sacramentis, atque obsidibus, cum tota sua cohorte in Neronis campo conuenit (erat locus iste prope Basilicam Vaticanam, olim dictus Prata Neronis) ad quem egressus Pontifex, eique præsentatus studuit (vt potuit) Regis mollire animum commonitione pia. Ità vt ipse Rex se prosterneret eius pedibus, et promitteret nulli inferre læsionem. Atque sic ad tantam compunctionem ipse pijs monitis flexus est, vt quæ fuerat indutus, arma exueret, et ante corpus Apostoli poneret, mantum, armillam, balsheum, spatam, atque ensem deauratum, necnon coronam auream, et crucem argenteam. Post orationem factam obsecrauit Pontificem, vt memoratum Exarchum ad pacis concordiam suscipere dignaretur. Quod et factum est, et sic recessit Rege declinante à malis, quibus inierat consilium cum Exarcho.* Dignum planè tunc Petro, eiusquè sepulchro tum Vrbs, tum Orbis triumphum vidit, vt victorem nimirum ipse barbarus Rex, qui iam triumphaturus aduenerat, triumphatus Beato Petro, eiusquè successori supplex accideret, ac regium non nisi ad tuendam Petri Ecclesiam, eiusquè propugnandam ditionem, haud ad sæuiendum, mucronis gladium exereret. Iure igitur, qui de se iam pridem nobile adeò compuncti cordis specimen prætulit; pœnitentis quoque in morem è vita decedens, æternum pro momentaneo regno lucratus est.

Anastasius in Gregorio 2. Cron an. 729. n. 1.

Ad Pontificis pedes Petrum in ipso veneratus procumbit.

Piè tandem diem claudit.

Rainaldus an. 1223.

12. Atqui summis quoque laudibus Philippus Galliarum Rex se dignum præbuit, qui multa (quod Reges solent) humanæ infirmitatis labe respersus deliquit, ob quæ Numinis in se iram iustissimè concitauit. Sed tandem pœnitentiæ subsidio veniam, ac felicem vitæ, Deo aspirante, finem est consequutus. Primùm verò cũ Insebutgim Regis Dacorum sororem, quam sibi matrimonio iunxerat, superinducta pellice, iniquis (nec vt par est) modis tractaret, ab Innocentio Papa admonitus, acerbissimisque perstrictus verbis, necnon cælestibus insuper, vt resipisceret minis, exterrefactus dum pellici arctiùs inhæret, bello tandem à Ricardo Anglorum Rege impetitus, qui vessanos inter amores fluctuabat, è ponte præceps in fluuium prolabitur; Ex quo cum euasisset illæsus se ipso factus nil melior, ac Pontificijs demum litteris ad superinductam procul abijciendam pellicem compulsus, in malo obstinatior, haud se ad parendum vt par erat, promptum, facilemque exbuit; Id vnum pro se excusando in medium afferens, nimirū fascino quodam ab vxoris amore præpeditum, quibus tamen nugis, vanisque excusationū commentis reiectis, nunquam matrimonialis cum Inseburga vinculi dissolutionem obtinere is potuit. Tandem verò se ad bonam frugem recipiens, connubij iuribus, ac thoro vxorem restituit; sed haud sine præmio id præstitit: Rex namque ab Anglis salutatus, Apostolica in ipsum auctoritate Anglorum Regni sceptrum Innocentius transtulit. Atqui cùm multa subinde Philippus reprehensione digna tentaret, diutino tandem correptus morbo, varijsque attritus malorum incommodis, ànteactæ vitæ errores retractandi, animique ad Deum traducendi consilium salubri præuentus admonitione cœpit; sed fatis subinde concedens, munitusque salutaribus pœnitentiæ remedijs, diuinam sibi inter moriendum clementiam conciliauit.

Philippus Galliarum Rex calamitatibus ad resipiscendum adductus.

Pellicem à Pontifice monitus dimittit.

Morbo diutino correptus mores corrigit.

Rainaldus vbi supra.

13. Eleemosynis quippe primùm Rex pius sibi veniam à Deo impetrandã curauit, vt à terreno Regno ad Cœli regiam aditus sibi pateret. Porrò ipsum animi probè pœnitentis laude conspicuum, bonorumque operum cumulo diuitem decessisse D. Antoninus eiuscemodi testatum elogio reliquit, vbi eius verborum compendio laudes cõplexus ait: *Vir mirabilis fuit, et omni memoria dignus*

Eleemosynis sibi ad vitam aditum parat.

gnus, cui post Carolum Magnum vix aliquis similis reperiri possit ex Regibus Franciæ. Hæc ille. At nos Regio ipsius tumulo, has sepulchralis tituli notas à Rigordo excerpras, haud ab re duximus inscribendas: *Anno* (inquit) *ab Incarnatione Domini M.CC.XIII. pridiè Idus Iulij obijt Philippus Rex Francorum illustris apud Castrum, quod vocatur Meduta. Qui sensu, & industria Vir prudentissimus, virtute strenuus, gestis magnificus, fama præclarus, victoriosus in bellis, ac triumphis multis, & magnis plurimùm gloriosus, ius, & potentiam Regni Francorum mirabiliter dilatauit, & regalem fiscum ampliauit in multis. Multos etiam præclaros Principes terris, militibus, armis, & opibus præpotentes Regno suo, & sibi grauiter aduersantes debellauit viriliter, & deuicit.* Hæc ille de Philippo, quem Galliarum Regni terminos dilatasse, multasq; ditioni suę Prouincias adiecisse Iordanus his verbis tradit: *Probitate mira, Regno suo multos adiecerat Comitatus, scilicet Viromaduensem, Bellomontensem, Pontunensem, Alonconensem, Cænomanensem, Turonensem, Andegauensem, Pictauiensem.* Hæc Iordanus.

Rigordus in Chronic.

Ob insignes ipsius animi dotes laudādus.

Iordanus M S. in Biblioth. Vaticana.

Eius in bello singularis gloria.

14. His itaque à Philippo præclarè gestis, pietas, quæ Christianum in primis decet Principem, in ipso (vt Rigordus testatur) mirificè affulsit, ob quod tutum sibi è vita exitum cōparauit; hæc enim Rigordus de eo: *Ecclesiarum* (ait) *defensor maximus, & protector; Istam præcipuè Sanctam Ecclesiam, Sancti videlicet Dionysij specialis fauoris gratia, et quasi quodam amoris priuilegio fouit propensiùs, et protexit, et quē habebat erga ipsum dilectionis affectum, multoties effectus operis comprobauit. Porrò ipse ab annis teneris zelator fidei Christianæ vexillo Crucis affixo humeris, in sua iuuenili ætate contra Saracenos manu valida transfretauit, vbi in obsidione Acconitanæ Vrbis vsque ad eius consumatam debellationem, plenámque recuperationem præclarè, & efficaciter laborauit: ac postmodum vergens in senium, proprio filio suo primogenito non pepercit, quin eum mitteret bis aduersus Hæreticos Albigenses cum magnis sumptibus, et expensis. Et in alia tam in vita sua, quàm in suo decessu multa largitus est ad eiusdem negotij Albigensis subsidium, et iuuamen. Præterea dando pauperibus, et dona plurima charitatiuè per loca varia dispergendo, eleemosynarum fuit largissimus seminator. Sepultus autem est in Ecclesia B. Dionysij, etc.* Rex igitur pietate in Deum, ac misericordia in pauperes clarus, opportunè suum bonorum operum subsidijs exitum præmuniuit.

Rigordus vbi supr.

Pro Dei obsequio ac Religionis cultu nullis in bello laboribus parcit.

Eleemosynarum munificus elargitor feliciter obijt

15. Porrò Regi de Catholica fide optimè merito magna quidem pompa à duobus Archiepiscopis, ac viginti Episcopis exequias celebrari contigit, vt idē qui supra, Auctor testatur: *Qui Prælati* (inquit) *de mandato Domini Papæ, immò de ipsa totius, vt credibile est, ordinatione diuina pro negotio Albigensi tunc temporis erant Parisijs congregati. Missam autem exequialem celebrarunt simul Portuensis Episcopus, et Rhemensis Archiepiscopus, vna voce ad duo Altaria propinqua cæteris Episcopis cum Clericis, et Monachis, quorum aderat innumera multitudo, assistentibus, et eis respondentibus sicut vni. Inter quos adfuit, et Ioannes illustris Rex Hierosolymitanus, qui in Franciam venerat pro negotijs, et necessitatibus Terræ Sanctæ; præsentibus ad hoc inclytis prædicti Regis Philippi filijs, Ludouico primogenito, et Philippo. Sepè dictus autem Rex Philippus tale condidit testamentum. Legauit ad subsidium Terræ Sanctæ tria millia librarum Parisiensium, videlicet præfato Regi Ioanni centum millia, Hospitali Hierosolymitano centum millia. Datum est de suo Almarico Comiti Montisfortis viginti millia librarum Parisiensium, ad vxorem eius, et suos de Albigensi terra, et manu hostium reducendos. Prætereà dedit quinquaginta millia librarum Parisiensium pauperibus eroganda. Magnam etiam summam pecuniæ dicitur insuper erogasse.* Hæc ille. Ex quibus constat, ingenti ipsum eleemosynarum, piarumque elargitionum subsidio ad superna sibi Regna aditum, ac viam parasse, dum suum, sic præmunire Rex pijssimus è vita discessurus transitum voluit.

Rigordus vbi supra in Philipp. Franc. Rege.

Digno, ac solemni funere ab Episcopis decoratus.

Ioānes Hierosolymorū Rex, ipsius tūc exequijs in Gallia præsens.

Pius Rex pecunias in Dei obsequium moriens legat

Pecunia in pauperes ab ipso erogata

12. Porrò haud lugubres, immo gratulatorias super Philippi obitu literas Honorius Papa Ludouico Octauo ipsius filio scribens, meritò ipsum post mortem visus est laudasse, cùm ad meliorem sortem concessisse his verbis affirmat: *Ineffabilis* (ait) *prouidentia Diui-*

Honorius Papa gratulatorias Ludouico ob patris obitum literas dirigit.

Honorius Papa lib. Sep. 74

nę

na profunditas, inclyta recordationis Philippo Rege Francorum Patre suo post laudabiliter dicta Regni terreni negotia, sicut firmiter credimus, ad meliora vocato, te in eius solio collocauit vt te regnante pro ipso, ac eius pietatem, et iustitiam imitante, Pater in filio viuere videatur. Paternis itaque virtutibus, eiusque decessui satis nobile Romanus Pontifex testimonium exhibuit, dum ad vitæ Regnum pium adeò Regem transmeasse, idque se firmiter, constanterque credere affirmat. Quo autem argumento adductus id Pōtifex asserat, Gulielmo Britone narrante liquet, qui id ipsum diuinitus præostenso visu innotuisse narrans, rudi rem metro exposuit, carminibus illis narrandi exordium faciens.

Gulielmus Brito lib. 7. cap. 187.

Tempore, magnanimi quo Regis humatio facta est.
Signina tunc Papa moram faciebat in Vrbe.

Cœlesti visu felix ipsius finis comprobatus.

Vir igitur (vt ipse habet, & Rainaldus in suis Annalibus refert) Iacobus nomine, Pontificij Pœnitentiarij hospes in ancipiti mortis discrimine extrema sacri olei vnctione delibutus, cum suprema fugientis vitæ suspiria penè traheret, cœlesti obiecto sibi visu mirificè releuatus est. In quo S. Dionysius purpurea decorus veste, atque ingenti circūfusus splendore, cui præibant Angeli albo amictu, & quem sequebatur Regis Philippi anima, ignea veste superinduta videndam se obtulit: Cùmque illi, se Dionysium esse, illum verò Philippum Regem, qui è viuis discesserat, atque in purgatorijs flammis ad sua expianda crimina tenebatur, aperuisset; iussit vt mox adiret Pontificem, admoneretque vt incruentum pro Regis anima Altaris sacrificium offerret. Expauescenti verò ad iussa, ac respondenti in extremo mortis confinio, nec vires, nec animum suppetere, ad ea Pontifici renuncianda; eo quòd timeret se delirantē, atque insanum habitum iri. Tunc Diuus Dionysius omnem ab illius animo metum blandis verbis amouit, ac pristinæ mox valetudini restituit: *At ægrum* (vt Rainaldus ait) *confirmatis viribus, morboque liberum exilysse è lecto, et Pontifici visa retulisse, fidemque accepta diuinitus valetudinis argumento fecisse*. Hæc Rainaldus in suis Annalibus, qui Philippum Regem pœnitentia suffultum, Dei aspirante gratia, tuto è vita exitu decessisse affirmat. Sed de his hactenus.

Rainaldus an. 1223. num. 38.

E purgatorij igne Philippi anima S. Dionysij apparentis ope vindicatur.

Aegrotus, vt visum facto confirmet, sanus mox, vegetusque è lectulo exiliens rem to tam narrat. Rainaldus vbi supra.

13. Magnam quoque sibi eleemosynarum præsertim elargitionibus laudē Henricus Angliæ Rex peperit, qui pietate erga Deum, ac religioso erga Christi Ecclesiam cultu adeò præfulsit; vt eius tuendæ causa arma sumere, inuictoque contra hostes animo dimicaturus in arenam prodire non recusauerit. Vbi verò Orientalis aduersus infideles, ac barbaros Hierosolymorum ex impijs manibus vindicandam ditionem solemnis expeditio instruebatur, cum ipse administrando tūc Regno adesse cogeretur, Eduardum filium S. Ludouico Francorū Regi comitem iunxit; ipse verò nullis vnquam incommodis, laboribusque pro tuenda Religione fractus, pijs, ac laudabilibus suum è vita exitum operibus Deo commendans, mortalem tandem feliciter vitam absoluit, promeritisque cum viuens, tum mortuus præconijs cumulatus est: *Henricus autem* (cuius mentio hìc est) *lethalem* (vt Rainaldi verbis vtamur) *morbum contraxerat, cum post iustas de Noruuicensibus, qui immani sacrilegio Ecclesiam nobilissimam ex odio, quo in Monachos efferati erant, flammis exusserant, acceptas pœnas rediret, Sacramentisque Ecclesiæ communitus animam piè admodum Deo reddidit*. Hæc Rainaldus ex Vuestmonasteriensi, qui eundem quinquaginta sex annis, & amplius Anglorum sceptrum administrasse pronunciat.

Henricus Angliæ Rex eleemosynarum largitate præcipuus

Rainaldus an. 1272. n. 6?

Rainaldus vbi supra.

Post sacrilegos iustè mulctatos piè obit.

14. Verùm laudatissimus Rex eleemosynis potiùs, quam Regijs insulis admirandus, & pietate magis, quàm sæculari potentia conspicuus, adeò profusæ in Christi pauperes liberalitatis extitit, vt Deus quamplures eidem viuenti victoriarum palmas miris planè modis contulerit, atque ab extremis rerum, ac vitæ periculis hominem pro sui gloria pugnantem ob singularem, quam præseferebat piæ, ac deuotæ mentis prærogatiuam haud semel eripuerit, in cuius laudem illud S. Ludouicus Francorum Rex edixit; *Eū videlicet eleemosynis suis ab omnibus periculis ereptum iri*. Cuius diuini planè oraculi veritas tunc maxi-

Pietate in pauperes præcellens à periculis inter bellandum seruatur.

Ionuil. in vita S. Ludouici Francorum Regis.

S. Ludouici eleemosynarum ipsius præco.

mè Christiano Orbi innotuit, cum inter hostium manus veniens, maximisque circumuentus angustijs ex ipsis saluus tandem, ac insuper cæsis hostibus rediens victor emersit. Cui item memorabile illud Leolini Vualliæ Principis dictum occinit, dum se magis Henrici eleemosynas, quàm ipsius exercitus pertimescere affirmaret: Qui igitur totis visceribus super egenū, & pauperē intendebat, Deum sub vitæ finem, munificū remuneratorē habuit, ad cœlirum præmia ab ipso euocatus.

Leolini de ipsis solemne dictum.

15. Verùm enimuerò Henricus quā pium se, ac religiosum iugiter exhiberet, & quam feruido deuoti animi affectu sacrorancto Missæ sacrificio interesset, quæ Vuestmonasteriensis in suis historiarum paginis affirmat, satis, superque testantur: *Hic Rex* (inquit) *quantum in artibus sæcularibus putabatur minùs prudens, tanto apud Dominum maiori deuotione pollebat: singulis namque diebus tres Missas cum nota audire solebat; at cum Sacerdos Corpus Dominicum eleuaret, manum Sacerdotis tenere, et illam osculari solebat*. Pius igitur Rex semetipsum, ac regias infulas pietate superans, quidquid Deo, eiusque obsequio in dies deferebat, haud satis vnquam suo muneri ratus, maiora in dies virtutum incrementa meditari non destitit. Verùm qui totum se sacrosanctæ, ac incruentæ, dum à Sacerdote peragebatur, altaris hostiæ, diuinisque recolendis mysterijs dicarat, cum à S. Ludouico ad sacras audiendas conciones inuitaretur, argutum illud, suaque dignum pietate responsum dedit, vt idem, qui & supra Auctor his verbis tradit. *Contigit aliquando, Sanctum Ludouicum Francorum Regem cum eo conferentem dicere, quod non semper Missis, sed frequentiùs sermonibus audiendis esset vacandum. Cui faceta vrbanitate respondens ait, se malle amicum suum sæpius videre, quàm de eo loquentem, etsi bona dicentem audire*. Præsentia quippe Christi Domini, qua sacra altaris mysteria decorantur, se magis, quàm audito ipsius, sacrorumque eloquiorum verbo iuuandū, roborandumque ratus, sacris Missas eloquiorum sermonibus anteferendas edixit.

Vuestmonast. Florib.

Sacrosancto Missæ sacrificio deuotissimè adstat.

Sacerdotis quotidie manum sacrificantis osculatur.

S. Ludouicus quid de missis, & quid de piis sermonibus audiendis dicit.

Vuestmonasteriens. vbi supra.

16. Henricus igitur, qui regales inter infulas pietate cęteros visus est antecellere, feliciterque diem obijt, sepulchralis instar titulū his ab eodem Scriptore post obitum notis laudari meruit: *Qui quanta (ait) fuerat innocentiæ, quantæ patientiæ, quantæque deuotionis in obsequio Saluatoris, Dominus nouit, et qui ei fideliter adhæserunt: et insuper quanti meriti in vita sua fuerit apud Deum, testantur post ipsius mortem miracula subsequuta*. Qui enim pio Religionis cultu excelluit, haud obscuris subinde signorum portentis, ac victoriarum palmis auctus, cumulatusque est, vt ipsius virtutum merita hominibus innotescerent: Cui & illa Vrbani Papæ Quarti verba velut satis ampla meritis ipsius præconia aptè consonant, quæ in eius laudem haud silentio hìc præterire voluimus; Vrbanus igitur conscriptis ad Henricum Regem Apostolicis literis, tunc aduersa eidem valetudine releuato his gratulatus est verbis: *Dum Annalium* (inquit) *Romanæ Ecclesiæ volumina legimus, et Prædecessorum nostrorum regesta Pontificum vigili attentione reuoluimus, eximia vtique tuę sinceræ deuotionis opera, et præclara tuæ purę fidei rectitudo, quibus placere Deo, et eidem Ecclesiæ matri fidelium ab annis teneris studuisti, Sic in promptu nobis occurrerunt, quod nequimus ab illis nostrę mentis aciem declinare: Cum quasi quadam fulgētia in Ecclesia Dei sidera luceant, et ab alijs sicut magna luminaria discernantur. Tu etenim, sicut tuorum laudabilium prædicat fama gestorum, et nos etiam nullatenus ignoramus, in augmentatione cultus fidei orthodoxæ sollicitus, in conseruatione libertatis Ecclesiasticæ peruigil, in Ecclesiarū, aliorumq; piorū locorū constructione beneuolus, et benignus in gratijs, et beneficijs erga personas ecclesiasticas regulares, et sæculares valdè munificus, ac in obdiētia prōptitudine circa eandem Ecclesiam stabilis, et accensus; dignè meruisti dies tuos diuina tibi fauente clementia in pace, et tranquillitate deducere, ac in statu prospero sub tutrice Dei dextera, et protectione Sedis Apostolicę conseruari*. Hæc Vrbanus in Apostolicis literis recolenda regiæ pietatis monimenta reliquit, quæ nos hìc studioso lectori suggessisse voluimus.

Dignum Henrici elogiū.

Vuestmonast. vbi sup.

Vrbanus IV. epist. 165.

Ab Vrbano IV. præconia Henrici celebrantur.

Zelus tuendæ ac propagandæ fidei.

17. Præmemoratis verò eleemosynarum laude conspicuis meriro quidem accedit Robertus Siciliæ Rex, qui omni offi-

Robertus Siciliæ Rex ob eleemosynas extollendus.

officiorum genere Christi Ecclesiam cõplexus pietate, ac prudentia catholicos inter Principes clarus affulsit. Quanta item fortitudinis laude praecelleret, suscepta, administrata, ac feliciter ab eo gesta bella demonstrant. Quo autem tuendae, ac propagandae religionis studio Princeps pijssimus teneretur, illud documento est, quod sacra Hierosolymorum loca, quae suo Christus Dominus quondam cruore sacrauerat, quibusuis diuitiarum thesauris pretiosiora ducens, oblato hostibus vltro, ac liberaliter auro, à Soldano, qui per tyrannidem illa occupabat, redimere fategit, magnifque sumptibus sacrosanctum praecipuè Christi Domini sepulchrum, ac alia nonnulla sacratiora loca obtinuit, vt debitum videlicet Deo, ac Religioni cultum redderet, ac Religiosi itẽ Viri rẽ ibi diuinam instaurarent. Eius autem pietati Sancia Regina, eius vxor inhaerens, Monasterium, Minoritis Franciscani Ordinis Fratribus in Monte Sion condidit, de quo Clemens Papa VI. certior factus gratulatorias ad Franciscanae familiae Praefectum epistolas Roberti Regis pietatem summopere commẽdans, his planè verbis conceptas dedit: *Gratias agimus* (ait) *gratiarum omnium largitori, eique dignas laudes exoluimus, quod ipsi charissimorum in Christo filiorum nostrorum Roberti Regis, et Sanciæ Reginæ Siciliæ illustrium erga Redemptoris Domini Iesu Christi obsequia zelum deuotionis, et fidei sic feruenter accendit, quod ipsi, quę ad Dei laudem, et gloriam, ac sacratissimi sepulchri Dominici, et aliorum locorum ultra marinorum reuerentiam, et honorem redundant, non cessant indefessis studijs operari. Nuper siquidem eorundem Regis, et Reginę grata insinuatio nostro apostolatui patefecit, quod ipsi non sine magnis sumptibus, et laboribus grauibus à Soldano Babyloniæ, qui sepulchrum Domini, et alia sacra loca ultramarina proprio ipsius Redẽptoris sanguine dedicata, non sine cunctorum Christianorum graui opprobrio detinet occupata obtinuerunt, quod fratres vestri Ordinis infra Ecclesiam dicti sepulchri possint continuè commorari, et ibidem Missarum solemnia, et alia diuina officia solemniter celebrare, etc.* Quibus verbis singularem Roberti Regis pietatem dignissimis Põtifex laudibus prosequitur.

Pietas ipsius erga Sacra Hierosolym. loca.

Rainaldus an. 1343. n. 13

Clemens Papa VI. an. 2. lib. 5. epist. com. 1516.

Dignis à Cl. VI. laudibus cumulatur.

Rainald. an. 1342. n. 24

18. Felix itaq; exoptatusque Regi pietate cõspicuo, & annos octoginta circiter nato, post longam annorum seriem, ac Regni bene administrati laudem vitae finis obtigit, adeò vt ipse tanquam sibi bene conscius, nec ob mortem sibi impendentẽ tristis visus sit aliquando, nec minimè de futuro discessu trepidaret, aut angeretur; sed seipso, ac fato superior, mortem, vtpote Deo addictissimus è proximo laetus aspiceret, expectaretque festiuis vltro vocibus, quod rarò Viris in Regiae potestatis culmine constitutis accidere consueuit. Sed extremã ipsius vitae periodum cõdignis à Petrarcha descriptam notis, si libet, hìc, excipiamus: *Decubuerat* (inquit) *corpore quidem languido, sed animo alacri, et infracto; nullus dolor, nulla consternatio, nullus egrediendi metus, nullum manendi desiderium in illo presertim habitaculo, vbi tanto cum honore permanserat, corporis ergastulo: artusque satis fatiscentes velut totidem libertatis suæ vincula cernebat; arebat cutis, et vitalis calor infrà senile pectus iam redactus, assiduè accrescebat: ingeminabant morbi, rarescebant spiritus, transibat dies vltimus, extrema hore tempus instabat: nullę interim querelę, nullæ ipsius lacrymæ fluebant, cum alienas abstergeret. Sentio, quid argutus nunc lector obijciat: Fortitudinis hoc potius, quàm sapientiæ videri. Non inficior, non contendo, sciens et virtutibus inesse cognationem quandam, et nunc ipsum, de quo loquimur omnibus vsque in miraculum abundasse. Hoc sanè, quod sequitur ad hoc; quod per tot præambula tendebat stylus sapientis, et vniuersa circumspicientis, atque in extremis solito iudicio feruentis animi signum est. Quid enim prohibet, quod in singulis, vel Regibus, vel Philosophis miratur antiquitas, in hoc (dicendum est enim sepius) et Rege simul, et Philosopho pesteritas admiraris.* Hinc Regium planè Roberti animũ terrenis cunctis, se ipso, ac vita pariter excelsiorem admirari fas est; qui dum Christianum hominem, nedum Philosophum seriò ageret, pro aeternis bonis temporalia isthaec despiceret, & ad mãsura in Coelis Regnorum praemia festino gradu properans, terreni sceptra culminis nauseabundus relinquendo cotẽneret.

Felix ipsius post vitam piè exactã obitus.

Rainaldus vbi supra an. 1343. nu. 70.

Franciscus Petrarcha rerum memor. lib. 2. pag. 60.

Egregiè ipsius in morte constantia à Petrarcha describitur.

Vita ipsius & mors admiranda.

Petrarcha vbi supra.

19. Sed quæ optatissima ipsi sub finem, quæue acerbū corporis languorem leuabant, decedenti acciderint, eodem narrante, videamus. *Nouerat (ait) se suis esse charissimum, seque id meritum gaudebat; quibus grauissimum se mærorem relinquere certus erat. Videbat adolescentulos Regni successores, et ætatem multis obiectam periculis verebatur, nouerat sacrum religiose coniugis arcanum, fugam è sæculo illo adhuc superstite meditantis. Tutò quidem poterat illustri fæminæ Regni pondus committere, poterat illi animo superædificare quantumlibet fundamenta non deerant nisi ipso, quod euentus docuit, quamuis miserata casum publicum, saluti propriæ succurrere maluisset, seque post sepulchrum tanti coniugis, mox intra sacros parietes Monasterij sepelisset, ad altiora suspirans. Hoc muliebre propositum iampridem cognitum, multa voluentis animum angebant, quis habenas rerum post se flecteret, quis Regnum status acciperet, circumspiciebat scopulos, meminerat procellarum, et ab Aquilone, et ab Austro; venturasque præsagiēs tempestates, gubernator egregius clauum commissurus inexpertis, quid mirum si sollicitudinum variarū fluctibus æstuabat. Tot difficultatibus rerum, quæ vegetum licet, ac validum fatigare debuissent, moriens indefesso animi vigore consuluit. Primum omnium flentes, at eius conditionem miserantes, magnificè castigatos docuit, nil sibi triste, nil asperum, nil miserabile, nil nisi suaue prorsus, & iucundam mortē contingere. Satis se iuxtà Cæsaream sententiam, vel naturæ vixisse, vel gloriæ: optare se iam ex corporis statione discedere, sperare ab hoc mortali solio progressum ad stabiliora Regna proficisci: Minimè itaque lugendum, sed omni gaudio prosequendum iter suum.* Quid verò tam bene composito ad virtutem, ad mortem, immò ad immortalitatem animo dignius? quid præcelsius? qui è Regno haud cum lacrymis, immò ridens, & cum gaudio abiret? Sed interim, quæ idem Auctor subinfert, excipiamus. *Quid multa (inquit) sic omnium gemitus oratione compescuit, sic omnem misterum mortis opinionem ex audientium pectoribus extirpauit, vt nunc vsque se se felices arbitrentur, quibus illum ex ipsa morientis cubiculo vllas Philosophorum scholas præferant. Demum aduersus singula, quæ terribilia prouidebat, accommodata remedia, veluti prætitura venenis antidota dictauit, Regni gubernacula successoribus, quos Matrimonio iunxerat, tradidit identidem admonens: Hoc istud consilio, hoc illud periculum declinate: Sic cum amicis, sic cum hostibus viuite. Hæc & alia similia cum solita, & aucta magis Maiestate dixisset, tota mente in Deum versus expirauit, & è corporis vinculis lætus excessit. O felicem, perfectamque sapientiam, inter mortis angustias cum cæteris hominibus nedum rerum externarum; sed sui etiam ipsius vix vlla superest memoria, ità superstites consolari, tanquam non ipse, sed hi morituri sint: ità res suas disponere, ceù rus peteret, non sepulchrum. Et Regno quidem in longum consuluit, modò voces abeuntis animis inhæserint; nec (quod multum vereor) externis vita consilys euanescant.* Hactenus ille, quibus Roberto iustis, concinnisquè laudum præconijs, nec tam verbis, quàm præclaris virtutum titulis parentasse, absolutamque numeris omnibus Regis omni ex parte imaginem viuis adumbrasse coloribus visus est. At ipsius corpus in Monasterio S. Claræ ab eodem constructo, bonisquè amplissimis locupletato tumulatum est. Porrò Rex iste Ecclesiæ fuit studiosissimus, religionis, prudentiæ, scientiæ, omniumque virtutum laude clarus, vt passim scriptores testantur, cuius solemnis illa, ac digna posterorum memoria vox fuit vt Mariana tradit: *Dulciores videlicet sibi literas regno esse*. Illum insuper Petrarcha satis nunquam meritò laudans ait: *Fuisse & summum Regem, & Philosophum, nec Regno, quàm literis clariorem: Quem vnicum (inquit) Regem, & scientiæ amicum, & virtutis nostra ætas habuit.* Et hæc sunt, quæ nobilissimo Regi virtutum, ac laudum monimenta Scriptorum stylo insculpta statuimus.

21. Tanti denique pia eleemosynarum commercia emolumenti sunt, vt sua Cœlo lucra pauperum manu inferendo, certam exercentibus mercedem afferant: quo illud solemne verbum adimpleatur: Quid scilicet *Eleemosyna dāti magis prodest, quàm accipienti*. Quod quidem Augustinus Mannus allato sic exemplo confirmat.

Quibus sub finem a se ipsum reuelabat.

Vxor ipsius quantæ virtutis, & prudentiæ.

Se ipso, ac sæculo Rex superior, lætus mortem excipit.

Ereneasicut. Petrarcha vbi supra.

Adstātibus lacrymas inhibet.

Quid summa cum laude sub extremā vitæ periodum præstat.

Moritur, qua sād immortalitatē nō ad mortem propelans.

Io. Villan lib. 11 cap. 9. Sub initio.

Mariana lib. 16. cap. 11.

Dulciores Regno illi fuere literæ ex Mariana

Petrarcha vbi supra.

Eleemosyna dāti magis proficit, quam accipienti ex Augustino.

August. Mannus lib. select. hist. cap. 48.

inat. *Marcus Colignus* (inquit) *eius Florētinus referebat de Auo suo, quòd Vir quidam pauper furatus fuerat ei pallium pretiosum penuriæ tempore, quod cum ei manifestatum fuisset, & posset furtum ex manibus deprehensi furis abripere, noluit; sed iussit famulum suum obseruare, quònam pallium ferret, & quid de eo faceret. Famulus autem obseruans vidit furem vendentem pallium, & de pecunia ementem panes. Erat autem magna annonæ caritas anno illo, & fur ille fame discruciabatur. Quapropter non solum pallium illud recuperare noluit, sed ad domum furis panem, & triticum vltrò transmisit. Creuit autem taliter eius pietas, & in egenos commiseratio, vt cum alio tempore Florentini magna panis vrgerentur penuria, misericordia motus ipse solus plusquàm quatuor millia pauperum sumptibus suis pauerit. Saturabantur illi in indigentia sua, sed non saturabatur ipse in beneficentia sua, semper quærens, quem pasceret.* Hic cum aliquando in morbum incidisset, & *morti proximus esset, apparuit ei veneranda mulier, quæ exitum eius obseruabat. Eo autem vita functo, amplius non apparuit. Opinati sunt nonnulli mulierem illam fuisse B. Martam Lazari, & Magdalenæ sororem &c.* Sic plane profusa hominis in pauperes charitas, eiusque in elargiendis eleemosynis pietas tandem sub vitæ finem irremunerata non abijt.

Florentini in pauperes mira charitas.

Alit tempore penuriæ quatuor millia pauperū.

Felix ipsius mors.

22. Quoniam igitur *Misericordes* (vt Christus inquit) *misericordiam consequentur*, qui futiles, ac instabiles, & perituras sæculi diuitias in pauperes erogant, quo permansuras sibi thesaurizent in Cœlo, nonnisi feliciter tandem diem claudunt, vt idem Mannus sic tradit. *Referebat nobis* (inquit) *Episcopus Tudertinus Angelus Cæsius, qui per triginta prope annos illam Ecclesiam gubernauit, etc. fuisse in Ciuitate Narniæ Virum quendam laicum, nomine Theodorum Cardonem, qui mirum in modum delectabatur exercere se in pietatis actibus, visitando eos, qui in carceribus tenebantur, et agros in infirmitatibus suis, et si quos dissidentes, et discordes esse rescinisset, inimicitiæ causa illud procurabat, vt ad amicitiam, & pacem reuocaret. Visitabat quotidie Capuccinorum Monasterium. Præsertim autem in hoc totus erat, et magna animi alacritate operam dabat, vt pauperes, et egentes viros, et familias*

Matthæi c. 5

Augustinus Mannus lib. select. hist. cap. 466.

Theodorus Cardonus Vir pius valdè in cuiusuis conditionis homines.

fame laborantes, qua poterat, charitate reficeret. Quapropter eleemosynas perpetuò largiebatur, et sicut alter Nicolaus Myrensis Episcopus secretà noctè obambulans vicos Ciuitatis, in pauperum domunculis per fenestrellas pecuniam introrsum proijciebat, sub aut valuas per foramē, per quod feles ingredi, et egredi solent, panes aliquot ponebat, vt de mane surgētes pauperes, panis benedictionem reperirent, et famem pellerent. Ecce quomodò Viri in sæculo viuentes, si sint humiles, benigni, et deuoti, rapiunt Cœlum, & disponunt sermones suos in iudicio; vt non commoueantur in æternum. Et certè non nisi felix, faustusque Viro misericordijs pauperum, & eleemosynarum largitione prædiuiti vitæ finis iuxta Diuinum oraculum contigisse potuit.

Eleemosynis S. Nicolai Myren Episcopi exemplo pauperes clam iuuat.

23 Et si quidem Charitas, quæ totum humani sibi cordis imperium vendicat, cunctis ità virtutibus præcellit, vt suo omnes iuxtà Hieronymi verbum, valore transcendat. *Charitas* (inquit) *nulli rei comparari potest. Dilectio pretium nō habet*; adeoque tantum quisque apud Deum virtutibus proficit, quantum cæteris charitate præeminent, ac feruor dilectionis in Deum suam, non nisi à feruore charitatis in proximos mensuram accipit. Quapropter meritò prælaudatus sapientissimus Ecclesiæ Doctor hominem Dei amore ditescentem demiratus aliquādo, ipsius quoque præferuida in proximos amoris studia prædicando extollit. *Laudent* (inquit) *cæteri misericordiam eius, humilitatem, fidem: ego ardorem animi plus laudabo.* Quod sanè anteacto sæculo in plerisque nobilium Romanorum in ipsa virtutum scho'a, sub S. Philippi Nerij Congregationis Oratorij Fundatoris magisterio mortalium oculis, & præcipuè in Martio Alterio, dignissimo Clemētis X. Patruo ad vitum mirificè affulsit, qui inter cæteros, Pamphilios videlicet, Crescentios, Astallos, Patritios, Maximos Molarios, ac Vitelleschos, vitæ innocentia, ac illibatis moribus dignum de se Vrbi exemplum præbuit, de quo isthæc Antonius Gallonius in Beati Philippi gestis: *Martius Alterius Romanus (qui Paulo Tertio Pontifice relicto seculo, Christo, magno, fortique animo se adiunxerat) dicere solitus erat, Lætitie*

Hieronymus in epist. ad Fabiolam

Charitas nullius rei pretio æqui paratur ex Hieronymo

Hieronymus vbi supra.

Martius Alterius Sancti Philippi Nerij discipulus quantum charitate nobiles inter Romanos sub ipsius disciplina in Spiritu profecit.

titie

titia, *cùm in Philippi cubiculo esset, perfundi*, *vt id cubiculum*, *iam non sibi cubiculum*, *sed Paradisus quidam terrestris esse videretur*. Peruenerat is ad eum Sanctitatis gradum, *vt de rebus Diuinis ex nimia spiritus affluentia Moysis instar loqui vix posset*. Quibus verò Vir tantus ad sublimem adeò mentis statum virtutibus pertigisset, larga profectò, ac profusa iugiter in Christi pauperes manus palam cunctis ostendit, quibus pretiosas ipse domus, ac rerum sarcinas ob leue Christi iugum, & vt Christi magis, magisque amore ditesceret, vltrò, libenterque elargiendo distrahens cum nullam, vel in lectulo iacens præ nimio amoris æstu requiē adinuenire posset, se ipsū terrenis cunctis, graui velut onere expoliare præroptans, illa meritò Apostoli verba vsurpabat: *Omnia arbitror*, *vt stercora*, *vt Christum lucrifaciam*; Sed ipsi pro condigno charitatis elogio ipsiusmet Auctoris verba hic dignissimè occinunt: *Ea* (inquit) *erat præterea in pauperes pietate*, *vt stragula*, *quibus ad lectum*, *in quo cubabat*, *vtebatur*, *ipsis tribueret*. Sic planè pro misericordia in Christi pauperes, & eleemosynis, supernis charismatum è Cœlo donis, nō secus ac lutum, isthæc ac arenam exiguam computabat. Cuius item Petr. Iacob. Baccius tum in Deum, tùm in proximos his planè verbis charitatem meminit: *Philippo* (inquit) *addictissimus etiam fuit Martius Alterius Romanus*, *qui eiusdem disciplina tantum profecit*, *vt præ spiritus redundantia de rebus Diuinis verba*, *verba inquam vix facere posset*. *Tanta insuper misericordia in pauperes*, *vt etiam lecti culcitram erogauerit*. Haud irremunerata igitur eiusmodi apud Deum largitas, nec sine vberi gratiarum fœnore abijt, cui pro terrenis superna cœlitus iuxta Diuinum Christi verbum respondebant. *Date*, *et dabitur vobis*, *mensuram bonam*, *et confertam*, *et coagitatam*, *et supereffluentem dabunt in sinum vestrum*. Quò enim magis sua pauperibus dabat, eo amplius Diuina quotidie spiritu ditescens accipiebat; adeo vt suis propemodum eleemosynarum meritis gentili suo AEmilio Alterio (qui nunc Clemētis Decimi insignitus nomine in Petri Throno sedet) iam tum præcurrendo, & supremam dādo Apostolici culminis visus sit sub hæc planè tempora promeruisse dignitatem; Qui & demū non nisi Deum pro sua iugiter hæreditate suspirans: *Mihi viuere* (vnà cum Apostolo aiebat) *Christus est*, *& mori lucrum*; adeoquè sibi, ac mundo inter viuendum præmortuus desiderium habens, dissolui, & esse cum Christo virtutum diues meritis cum Deo semper victurus immortalitatem adiuit; De quo hæc satis.

24. Opportuna demum hìc vel obiter nobis Dionysij Per Augustini Congregationis Oratorij Camerinensis inter Laycos præcipui mentio recurrit, qui licet in laycali statu; Diuinis tamen virtutibus, & charitate præsertim in pauperes eum in modum sub hæc nostra tempora in sæculo præfulsit, vt ipsi meritò eiusquè charitati Diuina Iobi verba occinerent: *Quia ab infantia* (inquit) *mea creuit mecum miseratio*, *& de vtero Matris meæ egressa est mecum*. Sic enim charitati in primis, ac humilitati fuit hic vnus perpetuò addictus, vt Diuum Franciscum Assisinatem magnum totius Ecclesiæ lumen imitatus, nedum in laycalis vitæ gradu humilitatem sectando permanere; sed & illud insuper o tenuis adhuc ætate, menti fixum haberet, ne vlli vnquam pauperi eleemosynam poscenti denegaret, quin & panem sibi, & & obsonia puerulus adhuc subtrahens, secretò pauperibus elargiretur, adeoquè cum Pater ipsius mercaturam exerceret, longè sublimiorem ipse aliam sibi iam tum largiendo præscripserit, iuxta Crysostomi illud verbum: *Mercatura* (inquit) *& negotiatio tua Cælum est*. *Da pauperibus*, *& accipe Paradisum*, *da parua & magna suscipe*; cuius quidem mercaturæ opera, pauperibus erogando adolescens optimus, & miserandi genere in dies maximè proficiens, non secus, ac expeditum præ manibus, quæstum nactus, mira suis charitate lucris incrementa excogitabat; Enimuerò à Sodalibus interdum eiusdem ætatis adolescentibus vel nolens ad ludum aliquando ex more inuitatus, immò ad ludendum cōpulsus, mox omnem, quam ludendo lucratus erat pecuniam, liberali manu in pauperes erogabat, lætus adeò, & diues eiusmodi lucro, ac si immensos fuisset

Marginalia:

De Deo Moysi instar præ feruore vix loqui poterat, & vt pauperes tegeret, seipsum nudabat.

Aut. Gallon. B. Phil. c. 36.

Diuitiarum contemptor ac Dei amādi, fruendique percupidus.

Petr. Iacob. Baccius lib. 1. cap. 11. num. 8.

Quo plus in pauperes profusus, eò magis supernis cumulatus donis.

In suis posteris & in Clemente X. Martij charitas à Deo in præsens remunerat.

Pfal. 116.

Iob. cap. 31. v. 18.

Dionisius Per Augustinus ab infantia erga pauperes mirificè pius, ac beneficus.

Chrysost. hom. 6. de Pœn.

Puer inhitatus ad ludendum ludi lucrum pauperibus elargitur.

fuisset pecuniarum thesauros elucratus, & vel ingens tunc detrimentum se facere arbitratus, cum poscenti quid daret inopi, ad manus non haberet; egregiè etenim iam tum Augustini magisterio in charitatis schola dignus Christi discipulus illud didicisse videbatur, *Da* (inquit) *homo pauperi terram, vt accipias Cœlum*: Da *nummum, vt accipias regnum; da micam, vt accipias totum*. Totus itaque à primis annis sic eleemosynis dandis intentus, nonisi super affluentem retributionis à Deo mensuram, ac mercedem pariter prouidus sibi in Cœlis parabat, illis suæ tum mentis, tum operis propositum verbis aliquando testatus, cum diceret: *Suam quidem* (si de Christi pauperibus agitur) *ipsis vltrò ad fundum vsque perpetuò patuisse crumenam*. Profusam verò istius, cum adhuc adolesceret charitatis liberalitatē demirata aliquandò Mater, ipsiusque impensè manibus benedicendo: *Quoniam*(inquit) *fili mi adeo te liberalem, ac dando munificum video, oro Deum, vt tibi haud vnquam danti desit pecunia*. Quod ipsa postmodum experimento diuinitus comprobatum didicit. Semper iuxta Matris verbum, se pecunijs posthac redundasse affirmans. Quæstuosæ igitur Vir Dei Eleemosynarum mercaturæ potius, quàm mercatoris arti intentus nedum egenis pecuniam, sed & se ipsum insuper vestibus interdum expolians, vt nudum Christum in paupere vestiret, nudus ipse cunctis fieri præoptabat. Adeòque haud semel pallium, vestem, ac pileum pauperibus in via occurrentibus dedit, solis interdum lineis fœmoralibus, ac sine pileo, nudoque capite domum regressus. Sed haud illi proprijs se vestibus pro Christo nudanti à molestiā frigoris fuit aliquando timendum, cum intus charitate succensus nullam prorsus sentiret iniuriam, ipsisque illud Sapientis verbum occineret: *Manum suam aperuit inopi, & palmas suas extendit ad pauperem, &c. non timebit domui suæ à frigoribus niuis; Omnes enim domestici eius vestiti sunt duplicibus*. Ipsum namque Christum in paupere diligendo, suum sic in ipso meritum duplicabat, ne eius vnquam charitas refrigesceret, ac illius proinde præmium tulit, vt inter pauperum eleemosynas benedictionibus dulcedinis cumulatus, Diuinis consolationibus redundaret. Porrò charitas, quæ in ipsius semper corde flagrabat, illius ignis ad instar, quem in suo semper Altari Deus illibatum seruari præceperat; *Ignis* (inquit) *in Altari meo semper ardebit*, vt alios quoquè suo feruore succenderet ad opportunè miseris subueniendum sublata suis humeris ligna hyberno tēpore ad fœminarum pauperum, ac pupillorum domos, dum molestius instaret frigus, haud semel S. Franciscæ Romanæ viduæ vestigia æmulando deferenda didicit, & quantocyus inde se proripere, vt charitas humilitati iuncta, & ipsos, quos iuuabat, B. Nicolaum Antistitem imitando, lateret, ac solum, qui videt in abscondito, Deum, testem simul, ac munificum haberet in Cœlis remuneratorem.

August. tract. de eleemosynis.

Profusa ipsius in Christi pauperes liberalitas.

Mater ipsius liberalitati, à Domino mercedem precatur.

Vestibus se, ipsū exuit, vt pauperes vestiat.

Prou. c. 31.

Prou. c. 31.

Diuinis cōsolationibus pro eleemosynis à Deo cumulatur.

Leuitici c. 6. v. 12.

Ligna hyberno tempore humeris noctu ad pauperū domos defert.

Præferuidæ igitur charitatis vi, quæ nouis in dies incrementis proficiebat, sic Vir Dei agebatur, vt totus iam charitas, ipsiquemet Apostolo (de quo istæc Chrysostomus habet) iure, & ipse comparandus videretur: *Paulus*(inquit) *charitate succensus totus factus est charitas*. Adeoque ipse ad subueniendum factus omnibus omnia, nullum à se abire vacuum aliquandò permittens, tum viduis, tum orphanis, tum puellis, tum nuptis, & tum sanis, tum infirmis, & in carcere detentis præstò semper fuit; adeo vt communis omnium appellari Pater meruerit. Extat Camerini Monasterium eius potissimum opera, ac studio erectum, in quo fœminæ poenitentes (& quæ conuersæ vulgo dicuntur) ingenti numero redactæ prouidam Dei manum, ac sollicitam Dionysij operam, longo sūt iam tempore expertæ: Ab ipso quippè pro ipsis alendis sollicito quidquid ad victus, & vitæ vsum ipsis necessarium foret, homine alioqui haud diuite, opportunè accipiebant; In foeminis verò eiusmodi alendis, totus Deo, eiusquè prouidentiæ præfidenter adeò inhærebat, vt cum aliquandò grauior instaret necessitas, nec eleemosynæ insuper ad manus suppeterent, ipse ligneam quandam Christi Domini è cruce pendentis, ac vulneribus toto corpore saucij, ac satis liberaliter plagis cruenti inter

Chrysost. hom. 3. de lib. Pauli.

Pauperum Pater vulgò à cunctis ob eleemosynas dictus.

Monasteriū pœnitentiū Fœminarū eleemosynis sustentat.

inter supremas loci angustias, sic fiducialiter alloquens: *Tuum est nunc* (aiebat) *ò Iesu bone fœminarum istarum inopiæ, quæ ipsis ad vitam necessaria sunt, & vt hactenus, fecisti, suppeditare; Hæ quippè hìc tibi deseruiunt, tuoque singulæ sub patrocinio degunt; earum ergo omnimodam tibi curam relinquo, ego enim, vndè eas pascendo sustentem, haud habeo. Fac tu secundum bonitatem, & misericordiam tuam cum ipsis.* Quibus à Dei famulo magna fide prolatis vas quoddam, quod prædictæ imagini substabat, nummis haud semel ad summum vsque refertum, summa omnium, qui rem sciebant, admiratione apparuit, vt piæ cuidam Columnensium Procerum fœminæ Monasterium inuisenti prædictam imaginem ostendens ac prouidam, paternamque Dei in foeminis illis alendis curam conceptis aliquandò notis, suamque in ipsum fiduciam ipse verbis expressit. Qua propter cum Pistor ob panem Monialibus ad quotidianum vsum aliquandiù exhibitum, pecuniam ab eo peteret, nec soluendi facultas suppeteret; rē Dei curæ committens videntibus tum quidam repentè affuit, qui tantundem pecuniæ, quantum Pistori debebatur tacito eleemosinam exhibentis nomine, ipsi admiranti persoluit. Quod & haud semel in eiusćemodi necessitatibus, Deo præsidenti contigit; Illud autem admiratione dignum quod cùm magis vrgeret inopia, nec ipse eleemosynam ab aliquo Ciuium peteret, opportune tamen à pijs hominibus eleemosyna nunquam deesset, vt ipsemet his aliquandò verbis in sua ad me, mei vt potè amicissimus, rescribens epistola sic testatur: *Scias velim* (inquit) *quòd ego nec eleemosynas peto, nec quemquam in nostra Ciuitate, aut foris ad procurandas eleemosynas mitto. Sed totus Deo præfidens, prouidam, liberalemque satis ipsius manum experior; & ne gratis id proferam totus à prouida Dei, haud hominum manu pendens, vltroneas quoque piarum eleemosynarū oblationes haud semel Diuino præsidens auxilio respui; adeoquè cum Alphonsus Eminentissimus Cardinalis S. R. E. Litta, Archiepiscopus Mediolanensis* (*qui magni eum semper fecit*) *conceptis iureiurando verbis etiamsi decem millium nummorum aureorum pro pijs expendis operibus, debitum aliquando contrahi opus fuisset, se totam pecuniæ summam ad minimum vsque quadrantem pro meo statim libitu exsolutarum vel suo scripto fidem chirographo oppignorasset, ego charitatem ipsius admirans, & à Deo retributionem precatus chirographum prædictam laceraui. At ille haud impressæ in proximos charitatis exhibitione contentus, aliam iterum ad me, quę ampliorem, ac indefinitè loquendo pecuniarum pro eleemosynis summam continebat, apocham Mediolano transmisit, quam ego acceptam, debitas Deo, & ipsi gratias referens, ad ipsum remisi; qui, & iterum rescribendo, ratamquè piam exhibitiobem volens eandem ad me iterum apocham suæ in pauperes charitatis, nec non sui item in me amoris testatissimo futuram argumento direxit, & ego vt supra à Deo ipsi dignam mercedis retributionem precatus, conscriptam ab eo paginā lacerando apud me extare haud volui. Idem planè mihi olim cum Illustrissimo Præsule Stephano Saulio, mei amantissimo contigit qui cùm ingens aliquando pecuniarum pondus, meoque pro libitu expendendum transmisisset, totam deinde mane pecuniam ad ipsum, ipsius manu, haud mea expendendam condignis exhibitis gratijs, retuli. Nec alij quoquè plures numero desunt, qui pecunias in meum aliquando cubiculum clam deferentes meo easdem arbitrio expendi volebāt, quod ego constantissimè facere recusaui, illis planè vsus verbis. Ego quidem* (*inquit*) *ad Deum trahere hominum animas libenter volo, non autem pecunias hominum ad me attrahere.* Sic ille. Vir igitur Dei cum tam à petendo alienus, & in oblatis sibi recusandis pecunijs constans persisteret, totquè pijs manum operibus admoueret, summæ cordatis quibusque viris admirationi fuit, qui rem nonnisi miraculo adscribētes affirmabant, quod nisi è Cœlo ipsi pecunia prouenniret, talia, ac tanta pauperum subsidio præstare tamdiu minimè potuisset.

Porrò charitati Vir pius adeò, & misericors ac patiendi cupidus pœnitentiæ insuper, ac patientiæ virtutes mirificè iunxit; vt Deo magis, magisque se ipsum exercendo, placeret. Macerando itaque se ipsum ieiunijs, assiduè vacabat, adeoque ter in hebdomada solo pane, & aqua contentus à reliquis cibis penitus abstinebat

Marginalia: Fiducia ipsius in Dei prouidentia. — Eleemosynas & si nō petat, his tamen semper abundat. — Eminentissimus Alphōsus Cardinalis Litta Mediolanen. Archiepiscopus eleemosynas subministra — Se non tam pecunias ad se, quàm ad Deum animas velle trahere affirmat. — Austeritas vitæ, & patiendi desiderium.

nebat, pro delicijs verò, & vt alios, haud se ipsum falleret, & nè solo pane, & aqua ieiunans crederetur, & quo id ipsum veraciter posset asserere, absynthij folia obsonij adinstar gratissimi inter manducandum addebat; reliquis verò diebus, cum aliorum cibis de more vteretur, appositas sibi carnes, absinthij puluerem respergendo dulcorabat, cautè adeo, vt qui ipsum manducantem videret, pium ipsius studium non aduerteret. Feria autem sexta, Dominicæ memor Passionis pani, vt spiritui haud palato carnis amarescendo saperet, fel adijciebat, quo planè modo ingeniosus pœnarum Christi imitator, ac pœnitentiæ insuper exercēdę percupidus; quotidianam ferè à cōsuetis aliorum cibis abstinentiam, haud à pœnis sibi indictis aliquando abstinēs, ieiunātem semetipsum tegendo seruabat, Quo illa ipsi aptè Hieronymi verba saperent: *Cibus* (inquit) *illi ieiunium fuit.* Sed illud magis, magisquè in ipso mirandum, quòd iam senex, & laboribus ferè consumptus, hanc sibi præscriptam ieiuniorum legem inuiolabiliter seruaret. Nec his contentus flagellis insuper corpus rigidè, in seruitutem redigens vel octogenarius sic affligebat. Quin & feria sexta Christi patientis memoriam recolens, funiculis semel atque iterū acerbè se ipsū plectebat; A feria autem quinta, cum Dominica ex solemni instituto Cœna in Ecclesia recolitur, vsque ad Sabbathi Sancti diem, totum illud ieiunus omninò tempus transigens, ferreo insuper asperrimo cingulo, eo præsertim tempore carnem inter ieiunandum fouebat. Porrò, nè vllam daret fesso post diurnos labores corpori requiem, nec somnum aliquandò absque tormento sumeret, omnē abijciendo à se lecti mollitiem culcitræ, in qua cubare consueuit, rudia quædam, & saxis aspera, vt durius quiesceret, ligna supponēs, sternendo sibi lectulo adhibebat. Itaquè Christi famulus, suiquè iuratus hostis suum iugiter castigabat corpus, vel ipsam dormienti requiem denegans, ac pœnis insuper vel in lectulo durius pertractans. Et cum nec ad momētum otiosus aliquandò persisteret ad coq; multa solus ipse plurium Laycorū munia obiret, & Cuoquinæ item vacans, defatigatusquè eum in modum vesperi; vt amplius pedibus stare non posset, semper tamen lætus, vegetusq; semper apparuit, conqueri vix aliquando obauditus, ac nullam vel requisitus, rogatusquè, oblatam sibi à Superioribus indulgentiam admittens, quo illa ipsi verè Apostoli verba congruerent: *Abundantius* (inquit) *illis omnibus laboraui.* Qui demum à Deo ad mercedem laborum euocatus, forti, inuictoquè animo, ac laborandi desiderio ad vltimum vsque diem diues, cùm mortis diem præsagiens, iam multis palam prænunciasset, die 27. Octobris, Salutis Anno 1665. ætate octogenarius paralisi correptus plenus dierum ęternitatem lætus adiuit, Camerini in pace obdormiens. Magnus autem totius populi, & confluentium ex varijs circumadiacentibus locis ad ipsius cadauer inuisendum, venerandumquè concursus factus est singulis eius charitatem, ac virtutes certatim prædicantibus; Nec verò è Cœlo defuit, apertis quoque signorum, vt in Episcopalis fori tabulis constat) ipsius meritis testimonium, ac ipsius res reliquiarum ad instar certatim à confluentibus habitæ sunt, cunctis ferè haud alio ipsum, quàm communis pauperum parentis nomine appellantibus. Corpus autem eius per dies aliquot insepultum, tandem in Patrum Congregationis sepulchro depositum est.

Austeritas vitæ, & patiendi desiderium.

Hieronymus in epist. 19. lib. 3.

Vel lectulo fessus recumbens, patiendi tamē cupidus.

1. Chorint. 15. 10.

Paralisi correptus octogenarius decedit.

Illud demum narratis hactenus subtexendum est, Dionysium videlicet tùm ob suauitatem morum, tùm etiam ob suas virtutes, viris quoquè principibus gratū, acceptumquè in primis extitisse, & ipsis præsertim S. R. E. Cardinalibus, qui ipsius vt potè virtutum conscij, magni hominem faciebant: Inter quos Cæsar Cardinalis Gherardus, Camerini olim Episcopus familiari ipsius consuetudine, & colloquijs adeò delectabatur, vt tùm largas ipsius manu eleemosynas daret, tùm ipsius quoq; in rebus cōsilia vltrò exquireret: Nec item ipsum, vel dum Coci officio in Congregationis Domo fungeretur, sæpè, ac sæpiùs in coquinâ adire, & per longas ibi secum moras trahere minimè dedignaretur; Quàm sapidè autē de animarum, ac salutis negotio hic præcunctis sentiret, ac loqueretur, verbum, quod Cardinali eidem Episcopo semel suggessit, satis ostendit. Isthæc enim ipsi

Ob vitę sanctitatem sapientissimis viris charus.

Quid olim Cardinali Episcopo animar negotiū inculcans dixerit.

ille aliquando: *Ego vltrò, libenterquè coquinæ munus exerceo,latus adeo, vt nulli, nec tibimet, qui Cardinalis es, & Episcopus, inuideam; meliorem quippè, ac tutiorem locum me sortitum arbitror. Enim verò, si vnam ex istis ollis meas inter manus cadendo perfringi contingat, paucis mox obolis emendo alteram prouidèo. At si Episcopi negligentia vel sola vnius animæ iactura fiat, illaque pereat, quam ipse Deo pro vnius animæ iactura cōmutationem dabit?* Quibus sanè verbis velut Dei oraculo suā Episcopus à Layco homine, ac sui tum muneris magnitudinē, tū ministerij periculū probè adumbratū intelligens, maximè reuerebatur. Io:Baptista item Card. Alterius & Camerini Episc. summopere ipsum diligebat. Fuit insuper Dionysius noster apprime charus olim Aemilio Card: Alterio præmemorati germano fratri, qui cum diu Camerinensi dignè, ac summa cum laude præfuisset Ecclesiæ, diuinasq; Viri probè virtutes nosset, ipsum vnicè semper dilexit, cuius sanè sapientissimo præ alijs quātum sit à sapientum cunctis deferendum iudicio, vel toti palam Christiano Orbi nuper diuinitus innotuit; dum post Clementis Papæ IX. obitū, à quo fuerat in sacrum amplissimum Ordinem cooptatus, diù ac, mature singulorum Patrum expensis in trutina meritis Dei tandem nutu, Purpuratorum votis, ac pleno meritorum suffragio, ad vniuersalis Ecclesiæ regimen, nulla prorsus interiecta mora Deo aspirante delectus, in Petri nūc Throno, Clemētis item X. ob innatam morum suauitatem nomine insignitus feliciter præest, quem suæ diù Deus Ecclesiæ cunctorum bono è Cœlo sospitem seruet. Cæsar quoque Cardinalis Fachenettus Dionysium, ob suas virtutes adeò diligebat, vt ipsum consultò adiens cum ipso libenter sermones misceret, & Camerinum frequēter ad ipsum inuisendum è Spoletina Vrbe accederet, ipsumquè vti Sanctum, viuentem adhuc coleret, acceptoquè mortis ipsius nuncio Camerinum se statim contulerit. Quanti verò ipsum, eiusquè virtutes faceret, his ad Cardinalem Franzonum scribens verbis testatur. *Ego (inquit) ipsum noui, ipsum dilexi, ipsum insuper sum admiratus. Elucebat in eo Christiana simplicitas, sed prudens apprimè; Rude quidem ipsi ingenium, sed Cœlesti diuinitus lumine mirificè illustratum. Ipsius valde præcellebat humilitas; Mortificationis virtus hominum verbis haud facile exprimi valet; Zelus verò, quo æstuabat, ignis animarum planè fuit, quo intus corde succensus absumebatur. Perpetuò demum Deo sibi, ac orationi intentus vacabat.* Quibus præmissis sic ipsum extollens, Epistolam concludit. *Infirma quidem elegit Deus, vt fortia quæque confundat.* Eminentissimus item Alphōsus Cardinalis Litta Mediolanensis Archiepiscopus frequenter ad ipsum tū literas, tū erogandas pauperibus mittebat eleemosynas, & quodcumque ipse pauperum gratia debitum contraxisset, se vltrò persoluturum, suam haud semel fidem conscriptis item epistolis oppignorando edixit, nec satis vnquam ipsius mirari, ac prædicare vel modò virtutes desinit; Qui ipsum dilectissimum sibi amicum nuncupans summo Dei beneficio adscribit, se intima ipsius in minoribus familiaritate donatum, & dignè ipsum celebrans hæc addit: *Cuius quidem (inquit) precibus multa à Deo me gratiarum munera obtinuisse fateor, ipsiusque monitis valde in his, quæ ad animam spectant, & proficere profectò me potuisse testor, si ys, vt par est acquieuisse.* Alios prætereo Præsules, doctosque Viros nobiles, & religiosos item, qui & Dei virum, ob eximias ipsius virtutes magni semper fecere. Sed iam noster Lectoris tædio parcens, illuc vnde primū discessit, sermo redeat.

Quid olim Cardinali Episcopo animarum negotium inculcans dixerit.

Aemilio olim Card. Alterio carus.

Epist. ad Car. Franzonum Episcopum die 21. Iunij 1669.

Quid de ipso itē Card. Litta.

Epist. ad Car. Franzonum die 22. Iunij 1669.

CAPVT III.

Pœnitentes ob exhibitam proximo charitatem, propitium in morte Deum sortiuntur.

1. CHaritas, quæ cunctarum Princeps Virtutum est, ac ipsum è proximo Deum attingit, tot, ac tāta diuinitus bona præstat hominibus; vt illud sibi pro merito inter virtutes elogio vendicet, quòd magna quæuis, vbi primum cordis hospitium subit, peccata aboleat, fœdamquè culpis decori pristino animam reddens, ipsam penitus sibimet innouando restituat, instauretquè;

Charitatis dignitas, & prærogatiua inter virtutes.

retquè: *Charitas* (inquit) *operit multitudinem peccatorũ*. Adeoque *per Charitatis largitatem* vt Magnus ait Leo, *aut peccatum vincitur, aut declinatur*. Quapropter Ioannes dilectus Christi Apostolus illud dignam vt pote charitatis prærogatiuam, & vnicam simul Christianorum vitæ tesseram proponẽdo agnoscit, vt si quis proximum diligit, se quoque diligi à Deo, ac Deo item se viuere pro certo habeat; si autem è contra Charitate destituitur, sublimioris pariter vitæ se luce orbatum intelligat: *Nos scimus* (inquit) *quia translati sumus de morte ad vitam, quia diligimus fratres*. Enimuerò qui charitatem Dei munere possidet, vitam quoque se proculdubio possidere, nec mortis, ac Tartari subesse tyrannidis iugo præsidit. Quapropter aptè in rem Augustinus: *Vnde scimus* (ait) *quia diligimus fratres? Nemo interroget hominem, redeat vnusquisque ad cor suum, si ibi inuenerit charitatem fraternam, securus sit, quia transiit de morte ad vitam*. Quod quidem verum adeò est, vt iure-meritò Apostolus charitate orbatos, vitæ simul expertes omninò renuncians, sic rem definiat: *Qui non diligit, manet in morte*.

Ioannis cap. S. Leo Papa ser. 2. de Ascens. Domini

Ioannes 1. cap. 3. n. 14.

Augustin. tract. in Ioãnem.

Charitatis dono fit vt, qui diligit proximum, à Deo quoque diligatur.

Ioannis 1. cap. 3. n. 14.

2. Ea autem Charitatis vis est, & sic grata, acceptaquè ad Deum placandum vnica ipsius oblatio, vt charitatem holocaustis, ac sacrificio longe Christus anteferendam edixerit: *Honorem suum* (inquit Chrysostomus) *Deus despicit, dum in proximo charitatem requirit*. Dignissima verò eiusmodi oblatio ad promerendam Dei gratiam, ipsi præ cunctis arridet, adeoque iuxta Chrysostomum: *Diligere proximum tanquam se ipsum maius sit omnibus holocaustomatibus, & sacrificijs*. Qua propter, *qui spirituum ponderator est Dominus*. Sic suis Christus charitatem inculcando cõmendat: *Hoc est* (inquit) *preceptum nouum, vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos*. Ad quod suum item egregiè Augustinus stylum inflectens: *Mandati* (inquit) *repetitio commendatio est, &c.* Charitatis verò subindè elogia magno mortalium emolumento subtexens, eiusquè merita extollens: *Vbi charitas est* (inquit) *quid est, quod possit deesse? Vbi autem non est, quid est, quod possit prodesse*. Ac si charitas cuncta

Chrysost. ho. 16. in Matt.

Charitas sacrificiorum oblatione ipsius Christi ore antefertur.

Ioannes cap. 13. 34.

Augustin. in cap. 15. Ioãnis

Charitatis, ipsiusque mãdati repetitio, commendatio est ex Augustino.

se ipsa præstet, at legi quodãmodo desit, quiquid charitati subtrhaendo, deesse contingit, adeoque apte Ioanaes Apostolus sic rem definiens: *Qui non diligit, manet in morte, quia in tenebris est*. Haud igitur vita, & luce dignus, proximi charitate; quæ animæ vita, & lux est, destituitur. Quapropter Christus seruo illi, qui debitor decem millium talentorum extitit, *non conuiciatur* (inquit Chrysostomus) *debitori, misertus fuit, quando verò is aduersus cõsocium crudelitatem exercuit, tunc seruum, ac seruum nequam appellauit*. At latro è contra Christi in patibulo socius, ac inter pœnas consors, præcipuo fraternæ charitatis merito sua apud Deum, Gregorio teste, lucra prouexit: *Charitatem Latro* (inquit) *in morte sua viuaciter tenuit, qui fratrem, & collatronem pro simili scelere monentem, & de iniquitate sua arguit, & ei vitam, quam non cognouerat, prædicauit*. Ingens quippè ergà proximum Charitas ipsi Paradisum pro mercede contulit, & meritò hic lucrando profecit; sui etenim oblitus, primum in alterũ egregiè charitatem dictis, factisque exercuit. *Ne tu* (inquit) *times Deum, &c.* nam vt optimè Chrysostomus narrat: *Suas* (inquit) *necessitates prætermittens, aliorum vtilitatẽ cogitabat, & Magister pẽdebat in Cruce, & sanis persuasionibus alium inuitabat ad vitam*. Hinc iusto Augustini calculo: *Nõ discernuntur* (inquit) *filij Dei à filijs Diaboli, nisi charitate, &c. Quidquid habes, si hoc solum non habeas, nihil tibi prodest*. Et postea subdit: *Habere* (inquit) *charitatem, & malus esse non potest*. Charitas igitur sola hominem Dei filium, & amicum ipsius renunciat; & qui charitate diues hinc exit, perennis proculdubio vita dignus, Dei plane calculo ostenditur: *Venite* (inquit Christus) *benedicti Patris mei; esuriui enim, & dedistis mihi mãducare, sitiui & dedistis mihi bibere*. Charitas itaquè haud misericordiæ operibus expers promptum, expeditumquè in Dei Regnum aditum sibi obtinet.

Vbi charitas est nihil deesse vbi non est, nihil pro desse potest.

Augustinus tract. 53. in Ioann. m.

Ioannis c. 15. 12.

Chrysost. hom. 62. in Matt.

Gregor. moral. 18. cap. 23.

Seruo absq; pecunia ad debita soluẽdum, dominua non irascitur sed ipsi absque charitate erga proximum regẽ dæ insultat.

Lucæ cap. 23.

Chrysost. hom. in Lucam.

Latro in Cruce oudus charitate tamen to alterum diues, Regnũ pro mercede lucratur.

August. tract. in Ioannem.

Charitas filios Dei, & filios Diabo li discernit ex Augustino.

Matthæi. cap. 25.

3. Vt dictis verò opportuna exemplorum auctoritas præsto sit, Placilla Augusta Theodosij Imperatoris vxor, cum bonis operibus, ac præsertim misericordiæ in pauperes exercendæ intendit,

Baronius an. 385. nu. 23

Placilla Augusta Theodosij vxor in Deum, ac proximum conspicua,

Qqq 2

gnus, cui post Carolum Magnum vix aliquis similis reperiri possit ex Regibus Franciæ. Hæc ille. At nos Regio ipsius tumulo, has sepulchralis tituli notas à Rigordo excerptas, haud ab re duximus inscribendas: *Anno* (inquit) *ab Incarnatione Domini M.CC.XIII. pridiè Idus Iulij obijt Philippus Rex Francorum illustris apud Castrum, quod vocatur Meduta. Qui sensu, & industria Vir prudentissimus, virtute strenuus, gestis magnificus, fama præclarus, victoriosus in bellis, ac triumphis multis, & magnis plurimùm gloriosus, ius, & potentiam Regni Francorum mirabiliter dilatauit, & regalem fiscum ampliauit in multis. Multos etiam præclaros Principes terris, militibus, armis, & opibus præpotentes Regno suo, & sibi grauiter aduersantes debellauit viriliter, & deuicit.* Hæc ille de Philippo, quem Galliarum Regni terminos dilatasse, multasq; ditioni suę Prouincias adiecisse Iordanus his verbis tradit: *Probitate mira, Regno suo multos adiecerat Comitatus, scilicet Viromanduensem, Bellomontensem, Pontunensem, Alonconensem, Cęnomanensem, Turonensem, Andegauensem, Pictauiensem.* Hæc Iordanus.

Rigordus in Chronic.

Ob insignes ipsius animi dotes laudādus.

Iordanus M S. in Bibliot. Vaticana.

Eius in bello singularis gloria.

14. His itaque à Philippo præclarè gestis, pietas, quæ Christianum in primis decet Principem, in ipso (vt Rigordus testatur) mirificè affulsit, ob quod tutum sibi è vita exitum cōparauit; hæc enim Rigordus de eo: *Ecclesiarum* (ait) *defensor maximus, & protector; Istam præcipuè Sanctam Ecclesiam, Sancti videlicet Dionysij specialis fauoris gratia, et quasi quodam amoris priuilegio fouit propensius, et protexit, et quē habebat erga ipsum dilectionis affectum, multoties effectus operis comprobauit.* Porrò ipse ab annis *teneris zelator fidei Christianæ vexillo Crucis affixo humeris, in sua iuuenili ætate contra Saracenos manu valida transfretauit, vbi in obsidione Acconitanæ Vrbis vsque ad eius consumatam debellationem, plenàmque recuperationem præclarè, & efficaciter laborauit: ac postmodum vergens in senium, proprio filio suo primogenito non pepercit, quin eum mitteret bis aduersus Hæreticos Albigenses cum magnis sumptibus, et expensis. Et in alia tam in vita sua, quàm in suo decessu multa largitus est ad eiusdem negotij Albigensis subsidium, et iuuamen. Præterea dando pauperibus, et dona plurima charitatiuè per loca varia dispergendo, eleemosynarum fuit largissimus seminator. Sepultus autem est in Ecclesia B. Dionysij, etc.* Rex igitur pietate in Deum, ac misericordia in pauperes clarus, opportunè suum bonorum operum subsidijs exitum præmuniuit.

Rigordus vbi supr.

Pro Dei obsequio ac Religionis cultu nullis in bello laboribus parcit.

Eleemosynarum munificus elargitor feliciter obit

15. Porrò Regi de Catholica fide optimè merito magna quidem pompa à duobus Archiepiscopis, ac viginti Episcopis exequias celebrari contigit, vt idē qui supra, Auctor testatur: *Qui Prælati* (inquit) *de mandato Domini Papæ, immò de ipsa totius, vt credibile est, ordinatione diuina pro negotio Albigensi tunc temporis erant Parisijs congregati. Missam autem exequialem celebrarunt simul Portuensis Episcopus, et Rhemensis Archiepiscopus, vna voce ad duo Altaria propinqua cæteris Episcopis cum Clericis, et Monachis, quorum aderat innumera multitudo, assistentibus, et eis respondentibus sicut vni. Inter quot adfuit, et Ioannes illustris Rex Hierosolymitanus, qui in Franciam venerat pro negotijs, et necessitatibus Terræ Sanctæ; præsentibus ad hoc inclytis prædicti Regis Philippi filijs, Ludouico primogenito, et Philippo. Sepè dictus autem Rex Philippus tale condidit testamentum. Legauit ad subsidium Terræ Sanctæ tria millia librarum Parisiensium, videlicet præfato Regi Ioanni centum millia, Hospitali Hierosolymitano centum millia. Datum est de suo Almarico Comiti Montisfortis viginti millia librarum Parisiensium, ad vxorem eius, et suos de Albigensi terra, et manu hostium reducendos. Prætereà dedit quinquaginta millia librarum Parisiensium pauperibus eroganda. Magnam etiam summam pecuniæ dicitur insuper erogasse.* Hæc ille. Ex quibus constat, ingenti ipsum eleemosynarum, piarumque elargitionum subsidio ad superna sibi Regna aditum, ac viam parasse, dum suum, sic præmunire Rex pijssimus è vita discessurus transitum voluit.

Rigordus vbi supra in Philipp. Franc. Rege.

Digno, ac solemni funere ab Episcopis decoratus.

Ioānes Hierosolymorū Rex, ipsius tūc exequijs in Gallia præsens.

Prius Rex pecunias in Dei obsequium moriens legat

Pecunia in pauperes ab ipso erogata

12. Porrò haud lugubres, immo gratulatorias super Philippi obitu literas Honorius Papa Ludouico Octauo ipsius filio scribens, meritò ipsum post mortem visus est laudasse, cùm ad meliorem sortem concessisse his verbis affirmat: *Ineffabilis* (ait) *prouidentia Diuinæ*

Honorius Papa gratulatorias Ludouico ob patris obitum literas dirigit.

Honorius Pa. [illegible]

næ profunditas, inclytæ recordationis Philippo Rege Francorum Patre tuo post laudabiliter dicta Regni terreni negotia, sicut firmiter credimus, ad; meliora vocato, te in eius solio collocauit vt te regnante pro ipso, ac eius pietatem, et iustitiam imitante, Pater in filio viuere videatur. Paternis itaque virtutibus, eiusque decessui satis nobile Romanus Pontifex testimonium exhibuit, dum ad vitæ Regnum pium adeò Regem transmeasse, idque se firmiter, constanterque credere affirmat. Quo autem argumento adductus id Pôtifex asserat, Gulielmo Britone narrante liquet, qui idipsum diuinitus præostenso visu innotuisse narrans, rudi rem metro exposuit, carminibus illis narrandi exordium faciens.

Gulielmus Brito lib:7. cap.187.

Tempore, magnanimi quo Regis humatio facta est.
Signina tunc Papa moram faciebat in Vrbe.

Cœlesti visu felix ipsius finis comprobatus.

Vir igitur (vt ipse habet, & Rainaldus in suis Annalibus refert) Iacobus nomine, Pontificij Pœnitentiarij hospes in ancipiti mortis discrimine extrema sacri olei vnctione delibutus, cum suptema fugientis vitæ suspiria penè traheret, cœlesti obiecto sibi visu mirificè releuatus est. In quo S. Dionysius purpurea decorus veste, atque ingenti circũfusus splendore, cui præibant Angeli albo amictu, & quem sequebatur Regis Philippi anima, ignea veste superinduta videndam se obtulit: Cùmque illi, se Dionysium esse, illum verò Philippum Regem, qui è viuis discesserat, atque in purgatorijs flammis ad sua expianda crimina tenebatur, aperuisset; iussit vt mox adiret Pontificem, admoneretque vt incruentum pro Regis anima Altaris sacrificium offerret. Expauescenti verò ad iussa, ac respondenti in extremo mortis confinio, nec vires, nec animum suppetere, ad ea Pontifici renuncianda; eo quòd timeret se delirantẽ, atque insanum habitum iri. Tunc Diuus Dionysius omnem ab illius animo metum blandis verbis amouit, ac pristinæ mox valetudini restituit: *At ægrum* (vt Rainaldus ait) *confirmatis viribus, morboque liberum exilijsse è lecto, et Pontifici visa retulisse, fidemque accepta diuinitus valetudinis argumento fecisse.* Hæc Rainaldus in suis Annalibus, qui Philippum Regem pœnitentiæ suffultum, Dei aspirante gratia, tuto è vita exitu decessisse affirmat. Sed de his hactenus.

Rainaldus an.1223. num. 38.

E purgatorij igne Philippi anima S. Dionysij apparentis ope vindicatur.

Aegrotus, vt visum facto confirmet, sanus mox, vegetusque è lectulo exiliens rem totam narrat.

Rainaldus vbi supra.

13. Magnam quoque sibi eleemosynarum præsertim elargitionibus laudẽ Henricus Angliæ Rex peperit, qui pietate erga Deum, ac religioso erga Christi Ecclesiam cultu adeò præfulsit; vt eius tuendæ causa arma sumere, inuictoque contra hostes animo dimicaturus in arenam prodire non recusauerit. Vbi verò Orientalis aduersus infideles, ac barbaros Hierosolymorum ex impijs manibus vindicandam ditionem solemnis expeditio instruebatur, cum ipse administrando tũc Regno adesse cogeretur, Eduardum filium S. Ludouico Francorũ Regi comitem iunxit; ipse verò nullis vnquam incommodis, laboribusque pro tuenda Religione fractus, pijs, ac laudabilibus suum è vita exitum operibus Deo commendans, mortalem tandem feliciter vitam absoluit, promeritisque cum viuens, tum mortuus præconijs cumulatus est: *Henricus autem* (cuius mentio hìc est) *lethalem* (vt Rainaldi verbis vtamur) *morbum contraxerat, cum post ictas de Noruuicensibus, qui immani sacrilegio Ecclesiam nobilissimam ex odio, quo in Monachos efferati erant, flammis exusserant, acceptas pœnas rediret, Sacramentisque Ecclesiæ communitus animam piè admodum Deo reddidit.* Hæc Rainaldus ex Vuestmonasteriensi, qui eundem quinquaginta sex annis, & amplius Anglorum sceptrum administrasse pronunciat.

Henricus Angliæ Rex eleemosynarum largitate præcipuus

Rainaldus an.1271.n.62

Rainaldus vbi supra.

Post sacrilegos iustè mulctatos piè obit.

14. Verùm laudatissimus Rex eleemosynis potiùs, quam Regijs infulis admirandus, & pietate magis, quàm sæculari potentia conspicuus, adeò profusæ in Christi pauperes liberalitatis extitit, vt Deus quamplures eidem viuenti victoriarum palmas miris planè modis contulerit, atque ab extremis rerum, ac vitæ periculis hominem pro sui gloria pugnantem ob singularem, quam præseferebat piæ, ac deuotæ mentis prærogatiuam haud semel eripuerit, in cuius laudem illud S. Ludouicus Francorum Rex edixit; *Eũ videlicet eleemosynis suis ab omnibus periculis ereptum iri.* Cuius diuini planè oraculi veritas tunc maximè

Pietate in pauperes præcellens à periculis inter bellandum seruatur

Ionuil. in vita S. Ludouici Francorum Regis.

S. Ludouicus eleemosynarum ipsius præco.

Leolini de ijsdē solem. ne dictum.

mè Christiano Orbi innotuit, cum inter hostium manus veniens, maximisque circumuentus angustijs ex ipsis saluus tandem, ac insuper cæsis hostibus rediens victor emersit. Cui item memorabile illud Leolini Valliæ Principis dictum occinit; *dum se magis Henrici eleemosynas, quàm ipsius exercitus pertimescere affirmaret*: Qui igitur totis visceribus super egenū, & pauperē intendebat, Deum sub vitæ finem, munificū remuneratorē habuit, ad cœlitum præmia ab ipso euocatus.

Vuestmonasteriensis in Flor. hist.

15. Verùm enimuerò Henricus quā pium se, ac religiosum iugiter exhiberet, & quam feruido deuoti animi affectu sacrosancto Missæ sacrificio interesset, quæ Vuestmonasteriensis in suis historiarum paginis affirmat, satis, superque testantur: *Hic Rex* (inquit) *quantum in artibus sæcularibus putabatur minùs prudens, tanto apud Dominum maiori deuotione pollebat: singulis namque diebus tres Missas cum nota audire solebat, et cum Sacerdos Corpus Dominicum eleuaret, manum Sacerdotis tenere, et illam osculari solebat*. Pius igitur Rex semetipsum, ac regias infulas pietate superans, quidquid Deo, eiusque obsequio in dies deferebat, haud satis vnquam suo muneri ratus, maiora in dies virtutum incrementa meditari non destitit. Verùm qui totum se sacrosanctæ, ac incruentæ, dum à Sacerdote peragebatur, altaris hostiæ, diuinisque recolendis mysterijs dicarat, cum à S. Ludouico ad sacras audiendas conciones inuitaretur, argutum illud, suaque dignum pietate responsum dedit, vt idem, qui & supra Auctor his verbis tradit. *Contigit aliquando, Sanctum Ludouicum Francorum Regem cum eo conferentem dicere, quod non semper Missis, sed frequentiùs sermonibus audiendis est vacandum. Cui faceta vrbanitate respondens ait, se malle amicum suum sæpius videre, quàm de eo loquentem, etsi bona dicentem audire*. Præsentia quippe Christi Domini, qua sacra altaris mysteria decorantur, se magis, quàm audito ipsius, sacrorumque eloquiorum verbo iuuandū, roborandumque ratus, sacris Missas eloquiorum sermonibus anteferendas edixit.

Sacrosancto Missæ sacrificio deuotissimè adstat.

Sacerdoti quotidie manum sacrificanti osculatur.

S. Ludouicus quid de missis, & quid de pijs sermonibus audiendis dicit.

Vuestmonasteriens. vbi supra.

Dignum Henrici elogiū.

16. Henricus igitur, qui regales inter infulas pietate cæteros visus est antecellere, feliciterque diem obijt, sepulchralis instar tituli his ab eodem Scriptore post obitum notis laudari meruit: *Qui quantæ* (ait) *fuerat innocentiæ, quantæ patientiæ, quantæque deuotionis in obsequio Saluatoris, Dominus nouit, et qui ei fideliter adhæserunt: et insuper quanti meriti in vita sua fuerit apud Deum, testantur post ipsius mortem miracula subsequuta*. Qui enim pio Religionis cultu excelluit, haud obscuris subinde signorum portentis, ac victoriarum palmis auctus, cumulatusque est, vt ipsius virtutum merita hominibus innotescerent: Cui & illa Vrbani Papæ Quarti verba velut satis ampla meritis ipsius præconia aptè consonant, quæ in eius laudem haud silentio hic præterire voluimus; Vrbanus igitur conscriptis ad Henricum Regem Apostolicis literis, tunc aduersa eidem valetudine releuato his gratulatus est verbis: *Dum Annalium* (inquit) *Romanæ Ecclesiæ volumina legimus, et Prædecessorum nostrorum regesta Pontificum vigili attentione reuoluimus, eximia vtique tuæ sinceræ deuotionis opera, et præclara tuæ puræ fidei rectitudo, quibus placere Deo, et eidem Ecclesiæ matri fidelium ab annis teneris studuisti, sic in promptu nobis occurrerunt, quod nequimus ab illis nostræ mentis aciem declinare: Cum quasi quædam fulgētia in Ecclesia Dei sidera luceant, et ab alijs sicut magna luminaria discernantur. Tu etenim, sicut tuorum laudabilium prædicat fama gestorum, et nos etiam nullatenus ignoramus, in augmentatione cultus fidei orthodoxæ sollicitus, in conseruatione libertatis Ecclesiasticæ peruigil, in Ecclesiarū, aliorumq; piorū locorū constructione beneuolus, et benignus in gratijs, et beneficijs erga personas ecclesiasticas regulares, et sæculares valdè munificus, ac in obediētia prōptitudine circa eandem Ecclesiam stabilis, et accensus; dignè meruisti dies tuos diuina tibi fauente clementia in pace, et tranquillitate deducere, ac in statu prospero sub tutrice Dei dextera, et protectione Sedis Apostolicæ conseruari*. Hæc Vrbanus in Apostolicis ad ipsum literis recolenda regiæ pietatis monimenta reliquit, quæ nos hìc studioso lectori suggessisse voluimus.

Vuestmonasteriens. vbi sup.

Vrbanus IV. epist. 165.

Ab Vrbano IV. præconia Henrici celebrata.

Zelus tuendæ ac propagandæ fidei.

Robertus Siciliæ Rex ob eleemosynas extollendus.

17. Præmemoratis verò eleemosynarum laude conspicuis merito quidem accedit Robertus Siciliæ Rex, qui omni offi-

officiorum genere Christi Ecclesiam cō-plexus pietate, ac prudentia catholicos inter Principes clarus affulsit. Quanta item fortitudinis laude præcelleret, suscepta, administrata, ac feliciter ab eo gesta bella demonstrant. Quo autem tuendæ, ac propagandæ religionis studio Princeps pijssimus teneretur, illud documento est, quod sacra Hierosolymorum loca, quæ suo Christus Dominus quondam cruore sacrauerat, quibusuis diuitiarum thesauris pretiosiora ducens, oblato hostibus vltrò, ac liberaliter auro, à Soldano, qui per tyrannidem illa occupabat, redimere sategit, magnisque sumptibus sacrosanctum præcipuè Christi Domini sepulchrum, ac alia nonnulla sacratiora loca obtinuit, vt debitum videlicet Deo, ac Religioni cultum redderet, ac Religiosi itē Viri ibi diuinam instaurarent. Eius autem pietati Sancia Regina, eius vxor inhærens, Monasterium, Minoritis Franciscani Ordinis Fratribus in Monte Sion condidit, de quo Clemens Papa VI. certior factus gratulatorias ad Franciscanæ familiæ Præfectum epistolas Roberti Regis pietatem summopere commēdans, his planè verbis conceptas dedit: *Gratias agimus* (ait) *gratiarum omnium largitori, eique dignas laudes exoluimus, quod ipsi charissimorum in Christo filiorum nostrorum Roberti Regis, et Sanciæ Reginæ Siciliæ illustrium erga Redemptoris Domini Iesu Christi obsequia zelum deuotionis, et fidei sic feruenter accendit, quod ipsi, quæ ad Dei laudem, et gloriam, ac sacratissimi sepulchri Dominici, et aliorum locorum vltra marinorum reuerentiam, et honorem redundant, non cessant indefessis studijs operari. Nuper siquidem eorundem Regis, et Reginæ grata insinuatio nostro apostolatui patefecit, quod ipsi non sine magnis sumptibus, et laboribus grauibus à Soldano Babyloniæ, qui sepulchrum Domini, et alia sacra loca vltramarina proprio ipsius Redēptoris sanguine dedicata, non sine cunctorum Christianorum graui opprobrio detinet occupata obtinuerunt, quod fratres vestri Ordinis infra Ecclesiam dicti sepulchri possint continuè commorari, et ibidem Missarum solemnia, et alia diuina officia solemniter celebrare, etc.* Quibus verbis singularem Roberti Regis pietatem dignissimis Pō-

Pietas ipsius erga Sacra Hierosolymæ loca.

Rainaldus an. 1343. n. 13

Clemens Papa VI. an. 1. lib. 5. epist. com. 1516.

Dignis à Cl. VI. laudibus cumulatur.

Rainald. an 1342. n. 24

tifex laudibus prosequitur.

18. Felix itaq; exoptatusque Regi pietate cōspicuo, & annos octoginta circiter nato, post longam annorum seriem, ac Regni bene administrati laudem vitæ finis obrigit, adeò vt ipse tanquam sibi bene conscius, nec ob mortem sibi impendentē tristis visus sit aliquando, nec minimè de futuro discessu trepidaret, aut angeretur; sed seipso, ac fato superior, mortem, vtpote Deo addictissimus è proximo lætus aspiceret, expectaretque festiuis vltro vocibus, quod rarò Viris in Regiæ potestatis culmine constitutis accidere consueuit. Sed extremā ipsius vitæ periodum cōdignis à Petrarcha descriptam notis, si libet, hic, excipiamus: *Decubuerat* (inquit) *corpore quidem languido, sed animo alacri, et infracto; nullus dolor, nulla consternatio, nullus egrediendi metus, nullum manendi desiderium in illo præsertim habitaculo, vbi tanto cum honore permanserat, corporis ergastulo: artusque satis fatiscentes velut totidem libertatis suæ vincula cernebat; arebat cutis, et vitalis calor infrà senile pectus iam redactus, assiduè accrescebat: ingeminabant morbi, rarescebant spiritus, transibat dies vltimus, extremæ horæ tempus instabat: nullę interim querelę, nullæ ipsius lacrymæ fluebant, cum alienas abstergeret. Sentio, quid argutus nunc lector obijciat: Fortitudinis hoc potiùs, quàm sapientiæ videri. Non inficior, non contendo, sciens et virtutibus inesse cognationem quandam, et nunc ipsum, de quo loquimur omnibus vsque in miraculum abundasse. Hoc sanè, quod sequitur ad hoc, quod per tot præambula tendebat stylus sapientis, et vniuersa circumspicientis, atque in extremis solito iudicio feruentis animi signum est. Quid enim prohibet, quod in singulis, vel Regibus, vel Philosophis miratur antiquitas, in hoc (dicendum est enim sepius) et Rege simul, et Philosopho pesteritas admiraris.* Hinc Regium planè Roberti animū terrenis cunctis, se ipso, ac vita pariter excelsiorem admirari fas est; qui dum Christianum hominem, nedum Philosophum seriò ageret, pro æternis bonis temporalia isthæc despiceret, & ad mā-sura in Cœlis Regnorum præmia festino gradu properans, terreni sceptra culminis nauseabundus relinquendo cotēneret.

Felix ipsius post vitam piè exactā obitus.

Rainaldus vbi supra an. 1343. nu. 70.

Franciscus Petrarcha rerum memorab. l. pag. 460.

Egregiè ipsius in morte constantia à Petrarcha describitur.

Vita ipsius & mors admiranda.

 19. Sed

Petrarcha vbi supra.

19. Sed quæ optatissima ipsi sub finem, quæue acerbi corporis languorem leuabant, decedenti acciderint, eodem narrante, videamus. *Nouerat* (ait) *se suis esse charissimum, seque id meritum gaudebat; quibus grauissimum se mœrorem relinquere certus erat. Videbat adolescentulos Regni successores, et ætatem multis obiectam periculis verebatur, nouerat sacrum religiosę coniugis arcanum, fugamque sæculo illo adhuc superstite meditantis. Tutò quidem poterat illustri fœminæ Regni pondus committere, poterat illi animo superædificare quantumlibet fundamenta non deerant nisi ipso, quod euentus docuit, quamuis miserata casum publicum, saluti propriæ succurrere maluisset, seque post sepulchrum tanti coniugis, mox intra sacros parietes Monasterij sepelisset, ad altiora suspirans. Hoc muliebre propositum iampridem cognitum, multa voluentis animum angebant, quis habenas rerum post se flecteret, quis Regnum statui acciperet, circumspiciebat scopulos, meminerat procellarum, et ab Aquilone, et ab Austro; venturasque præsagiens tempestates, gubernator egregius clauum commissurus inexpertis, quid mirum si sollicitudinum variarũ fluctibus æstuabat. Tot difficultatibus rerum, quæ vegetum licet, ac validum fatigare debuissent, moriens indefesso animi vigore consuluit. Primum omnium flentes, ac eius conditionem miserantes, magnificè castigatos docuit, nil sibi triste, nil asperum, nil miserabile, nil nisi suaue prorsus, & iucundam morte contingere. Satis se iuxtà Cæsaream sententiam, vel natura vixisse, vel gloria: optare se iam ex corporis statione discedere, sperare ab hoc mortali solio progressum ad stabiliora Regna proficisci: Minimè itaque lugendum, sed omni gaudio prosequendum iter suum.* Quid verò tam bene composito ad virtutem, ad mortem, immò ad immortalitatem animo dignius? quid præcelsius? qui è Regno haud cum lacrymis, immò ridens, & cum gaudio abiret? Sed interim, quæ idem Auctor subinfert, excipiamus [illegible] *Quid multa* (inquit) *sic omnium gemitus, vt rationo compescuit, sic omnem miserabilem mortis opinionem ex audientium pectoribus extirpauit: vt nunc vsque se se felices arbitrentur, quibus illum ex ipsa morte concionantem contigit audire, nec morientis cubiculo vllas Philosophorum scholas præferant. Demum aduersus singula, quæ terribilia prouidebat, accommodata remedia, veluti præstitura venenis antidota dictauit, Regni gubernacula successoribus, quos Matrimonio iunxerat, tradidit identidem admonens: Hoc istud consilio, hoc illud periculum declinate: Sic cum amicis, sic cum hostibus viuite. Hæc & alia similia cum solita, & aucta magis Maiestate dixisset, tota mente in Deum versus expirauit, & è corporis vinculis lætus excessit. O felicem, perfectamque sapientiam, inter mortis angustias cum cæteris hominibus nedum rerum externarum; sed sui etiam ipsius vix vlla superest memoria, ità superstites consolari, tanquam non ipse, sed hi morituri sint: ità res suas disponere, ceu rus peteret, non sepulchrum. Et Regno quidem in longum consuluit, modò voces abeuntis animis inhæserint; nec (quod multum vereor) externis vita consilijs euanescant.* Hactenus ille, quibus Roberto iustis, concinnisque laudum præconijs, nec tam verbis, quàm præclaris virtutum titulis parentasse, absolutamque numeris omnibus Regis omni ex parte imaginem viuis adumbrasse coloribus visus est. At ipsius corpus in Monasterio S. Claræ ab eodem constructo, bonisque amplissimis locupletato tumulatum est. Porrò Rex iste Ecclesiæ fuit studiosissimus, religionis, prudentiæ, scientiæ, omniumque virtutum laude clarus, vt passim scriptores testantur, cuius solemnis illa, ac digna posterorum memoria vox fuit vt Mariana tradit: *Dulciores videlicet sibi litteras regno esse.* Illum insuper Petrarcha satis nunquam meritò laudans ait: *Fuisse & summum Regem, & Philosophum, nec Regno, quàm literis clariorem: Quem vnicum* (inquit) *Regem, & scientiæ amicum, & virtutis nostra ætas habuit.* Et hæc sunt, quæ nobilissimo Regi virtutum, ac laudum monimenta Scriptorum stylo insculpta statuimus.

Quibus sub finem se ipsum reue[...] [illegible]

Vxor ipsius quantæ virtutis, & prudentiæ.

Se ipso, ac sæculo Rex superior, lętus mortem excipit.

Petrarcha vbi supra.

Adstãtibus lacrymas inhibet.

Quid summa cum laude sub extremũ vitæ periodum præstat.

Moritur, qua fiad immortalitatẽ cõ ad mortem propẽ rans.

Io. Villan lib. 12. cap. 9. sub monitus [illegible]

Mariana lib. 16. cap. 11.

Dulciores Regno illi fuere literæ ex Mariana

Petrarcha vbi supra.

21. Tanti denique pia eleemosynarum commercia emolumenti sunt, vt sua Cœlo lucra pauperum manu inferendo, certam exercentibus mercedem afferant; quo illud solemne verbum adimpleatur: Quid scilicet *Eleemosyna dãti magis prodest, quàm accipienti.* Quod quidem Augustinus Mannus allato sic exemplo confirmat.

Eleemosyna dãtima gis prodest quam accipienti ex Augustino.

August. Mannus lib. selectihist. cap. 49.

riat. *Marcus Colignus* (inquit) *ciuis Florētinus referebat de Auo suo, quod Vir quidam pauper furatus fuerat ei pallium pretiosum penuria tempore, quod cum ei manifestatum fuisset, & posset furtum ex manibus deprehensi furis abripere, noluit, sed iussit famulum suum obseruare, quònam pallium ferret, & quid de eo faceret. Famulus autem obseruans vidit furem vendentem pallium, & de pecunia ementem panes. Erat autem magna annona caritas anno illo, & fur ille fame discruciabatur. Quapropter non solum pallium illud recuperare noluit, sed ad domum furis panem, & triticum vltrò transmisit. Creuit autem taliter eius pietas, & in egenos commiseratio, vt cum alio tempore Florentini magna panis vrgerentur penuria, misericordia motus ipse solus plusquàm quatuor millia pauperum sumptibus suis pauerit. Saturabantur illi in indigentia sua, sed non saturabatur ipse in beneficentia sua, semper quærens, quem pasceret. Hic cum aliquando in morbum incidisset, & morti proximus esset, apparuit ei veneranda mulier, quæ exitum eius obseruabat. Eo autem vita functo, amplius non apparuit. Opinati sunt nonnulli mulierem istam fuisse B. Martam Lazari, & Magdalenæ sororem &c.* Sic plane profusa hominis in pauperes charitas, eiusque in elargiendis eleemosynis pietas tandem sub vitæ finem irremunerata non abijt.

Florentini in pauperes nota charitas.

Alit tempore penuriæ quatuor millia pauperũ

Felix ipsius mors.

22. Quoniam igitur *Misericordes* (vt Christus inquit) *misericordiam consequentur*, qui futiles, ac instabiles, & perituras sæculi diuitias in pauperes erogant, quo permansuras sibi thesaurizent in Cœlo, nonnisi feliciter tandem diem claudunt, vt idem Mannus sic tradit. *Referebat nobis* (inquit) *Episcopus Tudertinus Angelus Cæsius, qui per triginta prope annos illam Ecclesiam gubernauit, eum fuisse in Ciuitate Narnij Virum quendam laicum, nomine Theodorum Cardonem, qui mirum in modum delectabatur exercere se in pietatis actibus, visitando eos, qui in carceribus tenebantur, et agros in infirmitatibus suis; et si quos dissidentes, et discordes esse resciuisset, inimicitiæ causa illud procurabat, vt ad amicitiam, & pacem reuocaret. Visitabat quotidie Capuccinorum Monasterium. Præsertim autem in hoc totus erat, et magna animi alacritate operam dabat, vt pauperes, et egentes viros, et familias fame laborantes, qua poterat, charitate reficeret. Quapropter eleemosynas perpetuò largiebatur, et sicut alter Nicolaus Myrensis Episcopus secreta nocte obambulans vicos Ciuitatis, in pauperum domunculis per fenestrellas pecuniam introrsum proijciebat, sub aut valuas per foramē per quod feles ingredi, et egredi solent, panes aliquot ponebat, vt de mane surgētes pauperes, panis benedictionem reperirent, et famem pellerent. Ecce quomodò Viri in sæculo viuentes, si sint humiles, benigni, et deuoti, rapiunt Cælum, & disponunt sermones suos in iudicio, vt non commoueantur in æternum.* Et certè non nisi felix, faustusque Viro misericordijs pauperum, & eleemosynarum largitione prædiuiti vitæ finis iuxta Diuinum oraculum contigisse potuit.

Matthæi c. 5

Augustinus Mannus lib select. hist. cap. 466.

Theodorus Cardonus Vir piusvalde in cuiuslibet conditionis homines.

Eleemosynis S. Nicolai Myrensis Episcopi exemplo pauperes clam iuuat.

23. Et si quidem Charitas, quæ totum humani sibi cordis imperium vendicat, cunctis ità virtutibus præcellit, vt suo omnes iuxtà Hieronymi verbum, valore transcendat. *Charitas* (inquit) *nulli rei comparari potest. Dilectio pretium nō habet*; adeoque tantum quisque apud Deum virtutibus proficit, quantum cæteris charitate præeminent, ac feruor dilectionis in Deum suam non nisi à feruore charitatis in proximos mensuram accipit. Quapropter meritò prælaudatus sapientissimus Ecclesiæ Doctor hominem Dei amore ditescentem demiratus aliquādo ipsius quoque præferuida in proximos amoris studia prædicando extollit. *Laudent* (inquit) *cæteri misericordiam eius, humilitatem, fidem: ego ardorem animi plus laudabo.* Quod sanè antecacto sæculo in plerisque nobilium Romanorum in ipsa virtutum schola, sub S. Philippi Nerij Congregationis Oratorij Fundatoris magisterio mortalium oculis, & præcipuè in Martio Alterio, dignissimo Clemētis X. Patruo ad vimum mirificè affulsit, qui inter cæteros, Pamphilios videlicet, Crescentios, Astallos, Patritios, Maximos, Molarios, ac Vitelleschos, vitæ innocentia, ac illibatis moribus dignum de se Vrbi exemplum præbuit, de quo isthæc Antonius Gallonius in Beati Philippi gestis: *Martius Alterius Romanus (qui Paulo Tertio Pontifice relicto sæculo Christo magno, fortique animo se adiunxerat) dicere solitus erat, cùm etitia*

Hieronymus in epist. ad Fabiolam

Charitas nullius rei pretio æquiparatur ex Hieronymo

Hieronymus vbi supra.

Martius Alterius Sancti Philippi Nerij discipulus quantum charitate nobiles inter Romanos sub ipsius disciplina in Spiritu profecit.

titia, cùm in Philippi cubiculo esset, perfundi, vt id cubiculum, iam non sibi cubiculum, sed Paradisus quidam terrestris esse videretur. Peruenerat is ad eum Sanctitatis gradum, vt de rebus Diuinis ex nimia spiritus affluentia Moysis instar loqui vix posset. Quibus verò Vir tantus ad sublimem adeò mentis statum virtutibus pertigisset, larga profectò, ac profusa iugiter in Christi pauperes manus palam cunctis ostendit, quibus pretiosas ipse domus, ac rerum sarcinas ob leue Christi iugum, & vt Christi magis, magisque amore ditesceret, vltrò, libenterque elargiendo distrahens cum nullam, vel in lectulo iacens præ nimio amoris æstu requiē adinuenire posset, se ipsū terrenis cunctis, graui velut onere expoliare præroptans, illa meritò Apostoli verba vsurpabat: *Omnia arbitror, vt stercora, vt Christum lucrifaciam;* Sed ipsi pro condigno charitatis elogio ipsiusmet Auctoris verba hic dignissimè occinunt: *Ea* (inquit) *erat praterea in pauperes pietate, vt stragula, quibus ad lectum, in quo cubabat, vtebatur, ipsis tribueret.* Sic planè pro misericordia in Christi pauperes, & eleemosynis, supernis charismatum è Cœlo donis, nō secus ac lutum, isthæc ac arenam exiguam computabat. Cuius item Petr. Iacob. Baccius tum in Deum, tùm in proximos his planè verbis charitatem meminit: *Philippo* (inquit) *addictissimus etiam fuit Martius Alterius Romanus, qui eiusdem disciplina tantum profecit, vt pra spiritus redundantia de rebus Diuinis verba, verba inquam vix facere posset. Tanta insuper misericordia in pauperes, vt etiam lecti culcitram erogauerit.* Haud irremunerata igitur eiusmodi apud Deum largitas, nec sine vberi gratiarum fœnore abijt, cui pro terrenis superna cœlitus iuxta Diuinum Christi verbum respondebant. *Date, et dabitur vobis, mensuram bonam, et confertam, et coagitatam, et supereffluentem dabunt in sinum vestrum.* Quò enim magis sua pauperibus dabat, eo amplius Diuina quotidie spiritu ditescens accipiebat; adeo vt suis propemodum eleemosynarum meritis gentili suo AEmilio Alterio (qui nunc Clemētis Decimi insignitus nomine in Petri Throno sedet) iam tum præcurrendo, & supremam dādo Apostolici culminis visus sit sub hæc planè tempora promeruisse dignitatem; Qui & demū non nisi Deum pro sua iugiter hæreditate suspirans: *Mihi viuere* (vnà cum Apostolo aiebat) *Christus est, & mori lucrum;* adeoquè sibi, ac mundo inter viuendum præmortuus desiderium habens, dissolui, & esse cum Christo virtutum diues meritis cum Deo semper victurus immortalitatem adiuit; De quo hæc satis.

De Deo Moysi instar præferuore vix loqui poterat, & vt pauperes tegeret, seipsum nudabat.

Ant. Gallon. B. Phil. c. 36.

Diuitiarum contemptor ac Dei amādi, fruendique percupidus.

Petr. Iacob. Baccius lib. 1. cap. 11. num. 8.

Quo plus in pauperes profusus, eò magis supernis cumulatus donis.

In suis posteris & in Clemente X. Martij charitas à Deo in præsens remunerat.

Ps. 1. 21.

24. Opportuna demum hìc vel obiter nobis Dionysij Per Augustini Congregationis Oratorij Camerinensis inter Laycos præcipui mentio recurrit, qui licet in laycali statu; Diuinis tamen virtutibus, & charitate præsertim in pauperes eum in modum sub hæc nostra tempora in sæculo præfulsit, vt ipsi meritò eiusquè charitati Diuina Iobi verba occinerent: *Quia ab infantia* (inquit) *mea creuit mecum miseratio, & de vtero Matris mea egressa est mecum.* Sic enim charitati in primis, ac humilitati fuit hic vnus perpetuò addictus, vt Diuum Franciscum Assisinatem magnum totius Ecclesiæ lumen imitatus, nedum in laycalis vitæ gradu humilitatem sectando permanere; sed & illud insuper octennis adhuc ætate, menti fixum haberet, ne vlli vnquam pauperi eleemosynam poscenti denegaret, quin & panem sibi, & & obsonia puerulus adhuc subtrahens, secretò pauperibus elargiretur, adeoquè cum Pater ipsius mercaturam exerceret, longè sublimiorem ipse aliam sibi iam tum largiendo præscripserit, iuxta Crysostomi illud verbum: *Mercatura* (inquit) *& negotiatio tua Cælum est. Da pauperibus, & accipe Paradisum, da parua & magna suscipe;* cuius quidem mercaturæ opera, pauperibus erogando adolescens optimus, & miserandi genere in dies maximè proficiens, non secus, ac expeditum præ manibus, quæstum nactus, mira suis charitate lucris incrementa excogitabat; Enimuerò à Sodalibus interdum eiusdem ætatis adolescentibus vel nolens ad ludum aliquando ex more inuitatus, immò ad ludendum cōpulsus, mox omnem, quam ludendo lucratus erat pecuniam, liberali manu in pauperes erogabat, lætus adeò, & diues eiusmodi lucro, ac si immensos

Iob. cap. 31. v. 18.

Dionisius Per Augustinus ab infantia erga pauperes mirificè pius, ac beneficus.

Chrysost. hom. 6. de Pœn.

Puer inuitatus ad ludendum totum ludi lucrum pauperibus elargitur.

fuisset

fuisset pecuniarum thesauros elucratus, &vel ingens tunc detrimentum se facere arbitratus, cum poscenti quid daret inopi, ad manus non haberet; egregiè etenim iam tum Augustini magisterio in charitatis schola dignus Christi discipulus illud didicisse videbatur, *Da* (inquit) *homo pauperi terram, vt accipias Cælum: Da nummum, vt accipias regnum; da micam, vt accipias totum*. Totus itaque à primis annis sic eleemosynis dandis intentus, nonnisi super affluentem retributionis à Deo mensuram, ac mercedem pariter prouidus sibi in Cœlis parabat, illis suæ tum mentis, tum operis propositum verbis aliquando testatus, cum diceret: *Suam quidem* (si de Christi pauperibus agitur) *ipsis vltrò ad fundum vsque perpetuò patuisse crumenam*. Profusam verò istius, cum adhuc adolesceret charitatis liberalitatē demirata aliquandò Mater, ipsiusque impensè manibus benedicendo: *Quoniam*(inquit) *fili mi adeo te liberalem, ac dando munificum video, oro Deum, vt tibi haud vnquam danti desit pecunia*. Quod ipsa postmodum experimento diuinitus comprobatum didicit. Semper iuxta Matris verbum, se pecunijs posthac redundasse affirmans. Quæstuosæ igitur Vir Dei Eleemosynarum mercaturæ potius, quàm mercatoris arti intentus nedum egenis pecuniam, sed & se ipsum insuper vestibus interdum expolians, vt nudum Christum in paupere vestiret, nudus ipse cunctis fieri præoptabat. Adeòque haud semel pallium, vestem, ac pileum pauperibus in via occurrentibus dedit; solis interdum lineis fœmoralibus, ac sine pileo, nudoque capite domum regressus. Sed haud illi proprijs se vestibus pro Christo nudanti à molestia frigoris fuit aliquando timendum, cum intus charitate succensus nullam prorsus sentiret iniuriam, ipsisque illud Sapientis verbum occineret: *Manum suam aperuit inopi, & palmas suas extendit ad pauperem, &c. non timebit domui suæ à frigoribus niuis; Omnes enim domestici eius vestiti sunt duplicibus*. Ipsum namque Christum in paupere diligendo, suum sic in ipso meritum duplicabat, ne eius vnquam charitas refrigesceret, ac illius proinde præmium tulit, vt inter pauperum eleemosynas benedictionibus dulcedinis cumulatus, Diuinis consolationibus redundaret. Porrò charitas, quæ in ipsius semper corde flagrabat, illius ignis ad instar, quem in suo semper Altari Deus illibatum seruari præceperat; *Ignis* (inquit) *in Altari meo semper ardebit*, vt alios quoquè suo feruore succenderet ad opportunè miseris subueniendum sublata suis humeris ligna hybernō tēpore ad fœminarum pauperum, ac pupillorum domos, dum molestius instaret frigus, haud semel S. Franciscæ Romanæ viduæ vestigia æmulando deferenda didicit, & quantocyus inde se proripere, vt charitas humilitati iuncta, & ipsos, quos iuuabat, B. Nicolaum Antistitem imitando, lareret, ac solum, qui videt in abscondito, Deum, testem simul, ac munificum haberet in Cœlis remuneratorem.

Præferuidæ igitur charitatis vi, quæ nouis in dies incrementis proficiebat, sic Vir Dei agebatur, vt totus iam charitas, ipsiquemet Apostolo (de quo istæc Chrysostomus habet) iure, & ipse comparandus videretur: *Paulus*(inquit) *charitate succensus totus factus est charitas*. Adeoque ipse ad subueniendum factus omnibus omnia, nullum à se abire vacuum aliquandò permittens, tum viduis, tum orphanis, tum puellis, tum nuptis, & tum sanis, tum infirmis, & in carcere detentis præstò semper fuit; adeo vt communis omnium appellari Pater meruerit. Extat Camerini Monasterium eius potissimum opera, ac studio erectum, in quo fœminæ poenitentes (& quæ conuersæ vulgo dicuntur) ingenti numero redactæ prouidam Dei manum, ac sollicitam Dionysij operam, longo sūt iam tempore expertæ: Ab ipso quippè pro ipsis alendis sollicito quid quid ad victus, & vitæ vsum ipsis necessarium foret, homine alioqui haud diuite, opportunè accipiebant; In foeminis verò eiusmodi alendis, totus Deo, eiusquè prouidentiæ præfidenter adeò inhærebat, vt cum aliquandò grauior instaret necessitas, nec eleemosynæ insuper ad manus suppeterent, ipse ligneam quandam Christi Domini è cruce pendentis, ac vulneribus toto corpore saucij, ac satis liberaliter plagis cruenti inter

August. tract. de eleemosyn.

Profusa ipsius in Christi pauperes liberalitas.

Mater ipsius liberalitati, à Domino mercedem precatur.

Vestibus se, ipsis exuit, vt pauperes vestiat.

Prou. c. 31.

Prou. c. 31.

Diuinis cōsolationibus pro eleemosynis à Deo cumulatur.

Leuitici c. 6. v. 12.

Ligna hyberno tempore humeris noctu ad pauperū domos defert.

Chrysost. hom. 3. de lib. Pauli.

Pauperum Pater vulgò à cunctis ob eleemosynas dictus.

Monasteriū pœnitentiū Fœminarū eleemosynis sustentat.

inter supremas loci angustias, sic fiducialiter alloquens: *Tuum est nunc* (aiebat) *ò Iesu bone fœminarum istarum inopiæ, quæ ipsis ad vitam necessaria sunt, & vt hactenus,fecisti, suppeditare; Hæ quippè hic tibi deseruiunt, tuoque singulæ sub patrocinio degunt; earum ergo omnimodam tibi curam relinquo, ego enim, vndè eas pascendo sustentem, haud habeo. Fac tu secundum bonitatem, & misericordiam tuam cum ipsis.* Quibus à Dei famulo magna fide prolatis vas quoddam,quod prædictæ imagini substabat, nummis haud semel ad summum vsque refertum, summa omnium, qui rem sciebant, admiratione apparuit, vt piæ cuidam Columnensium Procerum fœminæ Monasterium inuisenti prædictam imaginem ostendens ac prouidam, paternamque Dei in foeminis illis alendis curam conceptis aliquandò notis, suamque in ipsum fiduciam ipse verbis expressit. Qua propter cum Pistor ob panem Monialibus ad quotidianum vsum aliquandiù exhibitum, pecuniam ab eo peteret, nec soluendi facultas suppeteret; rẽ Dei curæ committens videntibus tum quidam repentè affuit,qui tantundem pecuniæ, quantum Pistori debebatur tacito eleemosinam exhibentis nomine, ipsi admiranti persoluit. Quod & haud semel in eiusce modi necessitatibus, Deo præfidenti contigit; Illud autem admiratione dignum quod cùm magis vrgeret inopia, nec ipse eleemosynam ab aliquo Ciuium peteret, opportune tamen à pijs hominibus eleemosyna nunquam deesset, vt ipsemet his aliquandò verbis in sua ad me, mei vt potè amicissimus, rescribens epistola sic testatur: *Scias velim*(inquit) *quòd ego nec eleemosynas peto, nec quemquam in nostra Ciuitate, aut foris ad procurandas eleemosynas mitto. Sed totus Deo præfidens, prouidam, liberalemque satis ipsius manum experior; & ne gratis id proferam totus à prouida Dei, haud hominum manu pendens, vltroneas quoque piarum eleemosynarũ oblationes haud semel Diuino præfidens auxilio respui; adeoquè cum Alphonsus Eminentissimus Cardinalis S. R. E. Litta, Archiepiscopus Mediolanensis (qui magni eum semper fecit) conceptis iureiurando verbis etiamsi decem millium nummorum aureorum pro pijs extendis operibus, debitum aliquando contrahi opus fuisset, se totam pecuniæ summam ad minimum vsque quadrantem pro meo statim libitu exsolutarum vel suo scripto fidem chirographo oppignorasset, ego charitatem ipsius admirans, & à Deo retributionem precatus chirographum prædictam laceraui. At ille haud impressæ in proximos charitatis exhibitione contentus, aliam iterum ad me, quę ampliorem, ac indefinitè loquendo pecuniarum pro eleemosynis summam continebat, apocham Mediolano transmisit, quam ego acceptam, debitas Deo, & ipsi gratias referens, ad ipsum remisi; quis, & iterum rescribendo, ratamquè piam exhibitiobem volens eandem ad me iterum apocham sua in pauperes charitatis, nec non sui item in me amoris testatissimo futuram argumento direxit, & ego vt supra à Deo ipsi dignam mercedis retributionem precatus, conscriptam ab eo paginã lacerando apud me extare haud volui. Idem planè mihi olim cum Illustrissimo Præsule Stephano Saulio,mei amantissimo contigit qui cùm ingens aliquando pecuniarum pondus, meoquè pro libitu expendendum transmisisses, totam deinde mane pecuniam ad ipsum, ipsius manu, haud mea expendendam condignis exhibitis gratijs, retuli. Nec alij quoquè plures numero desunt, qui pecunias in meum aliquando cubiculum clam deferentes meo easdem arbitrio expendi volebãt, quod ego constantissimè facere recusaui, illis planè vsus verbis. Ego quidem (inquit) ad Deum trahere hominum animas libenter volo, non autem pecunias hominum ad me attrahere.* Sic ille. Vir igitur Dei cum tam à petendo alienus, & in oblatis sibi recusandis pecunijs constans persisteret, totquè pijs manum operibus admoueret, summæ cordatis quibusque viris admirationi fuit, qui rem nonnisi miraculo adscribẽtes affirmabant,quod nisi è Cœlo ipsi pecunia proueniret,talia, ac tanta pauperum subsidio præstare tamdiu minimè potuisset.

Fiducia ipsius in Dei prouidentia

Eleemosynas & si nõ petat, his ta men semper abundat

Eminentissimus Alphõsus Cardinalis Litta Mediolanen. Archiepiscopus eleemosynas submimistra

Se non tam pecunias ad se, quàm ad Deum animas velle trahere affirmat.

Porrò charitati Vir pius adeò,& misericors ac patiendi cupidus pœnitentiæ insuper, ac patientiæ virtutes mirificè iunxit; vt Deo magis, magisque se ipsum exercendo, placeret. Macerando itaque se ipsum ieiunijs, assiduè vacabat, adeoque ter in hebdomada solo pane,& aqua contentus à reliquis cibis penitus abstinebat

Austeritas vitæ, & patiendi desiderium.

nebat, pro delicijs verò, & vt alios, haud se ipsum falleret, & nè solo pane, & aqua ieiunans crederetur, & quo id ipsum veraciter posset asserere, absynthij folia obsonij adinstar gratissimi inter manducandum addebat; reliquis verò diebus, cum aliorum cibis de more vteretur, appositas sibi carnes, absinthij puluerem respergendo dulcorabat, cautè adeo, vt qui ipsum manducantem videret, pium ipsius studium non aduerteret. Feria autem sexta, Dominicæ memor Passionis pani, vt spiritui haud palato carnis amarescendo saperet, fel adijciebat, quo planè modo ingeniosus pœnarum Christi imitator, ac pœnitentiæ insuper exercēdę percupidus; quotidianam ferè à cōsuetis aliorum cibis abstinentiam, haud à pœnis sibi indictis aliquando abstinēs, ieiunātem semetipsum tegendo seruabat. Quo illa ipsi aptè Hieronymi verba saperent: *Cibus (inquit) illi ieiunium fuit.* Sed illud magis, magisquè in ipso mirandum, quòd iam senex, & laboribus ferè consumptus, hanc sibi præscriptam ieiuniorum legem inuiolabiliter seruaret. Nec his contentus flagellis insuper corpus rigidè, in seruitutem redigens vel octogenarius sic affligebat. Quin & feria sexta Christi patientis memoriam recolens, funiculis semel atque iterū acerbè se ipsū plectebat; A feria autem quinta, cum Dominica ex solemni instituto Cœna in Ecclesia recolitur, vsque ad Sabbathi Sancti diem, totum illud ieiunus omninò tempus transigens, ferreo insuper asperrimo cingulo, eo præsertim tempore carnem inter ieiunandum fouebat. Porrò, nè vllam daret fesso post diurnos labores corpori requiem, nec somnum aliquandò absque tormento sumeret, omnē abijciendo à se lecti mollitiem culcitræ, in qua cubare consueuit, rudia quædam, & saxis aspera, vt durius quiesceret, ligna supponēs, sternendo sibi lectulo adhibebat. Itaquè Christi famulus, suiquè iuratus hostis suum iugiter castigabat corpus, vel ipsam dormienti requiem denegans, ac pœnis insuper vel in lectulo durius pertractans. Et cum nec ad momētum otiosus aliquandò persisteret ad eoq; multa solus ipse plurium Laycorū munia obiret, & Cuoquinæ item vacans, defatigatusquè cum in modum vesperi; vt amplius pedibus stare non posset, semper tamen lætus, vegetusq; semper apparuit, conqueri vix aliquando obauditus, ac nullam vel requisitus, rogatusquè, oblatam sibi à Superioribus indulgentiam admittens, quo illa ipsi verè Apostoli verba congruerent: *Abundantius (inquit) illis omnibus laboraui*. Qui demum à Deo ad mercedem laborum euocatus, forti, inuictoquè animo, ac laborandi desiderio ad vltimum vsque diem diues, cùm mortis diem præsagiens, iam multis palam prænunciasset, die 27. Octobris, Salutis Anno 1665. ætate octogenarius paralisi correptus plenus dierum ęternitatem lætus adiuit, Camerini in pace obdormiens. Magnus autem totius populi, & confluentium ex varijs circumadiacentibus locis ad ipsius cadauer inuisendum, venerandumquè concursus factus est singulis eius charitatem, ac virtutes certatim prædicantibus; Nec verò è Cœlo defuit, apertis quoque signorum, vt in Episcopalis fori tabulis constat) ipsius meritis testimonium, ac ipsius res reliquiarum ad instar certatim à confluentibus habitæ sunt, cunctis ferè haud alio ipsum, quàm communis pauperum parentis nomine appellantibus. Corpus autem eius per dies aliquot insepultum, tandem in Patrum Congregationis sepulchro depositum est.

Illud demum narratis hactenus subtexendum est, Dionysium videlicet tùm ob suauitatem morum, tùm etiam ob suas virtutes, viris quoquè principibus gratū, acceptumquè in primis extitisse, & ipsis præsertim S. R. E. Cardinalibus, qui ipsius vt potè virtutum conscij, magni hominem faciebant: Inter quos Cæsar Cardinalis Gherardus, Camerini olim Episcopus familiari ipsius consuetudine, & colloquijs adeò delectabatur; vt tùm largas ipsius manu eleemosynas daret, tùm ipsius quoq; in rebus cōsilia vltrò exquireret: Nec item ipsum, vel dum Coci officio in Congregationis Domo fungeretur, sæpè, ac sæpiùs in coquinā adire, & per longas ibi secum moras trahere minimè dedignaretur; Quàm sapidè autē de animarum, ac salutis negotio hic præcunctis sentiret, ac loqueretur, verbum, quod Cardiuali eidem Episcopo semel suggessit, satis ostendit. Isthæc enim ipsi ille

Austeritas vitæ, & patiendi desiderium.

Hieronymus in epist. 19. lib. 3.

Vel lectulo fessus recumbens, patiendi tamē cupidus.

1. Corint. 15. 10.

Paralisi correptus octogenarius decedit.

Ob vitę sanctitatem sapientissimis viris charus.

Quid olim Cardinali Episcopo animar negotiū inculcans dixerit.

Charitatis dignitas & prærogatiua inter virtutes.

Ioannis cap. S. Leo Papa ser. 2. de Ascens. Domini

retquè: *Charitas* (inquit) *operit multitudinem peccatorũ*. Adeoque *per Charitatis largitatem* vt Magnus ait Leo, *aut peccatum vincitur, aut declinatur*. Quapropter Ioannes dilectus Christi Apostolus illud dignam vt pote charitatis prærogatiuam, & vnicam simul Christianorum vitæ tesseram proponẽdo agnoscit, vt si quis proximum diligit, se quoque diligi à Deo, ac Deo item se viuere pro certo habeat; si autem è contra Charitate destituitur, sublimioris pariter vitæ se luce orbatum intelligat: *Nos scimus* (inquit) *quia translati sumus de morte ad vitam, quia diligimus fratres*. Enimuerò qui charitatem Dei munere possidet, vitam quoque se proculdubio possidere, nec mortis, ac Tartari subesse tyrannidis iugo præsidit: Quapropter aptè in rem Augustinus: *Vnde scimus* (ait) *quia diligimus fratres? Nemo interroget hominem, redeat vnusquisque ad cor suum, si ibi inuenerit charitatem fraternam, securus sit, quia transiit de morte ad vitam*. Quod quidem verum adeò est, vt iure meritò Apostolus charitate orbatos, vitæ simul expertes omninò renuncians, sic rem definiat: *Qui non diligit, manet in morte*.

Ioannes 1. cap. 3. n. 14.

Augustin. tract. in Ioannem.

Charitatis dono fit vt, qui diligit proximum, à Deo quoqui diligatur.

Ioannis 1 cap. 3. n. 14.

2. Ea autem Charitatis vis est, & sic grata, acceptaquè ad Deum placandum vnica ipsius oblatio, vt charitatem holocaustis, ac sacrificio longe Christus antesferendam edixerit: *Honorem suum* (inquit Chrysostomus) *Deus despicit, dum in proximo charitatem requirit*. Dignissima verò eiusmodi oblatio ad promerendam Dei gratiam, ipsi præ cunctis arridet, adeoque iuxta Chrysostomum: *Diligere proximum tanquam se ipsum maius sit omnibus holocaustomatibus, & sacrificijs*. Qua propter, *qui spirituum ponderator est Dominus*. Sic suis Christus charitatem inculcando cõmendat: *Hoc est* (inquit) *preceptum nouum, vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos*. Ad quod suum item egregiè Augustinus stylum inflectens: *Mandati* (inquit) *repetitio commendatio est, &c.* Charitatis verò subinde elogia magno mortalium emolumento subtexens, eiusquè merita extollens: *Vbi charitas est* (inquit) *quid est, quod possit deesse? Vbi autem non est, quid est, quod possit prodesse*. Ac si charitas cuncta

Chrysost. ho. 16. in Matt.

Charitas sacrificiorum oblatione ipsius Christi ore antesfertur.

Ioannes cap. 13. 14.

Augustin. in cap 15. Ioãnis

Charitatis, ipsiusque mãdati repetitio, commendatio est ex Augustino.

se ipsa præstet, ac legi quodãmodo desit, quiquid charitati subtrhaendo, deesse contingit, adeoque apte Ioanaes Apostolus sic rem definiens: *Qui non diligit, manet in morte, quia in tenebris est*. Haud igitur vita, & luce dignus, proximi charitate; quæ animæ vita, & lux est, destituitur. Quapropter Christus seruo illi, qui debitor decem millium talentorum extitit, *non conuiciatur* (inquit Chysostomus) *debitori, misertus fuit, quando verò is aduersus cõsocium crudelitatem exercuit, tunc seruum, ac seruum nequam appellauit*. At latro è contra Christi in patibulo socius, ac inter pœnas consors, præcipuo fraternæ charitatis merito sua apud Deum, Gregorio teste, lucra prouexit: *Charitatem Latro* (inquit) *in morte sua vinaciter tenuit, qui fratrem, & collatronem pro simili scelere monentem, & de iniquitate sua arguit, & ei vitam, quam non cognouerat, prædicauit*. Ingens quippè ergà proximum Charitas ipsi Paradisum pro mercede contulit, & meritò hic lucrando profecit; sui etenim oblitus, primum in alterũ egregiè charitatem dictis, factisque exercuit. *Ne tu* (inquit) *times Deum, &c.* nam vt optimè Chrysostomus narrat: *Suas* (inquit) *necessitates prætermittens, aliorum vtilitatẽ cogitabat, & Magister pẽdebat in Cruce, & sanis persuasionibus alium inuitabat ad vitam*. Hinc iusto Augustini calculo: *Nõ discernuntur* (inquit) *filij Dei à filijs Diaboli, nisi charitate, &c. Quidquid habes, si hoc solum non habeas, nihil tibi prodest*. Et postea subdit: *Habere* (inquit) *charitatem, & malus esse non potest*. Charitas igitur sola hominem Dei filium, & amicum ipsius renunciat; & qui charitate diues hinc exit, perennis proculdubio vita dignus, Dei plane calculo ostenditur: *Venite* (inquit Christus) *benedicti Patris mei; esuriui enim, & dedistis mihi mãducare; sitiui & dedistis mihi bibere*. Charitas itaquè haud misericordiæ operibus expers promptum, expeditumquè in Dei Regnum aditum sibi obtinet.

Vbi charitas est nihil deesse vbi non est, nihil prodesse potest.

Augustinus tract. 83. in Ioann m.

Ioannis c. 15. 12.

Chrysost. hom 62. in Matt.

Gregor. moral 18. cap 23.

Seruo absque pecunia ad debita soluẽdum, dominus non irascitur sed ipsi absque charitate erga proximum regẽ dæ insultat.

Lucæ cap. 23.

Chrysost. hom. in Lucam.

Latro in Cruce nudus charitate tamen in alterum diues, Regnũ pro mercede lucratur.

August. tract. in Ioannem.

Charitas filios Dei, & filius Diabo li discernit ex Augustino:

Matthæi. cap 25.

3. Vt dictis verò opportuna exemplorum auctoritas præsto sit, Placilla Augusta Theodosij Imperatoris vxor, cum bonis operibus, ac præsertim misericordiæ in pauperes exercendæ inten-

Baronius an. 385. nu. 23

Placilla Augusta Theodosij vxor in Deum, ac proximum conspicua,

dit, condignis subinde tum viuens, tum mortua laudibus cumulari, ac felicem, exoptatumquè vitæ finem consequi meruit. Sed quæ potissimùm eius virtutum merita sint, Theodoretus, vbi egregias Theodosij laudes recolit, eiusdem sanctæ vxori, à qua suum habuere principium, acceptas refert; hec enim nō absque magnis præconijs in medium affert: *Coniux eius* (nempe Placilla) *nunquam destitit Diuinas leges eidem Theodosio in mentem redigere, sequè primum eisdē accuratè ipsa erudierat. Si quidem ea nō Imperatoris principatu se insolenter extulit; sed diuinum, quo flagrabat, desiderium augere studuit. Quippe beneficij magnitudo amorem erga Dominum multò reddit ardentiorem. Itaque ad eos subleuandos, qui mutilata corpora, membraquè omnia labefactata haberent, nihil non diligentię, et curę adhibuit, atque ad eam rem non seruorum, seu stipatorum opera vsa est; sed illa ipsa hoc fungi ministerio, adire eorum hospitia, et singulis necessaria suppeditare voluit. Simili quoque ratione Ecclesiarum hospitia visere, ægrotis in lecto decumbentibus curationem adhibere, tractare ollas, tusculum gustare, patinam illis deferre, frangere panem, offas porrigere, eluere pocula; omnia denique alia munera obire, quæ serui, et ancillæ exequi solent. Atque illis, qui eam ab hoc genere ministerij auocare studebant, respondit: Aurū distribuere decere Imperatorem; se autem pro ipso Imperio, ei, qui id ipsum dederat, illam operam offerre debere. Quin etiam percrebrò solebat marito dicere: semper te, mi Vir, oportet cogitare, qui olim fueris, et qui iam sis; ista assiduo animo complectens, non te ingratum ostendes erga Patronum, sed Imperium, quod suscepisti, iustè, & legitimè gubernabis: atque eo ritè administrato, eum qui ipsum donauerit, augustè, sanctèque colas. Eiusmodi sermonibus semper cum Viro habitis femina virtutum animo eius mandata præclarissimè, commodissimequè rigauit.* Hæc Theodoretus digna præ alijs Christianæ, atquę augustæ pariter fœminæ virtutū monumēta describit, quæ tam sub ipso sobrium sceptro non secus ac seruili sub iugo, tamquè ad virtutes compositum intus in pectore animum gerens, quæ sunt præcipua mulierum dumtaxat pœnitentium ornamenta, velut gemarum pretiosa monilia cunctis ctis contemplanda præsetulit.

Theodoret. lib. 5. cap. 18:

Egregiæ ipsius virtutū quibus præfulsit dotes.

Charitas in pauperes, ac debiles, & cura in his subleuandis.

Aegrotis quoque operam impendit.

Summa ipsius in imperiali culmine modestia.

4. Iure igitur piæ fœminæ Diuinū illud oraculum consonat: *Vana est gratia, & fallax pulchritudo; mulier timens Dominum, ipsa laudabitur.* Laudabilior siquidem in ea extitit interior animi pulchritudo, quàm curiosa, vt in reliquis fœminis accidit, corporis forma, ac rerum temporalium iunctus charitati contemptus magis eminet, quàm vel omnis Regiæ stirpis splendor. Porrò hæc dignam Theodosio, ac se ipsa prolem Romano Orbi peperit, Arcadium videlicet, ac Honorium, & Pulcheriam, quæ viuēte adhuc Matre tenella infans decessit, in cuius funere Gregorius Nyssenus, qui tunc præsens Constantinopoli erat, panegyrim habuit, de qua & in Placillæ, seu Flacillæ Matris funere hæc meminit: *Quando igitur* (inquit) *fecit distributionem? cum tres essent liberi; hæc enim bonorum capita sunt, qui virilis sexus essent, apud Patrem reliqui, qui Regno eius præsidio essent: ad suam verò partem solam filiam pertinere existimauit.* Hæc ille.

Dei timor à magis, quàm formę decor in fœminis suspicitur. *Prou. cap. 31.*

Nec tam gentis splendor quam splendoris contemptus mirandus.

Gregorius Nissenus orat in funere Placillæ.

Ipsius laudes in funere Nissenus celebrat.

5. Porrò mirus, perpetuusquè Catholicæ Religionis, quo pia, & augusta fœmina flagrabat, Zelus, hanc singulariter Christiano Orbi spectabilem fecit; Eo quippè Arrianos impios odio prosequebatur, vt eos æquè ac sacrilegos idolorum cultores exhorrens, haud execrandum minus hæresis piaculum Idololatria computaret, quod ad eumulum ipsius laudum Gregorius his verbis recenset: *Simulacrorum* (inquit) *Nissenus odium commune est omnibus, qui fidei participes sunt: sed eius præcipuum, quod Arrianam infidelitatem similiter, atque simulacrorum cultum abominabatur. Non eos, qui in creatura diuinum Numen esse existimarent, nihilo minora colere, atque venerari putabat, quam qui ex materia simulachra efficiunt. At rectè, ac piè ità iudicabat. Nam qui creaturam adorat, etiam si in nomine Christi id faciat, simulachrorum cultor est, Christi nomen simulachro imponens. Idcircò cùm didicisset, quòd non sit Deus recens, & nouus, vnam Deitatem adorabat, quæ in Patre & Filio, & Spiritu Sancto glorificatur. In hac fide creuit*

Zelo Religionis succensa Arrianos exhorret.

Nissenus in Placillę laud. vbi supra.

Hæresim æquè ac idololatrię scelus aueisatur

creuit, in hac viguit, apud hanc spiritum deposuit, ab hac oblata est sinui Patris fidei Abrahami iuxtà fontem Paradisi. Quibus profectò notis illibatam augustæ fœminæ, & quam perpetuo coluit, Religionem; atque implacabile, quo aduersus Arrianos iugiter exarsit, odium palam cunctis fieri voluit, ex quo felicissimum, hæc sibi vitæ exitum, & ad Cœli gaudia transitum parauit.

Felix eius è vita decessus.

6. Huius verò Flacillæ Claudianus Poeta meminit in carmine, quod de Serenæ laudibus, cecinit; hec enim ibi.

Claudianus item metro ipsius laudes canit.

Flacillam Mariamquè —— & infra
Commotum Flacilla virum ——

Claudianus de laud. Serenæ.

Fuit autem ipsi cognomen Aelia, vt in celebri numismare apud Baronium videre est, ac idem Poeta docet cum ait:

His fontibus Aelia fluxit.

Hæc quippè suam ab Hispanis trahebat originem, vbi Aelia familia clarissima extabat, ex qua pariter Aelius Hadrianus, quem æquè ex Hispania oriundum Spartianus affirmat; sed bonis impensè operibus fœmina, & si, de amplius, quàm sceptro clara, Cœlo demum inseri meruit, vti quæ præmisimus, SS. Virorum monimenta euincunt.

Placilla, Aeliæ cognomentum habuit.

Spartianus in Hadriano.

6. Charitati verò ea potissimum vis, ac prærogatiua inest, vt & si chara in primis vnicuique vita, ac dulcis vitæ præ cunctis amor arrideat, & mori ipsius naturæ ductu quisque refugiat; pœnitentiæ tamen impulsu, ac supernæ Charitatis imperio, ac perennis adipiscendæ spe gloriæ ipsam, quam cuncti horrent, mortem amplectatur, vitamquè ipsam charitatis quisque obsequio addictus vltrò, libenterque profundat. Quod Dux olim militum, & sacri religiosique Dominicanorum Ordinis vel suo satis exemplo ostendit, de quo isthæc Cantipratanus: *Dux quidam (inquit) in Hungaria potentissimus relictis in Principatu filijs, Ordinem Prædicatorum intrauit. Erat autem sufficienter literis instructus, & factus est egregius, & deuotissimus Prædicator. Irruentibus ergò Tartaris, & Priore domus cum Fratribus fugiente, petiuit idem Frater quondã Dux, vt in solatium dimitteretur debilium Populorum, dicens se confectum senio, & etiamsi non occideretur à Tartaris, in proximò tamen moriturum. Permissus igitur remansit in domo Fratrum, & admonitione dulcissima pauperibus, et debilibus, qui fugam inire non poterant, ad patientiam confortans, ipse vsque ad irruptionẽ Barbarorum pronus in oratione, et lacrymis in Ecclesia in modum Crucis extensus, ante Altare iacebat, et sic ab impijs est occisus.*

Charitas, mortem, quam caro ipsius refugit amplectitur.

Rainaldus an. 1241. n. 24

Dux in Hũgaria potẽs sæculo se abdicans irruentibus Tartaris in claustro im motus remanet.

Cantipratanus lib. 2. cap. 44. n. 2.

Ab impijs in Ecclesia orationi intentus occiditur.

Recedentibus ergò Tartaris, ad Domum Fratres reuersi sunt, & Fratrem quondam Ducem lanceis terebratis pedibus, et manibus, atque confossis omnibus membris et cerebro excusso de capite, coram Altari, vt dictum est, inuenerunt; quo piaculo cùm cuncti Fratres nimium ad lacrymas mouerentur, quidam præ cæteris horrens ingemuit dicens: Tu Domine Deus, quare tantum Virum tam iniqua morte, et pessima passus es interire? Cumquè in luctu, lacrymis, et redargutione iudiciorum Dei, tribus diebus, et noctibus ferè ieiunus, et sine somno penitus permaneret; tandem in excessu mẽtis raptus vidit per visum, quem fleuerat, dicentem sibi: Nonne oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Et hęc dicens disparuit, Fratriquè querulanti Diuina iudicia, quæ inscrutabilia sunt, verborum breuitate, & auctoritate satisfecit. Hæc Cantipratanus, qui charitatis eximiæ, haud obscurum istud cunctis ob oculos argumentum proponit.

Dolentibus eiusdem necem Fratribus, apparens ipsos consolatur.

7. Charitas igitur, *quę* (vt Apostolus ait) *non quærit, quæ sunt, & omnia suffert*: Suos vltrò periculis, ac morti spontè, libenterquè deuouet, & vt alijs prosit, volens se ipsam impendit; quod Bernardus Sodalitij montis Oliuetani conditor, Vir olim pietate in primis, ac charitate præcipuus; ostendit, qui ad Deum magis, magisquè promerendum, se totum, operamquè suam omnem publico bono, ac suorum ægrotantium saluti dicauit. Cùm enim ingens, funestaquè lues Anno Christi 1348. totum ferè terrarum Orbem feraliter depasceret, adeò vt nulli Ciuitati, ac loco parcens cunctos passim absumeret, pauci admodum ex tanta calamitatis clade fuere superstites. Is enim, ac tantus mortuorum numerus extitit, vt computari vix posset, quemamodum in M. S. Vaticano,

Apost. ep. 1. ad Cho. c. 13.

Bernardus sodalitij Mõtis Oliuetani Auctor se ipsum aliorum saluti deuouet.

Rainaldus an. 1318. nu. 35.

Vaticano, vbi de pestilentia sub Clemẽte Sexto mentio incidit, & nobis iterum consultò hìc opportunè, ac repetenda est; In præmemorato autem codice hæc planè verba leguntur: *Huius* (Clementis scilicet) *tẽpore fames validè fuerunt penè per totum vniuersum. Item anno quinto sue Coronationis mortalitas terribilis, et fortissima incepit per totum vniuersum Mundum, et durauit per tempora, ita, et taliter; quòd de centum personis tam marium, quàm mulierum, et tam iuuenum quàm senum vix superuixerunt in exitu dictæ mortalitatis, sine epidimiæ decem personæ, et in aliqua parte Mundi poenè quinque de centum.* Verùm quoto hæc lues tempore perdurauerit, sic alius gestorum Clementis scriptor anonymus tradit: *Hæc pestis* (inquit) *durauit vltrà annum prædictum, immò et per duos sequentes in diuersis partibus, vbi non fuerat, se dilatando.* Quibus consentanea (vt alibi inuuimus) subdit Petrarcha qui, & lugubri stylo immensam Orbis calamitatem prosequutus, hanc quidem mortales plures quodãmodò, quàm vniuersale diluuium absumpsisse, his planè verbis affirmat: :

M.S. biblioth. Vat. sig. num. 20. 40. in Clem. VI.

Lues sub Clem. VI totum orbẽ deuastando persuadit.

Gesta Clementis Papæ Sexti apud Bosq.

Franciscus Petrarcha epist. fam. lib. 8. epist. 27.

8. *Iam* (inquit) *annus integer, iamquè alterius bona pars abyt, ex quo nihil viro dignum non dicam facere; sed ne loqui quidem contigit, tonante vndique, ac fulminante ferociter fortuna. Quæ in re benigno sub iudice excuser, si ad examen venerit. Quando hoc posteritas credet fuisse tempus sine Coeli, aut telluris incendio, sine bellis, aut alia clade visibili, quo non hæc pars, aut illa terrarum, sed vniuersus penè Orbis sine habitatore remanserit. Quãdo vnquã tale aliquid visum; aut fando auditu? quibus hoc vnquã Annalibus lectũ est, vacuas domos, derelictas Vrbes, squallida rura, arua cadaueribus angusta, horrendam, vastamquè toto Orbe solitudinem? Consule historicos, silent. Interroga Physicos: obstupescunt. Quære à Philosophis: humeros contrahunt, frontem rugant et digitulo labris impresso, silentium iubent. Credet ista posteritas, cùm ipsi qui vidimus, vix credamus, somnia credituri, nisi experrecti apertis hæc oculis cerneremus, et lustrata Vrbe funeribus suis plena, domum reuersi, exoptatis pignoribus vacuam illam reperientes, sciremus vtique vera esse, quæ gemimus.* Hæc aliàque præmemorans auctor, dum luem omnium acerbissimam, mortuorumquè innumeram ferè multitudinem viuis in tabula coloribus vnicuique ob oculos exhibet contemplandam; cuius & arcanam subinde causam altiùs suis in paginis rimari non desinit, ad quem nos pium Lectorem apud Rainaldum in suis Annalibus hæc narrantem consultò amandamus.

Matthæus Villanus lib. 1. c. 2. & aly.

Calamitas fidẽm omnem transced itur.

Vualsingam. in gestis Anglorum in Eduardo 3.

9. Incredibile autem dictu est, vt ex Vualsingamo traditur, quot myriades myriadum Paganorum peremerit: quo flagello infideles ob superstitionem veterem se perculsos rati, ad ipsa Christi Sacramẽta profugerint; hæc enim scriptor laudatus habet: *Sed comperto* (inquit) *quod in secta Christiana eadem pestis inualescit, iterum ad vomitum reuertuntur.* Ira miseri cum nõ perpenderent & apud Christianos non deesse debere supplicia, qui suis etiam sceleribus non carerent: sed fidelium calamitas cum ipsorum calamitate conferenda non fuit, vt Villanus affirmat. Porrò dum sæuissima pestis passim vbique locorum recrudesceret, deuastaretquè Prouincias, quin tum Orientales, atquè Occidentales Regiogiones, in Religiosæ vitæ sectarores suam eum in modum vim exercuit, ac tantus Religiosorum hominum numerus epidimiæ morbo absumptus est, vt exhaustis Monasterijs; Cœnobijsquè pristinæ austerioris (vt Rainaldus in suis Annalibus tradit) relaxandæ vitæ occasione suborta, pia, ac laudabilis disciplina vetus fit penitus intermissa cum præcipua sanctitatis, & scientiarum item lumina in Sacris hominum Ordinibus, magno Christianæ Religionis damno desiderari contigerit.

Pagani flagello eiusmodi resipiscunt de fide Christi amplectenda cogitat.

Matthæus Villanus lib. 1 cap. 2.

Luem in Christianos grassantem videntes ad vomitum regressi.

S. Antonin. par. tit. 21. c. 5. §. 3. Vualsingam. n. 3. an. 1341.

Religiosorũ hominum ordines lætari contigit.

10. Inter præcipuos autem Viros, quos morbus abstulit, vnus fuit Bernardus Sodalitij montis Olíueti Auctor, qui hoc planè anno Senis diem feliciter clausit, dum veluti Pastor bonus animam suam pro ouibus tradens, pro charitatis obsequio nõnisi æterna temporalẽ vitam commutauit; de quo isthæc præclari instar tituli Ferrarius monimenta laudum in suis historiarum paginis opportunè commemorat. *Bernardus* (inquit) *vbi sui Ordinis confirmationem ab eodem Pontifice, nimirum Ioanne XXII. etiam a Clemente VI. et vt palam testatur diploma amplissimũ, Auenionem profectus obtí-*

Bernardus sodalitij Montis Oliuetani auctor lue correptus obit.

Ferrarius die 21. Augu. sti ex M. S. Chronico Ordin Oliuet.

Extat in Bulla in Clemente VI. constitut. 2.

obtinuisset, annosque viginti septem ei optimis legibus communito præfuisset Senis, dum suis Monachis pestilentia, qua tunc grassabatur in ea Vrbe, infectis proprijs manibus inseruiret, & ipse percussus peste, spiritum Deo reddidit anno salutis M. CCC. XLVIII. Kal. Septembris. Quibus Ferrarius in Viri laudem narratis, nobilis instar coronidis, Bernardo eximiæ erga proximos charitatis feruore succenso, ac pro ijsdem se vltrò, sponteque deuouenti hæc inscribit: *Etsi eum* (inquit) *vti Beatum in monte Olieuti, vbi corpus asseruatur, venerantur; haud tamen officio Ecclesiastico colunt, nondum ab Apostolica Sede facultate impetrata.* Et hæc de Bernardo pia charitatis erga laborantes lue officia præferente hic enarrasse voluimus.

Ferrarius vbi supra.

Dignum tanto Viro eiusque virtutibus elogium.

11. Et impensa quidem charitas (vt hæc vel obiter iam dictis inseramus) ac pia Christianorum manu lue laborantibus opera, tanti apud Deum meriti est, vt ipsius quodammodo martyrij coronam, & è proximo laudes attingat. Quapropter solemnis, ac digna compluriũ in Romani Martyrologij tabulis mentio recolitur, qui infirmis eiusmodi ministrando charitatis gratia mortẽ obiere; hæc enim ibi. *Alexandriæ commemoratio Sanctorum Presbyterorũ, Diaconorũ, & aliorum plurimorum, qui tempore Valeriani Imperatoris, cum pestis grauissima grassaretur, morbo laborantibus ministrãtes, libentissimè mortem oppetiere, quos velut Martyres religiosa piorum fides venerari consueuit.* Quibus & isthæc in suis Baronius notis ab Eusebio mutuatus subtexit: *Ex patribus* (inquit) *qui virtute erant præstantissimi, in hunc modum mortem oppetiuerunt, quorum nonnulli erant Presbyteri, alij Diaconi, quidam è populo; Virtutis ergò multùm laudati, adeò vt istud mortis genus, quod propter incredibilem pietatem, & robustam fidem suscipiebatur, nihil à Martyrij splendore abesse videretur.* Hæc Dionysius, dum istorum laudes dignè prosequitur, scriptisque commendat. Quoniam verò opportuna hic mentio incidit, haud ingratò à nobis silentio prætereundum est, nonnullos, at summa ob id quidem dignos laude, recurrente anno redempti Orbis M. DC. LVI. cum pestis in Vrbe sub Alexandro Romano Pontificé huius nominis Septimo grassaretur; tum è Religiosorum cœtu, tum ex piorum hominum numero, pœnitentiæ potissimum causa ad impetrandam sibi à Deo culparum veniam, & charitatis in proximos exercendæ zelo adductos, se ad inseruiendum, ac ministrandum epidimiæ morbo laborantibus spontè, libenterq; obtulisse, qui subindè in laudabili eiusmodi opere vita simul, & charitate egregiè perfuncti decessere.

Martyrol. Rom. die 28 Febr.

Obsequijs & opera lue laborantibus impensa, pro martyrio computatur in Romano Martyrologio.

Eusebius hist. lib. 7. cap. 16. & 17.

Plurium eiusdẽ Christianorum magna apud Eusebium mentio sub Valeriano Imperatore.

An. 1656. dum lues in Vrbe grassatur piorũ hominum charitas effulsit.

Inter hos quidem Petrus Franciscus Scarampus Vir illustris prosapiæ, clarisque ortus natalibus, iuremeritò adnumerandus est, qui cum primùm à Virorum Principum aula receptui canens, in Congregatione Oratorij sub S. Philippi Nerii institutis adscriptus, omni virtutum studio floreret, is breui tantùm profecit, vt non multo post ab Vrbano VIII. inter obortas Anglicani Regni procellas ad ingruentes illorum temporum calamitates quoquo modo sedandas, solandosque Catholicos sub onere fatiscentes, in Hiberniam Apostolici Nuncii insignitus munere directus, summis iniunctam sibi Prouinciam laudibus gerens, ac ingenti Catholicorum prouentu munus per aliquot annos exercuit. Indè verò suo post benè functus munere sub Innocentio X. in Vrbem reuocatus Congregationis Oratorii præfecturam sibi vltrò à Patribus delatam, inuitus, nolensque suscipere compulsus est. Quo in munere dum totus incumbit noua exercendæ charitatis occasione permotus, ac epidimiæ morbo languẽtibus inseruire cupiẽs, vt suã vir vtpotè Apostolicus, charitatis gratia, proximorum beneficio vitam impenderet, illa secum Apostoli verba repetebat: *Ego* (inquit) *me impendam, & superimpendar pro animabus vestris.* Ingeniosa itaque vsus arte, ad publicam ægrotantium domum ad S. Bartholomæi in Tyberina insula profectus, morarum impatiens, pauperum se ibidem obsequio destinandum curauit. Quod autem impensè adeò cupiebat, feliciter assequutus est, iuncto insuper sibi operis socio Virgilio Spada nostræ item tũc Cõgregationis Presbytero, pari charitatis feruore, ac propositi zelo, qui Pontificiis primùm

Petrus Franciscus Scarampus vita clarus natalibus, charitate in proximos apud Deum clarior.

Ab Vrbano VIII. Nuncij Apostolici munere ac titulo in Hiberniam missus postea rediens Congregationis Oratorij præpositus.

Apost. 2. ad Corint. c. 12. 15.

Pestilentiæ tempore se ægrotantiũ obsequio deuouet.

Virgilius Spada Congregationis Oratorij, ipsi comes adiũgitur.

primùm eleemosynis sub Innocentio X. Præfectus, ac demum sub Alexandro VII. Archihospitalis S. Spiritus in Vrbe Præceptor, Pontificis iussu inuitus muneri, quod per se honorificum est, præesse compulsus, dum summa ibidem quotidiè ægrotis tum charitate deseruit, tum humilitate laudabiliter è vita decessit. Nemine igitur è nostris conscio, Scatàpus festiuo S. Mauritii Thæbeorum Martyrum Ducis die, cuius ille insigniis à Sabaudiæ Principibus decoratus fuerat, ad hospitalem domum profectus, Nosocomii præfecturam solo contentus labore, ac pauperum vtilitate, gratis pro ampla sui mercede administrandam suscepit. Vnum tamen ipsius menti propositum fuit, vt sua ægrotis manu ministrando, suamque ipsis operam impendens, vitam pariter pro ipsis (quod sibi, vt diximus, dudum in votis erat) ob Dei amorem impenderet.

Clam Nosocomium adit, eiusque ministerio præficitur.

12. Verùm re subindè comperta, ne tanti Viri, vtpotè ad magna quæque nati salus in apertum discrimen veniret, graui Superiorum impetu à ministrando ægrotis prohibitus, vt ab eorū commercio omnimodis abstineret, loci duntaxat, ac Ministrorū ibi demorantiū præfectura contentus, mandatum accepit. Quod ille præ charitatis, qua agebatur, feruore ægro animo tulit; quippè qui re optatissima fraudatū se, ac exercendæ charitatis præcludi aditum videns, eiusmodi, non secus ac pretiosa è manu corona in stadio prærepta, iacturam eiusmodi non potuit non vehementer obdolere. Ad id, & illud accessit, quod audito plerique clandestino ipsius ad publicum Nosocomium accessu, cum Viri dignissimi, vel in aperto vitæ discrimine, ac vili, vt putabant, ministerio destinatum viderent, id iniquè ferentes, altiùs oblatrarent; Quod ille resciens, suum è contra conceptis animi propositum verbis ad amicos scribens, sic vltrò testatus est: *Sinite* (inquiens) *me: sexaginta etenim anni sunt (sexagesimum quippè tunc ætatis annum agebat) ex quo inseruiendi Dominis meis pauperibus in publico Nosocomio infirmis occasionem praoptaui; & libentissimè quidem me cum Apostolo impendam, & superimpendar pro fratribus meis. Parcitè mihi fratres, quid enim mihi prosit, ego scio.*

Re conspecta ipse, ac socius à ministrando laborantibus prohibiti.

Ad Chorint. 2. c. 12.

Diù id sibi in votis fuisse, vt lue tactis inseruiret vltrò constanterq; affirmat.

Porrò vbi primùm interdicta sibi pia, quæ meditabatur, charitatis erga languentes officia intellexit, dolorem animi dissimulare haud valens, hoc vno se ipsum releuabat, quod scilicet etsi ad ægrotos ipse accedere propiùs vetabatur; futurum tamen spetabat, vt serpens ægrotantium lues ad ipsum propiùs præoptantem accedens, voti compotē faceret. Quod autem dixit, hoc illi adamussim contigit: Enimerò cum inopina hominem loci ipsius obsequio destinatum, ac ipsi in aliquibus deseruientem febtis inuasisset, & ipse Diui Martini exemplo piè, humiliterquè Dominus famulo inseruiens ministraret, Epidimiæ morbum contraxit, ex quo postea vterque decessit. Correptus igitur lue, ac se à Deo benignè exauditum videns, ingenti mox spiritus feruore Ecclesiæ Sacramentis premuniri voluit, totusque præ gaudio gestiens, ac morti lætus occurrens, lue, vt sibi in votis fuerat, breui absumptus, spiritum Deo reddidit. Cui meritò solemne illud Christi verbum occinit: *Maiorem hac* (inquit) *dilectionem nemo habet, vt animam suam ponat quis pro amicis suis*. Et sic dum se pro fratribus offert, vitæ immortalitatem lucratus, magnum sui cunctis desiderium pariter, ac exemplū reliquit. Cuius corpus Superiorum permissu in Ecclesia SS. Martyrum Nerei, & Archillei Via Appia tumulatum eiusmodi elogio decoratur:

Libenter impendere se ipsum ac pro fratribus vitam superimpendere præoptabat.

Beato Martini exemplo cuidam cuius ille vtebatur opera inseruiēs luem contrahit.

Ioann. 15. c. 1

Breui lue correptus meritis & charitate in pauperes dies diem claudit.

Petro Francisco Scarampæ,
Romanæ Congregationis Oratorij
Præposito;
Qui dum feruore charitatis accensus
Pestilentia laborantibus vltrò ministrat,
Eodem morbo correptus,
Optatam mortem pro mercede recepit
Prid. Id. Oct. M. DC. LVI.
Aetatis suæ LX.

Et hæc, vel obiter narrasse sufficit.

13. Miro item in proximos præ cæteris Christianæ charitatis exēplo Ioānes Lusitanorum Rex præfulsit, qui aucti apud Afros Imperii, ac propagatæ Christi apud Aethyopes occidentales, Reli-

Ioannes Lusitanorum Rex ac propagandæ Religionis zelo clarus.

Rainaldus. an.1495.num. 44.

Cominaeus lib 8.cap.116. Osorius lib.2. Surita tom.5 lib.2. cap.15.

Religionis cultu, & gloria clarus, tandē Deo charus, ingentem sui amorem, ac desiderium relinquens è vita abiit. Ingens quippè ipsius in Deum pietas, & charitas pariter in subditos præfulsit. Haud tamen desunt, qui sua Regem crudelitate rerum gestarum gloriam denigrasse affirmant. Ab Osorio autem vir tantus ab omni prorsus iniuria vendicatur, dum propinquorum cædes ab eo patratas, non tam voluntati, quàm necessitati adscribit; hæc enim, dum ipsius meritorum prœconia in suis historiarum monumentis recenset, pro ipsius excusatione in medium affert:

A nonnullis crudelitatis noca ipsi inuritur, sed ab Osorio excusatur.

Attulit (inquit ille) *quidem multis Viris nobilibus necem, & Principes etiam sibi coniunctos interfecit, quos animaduertebat, aut parum obsequentes esse, aut perniciem in illum machinari; sed id nisi fecisset, neque regiam dignitatem tueri, neque vitam conseruare potuisset.* Eius verò subindè laudes egregiè prosequutus, hæc habet:

Quanta se digna præstiterit.

Tanta (inquit) *erat eius animi magnitudo, vt quamuis corpore in patria consisteret, mente tamen orbem terrarum peragraret, multaque animo frequenter agitaret, eaque moliretur, quæ si non fuisset immatura morte sublatus, nomen illius clarissimum reddere potuissent.* Et infra. *Populi non tam illum vt Regem venerabantur, quàm vt parentem amabant, eorū enim commodis animo patrio consulebat; hæc autem illius sententia meritò laudari solet, cum diceret sibi non tam propositum esse, vt operis hominum ad aurum quærendum abuteretur, quàm vt aurum quæreret, vt opibus suis hominum inopiam sublearet. Cum accepisset esse volucrem, quæ rostro pectus dilaceret, vt pullos serpentum morsibus exanimatos sanguine suo profuso in vitam reuocet, eiusdem volucris imaginem suis insignibus adiungendam curauit, vt ostenderet se esse paratum pro suorum salute sanguinem suum profundere; ex omnibus tamen virtutibus, quibus illum præditum fuisse commemorant, nulla fuit admirabilior singulari quodam pietatis, & Religionis studio, quo mirificè flagrabat; nunquam enim eum neque turbulenta negotia, neque coniurationes contra illum factæ, neque malorum omnium tempestates à rebus diuinis summa cum Religione procurandis abstraxerunt.* Hæc auctor. Rex igitur adeò in Deum pius, & Religionis propagandæ studio clarus, tantoque in proximos charitatis ardore succensus, pœnitentiæ item, vt faceret Deo satis, operibus maximè intentus diem satis feliciter clausit, vt Rainaldus sic de ipsius exitu meminit: *Tandem* (ait) *cum vitæ finis adesset, quo mors vanis consilijs velum detrahere solet, Emanuelem, cuius fratrem natu maximū sua manu in conuiuio interfecerat, vti iura decreuerant testamento successorem reliquit, sacrisque omnibus, quæ ad expiandum animum pertinebant, ritè procuratus, virtutis, & pietatis specimen dedit.* Culpis igitur pœnitentia salubriter expiatis, & haud dubiis conciliati in Emanuelem animi vltrò præmissis signis, immortalitatem adiuit.

Populi ipsum vt Regē venerabantur, sed vt patrē amabāt.

In charitatis exēplo pellicanis suo pullos sāguine viuificantis imaginem in suo stemmate vult adūbrandam.

Surita vbi supra cap.75.

Rainaldus an.1495. vbi supra.n.45. Comin. vbi supra cap.17.

Felix ipsius è vita exitus qui charitatis in proximos argumēta haud dubia reliquit.

14. Paribus quoque ob eximia in cunctos amoris, ac beneficentiæ documenta, Henricus VII. Angliæ Rex, laudum præconijs celebrandus hìc est, qui virtutibus vtpote cunctis præstans, ità pietate, & mansuetudine clarus regiarum præcipuè legum vi obnoxijs sub vitæ finem reatum indulgens, magnum de se æqui, bonique argumentum præbuit; Dum enim iam morbo absumeretur, promulgato edicto, vt iustum se ac benignum pariter ostenderet cunctis, qui leges pridem violassent, homicidis exceptis, ac furibus, quòd non regium apicem, sed proximum læsissent, pœnam omnem præscriptam legibus laxauit. Vir ergò inter Reges magnus, magnis meritò à Polydoro Virgilio laudibus exornatur, eique ob pietatem hoc hoc nobile elogium inscribitur; *Impiger* (inquit) *fuit religionis, & iuris obseruator, ac cultor; libenter enim rebus diuinis operam dabat, intereratque, dum fiebant, nec vllo negotio, aut tempore ab eo officio excludebatur; attentè audiebat quotidie binas, ternasque Missas, quas vocamus, & sæpè conciones sacras, assiduè inopibus hominibus eleemosynam dabat & id quidem in occulto, cum licebat, iuxtà illud Christi Seruatoris præceptum, vt nesciret sinistra manus, quid dextera faceret, illiusque muneris obeundi causa domi ex maiorum instituto habebat ministrū, qui Eleemosynarius dicitur: Sacerdotio honorem habebat, illudque piè colebat, libens*

Henricus VII. Angliæ Rex beneficētia in suos præcipuus.

Rainaldus an.1509. num.35.

Polidorus Virgilius lib.26. Mariana lib. 29. cap.17.

Dignum ipsi à Polydoro elogium inscribitur.

iuuabat, largè augebat, qui delubrum ad Vuestmonasterium, & cœnobia tria Franciscanorum, quos obseruantes appellant, vnum apud villam suam Richemundiam, alterum Grenevichi, tertium Nauarci condidit, ac ijs assignauit totidem cœnobia, quæ familiæ; altera Franciscanorum, qui Conuentuales vulgò nuncupantur, Cantuariæ, Nouicastri, & Suthanoni diù habuerat. Item orabat multùm, & festis præsertim diebus horas recitabat canonicas, sed non suis adeò fretus est precibus, quin Sacerdotes cuiusque ordinis sui adiutores non expeteret; quos enim integros, atque innocentes esse certò quasi sciret, illis secretò largitiones faciebat, vt pro se orarent, & toto passim Regno certis in templis iusta quotannis sibi, postquam mortem obysset, facienda constituit; ad idque ex suo mercedem paratā voluit, vt cura, atq; opera in supplicando diligentiùs à rerū Diuinarū administris daretur. Hæc Christiani Principis vita, qui animo ex corporis custodys liberato, duceret alteram esse vitam, & eam quidem multò meliorem, ad quam adspiraret. Hæc de optimo Principe, qui salutis memor suum pijs obitum virtutum actibus, & Christianis præueniens, officijs expeditum sibi ad æternitatem aditum meritis diues parauit. Huic Henricus VIII. filius rotus planè ipsi moribus, ac pietate impar in Regno successit, qui eximij quidem Principis Principatus initio specimen præbuit; sed in tyrannum subinde praua abductus libidine, omnium teterrimum, & in apertum Ecclesiæ hostem Schismaticorum antesignanus desciuit.

Pietas in eleemosynis elargiendis, & Monasterijs exædificandis.

Precibus instat, & alionum preces pro se Deo offerri vult æternæ vitæ memor.

Henricus VIII. eius filius à patre degener, in tyrannum desciuit.

15. Anglorum verò Regi, cuius digna hactenus mentio incidit, Emanuel Lusitanorum Rex, bonorum vtpote omnium commodo natus, iungendus est, piorumque omnium luctu præreptus, ob eximias animi dotes, post nobiles haud semel ex barbaris infidelibus reuectas palmas, & post iugem, ac indefessam prouehendæ fidei, ac Religioni apud dissitas Orbis terrarum gētes amplificandæ impensam operam, diues virtutibus migrans in Cœlum, cunctorum votis desideratus in terris est. In ipso autem vitæ exitu, quod ipsius Cœlo seruaretur spes, manifestæ pietatis, quæ in Deum exhibuit, documenta testantur, vt Hieronymus Osorius Siluensis Episcopus; qui pereleganti eius res gestas stylo complexus, his verbis tradit: *In anni (ait) huius exitu Rex Emanuel eo tempore, quo magnis opibus, & imperio, summaque nominis gloria, & celebritate florebat, in morbum subitò incidit, ex quo post dies nouem decima tertia die mensis Decembris ex hac vita migrauit, quinquaginta duobus annis, & sex mensibus vixerat, è quibus viginti sex annis, & mense cum dimidio regnauit. In ipso vitæ fine maxima quadam insita Religionis, & pietatis documenta dedit: testamentum cum singulari prudentia fecit: animum sacris sanctissimis expiauit, mortis certissimæ nuncium æquissimo animo tulit; sacerdotes, qui illum circumstabant, & hymnis, atque precibus ad Deum adhibitis, vota pro illius salute sempiterna faciebant, adiuuabat, & versus sacrorum carminum mulsis locis memoriter pronunciabat. Fuit in Bethlemitico templo, quod fundarat, cum multis lacrymis, quas desiderium illius excitabat, cum regio funere, omniumque fermè Principum, & nobilitatis vniuersæ celebritate in sepulchro conditus, &c.* Et infra: *Regni patrimonium miris accessionibus amplificauit: Armuzum Arabiæ portum, Indiam Indo, & Gange definitam, eam etiam, quę vltrà Gangem est, extremasque Orientis Solis regiones Imperio adiecit, terras incognitas perlustrauit, &c.* Hæc ille, qui mira item pij, ac deuoti Regis recolens gesta, isthæc in demortui laudē prosequitur, ac dignas, quibus mortem præuenit, exercitationes his planè verbis recenset.

EmanuelLusitanorum Rex bonorū commodo, ac publicæ vtilitati natus.

Rainal. ius an. 1521. nu. 112.

Ioannes Barros, decad. 3. lib. 3. cap. 7. Osorius lib. 12. Maffeius lib. 8.

Magna pietatis sub vitæ finem documenta præbet.

In Betlemitico templo, quod fundarat, cunctorū lacrymis tumulatur.

16. *Itaque* (inquit) *felicitas illius, quæ fuit incredibilis, non est fortuna, vt hominum vulgus, sed diuino beneficio, quod virtutibus illius fauebat, attribuenda. Fuit enim vita continens, natura benignus, religione pius; præterea mitis, atque mansuetus, & in summa grauitate comis, & perhumanus; Aditus facillimos habebat; In administrando iure, & negotiis impigrè gerendis summam diligentiam adhibebat; Manè, & sæpe numero ante lucem surgebat, & rebus diuinis operam dabat: tum in supplicum postulatis audiendis, & negotiis Reipublicę transfigendis tempus omne consumebat. Erat in sermone*

Felicitas ipsius Deo, haud fortunæ adscribēda ex Osorio.

Osorius vbi sup lib. 12.

Dotes virtu tum charitas & in administrando Regno solertia

ne iucundus, & non mediocri vrbanitate præditus, & admodum liberalis: Domesticorum necessitatibus summa benignitate consulebat: milites alebat: res præclarè gestas non solùm laudibus, sed multis etiam muneribus, & beneficiis prosequebatur, egentium inopiam opibus suis egregiè sustentabat: Viris Religiosis, & virginibus sacris non solùm ea, quæ ad cultum Religionis, verùm quæ ad domesticum vsum pertinebant, largè, & munificè suppeditabat. Nec Auctor in ipso exornando his inter narrandum cõtentus hæc subdit: *Admodum temperatè cibis vtebatur: à vino semper abstinuit, & diebus solemni ieiunio consecratis ciborum abstinentiam summa Religione conseruabat: fauebat plurimùm literis: de moribus externis multa percontari solebat: historias libenter audiebat: Quoties cibum publicè sumebat, erant epulæ magis iucundo, & vtili sermone, quàm coquorum artificio conditæ.* Hæc ille.

Ipsius in cibo frugalitas & abstinentia.

Osorius vbi sup.

Pia ipsius studia laudabiles, & illis diebus exercitationes.

17. Verùm in his, quæ ad orthodoxæ Religionis pertinent cultum ipsius maximè studium enituit, de quo hæc Auctor: *Ecclesiæ* (ait) *sanctionibus alacritate singulari parebat: mores, & ritus ab Ecclesia constitutos summa sanctitate & cæremonia tuebatur: tempore, quo memoria suppliciorum, quæ Christus pro nobis in Cruce pertulit, ritu solemni consecratur, à templo minimè discedebat, & tribus diebus, quibus sanctissimum Eucharistiæ sacramentum erat, in sepulchri quadam similitudine conditum, vt nobis memoriam nostræ salutis repræsentaret, neque vestes exuebat, nec ab eo loco nisi ad aliquod breue tempus abscedebat, & cum somnus illum complectebatur, ibi sine vllo vitæ delicatioris instrumento parumper accubabat. Multas Sanctorum hominum Religiones instaurauit, fluxosque mores ad pristinam seueritatem, & sanctimoniam reduxit. Aedes sacras quamplurimas vel à fundamentis extruxit, vel collapsas refecit. Odio acerbo Mahumetis sectam prosequebatur; & ea de causa tanto studio bellum in Africa, & Asia comparabat, vt quantum in illo esset, memoriam erroris pestiferi deleret. Sic autem Religionem colebat, vt nunquam studium publici iuris, & Reipublicæ rationem intermitteret: Sic Reipublicæ constituendæ, atque legibus inuigilabat, vt bellicarum rerum curam nullo modo deponeret. Sic musicis, aut venatoribus se oblectabat, vt in mediis voluptatibus salutis publicæ memoriam retineret. Idque eodem tempore classes in Mauritaniam, & Aetyopiam, in Orientis solis regiones instruebat: præsidia in varias partes submittebat: iuridicundo operam dabat: hominum querelis aures assiduè præbebat: commissa facinora vindicabat tanta tamen lenitate præditus erat, vt non facilè hominum cupidorũ, & omnia pericula metuentium postulatis importunis obsisteret. Id autem effecit, vt manus multorum immodicè sacris rebus afferri permitteret, & transmissionem in Africam, cuius studio tantopere flagrabat, ità differret; vt mors improuisa posset omnes illius cogitationes impedire: attamen quamuis, vt res humanæ sunt, aliquid eiusmodi, quod reprehensione dignum videatur, in se admitteret, fuit is Princeps multis regiis virtutibus ornatissimus, & immortali memoria consecrandus.* Quibus sanè Auctor verbis laudatissimi Regis, & de Ecclesia optimè meriti laudibus finem imponit.

Eleemosynarum elargitiones.

Sacras ædes extruit, vel restaurat.

Nunquam vel dum otiatur à publicis curis omninò otiosus.

At si in quibusdam culpandus in seipso tamẽ summè laudandus.

18. Charitas demum, & misericordia, *quę* (vt ille virorum sanctissimus ait) *comes est defunctorum*, suis profectò largam, exoptatamq; deesse mercedem non patitur, adeoque vel sola interdum vnius boni operis exhibitio homines alioqui perditos ad consequẽdam sub vitæ finem à Deo veniam, ipsiusque promerendam gratiam (vt Petrus Damiani assertor est) plurimùm iuuat: *Sępè* (inquit) *contingit, vt inter multas carnalium actionum tenebras vnũ boni operis lumen erumpat, quod hominem ad bonum finem, portumque perducat*, vt narrando infra satis exemplo euincitur: *Vir quidam* (ait) *in Alemanniæ partibus auia saltuum, prærupta Montium opaca sylnarum venandi studio peragrabat, Hic itaque dum anxius huc, illucque discurrit, & sollicitus curiositatis indagine ferarum lustra perquirit, inuenit duas mulieres, matrem scilicet, & filiam, per illos hyemalium cumulos pruinarum, & profunda niuium rudera miserabiliter oberrantes. Qui protinus misericordia ductus, comiti*

Misericordia charitas defunctorũ comes.

Petrus Damian. epist. lib. 6. epist. 21

Ob vnicum quandoque opus bonum nonnulli salutẽ à Deo consequũtur

suo, qui eum solum sequebatur, ait: leuemus in equis has fæminas singulis singulã, & ad hominum habitacula deuehamus; quia vel oberrantium fortè luporum sunt morsibus exponendæ, vel vi nimii algoris sunt proculdubio moriture. Quod comes penitus abnegat, & hanc se ferre posse stomachatur iniurium: Cui Dominus: Ego (inquit) si tu fastidis, solus vtramque leuabo, & hanc, quam tu dicis iniuriam, alacriter sustinebo. Cumque vnam post se, & alteram, in medio residens, poneret ante se, tandem socius mente compunctus, atque confusus, Domino suo cessit vnam, & ipse ad subuehendum corripuit alteram. Sic igitur eas per difficillima loca, et longos anphractus nõ sine periculo graui detulerũt donec scilicet Molendinum casu obuium reperirent, ibique eas deponerent. Adiecit etiam Dominus, vt vni earum vestem traderet, qua vim frigoris aliquantulum temperaret. Hæc profectò eximia nobilis viri pietas infimo seruo exhibita, amplam illi à Deo mercedem promeruit, & hominem, qui vitam fœminis præseruarat, religiosæ vitæ, naufragum è Mundi procellis ereptum peperit, vt Damianus sic historiam prosequitur.

Quidam ob duas fœminas semel mortuas in deserto seruatas Dei gratiam promeretur.

Petrus Damianus vbi sup

19. *Hic (ait) aliquanto post tempore factus est Monachus, & deinceps ingrauescente molestia ad extrema perductus est. Tunc fratribus, qui adstabant, cum magna cœpit animaduersione clamare dicens: Videtis innumerabilium dæmonum turbam, quæ me vndique circumuallat, meque terribilibus oculis intueri, et impugnare non cessat: cumque continuis orationibus, et psalmodiæ fratres insisterent, ille tamen nihilominus terrefactis visceribus formidaret, tandem ille, qui sibi, sicut dictum est, in venatione comes extiterat, assistens protinus exclamauit: Nonne vides, quod mulier illa, quam tecum simul ad aquimolum deuectaui, vestimentum illud, quod sibi tunc dedi, tenens in manibus, ventilat, et omnes ex hac domo obtutibus, mulieris huius impulsu, prorsus euanuerunt. Sic igitur ille sub bonæ spei securitate defunctus est, et misericordiæ fructus, quam viuus exhibuit, oblatos sibi, dum moreretur, inuenit.* Hæc Petrus Damiani; Charitas quippe proximo ob Dei amorem præstita, haud irremunerata pietatis opera in Cœlis apud Deum præterit.

Vir ipsius Monachi institutum arripit.

Sub vitæ finem ob dæmones ictus lo adstantes territusque mulierem cui vestem dederat, dæmones è loco abigentẽ videt & placidè obiit.

2. Ad Cor. c.7.

20. Quoniam verò charitas, iuxta diuinum Apostoli verbum dilatandi cor hominis vim habet, quantum profectò hominem paupertas terrenarum inopia rerum angustando plerunque sollicitat, tantundem se ipsa charitas magis magisque inter angustias subleuat. Quod vt exemplis comprobetur, hic meritò inter cæteros, qui anteacto sæculo in Vrbe quantumuis pauperes, charitate tamen, ac magnitudine animi præfulsere recensendus est Literatus nomine homo alioqui rudis, cui solemne illud Beati Dominici Prædicatorum Ordinis Patriarchæ, aptè, appositèque occinuisse visum est elogium. *Plus (inquit) didici in codice Charitatis, quam in tota Sacra Scriptura.* Vir etenim, de quo nunc sermo, probè charitatem in proximos ex Euangelio edoctus, ac ipso item opere alios absq; literis docturus, puerulos pauperes ipsis orbatos parentibus, & qui omni carentes ope per Vrbem olim diuagabantur, plusquam paterna charitate complexus, primo in vnum aggregare cœpit, adeoque sub Clemẽte VIII huius nominis ingentem ipsorum numerum vna secum eleemosynas per Vrbem emendicando deducens, pias quasdam iisdem ad cantitãdum laudes præscripsit, ac vias, vbi frequentior populi multitudo excurrẽs, ne pueri otio vacarent, vt ante artificum officinas scopis verrerent, curabat. Noctu verò, quia nondum ad ipsos recipiendos domus suppetebat, in semotos quosdam fornices, qui Ecclesiæ S. Laurentij vulgò in pane, & perna in Viminali Monte substant, vbi Decij olim Imperatoris palatium, extabat cunctos deducens, ibi emẽdicato pane, & incredibili singulos charitatis affectu nutricis in morem alebat; Quod vbi primũ Hieronymo Cardinali Rusticuccio Papæ Vicario innotuit, Pompeio Paterio Ticinensi Congregationis Oratorij S. Philippi discipulo, eique apprime charo, miræ item tum charitatis tum prudentiæ in pijs prouehendis operibus cuius ille dexteritatem expertus, vt de Literato, ac noui operis instituto diligenter inquirat, iniungit, qui noctu locũ adiens cũ sũma charitate ab homine rẽ agi cõperisset, ipsum laudando non valdè insuper mirari

Mira Literatus in proximos charitas.

In vit. S. Dominici Præd. Ordinis Fund.

Pueros parentibus orbatos, ac dispersos alẽdos suscipit.

Pijs eosdem moribus instruit.

rari non potuit. Cunctis igitur ad Cardinalem delatis, pium eiusmodi, quod satis ipsa per se charitas commendabat institutum, ab omni vtpotè mali suspicione procul ab eo pariter approbari meruit, adeoque domus ad pueros alēdos, recipiendosque iuxta Flaminiam, & vulgò Populi portam piorum eleemosynis conducta est. Verùm haud multo post Vir alter pius, Antonius nomine, charitatē ipsius Literati æmulaudi cupidus, puellas item, quæ passim per Vrbem dispersæ vagabantur, ne ipsarū pudor in discrimen veniret, in vnum cōgregandas curauit, quas ille in alia seorsim domo à pueris pio eleemosynarum subsidio alebat. Subindè verò cum in dies puerorum, ac puellarum numerus augeretur accidit vt ambo Clemēti Octauo B. Mariæ de populo templum adeunti, quo nouo Pontifex operi benediceret, hinc pueros, & illinc puellas ipsi videndas offerrent; Pontifex verò summa, qua præstabat tum prudētia, tum charitate puellarum nonnullas liberali præditas forma, & grandioris ætatis conspiciens, vt ipsis quamprimum prouideretur, suis opportunè demandat; Mandosius itaque præsul Vicesgerens ad Vallicellam mox conuolat, nostrisque Pontificis tum desiderium, tum imperium significat. Ex quo factum est, vt Pompeio Paterio, & Francisco Soto hispano Sacerdotibus nostris adnitētibus Monasterium vulgò Dispersarum, in quo grandiores puellæ reciperentur, & Monasterium insuper Dispersarum S. Euphemiæ, in quo ætate minores alerentur, ad Traiani vulgò Imperatoris columnam initium sumpserint, quod ingenti postmodum puellarum beneficio in Vrbe adhuc laudabiliter perseuerat.

Sub Clemēte VIII. piū opus cępit.

Puellæ in Monasterio inclusæ.

21. Porrò recolenda piorum in Vrbe charitas erga imbellem vtrumque sexum, in ipsis alendis, fouendisque, sub hæc potissimum tempora effulsit, in primis verò Cæsaris Cardinalis Baronij S.R.E. Bibliothecarij, in cuius gestis, vt Hieronymus Barnabeus nostrę Congregationis Presbyter scribit, digna quidem Literati mentio incidit; dum Baronium adhuc Congreg. Orat. Presbyterum Vaticanam Basilicā quotidiè summa pietate inuisentē his planè verbis inducit. *Porrò* (inquit) *sacra limina ascendentem ex templo pauperes vndique occurrentes facto agmine arctissimè obsidebant, solemnem stipem accepturi; die quodam affuit inter ceteros spectatę probitatis homo, Literatus nomine, & qui nuperrimè abiecta rerum humanarum cura multos ex pueris rerum inopia per Vrbem vagantibus collegerat, eosque alendos, et gubernandos per summam pietatem, et charitatem susceperat. Huic Cęsar argenteum nummum more suo cum dedisset: Ne tu (inquit ille diuino spiritu afflatus) horum puerorum eris aliquando protector. Et planè quemadmodum prædixeras ita res cecidit. Vbi enim ad Cardinalatus dignitatem euectus est, continuò Literatorum (sic deindè ijdem pueri à Literato parente vulgò appellati) tutelam & patrocinium spontè suscepit.* Hæc ille. Qua verò sollicitus charitate pueros eiusmodi alendos, curandosque Cardinalis susceperit, rem omni memoria dignam his alibi verbis tradit: *In primis verò* (ait) *magnam curam adhibuit, vt pueros, quos à Literato parente sic Literatos euocant, et commodè alerentur, & partim literis, partim etiam necessarijs ad vsum Reipublicæ artibus imbuerentur. Itaque cum primum creatus est Cardinalis statim eorum patrocinium suscepit. Ad hęc puellas S. Euphemiæ, quas vulgò dispersas vocant, primus omnium in tutelam recepit, atque omni ope contendit, vt in vnum locum colligerentur, ibique victu, cultuque necessariò sustentarentur.* Sic in miseros, ac planè imbelles sexus vtriusque præferuida Cæsaris charitas in Vrbe potissimum affulsit.

Hieron. Barnabeus vit. Card. Baron. l.1.c.19.p.35.

Cæsaris Baronij in pueros charitas, dum ad Cardinalatum fuisset euectus.

Fuit ipse primus eorum protector iuxta propheticum Literati verbum.

Hieron. Barnab. lib.3.c.3. pag.145.

22. Literatus verò (de quo hic sermo recurrit) ne dum charitate in proximos, sed pœnitentia item, ac austeriori erga se ipsum norma mirificè excelluit; Rudiori etenim homo planè incultus veste cærulei coloris, vsque ad genua protensa indutus, & grossioris panni indusio, quod cilicij ad instar foret, aperto capite, nec non pectore, vel rigidiore hyemis tempore nudato Vrbem obambulans, ingens sui cunctis tum mirandi, tum se compungendi spiritum afflabat. Quapropter Camillus de Lellis Religiosorum infirmis ministran-

Literati austericas vitæ cunctis exēplo, & ad suadendam efficax.

ſtrantium auctor, qui Sanctitatis fama in Vrbe deceſſit, haud alio ipſum, quam Cōcionatoris muti nomine, quia nimiū pœnitentiam alijs non verbo, aut lingua, ſed vita, ac opere annunciabat appellare conſueuit. Plures quippè pręferuidi hominis permoti, compunctiq; exemplo demum, peccando finem facientes, ad verè pœnitendum, ſuaſque diluendas Sacramentali Confeſſione culpas inducebantur, vt Marcellus Manſius, & eiuſdem Religionis Sacerdos in ipſius geſtis luculenter affirmat: Eo autem deuotus Chriſti pauperculus egenis ne dum ſubueniendi, ſed & animas inſuper Deo lucrandi, & à peccatis abſtrahendi deſiderio tenebatur, vt vitam pro ipſis impendere rem ſibi optatiſſimam, &, ſi quando mori pro ipſis contigiſſet, grande lucrum duceret. Demum anno redempti Orbis 1595. die 15. Februarii pijs operibus, laborumque meritis diues diem Romę feliciter clauſit. Ipſius autem obitus haud caſu in feriam 5. Dominicæ 2. in Quadrageſima incidit, quo die Lucæ Euangelium de mendico Lazaro, ac diuite Epulone in Eccleſia legitur. Quo item die tunc ditiſſimus, ac nobilis proſapiæ vir vita pariter functus eſt, qui delicijs, diuitiiſque affluebat; cum verò ſolemni ad tumulum pompa deferretur, & Literatus item mendicus ingenti populi concurſu, ac pio deuotionis obſequio cunctis ipſum certatim comitantibus, & Sanctum vti Virum venerantibus, à Confratribus Societatis, quæ Mortis vulgò dicitur, & pro ſuo inſtituto, pauperibus quibuſuis vltrò gratis funus exhibet, ad ipſorum Eccleſiam, & Oratorium ipſius cadauer delatum eſt, & propè altare maius ſumma populi veneratione reconditū. Et ſanè nonniſi prouido Dei nutu, nonnulliſq; rem tacito mirantibus contigit, vt Diuino Euangelii tunc recurrentis elogio pauperis funus, illiſque planè verbis commendaretur: *Factum eſt* (inquit Lucas) *vt moreretur mendicus, et portaretur ab Angelis in ſinum Abrhahe*; adeoque eximiam Viri Sanctitatem, & Charitatis ipſius meritum ſic ipſomet facto Deus teſtatam terris voluerit, qui & Cœlo receptus nobili hoc ſepulchrali in terris titulo honorari promeruit:

Marcellus Manſiu. Relig. Miniſtr. In firm: i in vita Littera ti pag.68:

Moritur magna ſanctitatis relicta fama, & vt mendicus ad tumulum honorifico populi concurſu defertur.

DEO GRATIAS.
Corpori hic requiem laborioſo reperit Rudis ille
Literatus, Vir vita integer, et paternę egenos,
Notus in pueros benignitatis
Obijt anno Christi. M. D. XCV.
Die XV. Februarij.
PIETAS, ET CHARITAS.

Lazari mē dici, cuius illa die mentio recurrebat in Euangelio typum exhibet, nobili ſepulchrali titulo decoratus,

Et hæc ſunt, quibus nos præferuido Chriſti famulo, eiuſque charitati quot notis, tot meritis laudum titulis parentaſſe voluimus.

23. Ne verò hic, vbi opportunus de exhibita à pleriſque ſumma, tum mercede, tum laude in proximos Charitate ſermo eſt Reuerendiſſ. ac fe: me: Ioannis Baptiſtæ Scannaroli Mutinenſis, Sidoniorum Epiſcopi, ſatis per ſe in Vrbe, ac tota Romana aula virtutū meritis noti charitas, quæ ſummam ipſi apud cunctos famam, ac immortalem apud Deum in Cœlo coronam peperit, ingrato interim ſilentio inhonorata prætereat (*Cum honor virtutis præmium ſit*) meritorum quoque ipſius hic, vel obiter meminiſſe par eſt. Hic igitur, vbi primum in Vrbem venit, excolendis piè moribus, & iuris item prudentiæ ſtudio addictus, tantùm in vtroque profecit, vt meritas indè laudes conſequutus, cunctorum mirificè ſibi animos conciliauerit; adeòque ipſimet Vrbano VIII. ſapientiſſimo inter Pontifices, ac rarò meritorum cuiuſque arbitro, poſtquā ſibi homo innotuit, valdè ipſi charus, probatuſque, æquo ac ſupremo iudicii calculo, nedum in intimis ſed & grauiſſimis inſuper negotiis, ſumma ſemper cum laude adhibitus à Frāciſco Card. Barberino S.R.E. Viceccancellario, eius nepote ſupremam adminiſtrandæ domus præfecturam accepit. Indè verò Vir pius æquè, ac prudens ſua magis, magiſque viſus eſt meritorū præconia cumulaſſe, quod haud virorū dumtaxat principum beneuolentiam promeruit, ſed & in primis Dei longè ampliori ſtudio gratiam promereri ſtuduerit; quod, & factis item tunc maximè

Io. Baptiſta Scannarolus Mutinenſis Sidoniorum Epiſcopus ſummæ vir charitatis.

Ipſius virtus vbi Vrbano VIII. innoteſcit, in publicis rebus cum laude adhibitus.

Apud se de sæculo relinquendo pridem cogitauit.

Cyprianus in epist.

mè ostendit, cum miro naturæ ipsius probè ad pietatem impulsu comparatus inter primos olim Sancti Philippi Nerii Congregationis Oratorii Fundatoris in spiritu filios, atque alumnos dignè, ac laudabiliter versatus, eosdemque in virturum stadio duces, ac præcipuos ad perfectioris vitæ normam incentores nactus, seriò iam tum de arripienda, vel cum sibi arrideret, à sæculo fuga cogitaret, Cypriani vtique verborũ memor. *Quid agis* (inquit) *in sæculo, qui maior es sæculo?* Quapropter dum se in Oratorij Congregationem, velut in tutioris vitæ sinum, liber à sæculi periculis fieri præoptans, recipere meditatur, iam ferè Deo, ac sibi vacandũ, à cunctis verò sæculi negotiis, vt suæ negotium animæ ageret, penitus otiandum proposuit; nunquam etenim sibi quisque negotiosus magis, quàm cum terrenis cunctis maximè otiosus. At occulto Dei subindè consilio, ac nonnisi magno aliorum beneficio sæcularibus muniis intentus, vel inuitus in sæculo manere cogitur; Charitas quippè, quæ sanctum otium iuxta Augustini dictum suadet, negotium quoque, vbi necessitas exigit, vltrò, libenterq; aliquando suscipit. Itaque iuuandis proximis se totum impendens, haud vnquam à benefaciendo vacauit, cui & ipsum Iobi elogium appositè videbatur occinere: *Oculus* (ait) *fui cæco, pes claudo, &c. Pater eram pauperum, & causam quam nesciebam, diligentissimè inuestigabam.* Enimverò publicis Pontificis iussu administrandis rebus, ac procurandis item pauperum, reorumque defendendis in iudicio causis destinatus, summa tum probitate, tum solertia munus expleuit. Quo potissimũ præferuida ipsius charitas enituit, dum pupillorum, viduarum, puellarumque, ac egenorum omni penitus ope carentium, res non minus feruidè, quam proprias, nec diligenter minus, quàm publicas agendo, vel opportunũ quisque sibi in ipso adinuenisse patronũ gaudebat, ipsum videlicet in causis patrocinantem fortitus. Egenis autem se promptum adeò, ac facilem in cunctis necessitatibus præstitit, vt sua tum manu, tum opera ipsorum clamitatibus nunquam deesset, & Orphanorum in primis, ac puellarum subindè, ac viduarum subleuandæ inopiæ, dum solus per se non sufficeret, apud viros principes, ac primarias item in Vrbe fœminas pro ipsis precator factus, beneficus item, magno semper prouentu, cunctis extiterit. Quapropter nulli, aut labori, aut incommodo, vbi charitas exigeret, parcens, suis Vrbem pedibus, ob pauperũ amorem importunis excurrens horis, domo vix frustrà pedem aliquando extulit, nec suo tum labore, tum alieno item fructu vacuus omnino domum regressus est.

Dei nutu publicis gerendis negotijs præficitur.

Aug. in ps.

Totus proximorum curæ intendit.

Iob cap 29 ver. 15. 16.

Inopum hominum causis tuendis, & miseriæ subleuandæ destinatus.

Factus omnibus omnia vt suo omnibus tum sermone tum opera prosit

24. Pius ergo, ac religiosus Præsul iam totus Deo, ac sibi vacandi cupidus & digna Iacobi Apostoli verba mente recolens: *Religio* (inquit) *munda, & immaculata apud Deum, et patrem hæc est: visitare pupillos, & viduas in tribulatione eorum, & immaculatum se custodire ab hoc sæculo*: Sæculi morum pertæsus, è sæculo exire, & recipi ad Dominum vnà cum Paulo præoptans, cunctisque sæcularium rerum impedimentis absolui, multis ante obitum annis receptum ab aula canens, inter Societatis Iesu Religiosos, in ipsa probationis domo locum sibi ad habitandum suspirans, ab iisdem vltrò Patribus benignè obtinuit; Et planè congruum videbatur, vt qui se ipsum Deo piis vitæ operibus diù probarat, & Religiosis insuper, illibatisque præfulgebat moribus, nonnisi in probationis domo mansurus pedem figeret: Noeticam in hoc profectò columbam imitatus, quæ primùm ab eo dimissa: *Cùm non inuenisset* (vt ait Scriptura) *vbi requiesceret pes eius, reuersa est ad eum vltro in arcam.* Sic planè religiosus Ioannis Baptistæ spiritus, nedum Episcopali, sed & Apostolica in dies magis, magisque charitate præfulgens, nonnisi in Religiosorum domicilio viuere, ac mori demum proprio, velut in nidulo debuit, suo quidem ibi cunctis iam tum exemplo recolenda Sanctissimi Namiensis Episcopi Cassii, ipsiusque charitatis gesta mortalium ad viuum oculis exhibens; de quo S. Gregorius refert: *Quod nullus dies vitæ abscedebat, quo omnipotenti Deo hostias placationis non offerret, cui & concordabat vita, quia cuncta, quæ habebat in eleemosynis tribuens*

Iacobi Apost. ep c. 1. ver. 29

Sæculi morum pertæsus multis ante obitum annis ab aula secedit in domum probationis patrum Societatis Iesu.

Genes: c. 8. 9.

Congruens Religioso Episcopo in Religiosorũ domo hospitium.

Mart. Rom. die 29. Iuni.

buens in hora sacrificij, totus in lachrymas diffluebat, etc. Nec secus hic præ laudatis alterius inhærẽdo vestigijs, sub charitatis magisterio ad virtutes probè sectandas in religiosa probationis domo imbuendus,& tanquam vnus ex tyronibus seruire Deo, vel iam senex inciperet, iuxta id quod Sapiens admonet, *Cum consumauerit homo, tunc incipiat.* Mirum est quantũ in dies humilitate proficeret. Demum bonis diues operibus, ac plenus dierum, octuagesimo sexto ætatis anno ad laborum præmia in Cælum euocatus, in pace quieuit, & in Constantiniana Basilica, in qua suffraganei munus Episcopi longo annorum decursu obierat, tumulum sibi delegit. Cuius quidem prolixior tum egenis vita ad vitæ subsidium, tum proximis ad exemplum, ipsique ad maiora virtutis incrementa, ampliorem que in Cœlis mercedem contulit. In ipso namque cunctæ velut in imagine, ac viuo speculo dignissimè virtutes emicant, adeoque vt posteris, vel ipsam post mortem ipsius memoria, ac virtus pariter transitura cum laude perennet: *In memoria æterna erit iustus*, ipsius ad viuum effigies ferro incisa, vt cum ac si præsentẽ cuncti suspiciant, hisque planè notis exculpta cunctis ab oculos suppetit: *Ioannes Baptista Scannarolus Mutinensis, Episcopus Sidoniorum, virtutibus cunctis ornatissimus,& maximè miserabilium subuentione obiit die 10. Septembris 1664. ætatis LXXXVI. in Sacrosancta Lateranensi Basilica requiescit.* Quo sanè digno meritorum elogio mira dignissimi Præsulis charitas apud ipsos iugiter posteros meruit commendari. Sepulchralis verò lapis his notis insculptus extat; *Io: Baptista Scannarolus Mutinensis Christi famulus, Sidonis Episcopus sibi posuit,&c.* Sed hæc interim de eo satis.

Ecclesiastici cap. 18. n. 6.

Plenus dierum, ac meritorum post labores ad præmia in Cœlum abit

Psal. 111.

Ipsi elogiũ post mortem ferro insculptum.

25. Demum inter eos, qui charitatis erga proximos exercendo opera ingenti virtutum, ac meritorum laude immortalis Dei gratiam promeruere, iure à nobis recensendus hic est Valerius Sanctacrucius, Petræfortis Marchio, Vir Christiana non minus pietate, quàm generis nobilitate clarus, qui religiosis in sæculo moribus, & charitate præsertim in Christi pauperes plusquam Fratris, ac Filij purpura antiquũ stirpis splendorem cumulauit. Nam præter illibatos vitæ mores, quibus cũctis exemplo in Vrbe fuit, singulari quoque in Deum cultu, diuinas quotidiè Deo laudes iuxta Romani Breuiarij ritum vnà cum coniuge sanctissima fœmina (de qua,& nos alibi) cunctis posthabitis sæculi curis, piè, ac laudabiliter persoluit, Sacramentisque Ecclesiæ, ac bonis operibus intentus Cœlo, se suáq; spem omnem, haud terris reposuisse factis ostendit, sed eleemosynis, & charitate in Christi pauperes dando magis quotidiè ditescens, illud magni Gregorij opere cunctis exhibuit. *Tunc* (ait) *in Dei dilectione proficimus, quando proximum amamus*. Et illud idem: *Charitas si operari renuit, charitas non est*. Charitatis itaque addictus operibus, tantùm in Dei amore profecit, vt vel ipsis Religiosis Viris in sæculo admirationi pariter, ac venerationi esset; & tum ciues, tum exteri ipsum pro miraculo suspicerent.

Valerius Sanctacrucius Romanos nobilitate, ac pietate præstans.

S. Gregor. in moral.

Charitate præsertim in pauperes ac peregrinos anno Iubilæi 1650. cunctis planè admirandus.

At eximia ipsius Charitas, anno præsertim Iubilæi 1650. sub Innocentio X. cunctis in Vrbe præfulsit; Sub hæc enim tempora diuino planè cõsilio Archihospitalis Domus Sanctissimæ Trinitatis olim à S. Philippo Nerio in Vrbe, & iam centesimo pridem anno erectæ, regimini à Confratribus ipse cum aliis nobilibus viris præfectus, cum hæc potissimum pro instituto Sodalitas habeat, piam Peregrinis ad Vrbem cõfluentibus operam impendere, domo ipsos excipere, pedes iisdem lauare, cibum item diebus aliquot subministrando alere, ipsisque omni charitatis obsequio deseruire, haud Valerij toto Iubilæi anno charitatis in hoc opera otiosa fuit; tunc enim maximè erga proximos negotiosus, ipsis inseruiendo, nec labori, nec proprijs item impensis pepercit, nec minimum sibi temporis reseruando, quotidiè ad Vrbis portas, & per Vrbis vias sedulò excurrere, dignum à cunctis vacando sibi otium indixit, illa Apostoli verba seriò recolens: *Charitas benigna est, patiens est, omnia suffert, &c.* Quo sanè Sanctacrucius omni dignus laude præferuidos olim charitate Viros & S. Gallicanum præcipuè inter Romanos

Peregrinorũ obsequio addictus, suo haud labori, haud incommodis parcit.

Apost. 1. ad Cor. 13.

S. Gallicani Consularis viri Romanorum nobilissimum ad vivum exemplum exhibet.

Rom. Martyr. die 25. Iunij.

nos nobilissimum Christi Martyrem, sed charitate in proximos spectatissimè est æmulatus, illum scilicet, qui consularibus infulis, sed pio in pauperes, ac peregrinos obsequio clarus his in Romano Martyrologio verbis recolitur: *Ad ostia Tyberina secedens hospitalitati, & infirmorum servitio totum se dedit, cuius rei fama in toto Orbe vulgata multi vndique illuc venientes videbant virum ex Patricio, & Consule lauantem pauperũ pedes, ponentem mensam, aquam manibus effundentem, languentibus sollicitè ministrantem, & cætera pietatis officia exhibentem, &c.* Idem planè modernus hic in Domo ad Tyberis ripam diuinas alterius virtutes sanctissimè æmulatus, in se ipso ad viuum, quod alter faciebat, exhibens, cunctis in Vrbe easdem obtulit contemplandas; adeoque venientes ad Vrbis portas accurrens peregrinos excipere, benignè, ac perhumaniter ipsos in osculo sancto complecti, eorundem pedes lauare, lassos cibo reficere, & vsque in profundam noctem indefesso laboris studio, pia charitatis officia protrahere, toto Iubilęi tempore vix vnquam destitit, quin & honestiores peregrinos tum mares, tum fœminas, qui adueniebant, vt pro conditione, ac merito dignius pertractarentur, in suas proprias ædes deducere, & non secus, ac publicum ibi foret hospitium, pro qualitate sexus, tum ipse, tum vxor, non absque ingenti omnium stupore, & omni charitatis ob Christi amorem prosequi officio decertabant.

Quo peregrinos veniẽtes charitate excipit, ac fessos recreat.

Domũ propriam honestioribus hospitium facit.

Denique Vir optimus anno salutis 1670. mense Martio charitate diues ac meritis apud Deum cumulatus, dum præferuido animi studio ad Deum in stadio velociter currit, Deique instat obsequio, intempesta nocte, vel dum frigus adhuc hybernum recrudesceret, ac diuinissimum Eucharistię Sacramentum, quod pro Viatico à Parocho ad coniugem grauiter decumbentem deferebatur, honoris, ac deuotionis gratia comitatus, ex aeris inclementia morbũ contraxit, ex quo paucis subindè diebus Sacramentis Ecclesiæ procuratus septuagenario maior feliciter è vita decessit magna salutis relicta spe, vt vbi iam defecisset, à peregrinis, & Christi pauperibus, quibus vti Christo inseruierat, fit iuxta Christi in Euangelio verbum, in æterna Tabernacula receptus. Sed iam ad sua nostra redeat oratio.

Ob præstitã charitatis sũ pauperibus tum peregrinis ob Christi amorem opera, piè tandè moritur.

CAPVT IV.

Proximos ad Pœnitentiam dictis, factisque prouocantes.

Magna procul dubio mortalibus beatæ obtinendæ in Dei Regno immortalitatis spes, si iugis alienę, ac sollicita procurandæ salutis cupiditas insit, & cura insuper, ac opera Deo proximos lucrandi non desit: *Qui enim* (inquit Iacobus) *conuerti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, saluabit animam eius à morte, & operiet multitudinem peccatorum.* Quapropter vel in ipsis misericordiæ operibus sublimiorem miserendi, ac proximum iuuandi formam agnoscens: *Accipe* (ait) *præclarum, & præcipuum eleemosynarum genus: sit in te bona voluntas: omnes homines sicut teipsum diligas, pro omnibus ora: hoc illis desidera, quod tibi velis.* Quo planè homo dignam proximo eleemosynã, Deoque in primis gratam exhibet; nam *coronat Deus* (inquit Augustinus) *intus bonitatẽ, vbi non inuenit facultatem.* Diues etenim apud Deum mortalium quisque, non tam sermone, quàm voluntate, nec tam opibus, quàm affectibus iusto ipsius calculo comprobatur. Sic quippè illa meritò Psalmistæ verba adimpleri contingit: *Qui coronat te in misericordia, & miserationibus.* Larga siquidem, & munifica misericordes potissimùm homines, ac proximo indigenti quibussuis modis misericordiam exhibentes retributio diuinitùs expetit. Eleemosyna igitur, & misericordia, quæ spiritualiter ob Deum proximo laboranti impẽditur, vti altioris est ordinis, quàm quæ corpus tangit, ità ampliora sibi apud Deum prœmia promerendo expectat, vt Chrysostomus aptè subinfert: *Nullius* (inquit) *rei pretium est cum anima conferendum, ne totus quidem mundus; quare etiamsi diuitias innumeras pauperi-*

Salutis proximorum zelus Deo hominem apprime commendat.

Iacobi cap. 5 num.

Deus coronat hominis voluntatem vbi in ipso ben efaciendi non reperit facultatẽ ex Augustino.

Augustin. in ser. de ... 7.

Psal. 103.

August. in ps. 103.

Chrysost. hom. 3. in epist. 1. ad Corint.

bus

bus dederis, nihil tale efficies, quale is, qui conuertit animam. Ab ipsa namque pretij magnitudine suum apud homines, vnaquæque res valorem accipit, adeoque meritò iuxta Iacobi oraculum. *Qui conuerti fecerit peccatorem ab errore vitæ, saluabit animam eius à morte, & operiet multitudinem peccatorum.* Enimuerò, vt probè Gregorius rem expendit: *Tanto quis* (inquit) *erit magis à suis peccatis omnibus absolutus, quanto per eius vitam aliorum animę à peccatorum suorum nexibus eruperint.* Maius itaque procul dubio homini lucrum ex aliorum salute prouenit, quàm si vel mortuos ipsos ad vitam aliquando reuocaret. *Si enim magnę* (inquit) *mercedis est, à morte carnem eripere quandoque morituram; quanti meriti erit à morte animam liberare, in Cælesti patria sine fine victuram.* Admirandus sanè in hoc latro ille in Euangelio, qui inter supremū vitæ agonem, & patibuli pœnas pręceptum Charitatis erga proximum, quod tamen Christianorum pauci in vita obseruant, ipse exactè adeo, & ex corde illibatum planè seruauit in morte, vt optimè Chrysostomus inculcat: *Clauorum* (inquit) *confixione constrictus, suas necessitates prætermittens aliorum vtilitatem cogitabat, & sanis persuasionibus alium inuitabat ad vitam.* Ideoquè meritò hic vuus ab Arnoldo *Pœnitentiæregula, & confessionis forma noncupatur.* Et magnæ siquidem fidei latro ab *reminiscens* (vt S. Maximus ait) *scelerum suorum, & pœnitudinem gerens plus incipit dolere, quod sperat, quam sustinere quod patitur.* Quinimmò suam adeò sollicitus fidem, ac charitatem prouexit, vt *passio* (inquit Ambrosius) *quæ alijs scandalum fecit, illi ad fidem profecerit.* Suo igitur Charitas haud præmio frustrari aliquando potest, quæpiam eiusmodi in proximum, ac Deo dignam Misericordiam exercendo exhibet. *Sola* (inquit Bernardus) *misericordia hominem ducit ad Deum, sola Deum deducit ad hominem.* Homo quippè, ac Deus, qui tantum ab inuicem distant, non nisi misericordiæ glutino inuicem copulantur, ac indissolubili Charitatis vinculo simul ad perpetuò inhęrendum iungūtur. Quod & exemplis insuper satis euincitur.

Spirituale in proximos charitatis opus quibuscunque alijs operibus anteferetur.

Gregor. epist. lib. 6, ep. 27.

Si à morte carnem morituram eripere gratum Deo est multo magis victuri perpetuo animam à morte eripere.

Chrysost. hom. 3. de Latrone

Arnoldus tract. de 7. Cordis

S. Maximus hom. de Latron.

Latro in cruce cum Christo pendēs sui obliuiscitur, solicitè Christo lucrandi memor, & cupidus.

Ambrosius serm. 45.

Bernardus ser. 44 ad fratres in erem.

Sola misericordia hominem ducit ad Deum sola Deum deducit ad hominem ex Bernardo.

2. Inter cæteros autem, qui maximè proximorum saluti, & publico omnium bono, indefesso iugiter animi studio, ac labore intenti, suis dictis, scriptisquè insuper, ac factis, & lingua pariter, ac vita, virtutumquè exemplis profuere; Alcuinus, qui & Albinus Flaccus, Abbas S. Martini, iuremeritò recensendus est. Hic quippè Anno Christi 804. prę cunctis eruditione clarissimus, ac virtutum meritis diues ad Christum migrauit, vt Odorannus luculenter testatur, cuius viri omniū dignissimi Sigebertus, ipsius scripta recēsens meminit anno Christi 790. Honorius item Augustodonensis, sed vnus prę cæteris Hælinardus. Quoniam verò vir hic eximius pœnitentiæ, ac pietatis iugiter vacabat operibus, vt cuncti ipsius ad virtutes documento proficerent, eius curæ diuino planè consilio S. Iudoci cella commissa est, ad præstandum videlicet opportunum preregrinis hospitium, vt Lupus Ferrariensis in epistola ad Lotharium Regem, cum eandem pariter à Ludouico filio sollicitè curandam accepisset. At ipsius tumulo velut nobile, ac condignum tanti viri meritis titulum hic ex Baronio excribendum voluimus, in quo quàm impensè proximorum saluti intenderet, satis, superquè innotescit.

Alcuinus siue Albinus Abbas alienę saluti perpetuo intentus.

Baronius an. 804. nu. 13.

Cella S. Iudoci ad peregrinos excipiendos ipsi commissa.

Lupus Ferrariens. epist. ad Lotharium Regem.

Nobile ipsius inscriptū tumulo elogium.

Hic, rogo, pauxillum veniens subsiste viator,
Et mea scrutare pectore dicta tuo.
Vt tua, dequè meis cognoscas fata figuris,
Vertitur en species, vt mea, sicquè tua.
Quod nunc es, fueram, famosus in Orbe viator,
Et quod nunc ego sum, tuquè futurus eris.
Delicias mundi casto sectabar amore,
Nunc & cinis, puluis, vermibus atque cibus.
Qua propter potiùs animam curare memento,
Quàm carnem, quoniam hæc manet, illa perit.
Cur tibi rura paras? quàm paruo cernis in antro,
Me tenet hic requies, sic tua parua fiet.
Cur Tyrio corpus inhias vestirier ostro,
Quod mox esuriens puluere vermis edet?
Vt flores pereunt vento veniente minaci,
Sic tua namque caro gloria tota perit.

Lupus de antiquat. lect. tom. 6. pag. 409.

Animę potiorisquà corporis cura habenda.

Baronius vbi sup.

Omnia fugiunt, quę ad corpus spectant, animam spectant.

Tu

Tu mihi redde vicem Lector rogo carminis huius,
Et dic, da veniam Christe tuo famulo.
Obsecro, nulla manus violet pia iura sepulchri,
Personet Angelica donec ab arce tuba.
Qui iaces in tumulo terræ, de puluere surge,
Magnus adest Iudex millibus innumeris.
Alcuinus nomen erat, Sophiam mihi semper amanti,
Pro quo funde preces mente legens titulum.

Precibus se post mortem iuari poscit.

Hæc Abbas ille ac pijs operibus de homine Cœlis digno, numquam satis addicto. Alcuinus verò quantum se Christiana humilitate deprimeret vnum se inter peccatores primum computās, & quanta insuper cordis contritione Dei iugiter clementiam imploraret, ipsa, quā Leoni huius nominis III. Romano Pontifici conscripsit, epistola amplam legentibus fidem facit, vbi inter alia, quæ Christianę humilitatis, & pœnitentis animi signa exhibet, perenni futura monimento recensentur: *Vnde ego* (inquit) *vltimus sacratissimi ouilis vernaculus, & morbida pecoris ouicula spe pacis bonitatis vestræ animatus, ante sanctissimos Paternitatis tuę pedes animo prostratus suppliciter deposco, quatenus durissima peccatorum meorum vincula per Ecclesiasticā Apostolica auctoritatis potestatem soluere digneris, & paternæ pietatis precibus cursum vitæ meæ, qui restat, ad perpetuę portas Ciuitatis dirigere studia. Grandia quidem posco, sed charitas grandia nouit dare, &c.* Alcuinus item cum ipsum sibi itineris Magnus Carolus comitem, Romam profecturus vellet adiungere, ille se apud principem humiliter excusans, suam nonnullorū interim sanctorū virorū actibus compilandis egregiè operam dedit.

Albinus epist. 17. tom. 1. antiq. lect.

Christianā humilitate, & bonis itē actibus præcellit.

Baronius an. 796. nu. 17.

Grandia vir humilimus à Deo poscit, sed grandia dare Charitas nouit.

3 Sepulchralis itaque ac nobilis meritò inscriptus Alcuino titulus recolendam præstantissimi Viri cunctis memoriā ad viuum ingerit. Vir quippe omnium dignissimus, ac omni scientiarum genere excultus palam ibi contemplandus proponitur, de quo isthæc Beda, dum in ipsomet historiæ rerum Anglorū præludio se Alcuini potissimùm impulsu eiusmodi opus aggredi testatur: *Auctor autem* (inquit) *ante omnes, atque adiutor opusculi huius Albinus Abbas reuerendissimus per omnia doctissimus extitit.* Quibus & dignum ipsius meritis testimonium, ipsum Caroli Magni Magistrum asserens, isthæc subinfert: *Hic est Alcuinus, qui, vt dixi pro pace ad Carolum directus, & ibi seu terræ amœnitate, seu Regis humanitate captus resedit: magniquè apud eum habitus Imperialem animum (quantum ab Aulicis curis vacabat) Dialectica, Rhetorica, & etiam Astronomica compasuit. Erat enim omnium Anglorum, quos quidem legeris, post Beatum Adelmum, & Bedam doctissimus: multis libris ingenij periculum fecit.* Hæc ille. Licet enim Carolus Imperator in sacris literis apprime versatus, in reliquis tamen scientijs Alcuinum habere Magistrum haud erubuit. Alcuinus namque ipse Regē in nō difficilioribus Sacrarum Scripturarum quæstionibus, vt ipsius epistolæ sunt testes, consulere nunquam destitit. Caroli itaque potissimum iussu admonitus, libros de diuinis officijs vir doctissimus elaborauit. Quin & insuper opus ingens, quo totius diuinæ Scripturæ tàm veteris, quàm noui testamenti vulgata editio eius opera in lucem prodijt. At cum ipsa multiplicem librariorum excribentium vitio (vt Baronius ait) mendis obsita iam vilesceret, quod Carolus Rex iniquo ferens animo, propensiore studio pristino restituendam integritatis nitori curauit. Quā quidem operam cùm omnes ob nimiam difficultatem, Baronio teste refugerent; Albino Carolus eiusmodi prouinciam delegauit, qui totis in id viribus intendens, vniuersum diuinarum Scripturarum codicem è vetustioribus, ac verioribus fontibus excerptum recognitum, emendatumquè eidem Carolo Magno obtulit, ad cuius calcem hi, quos hic tibi legendos offerimus, versus appòsuit, varia item epigrammata distinctos. Extat vetus huiusmodi bibliorum codex, condignus planè Alcuini labor in nostro Vallicellanæ Bibliothecæ promptuario, vbi velut ingēs, ac nobilis antiquæ pietatis, & SacrarumScripturarū thesaurus hactenus asseruatur, vtpote quo viri eruditione præcipui, & qui in vulgatæ ipsius editione, quæ iterum nostro sęculo contigit, laborarunt, hoc ipsius codice vt antiquiori, quo fideliter rem perficerent, vsi sunt

Alcuinus omni vtpote scientiarum genere excul tus, à Beda laudatur.

Beda lib. hist. Angliæ.

Caroli magni præceptor dictus.

Baronius ubi supr. an. 778. num. 14.

Carolus Imperator, & si apprime doctus ipsius se discipulū erubuit.

Baronius num. 778 nu. 22.

Alcuinus in Regem in difficilioribus rebus cōsulit.

Non nulla opera, quæ Alcuinus cōpilauit.

Codex sacrorū biblio. rum Alcuini operæditus in Vallicellā na bibliothe. ca nunc extat.

fuit, cui & plurimum sincerę antiquitatis detulere. Porrò vt Alcuini epigrammata hinc recenseamus, primum quidem sic se habet.

Nomine pādectem proprio vocitare memento.

Baronius vbi supra n. 13.

Hoc corpus sacrum lector in ore tuo, &c.

Et quod non multis constat Bibliotheca dicta.

Nomine non proprio, vt lingua pelasga docet.

Cœtera verò ipsius carmina apud Baronium consule.

Dignus pœnitentiæ præco sacramentalem aduersus hæreticos confessionem propugnat.

4. Magnus verò idem Alcuinus pœnitentiæ præco extitisse dignoscitur: cum enim sub eius tempora in Scotia, pessima illa zizaniorum germina proseminari cœpissent, confessionem videlicet sacramentalem non esse Sacerdoti faciēdam, sed Deo, Vir Sanctissimus pietatis zelo æquè, ac doctrinæ laurea conspicuus, vnica ad eos cōscripta epistola, zizania isthæc radicitus ex dominico agro euellere contendit, adeò vt haud amplius post hæc visa fint vel audita, quam qui cupit, ipsius epistolam apud Baronium cōsulat.

Baronius an. 796, num. 17.

Alcuinus item de eadē Sacramentali Confessione, quę nōnisi secretò ad Sacerdotis aures ex antiquo Christianorum ritu fieri consueuit, in alijs quoque suis epistolis luculenter agit, emergentemque vel ab Inferis hæresim validè insectatus, suo iam tum calculo visus est proscripsisse. Sed his obiter narratis, vt ad nostra redeamus.

Pœnitens, quantum quis corpori delicia in dulsit, tantundem pœnarum imponat.

5. Qui pro suis Deo culpis facere satis cōtendunt, quantū se hic in sæculo delicijs oblectarunt, tantundem pœnis subinde suum excruciare corpus non desinunt, vt *faciant* nimirum (vti Ioannes ait) *fructus pœnitentiæ dignos*. Id sanè Gerardus, magnus conditor Congregationis vitę communis, seu Fratrum (vt aiunt) bonæ voluntatis, qui nullo (vt Rainaldus docet) obstricti voto, manuum labore in exscribendis SS. Patrū voluminibus, arte nondum typographica adinuenta, more pauperum vitam sustentabant, in quos subinde cum pristinus religiosæ pietatis nitor defecisset, opportunè in Constantiensi Concilio à Patribus actum est. Et de prælaudato quidem viro pluries in suis paginis scriptores laudabiliter meminere.

Gerardus conditor cōgregationis vitæ communis dignus pœnitentiæ cultor.

Rainaldus an. 1384, n. 6.

Inter quos Trithemius, dum eius opuscula recenset, & Thomas quoque à Kempis, qui eiusdem res gestas ad posteros trāsmisit; ipsiusque tum delicias in sæculo, tum admirandum, postquam pœnituit, totumque se ad Deum traduxit, eius in pœnitentiæ operibus consectandis rigorem sic narrat: *Recordabatur* (inquit) *humilis magister, & paupertatis sectator, qualis dudum in sæculo fuisset, cum delicias amaret, quoniam oportet recto iudicio contraria cōtrarijs curare: Olim siquidem pulchris vestibus, & cingulo deargentato processit in publicum, transiuit etiam inter Canonicos cum superpelliceo subtilissimo, & almutio formoso, corpori suo lautiora sæpe indulsit alimenta, & pocula pretiosa; sed postea mutatus in virum alterum, non est passus priora inulta transire, subiecitque se non solum pedibus maiorum, & honoratorum, sed etiam nouissimorum laicorum, coram eis super nudam terram aliquoties comedendo: Ità (inquiens) non sum dignus vobiscum in sedili ad mensam sedere, quia plus omnibus peccaui, & Deum offendi: & qui capiti suo loturam superfluam frequēter exhibuerat, crines molliter componendo, postmodum sibi ipsi indignatus, birretum gessit in capite valdè vetustum, à tineis corrosum, & ferè centum foraminibus pertusum. Magnam igitur sibi violentiam fecit, carnem subegit, mundum contempsit.* Hæc ille in ipsius laudem meminit.

Lucas cap. Molanus in Chronic. SS. Belgij pag. 10. in Natalib. eorum die 20. Augusti. Trithemius de scrip. ecclesiast. Thomas à Kempis in Chron. Benedic. Ord. Chronic. Mo. Begarum autem.

Austeris blāda & pœnis vltrò vitæ delicias compensat.

Humilitas viri coram omnibus se deprimentis.

6. Atqui homo in suis, atque hominum oculis adeò vilis, despectusque, magnus profectò, ac in Dei oculis pretiosus, dum suis non tam armis, quam precibus hostium suorum furori pauendū se diuinitus exhibuit; hæc enim de eo Thomas à Kempis: *Quodam* (inquit) *tempore cum ciues Dauentrienses contra hostes suos pergerent armati, Vir Dei pro ciuium salute suppliciter orauit, & factum est, Deo dispensante, vt hostibus appropinquantibus nebula condensa inter eos exurgeret; Vnde aduersarij perterriti, & in fugam versi discessere. At Ciues cum suis salui, & alacres in oppidum remearunt. Multum ergo valet deprecatio iusti assidua.* Vir itaque non aerem verberans, sed pœnitentiæ in se ipsum armis validè accinctus, in hostes quoque iisdem, Deo aspirante, præualuit. Qui demum virtutum

Sibi vilis, sed pretiosus in Dei oculis ciuium hostes precibus fugat.

Thomas à Kempis de rebus eius gestis.

Meritis dives ad Cœlum euolat.

tutum meritis diues, cum anteactæ vitæ piis operibus annos redemisset, ad laborum præmia in Cœlum abijt. Cui pro nobili sepulchrali titulo, quæ Vuillelmus Cantor Parisiensis, ac Leodiensis Ecclesiæ Archidiaconus tradit, his quidem verbis inscribenda voluimus. *Sacræ* (inquit) *recordationis magister Gerardus, dictus magnus feliciter migrauit ad Dominũ qui in omnibus scientijs liberalibus, naturalibus, moralibus, ciuilibus, canonicis, & theologicis nulli erat secundus in orbe, erat enim tanta sanctitatis exemplar in mortificatione carnis, in abnegatione temporalium, & contemptu mundi, in fraterna charitate ad omnes in desiderio salutis animarum, in efficacia prædicationis, in reprobatione, & detestatione vitiorum, in opponendo se hæreticis, in persequendo secundũ iura canonica concubinarios, in conuertendo ad vitam spiritualem viros, ac mulieres prius secundum sæculum viuentes, in fidelitate ad Dominum nostrum Vrbanum VI. quod multa millia personarum testificantur de credulitate, & credunt eum non minorem fuisse in dictis virtutibus, quam in antedictis scientijs*. Hæc ille; quæ sanè vti condignum Viro Pœnitentiæ operibus apprime ad dicto elogium statuit.

Extat apud Pomer. hist. viridar. alt. lib. 2. cap. 13. ex Chronic. cap. 8. in Vuild. c. 5.

Elogiũ pro sepulchrali titulo ipsi inscriptum.

Vir potens opere ac sermone.

Zelus animarum, & Deo animas lucrandi sollicitudo.

7. Quo autem spiritus feruore, ac mentis studio aliorum interim salus procuranda sit, Ioannes Hermanni, & Iutta ipsius vxor christianis insignes virtutibus ostendunt, qui nedum sine querela, sed & laudabiliter valdè in sæculo viuentes, æternæ vitæ mercedem sunt cõsequuti, quorum alter consors pœnitentium extitit, Florentij nimirum Congregationis pauperum studentium magistri, qui bonis intentus operibus, ac humiliter de se ipso sentiens, tantum virtutibus profecit, vt meritis apud Deum cumulatus, feliciter tandem diem clauserit, eiusque alijs postmodum gloria diuinitus sit ostensa. Porrò gestorum ipsius Thomas à Kempis præco extitit, qui isthæc conscripsit, eiusque obitum, & beatam in cœlo sortem his verbis meminit: *Fuit* (inquit) *in Ciuitate Gorichem Vir quidam fidelis bonæ vitæ, & famæ laudabilis, Ioannes Hermanni nomine, cuius vxor Iutta vocabatur, qui pariter secundum mandata Dei viuentes, complures alios ad Dei seruitium traxerunt; frequẽter sacris diebus de Deo in domo sua loquebantur, hospitalitatem multis deuotis ad se venientibus libenter exhibentes. Erant autem ambo valde familiares Domino Florentio, a quo sanctæ conuersationis formam habentes, etiam proximis suis vitæ exempla præbuerunt. Post obitum igitur Domini Florentij supradictus Ioannes in breui ex hoc sæculo migrauit. Euenit quadam die, vt Iutta (Vidua nempe) Deo deuotissima in camera sua orationi incumberet, qua consumata, surrexit aperiens ostium ad exeundum de camera sua, quod cum aperiret, repente audiuit fenestram cameræ post se aperiri: respiciens ergo vidit quemdam lumine splendoris circumamictum, & aspectu amabilissimum, eundem fenestram intrantem, viro suo facie tenus similem; cui illa ait: Es tu ibi Ioannes dilecte coniux? cui ille: Ego sum. Sed ne modò voces me coniugem tuum. Cui illa: & quomodo est tecum? ille respondit: Ego saluatus sum, & gaudijs cœlestibus cum præsentia Dei fruor: & cui illa: Et quomodo est cum Domino Florentio patri nostro? Respondit ille: Dominus Florentius est in valdè magna gloria, ac omnia eius incœpta recta, & bona fuerunt; & adiecit: Mane in hac domo, & non mutes locum, quia citò morieris. Et hac rectrici sororum Aleyda Thomæ reuelato. Et tandem hæc visio disparuit. Posthac ista ità feruido ad Deum corde dies suos licet per paucos peregit, vt omnia temporalia tanquam despecta stercora ei viderentur; ex quo signo solo euidenter apparet, quod supradicta visio non fuit delusio vana, sed reuelatio cœlestis à Deo facta. Cum quæreret quidem de magna gloria Domini Florentij in cælo, responsum est propter tres maximè virtutes. Primò propter eximiam charitatem, quam habuit ad Deum, omnia bona sua finaliter ad Deum referendo, & Dei honorem, & beneplacitum in omnibus quærendo. Secundò propter zelum animarum, quem ad proximos suos habuit, salutem omnium desiderando, & ad seruitium Dei eos alacriter trahendo. Tertiò propter magnam humilitatem suam, et contemptum sui ipsius semper paruæ, et vilia de se ipso sentienda: Et hæc tria satis lucidè, et distinctè in vita eius superius descripta apparent, et à multis fidelibus non ignorantur*. Hæc Thomas de suo in his, quæ ad Deum pertinent, Magistro, tot virtutibus

Ioannes Hermãni, & Iutta vxor virtutibus conspicui.

Rainaldus an. 1400. nu. 17.

Thomas à Kempis ipsius laudes celebrat.

Thomas à Kempis in vit. Florentij cap. 29.

Ambo quàplures ad Deũ traxere.

Iutta virum post mortem splendore circumfusũ in suo cubiculo videt.

Thomas à Kempis vbi supra.

Interrogatus quid de suo statu apud Deum affirmet.

Quid ipsi de perseuerando in loco vbi manebat edixerit.

Quid de Domini ità Florentij in Cœlo gloria innotuerit.

Virtutum ipsius merita alijs reuelat.

tibus,& humilitate præsertim claro meminit, qui ambos itē coniuges,piè adeo in sæculo viuentes optatum Christianæ vitæ actibus, ac laudabiliter operando, finem promeruisse affirmat.

Rainald an. 1400.nu.24.

Ioanna Vuenheslai Romanorū Regis vxor, zelo alienæ salutis succensa.

8. Miro item zelo alienæ procurandæ salutis inter homines, qui in sæculo degunt,Ioanna Vuencceslai Romanorum Regis olim præfulsit, cum enim prauis vir eius libidinum sordibus inter blanda turpiter vitia difflueret, ipsa vti pietatis, ac vjri simul amantissima, sui Regem admonebat officij, quò ipsum ab inolitę libidinis cęno auocandi cupida, à prauo Lupanarium commercio currētem in præceps hominem lucrando abduceret. Impius verò in malis obstinatior,Sacerdotem, cui suas Regina in cōfessione culpas aperiebat,conueniēs, has sibi ab eo reuelari postulat, alter verò cum petitionem adeò impiam reijceret, Rex iratus recusantem fluuio hominem demergi iubet; Quò præstito insigni planè portento sacerdotis demersi corpus reuelari contigit. At Regina immane coniugis scelus execrata, dum patienter tolerat, animi dolore saucia, & vitæ tædio contabescens,viuendi finem fecit.

Virum prauas diffluentem libidine à malo conatu auocare curauerit.

Dubrauius hist. Boem. lib 23.

Monitis ipsius Vuenceslaus offēsus exosam habet.

Ipsam in lupanar se ad ducturum minatur.

Confessariū Reginæ ad ipsius culpa reuelandas sollicitat, ac renuentem aquis demergit:

Regina dolore tabescēs piè moritur.

Hæc autē Dubrauius: *Hac*(inquit)*turpitudine Ioanna vxor maritū dehortari conata, offensionem tantam subijt, vt audiret minantem, se quoque in Lupanar ab eo transferendam esse, si hac dehortatione non supersederet: ac paulò post, ira adhuc flagrante, accersit Ioannem Sacerdotem, audire Reginam solitum, quoties delicta fideliter auribus committeret: Quæ quidem detecta Rex ab eo dum auctoritate,minis,carcere, frustrà explorat, victus iracundia, Ioannem de Ponte Pragensi deijci, ac submergi iubet. Quam verò sanctus, et innocens sacerdos ille fuerit, ipse fluuius ostendit, ita de repente arefactus, vt corpus nudaret submersi: in statuque illo triduum permanens, donec submersus ad S. Vitum sepeliretur, vbi in hunc diem, quicumque sepulchro temere insultauerit, immunis ab infamia non euadis. Mortua deinde Regina quoque eſt ex mæstitia, et dolore,quem ex iniquissima Regis suspicione cum maximo animi cruciatu tolerauit.* Hæc ille. Et Regina quidem, quæ virum ab infami, & turpi fœminarum consuetudine reuocare studuit,totque huius rei gratia ab iniquo coniuge malorum incommodis affecta est,has inter ærumnas pęnitens, ac intimo animi dolore saucia, haud diù vitæ superstes viuendi finem fecit.

Bessario Nicænus Cardinalis magnis pro Dei Ecclesia laboribus perfunctus.

9. Atqui vt noster à fœminis ad viros publico omnium bono, ac saluti procurandæ intentos recurrat,se hic nobis offert Bessario Nicænus Cardinalis, & Sacri Collegij Decanus, acerrimus in promouendis in Turcas Christianorum Principum armis, & magnis,assiduisque pro Ecclesia perfunctus laboribus qui cū à Xysto IV.Romano Pontifice ad Ludouicum Galliarum Regem, vt eum Burgundiæ Duci conciliaret, & ad exhortandum, vt sua in Turcas arma conuerteret, missus fuisset, à Ludouico Rege, qui eius suspectam sibi operam habuit, haud honorificè,vt par erat, habitus est. Quapropter cum Apostolicus Regi in quibusdam obsequi legatus nollet, Regem parum sibi, suoque muneri obsequentem videns, mox in Italiam reuersus, Rauennæ febri, & dysenteria correptus obijt an.ChristiM.CCCC.LXXI. Sic enim, vt Papiensis Cardinalis docet, ex re infeliciter gesta dolore perculsus, in febrim incidit, ac postmodum diem obijt: *Mox* (inquit) *vt Regnum ingressus est, Regi cœpit esse suspectus, et progredi ad eum est vetitus menses duos: ludibrio habitus, tertio tandem admittitur vno, atque eodem ingrato colloquio. Finitur legatio, redijt mæstus: ad explicandas facultates nec locus fuit, nec tempus, dolore inde confectus Rauenna decessit.* Hæc Papiensis, qui intima ipsi familiaritate coniunctus, vel cum vltrò ipse legationem obire detrectaret, ad iniunctum sibi munus retinendum, quamuis infirma valetudine, ac ætate confectum, strenueque subinde obeundum his vehementer literis accendit. *Nicæna* (inquit) *Pater,militent Deo, et plebi sua sanctæ hi vltimi dies: proficiscere in Galliam: excita solito amplius sensus egregios: effunde diuitias ingenij: calefac spiritu oris corda frigentia: declaratio sermonum tuorum illuminet, et intellectum det paruulis. Miretur aliquando Gallia,quod iamdudum miratur Italia. Natio ingens est, plena populo, clara militia, assueta Christi obsequijs, campū habens latissimum, in quo serere,ac colligere*

Rainald. an. 1472, nu. 8.

Regi Galliarum ob suspicionem parum gratus, ac male habitus,præ męrore decumbens moritur.

Papiens Card epist. 144. & 500.

Card. Papiens ep 416.

A Cardinali Papiensi ad legationem obeundā magnus suadetur.

re messem vberrimam misera Italiæ poten &c. His planè Papiensis pigritantem, detrectantemque senem acriter verbis in opus publicæ vtilitatis gratia vrgebat.

Papiens. ad Campanum, epist. 500. & 594.

Ab eodem dignis vltrò post mortē laudibus cumulatur.

10. Verùm enimverò promeritas viri de publica re optimè meriti laudes idem, qui supra, ad Campanum scribēs, hunc in modum prosequitur: *Voco te (inquit) Campane Frater, ad lamenta, & lachrymas: Mortuus Nicenus noster est, vir sine controuersia magnus, cuius doctrina ingens erat, ingenium singulare, admirabilis eloquentia; studium autem ad publica, non modò continuum, sed suprà ætatis, et valetudinis fortè etiam pertinax.*

Præcipuæ virtutum ipsius dotes.

Nil habuit Romana Sedes, quo gloriari amplius posset; nihil, quod ad suum ministerium efficacius inueniret: videbat prudenter, explicatè monstrabat, sine intermissione operabatur; alienæ etiam segnitiei reprehensor semper erat, ac castigator: ad hunc referebantur nostra consilia: ad hunc legationes vndecunque nos adeuntes. Sine Nicæno nec operum initia erant, nec exitus; tota operum moles huius vnius humeris sustinebat. Omitto amorem in nos, qui maior esse non poterat: officia in cæteros, quę plura prope ab vno illo proficiscebantur, quam à reliquis partibus: Religionem quoque, pietatem, munificentiam, animi magnitudinem, qui nil humile, nil, quod non dignitati coniunctum esset, poterat cogitare.

Iustè viri tā ti obitus cūctorum lacrymis prosequendus.

Flendus tantę iacturæ obitus est, flenda vices Ecclesię; flenda etiam bonorum omnium orbitas: mihi quidem accidere nil dolentius potuit. Et infra: *Sanctus senex ob falsam de fide sua suspicionem videns incassum esse labores susceptos, relictam inermis Prouinciam, perditam spem magnorum pro religione subsidiorum, supra vrgentem etiam valetudinem consternatus, Rauenna, quo à Taurino deuectus pago erat, spiritum Domino reddidit, tanta, quod exploratum mihi est, constantia, vt sanctissimę vita sanctissimus quoque inuentus sit exitus: Quibus ergò aut laudibus prosequemur tam magni meriti patrem, aut monumentis ornabimus pro Republica mortem susceptam, aut doloribus requiremus? Nostri Ordinis lumen extinctum est; conatus quidem nostri, & decreta, & literæ quoque sunt meritis. Vt virtute anteiuit quidquid in Ecclesia preclarum fuit, sic ad referendas defuncto gratias impar est omne, quod queritur. Benedicamus tantùm nomini suo commemorationibus quotidianis, recenseamus sanctas actiones eius, & in opera senis tanquam in exemplum sacerdotale inspiciamus: lugeamus autem ad singula, & damna ingentia deploremus; sæculis quidem multis alterum Nicenum habituri non sumus; tum autem noster ordo relictus in tenebris est: luce sua illustrabat obscura, & multorum inscitiam vnius sapientia tolerabat.*

Card. Papiens. vbi supra.

Sanctissimæ ipsius vitæ dignus respondit exitus.

Sæculis multis haud aliter Nicenus habendus iuxta Papiēsis dictum.

Hæc vtique in pręclari adeò Præsulis laudem Papiensis, quē condignis etiam Platina viuentem adhuc prçconijs est prosequutus. Meritò autem vir doctissimus ob multa, & præclara, quæ æternitati opera edidit laudandus; Suam verò nobilissimam Bibliothecam ingenti studio comparatam, sui perpetuum amoris monumentum Reipublicæ Venetæ ex testamento legauit. Eius verò corpus Rauenna Romam delatum, in Ecclesia SS. Apostolorum sepulchro, quod ipse sibi adhuc viuens parauerat, conditum est. Cui labores pro Ecclesia suscepti, & gesta ab ipso in publicæ rei vtilitatem, immortalem in Cœlo coronam peperere.

Adhuc viuens laudatus à Platina.

Vir omnium doctissimus suam Venetis bibliothecam legat.

11. Huic alter quoque dignissimus Ecclesiæ Præsul, ac pari animarum zelo conspicuus, Mathæus Gerardus Patriarcha Venetus S.R.E. Cardinalis, ac præ cæteris Religiosis Camaldulensium Ordinis virtutum merito laudatissimus, iungendus est, qui condignis, pœnitentiæ semper addictus operibus, ac pœnitens quoque mori cupiens, maximè sub vitæ finem, & vel tunc cum ex hac vita decederet, raro cunctis pœnitendi exemplo fuit; cuius præclaros mores Contareno postmodum eiusdem successori requirenti, Petrus Delphinus anteactæ ipsius vitæ historiam sic narrat: *Nihil* (inquit) *adeò in illo admiratus sum, quam perseuerantiam ipsius haud minus in rebus exiguis, & quę ad cęremonias tantum Ordinis pertinerent, quàm in reliquis, quæ maioris forent difficultatis, & momenti. Si quis autem in Choro in primis, & Refectorio, ac Monachorum congressu contemplatus fuisset, nihil eo moribus elegantius meritò fateretur. Age verò in ijs, quę potiora existimantur in religione, & grauiora, ac laborum lena, vtpote vigiliæ, ieiunia,*

Mathæus Gerardus Patriarcha Venetus S.R.E. Cardinalis Camaldulensium ordinis virtute conspicuus.

Rainald. an. 1492. n. 32.

Petrus Delphinus lib. 12. epist. 27.

Pœnitentiæ perpetuo addictus, à Petro Delphino iure merito laudatur.

silen-

silentium, solitudo, & cætera id genus. Quis, oro, Mathæo vigilantior, qui ne vna quidem nocte diuino cultui in templo defuit? Media nocte tunc ad matutinam synaxim per totum anni circulum, siue æstate, siue hyeme surgebatur; cum ipse aut primus semper, aut inter primos conueniret. Abstinentiam in eo laudare, cibique, ac potus parcitatem superfluum duco: quando ieiuniorum obseruatorem accuratiorem, & deliciarum contemptorem parem illi nouerim neminem. Nunquam reuera vidi aliquem, qui vino parcius vteretur. In vestitu sordes vitauit nullum, tamen vnquam vestimentum luxu conspicuum detulit; Sacræ Scripturæ lectione delectatus, orationi assiduè vacabat, & hic ei semper mos fuit; vt post vigilias nocturnas, alijs abeuntibus, solus ipse in Choro aliquandiù remaneret: sermo ei fuit parcus, & grauis, semperque ab omni leuitate abhorrens. Conabatur pater optimus magis facto, quam verbo ad bene, sancteque viuendum prouocare filios suos, castigans quotidie corpus suum, & in seruitutem redigens. Misericordiam verò, & pietatem, ac eleemosynarum elargitionē in eo quis dignè satis laudibus efferat? erat ipse quidem robusto, ac vegeto corpore, et qui rarissimè mala aliqua valetudine corriperetur; nescio tamen, an alium agnouerim, qui illo extiterit erga infirmos, debilesque clementior, quos nimirum & ægra visitatione solabatur, et omni fouebat ministerio charitatis: egenos, et inopes, aut aliqua calamitate oppressos pia reddituum mediocritate promptissimè sublevabat, quem erga pauperes affectum nunquam ipsum etiam in Patriarcham exuisse affirmant. His planè laudibus gratissimam viri memoriam Delphinus recolit. Verùm, quia mors fere semper vitæ consonat, tū pijs, deuotisque austerioris normæ actibus finis quoque par vitæ respondit, adeoque is pari tum viuens, tum moriēs pietatis studio, pœnitentiæ cultum sectatus, felicem denique pro mercede clausulam sortitus est, vt idem sic narrat: *Commendabat* (inquit) *seipsum Domino, et molestias ægritudinis ferens patiētissimè, nihil de terrenis cogitans, nihil loquens, sed erecto tantum animo in Cœlum, nihil magis videbatur expetere, quam transire ad immortalitatem, etc.* Sic homo condo dignus, & ad immortalem perpetuò vitam suspirans, supremum absolutę virtutis, ac vitæ pariter actum anno Christi M.CCCC.XCII. feliciter peregit.

Piæ ipsius domi, forisque exercitationes.

Abstinentiæ ipsius lex.

Precandi studium.

Corpus pœnis affligit.

Charitas erga infirmos ac debiles.

Petrus Delphinus vbi sup.

Omnes charitate complectitur.

Felix ipsius è vita exitus.

12. Quoniam verò opportuna hìc præcipuorum S. R. E. Cardinalium, qui suis præsertim virtutibus exemplo cæteris fuere, mentio incidit: Raymundus Episcopus Gurcensis S.R.E. Cardinalis, Purpuratorum Patrum decus, silentio prætereundus non est, à quo Lubecense, quo Germania, Suecia, & Dania conflagraturæ videbantur, bellum sedatum est, qui & miro diuitiarum, ac sæculi cōtemptu conspicuus, in Domino feliciter obdormiuit, de quo isthæc in Chronico Sponheimensi: *VII. die mensis Septembris anno M.CCCCC.V. obijt Raymundus Presbyter Cardinalis S. Mariæ Nouę Gurcensis Episcopus, Viterbij sepultus: qui per triennium continuè Sedis Apostolicę fuit Legatus de Latere per vniuersam nationē Germanicam, vir moribus, et vita sanctissimus, et omni integritate conspicuus, Magnus Vutthemij Abbatis nostri amicus, et fautor singularis, iustitiæ cultor magnus, et honorum simul, ac diuitiarum Mundi contemptor omnium constantissimus, cui similem non habebat ætas nostra.* Dei igitur amore æstuans, ac pœnitentiæ vir cultu maximè illustris, quæ sæculi sunt, honores videlicet, & diuitias inuicto semper animo respuens, & à delicijs, velut à rebus apprimè noxijs abhorrens, sic tutū sibi ad æternitatem iter parauit.

Raymundus Gurgēsis Episcopus, & Cardinalis meritis clarus.

Rainaldus an. 1505. n. 41

Diuitiarum ac sæculi cōtemptu præcunctis darues.

Thritemius in Chronic. Sponheimens.

Dignum ipsius elogium

13. Nec verò à prælaudati huius, aliorumque consortio vir infimæ fortis, & qui parum alioqui sæculo innotuit, etsi probè cœlo notus, segregādus videtur Ludouicus nempe Morbiolus: Vir eximiæ pietatis, ac procurandæ animarum salutis apprime feruens, qui Dei iugiter amore, & proximorum zelo succensus, crebrò de diuinis rebus, ac cœlestibus verba facere, & vt ad rerum terrenarum contemptum, virtutesque sectandas populos excitaret, eosdem passim in circulis adhortari solebat. Quo quidem vt magis Deo immortali gratus, acceptusque foret, multiplici quoque pœnarum cumulo se ipsum iugiter excruciabat, & carnem spiritui subigens nobiles de se ipso adhuc in carne viuens triumphos retulit; felix autem vitæ sub redempti orbis anno 1473. (vt Rainaldus

Rainaldus an. 1473. num. 23.

Ludouicus Morbiolus procurandæ animorum salutis studiosissimus.

dus docet) finis immortalem ipsi cœlō coronā peperit; cuius præclara gesta Io. Baptista Mantuanus egregio conscripta carmine, quod et Innocentio VIII. obtulit, in eius laudem est prosequutus, & Carolus Sigonius hunc in modum ab eo accepta describit: *Aut humi* (inquit) *aut in duris stramentis cubare assueuit, lapide sibi pro ceruicali sternens; cibo delectatus est non solum tenui, sed etiam vili, eumq; si delicatior videretur, cinere sæpe consperfit; omnibus carnibus abstinuit, ficus, poma, nuces, atque olera frequentauit, quæ aut cruda sumpsit, aut certè sine oleo coxit. Ita ex summa inedia maciem summam contraxit. Per noctem lacrymās lapide pectus pertutiebat, totus in meditatione Passionis Christi defixus. Interdiu ne otio langueret, sacras ex ossibus imagines sculpere didicit, aut prædicationi se tradidit, homines ad cælestem gloriam consectandam, et humanam contemnendam adhortans, V. Kal. Nouembris migrauit ad cælum sepultusque est in Cæmeterio Basilicę S. Petri, et post sex menses cum miraculis clarere cæpisset, in Ecclesiam translatus est*. Meritò igitur Vir pœnitentiæ operibus exercendis intentus, & corporis macerandi apprimè cupidus qui tum opere, tum sermone potens affulsit, & in procuranda proximorum salute totus, dum viueret, semper fuit, in cœlum tandem euocatus, æternam pro laboribus à Deo mercedem, Cœlo dignus accepit: *Qui enim* (ait Scriptura) *ad iustitiam erudiunt multos, fulgebunt sicut stellę in perpetuas æternitates*.

Austerior vitæ, qua seip um ex exercuit forma.

Sigonius de Epis. Bonon. in Philip. Fer varius m... 26. Octobris. Mantuan. in carm.

Ieiunijs, ac lacrymis se ipsum fagitabat.

Mantuanus in carm.

In cœmeterio Basilicæ S. Petri se pultus, subinde clarus miraculis in Ecclesiam transfertur.

Rainaldus an. 1503. nu. 15. & 16.

14. Iure autem meritò, populorum, quibus supremus vti Pastor præerat, saluti intentus, & iugiter tum dictis, tum gestis ipsos ad virtutes prouocando, immortalem sibi præ cunctis in Ecclesia laudem promeruit Pius, huius nominis III. ex Piccolominæa gente, Romanus Pontifex, qui dum semper ob eam, quæ sibi affulserat, conciliandæ inter Christianos Principes pacis, & Ecclesiasticæ vna simul instaurandæ disciplinæ spem, nullisque parcens laboribus adnititur, breui dierum spatio Apostolici throni, ac muneris dignitate potitus, trigesimo post suæ tum exaltationis, tum exultationis diem decessit, vt Volaterranus sic tradit: *Pius* (inquit) *ex vlcere cruris, ex quo diù laborauerat, trigesimo post creationem die decessit, nihilo rerum ab se gesto, quas maximo animo conceperat; nam et Ecclesiam Romanam reformare, Concilium celebrare, ac in Turcas proficisci auunculi imitatione statuerat*. Sacramentis itaque ritè munitus, in Vaticani tabularij M.S. obijsse his verbis legitur: *Die Martis 17. Octobris anno M. CCCCC. III. Papa (Pius III. videlicet) in mane fuit communicatus à Confessore suo, et in nocte sequenti, data sibi extrema Vnctione per eumdem, circa decimam horam noctis emisit spiritum*. Et sanè ipsa, quę ipsius diù præconcepta animo insederat, aduersus Turcas profectio, illi pro ingenti meritorum apud Deum cumulo, & pro satis amplo pœnitentiæ fructu extitit, adeoque immortalem capiti, vt arbitrari fas est, coronam peperit.

Pius III. Romanus Pontifex publicæ saluti intentus, breui consumptus æternitatem adit.

Volaterranus lib. 22.

M. S. Vaticana Bibliot.

Dū magna quæque pro Ecclesiæ vtilitate meditatur è vita tollitur.

15. Verùm pij vna simul omnes amarulenter intempestiuum Pij Pontificis exitum defleuere, inter quos Petrus Delphinus in suis literis inter crebra, intimaque cordis suspiria in has flebiles voces prorumpens: *Erit* (inquit) *mihi eius memoria semper quidem in benedictio. ne, sed mærore admixta, nec nisi longo tēporis interuallo sine gemitu, et suspirys succurrere mihi poterit, tantę in me tantillum pietatis, charitatis, et mansuetudinis recordatio. Non tamen propterea repugno voluntati Dei, nec contradico sermonibus Sancti, qui optimè nouit, quo consilio Pium nobis abstulerit; transtulit eum ad meliorem vitam, qui diù sibi, diù Ecclesiæ commodis vixerat. Coniunxit eum Angelicis choris, qui vitam Angelicam duxerat, et gloria, et honore, sicut paulò ante in terris, ità modò in cælis felicius coronauit. Ex eo loco, vbi nunc cibo regio, et ambrosia vescitur, vbi non iam per speculum in ænygmate, sed facie ad faciem diuinam illam contemplatur Maiestatem, si reuocare mihi liceat, nunquam facerem; nam aut inuidere tanti Antistitis gloriæ, ac beatitudini crederer, aut nimium affectibus, ac meis commodis indulgere, non mærere tamen, non contristari, qui possum?* Et infra: *Benedicam tamen Domino in omni tempore, qui Pio reddidit mercedem laborum suorum, et me adhuc in laboribus, et fatigationibus huius sæculi dereliquit; ipse Pij precibus me custodiat, protegat, tueatur, nè succumbam oneri, ne sub fasce ruam, etc.* Hæc ille.

Petrus Delphinus lib. 7. epist. 81.

Pij obitum Petrus Delphinus vbertimis lacrymis prosequitur.

Piusè sæculo nō tam ablatus, quā à laboribus trās latus ad requiem.

Inuidenda potius, quā dolenda Pij Pontificis sors.

16. Digna verò recolendi Pontificis mors eò bonis omnibus acerbior extitit, quò Clerum omnem in pristinum Ecclesiasticę disciplinæ, ac puritatis nitorem reuocandum, nec non primæuam, & absolutæ numeris omnibus, obseruātiæ normam ab eo restituendam, omnesque inolitas vitiatis moribus corruptelas, ac simoniacas præsertim labes è proximo abolendas sperabant, vt Petrus Delphinus prælaudatus Barrotio Patauino Episcopo mœrenti in hæc verba rescripsit: *Vt scripsisti* (inquit) *quoniam indigni illo fuimus, ostenderunt tantum terris hunc fata, si hoc vti vocabulo liceat. Nam quo animo inierit Pontificatum, qua significatione reformandæ Ecclesia, vt alia defuerint testimonia, quæ plurima, et firmissima, et sanctissima produci queunt, nōne vel directa illę sanctitatis eius ad nos litera sub annulo Piscatoris obsignatæ zelum ipsius, ac mentem sanctam apertiùs præseferunt? Cogitabat Rex pacificus cogitationes pacis, et iam omnes quietem temporum, et annum placabilem Pij ductu, et auspicio futurum sibi pollicebantur: iam nullus erat futurus simoniæ locus, et labe vltrà glacialem Oceanum ablegata: iam luxus omnis frugalitate et continentia, suoque id potissimum exemplo, quemadmodum ex eius coronatione coniectari licuit, cœperat moderari, multaque alia pia opera, vt audio, paucis diebus sua auctoritate, et sapientia confecit: sed heù dum adhuc ordiretur, succisus est, translatus ad gloriam sempiternā etc.* Eius corpus nobili in sacra B. Andreæ Apostoli æde à Valle nuncupata mausoleo, & specioso item titulo decoratum in præsens iacet, cui & Delphinus item dignum planè meritis elogium concinnans, eius obitum ideò in nocte contigisse arbitratus est, *vt agnosceret* (inquit) *vniuersus Orbis extinctum fuisse huiusmodi lumen, quod suę lucis splendore noctis nostra tenebras facilè fuerat discussurum; raptus est Pius in Cœlum, vbi reposita ei erat corona iustitia &c. Sunt ista mundana vicissitudinis, quibus admonemur, nihil esse stabile sub Sole, &c.* Iure igitur Pontifici anteactæ vitæ meritis claro, & qui præclaris rerum agendarū initijs Christiano per se satis Orbi innotuit, eiusque Pontificatui vel si cuncti laudatores taceant, illud sapientis elogium optimè occinit: *Consumatus in breui expleuit tempora multa.* Hæc de eo satis.

Petrus Delphinus lib. 7. epist. 84. ad Barotium.

Bonis omnibus Pij obitus, ob magnam eorum ab ipso præconceptā spem acerbissimus.

Pius à Deo ostensus potiusEcclesiæ quā datus ex Delphino.

Quanta in bonum Ecclesię cogitaret.

Petr. Delphinus vbi sup. p. 2 epist. 70.

Noctu obit vt Orbis tātū extinctū lumen agnosceret.

Dignum Pontificis elogium.

17. At Pio Pontifici, alter pietate, ac animarum item zelo haud impar Hadrianus Papa huius nominis sextus accedit, qui virtutum merito cunctis haud impar, ac sæculi deliciarum contemptu præcipuus, ad Religionem aduersus Nouatorum tūc insurgentium hæreticorum mores, atque impetus propugnandam, Apostolici throni culmen Dei nutu visus est conscendisse; & quia sanctissimè præfuit multùm itidem Christi ouiculis profuit. At dum vigilantissimus Pastor suimet oblitus, totus in pium Ecclesiæ cultum, & Christi fidelium vtilitatem incumbit, adeoque ipsam inter tot immanes emergentium vbique hæresum procellas à prauis tam morum, quàm dogmatum erroribus, illibatam scilicet Christi Sponsam tum scripto, tum exēplo viriliter, constanterque defendit, arcano, & imperscrutabili Dei nutu ad immortalitatem euocatus, viuendi finem fecit. Cui iuges suscepti pro Ecclesia labores immortalem in Cœlo coronam meruere. Verùm vir ad summa prouectus, sua haud cruce caruit, cui Pōtificatus, & ipsamet ad summa prouectio Crux iugiter fuit, adeoque haud casu festiua currente exaltatæ Crucis die anno Christi M. CCCCC. XXII. terris obijt; hæc enim Vuillelmus Lochoust Vltraiectinus de eo tradit: *Die* (inquit) *exaltationis viuificæ Crucis Hadrianus Papa Sextus Patrię nostræ pater, vnicuique decus, nescio quo morbo extinctus est; Nam pridie nonai Augusti, qua die Romæ festum S. Mariæ ad Niues celebratur, optimus patrum pater, Religionis, publicæque lætitia causa (nam eo die publicata fuit pax, & concordia inter Principes, et Potentatus Italia, illius sollicitudine procurata) ex Palatio ad S. Mariam Maiorem cum cœtu cardineo proficiscens æstuantibus caloribus, quos semper antea formidauerat, submorans ibidem per noctem, ac diem celebrem in hortis, et vineis Cardinalis S. Crucis cōniuium Dominis Cardinalibus daturus esset ad Palatium reuersus, seu nimio æstu, laboreque fatigatus, siue infesto esu, aut potu refectus, incidit in morbum, & quidem latentem principio, ac remissum, mox aper-*

Sapientia cap. 4.

Hadrianus VI. animæ zelo, & fidei propagādæ studio præcipuus.

Rainal. an. 1522. n. 112

Arcano Dei consilio breui Ecclesiæ præfuisse, quā vtiliùs præfuisse deberet, præeſſe deberet.

Vuillelm. Vltraiectinus in Hadriani gestis.

Pax inter Principes sub eo instaurata.

Interpublicæ lætitiæ plausus mor bum contrahit, ex quo moritur.

tum

tum, et grauiorem. Et infrà, miram Pontificis inter supremas mortis angustias, inuictique prorsus animi constantiam, sic auctor prosequitur.

Vuilhelmus Traiectinus vbi supra.

18. *Dum* (inquit) *loqui potuit, afflictum, et miserabile fuit audire, quo pondere, quibus argumentis amicos consolabatur, vt diceret velle excedere eum vita, non cogi. Mortuus est post horam primam pomeridianam sumptis ante meridiem ritè Ecclesiasticis Sacramentis, sicuti vixit pacificè, morosè deuotè, et sanctè, ita obijt, etc.* Sed publicum tum Vrbis, tum Romanorum luctum exponere nemo sufficit: *Magnos* (inquit) *luctus optimorum virorum mouebant clarissima virtutes, modestia multa in ore, multa in verbis, tum dignitas, quanta desiderari ad gratiam posset. Corpus procerum, et erectum cum gratilitate non indecora: Facies candida, et vina plena dignitatis, gratia, et maiestatis. verecundia tanta, vt omnem corruptionem, impròbitatem deterreret. Vita libera, non licentiosa, consilium multum, ac ponderis, vt responsa delphica docti appellarent; oratio desiderata, non tarda: eloquentia, cum opus esset, praterea contracta, et modica. Imperium in Hispanijs summa cum integritate gestum, absque superbia, absque auaritia, aut crudelitate, summo moderamine. In seueriiate benignitas, at benignitate seueritas laudabatur, etc.* Et infra: *Monumenti eius superior pars tenet talem scripturam: Hic nihil sibi infelicius in vita duxit, quam quod imperaret.* Hæc Auctor. Igitur cum maximus hic Romanos inter Pontifices anno vno, & mensibus octo in Petri Solio residens præfuisset, virtutum clarus meritis è vita decessit; cuius item laudibus hæc Panuinius addit: *Hinc fuit* (inquit) *quod difficulter cognatos ad beneficia proueheret, non quia eit humaniter non faueret, si alioqui idonei fuissent; sed quia, vt dicere solebat, edificare Sion in sanguinibus nollet, hoc est, quia in sacris respicere necessitudines naturę nollet, vt quę ibi locum non haberent. Quinimò in ijs etiam paribus dotibus alienorum potiùs, quam suorum rationem habiturus videbatur; ex quo fuit, quod literis magnatum quorundam inferioris Germaniæ sollicitatus, vt quendam propinquum adolescentem, & forma, & ingenio præstantem, qui tum recens Magister Philosophia creatus, studia altiora Louanij sequebatur, galero cardinalitio ornaret ex more solemni aliorum Pontificum, nequaquam voluit.* Adeò insuper à profundendis in propinquos opibus abstinuit, vt ad Maiestatem Pontificiam, & Ecclesiæ, cũ hæ Christo consecratæ sint, easdemque pauperum necessitatibus retinendas expendendasque dixerit; quamuis scriptorum quispiam diuinis parum rebus addictus, Hadrianum durum, atque illiberalem, & subagrestis item ingenij hominem iniustè, ac petulanter appellet, hæc enim ille habet: *Patruelis* (inquit) *filium Sena Etrusca in gymnasio litteris operam nauantem, quod Romam nequaquam vocatus intermissis studijs repentè venerat, confestim meritorio equo impositum remisit, animi leuitatem identidem obiectans, et seuerè admonens, vt ab se modestiæ, et temperantię exemplum opportunè sumeret. Alios quoque nec remoto affinitatis gradu necessarios, qui spe celsioris fortunę è Germania pedibus Romam venerant, mirum in modum increpauit, donatisq; singulis sagis laneis, et frugi viatico, pedibus similiter in patriam redire iussit, quarum rerum testimonio Superiorum Pontificum erga propinquos liberalitatem vti grauem, et Reipublicę perniciosam detestari erat solitus; quando eo presertim errore cũcta sensim labefactata se demum Pontifice ruitura viderentur.* Hæc ille.

Moriẽs suos ipse solatur.

Virtutes Põtificis amplã dolendi cum suis materiã præbent.

Ipsius egregias animi dotes præconia.

Nobile illi elogium à Pãuinio inscriptum.

Panuinius in Hadriano Papa.

Quam alienus, & à suis prouehendis cautus, quæ Pontificij animi tẽperantia.

Hadrianus vti homo durus ac illiberalis falso à scriptore carpitur.

Paulus Rescius in Hadriano.

19. Magna itaque sub isto Pontificum dignissimo spes cunctorum animis insederat, vt Vrbs tandem à vitijs libera, & Christi simul Ecclesia decori pristino restitueretur; hæc enim Auctor: *In summa* (inquit) *tãtum effecit sedulitate, auctoritateq; quàm sanctitas vitæ, præstantiaq; doctrina pepererant, tũ gratia, qua maxima apud Romanos Pontifex Germanus valebat, vt malum illud iam tum vtcunque mitesceret, & spes magna esset, nisi mors eius impedisset, fortasse breui, aut in totum, aut ex maxima certè parte explodendum:* Porrò Apostolici muneris zelo vitijs procul ab Vrbe ablegandis eum in modum institit, vt improbi, ac vitiosi potissimum homines, quos sibi semper inuisos habuit, eius obitu gaudentes, publicis item dicterijs manifesta lætitiæ, quam mente conceperat, signa exhiberent. Eo autem eximius pastor erga Chri-

Rainaldus, vbi supra.

Auctor inHadriani gestis vbi supra.

Morum in melius immutandorũ mortalium animis sub eius principatu spes ingẽdit.

Rainaldus vbi supra.

Vitia sub ipso ab Vrbe exulare visa sunt.

Ttt 2

Christi ouiculas amore tenebatur, vt se patiendi ambitiosissimum; dum lues grassaretur, ac pro ijs vitam profundere promptum, paratumque exhibens, haud ab Vrbe, vel in vitæ discrimine fugam arripere sustinuerit, vt sic Panuinius tradit: *In illa* (inquit) *atrocissima pestilentia vastitate, qua omnia id temporis depascebatur, pastor oues non deseruit, sed alijs plerisque magnatibus sibi fuga consulentibus, ipse nec pauidus multum, nec anxiè pharmacis armatus in Vrbe permansit, eo officio incolis mirè gratificatus.* At demũ nobile illud, & quod sepulchralis instar tituli Hadriano elogium, & sub ipsius Principatus initia, hic Petri Delphini stylo inscriptum aptè, eleganterque consonat. Ad Iustinianum quippè Bergomensem he emitam scribens: *De Hadriano* (ait) *Pontifice, qualis sit in administranda Christiana Republica futurus, nouit Dominus solus, cui omnia sunt nuda, & manifesta; si tamen mores, si Religionẽ, si vitam eius consideremus, non possumus de illo, nisi omnia bona, nisi iusta, nisi sancta nobis polliceri. Respuere illum aiunt penitus blandimenta verborum, proculque reijcere omnem adulationem, neque vllis mundanis voluptatibus, aut illecebris oblectari, pectusque purum ab omni facinoris contagione exhibere: quo fit, vt dubitari nequeat, futuram semper cum eo Domini manum, nec defuturum tanta Sanctitati celeste auxilium, &c.* Quibus sanè Pontificis ab omni tum fastu, ac luxu, terrenarumq; voluptatum illecebris abstinentissimi, nec non exercendæ vltra modum pœnitentiæ addicti probè vnusquisque laudes intelligit.

Panuinius in Hadriano vbi supra.

Lue in Vrbe grassante vitam pastor optimus pro suis impendere ouiculis cupiebat.

Petrus Delphinus ep. 21.

Nobile ipsius elogium à Delphino decantatum.

20. Verùm qui Christianarum virtutum, & pœnitentiæ præsertim meritis, atque exemplo præfulgent, alijs quoque virtutẽ, quam efficaciter æmulandã ingerunt. *Qui enim* (vt ait Gregorius) *nõ ardet, nõ incendit.* Quod sanè superiori anteacto sæculo vnus præ alijs luculenter docuit, de quo auctor in suis Fastis Senensibus isthæc: *Ioannes* (inquit) *cui cognomen factum à Gulielmo ex Aquitania Duce inter Sanctos Anachoretas percelebri, natus in oppido Picentium Monte Cassiano, Gulielmi pænitentia atrocitate pranobilis partes facilè omnes expleuit, &c. Charitatis verò Apostolicæ flammas castimonia niuibus arctissimè federatas, quàm feruidè suo aluit in pectore nouus Ioannes. Vt ille olim in Pathmos Insula, ita hic vt diuinis amoribus liberiori commentatione vacaret, asperam, horridamque in plaga maritima solitudinẽ praoptauit, &c. In aliquos ipsi impiè infestos se magnoperè propensum exhibuit ad agẽdas sque gentibus sexis grates, sacram etiam nequissimi hominis manum, quæ illi alapam inflixerat, predulciter deosculatus. Demirata quidem sit Catonem suũ antiquitas, qui cum os illi percussum esset, non excanduit, non vindicauit iniuriam, non restitit quidem, sed factam negauit. Maiore animo non agnouit modò, sed gratiori obsequio beneficium in ipsa iniuria munus agnoscere visus est, &c. Incredibile dictu est, quàm salutari fructu verba ad aures, & ad animos caderent, belluinas mentes in cælestes infingentia. Ipsis obtutibus perquàm efficaciter Ioannes perorabat, adeò vt testatum multi vellent, nulla ratione se magis à patrandis criminibus absterreri, quàm vi ab huius viri oculis emissitia. Homines abrupta spei, licet de illorum salute conclamatum videretur, pænitentiæ tandem pudore culpas, vt redimerent, euincebat, lacrymis ad eorumdem pedes largiùs effusis, & multò etiam largiori cruentarum, quas à se ipso pro illis repetebat, pænarum impendio. Vt denique se planè Ioannem probaret, addictissimum præstitis diuinæ Virginis filium, adamatæ parentis iconem intimo pectore ferens assiduè, etc.* Hæc ibi digna meritorum ipsius præconia.

Gregorius in moral.

Ioannes à Gulielmo anachoreta miræ pietatis & austerioris disciplinæ cultor

Nouus ob claritatis prærogatiuã Ioannes dici posse visus est.

Ac si pro iniurijs beneficium acciperet, gratijs compensabat.

Perditos pænitentia, & precibus ad Deum traducebat.

21. At Viri eximiam nedum pietatem, sed austeritatem planè mirandã conceptis subindè verbis cõplexus hæc addit: *Iam verò* (inquit) *qui nouum Ioannem suspexisti, nouum quoque videris in heroe nostro Guilielmum insolita austeritatis exemplar. Vbi namque ad sanctiorem, seueriorem que Religiosa vita normam altius permotus pænitentis illius Ducis solitudinem tenuit apud Stabulum Rhodis insalubris cœli grauitate, horridaque asperitate adeò famosum, vt nouum malè Vallis nomen sibi pepererit. Ioannes quoque ferrea lorica nedum corpus affixit cilicio superinducto, vt vestem arcendo frigoris intemperie immanis ponderis dolorem augeret. Ferreo praterea cin-*

Auctor in fastis Senensibus pag. 194. num. 14.

Nouus pœnitendi austeritate Gulielmus.

Stabulum Rhodis incolit, vbi Gulielmus delituit, & pœnitendi domicilium fecit.

tu brachia, tibiasq; tremens, flagris item ferreis è carnibus latè discissis sanguinem exprimebat. Porrò per septem ad minimũ, quos à pœnitentia dicimus psalmos cruentam flagellis tempestatem producere in more habuit. Lumbos aculeata catena penitissimè ita transfodit, ut cum hanc aliquãdo amouere cogeretur, caro passim in tabida frusta diffueret. Ex acutis quoque illorum dentibus pectinum, quos expolienda lanæ adhibere mos est, nouum thoracis genus cruciandis artubus excogitauit; atque vbi in patientis Christi dolores mentem intenderet, humi se se diutius volutabat, ut ferreis aculeis altiùs confoderetur. Vsque adeo afflictum corpusculum parcissimè reficiebat, familiari adagio dictitans, sat nimium esse fami panem, siti frigidam, afferem somno, etc. Quamobrem iure meritò Sansedonius, quem laudauimus, Præsul, interposita Sacramenti fide, testatum reliquit, neminem ad id vsque temporis sibi cognitum esse, diuitiarum, deliciarumue adeò effictim cupidum, quo non longè impensius Ioannes pœnas, afflictionesque sibi videretur sequutus, etc. Hæc ibi.

Ferro corpus, ac omni pœnarum genere discruciat.

Abstinentiæ perpetuus cultor.

Se ipsum, & cunctos pœnitendi austeritate superat.

21. Quantum verò ipsius verba, hominis vtpotè, quem sic pœnitentia diù excoquebat, ad pœnitentiæ cultum alienis cordibus ingerendum, & ad christianas virtutes æmulandas suadendo proficerent, satis quæ in eiusdem gestis narrantur, documento sunt. Sed vitam adeò Sanctam, illibatamque par demum, & felix clausula consequuta est, vt Auctor sic vbi supra. *Annum* (inquit) *agens ætatis suæ quintum, et sexagesimum, traductis in Senarum, aut veriùs Virginis ditione annis circiter quinque supra viginti mortem sanctius obijt Ioannes in oppido Battiniani die Sabbati, hoc est eidem Virgini sacra Augusti decima quarta, proxima nẽpè luci cœlestibus amantissimæ Dominæ triumphis illustri, ut idem ipse planè prædixerat.* Par etenim fuerat, vt ipsius tum charitas, tum pœnitentia suum quoque sub Assumptæ Virginis vexillo inter superos triumphum ageret; cui demum auctor historiæ his verbis in Senensium Fastis parentat: *Gratulari itaque* (inquit) *tuæ felicitati etiam, atque etiam iuuat vir optime Ioannis Apostoli, Guillelmique Aquitanici tam mirè spirans imago. Enimuerò perdideras corpus tuum, perdideras fortasse, nisi perdidisses.* Sed hæc interim de eo satis; qui alios tum verbo, tum exemplo, & tam dictis, quam factis, & satis nunquam dc pœnitentiæ cultu nedum viuens, sed vel mortuus mortales admonet.

In fastis Senensibus vbi supr.

Sanctissima ipsius vita, digno sic sub Deiparæ in Cœlum assumptæ patrocinio concluditur.

Ipsius tum charitas, tum pœnitentia suum post Virginem triumphum agit.

22. Inter eos insuper, qui lucrandis Deo animabus totis planè animi neruis dum viuerent, institere, alter hic meritò adnumerandus est, qui Angeli tùm nomen, tùm mores, ac vitam labis omninò expertem sortitus, Angeli re ipsa in terris munus, ac simul Pœnitẽtiæ hac nostra ætate partes plurimorum fructu inter homines in sæculo versatus exercuit. De quo id ipsum, quod de Ioanne Baptista dictum est: *Ecce ego mitto Angelum meum, qui præparabit viam ante faciem meam.* Iure meritò dici, ac veraciter digno meritorum ipsius elogio affirmari queat, cuius item, quoniã opportuna nobis mentio incidit, summatim ipsius hic laudes recolendas voluimus. Fuit hìc Angelus Mattheucius Camers Clericus primariæ nobilitatis, & Congregationis Oratorij in eadem Vrbe auctor, qui omnium bono natus, apertis è Cœlo signis, vel dum nascebatur, miro videlicet lucis fulgore, S. Caroli Cardinalis Borromæi ad instar præsignari, eiusque futuræ prærogatiua Sanctitatis sub ipsum ortum innotuisse visa est. Filius namque lucis à luce sua primum vitæ initia deriuando, se tenebrarum non esse filiũ, sed lucis nascendo probauit, & iam tum cunctis nonnisi lucem, ac mirum è tenebris sub ipso ad supernæ lucis regionem futurũ diuinitus transitum portendebat: *Et lux* (inquit Ioannes) *in tenebris lucet, et tenebræ eam non comprehenderunt.* Dum & Prophetæ insuper ipsi oraculum occineret. *Habitantibus* (inquit) *in regione umbræ mortis lux orta est eis.*

In M.S. gestis eius.

Malachia cap. 3. v. 1. Matth. 11. 10.

Angelus Mattheucius Camers congrue Angelo nomen præfefert.

Io. cap. 1.

Isaia cap. 9.

Igitur qui publico omnium bono iã tum in huius sæculi lucem prodibat, vt ipsum angelicos vnà cum nomine mores è Cœlo trahere ipso mortales visu intelligerent, nil planè prẹter lucem in terris terrenũ habuit; Ad pietatẽ quippè, ac Dei duntaxat cultum exortus: *Nil puerile* (vt de Tobia dicitur) *ipse gessit in opere*; sed diuinis semper tum contemplandis, tum agendis, ac enun-

Tobiæ ob pietatem, ac fondamprudentiæ normam adhuc puer comparandus.

Tobia cap. 1. v. 4.

cian-

ciandis intentus, aris adhuc puerulus domi erigendis, ac Dei verbo alijs puerulis ad id sollicitè inuitatis, ac munusculorum oblatione ipsorum conciliatis animis, Dei verbum adstantium auribus pius, deuotusq; paruulus annuntiando instabat; Ecclesias verò adeò cupidè frequentabat, vt quod Christus ad parentes aliquando inter requirendum anxios, dum in templo morabatur. *Quid est* (inquit) *quod me quærebatis: nesciebatis, quia in his quæ patris mei sunt, oportet me esse?* ijsdem ferè ipse pro responso, ac pro se ipso verbis satisfacere posset: nullam videlicet præter Ecclesiam, sibi domum, nullum præter Dei cultum, ac zelum animarum, negotium maius suppetere. Quapropter ipsius Mater probè filij, libenter adeo in templis moras trahentis consuetudinem non ignorans: *se filium habere* (aiebat) *quem si quis domo digressum, alicubi quandoque requireret, non nisi in Ecclesijs prompta manu perquirendo deprehenderet.* Eo autem deuotionis, ac pietatis feruore in ipso adolescentiæ flore diuinitus agebatur, vt totis Deum præcordijs iugiter sitiens, singulis diebus Christi, qui quotidianus est panis, Corpore mira spiritus deuotione, à cunctis sæculi oblectamentis omninò ieiunus se reficiendum curaret. Quod sanè toto vitæ decursu in more habuit. Si quando autem à diuino sumendo Altaris pabulo præpediretur tristis adeò vultu, ac dolens apparebat, vt dum sibi panis vitæ deesset, & vita simul ipsa deficere videretur, vt his ipsemet alicui aliquandò verbis edixit: *Putas* (inquit) *quod ego vel per diem possim absque diuino altaris pabulo in terris vitam transigere? Scias profectò me tanta ipsius fame, ac desiderio teneri, vt si sumendi in Vrbe facultas non suppeteret, ad loca hinc multis passuum millibus distantia cæcus licet, cælesti reficiendus pane conuolarem.* Primæuos in hoc ille Christianos æmulatus, *qui*, vt Lucas in Apostolorũ actibus meminit, *erant* (inquit) *perseuerantes in communicatione fractionis panis.*

Piæ ipsius in pueritia exercitationes.

Lucæ cap. 2.

Paterna è domo omni si au Ecclesias oratiuus diuertit.

Pius, & quotidianus ipsi Diuinissimi altaris Sacramenti v sus.

Act. Apost. c. 2. v. 42.

Porrò cui tantum diuina Altaris Sacramenta palato cordis sapiebant, terrena prorsus cuncta, nedum oneri, sed & fastidio erant. Et si enim Ecclesias, paternam plusquam domum, & ipsa magis, quàm Palatia diligens, ibi continuò esse gauderet, Ecclesiasticas tamen dignitates, ac pingues earumdem redditus, alieno semper ab ipsis animo, vel sibi oblatas vltrò, delatasq; inuicto semper animo recusauit. Quapropter Cathedralis Ecclesiæ Canonicatum, nec non Fontisboni vulgò Abbatiam annuo quingentorum aureorum redditu insignem à patruo requisitus, constantissimè, & cunctis mirantibus respuit; solo quippè Dei obsequio, labore, & animarum lucro contentus, ab honoribus tamen dignus Christi discipulus sibi abstinendum indixit, & terrena cuncta generosè despiciens, & ad cœlestia spiritu anhelans, ipsismet Apostoli verbis se ipsum incitabat: *Omnia arbitror, vt stercora, vt Christum lucri faciam, et quæ mihi fuerunt lucra hæc propter Christum arbitratus sum detrimenta.* Verùm qui ab honoribus, lucrisque alienus adeò semper continuit; Pœnitentiæ insuper, innocentissimis quantumuis præditus moribus insistendo, sic perpetuò a cibis abstinuit, *vt* (quod alibi Hieronymus habet) *iugi pasceretur ieiunio*, & vnius duntaxat oui contentus edulio, paucisque inter edendum panis superadditis micis, diem ieiunando trãsigeret, quem vitæ postmodum rigorẽ, ne ipsum vita deficeret, medicorum iussu intermittere compulsus est. Humilitati autem dignus Christi famulus, cunctisque præstans virtutibus, ac meritis diues, perpetuò addictus, vel cum iam esset in Dei, ac in hominum oculis magnus, in suis tamen oculis paruus, ac viliter; abiectèque de se ipso sentiens, peccatorem se cunctis deterrimum, in hoc B. Franciscum Assisinatem æmulando dicebat; Quinimmò se ipsum velut quid cunctis abominandum, ac omniũ peripsema ab ipsis mœnibus Vrbis vi suis pro culpis meritò exturbandum, ac suo frequenter ore isthæc repetendo inclamabat. Quibus autem Vir humillimus verbis promebat, id factis item haud obscurè exhibuit, dum vilioribus se munijs, & actibus plerumque exercens, scopis aliorum cubicula verreret, cunctasque, quibus animus præfulgebat, suos plusquam defectus, virtutes in omnium oculis absconderet.

Ab honoribus, & Ecclesiasticis dignitatibus animo alienus.

Hieron. in epist.

Pœnitentiæ quantumuis innocens moribus ieiunando sẽper addictus

Insignis viri suas inter virtutes humilitas.

Porrò

Patiendi ex plus dolorum, ac infirmitatum molestia pulsatur.

Porrò ne quidquam ipsi ad meritū, & coronam desiderari contingeret; patiendi quoque ipsi haud frequens occasio, ac desiderium pariter defuit; adeoque infirmitatibus, ac stomachi præsertim molestia pulsatus, oculorum insuper à primis ferè annis morbo præuentus, ipsum oculorū lumen, quo nil homini molestum magis cōtingere potest, irreparabiliter amisit. Sed mirum, qua ipse animi constantia, eiusmodi iacturam tulerit, immortales Deo vti pro summo beneficio gratias exoluens: hoc enim *illi* (quod de Iobo Chrysostomus habet) *deerat, vt flagellatus gratias ageret*. Quo sanè ipsius mirificè virtus eluxit; quod enim Tobiæ id, & ipsi cœcitate perculso appositè, iisdemque verbis occinere visum est. *Hanc* (inquit) *tentationem ideò permisit Dominus euenire illi, vt posteris daretur exemplum patientiæ eius*; adeò vt nonnisi ad incrementū virtutis cæcitas ipsi oculorum profecerit. *Non est* (ait) *contristatus contra Deū, quod plaga cæcitatis euenerit ei, sed immobilis in Dei timore permansit*. Ita planè.

Chrysost. hom. de Iob.

Tobiæ cap. 2. vers. 12. vers. 13.

Cæcitatem Tobiæ ad instar patientissime suffert.

Superna igitur luce perfusus, ac totus quotidiè in Dei amore exardescens quo minus oculis videbat, diuina videre plus mente cœpit, adeoque cœlestiū rerum contemplationi intentus, terrena prorsus despicere, ac præferuidò amare cœlestia corde didicit, & quò alios insuper in Dei amorem succendens, ad sui & sæculi contemptum dictis, factisque prouocaret, cùm apud septempedanos degens in Ecclesia B. Mariæ Virginis vulgò de Luminibus, vbi tunc nonnulli ex Patribus Congregationis Oratorij S. Philippi adhuc viuētis discipuli morabantur, omnem instituti eorundem rationem accepisset ipsorum in diuinis præsertim opera mirificè illustratus, domum reuersus, ibi apud Ecclesiam Beatæ Mariæ de Catceribus, pijs sibi nōnullis aggregatis Sacerdotibus Congregationis, ipsius Episcopi auctoritate suffultus, ac S. Philippo adhuc in terris degente, anno salutis millesimo quingentesimo octuagesimo nono initium fecit, quæ magno subindè virtutum prouentu ac animarum lucro intra Vrbem translata in dies profecit, ac tandem à Clemente VIII. Apostolica auctoritate cōfirmata, & Religiosis, omnique virtute tùm Sacerdotibus, tùm Laycis in dies floret.

Mente diuinas videre altius res cœpit, vbi corporeis oculis terrena videre desijt.

Oratorij Cōgregationē Camerini iuxta S. Philippi inst[i]tutum erigit.

Quoniam verò Angelicus vir lucrari Christo animas præferuidè cupiebat, vt omnes ad Dei amorem accenderet, diuini annunciandi verbi zelo permotus, haud ipsam intra Vrbem continere poterat, sed suburbia, ac proximas Vrbi Villas, & pagos huius rei gratia sæpè circumiens pluries in vno, eodēq; loco eadē die adstantibus Dei verbum administrabat; Dum verò de sacra præsertim Passione verba faceret libeńs adeo rem obibat, vt vel ad quintam quandoquè horā sermonem protrahendo, tùm ipse, tùm alij vehementer in Dei amorem succensi inter verba proficerent, quod, & quamplures subinde se ad Christi obsequium traducentes vim verborum ipsius, & viri efficacem sunt vltrò virtutem experti, ac illa commodè discipulorum verba repeterent. *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via, & aperiret scripturas*. Dei autem virtus dicenti, vel apertis interdum signis non defuit, vt qui aderant audiendo magis, magisq; compuncti se ad pœnitendum traducerent. Nam & si cæcis vir oculis adstantes, dicendo compellans nō nisi casu certum aliquem vitijs irretitum peculiariter perstringeret, sic sua tamen ad vitiosos verba plerumquè dirigebat, vt vultu in quemque defixo nonnisi cum ipso, ac de ipsius animæ negotio suis conscientiam ipsius verbis loquendo pulsare videretur. Qua propter cum ipse aliquando è suggestu verba ad populum faceret, & certus quidam suis illic nugis altius in Ecclesia obstreperet, ipse en tibi zelo percitus sic eum obiurgat. *Sile* (inquit) *sile miser: vtpote Sacramentis Ecclesiæ iam proscriptus*. Quo dicto à non nullis, qui aderant, nugax homo ille ex communicationis censura irretitus deprehenditur. Oculis itaque quantumuis orbatus, mente altius res nedum occultas, sed absentes vti presentes enunciando videbat, adeoque prophetiæ quoque dono illustris fuit. His, alijsque vir quidem tantus à Deo præsignari meruit, eiusquè magna virtutum opinio eum in modum apud omnes inualuit, vt ipsismet Prelatis, Cardinalibus, & viris religiosis, cun-

Dei verbi populis annunciandi summopere cupidus.

Lucæ cap. 24.

Adstantium sic vitia interdum arguit, vt suis singulariter quempiam verbis pulsare videretur.

E Cœlo ipsius meritis haud obscurum lucis testimonium affulget.

ctisquè summæ ob vitæ Sanctitatem venerationi sit habitus dignisquè semper laudibus cumulatus. Inter quos Venerabilis vir Ioannes Baptista Vitell. Fulginas tāti eū faciebat, vt parietes ipsius cubiculi honoris, ac deuotionis gratia osculaietur, & nonnulli lucis inde radios viderint erumpentes; Et congruè cùm ipsius etiā vita lux cæteris foret, ac vir planè Apostolicus ex eorum numero, de quibus Christus ait: *Vos estis lux mundi*, mortalium quoq; ad mentes illustrādas prælucere sic debuit, vt meritò in Dei famulo factis id, quod Christus in Euāgelio habet, adimpleretur: *Sic luceat lux vestra corā hominibus, vt videāt opera vestra bona, & glorificēt Patrē vestrū qui in Cœlis est.*

Merita ipsius e Cœlo testata.

Matthæi c. 4.

Matthæi c. 5

Denique meritis clarus & ad cœlestia semper aspirans, dissolui cupiens, & esse cum Christo, longè ante mortem vidit, ac suis prædixit, qui vt sola humilitate Christo vocanti suffultus occurreret, illis ipsum, & non alijs supplex verbis iam moriturus inclamabat: *Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam*, ac item: *Deus propitius esto mihi peccatori*. Ad supernam igitur lucis patriam, filius vtpotè lucis auhelans, breui correptus morbo, ac se Deo humillimis verbis commendans, anno salutis 1629. ipsa die Veneris Dominicæ Passioni dicata plenus dierum, ac meritorū carne solutus in Cœlum abijt, quem diuinis planè dum vixit virtutibus illustrem, Sanctorum quoque splendoribus morientē à Deo illustrari contigit egrediens quippè purissima illius è corpore anima, (pro vt pij cuiusdam hominis, ac summæ apud omnes ob vitæ merita famæ oculis apparuit) fulgentioris instar stellæ radijs coruscans rectà in Cœlum se se attollens recepit. Ipsius verò summo omnium subindè populorum confluentiū cultu cadauer tumulo in Ecclesia Congregat. S. Ioannis honorificè demandatū est. Cuius item Sanctitati nobile postmodum è Cœlo manifestis miraculorū signis testimonium non defuit; inter quæ illius præcipuè charitas in proximos clarissimè effulsit; dum enim ad ipsius in feretro iacentis manus certus quidam implacabili in alium odio æstuans deosculandas accederet, sic se intus in corde ab ipso interpellari sensit: *Ignosce fili, ignosce*; qua ille permotus voce, aduersario mox conueniens ipsi reconciliatus, veniam promptissimè indulsit. Prælaudati verò Angeli laudibus illud accedit, quod Sanctissimus Dominus noster, Clemens Papa Decimus, dum Camerinensem adhuc Episcopum olim ageret, angelicos planè mores ipsius recolens ipsum frequens adibat, & familiari eius consuetudine mirificè illectus, crebrosque cum illo sermones miscens, vti delapsum è Cœlo Angelum suspiciebat; nec non ipsum Sanctum passim Virum prædicans affirmabat, cui & postmodū mortali è vita decedenti, ipsemet in supremo vitæ actu adesse voluit, eiusq; animam consuetis Ecclesiæ Deo precibus commendauit; cuius & gratam subindè sibi memoriam repetens condignis adhuc prosequi laudibus non desinit. Sed vt hæc interim dicendi sit finis, nemo profectò Angelum hunc, qui in carne, sed sine carne, imò magis spiritu, quàm carne in terris vixit, nisi alter è Cœlo Angelus dignis aliquando laudibus cumulabit. Et hæc satis.

Quam impense corporeis absolui vinculis cuperet.

Ps. 50.

Felix ipsius mors.

Ipsius anima splendidæ ad instar Stellæ è corpore migrat in Cœlum.

In feretro iacens quemdam odio intus in proximum loue tem pellat

Clementi X ob virtutes charus.

Demùm illa veraciter Pœnitentium norma, & prærogatiua est, vt vbi immensam Dei bonitatem attendunt, ac suam in malo pariter prauitatem agnoscunt, ne dum pro suis, sed & pro alienis insuper culpis cōpuncti iugiter doleant, & quos peccando socios habuere aliquando, consortes quoque dolendo, ac pœnitendo ipsos habere præoptent: *Dulciores quippè sunt* (vt Augustinus ait) *lachrymæ Pœnitentium, quam solatia theatrorum*; quin immò Charitas, quæ nouit, vt Apostolus infert *flere cum flentibus, et gaudere cum gaudentibus* homines compunctos corde, ac Deo pro se, suisque culpis facere satis cupientes, ad flendum item cum flentibus in sæculo, & gaudendum in Deo cum gaudentibus cœlesti magisterio compellit. Id sanè olim latro, (cuius supra mentio incidit) cum Christo in cuius patibulo pendens, & iam verè pœnitens, socii potius Deo lucrandi, quàm sibi Cœlum acquirendi cupidus, eximiæ paruo tum in Deum, tum in proximum dilectionis argumento præstitit: *Neque tu* (inquit) *times Deum, qui in eadem damnatione es*; ac pro se ipso subindè

Latro charitate afflatus, dum socium corripit plus de illius salute quam de sua fœlicitate cogitabat.

Aug. in ser.

Lucæ 23. 40.

Luc. 23. 44.

indè Christo supplicans ait: *Memento mei Domine dum veneris in Regnum tuum.* Quo sanè suam probè tum erga Deum, tum erga proximum piè sollicitam diligendo operam exercens, ac Deo se ipsum commendans, eo charitatis teneri se affectu ostendit, vt socio prius laboranti, quam sibi compuncto gratiæ mercedem Chrysostomo teste reposceret. *Suas* (inquit) *necessitates pretermittens, aliorum vtilitatem cogitabat, & magister pendebat in cruce: & sanis persuasionibus alium inuitabat ad vitam.* Et meritò Regni tam citò cum Christo habere consortium meruit, qui salutis alienæ adeo se ob Christum, & pro Christo sollicitum præbuit. *Hodie* (ait Christus) *mecum eris in Paradiso*. Latronis verò huius & alter probè socium tandē lucrifaciendo exemplum æmulatus est, qui prius aliquandiu sibi pœnitens, postea verò alteri salutis negotium, ad pœnitendum seriò inculcans, nobili, ac digno charitatis tandem, ac pœnitentiæ triūpho victor Cœlo eumdē aggregauit, de quo isthæc B. Iordanus de Saxonia Ord. Fr. Eremitarum S. Augustini tradit: *Est* (inquit) *exemplum moderni temporis, quod audiui à quodam Sancto Patre, cuius tempore accidit quod narro. Erant duo boni socij de ordine vagorum, qui diù illa histrionica libertate per mundum fuerant diuagati, quorum vnus demum compunctus latenter à socio se abstraxit, & in quodam inclusorio, quod erat in nemore se recepit, vbi per aliquot annos pœnitentiam agens deuotione sedula Domino seruiebat. At verò socius eius vehementer admirans quonā iste deuenerit, totam illam circumiens regionem, ipsum sollicitus requirebat, qui tādem audiens, quomodo quidam homo ignotus in tali nemore in quadam spelunca inclusus habitaret, cogitare cœpit, an fortè ille socius suus esset, & gradu cōcito illuc properauit. Cognito ergo, quod ipse esset, non modico exhilaratus gaudio, cœpit velle illum allicere vt exiret, & ad pristinam societatem rediret, asserens quomodo mundus modò multo floridior, & delectabilior foret quàm prius, & multa talia oblectamenta ei indicauit. Ille verò in timore Dei iam fundatus, nullatenus acquieuit. Sed cum iste propulsare aures illius non cessaret, ille tandem antiqua artis ingenio, vel fortè diuino nutu cogitans quomodo vexationem suam redimeret, & arte artem falleret, ait ei: Si tu poteris lapidem ab ore speluncæ remouere, & me extrahere, tecum ibo: erat enim spelunca illa vndique clausa, & nonnisi desuper per vnum foramen introitus, et exitus patebat, quod tamen foramen grandi lapide claudebatur. Quod iste audiens efficitur lætus, quasi iam classi socij adepto consensu; Nec mora ascendit superius, lapidem amouit, & socium ingenio, quo potuit, extraxit: cumque simul per nemus pergerent, dixit ille, qui fuerat inclusus ad sociū suum. Ah quod sum oblitus, remansit in cella sacculus pecuniæ, vis reuertamur, & tollamus eum? Qui respondit: omnino tollemus eum nobiscum. Redeuntes ergo cum venissent ad cellam, dixit ille qui intus fuerat: Ego longa sessione debilitatus non benè valeo ascendere, ascende ergo tu, & intra, & pecuniam apud caput lectuli quæres: & cum ille intrasset, ille post eum ascēdens lapidem ad os speluncæ aduoluit, socium que intus inclusit, & descendens ad fenestram ait: Care frater, ego spero in misericordia Dei, quod iam emendauerim peccata mea, sede tu hic per tantundem tempus, & emenda peccata tua Deo, quia satis diu Diabolo seruiuisti; sed iste putans esse iocum, rogauit vt se exire permitteret. Ille autem fortiùs obfirmans speluncam dixit ei, quod animum suum applicaret, quia indè non esset exiturus: hortabatur autem eum quotidiè verbis sanctis, & ei sedulè ministrabat. Ipse autem primitus cum magna impatientia, & indignatione audiuit eum. Sed illo crebriùs orante pro eo, & salubribus monitis, & exemplis Sanctorum Patrum eum continuè exhortante paulatim verbis exhortantis animum adhibere cœpit, & tandem accedente Dei gratia necessitatem in voluntatem vertit, & sic ambo in sancto proposito perdurantes vitam suam feliciter terminauerunt.* Sic planè qui olim peccando alterum in malo sociū habuit, in bono quoque, ac in pœnis postmodum pœnitendo consortem nactus, sic animam fratris sui, qui perierat lucratus est. Is enim qui paulò ante sui culpam erroris, ac facinoris atrocitatem peccando nesciebat, vbi tum culpæ, tum sui, à socio, dictis factisque suadente notitiā accepit mox pœnitentiæ, quam refugiebat, remedium sibi

Chrys. hom. de cruce & Latr.

Christus eximiam in latrone charitatem proximi attendit

B. Iordanus de Saxo Ord. Fratr. Eremitar. S. Augustini lib. qui dicitur vitas Fratrū lib. 3. c. 12.

Vnus latro socium latronem se requirentem ad pœnitentiam adducit.

Artificio vsus ipsum in spelunca includit.

Salubriter socium dolis circumuenit

Vt latentem intus pecuniam socius efferat, ipsū intromittit

Inclusus latro de necessitate virtutem facit pœnitendo.

querendum statuit, acerbo scilicet doloris sensu, quidquid olim blando voluptatum lenocinio abductus deliquerat, compensando: quo illa ipsis post acquisitam sui, ac peccati notitiā dolentibus diuinum Ambrosij verbum occineret: *Bona* (inquit) *mentit est vulnus sent ire peccati. Nam qui expertes doloris sunt, non sentiunt vulneris acerbitatem, quod est immedicabilis agritudinis. Qui autem aliquo dolore punguntur: sicut doloris sensu non carent, ita etiam non carent sanitatis profectu. Vbi enim doloris sensus, ibi etiam sensus est vita.* Pœnitentia igitur tantùm post culpæ agnitionem horum quisque profecit, vt ne dum veniam à Deo, sed & coronam insuper dolendo, ac pœnitēdo immortalitatis acceperit. Sed de his hactenus.

Amb. lib. 1. ap. de Dauid c. 9.

Qui ob culpam dolet se vitæ habere sensum ostēdit.

CAPVT V.

Procurandæ aliorum saluti operam dantes.

Beneficentiæ virtus homini cū Deo, nobilis prærogatiuæ consortio communis est. *Dei namque* (vt Clemēs Alexandrinus ait) *imago est homo beneficiens.* Nil enim innatum Deo magis, ac ipsimet diuinitati diuinum adeò est, quam perpetuò cunctis benefacere. Quod & ipsimet Dei nomen insonando mortalium auribus ostendit: *Deus quippè ex eo dicitur, quod det.* Hinc diuinū illud in Apostolorum actibus elogium Deo dignum ipsiusque ore Christi resonat: *Beatius est magis dare, quam accipere.* Quapropter plerique hominum, qui nomen sibi, ac inter homines famam exambisse aliquando leguntur, non nisi à beneficentia, & dum suam benignè mortalibus opem impendunt, famæ sibi sunt immortalitatem auspicati: Ptolemæus quippè Philadelphus Aegypti Rex, sapienrum dictis, assertisque inhærens, illud dicere solitus erat: *Regium magis esse ditare, quam ditescere.* Quin & Xenophontis insuper solemnis illa vox, imo oraculum extitit: *Præclarius esse beneficia post se relinquere quam trophæa.*

Clemens Alexandrin. lib. Stromatum c. 9. Seneca in quæst. Actuum Ap. c. 20.

Homo also benefaciens Dei imago est.

Aelianus Xeno bon Stro. kaus jer 46.

Nec silendum insuper, quod Agesilaus eximius beneficentiæ cultor aiebat: *Regium* (videlicet) *esse parua accipere, & magna largiri.* Demosthenes verò haud ab ipso dissonans, *Quid simile Deo habeant homines?* interrogatus, vnico verbo respondit: *benefacere.*

Regium magis esse ditare, quam ditescere Ptolomæus Philadelphus aiebat.

Plutarchus Apotheg.

2. Verùm sapientū Aethnicorū dictis, factisq; ad moralis philosophiæ palestrā dimissis Magnus Romanos inter Pontifices Leo assertis mirificè adstipulando, sed tem ab altiori principio deriuans, germanam in homine, & nonnisi à benefaciendo immortalis Dei imaginē contemplatur: *Vbi* (inquit) *Deus verā misericordiam inuenit, ibi imaginem sue pietatis agnoscit.* Qui ergò suam omnem tum operam, tum industriam alio-rū beneficio ac saluti impendunt, hi profectò immortali Deo, quamsimiles è mortalium numero cōprobantur, adeoque ipsis diuina Apostoli verba aptissimè occinaunt: *Quos* (inquit) *præsciuit, & prædestinauit conformes fieri imagini filij sui.* Omnis namque Christi actio in exercendis tum spiritualis, tum corporalis misericordiæ operibus diuinitus affulsit. *Pertransiit namque* (vt ait Apostolorum Princeps Petrus) *benefaciendo, & sanando omnes oppressos à diabolo.* Et beneficentiæ siquidem virtus, quæ est homini cum Deo communis, omnem à commiserantium hominum corde indigendi defectum procul amouet. cum ipsis Dauidicum maximè oraculum cōgruat: *Non vidi* (inquit) *iustum derelictum, nec semen eius quærens panem.* Dicti verò sapientissimis Ambrosius verbis rationem expendens: *Quomodo* (inquit) *poterit indigere, qui tota die miseretur, & commodat?* Quod sanè Tertullianus olim gentilibus obijciens, & profusam Christianorum tum miserando, tum largiendo charitatem verbis extollens: *Plus nostra* (inquit) *misericordia vicatim, quam vestra religio templatim.* Impensior quippe horū in vicis, obuijs quibusq; miseris subueniendo, quā Gentilium in ipsismet Deorū templis, eorumdemq; simul Hostijs, atque oblationibus munificentiæ olim affulsit largitas. Quapropter diuinam suis Christus à misericordia præsertim operibus similitudinem auspicādam proponens: *Vt sitis* (inquit) *filij Patris*

S. Leo PP. ser. 10 de quadrag. ieiunio

Deus vbi misericordiam inuenit veram sui in homine imaginē cognoscit.

Rom. cap. 8.

Actuum Ap. 10. 38.

Psal. 36.

Ambros. in psal. 36.

Christianorum beneficentia, religiosam omnium gentiliū pietatem longè superabat ex Tertulliano.

Mathei c. 5.

Christus in suis, Dei similitudinem benefaciendo peroptat.

Patris vestri, qui solem suum oriri facit super bonos, & malos, & pluuit super iustos, & iniustos. A benefaciendo itaque totius humanæ prosapiæ dignitas, diuini prærogatiuam honoris, originario velut à fonte deriuat, ac data velut tessera in Dei Regnum Christus electos prouehẽdos palam cunctis ostendit: *Potestas quippe* (ait Bernardus) *subiectionem, Maiestas exigit admirationem, neuè imitationem*. Atqui benefaciendo in primis Deum, ipsiusque supremam alterum iuuando maiestatem homo è proximo sic æmulatur, vt meritò, ac condigno filij nuncupatus titulo decoretur. Quo maior autem proximis charitas impenditur, & ampliora ipsis emolumenta proueniunt, eò magis benificentiæ prærogatiua diuinitus affulget.

Be r. in ep. ad Titum.

3. Porrò vbi de beneficentiæ laudibus, inter homines, ac de aliorum procuranda salute agitur, haud hæc profectò cum sui detrimento quærenda aliquando, lucrandaque insuper est. Enimuerò qui Deo inter benefaciendum placere cupiunt, ita proximo prodesse debent, vt sibi ipsis officiosi esse non desint, sed sibi primùm (quod ordo charitatis exigit) prosint, alijs subinde profuturi; hanc quippe Apostolus charitatis legẽ ac mensurã adhibet: *Non vt alijs* (inquit) *sit remissio, vobis autem tribulatio, sed ex æqualitate*. Amor etenim erga se ipsum charitatis lex est: *Charitas namque* (vt Bernardus ait) *non modò habet, sed etiam abundat. Vult abundare sibi, vt possit omnibus: seruat sibi quantum sufficiat, vt nulli deficiat*. Hinc Regius meritò Psaltes diuinum quod latet in verbo mysterium exponens: *Eructauit* (inquit) *cor meum verbum bonum*. Qui enim eructat, plenum stomachum, haud inanem habet: *Vt ostenderet* (inquit) *quod de plenitudine eructaret, non oscitaret de inanitate*. Proindè Apostolus sic totus cunctis vacabat, vt sibi quoque totus intenderet, & aliorum salutem quærens, haud suam negligeret: *Omnibus omnia* (inquit) *factus sum, vt omnes facerem saluos*. Quapropter meritò Bernardus Eugenium ad Pontificij muneris culmen euectum sic aptè in rem alloquitur: *Si totus* (inquit) *vis esse omnium, instar illius, qui omnibus omnia factus est, colligas & se intra se sinus, qui omnes recipit: cum omnes te habeant, esto etiam tu ex habentibus vnus. Quid solus fraudaris munere tui? Vsquequò vadens spiritus, & non rediens: denique sibi nequam, cui bonus?* Quod sapidè, appositeque inculcans, vt non solùm se vnà cum alijs, sed & præ alijs diligendo curet egregiè adhortatur: *A te* (inquit) *incipiat consideratio tua, & in te finiatur: tu primus tibi, tu vltimus; sume exemplum de summo omnium Patre, Verbum suum, et emittente, et retinente. Verbum tuum consideratio tua, quod sic procedat, vt non recedat; sic progrediatur, vt nõ egrediatur, sic exeat, vt non deserat*. Quo item argumento appositè Saluianus aliquando diuites perstringendo vtitur, qui ne cognati, & consanguinei in hoc sæculo egeant, ipsi in altero sæculo egere, ac in æternum miseri perire malunt: *O infidelitas* (inquit) *O peruersitas! noui hoc genus monstri, cui libet quemque velle confidere, tantùm ne sibi*. Et paulo infrà: *Infelicissime omnium, cogitas, quam benè alij post te viuant: non cogitas, quàm malè ipse moriaris? Cum multis patrimonium tuum diuidas, cum multos facultatibus tuis dites, nunquid de solo te es malè meritus, vt tibi nec inter extraneos locum facias hæredis*. Quod certè sibi timens Apostolus: *Castigo* (inquit) *corpus meum, et in seruitutem redigo, ne fortè cum alijs prædicauerim, ipse reprobus efficiar*. Sed vt iam electorum, ac verè pœnitentium, qui proximis Deo elucrandis intenti salutem consequuti sunt, narrandis cum laude mortibus insistamus.

Prouidendũ ita, ac benefaciendum proximorũ saluti, vt salus propria sine detrimẽto fit.

1. ad Chor. cap. 8.

Bernard. ser. 18 in Cant.

Charitatis, quæ nam sit lex.

Ps. 144.

Apostolus proximos, ac se diligendi exemplar ex Bernardo.

Bernardus vbi sup. 1. ep. ad Chor 9., v. 22.

Bernard. de consideras. ad Eugenium.

Propria vnicuique salus primum quærenda, deinde aliorum.

Bernardus vbi sup.

Saluianus lib. 3. ad Ecclesiam.

Indiscreta planè charitas se neglecto alios diligere.

Apostolus sibi formam diligendi præscribit.

Saluianus vbi supra. 1. ad Chor. 9.

4. Et iure quidem meritò hic primum inter acerrimos publicæ rei, ac salutis propugnatores Eucherius Senator ille adnumerandus est, qui virtute, & pietate clarissimus, cum sub barbaro Gothorũ iugo publicam Romanorum rem fatiscentem videns ægrè ferret, Gothosque, vtporè pacis amicus, ac strenuus patriæ libertatis assertor, vti vindex auersaretur, Victorium Euarici Gothorum Regis ducem infensum nactus, tandem in hostiles eiusdem manus venit, à quo diræ neci traditus est; de quo isthæc Turonensis: *Super Eucherium verò Senatorem* (inquit) *calumnias deuoluit, quem in carcere positum, nocte extrahi iussit, ligatumque iuxta*

Eucherius Senator publicæ rei amantissimus.

Baronius an. 480. num. 16.

Greg. Turon. lib. 2. cap. 20.

ta parietem antiquum, ipsum parietem super eum elidi iussit. Porrò vir iste,in quē inhumaniter adeo Victorius, & non nisi barbara præditus animi feritate desæuijt, magnis à Sidonio Apollinari laudum præconijs extollitur, dum ad ipsum scribens, hæc habet: *Veneror* (inquit) *antiquos,non tamen ità, vt qui aquorum meorum virtutes, aut merita postponam. Neque si Romana Respublica in extrema hæc miseriarum defluxit, vt studiosos sui nunquam remuneretur; non idcirco Brutos, Torquatosque non pariunt sæcula mea. Quorsum isthæc? (inquis.) De te ad te mihi sermo est, vir efficacissimè,cui debet Respublica, quod supradictis solutum laudat historia. Quapropter temerarij rerum temeraria iudicia suspendāt,nec perseuerent satis suspicere præteritos, aut despicere præsentes &c.* Hæc Sidonius. Ex quibus planè cædis Eucherio illatæ causam, & cur homo Gothis, eorumque imperio deseruiens eiusmodi in ipsum iram exercuerit, in virum vtpotè publicę rei amantissimum, ac in primis studiosum, auersantemque pariter barbaros,qui iniquis hanc armis diuexabant, nec non ipsam propudiosis moribus libertatem liberos proculcando ciues captiuabant.

A Victorio Gothorum Regis Duce: nece traditur.

Sidonius lib. 3. epist. 8.

Ipsius virtus ac merita digne à Sidonio laudata.

5. Eucherius verò vir Religione præstans, ac planè dignus, qui in Episcopum assumeretur, ni vltrò bigamiæ impedimentum obstitisset, vt idem Sidonius solemni præconiorum testimonio fidem facit; dum pro concione Simplicium in Bituricensem Archiepiscopum à se electum affirmans, hæc habet: *Illustris (inquit) in vtraque conuersatione prosapia, aut Episcopis floruit, aut Præfectis; ita semper huiusmodi, aut humanum, aut diuinum dictare ius vsui fuit. Si verò personam suam tractatu consultiore pensemus, inuenimus illum tenere isthic inter spectabiles Principes locum. Sed dicitis viros Eucherium, aut Pannochium illustres haberi superiores,quod hactenus eos esse putatos, sed præsentem iam modo, aut ob causam illi ex canone non requirantur, qui ambo ad secundas nuptias transierunt.* Summæ igitur laudi id ipsum Eucherio cedit, quod Episcopalibus dignus infulis condigno Sidonij ipsius testimonio asseritur, & qui vitam, publicæ rei causa à Victorio interemptus, spontè, libēterque impendit, ob quod meritò totus publico vtpotè intentus bono laudari meruit, ac inter recolendas, selectasque pœnitentium mortes pius eiusdem decessus hic à nobis est adscribendus.

Baronius ubi supra nu 17. Sidonius vbi supr.

Eucherius dignus Epi scopatu habitus nibiga mus fuisset ex Sidonio.

Ob publicæ rei studium sublatus meritolaudādus

6. Par quoque huic virtutis laude, ac publici item boniconsors prouehēdi studio extitit Claudianus Presbyter,cognomento Mamercus Mamerci Viennensis Episcopi sanctitate præcipui germanus frater, vir potens opere, & sermone, Theologicis facultatibus,ac cœteris quoque scientiarum literis apprimè exculrus; Pijs autem operibus, ac pœnitentiæ exercendæ laudabiliter adeò se totum dedit, vt humilitate præsertim, & charitate faustum,præoptatumque ad vitam sibi aditum parauerit, hæc enim de eo Sidonius Apollinaris ad Petreium scribens recenset: *Cæterum* (inquit) *cætera quis competenti præconio extollat?quod conditionis humanæ per omnia memor, Clericos ope, sermone populares, exhortatione mærentes, destitutos solatio, captiuos pretio, ieiunos cibo, nudos operimento consolabatur; pariter,et super his plura replicare superforaneum statuo. Nam merita sua, quibus diutem conscientiam censu pauperatus locupletauit, spe futuræ retributionis celare plus studuit.* Hæc ille. Verùm vir maximè pius, & cuius egregia scripta binis Sidonius epistolis cumulatissimè celebrans in cœlum extollit, ad scientiæ, qua præcellebat, cumulum pari Christianarum virtutum studio probitatem adiunxit, vt paucis item Sidonius verbis in alia ad ipsum epistola sic ipsum alloquens testatur: *Cum precatu Deum* (inquit) *placas, et non modo amicis, sed et ignotis concilias: cum scripturarum cœlestium mysteria rimaris, quo te studiosius imbuis, eò doctrinam cæteris copiosius infundis: cum tuas opes in vsum pauperum prodigis, tibi quidem maximè, sed alijs quoque consultum facias, etc.* Precandi quippè studio intentus, ac eleemosynarum præsertim elargitionibus diues, haud sibi exiguam vir tantus laudem apud omnes meruit. Ex quo tum Deū, tum homines sibi maximè promerendo deuinxit. Quanti verò eum Mamercus dignissimus Viennensis Episcopus faceret, quem sibi fidelissimum in Pontifi-

Claudianus Mamercus Presbyter vir potens o. pere, & sermone.

Baronius an. 490. nu. 38.

Sidonius epi. ad Petreium

Charitas ipsius erga proximos dictis factisque relenandos.

Sidonius l. 4. epist. 2. ad Petreium.

Quam efficax in suis ad Deum precibus.

Mamercus Viennensis Episcopus quanti fecerit ipsum fecit ex Sidonio.

cij muneris officio adiutorem, & coepiscopum iunxerat, cuius item adeò vtebatur consilijs, vt cuncta tum facta, tum facienda probè dirigeret, Sidonio narrãte didicimus; de eo enim sic habet: *Vt Episcopum* (inquit) *fratrem maiorem natu affectuosissimè obseruans, quem diligebat vt filium, eum tanquam patrem venerareturs; sed et ille suspiciebat hunc granditer, habens in eo consiliarium in iudicijs, Vicarium in Ecclesiis, procuratorem in negotijs, villicum in pradijs, tabularium in tributis, in lectionibus comitem, in expositionibus interpretem, in itineribus contubernalem.* Hæc ille, & digna planè tanto homini elogia statuit.

Sidonius lib. 4 epist. 11.

7. Atqui Claudiano demum tot virtutum titulis claro, ex hac vita prærepto Sidonius Apollinaris nobile ipsius sepulchro epitaphium inscripsit, quod apud Petreium his verbis traditur:

Claudiano Sidonius post mortem nobile epitaphium inscribit:

Sidonius Apollin. lib. 4. epist. 11.

Germani decus, et dolor Mamerci,
Mirantum vnica gemma Episcoporum,
Hoc dat cespite membra Claudianus,
Triplex bibliotheca quo magistro
Romana, Attica, Christiana fulsit:
Quam totam Monachus virente in æuo
Seuera bibit institutione,
Orator, Dialecticus, Poeta
Tractator, Geometra, Musicusque,
Doctus soluere vincla quæstionum,
Et verbi gladio secare Sectas,
Si quæ catholicam fidem lacessunt.
Psalmorum hic modulator, & phonascus,
Ante Altaria fratre gratulante
Instructas docuit sonare classes,
Hic solemnibus annuis parauit,
Quæ quo tempore lecta conuenirent,
Antistes fuit ordine in secundo,
Fratrem fasce leuans Episcopali
Nam de Pontificis honore summi
Ille insignia sumpsit, hic laborem
At tu quisque doles amice lector,
De tanto quasi nil viro superfit,
Vdis parce genis rigare marmor,
Mens, et gloria non queunt humari.

Digna virtutum ipsius præconia:

Scientiarum peritissimus eloquentia præstans.

Pietas in Deum, efficacia inter orandum.

Et hæc sunt, quæ pijssimo viro condigna vtpotè virtutum, ac præconiorum simul monimenta Sidonij ore decantata hic statuisse voluimus.

8. Vt alios insuper, & publicæ omniũ vtilitatis laude illustres recenseamus, Thomas Constantinopolitanus Episcopus hic meritò à nobis recolendus est, qui Dei iugiter obsequio addictus, assiduisq; perfunctus pro Christi grege laboribus, cũctis charus, & præ cunctis acceptus Deo, ac hominibus, mortalis tandè vitæ pertæsus, vbi in morbum incidit, Sanctũ Theodorum Siceotam misso protinus nuncio conuenit, exorauitque, vt non iam pro ipsius vita, sed pro morte, quam vehementer expetebat, enixius deprecaretur. Cupiebat enim corporis quantocyus vinculis absolui, vt liber iã velociter ad Christum perueniret. Quod autem illi in votis fuerat, id totum Deo aspirante; ipsi contigit, vt Eleusius Theodori discipulus in eius gestis hunc in modnm tradit: *Quo tempore* (inquit) *contigit, vt Sanctissimus Patriarcha in morbum incideret. Itaque nuncium misit ad B. Theodorum, rogans eum, vt Deum precaretur, vt sibi daret vitæ finem. At Christi seruus respondit, quamuis ipse, vt Sanctus olim Apostolus Paulus, dissolui, et esse cum Christo cuperet, tamen cum magis esset necessarium, vt pro populi salute in corpore maneret, oraturum potius, vt illi vitam, et sanitatem elargiretur. Sed nuncium rursus ad Dei seruum misit Patriarcha: Per Dominum (inquiens) obtestor te Pater, si diligis me, vt pro mutua, et fraterna inter nos beneuolentia Deum obsecres, vt depositum pignus suum recipiat è corpore meo, meque ab imminentibus periculis liberet, neque enim spectare possum, quæ tu prænunciasti. Tunc Dei Seruus flexis genibus, et fusis pro ipso precibus nunciauit ei per Epiphanium Ministrum, se quidem vitam eius pro salute omnium exoptasse. Verùm quoniam tantopere flagitasset pro se preces fundi, vt dissolueretur, et esset cum Christo; iussis ipsius obtemperasse, et Deum illi quæ cuperet concessurum. Et petitionem eius eodem die adimpletum iri. Quamobrem si iubes (inquit) vt veniam ad te, statim id faciam; sin minus nos tamen vicissim apud Christum Dominum conspiciemus. Hoc audito Beatissimus Patriarcha gauisus est gaudio magno, et Deum laudans, monuit seruum suum, ne exiret, neuè à quietis, & abstinentia sua discederet instituto: contentum enim se esse promisso eius, quod se vicis-*

Baronius an. 603. nu. 8.

Thomas Cõstantinopolitanus Episcopus Charitate in cunctos conspicuus.

Eleusius in vit. S. Theodori apud Sur. tom. 2. die 22. April.

Haud vitam sed mortem sibi à Deo meritis vtpote onustus præoptat.

Dissolui cũ Apostolo cupit & esse cũ Christo.

Libenter mortis nuncium accipit vt ad promissa perueniat

vicissim apud Christum essent conspecturi. Hoc et Imperator cum intellexisset, *Sanctissimum Patriarcham inuisit*. *Qui cum omnibus benedixisset, ante horam vespertinam cum prudentia, atque constantia admirabili ad Dominum migrauit*. *Huius obitu cum serui Dei familiares angerentur, quod tam amicum, et beneuolum Patriarcham amisissent*. *Nolite* (*inquit Vir Sanctus*) *modicæ fidei homines, et pusilli animi dolere, et conqueri, qui enim futurus est Patriarcha, non minus vos diliget*. Hæc Auctor.

Ab Imperatore inuisitur & cunctis benedictus placidè obit

9. Sic planè Thomas feliciter ad ad Dominum pijs, sanctisque diues operibus, & post labores ad proemia in Cœlum euolauit. Post cuius subinde obitum accidit, vt cum sui ob ipsius decessum acerbiùs, quam par est, tristes ob tanti iacturam viri amarius obdolerent, Theodorus de Sergio in Thronum prouehendo illis fausta, optantis potiùs, quam (vt Baronius adnotat) spiritu fatidico futura prænunciantis in morem edixerit. Sergius quippe licet optimis initio prouectus auspicijs, haud multò post, alter verè Saul, factus à se ipso degener, adeo desciuit, vt ipsi non secus, ac Saul Samueli subinde lugendus magis, quàm laudandus extiterit. Sed quæ de eo Eleusius narrat, hic obiter subtexenda sunt. *Quod & factum est* (inquit) *Sergius enim, qui creatus est Patriarcha, venit ad Dei Seruum, nec remisit, vt à quoquam prius certior fieret, &c. & ad pedes eius prostratus, rogauit illum, vt pro se Dominum precaretur, &c. & maiore beneuolentia, quàm præcessor ipsius, Virum Sanctum est prosequutus*. Hæc de Sergio qui primo magnam de se spem, atque expectationem, rum viro sancto, tum cunctorum animis peperit, vt illis potissimum alter verbis edixerat: *Deo enim confisus* (inquit) *spero administrationem tuam, & diuturnam, & præclaram fore*. Cuius profectò tum vita, tum fama, magna quæque cuncti de se sub initia repromittere visa sunt, adeò vt Georgius magni quoque sub hæc tempora nominis apud Græcos Poeta nobile eidem Sergio Patriarchæ carmen, eximias ipsius celebrando humilitatis laudes, iambicis istis inscripserit.

Theodorus post Thomã de Sergio in thronum prouehendo Monachis enunciat.

Baronius vbi supra n.2.

Sergius ad thronum fauta prædictio nem prouehitur.

Eleusius vbi supr.

Georgius in carm.

Magnam sui Sergius suo initio spem cunctis, ac expectatio nem ingerit

Lumen coruscum Christianorum chori,
Tu mens paterna, cor superbum neutiquam,
Volites per astra quanquam, & adeas æthera,
Te deprimis, congrederis, & mortalibus, &c.

Baronius vbi supra nu.5.

Quin & in carmine, quod de Mundi opificio exscripsit, de eodem Sergio hæc habet:

Georgius in carm. de mund. opif.

Hæc Patriarcha clamitat, & dictitat,
Vt balbus is sit plurima ob ieiunia.
At non loquendo, intus sonum magnum dedit,
In cordis igne cum indidit linguam suam,
Hanc condiditque, & reddita est vocalier:
Tacensque clamat, guttur vt Moysis sacrum,
Attenditurque idem, licet non agitet os.
Largè imbre terram irrorat, atque oculis pluit:
Ningit frequenter lacrymarum cum impetu
Hunc nos, latere etsi videtur nouimus, &c.

Georgius græcus poeta ipsius laudes celebrat

Hæc Georgius, aliaque summis digna laudibus de Sergio metricè canens prosequitur. Ex quibus certè, quantæ vir vnus iste in Oriente apud cunctos existimationis foret, probè lector intelligit. Verùm haud multò post hic inter honores misertimè euanescens, nec in ea, qua cœperat, animi demissione stabilis, in altam erroris foueam lapsus, ex eadem haud emergens, pessimè tandem perijt, & vt Baronius ait, *ex optimo nequissimus redditus, Dux factus Monothelitarum hæreticorum*. Hæc de Sergio vel obiter, qui haud inter piè decedentes, vt pius prædecessor eius, sed inter perditos, ac pessimo fine consumptos, iuremeritò est recensendus.

Sergius factu elatus, sub throno abortum facit, Dux Monothelitarum hæreticorũ factus.

Baronius vbi supra num. 5

10. Summo item cunctis emolumento, atque admirationi præcipuo tum pietatis, tum charitatis zelo Edilbertus Anglorum Rex fuit, qui cum Augustinum, aliosque cum eo illuc à S. Gregorio Magno orthodoxæ fidei promulgandæ

Edilbertus Anglorum Rex directos a S. Gregorio Monachos benignè excipit.

Baronius an. 613. n. 101.

dæ causa missos benignè exceptos, gratis Christi fidem annunciantes auribus audisset, cunctis liberam in suo Regno prædicandi facultatem concessit, & haud multò post ipse quoque ad fidem traductus, Christo nomen dedit, cum anteà haud facilè assensum seruorum Dei dictis præberet dicens: *Pulchra sunt quidem verba, & promissa, quæ offertis, sed quia noua sunt, & incerta, non his possum assensum tribuere, relictis eis, quæ tanto tempore cum omni Anglorum gente seruaui.* Cum ergo iisdem in Ciuitate Dorouernensi manendi potestatem fecisset, eorum exemplis, virtutibusque permotus, se ad Christum vnà cum aliis multis è suorum numero contulit, vt Beda his rem verbis prosequitur: *At vbi* (inquit) *sibi datam mansionem intrauerunt, cæperunt Apostolicam primitiuæ Ecclesiæ vitam imitari, orationibus videlicet assiduis, ac ieiuniis seruiendo, verbum vitæ, quibus poterant, prædicando, cuncta huius Mundi velut aliena spernendo, ea tantùm quæ victui necessaria videbantur, ab eis, quos docebant, accipiendo: secundùm ea, quæ docebant, ipsi per omnia viuendo, & paratum ad patiendum aduersa quæque, vel etiam ad moriendum pro ea, quam prædicabant, veritate, animum habendo. Quid? crediderunt nonnulli, & baptizabantur, mirantes simplicitatem innocentis vitæ, & dulcedinem doctrinæ eorum cælestis.* Hæc Beda, vbi de Adileberga ipsius vxore Christiana iam reddita, & de mirifica eius pietate, ac prædictorum Monachorum in prouehendis ad Dei cultum gentibus sollicita opera sermonem habuit, hæc de Rege subdit: *At vbi* (inquit) *ipse etiam* (Rex videlicet) *inter alios delectatus vita mundissima Sanctorum, & promissis eorum suauissimis, quæ vera esse miraculorum quoque multorum ostensione firmauerunt, credens baptizatus est. Cæpere plures quotidie ad audiendum verbum confluere, ac relicto gentilitatis ritu, vnitati se Sanctæ Christi Ecclesiæ credendo sociare. Quorum fidei, & conuersioni ita gratulatus esse Rex perhibetur, vt nullum tamen cogeret ad christianismum, sed tantummodo credentes arctiori dilectione, quasi cōciues sibi Regni Cælestis amplecteretur. Didicerat enim, & à doctoribus suæ salutis seruitium Christi voluntarium, non coactitiū*

Beda hist. Anglic. l. 1. c. 26

Assensum prædicantibus durus pridem, & incredulus præbet.

Beda vbi sup

Monachorū exemplo magis quam verbo ad fidem traductus.

Adileberga ipsius vxor Christi fidē propagandā curat.

esse debere. Nec distulit, quin etiam ipsis doctoribus suis locum sedis eorum gradui congruum in Dorouernia Metropoli sua donaret, simul & necessarias in diuersis speciebus possessiones conferret. Hæc Beda. At Rex pius pro rebus feliciter gestis gratulabundas à S. Gregorio Magno epistolas accipiens, ad fidem tuendam, & magis, magisque propagandam incensus est, cuius rei gratia Beatissimis Petro, & Paulo Apostolis Ecclesiam erexit, necnon alteram Londini Beato Paulo gentium Doctori exædificauit, & B. item Andreæ; quin & suis Episcopos piissimus Rex donis munificè auxit, locupletauitque.

Rex BB. Apostolis Petro & Paulo Londini templum ædificat.

11. Demum vbi publico cūctorum bono intendens, ad Christi fidem traductus, bonisque operibus cumulatus, piè in sæculo vitam duxit, feliciter ad Deū mercedem pro bene actis recepturus, migrauit, vt Beda his verbis: *Anno* (inquit) *ab incarnatione Domini sexcentesimo decimo tertio* (*qui est annus vigesimus primus, ex quo Augustinus Episcopus cum sociis ad prædicandum genti Anglorum missus est*) *Edilbertus Rex Cantuariorum post regnum temporale, quod quinquaginta sex annis gloriosissimè tenuerat, æterna cælestis Regni gaudia subiit; qui tertius quidem in Regibus gentis Anglorum cunctis australibus eorum prouinciis, quæ Humbro fluuio, & contiguis ei terminis sequestrantur à Borealibus, imperauit: sed primus omnium cæli regna conscendit.* Et hæc infra de eius felici transitu subdit: *Defunctus verò est* (inquit) *die vigesima quarta mensis Februarii post viginti, & vnum annos acceptæ fidei, atque in porticu S. Martini intra Ecclesiam Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli sepultus, vbi & Berta Regina* (*coniux videlicet*) *condita est.* Hæc ille. Eumdem verò, cum anno vigesimo primo, postquam Christo nomē dedit, Beda mortuum asserat, eiusdem obitum sexcentesimo decimo octauo redempti orbis anno contigisse constat. Verùm quod vitam laudabiliter adeò exactam, piaque eius in regno sollicitè administrando gesta, mors Christiano Principe digna sit consequuta, quæ de ipso in suis paginis Beda meminit, satis, superque ostendunt, hæc enim ille: *Qui inter cætera* (inquit) *bona, quæ genti sua*

Baronius an. 613. numero.

Beda vbi sup

Bonis cumulatus operi. feliciter diē claudit.

Beda vbi sup

Beda vbi sup

Præclara ipsius gesta in administrando Regno.

suæ consulendo conferebat, etiam decreta illi iudiciorum iuxta exempla Romanorum cum consilio sapientium constituit; quæ cōscripta Anglorum sermone hactenus habētur, & obseruantur ab ea. In quibus primitus posuit, qualiter id emendare deberet, qui aliquid rerum vel Ecclesiæ, vel Episcopi, vel reliquorum ordinum furto auferret: volens scilicet tuitionem eis, quos, & quorum doctrinam susceperat, præstare. Rex igitur, qui Regnū sic optimis administrādum legibus curauit, & tum iustitia, tū pietate perpetuò stabiliendum cupiens; debitum Religioni in primis cultum impendit, sua in primis Ecclesiæ iura illibata semper voluit. Ex quo factum est, vt sub optimo Principe quàm bene publicæ rei administratio cederet, ac moriens subindè amplam à Deo in altero sæculo laborum mercedem sit consequutus. Sed longè aliam viuendi rationem Eduardus eiusdem filius arripuit, ob quam iustis à Deo flagellis corripi meruit, vt Beda in suis historiarū paginis docet.

Iustitia in cunctis præcellit.

Eduardus filius ob culpa flagellis à Deo percussus.

Beda vbi sup.

Rainaldus an 1306. n 13

12. Vt susceptæ autem narrationis adhuc proposito insistamus, Ioannes Aytonus Armeniæ Rex, ac Leonis item Regis patruus, cum pœnitentiæ causa, cuius in primis excolendæ desiderio tenebatur, Christi iugum sceptro, austeramque regularis vitæ disciplinam regali luxui, ac delicijs prætulisset, totius Armeniæ sceptro à se abdicato, ac ad Nepotem Leonem transmisso, ad Sacram Franciscani Ordinis familiam, ibidem sibi, ac Deo vacaturus cōuolauit. Quod cum annuente votis Deo feliciter præstitisset, infidelibus subinde in prælium insurgentibus, ac regnum inuadere conantibus, ipse ad illud tuendum è claustro ad castra proficisci, ac iterum arma pro Religione, habitumque sæcularis militiæ induere compulsus, barbara infidelium manu peremptus, digna Deo, ac Religionis victima cessit, vt S. Antoninus apud Rainaldum in suis Annalibus sic tradit: *Rex (inquit) Armeniæ Ioannes dimisso Regno nepoti suo Leoni, ex magna deuotione Ordinem Minorum intrauit; sed quia contra Regnum infideles Turci insurgebant, & dictus Leo resistere eis non valebat, zelo fidei succensus, arma cum habitu suo assumpsit, & infideles quam plurimos fugat, & prosternit, demum ab infidelibus occisus est.* Rex igitur adeò pietate conspicuus felici exitu tum è claustro, tum è sęculo, quippè qui seipsū arctiori obseruantiæ, ac pœnitentiæ operibus sub Franciscani Ordinis Regula totum dicauerat, ad Deum lætus migrauit; zelo quippe Religionis tuendæ in aciem prodiens, vt suo fidem cruore stabiliret, suis condignam meritis in cœlo palmam fortitus est; vel hoc vno maximè apud posteros commendandus, quod animam pro fide, ac fratribus posuit, iuxta Euangelicum Christi verbum: *Maiorem charitatem nemo habet, quam vt animam suam ponat quis pro amicis suis.*

Ioannes Aytonus Armeniæ Rex regno, ac deliciis austeram vitæ normam, præponit.

S. Antonin. 3. part. tit. 24. c. 3. §. 13.

Franciscani Ordinis institutum arripit, sed inde ad barbaros armis comprimendos in aciem prodire cogitur.

Ioannis c. 15

Ab infidelibus tandem occisus, se pro suis Deo victimam offert.

13. Nec secus etiam minorem sibi in Dei Ecclesia laudem Rainaldus Rauennas Archiepiscopus meruit, qui summo Dei gloriam zelo promouere, & commissum sibi totius Prouinciæ Clerum ad primæuæ sanctitatis normam reuocare non destitit. ex quo Deo maximè gratus, acceptusque diem tandem meritis clarus feliciter clausit, vt disertus Rauennatum rerum scriptor, qui pijssimam tanti Archiepiscopi mortem, atque edita ab eo diuinitus portenta scriptis tradens, his verbis narrat: *Anno* (inquit) *M.CC.XXI. non absque ingenti apud omnes sanctitatis opinione, quinto decimo Kal. Septembris tranquillè decedens, in celestem Patriam euolauit, omni vir laude meritò cumulandus, qui cum magnarum rerum humanarum vsu, tractationeque Religionem, & pietatis rerumque æternarum curam coniunctam perpetuò habuit. Sepultus est in monumento ex marmore in Æde Vlsiana, quod cum superioribus annis Iulius Feltrius de Ruuere Cardinalis Rauennatum Archiepiscopus aperiri coram se mandasset, Viri Sancti cadauer, vt ipse mihi affirmauit Cardinalis, integrum, ac penè recens promissa barba, statura procera, ingenua forma, & specie ad dignitatem apposita inuentum est. Ad eius cadauer, cum adhuc in sepulchrum illatum non esset, multa miracula, ac in sequentibus etiam diebus, & annis sunt facta, &c.* Quibus nonnulla ex his ad comprobanda Viri Dei merita, augendamque ipsius in terris gloriam conceptis verbis meminit, quæ qui vult Lector apud Rainaldum in suis

Rainaldus an. 321. n. 47

Rainaldus Rauennas Archiepiscopus Religionis, & animarum zelātissimus.

Hieronymus Rub. hist. Rauen. lib. 6. & ex Surio t. 7. die 18. Augusti Ferrar. in suo SS. Cathalogo.

Clarus meritis obit.

Digna tanti viri elogia.

Miraculis post mortem illustratur.

suis Annalibus consulat; & hæc de fausto, ac recolendo ipsius exitu hic Lectori exposuisse sufficiat.

Rainald. an 1346. n. 71.

14. Hic autem haud ingrato prætereundus silentio est Venturinus Bergomas Dominicani Ordinis, cunctorum bono natus, qui eximius toti terrarum Orbi præco diuini Verbi affulsit, & quod maius est vitæ innocentia, ac morum sanctitate conspicuus, sic in terris opere, & sermone potens fuit, vt *decem millia virorum pænitentium* Religioso cultu secum Romam ad sacra inuisenda ibidem loca pertraxerit, ac deindè à Clemente VI. excitandis ad sacram in Turcas militiam, vt Rainaldus tradit, fidelibus dignissimè sit præfectus. Verùm vir tam eloquens, ac tum sermone, tum vita ad pertrahendos, rapiendosque ex vltramarinis plagis homines ad Christianæ pœnitentiæ cultum, ac religiosę item compunctionis sectanda vestigia præcellens, ingenti cunctis miraculo fuit quippè nullis penitus fractus laboribus, nullisque vnquam incommodis absterritus, dum in sacra prouehenda expeditione totis neruis adnititur, amplius meritis, quam signis portentorum clarus, mira diuinitus è cœlo luce præsignatus, ac supernis mirificè consolationibus releuatus, suauissimè in Domino obdormiens pœnitentium in morem decessit, vt in suis Thomas noster Bozzius paginis hunc in modum tradit: *Anno* (inquit) *millesimo trecentesimo quadragesimo sexto abyt in Cęlum Venturinus Bergomas ex Ordine Dominicanorum, clarissimus ætatis suæ concionator, non in Italia modò, sed & in Hispanys, Gallys, Britannia, Germania, Dalmatia, & aliquibus Greciæ locis. Sæpè ex illius facie, dum verba faceret ex superiori loco maximus cunctis cernentibus splendor eluxit. In Gallia mortuum suscitauit, quod narrare solitus erat Humbertus Princeps (vt vocant) Delphinus. Innumera edidit miracula, tum viuens, tum defunctus.* Et congruè præferuidus, qui pœnitentiæ sectandæ æmulator, cæteris quoque eius æmulanda vestigia, tum verbo, tum opere proposuit, miraculorum item portentis insigniri diuinitus meruit.

Venturinus Bergomas Domin. Ord eximius verbi Dei preco.

Potens Vir opere, ac sermone decem millia pœnitentiū hominum secum Romam deducit.

Tho. Bozzius de sign. Eccle.

Pœnitentiæ operibus, piisque laboribus diues suauiter in Christo obdormit.

Adhuc viuēs Sanctorum splēdoribus illustratur.

15. Verùm quam miris Vir Dei signis præfulserit, & quænam in vita sua mirabilia fecerit, Leander eius gestorū scriptor hunc in modum tradit: *Beatus* (inquit) *Venturinus cum Episcopo Smyrnæ Smyrnam tendit, quo Kal. Marty, qui fuit Quadragesimæ primus dies, peruenit, vbi diu summis votis expectatus fuerat: Itaque nullius quietis habita ratione, concionari capit, & hortari, impellere, inflammare ad Sanctam expeditionem omnium animos: quod vbi publicè fecerat, priuatim quoque non omittebat. Visebat ægrotos, & remedijs corpori, et animę salutaribus nulli deerat. Nulla ibi mora, nulla quies vnquam erat. Hinc factum est, vt corpus fatigatum longo, ac difficili admodum itinere, & continuis laboribus ægritudinem contraxerit, quæ illi vitę finem attulit. Quare cum ægrotare Idibus Maij cæpisset, post diem 13. Sanctissimam illam Animā in summo omnium mærore, ac luctu efflauit. Obyt igitur B. Venturinus 5. Kalen. Aprilis anno ab Aduentu Christi millesimo trecentesimo quadragesimo sexto: in cuius felici egressu perhibent incredibilem in eius facie, & toto corpore claritatem esse conspectam, vt minimè dubium cuiquam foret, beatam illam animam continuo in Cælum euolasse, sempiterno cū Sanctis æuo fruituram.* Hunc itaque in modum dignus, indefessusque Christianorum pœnitentium dux viuendi finem faciens hinc ad Deum feliciter migrauit, cunctis pænitentibus ingens sui desiderium, ac virtutum omnium documenta relinquens.

Leander de Viris illustr. Ord. Prædic. lib. 5.

Omnes cum publicè, tum priuatim ad crucem amplectendam hortatur.

Pietas erga ægrotos.

Ex labore morbum cōtrahit, & postremum moritur.

15. Porrò vir Christianis moribus, ac pietatis cultu insignis, quot, & quāta in traducendis ad pœnitentiam, & in excitandis insuper, prouehendisque ad Deum vbique fidelium animis Deo afflatus præstiterit, quibus solam duntaxat animarum salutem, ac Dei quærens gloriam elucrandi cupidus immensos planè labores perpessus, hominum nonnullorum in se inuidiam, vanosque susurros, vt potè rei nouitatem increpātium, vel nolens concitauit, adeoque à Romano Pontifice amarulentis omnem præter spem verbis exceptus, ab ipso sacrorum subinde munerum ministerio interdictus est, etsi postea ipsius pietate, atque in bono constantia explorata, cōsuetis redditus munijs, ad conscribendam religiosam in Turcas militiam sū-

Rainald. vbi supra.

Inuidiam nonnullorum is fiebens apud Rom. Pontificem ob nimium zelum nouarū rei auctor ierum accusatur.

ma cum laude à Clemente huius nominis Sexto adhibitus, suam fideliter Apostolicæ Sedi operam in hoc omni laude dignissimus nauauerit. Verùm vt pia eius in accendendis fidelium in Dei amorem animis gesta innotescant, quæ Rainaldus in suis historiarum Annalibus ex Villano excerpta narret, hìc suggerenda nobis visa sunt.

Sacris ab eo interdictus.

Ad expeditionem subindè in Turcas prouehendam delectus.

16. *Venturinus Bergomas* (inquit) *Dominicanę familiæ Religiosus Vir, zelo lucrandarum Christo animarum accensus, pios motus in plurimis Insubriæ Vrbibus concitauit, pluresque à vitijs abduxit: instituitque inter cætera ad limina Apostolorum peregrinationem, quam decem hominū millia, & eo amplius peregere. Instructis agminibus Religiosis Crucem præferentes præcedebant, in veste candida, pallioque cæruleo, assuto columbæ ternæ oliuæ folia præferentis symbolo: atque vbi Vrbem aliquam erant ingressi, adibant Prædicatorum templum, & coram Principe Altari nudati pube tenus, loris ad crimina expiãda se cædebant. Vbi verò sacra Vrbis loca Venturinus cum suis perlustrauit, Auenionem se contulit, vt indulgentiarum præmia à Pontifice pro ijs, qui ipsum erant sequuti, obtineret: sed non defuere inuidi, qui ipsi nonnulla temere iactasse, ac plausus humanos captasse obiecerint; habendisque ad populum concionibus, & exhomologesibus excipiendis interdictus est, cuius tamen opera postea Clemens VI. ad conscribendam in Turcas Religiosam militiam vsus est.* His sanè constat, innumeram planè hominum copiam ab Apostolico Viro ad Romanæ Ecclesiæ sinum, & ad salutaris pœnitentiæ sectanda vestigia in vnum collectam, ac longo viarum tractu, Israelitici instar populi olim à Moyse ad sacra, & veneranda Vrbis loca deductam, nec absque magnis viarum, ac laborum incommodis, crebro flagellorum vsu attritis artubus iter eiusmodi obijsse. Illud autem immensam illi apud Deum mercedem, & apud posteros laudem peperit, quod non paucos videlicet in bono contradictores, & apud Pontificē obloquentes nactus, ac si cuncta isthæc inanis gloriolæ ambitu, haud pietatis impulsu, ac Deo placendi, animarumque lucrandarum studio præstitisset, Pōtificis nedū gratiam, immò indignationem potiùs visus est incurrisse. Et siquidem cum sub ea præsertim tempora impia Fraticellorum secta coalescere cæpisset consultò Pontifex gregi suo nō parum ab eiusmodi recentis instituti operibus, insolitisque eorumdem adinuentis timens, in peregrinationis adeò piæ auctorem, ductoremque innumeræ ferè multitudinis iusto Religionis zelo permotus exacerbatusque animaduertit, vt sic Rainaldus in suis Annalibus causam afferens tradit: *Acerbè verò* (inquit) *propterea à Ioanne exceptus est, vt alij à rebus innouandis deterrerentur, cum maximè metus non abesset, ne à nonnullis sub pietatis specie impietas simplicibus afflaretur.* Verùm eximia viri probitas, humilitate, ac patientia, lydio veluti probata lapide, condignam illi in hominibus ad Christi Crucem, ac vnà simul, ad pœnitentiam Apostolica auctoritate prouehendis in trāsmarina expeditione coronam meruit, & longè ipsi ampliorem pro pęnis, laboribusque animarum zelo, ac pænitentię causa susceptis palmam cœlo peperit. Et hæc narrasse sufficiat.

Rainald. vbi sup. an. 1334. n. 18; Ioannes Villan. lib. 1. c. 23.

Agmina hominum ad sacra loca peregrinantium ducit.

Flagellis se peregrini ad Dei iram placandam cædunt.

Alter vti Moyses Israelitici populi ad instar post se cæteruas hominū ducit.

Obflagellatorum hæreticorum emergentē suspecta Pontifici peregrinatiō nouitas.

Rainald. vbi supra.

Agnita hominis virtus post probationē magnā illi gloriam affert.

17. Recensitis verò hactenus Viris illustribus, & claræ in primis ob pietatem, ac publicæ Charitatis officia, famæ coronidis instar, subtexendus hic est Franciscus Cardinalis Ximenius Archiepiscopus Toletanus, qui pridem sapientissimus totius Hispaniæ moderator, sed virtutum apprimè meritis clarus, Sacri Purpuratorum Patrum Collegij decus, sua tandem opera, pro se, & cunctis semper sollicitus, maximè verò sub vitæ finem totus pænitentiæ operibus vacans, satis ampla de se narrandi cunctis documenta reliquit, in Domino feliciter obdormiens, vt Gomesius his verbis tradit: *Vt* (inquit) *se mori sensit, vitæ sanctissimè actæ præclara documenta dedit, nam quamuis corpore nimis afflicto, & debili, animo tamen, & iudicio firmo de rerum humanarum instabilitate, & vanitate, de immensa Dei misericordia apud suos breui quodam sermone piè, & doctè disseruit. Deindè Christi crucifixi signum complexus, veniam à Deo multis lachrymis efflagitauit; vocans in terris in suum patrocinium Diuos omnes, sed ante alios Deiparam Virginem Mariam,*

Rainald. an. 1517. n. 103.

Gometius lib. 7.

Franciscus Card. Ximenius Archiepiscopus Toletanus virtutibus clarus.

Publicis rebus administrandis, & omnium saluti intentus vitę finē sortitur.

Mariam, Michaelem Archangelum, Petrum, et Paulum Apostolorum Principes, et Iacobum Hispaniarum Patronum, Diuũ etiam Franciscum, sub cuius Instituto vixerat, et Toletanæ Ecclesiæ Præsides Eugenium, et Ildelfonsum, qua tanta ab illo pietate, atque animi Christiani affectu dicebantur, vt circumstantes amici lacrymas tenere non potuerint. Ergò postquam Religionis sacra omnia absoluit, vt Oleo Sancto perungeretur, postulauit, et astantibus Petro Lerma, Antonio Boderico, Fontano Archidiacono, et Balbasio, qui morientem pijs precibus iuuabant, et fidei constantiam augebant; subindè versus illos Danidis repetens: In te Domine speraui, Antistes Sanctissimus, et amplissimus, qualem posteritas vix est habitura, animam efflauit 6. Idus Nouembris die Dominico, anno sui Pontificatus XXII. ætatis verò circiter octogesimo, Christi antẽ anno M.D.XVII.

Piè se ad mortem precibus comparat.

Rainaldus vbi sup.

Hæc Auctor. Ea verò Præsul dignissimus vitam austeritate excoluit, vt cum Leo X. qui consilio ipsius, & operæ in sacra aduersus Infideles expeditione maximè præsidebat, aliquot ante ipsius obitum mensibus in graui adeò ætate ipsum nil de austerioris vitæ forma, qua extremum senium attigerat, remittentem, inque crebris grauem morbis, sic adhuc se gerere comperisset; adeò vt consueta ieiunia excoleret, ac rigido Franciscani Ordinis more in aspero lectulo decumberet, Apostolica Pontifex auctoritate ipsi, vt carnibus post hac ex Medicorum præscriptu vesceretur, ac lineis insuper pannis vteretur, cùm eius maximè publicæ Christianorum rei sospitas vitæ pernecessaria foret, districtis verbis iniunxit. In suis etenim ad eum literis Leo Papa hæc habet:

Leo X. ipsius in expeditione aduer. sus infideles opera vsus.

Ipsius sub senium austeritatem, remittendã ratus vt carnibus vescatur, & præter instituti regulam & lineis vestibus vtatur, præcipit.

18. *Accepimus* (inquit) *quòd tu, qui septuagesimum, & vltra ætatis annum agis, &c. proindeque vltra quam tanta ætas secum affert, in varias corporis infirmitates sæpe incidis, & ætatis tuæ quasi immemor, Medicorum consilia spernens, à ieiunijs, & abstinentijs per Ecclesiam indictis, & per Fratres Ordinis Minorum S. Francisci de Obseruantia, cuius tu professor existis, adhuc desistere non curas, &c. tamen quia, vt accepimus, complexio, & ætas tua istis vitæ austeritatibus adeò rigorosis, atque acutis non est apta, &c. Motu proprio, non ad tuam, vel alterius pro te nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam; sed de nostra mera deliberatione, ac certa scientia, deque Apostolicæ potestatis plenitudine in virtute sanctæ obedientiæ, cuius quanta sit virtus, & efficacia non ignoras, &c. mandamus, vt de cætero, quandiu in humanis vixeris, diebus ieiuniorum prædictorum, sextis ferijs, & maioris hebdomadæ sanctæ duntaxat diebus exceptis, carnibus, & alijs sementinam originem ab eis trahentibus vesci, ac vti debeas, quibut diebus tres Christi pauperes reficiendo, omne ieiuniorum meritum consequaris, perindè ac si ad literã ieiunia ipsa plenè seruares & adimpleres, &c.* Quin & Pontifex aliorum dierum ieiunia de consilio Medicorum, & laneam insuper austerioris Obseruantiæ tunicam ipsi inter decumbendum in lectulo deponendam indulget. Eo quippè Vir Dei se ipsum piè excruciandi ob Christi amorẽ desiderio æstuabat, vt ipsius præ gaudio pœnas non sentiret; & sic suum vnà cum Apostolo corpus castigabat, in seruitutẽ redigens, vt carnem, ac sensum omnem exuisse quodammodò videretur, & pœnitentiã ad extremum vsque vitæ sollicitè sibi sectandam proposuerit: Cùm tanta igitur in dies præstaret, morte tandem præuentus, nec absque lenti, latentisq; veneni à Belgis æmulis, vt Gomesius tradit, propinati suspicione, eius tandem vi sensim contabescens, viuendi finem fecit.

Extant litt. apud Gomesium.

Pontifex nonnih ob publicum bonum ipsi corporis curam præcipiendo com mendat.

Apud Gomesium vbi sup

Patiendi desiderio æstuans Præsul optimus pœnas pro delicijs habet:

Gomesius vbi supr. lib. 7.

Rainald. vbi sup n. 506.

19. Ingentes verò, quibus Præsul maximus abundabat, redditus ad propagandam Christi fidem, Mahumetanorumque Afrorum tyrannidem conterẽdam, religiosissimè pius cõuertit, quinimmò cum in Lateranensi Concilio de cogendis Sacerdotiorum decimis pro belli sumptibus in militari re pernecessarijs decretum esset, & Aragonum ob id turbas Clerus cieret, Ximenius Clerum haud expoliandum; sed si res seriò in Mahumetanos esset agenda, nedum decimas, sed & omnes Ecclesiasticos census, atque aurum, argentumque sacrũ omne suæ Diœcesis vltrò Pontifici obtulisse, his à Gomesio verbis traditur: *Ad Arsengam* (ait) *suum Romæ procuratorem scripsit, vt Pontificem Maximum reuerenter adeat, & Ximenij nomine non*

Redditus pecuniarum in fidei obsequium & Mahometanorum cladem impendit.

Gomesius vbi supra lib 7.

Munifica ipsius pro fide propaganda oblatio.

Xxx 2 *solùm*

solùm decimas suæ Diœcesis offerat, sed totos etiam fructus, et omnem Ecclesiasticam supellectilem, & quicquid auri, vel argenti facti, aut infecti, in thesauris Sacerdotum, aut Templorum sacrarys esset repositum: sed summoperè oret, vt eius sententiam de belli sacri apparatu disertè aperiat; nam nisi iustissima de causa nunquã se auctorem futurum, vt Hispani Sacerdotes, quos iam ferè tumultuantes pacauerat, vectigales ferent. Sic Præsul piè munificus prõptum se ad arma in barbaros fidei hostes mouenda exhibuit. Quin & diuino spiritu afflatus, hæreses quæ ex prauo sacrarum Scripturarum intellectu emerserant, præuidens Complutensem, quã dicunt Bibliam, ingens terrarum Orbis miraculum, congregatis è cunctis regionibus Viris doctissimis, elaborandam curauit. Tantùm igitur ex pijs operibus Sanctitatis ipsius fama in Christiano Orbe inualuit, vt Complutensis Academia apud Vrbanũ VIII. fel. mem. pro ipso in Sanctorum Catalogum adscribendo supplex institerit.

Acta Tolet. pro eius Canoniz.

Complutensẽ aduersus hæreses bibliam à viris doctissimis fatidico spiritu elaborandam vult.

20. Ximenius itaque, cum iam primò inter Minoritas doctrinæ & Sanctitatis opinione adeò præcelleret, illud in votis habuit, vt in Africam, S. Francisci suffultus exemplo, ad Christi Euangelium Saracenis annunciandum, promulgandumque traijceret, quod & vltrò fecisset, ni Sanctæ cuiusdam mulieris (vt Gomesius tradit) consilio, ac dictis, ab arrepto mentis proposito reuocatus fuisset; hæc enim ille: *Ardebat* (inquit) *Ximenius miro quodam desiderio transmarinis hominibus Christum annunciandi, paratus supplicia, et mortem subire; at quoniam per Viros Religiosos certior factus fuerat, feminam Ordinis sui cultricem (ex his, quas vulgò beatas vocant) ibidem esse vitæ, et morum Sanctitate claram, et quę Diuorũ præsentia sæpe numero frui crederetur, captato extemplo femina colloquio ad eam rem, quam animo conceperat, eius sententiam prius requisiuit. Deterruit hominem vates mulier, et vt à proposito desisteret, effecit; seruari enim eum ad res maximas perficiendas dicebat, in quibus grauiora certamina sustinenda forent, quàm si inter barbaros, et punicas nationes versaretur: retardatus beatæ dictis sententiam mutauit.* Hæc ille. Atquì Vir Dei paupertatis, ac austerioris vitæ amantissimus semper fuit, nam vt Gomesius ait: *Nullam sanè aut sumptuosi, aut magnifici apparatus rationem per id tempus habere, nec vnquam habiturus videbatur, non frequentis familiæ, non pretiosæ supellectilis, quin priscam illam Sanctorũ Patrum frugalitatem cum Francisci sui humilitate coniungere visus est. Nam asello, quo solebat, vehebatur, Monachis sui Ordinis assectantibus, aut ibat pedibus, non argento mensam, non aulæis parietes ornabat, etc.* Quin sollicitam ipsius in annuo partiendo redditŭum censu curam Auctor exactè describit, quæ ferè tota non nisi in pios egenorum vsus cedebat. Christianæ verò humilitati totus sẽper addictus, Romani Pontificis iussu, vt eximij Præsulatus, quem gerebat, dignitati opportunè consuleret monitus, etsi holosericatum sibi sterni lectũ permitteret, humi tamen cubans somnum capiebat, adeoque *foris* (vt Bernardus de Eugenio ait) *Pontificem, intus Monachũ et pauperem quidem exhibebat.* Hæc enim auctor: *Franciscanę* (inquit) *regulæ ad vltimum vsque spiritum obseruantissimus fuit, adeò vt sindones semper respuerit, et sępe à ministris deprehensus sit, mollibus culcitris, et pretiosis pannis è lecto ablatis in nudis tabulis, aut humi somnum capere.* Hæc ille de Ximenio, qui sic se in mundo habuit, vt mundum deludens et Pontificijs, quibus fulgebat, infulis honorem deferens, & à contemptu vindicans, à luxu pariter abstineret, atque occultis se ipsum modis excruciando grande tum verbo, tum opere toti Hispaniatum Regno pęnitentiæ exemplar extiterit.

Gomesius lib. 1. de gestis Ximeny.

Adhuc inter Minoritas degens S. Francisci per motus exemplo in Africam Euangelij annunciãdi gratia traijcere cupit.

Gomesius lib. 1.

A pia, et religiosa fęmina Dei voluntatem edisċit.

Quam humilis corde, quam à mundi illecebris ac pompis contemnens.

Gomesius vbi sup. lib. 1.

Præsul foris Pontificem, Monachum intus probat.

21. Lucrandarum verò zelus animarum Deo gratus, ita acceptusque est, vt nullum ipsi holocaustum dignum magis, gratumque offerri queat: *Nullũ* (inquit Chrysostomus) *ita gratum Deo, et ita curæ, sicut animarum zelus.* Quapropter rei huius demiratus aliquando prærogatiuam Dionysius Diuinorum dignissimus arcanorum perscrutator: *Omnium* (ait) *diuinorum diuinissimum est, cooperari Deo in salutem animarũ.* Enimuerò charitas, quæ virtutum omnium Regina est, cunctisque sua rebus apud Deum

Chrysost. hom. 3. in Genes.

Dionys. ca. de celest. hierar.

Deum pretia, humanisque actibus valorem designat, in animarū potius procuranda salute, quā in peragenda mortalium corporum cura, diuinitus, Chrysostomo teste, affulget. *Et si immensas* (inquit) *pecunias pauperibus eroges, plus tamen effeceris, si vnam conuerteris animam*. Quod probè sciens Apostolus, sua cunctos charitate complexus, & ad omnium salutem vbique terrarum tanquam præsens operi accurrens: *Charitas Christi* (aiebat) *vrget nos*. Hinc haud labores, haud pericula, haud vitam, inter mundi aduersa, haud ipsam deniq; subire intrepidus mortem recusabat: *In laboribus* (ait) *plurimis in carceribus abundantius, in plagis supra modum in mortibus frequenter*. Quippè qui iam sibi, ac mundo mortuus, pro animarum duntaxat lucro sollicitus in terris degebat, adeòque diuini sublimitatem operis secum animo versans, nec huius ad momentum obliuisci sustinens, pro nouis in dies laboribus, haud pro quietis tranquillitate sollicitus curam gerens aiebat: *Præter illa, quę extrinsecus sunt, instantia mea quotidiana, sollicitudo omnium Ecclesiarum*. Pro alijs namque magis, quam pro se in terris cœlestis homo studiosus, suumque otium, animarum negotium computans, vel cum plus laboraret, plus item sibi otiari procul dubio videbatur.

Chrysost. vbi supra.

Animarum zelus dignū, & gratum Deo sacrificium.

2. Ad Chor. 11. & 23.

Quæ Apostoli in proximos charitas.

2. ad Chorin. 11. 28.

Animarum lucrandarū negotium, otium reputabat.

22 Charitas igitur, quæ (vt Magnus ait Gregorius) *magna operatur, si est*; hoc nostro maximè sæculo Aquilæ in Vestinis in Dei Viro Io: Baptista Magnante Congregationis Oratorij Presbytero, ac præcone pœnitentium eximio præfulsit; Quippè qui diuinis virtutibus apprimè excultus, ac zelo animarum æstuans, dignus planè Ioannis Baptistæ Præcursoris (cuius gerebat nomen) & & dilecti item Apostoli Ioannis æmulator extitit; Apostolico etenim spiritu is nullis toto, quo vixit tempore, laborum incommodis parcens, vt se ipsum, pro animarum salute impenderet, totus Apostoli ad instar, operi, ac laborando intentus, diligendo, ferendo, exhortando, monendo, prædicando instabat, factus vnà cum Paulo *omnibus omnia, vt omnes faceret saluos*, adeoq; charitate succesus, ipse (quod de Apostolo Chrysostomus ait) *vnus omnium explebat officia*; cunctisque prodesse cupiens, cunctorum præsto vbique erat necessitatibus. Quapropter in præcipuis Italiæ Ciuitatibus, sapientissimis vltrò Episcopis opportunè importunè requirentibus, ad Clericorum sæcularium mores ritè formandos, ad praua hominum vitia tollenda, virtutesque subindè inserendas, ad Monasteria Sacrarum Virginum probè instruenda, nec non Ecclesiarum disciplinam iam ferè collapsam, abolitamque vsu reuocandam frequentissimè, ac summo semper, tùm prouentu, tum laude est vel nolens adhibitus; Cuius planè rei testatissimi in primis testes præ alijs sunt Eminentissimi Cardinales S.R.E. Iulius videlicet Gabriellius Asculi, & Reate, Cæsar Facchenettus Spoleti, Alderanus item Cardinalis Cybo Aesinæ Ciuitatis, ac demum Anconæ Io: Nicolaus Cardinalis de Comitibus, qui omnes eximiam, sollicitamque ipsius erga Christi ouiculas charitatis operam haud semel experti, condignis laudum pręconijs comprobarunt; Loquebatur profectò Vir Dei tanquam potestatem habens, vbi necessitas posceret, errantes verò, pertinacesque in malo cum imperio arguebat. Vinum autem, ac oleum vir Dei Samaritani instar Euangelici curandis animarum vulneribus miscens, quibusnis tum verbo, tum exemplo opportuna morbis medicamenta adhibuit, eo plerumquè proximorum fructu, vt Ciuitates, & Castella benefaciendo, pertransiens, Sanctitatem quodammodo Cœnobijs, pietatem Ciuibus, nec non ipsismet nouam quodammodo Ciuitatibus tum faciem, tum vitæ normam, vel suo inducere aduentu videretur. Plerosque enim vt plurimum meliores, ac longè à se ipsis mutatos, quam cum primùm ingressus esset, non absque admiratione reliquit, cordatis viris tacito illud Psalmistæ vsurpantibus. *Et hæc mutatio dexteræ Excelsi*.

Gregor. in lib. moral.

Mira Ioannis Baptistæ Magnantis in proximos charitas.

Chrysost. in hom. in act. Apost.

1. Ad Chor. 9. v. 22.

In cuiusuis generis homines charitas ipsius extenditur.

Ab Eminentissimis S.R.E. Cardd. ad procurādam animarum salutem adhibitus.

Quam prudens & cautus, terrendo simul, & blādiendo extitit.

23 Quamobrē eximia Io: Baptistę charitas haud vnquam, vel dum à consuetis Oratorij munijs vacaret, ex toto visa est aliquando otiari. Cunctos quippè, vel præsens, vel etiam absens pari amoris, ac feruoris studio complectens, tum verbo

Ps. 76. v. 11.

Quantum ciuitatibus, ac locis suo aduentu prodesset.

verbo, tum opere, & vel dictis, tum etiam scriptis iuuabat. Ad ipsum namque vti ad oraculum in dubijs, atque arduis quibusque rebus nedum ciues, sed & ipsemet Episcopus assiduè consulendo confugiebat; Qui qui cum hominis tum prudentiam, tum pietatẽ longo iam vsu sibi probè notam didicisset, in animarum maximè negotio, in Monialium insuper directione, quarum sub ipsius ductu mirificè disciplina vigebat, eius proindè opera, & valdè semper vtiliter experimento edoctus vtebatur. In conciliandis verò dissidentium animis, in dirimendis altercantiũ litibus, in componendis exlegum hominum moribus, vbi nulla suppeteret spes, haud frustrà ipse aliquando adfuit. Porrò tanti virum Episcopus faciebat, vt Diœcesim solemniter ex more inuisurus, ipsum non secus, ac viuo solus ipse ad bonos inducendos mores exemplo sufficeret, vel inuitum sibi itineris comitem iungens; ad latus habere semper voluerit. In publicis autem ac priuatis quandoque rerum opportunitatibus, & vt ad aliquem se locum conferret, instanter quæsitus, illucque profectus, ingenti semper fructu, nec absque magno animarum lucro lætus meritisq; onustus domum reuertebatur. Quapropter Anconam postremis vitæ annis ab Eminentissimo Cardinali Episcopo vocatus, quo tempore moras ibi trahere compulsus est, mirum dictũ quantum profecerit. Inter redeundum quippè Monialem (cuius hìc consultò nomẽ tacetur) ac miris planè virtutibus venerabilem alloquens hæc illi confidenter edixit: *Gratias Deo tu quoque mecum agas velim, quoniam mea ad Anconitanam Vrbem profectio, haud otiosa, haud sine fructu extitit. Scias profectò me ibi hominũ, et ingenti quidem numero animas lucratum: totidem namque Deo votis aspirante è Diaboli feliciter manu erui; quin & complures insuper compuncti ex his non pauci, pœnitendi feruore adducti suas apud me in Pœnitentiæ Sacramento totius vitę culpas generaliter sint confessi. Meus itaque illuc aduentus, ac mora nonnisi magno animarum emolumento fuit.* Hæc ille: totum planè Deo Vir humillimus tribuens. Quibus ipsa auditis, & ob fructum gaudens, abeuntem Dei famulum nonnisi Paulum alterum, dignum Christi Apostolum nuncupando, prædicabat; qui suam in Christi Cruce, ac in laboribus gloriam reponebat, dicens: *Abundantius illis omnibus laboraui.* Huius verò sententiæ Hieronymus Erculanus Sacerdos tunc Congregationis Oratorij Fanensis, cuius nobis litteræ præ manibus sunt, mirificè consonat, qui Viri Dei illac pertranseuntis anno salutis 1662. indefessam pijs in laboribus operam, charitatemque præferuidam satis nunquam miratus, in sua cõscripta per id tempus epistola, ac digna ipsius obiter recensendo acta, isthæc habet: *Prolixa mihi (inquit) scribenda esset in præsens de actibus Ioannis Baptistæ Magnantis epistola, qui cum in nostra hac Ciuitate octo dierum spatio moram fecerit, mira planè, ac digna operatus hic est, quod & in alijs passim Piceni (vt fertur) Ciuitatibus, dum Lauretanam Deiparę Virginis domum inuiseret, prestitit. Et sanè animarum fructus, quem prædictus Pater hìc retulit, verbis haud exprimi valet, nec etiam deuota totius erga ipsum populi obsequia, cùm non secus ac nostri sæculi Apostolus vno omnium ore sit dictus, acclamatusque.*

Tanti profectò cuncti Dei famulũ certatim obsequendo faciebant, vt singula ipsius tum verba, tum gesta mirantes, vti hominem è Cælo quisque delapsum suspiceret, et velut Sanctum coleret. Si quis enim pium quempiam de manu ipsius libellum, vel aliquam certè coloribus effictã ex his, quas ipse per otium elaborabat, mortis imagunculam accepisset, se fortunatum summoperè reputabat. Porrò quæ cunctorum animis erga ipsum Sanctitatis opinio, et venerationis cultus insedit, vel ex eo palam fieri contigit, cum ex Vrbe iam discessurus, et priusquam dies illucesceret, alia clanculum, vt expectantes falleret, furtim porta, sed frustra è domo egressus, permultos accinctos itineri comites adinuenerit, qui ipsum longiore viarum tractu sequi voluere, è quorum numero nobiliores aliqui Senogalliam vsque curru discedentem sunt prosequuti. Deus verò pium hominem adeo de hominum salute sollicitum è Cœlo, suo quasi digito ostendens, propè manifestum ipsius pietati,

[Margin notes:]
Ab Episcopo magno semper cum animarum fructu adhibitus.

Ex relat. per epist. eiusdem Monialis die 29. Nouembris 1669.

Ingens ipsius opera in Anconitana Vrbe animarum lucrum.

Apostoli spiritum, ac zelum præfert.

1. Ad Cor. 15. 10.

Hieronymus Erculanus Fanen. epist. 1662.

Pia ipsius Fani, & in alijs Piceni Ciuitatibus in procuranda animarũ salute studia

Concursus magni ad ipsum fiunt.

Vix à Fanẽsibus discessum obtinet & è nobilioribus nõnulli se ipsi itineris comites iungunt.

-tati, ac zelo diuinitus calculum tulit, apertis dignos ipsius labores signorum portentis illustrans. *Honestauit illum* (inquit Sapiens) *in laboribus, et compleuit labores illius*. Infirmorum namque nonnulli, quos ipse peramanter inuisit, pristinæ sanitati mox redditi ipsomet, quo prædixerat, die incolumes, ac vegeti è lectulo exiliere. *Quo sanè* (ait ille) *diuinitus Sanctitatis ipsius opinio visa est mirificè comprobari*. Quibus à præmemorato Sacerdote luculenter narratis, suam ipse his verbis concludit epistolā: *Faxit Deus* (inquit) *vt feruor ille spiritus, quem nuper suo Magnantes noster tū uerbo, tum exemplo induxit post ipsius ab Vrbe discessum illibatus iugiter perseueret, nec ipso hinc abscedente recedat*. Hæc ille. Cui paribus item verbis Oratius Maria Bonfilius Bononiensis, & Congregationis Fanensis Præpositus, Vir per se notus, & pius æquè, ac prudens, qui se illi in itinere comitem iunxit, & oculatus rerum testis disertè adstipulatur; de Viro scilicet loquens, quem apud omnes tum sanctioris vitæ opinio, tum rara apud Deum apprimè humilitas commendabat; *Omnis enim qui se humiliat* (inquit Christus) *exaltabitur*; adeòque is in Dei primum, ac in omnium item oculis verè magnus, & paruus in suis duntaxat oculis extitit. Enim verò cum epistolas scriberet, se haud alio, quàm peccatoris titulo subscribendo appellabat. Illud autem hic ad ipsius laudem maximè proficit, quod, etsi magnus adeo virtute, & claritate in Deum esset, magnum se tamen esse, humilitati perpetuò addictus nesciret. At quoniam huc nostra obiter deflexit oratio; quod prophetiæ dono illustris, cordis quoque arcana, & statum insuper animarum probè nosset, nec occulta cordis ipsum laterent, velut quid à proposito alienum, alijs narrandum relinquimus.

Sapientia c. 10. v. 10.

Exoptandū vt feruor ab ipso pijs actibus excitatus postmodum perseueret.

Lucæ 18. n. 14.

Mira ipsius humilitas, dū in Dei, ac omnium oculis magnus, in suis dūtaxat paruus extat.

Prophetiæ, alijsque donis clarus.

24. Demum Vir apud Deum virtutū meritis clarus, infirmitatum quoque incommodis probandus fuerat, vt sic tandem probatus ad coronam pertingeret; Diutino itaque languore præuentus, toto suis destituto viribus, ac officijs corpore, membrorumque debilitate pulsatus, lectulo immobiliter fixus iacuit, nec vllo ad consueta pietatis opera vsu sibi relicto; Paralysi enim correptus, vel ipso linguæ diu officio caruit. Quod sanè ipsi in primis valdè molestum, nec absque vulgaris pœnæ sensu contigisse facilè vnusquisque crediderit: homini videlicet, qui ob Dei gloriam, & animarum salutem operādo iugiter, & tùm factis, tùm verbis perpetuò intentus, ipsum plusquam mortem otium auersabatur, ac pro animarum lucro negotiosus ferè semper, iam tum inutilis omnino decumbens, suis nec minimum quid operari membris valeret. Opportunā verò inde Vir sapiens, totus Deo, ac sibi sub vitæ finem vacandi occasionem nactus, totus mente ad Deum aspirans, lectulo supinus iacens, illa planè, vt puto, Sanctissimi Martini Turonensis Episcopi aptè verba vsurpare poterat, haud vnquam spiritum ab oratione relaxans. *Sinite me* (ait) *Cœlum potius, quàm Terram aspicere, vt suo iam itinere iturus ad Dominum spiritus dirigatur*. Pijs itaque tot pro Deo perfunctus laboribus, viribusque iam consumptis, & amplius laborare non valens, suam in infirmitatibus constanter tolerandis, tum spem, tum virtutem reponens, & quasi mercenarius finem operis, ac laboris mercedem à Deo expectans, par erat, vt totus spiritu feruens illis appositè se ipsum inter suprema vitæ momenta, mortisq; angustias verbis laborantem erigeret: *Amodo* (inquit) *iam dicit spiritus, vt requiescant à laboribus suis; opera enim illorum sequuntur illos*. Ita planè Vir laboris patientissimus, ac præ solo animarum zelo, ac Dei desiderio impatiens, Sacramentis Ecclesiæ præmunitus, iugiterque ad Deum aspirans, anno salutis 1669. die 24. Nouembris, ætatis sexagesimo sexto placidissimè in somno pacis obdormiuit. Eius corpus ingenti populorum concursu in Ecclesia Congregationis, & indè postmodum per Vrbem summo omnium desiderio, cunctis Religiosorum Ordinibus comitantibus solemni pompa delatum; Et Vrbis Magistratu inuitis licet ac repugnantibus Patribus requirente, per dies aliquot insepultum, cunctisq; ipsum communem in spiritu Patrem nuncupantibus, & Virum vti Sanctum præ-

Infirmitatū diu incommodis à Deo pulsatus, probatusque.

Paralysi correptus omnino inutilis fit.

In gestis S. Martini Episc. lect. Breuiar. Rom. die 11. Nouembris.

Patienter in ter morbi angustias laborum mercedem expectat.

Apocal. B. Io. cap. 14. 13.

Felix ipsius ad Deum transitus.

Honores ipsius funeri certatim à ciuibus delati.

prædicantibus, post decantatam ipsi solemniter ab Episcopo, totiusque Cleri interuentu Missam, nil ipsius facie, ac membris immutatis, tandem in Patrũ Congregationis tumulo ad diem nouissimum condigno funere depositum est: Cuius memoria in benedictione est. Cui demum solemne illud pro elogio iustissimè verbum ad ipsius videlicet cognomen egregiè alludens, congruit: *Labores manuum tuarum, quia manducabis, beatus es, & benè tibi erit*. Quibus hic à nobis, & vel obiter narratis promerenti Dei famulo parentasse voluimus.

Psalm. 127. v. 2.

25. Demũ coronidis instar, haud ingrato hic à nobis silentio prætereundus est (quoniam ipsius his ferè diebus obitus contigit) præcipuus inter Venerabiles Religiosi Ordinis Viros, pœnitentiæ cultores, ac recolendæ apud omnes in Vrbe memoriæ ob singularem tum pietatem, tum sollicitæ in proximorum salute procuranda operæ studium, Nicolaus Zucchius Parmensis, Societatis Iesu Sacerdos, qui immortalem sibi ob id vnum apud omnes, tum dignam Cœlo coronam, tum terris famam ad pœnitentiam exhortando peperit; de quo, vt pauca hic vel obiter proferamus, Is S. Nicolaum Myræ Episcopum, à quo nomen traxit, suis egregiè virtutibus æmulando, Vir potens opere, ac sermone dicendus, in animarum salute procuranda totus fuit, ac se ipsum virtutibus perficiendo, perfecit, & cœteros; In literarum verò studiis egregiè versatus id profecit, vt scientiarum ferè omniũ Deo, ac pietati in eo famulari dona, ac præstò esse viderentur obsequia. Disciplinas quippè aptus ad omnes, propensus ad singulas ætate sua vix fuit, qui cum ipso de palma contenderet, & qui vel si cœteros vinceret, ipsi tamen comparatus non vinceretur ab ipso. Summa itaque fuit in ipso sciendi profunditas, & (quod de Nazianzeno traditur) *omnium ingenia in suo colligens, docere nunquam desijt, siue diceret, siue audiret*; æquè benè dicendi, ac benè viuendi arte conspicuus, admirandus planè cunctis est habitus. Cùm verò omnes ferè scientiarum artes probè sciret, ipsum duntaxat visus est nesciisse peccatum: adeoque bonarum artium auidus, malarum incapax, peccata nesciens, nisi vt suis dictis, monitisque inuehendo corrigeret; proclamandi aduersus peccata egregiè, ac diù in Ecclesia munus expleuit, æque fœcundus ingenio, ac facundus eloquio, nunquam discere renuens, & nunquam (vt de Cypriano ille ait) docere dedignatus, adeoque Apostolico functus ministerio, disseminandi verbi Dei finem haud nunquam fecit. *Prædica* (Apostolus inquit) *verbum, insta opportunè, importunè argue, obsecra, increpa in omni patientia, et doctrina*. Porrò ad annunciandum Dei verbum requisitus nunquam abnuit, vel recusauit; Immo cunctis prodesse cupiens, paucis numero Dei verbũ haud semel administrasse contentus, multoties vna die, ac septies quandoque à Sacris Virginibus requisitus in Sacris earum Aedibus, & cupidè auditus, nec non vario semper inter dicendum themate, aptèque in rem suam loco, & tempore vsus, magno semper è suggestu animarum fructu perorauit, *factus omnibus omnia, vt omnes Christo lucrifaceret*. Quapropter nunquam, nisi magno labore, ac non paruo animarum lucro diues domum regressus, suo cunctis æquè semper profuit verbo, ac exẽplo, suisque potissimùm dictis à faciendo auctoritatem concilians, probis ad uirtutem, improbis verò ad pœnitentiã dicendo simul, ac docẽdo profuit; sibi enim vni vtilis esse, nesciẽs, ac Deo ingratus esse nolẽs, acceptam è Cælo lucẽ ita dicendo, instruendoque diffudit in cæteros, vt in se haud minueret, sed salubriter in alios deriuando augeret: Quisque etenim in ipsius vita legebat quomodo conuersaretur, eiusque compungebatur exemplo, adeoque (quod de Cypriano traditur) *Quos sæpius verbis accenderat, accendit exemplis*. Id fanè probè sciens, ipsiusque dicendo efficaciã Alexander Septimus fel: me: Pontifex expertus, ipsum in Apostolico Palatio verbi Dei ad Purpuratos Patres præconem destinauit, quem Diuinis profectò virtutibus à Deo insignitũ, dignis quoque haud semel viuentem adhuc laudibus cumulauit, ac gentilibus suis in spiritu Patrem, ducem, doctoremque consti-

Nicolaus Zucchius Societ. Iesu Sacerdos insignis Pœnitentiæ cultor & præco.

Charitas ipsius, atque humilitas præcellens.

Aloysius Ingiar. elog de S. Gregor Nazianz. pag. 179.

Inglar. elog. de S. Cyprian. Charitag. Ep.

Prædicando peccatores ad Deum adducit.

2. ad Timoth. 4.

Indefessa ipsius in Dei verbo opera

Ad Phil. 3. 8.

Suis dictis auctoritatẽ exemplo cõciliat.

Bernar. in vita S. Malachiæ Episc.

Inglaris elogio de S. Gregor. Nazian. pag. 155.

Sub Alexãdro VII. Dei verbum Sacro Collegio annũciat.

constituit. Docebat autem is è suggestu semper cum imperio, reueritus neminē, quia Apostolicus vti vir factis potius, quàm verbis dicendo instabat, & tum lingua, tum spiritu audientium corda peruadens suis intimam verbis, ac voci à Deo accepisse virtutem videbatur.

A laboribus ob animarum salutem nunquam cessat.

Quantum verò Euangelicus iste inter Operarios doctor in Dei obsequio, & animarum cultu contenderet, intermissa nunquam opera, dimissa nunquam cura merito ipsi pro elogio occinit, adeoque Apostolicus meritò vir dicere cum Apostolo poterat: *Plus omnibus laboraui.* Ad laborum quippe vna cum Augustino respiciens fructum, non refugiebat, sed exambiebat labores: *Modo* (inquit) *labores habemus, fructus postea erit.* Excurrebat proinde ad varia, & pia Charitatis munia Ciuitatem, nullis parcens incommodis, nullis parcens laboribus vel sub æstiuo, vel hyberno tēpore; Transigebat insuper in somnis fouendis, solandisquè infirmis noctes, diesquè excurrendo defatigatus insumebat, adeoque tàm semper lætus, ac animo inter laborādum vegeto, vt quod de Sancto Maximo idem, & de ipso affirmare quis possit: *Laborum nunquam auidior, quàm cum diutius laborasset*; nunquam vel fessus, vel attritus incommodis, & se à laborando excusans, laborem subinde recusauit eximius quietis capiendæ contemptor. Demum vt cumulatius hominibus prodesset, & ad Christum adducendo vnus ipse ad bene viuendum mortalibus, quasi facem præferens præeundo viam ostenderet, ad bene moriendum singulos tùm dictis, tùm factis prouocando perpetuò iuuit, adeoque piarum exercitationum, quæ ad bene moriendum conducunt, vnus ipse vel auctor, vel certè propagator in Vrbe, tùm summis, tùm infimis confluentibus viris feria sexta in Christi moriētis memoriam, rediuiuam in cordibus pietatem è Cœlo quodadmodo accersiuit, & Martini Turonensis egregius æmulator, *cum viuos bene mori doceret, mortuos propemodum ipsos benè viuere docuit*; quos validis vtique stimulis, in vitam mortis metu, ac memoria perurgendo sic pium in varias Italiæ Vrbes salubriter institutum propagauit. Denique vir dierum plenus, ac meritorum, quo sibi totus postremum viueret, paralysi correptus suis diù membris inutilis omnino in lectulo iacuit post morbi post modum labores ad coronam prouehendus: *Honestauit illum Deus in laboribus, & compleuit labores illius.* Octogenarius igitur, & 4. insuper ætatis anno de morte triumphans, ad regnum vitæ translatus, Anno salutis 1670. meritis diues viuendi finem fecit, & qui se totum Deo viuens dedit; Cœlo denique spiritum reddens, sui mortalibus desiderium reliquit. *Hominum* quippe *moriendo effugit ex oculis, non effugit ex animis.* Cui, & illud præ Cæteris Martini elogiū consonat: *Nescias vtilior, ne terris fuerit, an Cœlo charior.* Ad Cœlum namque aspirans iugiter, ita voluit *In Cœlis gaudere cum Deo*, vt non desineret præsens adhuc in terris desudare cum suis, viuēs ad amandum Deo, & suis pariter ad laborandum viuere haud refugiens proximis. Quisquis autem vult ipsius dignè merita, ipsius laudes nosse, sciat profectò quòd ipse dignus alter re, & nomine Nicolaus fuit in terris, qui nec aliter viuere in terris, nec aliter mori Cœlo victurus debuit. Quibus vel obiter hic narratis, ipsius laudes alijs celebrādas relinquimus ipsū digne Bernar. ipsius verbis recolendo: *Visus est in terris vt esses exemplo.* Sed de his hactenus.

August. in Psal. 127.

Aloysius Iuglaris elog. de S. Maximo pag. 158.

Instituti vulgò Bonæ mortis propagator viuentis iuuat.

Elog. de S. Martino Turon. Episc.

Sap. c. 90. 13.

Plenus dierum ac meritorum obijt.

Elog. de S. Martino Episc.

S. Nicolai Episc. virtutes egregie pro laude æmulatus.

Bern. vit. S. Malachiæ Episc.

CAP. VI.

Pro veritate, & iustitia asserenda, corripiendisq; aliorum culpis rerum, aut vitæ iacturam facientes.

I. Aduersa quæque veritatis asserendæ gratia, vltro libenterq; perpeti, & si pauca alioqui ad manus interim bonorum operum, ac virtutum sint præstò merita, quæ Deo hominem se ipsis commendent, omni tamen, ac præ omnibus dignum laude opus est, quod & si homines laudatores non habet, vel ipse è Cœlo Altissimus suo veritatis causa asserendæ in terris præconio laborantem commē-

2. ad Chorint. 10. Isidorus in sent.

det; cui omnis profectò, ne fallax omnino sit mortalium laus, solo, solidoque veracitatis titulo, lydio veluti lapide probanda est: *Non enim* (vt Apostolus ait) *qui se ipsum commendat ille probatus est, sed quem Deus commendat*. Quapropter illa asserendæ veritatis prærogatiua noscitur, vt qui vel iurisiurandi religione quandoquè adducti, quidpiam ore falsum per scelus enunciant, & qui veritatem pariter publico iniurij bono temere abscondunt, pari, ad Dei tribunal reatu obnoxij fiant, vt aptè Isidorus docet: *Vnum pene* (inquit) *crimen habent, & qui falsitatem promit, & qui supprimit veritatem, quia & ille obesse vult, & iste prodesse non vult. Beatus, cuius testimonio innocens ab obiecto scelere purgatur, & cuius proditione etiam iniquus perimitur*. Huic autem gentilis quoque poeta testatissimus veritati proculdubio testis accedit, qui hæc omnium, & Christianorum maximè improbitatem suggillans habet.

Qui falsitatē promit, & qui supprimit veritatē para apud Deum obnoxij scelere.

Isidorus in sent.

Ambiguæ si quando citabere testis,
Incertęquè rei, Phalaris licet imperet, vt sis.
Falsus, & admoto dictet periuria tauro;
Summum crede nefas, animam præferre pudori,
Et propter vitam viuendi perdere causas.

Iuuenalis in satyr.

Atqui miseranda planè recurrentium conditio temporũ, in quibus præsertim à nonnullis tùm falsitatis assertio, tùm ipsius dissimulatio veritatis, res vti gratissima cautis arridet. Veritati itaque mortalium quisque suis tùm dictis, tùm factis, & tum lingua, tum moribus asserendæ testis decernitur, quo & suam inde tam apud Deum, quàm apud homines, ne gratis laudetur, laudem condignè, veraciterque sortiatur. Enimuerò cur hæc præcipuo Dei nutu inducta in Orbem, indictaquè homini lex est; an vt sibi soli quisque hominum viuat; & non potiùs vt se digna, tum viuendo, tum loquendo operum argumenta exhibens, sic, & nõ aliter veritati asserendę, presto sit; si secus verò accidat, haud hanc exoptandam vitam probè sapiens quisque ratiocinando intelligit. Quod optimè in rem præsentem in suis olim Lactantius præclaris rerum commentis edisserens: *Quod si vita* (inquit) *est optanda sapienti, profectò nullam aliam ob causam viuere optauerim, quàm vt aliquid efficiam, quod vita dignum sit, & quod vtilitatem legentibus, & si non ad eloquentiam, quia tenuis in nobis facundię riuus est, ad viuendum tamen afferat; quod est maximè necessarium. Quo profectò satis vixisse arbitror, & officium hominis impleße, si labor meus aliquos homines ab erroribus liberatos, ad iter cæleste direxerit*. Publica igitur vtilitas maximè hominẽ tum Deo, tum hominibus probat, ipsiusque tum virtutem, tum segnitiem palam cunctis enunciando prodit; adeoq; qui veritati mortalibus astruendæ omni periculorum metu superior, quibusuis contemptis perpetuò, constanterque intendit, magnam sibi profectò laudem in terris omni maior laude promeretur.

Falsitatis assertio quā immane piaculum sit.

Veritas tū lingua tum opere asserenda.

Lactantius lib. de opif. Dei cap. 21.

Vita ideo sapiēti exoptanda, vt quid vita dignum ea publicæ vtilitatis bono efficiet ex Lactantio.

1. Vt nobis autem hinc dicendi initium sit. Gratianus Valentiniani Imperatoris filius iure quidem viros inter eximios, tum veritatis, tum pœnitentiæ cultores adnumerandus hic est, qui primùm plura quidem veritatis vtpote assertor, religionis laudabiliter causa, & ad prauam hæreticorum pertinaciam comprimendam præstitit; Nam Arianos simul coire vetuit, & Donatistas, ac Manichæos, editis quoque legibus coercuit, & à S. Ambrosio, quem acerrimũ catholicæ fidei propugnatorem sciebat, orthodoxę sibi fidei libellum dari poposcit. Ad quem ille disertissimos de fide libros cõscripsit. Nec verò è Cœlo Deus Imperatori sui causa defuit laboranti, dum inter pericula viri Sanctissimi oraculo erectus insignem ex Gothis victoriæ palmam retulit, mirisquè ab Ammiano scriptore Ethnico laudibus extolli meruit. Verùm enim victoriæ palma subinde auctus Catholicos, qui à suis exulabant sedibus atque Ecclesijs Præsules Arrianis expulsis, illuc redire præcepit, ac totius Oriẽtalis ditionis administrandæ Valentis loco Theodosiũ Principem renunciãdo suffecit, summis ob id vnum ab Ambrosio laudum præconijs cumulatus. Atqui non secus ac alter Iosue, supplices Ambrosio ad Deũ pro ipso inter precãdũ manus extendẽte, & Christi fidelibus vnà pariter orantibus,

Gratianus Valentiniani Imp. filius veritatis amantissimus.

Baronius an. 383. nu. 1. & 2.

A S. Ambrosio fidei libellos poscit, & palmis diuinitus cumulatur.

tibus, multiplices à barbaris dignissimus Princeps triumphos reuexit. Quapropter Augustus Dei auxilio fretus ob religionis, cuius tuendæ, ac propagandæ amantissimus erat, classicum contra hæreticos canens, iustam, seueramque aduersus pertinacem eorundem impietatem conscripsit legem, multaquè alia præstitit, ob quæ laudandus summoperè fuit, vt satis nunquam celebranda ipsius gesta testantur. Verùm palmis subinde, ac secundo rerum prouentu elatus, antiquam vir plane dignus pietatem labefactasse, ac diuinam runc maximè visus est iram promeruisse, dū Priscillianistis hæreticis, Macedonio officiorum magistro adnitente, se facilem, ac propitium exhibuit, adeò vt qui pridem S. Ambrosio impensè officiosus, eidem vix quidquā denegare consueuetat, hæreticis item nonnulla Catholicæ religioni contraria prorsus concesserit, quod postmodum crimen Deo ad vltionem iustissimè concitato, nonnisi ipsius cruore visum est exoluendum.

Precibus, pijs quem, ad Deum vo tis, plusquā armis hostes deuincit.

Nomini suo ob Priscillia nistis impensum fauorem maculæ notam infert.

3. Porrò qui à recto semel tramite deuians superis displicere iam ceperat, Maximo tyrannidem exercente graues, ac multiplices calamitates perpessus, ab eo demum in admissi criminis pœnā ferro confossus, dum ipsum ex corde pænitet, anteactæ vitæ culpas diluit. Atqui religionis adductus obsequio, runc prose fecisse Deo satis visus est, cùm Pontificis Maximi titulum sibi à Gentilibus vltro delatum constantissimè respuit. Hinc quippe gentilitiæ superstitionis cultores ipsum, vti auitæ Deorum religioni infensum insectandi, ac perdendi simul occasionem nacti, omnem in eum mouere insidiando lapidem non destitere, quorum tūc certè primus Maximus fuit, qui dum in Britannia armorum, armatorumquè ducem ageret, tyrannidem arripiens, salutatusque consueto à militibus more Imperator, in Gallias exercitum transmisit, & ab infensis Gratiano militibus exceptus, imperium subinde malis sibi artibus roborauit, & ipsum quidem dum Teuiris degeret, Imperij thronum fixisse Gilda sapiens sic tradit: *Maximus* (inquit) *callida primum arte potiùs, quàm virtute, finitimos quosque pagos, vel Prouincias cō-tra Romanum statum retia periurij, mendacijq; sui facinoroso Regno adnectens, & vnam alarum ad Hispaniam; alteram ad Italiam extendens, & thronum iniquissimi Imperij apud Treuiros statuens, tanta insania in Dominos bacchatus est duos Imperatores legitimos, vnum Roma, alterum religiosissima vita pelleret.* Hæc ille, quibus Maximum per summum scelus aduersus Gratianum insurgentem ad viuū adumbrat, eiusque dolis, ac fraude Imperium in tyrannidem denique coaluisse affirmat.

A Maximo tyranno in admissæ cul pæ occiditur.

Baronius an. 383. n. 1.

Maximus imperium per tyrannidem occupat.

Gilda de Britannia ex cid.

Maximi in suis proue hendis vons conatus, & studia.

Gratianus ob religionē Pontificis Maximi nomen, quod alij Christiani Principes retinuere, recusat.

4. Iam verò cùm res Gentilium Romæ deteriùs collapsæ iam ad interitum, & nulla derelicta salutis spe vergerent; Demptis namque sacrificiorum sumptibus, ac Sacerdotum stipendijs, illud ad Gentilium maximè contumeliam accessit, vt ipsummet Gratianus Pontificis Maximi, quod hactenus more maiorum, absque ipsorum tamen sacrorum labe ipsimet Christiani Imperatores ob summam supremę potestatis prærogatiuam retinuerant piè, constanterquè nomē vel sūmèin hoc pius reiecerit, relicta Vrbis Præfecto de rebus ad gentilitiam superstitionem spectantibus cura, & (quod Pontificum erat) iudicandi potestate, quod ex Symmachi epistola satis colligi potest. Verùm Idololatriæ cultum, & Deorum templa Romæ penitus inculta exoleuisse constat; dum vir domi, forisquè clarus, & Christianæ religionis candidatus Prætoris olim præfecturam gereret, qui suā egregia in deijciendis Idolis operā impendisse probatur. De noui enim Ierobal zelo digna isthæc Hieronymus: *Ante annos* (inquit) *paucos propinquus vester Gracchus nobilitatem patritiam sonans nomine, cùm Præfecturam gereret vrbanam, non ne specum Mithra, & omnia portentosa simulachra, quibus Corax, Niphus, Miles, Leo, Perses, Helios, Bromius Pater initiantur, subuertit, fregit, excussit, & his quasi obsidibus ante præmissis impetrauit baptismum Christi: Solitudinem patitur, & in Vrbe Gentilitas. Dij quondam nationum cum bubonibus, & noctuis in solis culminibus remanserunt; vexilla Militum Crucis insigna sunt.* Hęc Hieron. cui Prudentius quoque sic suis aptè, ac concinne carminibus consonat:

Baronius vbi supra.

Idololatriæ cultus in Vrbe ferè sub Christianis præfectis excidit.

Hieronym. ep. 7.

Solitudinem quippe patitur in Vrbe gentilitas ex Hieronymo.

Iam quid Publiculas percurram nomine Gracchos
Iure potestatis fultos, & in arce Senatus
Præcipuos, simulacra Deum iussisse reuelli;
Cumque suis pariter lictoribus omnipotenti
Suppliciter Christo se consecrasse regendos.

Prudentius aduersus Symmachum lib. 1.

5. Quàm infenso autem animo Gétiles id Senatores ferrent, funestus postea rerum exitus declarauit; siquidem ipsi secretò per summam inuidiam Maximo tyranno aduersus Gratianum Imperatorem, eiusque fauere votis cœperunt. Et certè Maximus quantumuis Christianus, cæca tamen (vt Baronius ait) dominandi libidine incensus, nullã et si Christiano homine indignam penitus occasionem, ambitiosus vt potè prætermisit, qua suis vniuersum votis conciliaret imperium. Quapropter eorumdem animos ob sublatas pridem Deorũ aras, ac sacrificiorum impensas Romæ direptas, delinitos, illectosque eum sibi in modum promereri studuit, vt velut sui maximè cupidi, Maximi quoque passim celebrare nomen, atque extollere non dubitarent. Gratianus interim cum totis idololatriã neruis insectando, Pontificis Maximi (vt dictum est) & quod ipsi Christiani Imperatores haud superstitiosè, sed iuris, ac potestatis duntaxat asserendæ, sibique vindicandæ titulo tenus retinuerant, respuisset, illud palam, impudenterque Augurum in Gratianum Augustum Scomma iactarunt, ex Symmachi, vt puta salibus sapido ore deprõmptum. *Si Princeps non vult appellari Pontifex Maximus, admodum breui Maximus Pontifex fiet*, vt apud Zosimum videre est.

Gẽtiles Maximo aduersus Gratianum fauent.

Baronius vbi supr. n. 6.

Gratianus ob pietatem Gentilibus exosus.

Zozimus lib. 4.

Argutum Scomma augurũ ore decantatum aduersus Gratianum.

6. Nulla itaque interposita mora Gratianus vir æqui, bonique amantissimus, non secus, ac publicæ rei hostis gladio occiditur, de cuius nece hæc Hieronymus summatim tradit: *Gratianus* (inquit) *ab exercitu suo proditus, & ab obuiis Vrbibus non receptus, ludibrio hosti fuit, cruentaque manus vestigia parietes tui Lugdune testantur*. Porrò rem tragicè gestam Socrates ita describit: *In rhedu* (inquit) *quę lecticæ speciem præseferebat, quaque à mulis gestabatur, Andragathius Maximi Dux occultatus præcepit, vt satellitibus Imperatoris denunciaretur Gratiani coniugem in ea vectam esse, Imperatorique fluuium Rhodanum, qui Lugdunum Vrbem Galliæ præterfluit, traicienti obuiam procedere. Imperator itaque coniugem esse ratus, insidias haud quaquam euitauit, sed in hostis manus tanquam cæcus in foueam imprudens incidit: Nam Andragathius è Rheda desiliens, Gratianum interfecit.* Hæc ipse. At longè aliter Zosimus rem gestam breuiter narrat: *Conspicatus* (inquit) *Gratianus primò quidem Mauros Equites vniuersos discessionem fecisse, atque Maximum Augustum acclamasse, deinde cæteros etiam paulatim ad Maximi partes transisse: desperatis rebus, sumptisque secum trecentis equitibus pleno cursu cum eis versus Alpes aufugiebat. Eas cum nonnullo munitas præsidio reperisset, versus Rathias, & Noricum, & Pannoniam, & Mysiam superiorem tendebat. Hac illius fuga non neglecta Maximus, Magistrum equitum Andagrathium oriundum è Ponto Euxino, qui esse perámico in ipsum animo videretur, cum equis laborum tolerantissimis ad eum persequendum mittit. Is impetu continuò Gratianum persequens, cum Sigiduni pontem transiturum apprehendisset, occidit.* Hæc Zosimus, qui in eo tamen, dum isthæc scribit, errore lapsus est, vt pro Lugduno Sigidunum scriberet. Porrò Gratianus Imperator pietati vtpotè, ac piis Viris deditissimus, Ambrosio tantum viuens detulit, vt illum quoque vel submortuis inter moriendum vocibus interpellaret, quod idem Ambrosius his verbis testatur: *Tu me inter tua pericula requirebas, tu in tuis extremis me appellabas, meum de te plus dolebas dolorem.* Princeps autem pijssimus præfuit (vt Baronius affirmat) annos sexdecim, & vno amplius die, qui etsi funesto vitam exitu, feliciter tamen ad æternitatem prouectus, diem clausit, amorem sui, ac desiderium cunctis relinquens, & cruore, si quæ illi inhæserant, anteactæ vitæ culpas expiaturus.

Hieronym. epist. 3.

Gratianus per dolos Lugduni occiditur ab Andragathio militũ Duce.

Socrates lib. 5. cap. 11.

Socrates, & Sozimus Gratiani cladẽ longe aliter describunt.

Zozimus lib. 4.

Gratianus piis vt pote viris additus inter moriendũ Ambrosiũ compẽllat.

Ambrosius in obitu Valentiniani.

Baronius vbi supr. n. 8.

7. Verùm vt gratam, recolendamque curiosus Lector, tanti imaginem Principis venerando suspiciat Ambrosium viuis eam in tabulis coloribus adumbrantem comperit, dum isthæc ait:

Fuit

Fuit ipse (inquit) *fidelis in Domino, pius, atque mansuetus puro corde, fuit etiam castus in corpore, qui præter coniugium nesciérit fœminæ alterius consuetudinem.* Sic planè cunctis Principis optimi contemplanda iugiter ob oculos imago proponitur. Porrò eumdem spem omnem suã in Deum, vel cum gladijs impeteretur reiecisse, ac diuinis se totum nutibus commendasse, idem qui supra Ambrosius his verbis demonstrat: *Recordamur* (inquit) *aliquem proximè ab omnibus appetitum, à suis destitutum, ac proditum: qui dudum in suggestu locatus imperij, subitò egens omnium, ab ipsis, quorum hæreditarium fuerat sortitus obsequium, cœpit vrgeri, ingruentibus in exitum, inferentibus mortem nullo auxiliatore, nullo iam socio sui, nullo comite. Quid aliud meliùs dixerit, quàm quod ex ipso, cui se deuouit, acceperat. Nonne Deo subiecta erit anima mea? hoc est: quid me persequimini? quid facitis? quid insultatis? carnem potestis interficere, animam non potestis. Vitam istam corporis potestis eripere, meritum non potestis extinguere. Scriptum est enim: Nolite timere eos, qui possunt occidere.* Hæc ille, qui in eo totus argumento versatur, vt miram Gratiani pietatem, atque cõstantiam extollens, ac inuisam, execrandamque Maximi crudelitatem exaggerans, Iudæ ipsum comparet proditori, & (vt Baronius refert) Pilato duriorem appellet, quod cum ille Christi Corpus sepulturæ mandandum petentibus dederit, id Maximus humanum præter morem crudeliter denegarit, quin plura, & alia aduersus eumdem Maximum iustissimè inuehens congerit, quibus Gratiani tum vitam, tum exitum suis pro meritis celebrat.

Ambrosius orat. in obitu Valentiniani

Gratiani egregiè ab Ambrosio mores describuntur.

Ambrosius vbi supra.

Eius mors, & sana supremas inter angustias mentis constantia, animique constantia.

Maximus ab Ambrosio Iudæ proditori comparatur, & Pilato durior dicitur.

Baronius vbi sup.

8. At quoniam Principi publica de re optimè meritò à Tyranno suprema, per summum nefas officia, & pia sepulturę iura denegantur, nos interim ipsius haud inhonoratum funus reliquentes præcipuis, quæ ab eius sæculi Scriptoribus cumulatę sunt laudibus, celebremus; haud enim à S. Ambrosio duntaxat, sed à Ruffino insuper Gratianus cõdignè laudatus est, cum ait: *Gratianus pietate, & religione omnes penè, qui antea fuerunt, Principes superabat: vsu armorum strenuus, velox corpore, & ingenio bonus erat, sed iuuenili exultatione plus ferè lætus, quam sufficiebat, & plus verecundus, quàm Reipublicæ interesset.* Et multa quidem, ac magna Ausonius de Gratiani virtutibus sermonem intexens, dum ei, pro consulatu gratias agit, concinnè, eleganterque suggessit, quæ hominem comprimendis reluctantis animi motibus, salubrique pœnitentiæ fræno se ipsum euincendo assiduè operam dedisse demonstrant; hæc enim inter alia tradit: *In cibis* (inquit) *cuius Sacerdotis abstinentior cęremonia? In vino cuius senis mensa frugalior? operto conclaui tui non sanctior ara Vestalis, non Pontificis cubile castius, nec puluinar Flaminis tam pudicum. In officijs amicorum non dico paria reddi: antevenis, & quoties in obsequendo præcedimus, erubescis pudore tam obnoxio, quàm in nobis esse deberet ab Imperatore præuentis.* Et infrà post nonnulla eumdem antiquis, laudatisque Imperatoribus longè præcellere his planè verbis affirmat: *Aegrotantes* (inquit) *amicos Traianus visere solebat: hactenus in eo comitas prædicanda est. Tu & visere solitus, & mederi præbes ministros, instruis cibos; fomenta dispensas, sumptum adijcis medelarum, cõsolaris affectos, reualescentibus gratularis. In quot vias de vna eius humanitate progrederis? Legionibus vniuersis, vt in communi Marte venit, si quid aduersi acciderat, vidi te circumire tentoria: Satin saluę quærere, tractare vulnera sauciorum, & vt salutiferæ apponerentur medelæ, atque vt non cessaretur, instare. Vidi quosdam fastidientes cibos, te commendante, sumpsisse. Audiui confirmantia ad salutem verba profari, occurrere desiderijs singulorum: huius sarcinas mulis aulicis vehere, his specialia iumenta præbere, illis ministeria perditorum instaurare lixarum: aliorum egestatem tolerare sumptu, horum nuditatem velare vestitu: omnia agere indefessè, & benignè, pietate maxima, ostentatione nulla: omnia præbere ægris, nihil exprobrare sanatis.* Hactenus ille.

Ruffinus digniũ Gratiano elogium inscribit.

Ruffinus lib. 7. c. 13.

Ab Ausonio item digne laudatur.

Ausonius orat. pro suo consulatu.

Laudabilis vitæ normã, & res à Gratiano gestæ summatim collectæ, ac præconijs dignæ.

Antiquis Imperatoribus anteferendus.

Ausonius vbi supr.

Quæ ipsius in milites charitas.

Pia ipsius in vulneratos quosque officiorum munera.

9. Hæc quidem, & alia Ausonius Consul de Religioso præ cunctis Principe suis perpetuò scriptis victura monumenta reliquit. Ex quibus sanè quis vnquam Princeps, hoc vno æquior? quis eo pietate præstantior? quis cunctis demum virtutibus, ac misericordia præ-

sertim

fertim ipsi æquiparādus occurrit? Enimuerò cum singulis quibusque virtutibus charitas gratiā afferat, ac coronā insuper addat, Gratianus certè etsi in aliquibus fortè (quod hominis est) aliquando deliquit, ac ipsum propterea Magistri subesse disciplinæ oportuit, pijs quidem Christianæ in primis misericordiæ operibus, quæ is sceptrum gerens, tam piè adeoque impensè exercuit, cunctasque omnino sic ipsum obliterasse pœnitēdo vitæ culpas, felicemque sibi exitum eisdem comparasse, aditumque ad Christi Regnum promeruisse nemo prudens est, qui ambigat. Verùm adhuc pertinax in malo Maximi furor haud vnius Gratiani sanguine contentus est, sed in alios quoque Gratiani studiosos, qui in Gallijs agebant, tum præcipuè in Merobaudē Consulem, & Balionem Ducem conuersum, sat ex Pacato didicimus; illū enim ab eo trucidatum, istum verò crudelium tormentorum metu adactum, sibimet vltrò mortem intentasse scriptor præmemoratus affirmat. Ad quod comprobandum Ambrosius Maximo Balionis mortem grauiter exprobrare non destitit, cum Legatum apud ipsum ageret; Nam in oratione ad Valentinianum hæc in persona Maximi habet: *Quos* (inquit) *occidi? respondi ei: Balionem. At quem virum? qualem bellatorem? Hæccine fuit iusta causa exilij, quod Imperatori suo fidem seruauit? Non ego (inquit) eum iussi occidi. Respondi: Hoc audiuimus, quod occidi iussus sit. Sed (inquit) si ipse vim non intulisset, iusseram eum deduci Cabilonū, & ibi viuum exuri. Ergo propterea & illud creditum est, quod eum occideris. Quis autem sibi parcendum putaret, cum occisus sit bellator strenuus, miles fidelis, comes vtilis?* Hæc S. Ambrosius, quibus vt Maximi sæuitiam iustissimè carpit, sic pariter Gratiani pietatem, qui barbarū adeò hostem expertus est, dignissimè laudans visus est celebrasse, cui nos isthæc pro veritatis, ac iustitiæ decore laboranti, ipsius Ambrosij ore perpetua laudum monimenta statuimus, sed vt & alios insuper recenseamus.

Charitas virtutibus gratiam affert, & coronam meretur.

Charitate Gratianus omnem vitæ culpam expiasse creditur.

Pacatus in Gratian.

Maximi furor in Gratiani quoque studiosos fertur.

Ambrosius ib. 27.

Quę Ambrosius Legatus Maximo scelera obijcit

Baronius vbi sup n. 10.

10. Tarasius haud impar tum nobilitatis, tum pietatis laude, cum addictus Imperatorum obsequio, in Imperiali Aula à secretis donatus munere inseruiret, se Catholicæ propugnatorem Religionis acerrimum semper exhibens, Constantinopolitanæ tandem Vrbi Episcopus vel inuitus præficitur. Verùm cum nullatenus Ciuium votis acquiesceret, hac tamen lege consensit, vt oecumenica ad sacrarum Imaginum restituendū quamprimum cultum Synodus indiceretur. Interim verò dignissimus Præsul, æque virtutibus, ac natalibus præstans eleemosynarum quoque largitate conspicuus, secundo Concilio Nicæno vnà cum Apostolicæ Sedis Legatis interfuit; indè verò vna cum Orthodoxis Patribus Constantinopolim reuersus, colligendis, excipiendisque ijs, qui in hæresim prolapsi ad sinum Ecclesiæ pœnitendo redibant, præsto fuit. Calumnijs subinde, ac molestijs impetitus, falsò item simoniacę labis est accusatus. Religionis autem zelo, & veritatis studio adductus Constantino Imperatori ob incestas, quas contraxerat, nuptias in faciē imperterritus restitit, adeò vt multas tū ipse, tum sui sint molestias perpessi. Ac demum multis pro Dei Ecclesia laboribus exantlatis, magno spiritus feruore succensus, sub vitæ finem dum sacra iugiter mysteria obire gestit, meritis plenus feliciter in Cœlum auolauit; cuius res gestas Ignatius Monachus conscripsit, atque laudum eius, nobilis instar elogij hæc habet.

Baronius an. 806. n. 1.

Tarasius ab Imperiali Aula ad Episcopatum delectus mirificè præficitur.

Pia ipsius in Episcopali obeūdo munere in cunctos officia.

Pro veritate asserenda ab Imperatore ipse vna cum suis molestias multiplices suffert

11. *Post plurima* (inquit) *certamina, & profundæ doctrinæ infinitum, & vitæ honestæ puritatem, & veræ fidei confessionem, & ratione præditi gregis ad ea, quæ sunt præstantiora, & diuina eius monitis deductionem, & in alendis pauperibus copiosam suppeditationem, & assiduam sanctis rebus datam operam, & in pastorali munere diuturnam moram* (*viginti enim, & duos annos Pontificalem decorauit Cathedram*) *ingruens morbus, & valdè grauem ei dolorem afferens, non persuasit, vt obliuisceretur perpetui, & diuini officij. Nam & morbo, & senio laborans, nequaquam satiatur Sacrosancti Mysterij celebratione, sed intenso amore ad Deum ardens, & morbi nullam ducens rationem, pectore innitens mensæ ligneæ, quæ ponebatur ante Aram diuinam sancta peragebat, infirmus videlicet. O fidem, & sapientem in rebus diuinis diligentiam! ò intermi-*

Ignatius monachus eius gest.

Præclara ipsius gesta, & quam piè munus suum exercet.

natum

natum in Deum amorem! Non enim curam gerebat corporis, vt cum rerum diuinarum eum cœpisset satietas, mysteria diuina interrumperet, sed laboribus corroboratus, & cum Paulo clamans: Cum infirmor, tunc fortior sum, acriter vacabat diuino cultui: Quibus sanè assiduæ, ac indefessa viri pro Christo, & Sponsa ipsius Ecclesia pietatis studia, nec non mirus erga Deum amor circa supremũ vitæ terminum feruentissimus innotescit. Adeò namque labori, ac certamini intentus, vt vel in lectulo decumbens, haud belli molestijs caruerit, & haud luctæ expers aliquando extiterit, valido dœmonum, assiduoque, priusquam è vita abiret, furoris impetu exagitatus; hæc enim de eo Auctor.

Altaris sacrificium celebrandi cupidus, haud morbo præpeditus illud intermittit.

2. Corinth. 12.

12. *Inualuit ergo morbus* (inquit) *& eum de cætero cessare faciens à diuinorum operatione, & parauit lectum infirmitatis: quod vtinam nõ fecisset ante oculos eorum, qui eum nunquam in lecto conspexerant. Tunc fit miraculum nouum, & terribile, quod nos, qui aderamus, admiratione compleuit, & timore, videntes eum velut in extasim, & luctantem cum aduersarijs, qui non cadunt sub aspectum. Non enim aduersus carnem, & sanguinem erat certamen, sed aduersus Principatus, & aduersus spiritualia nequitiæ. Tanquam enim verba faciens cum aliquibus, qui eum examinabant, & actæ vitæ rationem ab eo exigebant, ita causam suam agebat Quamobrẽ multis videbatur esse reus debendi, & rationem reddere exactionis. Erat verò iustum iudicium supremi auxilij omnem vitæ maculam eluere, & nullum illinc, ferre delictum; appellari autem lucis participem, & simul obire cœlestibus materiæ expertibus potestatibus. Nam quamdiù quidem habuit linguam, quæ audiebat, sensa aperta explicantem verbis, resistebat, & prompta dabat responsa ad ea, quæ obijciebantur, dicens, se nullius eorum esse conscium, quorũ eum accusare voluerant. O nulli culpæ affinem cum Deo coniunctionem! Non potuerunt maligni inimici eum vel parua re deprehẽdere obnoxium, vel abominandis suis sceleribus ei aliquid effingere, sed eos redegit ad omnem consilij inopiam per generalem, et terribilem inficiationem; nec in eum quidem possent vllam causam in speciem dicere probabilem. Quando autem lingua obtorpuit instrumentum, nec se verbis poterat defendere, labro, et nutu eos exercebat, et non cessabat eos repellere. Videbatur enim nobis tanquam in inimicos ferociter fremere, & eos cum ira repellere, donec sensus cœperunt conniuere: tunc enim tranquillissimo habitu, vespertinas laudes celebrante Ecclesia, et clamante: Indina Domine, et exaudi me, ipse pelliceum hunc exuit amictum, & relictis vinculis carneis, venit ad luminosa atria cœlestium, et habitat in ineffabili lætitia, quæ percipitur intelligentia, ex ea, quæ hìc est, improbitate, in anima nullum signum inferens. Nam cum hìc ageret, virtutibus morte affecerat mortale hoc tabernaculum.* Et iure quidem optimo post eiusmodi certamen, victor, carne simul, & dœmonum lucta solutus, ad cœli lætus gaudia transiuit; *Quia* (vt Apostolus ait) *non coronabitur, nisi qui legitimè certauerit*. Qui puram igitur, immunemque ab omni labe Sacramentorum suffultus præsidio, conscientiam præferebat, ingentes sub vitæ finem ab antiquo serpente perpessus insidias, ad vitæ supremum vsque momentum inuictus in acie vna cum tartareis viriliter hostibus pugnare visus, auditusque est; donec condignum tandem, carne ac metu solutus, tum ex hoste, tum ipsa etiam ex morte triumphum Cœlo retulit.

Ante finem vitæ acriter tẽtationibus à Diabolo pulsatur.

Auctor vbi supr.

Ad Ephes. c. 6

Ad Dei tribunal debitoris, ac rei interrogatus partes agit.

Baronius vbi supr. n. 3.

A dœmonibus falso in multis sub vitæ finem accusatur.

Vbi loquendi vsum amisit nutu, ac manu hostibus insultare visus est

Victor post certamen in cœlum euolat.

2. ad Timoth.

13. At digna insuper hìc Andreæ Regis Vngariæ filij mentio incurrit, qui Ioannæ Reginæ Neapolitanæ Vir, ac Regio à Clemente VI. donatus titulo est, decretumque insuper eiusdem iussu, vt Rex inaugurandus sacro Regium in morem oleo inungeretur, dum verò simultates cum Ioanna vxore prauis imbuta moribus, ac petulantioris ingenij fœmina exercet, haud illa Pontificiis, vt pareret, monitis acquiescens, Viro morem gessit, sed ex odio, quo in eum flagrabat, haud Regiam, vt à Pontifice iubebatur inhunctionem, solemni ritu perfici permittens, rem protrai maluit. Verùm exasperatis subinde animis, & cum tam ipsa, quàm Proceres iniunctum sibi à Pontifice de nouo Rege inaugurando Imperium iniquo animo ferrent, Andreas prauis, subdolisque nonnullorum Procerum interceptus consilijs per vim, ac dolos è vita tollitur; cum tamẽ egregius

Rainald. an. 1345. n. 27.

Andreas Vngariæ Regis filius varijs exagitatur incommodis

Ioanna Regina Sacram viri in Regẽ vnctionem, haud fieri sustinet.

egregius Vir, regiis dignus infulis, omnique virtutum laude præcellens eum in modum à prauis hominum studiis abhorreret, vt scelera quæque execratus, vbi administrandi Regni Prouinciam suscepisset, dignam à se vltionem in eiusmodi perditos, improbosque exercendam homines palam affirmare non dubitauerit. Mors igitur illi ob iustitiæ zelum, ac ob improbitatis, quam summoperè aversabatur, odium intentata ipsi pœnitentiæ ad instar ad leuiores abstergendas culparum maculas visa est deseruisse. Sed vt eius interim obitum recolamus, quæ de eo Baronius, in suis M.S. apud Rainaldum notis sub anno Christi 1345. tradit, accipienda sunt hìc: *Die VIII. mensis Septembris obijt Andreas Ierusalem, & Siciliæ Rex, filius Caroli Regis Vngariæ, & Elisabeth, quæ ante obitum filij Romam veniens ad limina Apostolorum, calicem aureum gemmis ornatum donauit eidem Basilicæ: tabulam etiam argenteam gemmis confectam, in qua fuerat depicta figura Apostoli: multas igitur est largitas eleemosynas, ob idque statuta illi dies anniuersaria pro ipso Andrea defuncto, & pro felici Statu Regni Vngarici. Hæc habentur in appendice ad Martyrologium, eiusdem Basilicæ Vaticanæ, scilicet ea die, qua supra.* Nimirum quarto decimo Kal. Octobris, biduo antequam Regio diademate insigniri iussum vidimus.

Ab improbisper dolos è viuis tollitur:

Mors ipsi non nisi in iustitiæ, quā adeo in suis requirebat, odiū intentata.

Baronius in not. M.S. ad ann. 1345. Bonfinius dec. 2 lib. 9.

Quæ ante mortem fe digna præstitit.

14. Porrò funestum planè, acerbumque mortis, quæ Andreæ per summam iniuriam illata est, genus Petrarcha præ cæteris oratorio, vt Rainaldus in suis Annalibus adnotat, stylo hunc in modum prosequitur: *O breui* (inquit) *multum mutata Neapolis! ò infelix Auersa, verè auersa nomen ex re sumptum! Auersa, inquam, prorsus ab humanitate, ac fide, quarum prima homini, secunda Regi, & iusto Domino debebatur: in te vtriusque spreta reuerentia, vtriusque in te sacrum gentibus fractum fœdus. In te enim fraude impia perijt Rex tuus, ferro vtinam, aut virili morte alia, vt hominum manibus interfectus, non ferarum dentibus, atque vnguibus. O iniquo sidere condita, infausto signata vomere, cæmentis extructa sanguineis, et vipereis habitata cultoribus, Magistra Vrbs crudelium exemplorum. Abunda impietatis, et criminum erat; animatam Principis Sacrosanctam Effigiem ad imaginem Dei factam violare tam atrociter, tam superbè: nunc id scelus non in homine quolibet ausa es, sed mitissimum innocentissimum hominem, & Dominum tuum, et ante annos tui sollicitum, tui amantem, raræ indolis puerum, magnæ spei Regem truculentissimè laniasti. Immò non tu, sed in te acres, & immites, dicam, homines an belluæ? an quod aduentitij genus monstri, qui orbem Italicum barbarica feritate maculantes, tuum, suumque Regem non gladio, non veneno, dura licet, ac solita Regum morte; sed velut incendiarium, aut latronem infami laqueo peremerunt, et cuius vertici debitum, ac speratum diadema, diù perfida tergiuersatione distulerant, eius collo restem, & nodos miserabiles iniecerunt: vt exequiarum genera alia, et vita longiore dignissimi corporis ludibria indigna prætercam; quæ nostro fortè silentio posterorum notitiæ subtrahuntur. Tu quidem misera Ciuitas hæc perpessa tuis in penetralibus, quæ omnes terras, et omnia sæcula tristi sint inquinatura memoria. Cæterum & culpæ expers, nisi quod patientia criminum sæpe consensui proxima est, et nec obstare poteras, nec vlcisci, miseratione potiùs digna, quàm odio, &c.* Hæc ille totam amarulentis historiam verbis complexus, de tragica Regis cæde meminit.

Rainaldus an 1345. nu 37. Petrarcha epist. famil. lib. 6. c. 5.

Petrarcha Andreæ obitum, ipsius laudes inculcans, describit.

lib. 3. Interfectores impios, ac barbaros insectatur ac ita vt fuisse pit.

Infamis ipsius Regis adeo pii occisione Ciuitas reddita.

15. Porrò vt post tristem, miserandàmque hominis cladem, funestæ adeò ac præ cunctis tragicæ rei causā subtexamus, immane quidem scelus aliqui non nisi adulterinis Ioannæ amoribus, ac cæco item humani ambitus desiderio tribuendum volunt; alij verò improborum hominum audaciæ, ac petulantiæ adscribendum putant, qui iactatis palam ab Andrea (vt Rainaldus ait) vocibus, ad vltionem lacessiti quodammodo videbantur. Inter quos Clemens Vitæ Auctor adnumerandus est, qui sic habet: *Occasio* (inquit) *huius sceleris specialiter fuisse dicitur, quia ipse tanquam virtuosus, et audax verbo, et facto monstrabat se velle punire multos, quos videbat criminosos, et malè se habentes, quam primum dominium dicti Regni ad ipsum peruenisset: de quo malè sibi conscij, et meritò formidantes cogitauerunt aduersus eum, et modo præmisso sibi ipsis præcauere. In quo*

Rainaldus vbi supr.

Causa ipsius necis multorum licentia ac improbi mores, quos ille se animaduertere velle iactauit.

Ioannes Villanus lib. 12. cap. 50.

quo discant noua dominia acquirentes, quod à principio non exasperent, molestent, aut terreant subditos suos, etiam quantumcumque demeritos, neque prodant interiora sui cordis: sed dissimulent, et tales potiùs alliciant, eisque blandiantur, donec habeant dominij sui firmitatem, dederintque ordinem, per quem aduersum eos procedere valeant absque sui periculo, et scandalo aliorum, quia ex opposito modo simili, aut crudeliori perijsse, aut à dominiis suis deiecti fuisse leguntur. Hæc de nece, quæ non nisi in ipsius iustitiæ odium Andreæ illata est, enarrasse voluimus.

Summont. Regni primordia cautè à Regibus ineunda.

16. Verùm in sequenti anno Clemens Pontifex tam diri facinoris errore permotus, aliorumque item vocibus, ac precibus requisitus, aduersus Andreæ Regis interfectores, ac omnes alios, qui acerbæ eiusce modi cædis flagitio se obstrinxerant, vltricem Pontificiæ animaduersionis sententiam promulgauit, qua vbi immane facinus amarulentis ad se delatum verbis expressit, meminitq; rem hunc in modum prosequutus, manifestum Andreæ Regis virtuti, nobilis instar elogij testimonium affert. *Quidam* (inquit) *sceleratissimi iniquitatis filij, et perditionis alumni summum cogitantes, et cogitatum audentes nefas perficere, prædictum Andream adolescentem ætate, moribus compositum, gestuque modestum, ac nullam in se machinationem fieri, cum quasi in proprijs laribus, et inter suos securus existere crederet, suspicantem, circa primum noctis silentium, vt cameram, in qua sibi erat nocturna quies, exiret, proditionaliter seduxerunt, ipsumque tanquam agnum ad victimam foris eductum, morti turpissimę, cogitatu terribili, dictuque lamentabili, inmaniter tradiderunt. O impietas Herodiana, et inhumanitas perhorrenda, quæ innocentis inebriata sanguine, sæuitia sic nefanda desæuit. O effrenata temeritas, et crudelis factio, quæ non considerans illum, qui in Regem etiam à Domino reprobatum sine dolo manus iniecerat, à Dauid Rege mitissimo mortis iudicium pertulisse, in Regem innocentem dolosa perfidia manus cruentas apponere non expauit. O nefarium, & inauditum scelus, immane facinus, et piaculare flagitium, in quo ab impijs egressa est impietas, et prædones pietatis prædantes nequiter pietate tanquam hostes humanæ naturę virum innoxium proditoriè, et crudelissimè peremerunt, non ipsius adolescentiæ, non innocentiæ, non tam illustrium, videlicet Franciæ, Siciliæ, Vngarię, ac Polonię Regum, à quibus traxerat originem, claritati, neque Regali, qua pollebat, excellentiæ deferentes. Cuius itaque cor tam lapideum, et penitus sic saxeum, quod de tanto scelere non emolliatur, et commoueatur ad gemitum, et dolorem? Cuius natura tam inhumana, qui non prouocetur ad lacrymas? cuius tam durus animus, qui de tanta impietate tam crudeliter perpetrata non appetat iustitiam? et vltricis pęnę debitum non expectet? etc.* Quibus Pontifex præmissis vtrumque debitæ vltionis gladium exercens, tam temporalibus, quàm spiritualibus pœnis patrarores criminis percellit, quæ si quis nosse cupit, Rainaldum Pontificias in suis Annalibus literas exscribentem, & isthæc prolixius narrantem consular. Sumptum est itaque condignum de Tralizi, & Ebuli Comitibus, tanquam Regiæ auctoribus necis supplicium, qui impositi currui, funestum de se cunctis spectaculum præbuere, dum à furente populo, & ad iustam sumendam vindictam exacerbato lapidibus obruti, flammisque traditi sunt. Quin & Ludouicus Vngarię Rex in Ioannam tanquam criminis ream, vlciscendæ necis Andreæ Regis, fratris sui stimulo adductus exercitum parauit, ac Reginam vti adulteram in crimen vocauit. Sed apud Summontium illa velut innoxij interempti viri documenta satis se ampla recensentur dum ait: *Neminem videlicet diuini, humanique iudicij pœnas nefario sceleri debitas euasurum.* Et hæc in perenne Viri innocentis monimentum statuisse sufficiat.

Rainald. an. 1346. n. 45. & 45.

Clemens Pap. litt. lib. 3. ep. cur. 9. an. 4.

Nobile ipse Clemēs PP. Andreæ Regis virtutibus testimoniū pro elogio statuit.

Immanis factiorum in Rege insontē per dolos occidendo noxa.

Dignā lacrymis, & commiseranda hominis clades.

Rainald. vbi supr.

Cladis auctores fuere a populo lapidibus obruti, & flammis traditi.

Ludouicus Vngariæ Rex ob necē fratris, & arma in Ioānam parat.

Summont. lib. 3.

17 Sed ne indigno interim Bertrandum Patriarcham Aquileiensem, insigni virtutum cumulo, ac ob sua erga Ecclesiam merita omni laude dignum silentio prætereamus: Hic quippè adeò pro defendendis Ecclesiæ iuribus institit, vt mortem huius potissimum rei gratia subiens, profuso vitam sanguine illustrarit. Porrò Apostolicus Vir erga Consanguineos tam austerus, & animi affectu præmortuus sibi, ac suis sic fuit, vt

Rainald. an. 1350. n. 16.

suas haud illis opes, sed Christi pauperibus tanquam ipsis debitas elargiretur, & non tam armis, quam precibus hostes expugnaturus, in ipso certaminis conflictu intensius orationi vacare visus sit aliquando. Præterea pœnitentiæ operibus taliter fuit addictus, vt à delicijs omnino abstinens, abhorrensq; crebris, iteratisque carnem ieiunijs statis temporibus attereret, suas computaret delicias, qui à tyrannis, & ecclesiasticarum opum prædonibus, cum à Patauina Synodo à Guidone Cardinale S.A.L. celebrata rediret, crudeliter trucidatus est, vt in M.S. Bibl. Vallic. his verbis describitur: *Rediens pater inclytus à Concilio Paduę celebrato annis Dominicis decies centenis, trecentis quinquaginta fluentibus requiei Patris diuini, die Iunii sexta sui spiritus vaticinio moram illo mane contrahens in Sacilo per insuetam viam nitebatur ad patriam: tandem militum suorum periculum exuere conantium deuictus instantia, alta voce verbum emisit: Vado immolari pro vobis. Quã veritatem hæc habuerit prophetia, testatur sui Martyrii triumphalis victoria; licet enim, dum in humanis ageret, sępissimè assereret; Deum oro, & dissolui opto pro Ecclesia mea iuribus conseruandis trophæo, quo gloriosus Thomas pro sua Ecclesia iuribus militauit Altissimo, quem magnis venerabatur obsequiis, singulis autem matutinarum, vesperarumque horis complectis, ipsius gloriosi Thomę commemorationem agebat deuotam; tamen cernens in spiritu suæ proxima resolutionis euentum, ex humanitatis fragilitate agonizabat in mẽte. Demum gratia confortatus diuina, iam completis suis canonicis horis missam celebrari iussit, eamque deuotissimè audiuit: personaliter etiam ob gloriosæ Virginis Marię reuerentiam humili confessione præcedente, missam celebrauit. Elapso Sabbato proximo die, præmisso Sanctæ Crucis signaculo, equum ascendit, Christi nomine inuocato, pergens vsque ad nonam ad planitiem quamdam à Sperninbergo per quatuor milliaria distantem.* Et infrà dum triumphalem è vita exitum narrat, hæc subdit.

M.S. Vallic. Bibl. Bonfin. hist Taru. l. 10.

Eleemosynę ipsius iuges, orandi studium, ac frequens pœnarum vsus.

A Patauina Synodo rediens trucidatur pro iuribus Ecclesiæ instar S. Thomæ Cantuariensis Episcopi.

Martyrij ipse sui præscius extitit.

Quam pius ac deuotus erga Beatissimam Virginem & S. Thomam Cantuarien.

18. *Inimici autem irruerunt in eos in fugam conuersos, aliquibus captiuatis, alijs ab eorum manibus liberis factis. Ipse verò captus, ad victimam ductus fuit, quinque vulneribus lethiferis sauciatus, non oleo, & vino fotis, sed pluuia maxima madidatis. Quandiu caro tenuit spiritum, deuotissimis orationibus animum habebat intentum, suisque carnificibus indulgendo, pro eis Dominũ suppliciter exorauit. Tandem dicto: In manus tuas, Domine, spiritum meum commendo, ductore Deo, migrauit ad Christum hora quasi vespertina completorij, verisimiliter suo rutilante sanguine pro suis defendendis Ecclesiæ iuribus Thomæ beato sociatus, cuius semper flagitabat martyrium imitari.* Hæc ibi de fausto incomparabilis viri exitu æternæ memoriæ consignato præmemoratus Auctor. Corpus autem plagis cruentum, vt Rainaldus narrat, piorumque ablutum lacrymis, solemni ritu, ac pompa in Vtinensi templo sepulturæ traditum est; & quamuis nullis de more perfusum aromatibus, tamen in anno sequenti, reserato sepulchro à successore Nicolao cælitus admonito, illibatum, & ab omni corruptionis labe prorsus immune repertum, multis diuinitus signorum portentis coruscauit.

M.S. Vallic. Bibl. vbi sup.

Ab inimicis capitur, cæteris in fugam conuersis plagis conficitur.

Carnificibus indulgens veniã pro ipsis Deũ exorans obit.

Corpus in Vtinensi templo tumulatum, incorruptum perstiterat.

19. Porrò quàm miris dignissimus, Christi Præsul virtutibus, & rarò modestię, ac pręsertim humilitatis exemplo præcelleret, in M.S. Vallic. Bibl. his verbis traditur: *Quanta humilitate, & mansuetudine venerandus Princeps irradiauerit, loquantur Legati de Latere, Concilium Paduæ celebraturi: qui cum multis, & varijs lacesseretur iniurijs, opprobrijsque diuersis tanquam mitis silebat humiliter.* Quin ipsemet summa veluti probitate, ac sapientia præditus, condignis in Cortusiorum historia præconijs commendatur, cæsusque ex insidijs fuisse, his verbis exponitur. *Dominus Patriarcha* (inquit) *equitauit Sacilum iturus Vtinum, cum ducentis galeatis. Contra eum pugnauerunt eius rebelles cum gentibus de Goritia, & debellatus fuit Dominus Patriarcha. Capti fuerunt multi diuites, & nobiles Castellani, in quorum numero fuerunt Gerardus de Cucagna, & Federicus de Sauorgnano. Ipse verò Patriarcha captus, fossus gladio à quodam de Villalta obijt statim; fuit hoc M.CCC. L. die septima mensis Iunij.* Hæc ibi. Verùm terra ipsa, quæ venerabilis, ac digni

M.S. Val. Bibl.

Dignis ipse in Cortusiorum historia laudibus celebratur,

Guilel. & Albigens. Cartus. hist. lib. 10. c. 10.

giti Præsulis cruorem excepit, mirum quoque ipsius innocentiæ, ac sanctitati testimonium dedit, cum sacri, venerandique sanguinis perfusa liquore, nullum posthac herbarum germen protulisse dicatur. Verum nobilis instar elogij, quæ familiaris eiusdem Patriarchæ Capellanus, dum apertis signorum post mortem portentis clarescerer, exactè descripsit, haud à nobis hic silentio sunt obuoluenda: *Bernardus* (ait) *ex nobili genere oriundus de S. Genesio Diœcef. Caturcensis vtriusque iuris Doctor Sacri Palatii decem, & septem annis causarum Auditor, continentissimæ vitæ, & sobrietatis eximiæ, magnæ sollicitudinis; & vigiliæ pro subditorum commodis noctes träsibat insomnes: circa diuinum officium deuotus, ac fidelis minister, erga sacra mysteria nullo labore poterat fatigari, potissime in Ecclesiarum consecrationibus, & ecclesiasticarum personarum ordinationibus: nefanda scelera Simonis, & Iscariotis Iudæ nomine nuncupata semper abominando in consecrationibus, & beneficiorum collationibus*. Et infra isthæc, adduntur: *Ordinauit tempore suo circa septingentos Sacerdotes, ad reliquos verò sacros inferiores ordines duo millia, & vltra: cultui diuino intentus, in Ecclesiarum augmentationibus seriosus.* His enarratis, demum de bellis non nisi ecclesiasticorum tuendorum iurium causa ab eo feliciter gestis hæc subdit.

Terra, quæ sacrum exceplt sanguinē ingenti portento haud post hac ex se germen profert.

M.S. Val. vbi supra.

Dignum beati præsulis elogium ac merita ipsius gesta sū matim collecta.

Septingentos Sacerdotes & sacros inferioris ordinis ad duo millia dedicauit.

20. *Compellebatur* (inquit) *frequenter Pastor bonus pro Ecclesia suæ iuribus recuperandis, aut etiam conseruandis expeditiones bellicas instruere contra hostes, in quibus interdum in hebdomada Sancta Quadragesimæ constitutus, & ab Ecclesia sua modicum elongatus, per totam noctem velociter equitauit sub armis, nulla eum hostium formidine, aut aeris intemperie retrahente, vt feria quinta in cœna Domini posset in sede sua conficere sanctū chrisma. Considerabat enim, quod spiritualia tanquam digniora, & præcipua erant magis acceptabilia apud Deum; vnde quoscunque alios spirituales actus in illis sacratis diebus facere oportebat, cum mira deuotione, & ædificatione, atque consolatione populi exercebat. In illis quoque diebus signanter circa pœnitentium reconciliationem curam sollicitam cum omni diligentia impendebat: Nam cum sua Diœcesis non solum Sclaui, sed etiam Theotonici & latini de diuersis partibus illo Sancto tempore Aquileiam properarent, ad recipiendum pœnitentiæ remedium opportunum, pro remouendis suorum grauaminibus peccatorum prouidebat Pastor sollicitus, qui super gregem suum oculos non claudebat; de quodam fratre Prædicatore Literato, ac conscientiato viro trium supradictarum linguarum plenarie erudito, qui auctoritate ipsius audiebat huiusmodi pœnitentes; ac eis imponebat pœnitentias salutares: vnde illud, quod per se ipsum facere non valebat, per idoneos ministros exequi satagebat*. Hæc de venerando Christi Præsule, qui animarum saluti, ouicularumque procurandæ vtilitati totus ingiter intentus, nedum spiritualibus, sed temporalibus quoque præsidiis, armisque suffultus suas Moyses velut alter in Mōte ad Deum manus leuabat, eodemque tempore in acie inter armorum prælia, vbi opus esset, constitutus, non secus ac antiquus Iosue gladium perstringendo viriliter dimicabat: Cuius felix, faustusque vitæ finis nostris iure merito paginis est adscribendus, quippe qui, per pœnitentiam peccatoribus ad Deū traducendis, hominibusque Cœlo aggregandis, elucrandisque indefesso animi studio intendens in omnium vnus ipse religiosorum, vt peccatores Christo lucrifaceret, manibus esse quodammodo videbatur.

M.S. Val. biliot. vbi sup.

Bella pro tuendis Ecclesiæ iuribus subire cogitur.

Ipsius in nbeundis Ecclesiæ muniis sollicitudo, & animarū zelus.

Velut Moyses pro pōpulo in mōte ad Deum manus leuabat & pro pugnando item armis manus admouebat.

21. Demum veritatis vltrò, constanterque vel cum aperto vitæ discrimine sub ipso aduersariorum conspectu asserendæ nobile proximo anteacto sæculo sub Gregorio XIII. Romano Pontificè Vrbi affulsit exemplum. Enimuerò Rabinus inter Iudæos primarius, ac perfidæ gentis in rebus Mosaicæ legis Doctor planè eximius, cum sui muneris laudabiliter partes obiret, diuinas vtpotè scripturas probè callens, in earūdem sensibus sedulo peruestigandis, assequendæ veritatis gratia totus fuit, adeò vt diuino subinde perfusus lumine, orthodoxam Christi fidem, ac veritatem agnoscens, suum vel coram perfidis, & cum manifesto vitæ periculo cæcitatis errorē fateri, suisq; Christū libera voce, constantique animo annunciare de-

Ex accep. a vir. fide dignis.

Rabbinus doctor inter Iudæos omnium primus agnita Euangelij veritate publice vult vel cum vitæ periculo suam retractare doctrinam.

Zzz 2

decreuerit. Igitur dum in facris fcripturis veritatem perfcrutandæ totus intendit, Religiofum, Sacri Dominicani Ordinis, qui tunc Pontificis iuffu Iudæos è fuggeftu docebat, & coarguendi, inftruendique fimul perfidam gentem munus obibat, adiit, & ab eo, vt liceret fibi ipfum, vbi opus foret, in varijs, quæ paffim occurrunt ambiguis fcripturarum locis confulere expofcit. Illud dictis addens, vt patienter ad fe accedentem fuftinens, nil vltra, nifi interrogatus, propofitifque fatis quæftionibus facturus refponderet; Quod & alter fpopondit. Quid multa? Rabinus, curiofus vtpote fcripturarum perfcrutator fæpè, ac fæpius, iteratifque concionatorem quæftionibus pulfabat, fed nullo (vt alteri videbatur) interrogantis profectu. At probè Iudæus à Religiofo omnem ex fcripturis, chriftianæ fidei affiduè interrogando veritatem edoctus, ipfum tandem lætus adiens: *Eia* (ait) *vir Dei, te mihi gratulari oportet, & immortales pro me Deo gratias referre; Chriftianus etenim Deo afpirante iam fum tuifque vltrò refponfis, ac tuę item charitati id ipfum debeo, quibus factum eft, vt meo omnis prorfus ab animo, ipfiufque Dei munere ambigēdi fcrupulus abfcefferit* Quæ vbi vit Dei ex infperato ipfius ore comperit, maxima perfufus lætitia. *Tibi* (inquit) *frater chariffime gratulor, & mihi infuper pro tam grato nuncio fummopere gaudeo, qui te iam ex hoſte fratrem, ex Iudæo Chriſtianum, & ex perfido iam Chriſtifidelem audio.* Rabinus vero præ cordis gaudio exultans, priufquàm Sacrofancto Chrifti baptifmo folemniter initiaretur, Chriftum Dominum, eiufque fidem fe publicè in omnium cōfpectu Iudęis corā inSynagoga ipfa, vbi docuerat, adftantibus cōfiteri, &qui docendi alios diù munus obierat, cunctis fuæ perfidiam falfitatis detegere, fuumque palam facere, ac proclamare è fuggeftu errorem præ confcientiæ ftimulo velle affirmat. Sed alter, quod fi iftud intrà Synagogæ ambitum faceret, nonnifi manifeftum ipfius capiti periculum inftare intelligens, ipfum à propofito, etfi fruftrà remouere contendit. *Libenter quippe* (aiebat ille) *conſtanterque meam hanc pro Deo, ac veritate vitam Iudęis contribulibus annuncianda impendam, & pro meis ipfemet fuperimpendar fratribus ob Chriſti amorem libentiffimè, quo fic faciendo ipfe fim oculus cęco, qui cęcis hactenus mifer ducatū prębui, & fim pes claudo, qui alios à Deo procul aberrare docendo feci.* Cum igitur Doctor Dei amore fuccenfus, omnique metu fuperior, in ipfam quoque mortem, Chrifto afflatus infurgeret, nec à mentis propofito retardari poffet, id ipfi ea conditione permiffum eft, vt videlicet manè die Sabbathi, quo potiffimùm in Synagoga fuos è fuggeftu docere confueuerat, publicè palinodiam fidei recantet. Tunc enim concionator fe vna cum chriftianis quàm multis in loco adfuturum, & à fe protinus tumultum omnem, necnō periculū, fi quod emergeret, amouēdum affirmat. Quod & factum eft: Rabinus igitur præfcripta Sabbati die ex more fuggeftum confcendens, illis primum adftantes verbis Iudæos falutando alloquitur: *Iudæi fratres boni ad vos nuncij præco fum; bonum vtique, diuque exoptatum ad vos, nuncium perfero.* Vix ifthæc: cum Iudæus è turba in medium profiliens, & præ gaudio geftiens, contineri haud potuit, quin aperta gaudij figna feftiuum in morem faltitando exhiberet. Doctor verò fubindè blando iterum fermone cunctos qui aderant Iudæos, pro re, quam illis anuunciabat, omnium optatiffima lætos effe iubens: *Oportet* (inquit) *fratres vos gaudere, & agere letitiæ diem: Meffias etenim, qui dicitur Chriſtus, & in quem noſtra itē cunctorum vota fufpirant, in mundum iam venit.* Quæ quidem vox fummo tum plaufu, tum gaudio ab omnibus accepta eft.

22. Cum igitur auditis eiufcemodi verbis, intenti in ipfum fingulorum tum oculi effent, tum animi, & ob nunciū prorfus nouum, inexpectatumquè res tota lætitiæ foret, lætis triftia prudens vtique, ac doctus Scriba fubtexens: *Sed heù heù* (ait) *& nos planè miferos, & plufquam cæcos, cunctifque deteriores: Meffiam quippe, qui tot interlapfis iam fæculis venit, nos tenebris altius obuoluti, & in ipfa pomeridiana luce noctuarum inftar cæcutientes venturum adhuc expectamus, Mofaico duntaxat, & abfque lumine candela-bro*

A Religiofo ordinis Prędicat. ipfum adeundi, & confulendi fuper fcripturarū quæftionibus facultatem expofcit

Iudæus Religiofum adiens lætus fe iam probè edoctum Chriftianum effe affirmat

Paratus publicè cum vitæ periculo in Synagoga fe ipfum ob falfam doctrinam retractare

Qua ratione vt Rabinus fine periculo palinodiā recantet à Chriftianis permiffus.

Pro concione Iudæos Sabbathi die alloquens de fecerat veritatis doctrina quam acquifierat certiores reddit.

Iudæi cum lætitia, & plaufu verbum de Meffiæ aduentu excipiunt.

bro contenti. Hunc verò soli pre cunctis Christiani, qui iam saluare mundum venit, de facie agnoscunt, in spiritu adorant, & colunt, ipsiusque aduentum felicissimo Dei munere tenentes possident. At me (inquit) miserum, qui vos hactenus pro luce tenebras, & meis non tam veritatem, quàm falsitatem verborum nugis, ac deliramentis edocui. Quo dicto, vnus è viliorum turba sic ipsum audacter compellat. *Si tu falsitatem, vt ais, non veritatem nos (vt par est) docuisti, quandoquidem nos ipsi tuam pretio ad docendum operam conduximus: quid tardas, quid moraris in ipsa, quàm nos dedimus, & tu accepisti, reddenda pecunia? fraudem quippe tum docendo, tum accipiendo pecuniam admisisti.* Quibus ille, & sic sapienter respondit: *Acceptam vtique pecuniam tibi vltrò reddere paratus sum, si modo exurgens, accedensque tu quoque vna mecum, quod te, vt dicis falsitatem hactenus docui publicè fatearis.* Suborto interim ingenti obstrepentium Iudæorum murmure, Reuerendissimus P. Commissarius, sacrosanctæ vniuersalis Inquisitionis, & Fr. Concionator, qui simul ex condicto aderant cum armatis nonnullis ministris, indicto manu silentio, Rabinum, nequid mali à Iudæis homini contingeret, secum illinc abducunt, qui non multò post sacro initiatus baptismo Alexandri nomine dictus est. Tantæ autem hic vnus ob vitæ probitatem, & in instruendo peritiam, necnon ob sacrarum scripturarum intellectū, in docendo auctoritatis fuit, vt Gregorij XIII. iussu prædicandi Iudæis veræ Dei magna cum laude prouinciam subierit, adeoque cuncta probè edoctus singulis Sabbathi diebus Iudæorum è suggestu in primis fraudes, ac miseræ gentis cæcitatem redarguens, ac vitiatas perfida Rabbinorum manu diuinarum scripturarum paginas luce clarius, ac suo velut digito ostendens, dum validè perfidæ gentis obiurgat errores, cunctos mirificè, vti sapiēs Magister in Israel, salutis viam doceret; Quo demum magna Christum virtute Iudæis annunciante, factum est, vt ipsius quamplures dictis aurem, & Christianæ fidei manum dantes; sacro initiari baptismate ad Christum conuerterentur abiectisq; errorum tenebris iam rectā viam salutis incederent. Sed isthæc vel obiter meminisse voluimus.

Optimè annunciandi Christi aduentus ex sū dictis occasioné captat.

Se promptū ad reddendā ipsis pecuniā exhibet dūmodo ipsi falsam se accepisse ab eo doctrinā fateantur.

Rabinus ad Christum cōuersus baptismi aquis abluitur, & Alexandri nomē accipit, ac Pontificis iussu Iudæis Euangelium annunciat.

Ingens ex ipsius concionibus Iudęis fructus.

CAPVT VII.

Infideles ante finem vitæ pœnitendo, sacro baptismate expiati.

SVb ipsa ferè hominum, rerumque initia vniuersum olim terrarum Orbem inualescentibus mortalium culpis, obruendum aquis, subuertendumque penitus ad iustam Deo iracundiam concitato, ipsiusque met apud Noemum ore fama percrebuit, sed aquis insuper totius innouandam Orbis, instaurandamque faciem vniuersalis, quæ contigit diluuij vastitas, diuino iam tum Sacramento mortalibus præsignabat: *Videns autem Deus* (inquit Scriptura) *quod omnis caro corruperat viam suam, &c. Delebo* (inquit) *hominem à facie terræ*. Emergētibus quippè immane adeò hominum culpis, iusto Dei calculo nonnisi aquis parabatur interitus, & iam lugubre cunctis viuentibus, quasi præ foribus instabat exitium. *Finis* (ait) *vniuersæ carnis venit coram me, repleta est terra iniquitate à facie eorum, & ego disperdam eos cum terra, & præcauens: ecce ego adducā aquas diluuij super terram, & interficiam omnem carnem.* Haud enim aliter, quàm inundantium diluuio aquarum, longè lateq; serpens, atque in dies magis inualescendo redundans vbique fœda lasciuiarum pestis posse demum è medio tolli, ac in sua quodammodo radice abolenda penitus videbatur.

Aquarum diluuio Orbē terrarum ob hominū culpas obruendū Noemo diuinitùs innotescit.

Genesi cap. 6. v. 13:

Gen. cap. 6. vbi supra.

Deus culpis ad iram prouocatus vltionē aquis decernit.

2. Atqui vniuersum aquis pariter terrarum Orbem, qui suæ tum cladis, tum funeris acerbitatem, communi viuentium fatali detrimento acceperat, Deo subindè hominibus propitiante instaurandum illis maximè verbis diuinitus portendebatur; cum dicitur: *Et spiritus Domini ferebatur super aquas.* Quod & prophetici verbi oraculo denunciatū est. Deus quippè ideò non primùm aquis, sed terræ maledixit: *Quoniam* (inquit Augustinus) *per aquam diluere male-*

Aquis diluuij Orbi exitium, & Baptismi aquis salus pariter Orbi diuinitus prouenit

Augustin. lib. 1. de mirabil. scrip. c. 4.

Aug. vbi sup.

maledictionem parauerat, quod in diluuio est factum, & nunc per baptismum indulgetur. Altissimus igitur, qui non delectatur in perditione hominum, & nostris haud ruinis gaudet, emergentem quodammodò ab ipsius diluuij fluctibus hominem, ac rediuiuum in bonam rerum futurarum spem, opportunè velut præsagiẽdo designans, diuino aquarum baptismate, ac supernis gratiæ respergendos fluentis, innouandosque mortales, adeoque à morte reuocandos ad vitam, certissimè iã tum factis mõstrabat, vt scilicet vnde mors inde vita; & ex quo pena, inde pariter homini diuinitùs gratia prouenirct. *Effundam* (inquit) *super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris, & ab omnibus idolis vestris mundabo vos, et dabo vobis cor nouum, & spiritum nouum ponam in medio vestri.* Salutaris verò, quæ iam tum suis à Deo repromittebatur cultoribus, aquæ fluenta, ipsius profectò baptismatis quasi digito fontem portendunt. Aqua verò gratiæ, ac redundans bonorum spiritualium copia, qua charismatum dona à Christo Sacramentali Fonte respersis vberrimè deriuãt, & quæ cunctas item culpas diluẽdi vim habet, palam cunctis Augustino edisserente ostenditur. Quo item mysticè aquarum symbolo haud obscuris Christi Sacramentum Apostolus verbis adumbrans, ipsamque gentium Ecclesiam alloquens: *Mundans* (ait) *eam* (idest Ecclesiam) *lauacro aquæ in verbo vitæ.* Quod vno Sacrorum passim Scriptorum ore, nonnisi diuino Baptismi Sacramento appositè quadrat. Piscinæ etenim aquis salutem admoto corpori impertientibus, suum vel iam tum Christus baptismalis lauacri (vt docet Chrysostomus) fontem præsagiebat. *Cum vellet Deus* (ait) *appropinquantis baptismi fidem nos erudire, morbos per aquam expulit.* Hæc ille.

3. Et siquidem baptismi aquis hominem, qui totius vniuersi satis amplũ, dignumque se ipso typum gerit, dum mergitur, innouari, suo ipsemet probè edoctus olim Cyprianus experimẽto affirmat, qui lubricos anteactæ sic vitæ se mores exuisse, ac nouos vnà cum Christo in baptismate induisse, vbi pristinos baptismo antiquatos meminit, hæc aptè subtexit: *Sed postquam* (ait) *vndæ genitalis auxilio superioris æui labe detersa in expiatum pectus ac purum desuper se lumen infudit; postquam cælitus spiritu hausto in nouum me hominem natiuitas secunda reparauerat, totum mutatum agnosco.* Adeoque conceptis verbis Donatũ, amicum vtpotè, cui benè innotuerat, alloquens: *Scis profectò, et mecum pariter recognoscis, quid detraxerit nobis, quidque contulerit mors ista criminum, vita virtutum.* Et cõgruè: Baptismus quippè digno Cypriani calculo, nonnisi *mors criminum, & vita virtutum est;* vt suis item carminibus egregiè aliquando Paulinus, dum de baptismo sermonẽ habet, sic rem mysticè exponit:

Culpa perit, sed vita redit, vetus interit Adam,
Et nouus æternis nascitur imperijs.

Idem planè in seipso Augustinus efficacem baptismi vim edisserendo expertus, diuinã ad instaurandum aquæ virtutem, ac præconia extollit. Quisquis igitur præcipuo Dei munere innouandus baptismalibus aquis immergitur, Christi ipsius meritis, & gratia salubriter respersus, ad æternitatis vitam tutò emergendi spem obtinet: *Quicumque* (inquit Apostolus) *in Christo Iesu baptizati estis, Christum induistis.* Adeoque ipsius pœnitẽtiæ vim aquis inesse professus, haud dubijs in nouum se transire hominem verbis, factisque testatur, vt ipsa Sacramenti re quid baptismi Sacramentum accedentibus præstet, Ambrosio teste, ostenderet: *Per aquam* (inquit) *baptismi transitus est de terrenis ad cœlestia. Ideo Pascha transitus dicitur: hic transitus est de peccato ad vitam, de culpa ad gratiam, de inquinamentis ad sanctificationem.* Certa igitur accedentibus promissio est à culparũ reatu emergendi, & recto per aquas ad Cœlum tramite perueniendi fiducia: *Qui enim* (inquit Ambrosius) *per hanc aquam transit, non moritur, sed exurgit.* Baptismalibus verò aquis insitam diuinitùs vim, & mira earundem præconia capitalibus vtique notis exculpta ad Constantinianæ Basilicæ fontem, appositis infra carminibus, quę hìc honoris, & recolendæ antiquitatis gratia pio ob oculos lectori delibanda proponimus; sic planè Christiana olim pietas expressit.

Gens

Deus non aquis primũ sed terræ maledixit, quia per aquas diluere maledictionem parabat ex August.

Ezech. c. 36. num. 25.

Salus Orbi aquis refundeda in Scripturis edicitur.

Apost. ad Rō. c. 5. 4.

Quid aquarum typice designetur.

Chrysost. in c. 5. Ioan.

Piscinæ aquis salus, quę dabatur aquas baptismi signabat.

Cyprian. ep. 2. ad Donatum.

Cyprianus aquarum baptismi vim probe expertus.

Cyprian. vbi sup.

Baptismus mors criminum est, & vita virtutis ex Cypriano.

S. Paulinus carm. ad Seuerum.

Apost. ad Gal. c. 3.

Aquis baptismi vetus homo mergitur, & nouus cum Christo ex aquis emergit.

Ambr. lib. de Sacram. & habetur C. re nisi.

Quanta vis baptismi aquis diuinitus insit.

Qui transit per aquas baptismi nō moritur, sed exurgit, ex Ambrosio.

Gens sacranda polis hic semine nascitur almo,
Quam fœcundatis spiritus edit aquis.
Virgineo fœtu genitrix Ecclesia natos,
Quos spirante Deo concipit amne parit.
Cœlorum Regnum sperate hoc fonte renati;
Nam recipit felix vita semel genitos.
Fons hic est vita, & qui totum diluit Orbem
Sumens de Christi vulnere principium.
Mergere peccator sacro purgande fluctu;
Quem veterem accipiet; proferet unda nouum.
Insons esse volens isto mundare lauacro;
Seu patrio premeris crimine, seu proprio,
Nulla renascentum est distantia, quos facit vnum,
Vnus fons, vnus spiritus, vna fides.
Nec numerus quemquam scelerum, nec forma suorum
Terreat: hoc natus flumine sanctus erit.

Carmina Constantiniani baptismatis Fonti insculpta.

His planè Diuina baptismalis, ac viuifici Fontis munera, satis, superque, vel in muto marmore adumbrari contigit. Aqua etenim Baptismi suos ad salutis portum, & ad immortalis vitæ ianuam securos prouehit. Quod vt exemplis innotescat, & à præcipuo Virorũ Christianorum Principum dicendi initium fit.

Bar. an 321. n.22.23.

4. Primus siquidem omnium Constantinus Magnus Romanorum Imperatorum, & Principum in primis Christianorum Princeps, pœnitentiæ, & Christi baptismo magis, quàm Orbis sceptro, & hostium triumphis, ac purpura clarus hìc se nobis offert, qui licet præclara de se cunctis virtutum exempla præbuit, attamen postquam Christo, eiusque militiæ nomen dedit, nonnulla Christiano homine prorsus indigna, & quæ non parum ipsius obumbrasse gloriam visa sunt, turpiter admisit; quæ postmodum cuncta Sacro Baptismatis Fonte, & pœnitentiæ lachrymis salubriter expiauit; ne publica autem ipsius culparum dedecora sileantur; quale profectò illud est, quod Constantino quintum, & Licinio Iuniore Coss. aduersus Aruspices, qui priuatim in alienis domibus Aruspicinã exercebant, rescripsit? ne dum enim ipsos pœnà ignis seuerissimè plectẽdos, sed & qui eos vocassent, bonis proscriptos in insulam deportandos præcepit. Postmodum verò cum Gentiles tumultuantes in Vrbe vidisset, pro ijdem Aruspicibus consulendis rescribens, suis quod pridem ipse damnauerat, publicis retractans edictis indulsit. Verùm cum sic Deum maximè Princeps exacerbasset, vltricem protinus in se Dei manum expertus, alter veluti Dauid, sæuientem in suamet domo gladium sensit, vt Baronius illis planè verbis testatur: *Quæ* (inquit) *post peccatum vltio diuina sequuta est, eum grauissimè deliquisse perspicuè declarauit, &c.* Constantini namque Principatus duorũ Cæsarum, aliorumque Virorũ optimorum cæde cruentus, ac Faustæ insuper Augustæ coniugis nece planè infaustus iure meritò habitus est; hæc enim de eo Eusebius in Chronico: *Crispus* (inquit) *filius Constantini, et Licinius iunior Constantiæ Constantini sororis, et Licinij superioris filius crudelissimè interficiuntur anno Imperij sui nono.* Hæc ille. Porrò ex quo nam immane eiusmodi portentum, & quæ nam insuper isthæc furendi, & simul agendi causa præcesserit, vt humanitas videlicet summi, ac pij maximè Principis in sæuam planè tyrannidem sit ex improuiso cõuersa, antiquos Orosius inter Scriptores latere prorsus affirmat: *Sed inter hæc* (inquit) *latent causa, cur vindicem gladium, et destinatam in impios punitionem Constantinus Imperator in proprios egit affectus. Nam Crispum filium suum, et Licinium sororis filiũ interfecit.* Hæc ille.

Cõstantinus Magnus facis baptismi quis ad vitæ culpas diluendas abi vult.

Cõstantinus ante baptismum in multis immane deliquit.

Bar. vbi sup. n.22; 23.

Euseb. in Chr. an.324 n.2.

Crudelitatis nota à Scriptoribus illi impingitur.

Orosius lib.7. c.28.

5. At Diuina in ipsum meritò, & iusta tandem ira exarsit. Qui enim Deum sui Principatus initio cuncta sibi prospera, dum Christianæ pietati inhæret, largientem expertus est; Immanissimos quippè duos, eosdemque fortissimos tyrannos è medio, Diuina suffultus ope sublatos vidit, quorum alter Occidentale, Orientale alter Imperium occupa

Initio principatus læta, & prospera quæque Cõstantino fuere, at postmodum aduersa est expertus.

cupabat; & quotquot insuper in ipsum Romanum Imperium insurrexerant, facilè, feliciterque perdomuit, adeò vt nonnisi cuncta sibi fausta, ac læta feliciterq;ex voto contingerent. Vbi verò captandis superstitiosis Augurum responsis annuendo adblandiens pro ijsdem vltrò ad Vrbis Præfectum rescripsit, Dei, quo fouebatur, ac si patrocinio orbatus iustam, acerbamque ipsius iram incurrit, *vnà cum Imperio* (vt Baronius ait) *funditus periturus, nisi citò Christianæ Religionis remedio facinus expiasset*. Porrò tragicæ rei, ac sublatorum è medio Crispi, & Faustæ vxoris causa haud lectorē antiquitatis studiosum latet, nēpè, quod is, ac si Augustæ inferre stuprum tentasset, à nouerca falsò, ac per dolos accusatus, paterni vtpotè thori violator delatus est; ob quod Constantinus iustissimè gladium exerens, sic in suos procul dubio animaduertit, vt præter Gentiles Scriptores Aureli m Victorem, & Eutropium, Paulus Orosius, & Sidonius Apollinaris Christiani disertis rei atrocitatem verbis testantur; Sidonius enim illorum temporum, & præcipui apud Constantinum id viri testimonio affirmat, dum de Ablauij Consulis disticho agens, hæc vel obiter affert: *Vt mibi* (inquit) *non figuratius Constantini domum, vitamque videatur, vel pupugisse versu gemello Ablauius, vel momordisse disticho tali clam Palatinis foribus appenso*:

Saturni aurea sæcula quis requirat?
Sunt hæc gemmea, sed Neroniana.

Et hæc quidem, quia scilicet prædictus Augustus, ijsdem ferè temporibus extinxerat coniugem Faustam calore balnei, filium Crispum frigore veneni. Hæc Sidonius. Quod verò ad eiusmodi necis causam spectat, suis Zosimus rem gestam verbis exactè describit, quem qui vult apud Baronium consulat; Artemius item Augustalis Præfectus, idemque Christi Martyr coram Iuliano Imperatore, qui temerè Constantino insultans, multa in illum, & patratā præsertim propinquorum necem objiciebat, seriò pro re huiusmodi agens, hæc tum meritò in ipsum pro Constantino respondit: *Ille autem* (inquit) *vxorem Faustam, vt quæ priscam Phadram esset imitata, etc.* Quoniam verò ab vno plerumque in aliud scelus facilis aditus patet, innumeros insuper ex amicorum numero à Constantino interfectos Eutropius affirmat. Quod licet solida testis alicuius auctoritate careat, verisimile tamen exeo redditur; quod haud à suorum ille familiarium cæde abstinuit, qui suis alioqui propinquis, sibique intimè adeò iunctis haud pepercit.

Bar. vbi sup. num. 2.

Superstitionibus Augurum fauens Dei iram in se concitauit.

Crispum filium mortē è medio abstulit, & Faustam vxorem adulteram gladio ferit.

Aurel. Vict. in vita Constant.
Eutrop. lib. 10.
Sidonius lib. 5. ep. 8.

Carmen palatinis foribus clam inscriptum.

Zosimus vbi sup.

Artemius Christi martyr coram Iuliano Apostata Constantini causam defendit.

Artem. Mar. die 11. Iul.

Eutropius in Constantino.

Quamplures à Constantino item ex amicorum numero interēptos, eo quod in propinquos gladium perstrinxit verisimile redditur.

6. Porrò Constantinus tandem Imperator è Cœlo admonitus, edoctusque vt salutaribus se Baptismi aquis expiādum curaret, conscientiam omni criminum labe abstergendam volens ad id potissimum Osij Episcopi Cordubensis opera vsus, vt Zosimus his verbis tradit: *Quidam* (inquit) *hispanus genere, cui nomen Aegyptius, Romam delatus, Palatinisque mulierculis familiaris factus, et ad Cōstantini colloquium admissus, sententiam doctrinæ Christianorum habere vim abolendi quodcumque peccatum confirmauit*. Hæc ille, quæ & Baronius aptè in rem nostram prosequitur. Constantinus igitur cùm lepræ morbo vitiatus, nonnisi balneo ex innocentium puerorum sanguine comparato curandum se à medicis accepisset, impietatem balnei detestatus, Beatissimis Apostolis Petro, & Paulo sibi apparentibus, Diuino Christi baptismo se à lepra mundandum intellexit, vt ex Cōcilij Niceni actis Hadrianus Papa his verbis testatur: *In ipsis* (ait) *exordijs Christianorum, cùm ad fidem conuerteretur pius Imperator Constātinus sic legitur: Transacta die, nocturno Regi facto silentio, somni tempus aduenit, & ecce adsunt SS. Apostoli Petrus, et Paulus dicentes: quoniam flagitijs tuis posuisti terminū et effusionem innocentis sanguinis horruisti: missi sumus à Christo Iesu Domino dare tibi sanitatis recuperandæ consilium. Audi ergo nostra monita, et fac omnia, quæ indicabimus tibi*. Hæc Hadrianus. Baptismatis itaque Princeps Sacro Fonte se abluendo remedium morbo accersēdum intelligens, repromissam sibi sospitatem feliciter Deo afflatus obtinuit. Euocato quippè quantocyus Siluestro Romanæ Vrbis Episcopo, qui tunc apud Soractem Montem Vrbe profugus latitabat, nec non ab eo de his, quæ sibi noctu per visum innotuerant, instructus, septemque interim diebus Siluestri iussu Re-

Zosim. lib. 2.

Cōstantinus è Cœlo admonitus se baptismi aquis expiandum curat.

Bar. an. 324. num. 17.

Conc. Nicen. 2, act. n. 31.

Impium ex infantium cruore balneum renciens baptismi aquis abluitur se.

Ad id Osij Cordubensis Episcopi opera vtitur.

S. Siluestrū apud Soractem montē latitantem sollicitè requirit.

Bar. vbi sup.

fu Regia deposita clamyde, & corona, in pœnitentiæ cultu solitarius degens præmissis religiosæ pietatis iuxta monitum officijs sic se omnimodis per baptismum diuinitus curandum putauit. Pontificijs itaque dictis Imperator sic paruit arcturusque priuatim in palatio, vti pœnitentem hominem par est, à se coronam abiecit, splendidamq; vnà simul Imperatorum clamydem exuens, miro, ac nouo Christianæ humilitatis exemplo, sua apud Deum dolentis verè, ac pœnitentis animi præludia agens, Christianæ normã vitæ auspicatur, ac Sacro subindè ablutus fonte, antiquos visus est penitus exuisse mores, nouaque indicta vitæ regula, alium se omnino ab eo, qui antea fuerat, exhibens, Christianam toto terrarum Orbe propugnandam, propagandamque quibus modis Religionem suscepit.

Solitarius agit deposito Imperiali maiestatis cultu priusquam baptismo initietur

Mutatur baptismi aquis in virum alterum.

7. Atqui dum Principum vertex in Christiana re stabiliẽda totus incumbit, Deorum templa diruit, ac prophana inanium Idolorum simulachra subuertens, eadem populo nonnisi risu excipienda, ac pedibus proculcanda proponit. Nicænum insuper Concilium ad orthodoxæ stabiliẽda fidei dogmata, euocatis in vnum Patribus, celebrandum curauit.

Bar. an. 327. num. 1.

8. Demum qui grauiter aliquando incautè visus est deliquisse, dum rebus domi, forisque præclarè gestis orthodoxam Christi fidem propagandam vbiq; terrarum, amplificandamque curat, anno Christi 337. & suæ ætatis 66. culpis pœnitentia quidem salubriter expiatis diem clausit, vt Socrates his verbis affirmat: *Vixit Imperator Constantinus annos sexaginta quinque, triginta vnum regnauit; mortem obijt Feliciano, et Titiano Coss. ad vndecimum Kal. Iunij anno secundo septuagesimę octauę Olympiadis*. Et Constãtinum siquidẽ triginta duobus annis imperasse, Scriptores affirmant, & Eusebius præsertim, dum præclara ipsius gesta illius verbis meminit: *Duos* (inquit) *et triginta annos extra paucos menses, et dies cum imperio fuit, etc.* Hæc ille. Verùm quàm dignè, ac laudabiliter postmodum Princeps optimus vitam exegerit, & quibus ad immortalitatem virtutum meritis, bonisque operibus se ante vitæ occasum exercens comparauerit, & quibus demum intentus, supremum vitæ diem clauserit, idem Eusebius satis luculenter hunc in modum visus est adumbrasse: *Imperator* (ait) *vsque adeo mente, rationisque viribus constabat, vt vsque ad vltimam senectutem pro consueto more orationes conscriberet, solitos cũ amicis congressus faceret, et dignas homine Christiano disciplinas auditoribus suppeditaret. Assiduè etiam leges ferebat, aliquando de rebus ciuilibus, aliquando de bellicis: omnia verò, quæ ad vitam degendam essent necessaria, mente, et intelligentia comprehendebat. Iam illud dignum sane sempiterna memoria est, quod cum eius extremus propè dies vitæ adesset, recitabat funebrem quandam orationem eo ipso ferè loco, quo dicere consueuerat. In qua etiam multa disputabat perpetua oratione de animorum immortalitate, deque his, qui vitã piè, sanctèque egissent, et de pręmijs, quę bonis, et gratis, acceptisque Deo hominibus apud ipsum Deum reposita essent: ad hac etiam, quem finem habituri essent, qui contrariam partem sequerentur, copiosa, et longa oratione demonstrabat impiorum euersionem, et interitum præsentium auribus obiter inculcans. Hæc ille, cum constanter, et grauiter contestaretur, etc. visus est genere hoc sermonis viam suis paulò ad meliorem vitam mollem, atque æquabilem præstituere.* Hæc ille in Constantini laudem.

Socrates in Constantino.

Cõstantinus pro Catholica propaganda fide sollicitus pę nitentia expiatus diem obit.

Euseb. lib. 1. cap. VII. Constantini. Bar. an. 337. num. 2.

Suã pijs operibus obitum pręuenit.

Euseb. vbi supra lib. 4. c. 55.

Digna ipsius elogia ab Eusebio descripta.

Bar. vbi sup. num. 5.

Dum supremus ipsi instaret vitæ dies, funebrẽ ac si mortis suæ præco, orationem recitat.

De animæ immortalitate, & de futura bonorum mercede disputat.

9. At quàm ambitiosè, quàm præferuidè Vir sibi benè conscius ad Superos, æternaque Cœli pręmia, cum supremo iam morbo conflictatus anhelaret, illud satis indicat, quod terrenis cunctis se promptè, libenterque abdicans, ac de impendente sibi fato sermonem vltrò intexens, festinus ad Deum currens, suis lachrymas, à quibus recedebat, consultò inhiberet; hęc enim de eius obitu Eusebius: *Cum Centuriones* (inquit) *et Duces militares casum suum deplorarent, quod deinceps se orbos fore lugubri voce testarentur, longioremque ei vitam optarent, etiam his respondit: se nunc veram vitam adeptum esse, seque ipsum solum intelligere, cuius felicitatis particeps factus sit: ac propterea festinare, nec migrationem ad Deum suũ procrastinari. Deindè quæ videbantur extrema, quasi voluntate sua disponebat: ac Romanos, qui Regiam*

Euseb. in vit. Constantini cap. 40. 61. 64.

Suis lacrymas prohibeos, lætusq; morti occurrens, se ipso fortior videbatur.

giam

giam Ciuitatem incolebant annuis pensionibus honorificè donabat, liberis verò suis Regni hæreditatem tanquam patrimonium relinquebat: cæteraque omnia, quæ ei videbantur expressè, disertisque verbis describebat. Hæc singillatim omnia gesta, et cõsumata sunt maxima illa celebritate venerandæ, et sacræ Pentecostes, etc. Huius celebritatis extremo die (quam si quis omnium celebritatum Principem, et maximã vocet, haud aberraueris) omnia ista consequutus Imperator, ipso meridie ad Deum suum assumptus est, partem sui mortalem mortalibus cognatam relinquens humi, sed animi partem intelligentem, et Diuinam Deo coniungens suo. Hic Constantini extremus vitæ dies fuit. Hæc ille de recolendo Principis ad æternitatem properantis exitu. Testamentum verò, in quo supremam ille voluntatem suam contestatus est, de restituendo Alexandrinæ Ecclesiæ Athanasio scripsit, vt apud Baronium videre est. Nec Constantinus insuper adducendus in crimen videtur, quod Eusebianis, Arianisq; fauerit. Eusebius quippè Nicomediensis cum se minimè proderet, sed suos ad omnem perfectioris vitæ normam ex industria mores, actusque vitæ ad decipiendum Imperatorem effingẽdo componeret, ingens cunctis in rebus sanctimoniæ documentum præseferens, haud se vnquã Arianum prodidit, quod & cæteri Eusebiani per dolos Principis gratiam, & sub pietatis pallio aucupantes, præstitere. Quod adeò verùm est, vt Eusebiani, ac cæteri omnes, Arianæ quantumuis perfidiæ in primis studiosi, qui licet Arium intus, & in cute gestarent, viuo tamen Constantino, Catholicos se in Imperatoris gratiã superinducta pietatis larua exhibuerint; quin & ipsemet doli artifex Arius id suo primum animi detrimento, præstitoque ad id iuramento affirmare non destitit, his planè infelix, ac perfidus prauis ad fallendum Principis animum artibus, dolisque ex condicto vsus.

Festiuo Pẽtecostes die Cõstantinus cunctis dispositis è vita abit.

Bar. ubi sup. num. 8.

Quę testamento moriẽs ante statuerit.

Eusebius Nicomediensis Arianus, & cæteri sub larua pietatis Catholicos fallere consueuere.

10. At Constantini funus, eiusque Regiam planè pompam, Eusebio narrãte, si quis nosse cupit Baronium consulat. Porrò qui viuendi finem in terris iam fecerat, Cœlo feliciter insertus viuere incapit. Apud Beatos quippè Christi Apostolos tumulo receptus, animam ad Superos ibidem cum Christo æternũ regnaturus transmisit; hæc enim de eius obitu, ac funere idem Eusebius prę alijs tradit: *Hoc igitur* (inquit) *loco, excelso solio iacens Beatus Princeps gloriosè prædicauit, etc.* Quæ idem Scriptor prosequitur. Exculptis igitur appositèq; in rem præsentem numismatibus felix, faustusque Principis terque quaterque Beati è vita exitus, his vti iam Cœlo recepti, aptisque, Eusebio teste, notis consignari meruit, vt apud Baronium typis exculpti ipsimet Regiorum Numismatũ icones testantur. Felicissimus itaque Imperatoris obitus anteactæ totius vitæ periodum, ad viuum ob oculos repręsentando quàm piè, ac laudabiliter Christũ hic vnus præ cunctis Principibus coluerit, & quàm constans tum fidei, tum Ecclesiæ propugnator extiterit, vel moriẽs sat clara posteris monumenta reliquit, vt idem Eusebius sic prosequitur: *Hæc* (ait) *exempla cum omnium mortalium Deus in solo Constantino qui ex omnibus Christianis maximè tandem aliquando Christianus declaratus est, nostris oculis proponeret, nimirum ostendere voluit, quantum inter eos intersit, qui ipsum, Christumque suum colere vellent, quique contrariam sectam sequerentur, idest qui Ecclesiæ eius bellum inferent, ipsum sibi hostem, et inimicum redderent, cuiusque vitæ exitus manifestũ argumentum præberet sua cum Deo inimicitia; quemadmodum Constantini extremus dies, quanta pietate Deum coluisset, apertè demonstrabat.* Hæc ille. Atquì Constantinopoli in Basilicæ Apostolorum atrio Princeps dignissimus à Constantio filio tumulatus est, cuius rei Chrysostomus item his planè verbis fidem facit: *Hìc quoque (Constantinopoli nempè) Constantinum Magnum filius ita demum ingenti honore se affecturum existimauit, si eum in Piscatoris vestibulo conderet: quodque Imperatoribus sunt in aulis ianitores, hoc in sepulchro Piscatoris sunt Imperatores, etc. hi enim pręclarè secum agi putarunt, si vestibuli ianua ipsis assignetur.*

Cõstantinus terris viuere definit, & Cœlo viuere incipit.

Bar. ubi sup. n. 11. 12. 13.

Eus. ubi sup.

Funus ipsius dignissimè celebratur.

Bar. ubi sup. n. 18.

Euseb. in vit. Constant. lib. 4. c. 74.

Digna laudum præconia Eusebij stylo post Constantini mortem decantata.

Chrysost. hom. 26. in epist. 2. ad Chorin.

Constantinopoli in Basilicæ Apostolorum atrio corpus ipsius a Constantio tumulatur.

11. Quo autem potissimum luctu, & quo animi mœrore, ac sensu vetus Roma Constantini obitũ sit prosequuta, sat illis Eusebius verbis visus est ostendisse, cùm ait: *Vt verè (inquit) Imperatorem*

Euseb. in Constantini vita ubi sup.

torem vita functum esse, Senatus, Populusque Romanus, ac tota Imperatoria Ciuitas accepisset, etc. Reliqua verò apud Baronium lector consulat. Christianissimi demum Principis tumulo isthęc laudum ipsius monimenta Victor meritò inscribit: *Commodissimus* (ait) *rebus multis fuit, calumnias sedare, legibus sincerissimis nutrire artes bonas, pręcipuè studia literarū: legere ipse, scribere, meditari, audire legationes, et querimonias Prouinciarum.* Cui Eutropius isthęc subtexit: *Ciuilibus artibus, et liberalibus studijs deditus erat, affectator iustitię, et amoris, quę omnino sibi, et liberalitate, et docilitate quæsiuit.* Quibus in rem præsentem narratis, vt nihil Constantini laudibus desit, hæc quoque, coronidis instar, perpetui monimenta decoris, digno ipsius Augustini stylo inscribimus: *Bonus* (inquit) *Deus ne homines, qui eum crederent propter æternam vitam colendum, has sublimitates, et Regna terrena existimarent posse neminem consequi, nisi Dæmonibus supplicaret, quòd hi spiritus in talibus multum valerent, Constantinum Imperatorem, non supplicantem Dæmonibus, sed ipsum verum Deum colentem, tantis terrenis impleuit muneribus, quanta optare nullus auderet*, etc. Et post multa: *Diù imperauit: Vniuersum Orbem Romanum vnus Augustus tenuit, et defendit: in administrandis, & gerendis bellis victoriosissimus fuit in tyrannis opprimendis per omnia prosperatus est: grandæuus ægritudine, et senectute defunctus est*, etc. Immortales itaque Constantino laudes, & omnimodam denique tum terris, tū Cœlo pariter Religio, pietas, ac pœnitentia à Deo sibi coronam promeruit. Et de his hactenus.

Victor in Constantino.

Sepulchralis Constantino titulus à Victore inscriptus.

Eutrop. lib. 10.

August. lib 5. de Ciuit. Dei c. 25.

Constātinus Magnus Augustinum laudatorem sortitus.

Bar. an. 372. n. 1.

12. Romanorum autem Principi adeò feliciter decedenti Arintheus vir domi, forisque clarus, haud incongruè iungendus est, qui anno Christi 372. sub Valentiniano, & Valente Principibus vnà cum Modesto Consulatum gessit, & & Sacro Christi baptismate expiatus feliciter demum exitu vitam conclusit. Hic vnus præ cœteris valdè pius, ac de Catholica Ecclesia optimè meritus, cùm ipsa suadente vxore Christo nomen dedisset, salutari sub vitæ finem ablutus Fonte, præclara tū viuens, tum moriens, pietatis monimenta reliquit, ac tandem non absque ingenti spe salutis decessit; de quo isthæc Basilius tradit: *Decessit* (inquit) *moriens splendidè, nec senectute decrepitus, nec aliqua parte celebritatis suę diminutionem passus, sed magnus adhuc in præsenti hac vita, & magnus in futura, nec ex præsenti splendore damni quidquam in futura, ac sperata gloria expertus; propterea quod in ipso vitæ exitu cunctam maculam lauacro regenerationis accepto purgauit, cuius rei cum illi conciliatrix, & operatrix fuerit, maximam ex ea consolationem cape, &c.* Hęc sanè de Viro consulari, & tum nomine, tum prosapia, ac virtute in primis conspicuo, Basilius in consolatoria, quam ad vxorem scripsit, epistola, vbi dignum Viro meritissimo eiusque pietati testimonium exhibens monumentum omni ære perennius, ac quouis sepulchrali lapide illustrius, suo quidem stylo visus est benemerenti statuisse, dum eum apprimè Catholicæ studiosum Ecclesiæ, ac defensorem appellans omni apud posteros laude cumulatissimum exhibet.

Arintheus domi, forisque clarus sub Valentiniano, & Valente Cōsul, sacro Christi baptismate culpas expiat, & vitæ finem illustrat.

Basil. epist. 5. in addit.

Magnus in præsenti vita & magnus pariter in futura.

Basilii ore maximè laudatus.

13. Sed vt quæ Basilius in pręmemoratis ad ipsius vxorē literis de Arinthei laudibus ingerit hic excipiamus. *Me* (ait) *pręcipua quadam tristitia repleuit, recogitantem, quo me vir ille sit honore prosequutus, tum qua sit Ecclesijs cōmuniter adempta gubernatio.* Quibus sanè Basilij verbis innuitur, Arianis videlicet quibusdam pulsis, Catholicos ipsius opere eisdem in publico munere suffectos. Nec his Basilius contentus, plura de eodem infra subtexens eius laudum præconia, dignamque cunctis ad viuum celeberrimi hominis imaginem, dignè ob oculos exhibet contemplandam, dū ait: *Erat quidem ille honestus, magnus, celebris, & animi virtutem robore corporis adęquabat, quod et ipse fateor, et vtroque nomine excellebat: attamen homo erat, et mortuus est, sicut Adam, sicut Abel, sicut Noe, sicut Abraham, sicut Moyses, & si quē alium eiusdem naturæ consortem nominaueris.* Hæc Basilius; quibus certè quid laudabilius, quid inter laudandum illustrius, & admirandum magis à Sanctissimo Præsule, egregio ipsius virtutum præcone, eius recolendo memoriam dici potuit. Sed nec militaris quidem rei lauream in prędaudato homine desi-

Basil. epist. 5. in addit.

Meritaipsius dignè ab ipso commemorantur.

Basilius vbi supra.

Quæ laudabiliter viuens præstitit summatim collecta

derari contigit, dum Persas inuadentes Armenos armatorũ exercitu ab eo cohibitos tradit, de quo Basilius isthæc: *Hac (inquit) clade latè diffusa Armenia omnis perysset, ni propugnatoris Arinthei aduentu territi Persa, eam incursare denuò distulissent.* Hæc ille, quibus nos Viro dignisimo, & benè de Ecclesia merito, ac vita tandem functo his verbis parentasse voluimus.

Basilius ubi supra.

Militaris quoque disciplinę gloria hominem apprimè cōmendat.

14. Præmemoratis verò hactenus alter nunc, Christi magis fide, ac baptismi gloria, quam ipsa clarus purpura, Albinus videlicet primùm Ethnicus, ac Gentilitiæ superstitionis Princeps simul, & Pontifex, adeoque infensus Christi, & Christianæ Religionis iam pridem hostis accedit; qui cùm Lætam filiam Toxotio Paulæ filio matrimonio iunxisset, pia eorundem consuetudine ad bonam denique frugem traductus, tota Vrbe præ rei nouitate stupente ex Ethnico repentè Christianus euasit, vt his Hieronymus verbis meminit: *Quis (inquit) hoc crederet, vt Albini Pontificis neptis de promissione Martyris nasceretur? vt præsente, et gaudente Auo, paruulæ adhuc lingua balbutiens Christi Alleluia resonaret? vt Virginem Christi in suo gremio nutriret senex? & benè, feliciterque expectauimus. Sancta, et fidelis domus virum sanctificat infidelem. Iam candidatus est fidei, quem filiorum, nepotum credens turba circumdat. Ego puto etiam, ipsum Iouem si habuisset talem cognationē, potuisse in Christum credere.* Hæc ille. Et mira quidem inopina, & quæ præter expectationem contigit, Ethnici hominis iam senis, & ad vitæ occasum è superstitionibus properantis cōuersio ad Christum, piarum profectò fœminarum tum exemplo, tum familiari consortio tribuenda est: *Et grande sanè* (vt refert Baronius) *miraculum potuisse senem renasci denuò, ac Idolorum Pontificem in extrema fidelium Classe profiteri, et incipere discere Religionis elementa, qui apud suos sacrorum agebat Antistitem: et decrepitum senem à nepte infantula balbutiente deprompta reddere Alleluia, quam ipsa mater Læta, sanctissima fœmina cupida despondere Virginem Christo, ab eodem S. Hieronymo petyt, et accepit de institutione eiusdem filiæ epistolam parœneticam, qua ipsa quan-*

Bar. an. 382 n. 42.

Albinus primum Ethnicus, & gentilitię superstitionis vōtifex, postea insignis inter Christianos.

Hieronymus epist. 7.

Cui Albini cōuersio ad Christũ fidē sit adscribēda ex Hieronymo.

Baronius ubi sup. n. 42.

Miraculum grande senem, ac Ethnicum hominem sub vitæ finem Christo renasci,

tum profecerit, illud modò satis sit indicasse, eandem ætate auctam ad Auiam Paulā Hierosolymam adnauigasse, ibique cū S. Eustochio in Sancta Deo dicata Virginitate consenuisse. Hæc ille, quibus Albinum à nobili, ac virtutibus exculta prosapia, à qua originario velut è fonte Christi fidem hausit, immensis efferre præconijs non desinit.

15. Atquì Vir tantus, & qui Gentilitiæ quondam superstitionis Pontificem agebat, Præfecturam quoque Vrbis sub Theodosio Imperatore dignè, ac laudabiliter gessit, ad quem illud Valentiniani Theodosij, & Arcadij Imperatorum contra maleficos rescriptum his planè verbis legitur: *Imperatores Valentinianus, Theodosius, et Arcadius AAA. Albino P. V. Quicunque maleficiorum labe pollutum audierit, deprehenderit, occupauerit, illicò ad publicum protrahat, et iudiciorum oculis communis hostem salutis ostendat. Quod si quisquam ex agitatoribus, siue ex quolibet alio genere hominum contra hoc interdictum venire tentauerit, aut clandestinis supplicys etiam manifestū reum maleficę artis suppresserit: vltimum supplicium non euadat geminæ suspicioni obnoxius; quod autem publicum reum, ne facinoris socios publicaret, seueritati legum et debita subtraxerit quæstioni; aut propriū fortassis inimicum sub huius vindictæ nomine supplicio atrociore confecerit. Datum 17. Kal. Septembris Romæ, Timasio, et Promoto Consulibus.* Congruè autem Albino, qui superstitionis olim impiæ Pontificem, non absque laudibus gessit, & pro inanium cultu Deorũ sic strenuè contendit, à Christianis subindè Principibus, dum Vrbis Præfecturam præseferret, contra maleficos vindicandi prouincia demandata est; vt Christianus videlicet iam effectus pro Christo, & Religione aduersus impios, ac maleficos iustæ gladium vltionis exereret.

Bar. an. 389. num. 61.

Albinus nedum gentilium Pontifex, sed & sub Theodosio Imperatore Vrbis Præfectus,

F. l. 1. de maleficis. & Theodos.

Cōgruè Albino Vrbis Prefecto cōtra maleficos ab Imperatore animaduertendi cura iniungitur, vt æquè pro Christo, ac eius Religione zelū exerceat.

16. Clarissimum denique Virum, qui iam senio confectus, Deo aspirante, ad Christi fidem peruenit, dum bonis subindè operibus intendit, feliciter diem clausisse nemo est, qui ambigat; adeò vt qui zelum præ cæteris pro retinenda Gentilium impietate, ac propaganda primum prætulit, parem quoque ipsemet pro tuendo ipsius Christi, ac amplificandæ

Pari ergā Christi Religionē, ac pridem erga noaes Deos eorumque cultum zelo suspiciendus fuerat.

Apost.
Hieron. ep. 7.

ficandæ Religionis cultu (vti credere par est) exhibuerit, quo illud Apostoli sic adimpleretur: *Sicut exhibuistis membra vestra seruire iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete seruire iustitiæ, etc. Sancta quippè* (vt Hieronymus optimè iuxta Apostoli verbum conijcit) *Sancta* (inquam) *et fidelis domus virum sanctificat infidelem*. Albinus igitur, ne dum tam nobili agnatorum permotus exemplo, ac Dei præuentus gratia, in Christum credēs, Baptismo initiatus est, sed & pęnitentiæ insuper addictus operibus salutem animæ lucratus est.

Albinus ne dum baptismo iam senex initiatus, sed & pœnitentiæ summoperè addictus.

Bar an 388. num. 71.

In Cœlum nonnisi per salutares baptismi aquas aditus, & ad perennem vitam transitus.

17. Quoniam verò *nisi quis renatus fuerit* (inquit Christus) *ex aqua, et Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum Dei*; nonnisi per Diuinum salutaris Baptismi Fontem aditus homini ad vitam patet. Quapropter baptismalis aquæ, vel sub extremam vitę periodum virtute saluari hominē, & nōnisi magno ipsius Dei munere, ac singularis beneficij pręrogatiua contingit, vt Augustinus de suo olim amico, ac sodali studiorum charissimo baptismi aquis initiato, & sic Dei Regnum feliciter intrante his planè verbis tradit: *In illis* (inquit) *annis, quo primùm tempore in Municipio, quo natus sum, docere cęperam, comparaueram amicum societate studiorum nimis charum, coęuum mihi, et conflorentem flore adolescentiæ, mecum puer creuerat, et pariter in scholam ieramus, pariterque luseramus: sed nondum sic erat amicus; quanquam nec tunc quidem, sicuti est vera amicitia, quia non est vera, nisi cum eam tu agglutinas inter inhærentes tibi charitate diffusa in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis; sed tamen dulcis erat, et nimis cocta feruore parilium studiorum. Nam à fide vera, quam etsi germanitus, et penitus adolescens tenebat, deflexerā eum in superstitiosas fabellas, et perniciosas, propter quas plangebat me Mater: mecum iam errabat in animo homo ille, et non poterat anima mea sine illo. Et ecce tu imminens dorso fugitiuorum tuorum Deus vltionum, et fons misericordiarum, simulque conuertens nos ad te miris modis, ecce abstulisti hominem de hac vita, cum expleuisset annū in amicitia mea, suauis mihi super omnes suauitates vitæ meæ. Quis laudes tuas enumerat, vnus in se vno quas expertus est. Quid tunc fecisti Deus meus, et quàm inuestigabilis abyssus iudiciorum tuorum? cū enim laboraret ille febribus, iacuit diù sine sensu in sudore lethali. Et cum desperaretur, baptizatus est nesciens, me non curante, et præsumente id retinere potius animam eius, quod à me non acceperat, non quod in nescientis corpore fiebat. Longè autem aliter erat. Nam recreatus est, et saluus factus; statimque vt primùm cum eo loqui potui (potui autem mox, vt ille potuit, quoniā non discedebam, et nimis pendebamus ex inuicem) tentaui apud illum irridere, tanquam et illo irrisuro mecum baptismum, quem acceperat, mente, atque sensu absentissimus, sed tamen iam se accepisse didicerat. At ille ita me exhorruit, vt inimicū admonuit admirabili, et repentina libertate, vt si amicus esse vellem, talia sibi dicere desinerem. Ego autem stupefactus, atque turbatus, distuli omnes motus meos, vt conualescens prius, essetq; idoneus viribus valetudinis, cum quo agere possem, quod vellem, sed ille abreptus demētiæ meæ, vt apud te seruaret cōsolationi meæ post paucos dies me absente repetitur febribus, et defungitur. Quo dolore contenebratum est cor meū, et quicquid aspiciebam, mors erat, et erat mihi patria supplicium, et paterna domus mira infelicitas, etc. Solus fletus erat dulcis mihi, et successerat amico in delicijs animi mei*. Sic planè Augustinus amici, quem vnicè diligebat, amarissimè interitum fleuit, cui magis profectò ob vitam, quā per Diuinum Christi baptisma lucratus alter fuerat, gaudendum, gratulandumque amplius fuerat, & ab amico risu potius, quàm lachrymis demortuo parentandum.

August. confess. lib. 4. cap. 4.

Augustini sodalis, & amicus sub vitæ finem baptismo initiatur.

Quam immensè ipsum Augustinus dilexerit.

Adolescens graue morbo correptus ferè sine sensu in lectulo iacens, & iam à Medicis desperatus nesciens baptizatus.

Baptismum sibi exhibitum sic ratū habuit, vt irridētem sibi Augustinum, velut hostem haberet, non vti amicū.

Haud multò post baptismum infirmus moritur, & Augustinus defunctum luget.

Bar an. 416. num. 16.

Martialis vir ethnicus floribus B. Stephani Protomartyris reliquiarum tactu, sacro baptismo protinus ablui ab Episcopo poscit.

18. Quod quidem & Martiali Viro olim Ethnico diuinitus contigit, qui dū insano superstitionum errore detentus, in ipsismet tenebris palpans, longiùs à salutis via aberrat, ac frustrà periculi admonetur, Beatiss. Mart. Stephani meritis æternæ desuper lucis, ac vitæ donū accepit. Enimverò cum eius gener ad sacrā ipsius B. Christi Mart. ædem se conferens flores indè tota animi deuotione ablatos, fiducialiter homini admouisset, is repentè profundiori velut è somno euigilans, Baptismali fonte se ab Episcopo ablui poposcit. At quod maius est, statim atque Baptismo de more ini-

tiatus est, vt cuius meritis Baptismi gratiam, ac fidei donum accepisset, palàm cunctis fieret, cum ipse dissolui cuperet, & esse cum Christo, ipsamet nouissima Beati Stephani Protomartyris verba in ore iugiter habuit: *Christe accipe spiritũ meum*, quæ & repetens nouissimè his planè demùm verbis Beatissimi Leuitæ spiritum æmulatus, ipsum Deo, quem acceperat Deo iam expiatus vitæ spiritum reddidit. Sed Augustinus hìc consulendus, qui inter cœtera, quæ B. ipsius Leuitæ meritis contigere portenta, isthæc in libris, quos de Ciuitate Dei conscripsit his verbis narrat:

Prothomartyris verba repetens, ac dicens: *Christe accipe spiritum meũ*, animam efflat.

August. lib. de Ciu. Dei.

August. lib. 6 de diuersis ser. 3. & 33

19. *Fuit ibi Vir* (inquit) *in ordine suo primarius nomine Martialis, euo iam grauis, et multùm à Religione abhorrens Christiana. Habebat sanè fidelem filium, et generum eodem anno baptizatum, qui cũ eum ægrotantem multis, et magnis precibus et lacrymis rogarent, vt Christianus fieret: prorsus abnuit, eosque à se turbida indignatione submouit. Visum est genero eius, vt iret ad memoriam S. Stephani, vt illic pro eo, quantum posset, oraret, vt Deus illi donaret mentem bonam, qua credere non differret in Christum. Fecit hoc ingenti gemitu, & fletu, & sinceriter ardenti pietatis affectu. Deindè abscedens, aliquid de Altari florum, quod occurrit, tulit, eique, cum iam nox esset, ad caput posuit. Tunc dormitum est: Et ecce ante diluculum clamat, vt ad Episcopum curreretur, qui mecũ fortè tunc erat apud Hipponem. Cum ergo audisset eum absentem venire, Presbyteros postulauit. Venerunt, et statim se credere dixit. Admirantibus, atque gaudentibus omnibus, baptizatus est. Hic quandiù vixit, in ore habebat: Christe suscipe spiritũ meum; Cum hæc verba Beatissimi Stephani, quandò lapidatus est à Iudæis, vltima fuisse nesciret, quæ huic quoque vltima fuerunt; nam non multò post etiam ipse defunctus est.* Hæc Augustinus. Quis autem supernum istud B. Protomartyris Stephani patrocinio, diuinæ fidei lumẽ, ac beatæ spei, atq; salutis initia homini præter spem affulsisse addubitet, cui nescienti ipsamet, quæ Protomartyr in supremo agone viriliter decertans, in ore habuit, sic verba inhæsere, vt & ipse eadem pariter iam iam moriturus deuotè repetens, quam electus pugil amoris, & piæ charitatis legem è Cœlo inter saxorum procellas diuinitus hausit, ore se ipsum Deo commendans eructaret.

Rogatus pridem instantius à filio, & genero, vt Christianus fieret vtrumq; indignè à se repulit.

Floribus sacris ipsius capiti admotis, mox Episcopum, & Sacerdotes pro impetiendo sibi baptismate compellat.

Actuum Apost. cap. 7.

Suprema B. Stephani verba repetens suauiter moritur.

20. Idem ferè Iudæus olim, ac inter cœteros præcipuus, mirabili Dei virtute, ac B. Sergij item Martyris ope expertus est, qui à flammis, quibus legũ vi, ac censura fuit addictus, liber proindè ab ignibus ad salutares Baptismi aquas profugiens, suum mirificè Christo nomen dedit, diuinisque mysterijs initiatus, cùm filios item Christo aggregasset, totum se Martyris obsequio dicauit, ac sancto itidem fine, pœnitentiæ operibus insistens, vitam cum Christo feliciter diues absoluit, de quo isthæc Nicephorus: *Archisynagogus* (inquit) *inter Iudæos quidam cum pueris duobus in tumultu concitato: perindè atque ipse auctor fuisset, correptus, et à Viro consulari cruciatus est. Is autem inter tormenta varia illud tantùm vociferatus est: O Deus S. Sergi adiuua me.* Ita planè cum apud Christianos mirus erga B. Sergium deuotionis cultus tunc vigeret, & ad eius sepulchrum pius apud Christianos peregrinandi, ipsumque inuocandi mos foret; Iudæus quoque pro se ipsum vehementiùs exorat, vt sic auctor prosequitur: *Addebat* (ait) *hæc verba: S. Sergi, tu vosti. Iudices porrò fingere, ac simulare hæc Hebræum putantes, ad ignem, vt viuus combureretur, condemnarunt. Et ecce in medio flammæ equites duo, candidis induti stolis apparentes, horis multis intactum conseruauerunt. Et multitudo in flammam insiliens, hominem indè eripuit. Qui deindè baptizatus Sergius nominatus est. Atque ille non minùs mente quoque illuminatus, substantia sua, quam habuit, vendita, in Pyra eius loco amplissimum Sergio Martyri Templum construxit, vbi capite raso reliquam iuxta Dei beneplacitum vitam exegit. Idem duo eius effecere pueri, nominibus suis in Sergij, & Bacchi nomina mutatis.* Sic ingenti planè Iudæus portento præpotentem Dei virtutem B. Sergij opem implorãdo edoctus, ac mox optatam è Cœlo animæ curam expertus, totum se pijs deuouendo operibus, beatũ denique vitæ finem accepit.

Baron. ann. 471. n. 33.

Iudæus B. Sergij martyris ope ab igne liberatus, baptismi aquis abluitur, ac se feliciter vitã concludit.

Nicephorus lib. 15. c. 27.

Miro erga B. Sergium mart. cultu Iudæus permotus ipsũ pro se inter cruciatus precatur.

Nicephorus vbi supra.

Baptizatus Sergius appellari vult

Templum Martyri suis sumptibus ædificat, ibi que eius se dicat obsequio.

21. Atquì nuper à nobis assertis pro Baptismo testatissimus alter, ac omni pariter dignus fide testis accedat Vo-

lusia-

Baronius an. 434. n. 8.

lusianus, vir generis nobilitate, ac eruditione præcellens frater Albinæ, quæ Melaniæ iunioris Mater fuit; Hic gentilitijs erroribus apprimè deditus, cum nec conscriptis ad ipsum ab Augustino epistolis, vt Catholicæ religionis veritati acquiescens Christo nomẽ daret, suaderi nõ posset, sed cũcta incassum fierẽt suis miser adhuc erroribus pertinacissimè inhærebat. Quippe qui cum Apollonio, & Apuleio Magicarum superstitionum magistris, ac professoribus arctissimo amicitiæ vinculo tenebatur. Demum ad Eudociam Augustam Constantinopolim legatus directus, & iam ipsius Vrbis Romæ Præfectus designatus, dum graui morbo corripitur, Melaniam iuniorem neptem ab Hierosolymis ad se accersiri voluit, à qua postmodum ad Christi mirabiliter fidem traductus, ac salutari initiatus baptismo, tutus è vita pœnitentium in morẽ decessit. Sed rem ex Melaniæ actis apud Metaphrastem repetere operæ pretium est his planè verbis: *Redduntur* (inquit) *Melania litera ab eius patruo Volusiano, qui illo quidem tempore creatus erat Præfectus Romana Ciuitatis, missus verò erat legatus Byzantium ad Eudociam Imperatricem. Hoc autem significabat epistola, quod iamdudum illam videre desideraret. Illa verò cupiebat, & ipsa quoque videre patruum, & ei persuadere, vt à Gentilium desisteret opinione. Dubia autem animi, nequid imprudens faceret præter id, quod Deo videbatur, cum aliquibus alijs Monachis rem communicasset: permitterent autem illi, vt posset proficisci: egreditur Hierosolymis ipsa beata Melania, Constantinopolim versus arripiens iter, &c.* At vbi beata fœmina Byzantium tandem peruenit, nil siquidem curæ magis habuit, quàm ęgrotantem ad sacri rite suscipienda sacramenta baptismatis, patruum exhortari. Sed quid suis tandẽ apud ipsum in suo adhuc errore animo persistentẽ tum dictis, tum factis, & verbo pariter, ac opere, exemplisq; ad pœnitentiam amplexandam suadendo profecerit, sic in supradictis actis traditur.

> Volusianus vir genere, & eruditione clarus frustrà, vt Christianus fieret, suadetur.
>
> Apollonio & Apuleio maghis inhæreus.
>
> *Metraphrastes de Ianuary.*
>
> *Surius to. 1.*
>
> Constantinopolim legatus ad Augustam directus, & Vrbis præfectus designatus, morbo præuentus Melaniam neptem accersit aqua ad Christum traducitur.
>
> Melania patruum videre, & ad Christum conuertere cupit:
>
> *Metraph. vbi supra.*
>
> Volusianus fœmineę habitum videns pię stupore attonitus quid exclamet.

22. *Inuenit Auum suum quoque Volusianum graui morbo oppressum, qui eius habitum admirans, formamquè, & vestitus incredibili ex inopinata stupefactus mutatione (extenuatus enim admodum erat vultus eius exercitatione) magna voce exclamauit: O qualem ex quali te video Melania charissima? Illa verò ex eius sermone sumpta occasione: A me quoque (inquit) disce ò beate patrue, & accipe iudicium futurorum bonorum; nam nec ego tantam despicatui gloriam habuissem, nec pecuniam, nec abiecissem curam ipsius corporis nisi persuasum haberem, me his propediem longè maiora accepturam. Non autem per se solam, sed per multos quoque alios in eius mentem sensim irrepebat beata Melania, & eius falsam religionem studebat labefactare; sicut etiam per sapientissimum Proculum, cuius fidei tunc erat creditus sacer clauus Ecclesię Constantinopolitanę. Qui cum ad eum venisset, & suasu beata Melania eum ad pietatem dirigeret: is dicitur illam adeò esse admiratus, vt etiam dixerit post cognitam veritatem, quòd si Roma tres haberet tales, nec illic quidem nomen vnquam audiretur Gentilium. Sed hęc quidem postea:* Quo autem pia mulier lucrandi zelo patrui teneretur, his infrà verbis auctor testatur: *Postquam* (inquit) *Volusianus sensit, Melaniam velle Imperatorem quoque ad id incitare, veritus protinus, ne violentus, & non voluntarius putaretur esse baptismus, & quam ex eo esset consequuturus, ipse mercede priuaretur, eam à capto prohibuit. Et is quidem (vt dicemus paulò post) rem à se impleuit, & abiurata Gentilium opinione, traductus est ad Christum.* At pia mulier eo patrui salutem studio animi quæsiuit, vt nil antiquius habuerit, quàm ipsum baptismalibus expiatum aquis denuò natum Christo videre; sic enim scriptor ipsius historiã prosequitur: *Accedit aliquis* (inquit) *renuncians patruum Volusianum venisse in periculum, nè repentina morte vitam mox finiret, &c.* Sapientissimis itaque pia, ac virilis mulier dictis, monitisquè institit, vt in suis quàm plures erroribus ad sanctam, atque orthodoxam fidem aberrantes traduceret, quamuis Dæmõ sua cadere, atque infringi arma pręsentiens, eiusque acriter votis obsistens nõ omnem moueret lapidem, vt eam à suscepto mentis proposito abduceret, ac verba vitæ ab ore ipsius auferret; At mulier Christo præsidens optatam ex

> Melania quid patruo illius saluti, opportune respondeat.
>
> Proculus Constantinopoli Episcopus quid Melaniæ pietatem admiratus dixerit.
>
> *In actis Melania vbi sup.*
>
> Melania Imperatorẽ ad suscipiendum baptismum incitare cupit.
>
> Dæmon Melaniæ obsistens ipsius frustrari vota contẽdit.

tharta-

tartaro quotidie pugnando inualescens palmam retulit. Nam & multos Christo lucrata, patruum quoque laborantē pro animæ negotio validioribus armis aggressa, vt tandem Christo nomen daret, feliciter est assequuta, pro vt ipsius acta sic perhibent.

Melania non quod patruus moreretur, sed mortem subiret animæ angebatur,

23 *Hoc postquam illa audiuit, et vix propter dolorem coxendicis se posset mouere, manibus, & lectica protinus ad eum vecta proficiscitur; Valdè enim angebatur animo, non quod ille moreretur, sed quòd mortem subiret animæ, vt qui baptismi incorruptionem, nondum esset assequutus. Deinde venit quidam alius, ei significans, Volusianum esse baptizatum, & cùm eam sæpe quæsitam non inuenisset, sed eam morbo detineri didicisset, alium ducem rursus nactus, per illum fit filius lucis, & baptismum consequitur. Cùm hac ei dicta essent, cum dolore animæ prorsus cessauit etiam morbus corporis, &c. Deinde cum venisset ad patruum, & verbis eum confirmasset, & de ea, quæ illic est vita disseruisset, lætum, & bona spe præditum transmisit ad viam, quæ ducit ad Deum, cum pulcherrimo Viatico, nempe pretioso Christi corpore, & sanguine eum instruxisset, & sic vt tutò recederet, perfecisset.* Hæc ibi. Haud suis itaque Deus votis fœminam frustrari permisit. Patruum quippè, qui iam se Christo adiunxerat, cum morte colluctantem, Dominici item corporis Sacramento munitum, & bona suffultum spe ex hac mortali vita feliciter ad Christum trāsmisit.

Ægrota aū diēs patruū baptizatum curat dolorē animæ, & corporis, & morbus cessauit.

Baronius vbi supr. nu. 12. & 13.

Sacramentis Ecclesię munitū patruū in Cœlum transmisit.

24. Porrò pro nobili, fastoso, & clari adeò nominis viro ad Christi fidem traducendo quàm multi etsi frustrà, pridem strenuè laborarunt; & Marcellinus quidem, cuius digna in lib. de Ciuitate Dei mentio est, & qui matris eiusdem hortatu ad Christi fidem, ipsū adducere conabatur, illhęc nimirum ad Augustinum scribendo tradit. *Est nobis* (inquit) *cum eodem Volusiano quotidiana pro viribus nostris, & pro ingenij paruitate disputatio: Sanctæ siquidem matris eius precatione compulsus, cura mihi, vt eam frequenter salutandi gratia conuenirem; licet vicem in hac parte reddere etiam ipse dignetur.* Volusianus namq; Carthagine tunc temporis morabatur,

August. epist. 4 ad Marcellinum

Pro Volusiano ad Christum traducendo frustra multorū labor desudat.

vbi & Marcellinus pariter degebat; sed & Augustinus pijs frequenter hominem sermonibus conuenire haud destitit, vt Christi fidē amplectens, Idololatriæ nūcium remitteret. Quapropter suis eūdem epistolis acriter excitans, viam salutis ostendit, vt de Christianę fidei veritate sollicitus inquireret, peruestigaretquè; In epistolis quippè, quas primùm ad eum scripsit, hæc habet: *De salute tua* (inquit) *quam et in hoc sæculo, et in Christo esse cupio, Sanctæ matris tuæ votis sum fortasse etiam non impar.* Hortabatur etenim ipsum assiduè, vt scripturas frequenter perlegeret, & si quid in illis difficultatis obreperet, ad se subinde rescriberet. His igitur acceptis literis, multa Volusianus peruestigando respondit, ac epistolam, præclaris Augustinum præconijs laudum extollens, his demum verbis concludit. *Interest* (inquit) *famæ tuæ, vt quæsita nouerimus. Vtcunque absque detrimento cultus diuini in alijs Sacerdotibus toleratur inscitia, at cum ad Antistitem Augustinum venitur, legi deest, quidquid contigit ignorari.* Hęc ipse condigno nimirum elogio Doctorem Sanctissimum celebrans; sed quòd vir tantus in perfido inanium Deorum cultu ad obitum vsque permanserit, nonnisi praua ipsius mens ob Magorū cultum, vt diximus, in transuersum acta ipsi maximè in causa fuit; Apollonij namque Tyanei, & Apuleii Magorum apprimè se studiosum exhibuit. Quod verò diuinæ tandem ipsemet credendo gratiæ compos fieret, ac supernę fidei signaculo per Christi baptismū sub vitæ finem sit obsignatus non nisi assiduæ matris, & ardentissimæ ad Deum preces id totum feliciter impetrarunt, ac Melania præsertim eiusdē neptis, quod tamen Sanctissimus Doctor, ac Marcellinus pietate præstantes neutiquam monendo, ac suadendo consequi potuerant.

Baronius an. 411. nu. 18.

August. epist. 3. ad Volusianum.

Augustinus pro Volusiano lucrando & Ecclesiæ aggregando in primis sollicitus.

Epist. Volusiani ad Augustinum.

Consuetudo, & familiaritas cum Maghis cur tandiu ipse idololatria immobilis mansisset, causa extitit.

Matris precibus, ac Melaniæ pietati ipsius conuersio adscribenda.

25. Tanto autem viro, qui pœnitentiæ item clypeo, Sacramentisquè munitus è vita pio tandem fine decessit, sepulchralis instar tituli, ipsius Baronij verba subtexenda meritò hic sunt: *Erat* (inquit) *Volusianus homo gētilis inter Romanos, ac nobilitate nulli secundus, & Philosophicis disciplinis imbutus,*

Baronius an. 412. n. 26

Elogium Volusiano conceptis à Baronio verbis inscribitur.

tus, inter primos Philosophos adnumerandus, cuius mater Christiana fœmina religiosissima erat: quę occasionem nacta profectionis Marcellini in Africam, apud ipsum sollicitè egit, ut ageret cum Augustino, quem fama sciret omnium disertissimum, uti scriptis suis Volusianum filium ad fidem Christianam amplexandam omni studio adhibito conaretur adducere, &c. Quod autem ad genus, & familiam Volusiani pertinet, extant quidem de his memoriæ in veteribus inscriptionibus, & de Volusiano Præfecto Vrbis sub Valentiniano Imperatore, in quibus nomen eius inscribitur, &c. Hæc ille. Quod igitur ad perãtiquum familiæ decus spectat, eumdem sub Valentiniano Imperatore Vrbis Pręfecturam, & Proconsulatum in Africa adhuc gentilem gessisse, Rutilius Naumatianus, intima illi amicitia iunctus his verbis tradit:

Nobilis Volusiani antiquis temporibus prosapia.

Iamquè alijs Roma redeuntibus hæret eunti,
Si fas est dictis fidere, Consul erit.

Rutilius carm.

Quæ quidem meritò, nobilissimi instar tituli viro apprime claro inscribenda voluimus, & hæc satis.

Ianus Nicius Erithaeus ext. pl. virt. & vit. exemp. 59

26. Verùm quia fides Dei donum est, hæc nonnisi peculiari ipsius nutu homini contingit, vt tum antiquæ, tum recẽsioris memoriæ exẽplis euincitur; & præsertim ex his, quæ Nicius in suis paginis tradit, cuius vt hìc verbis vtamur: *Quod homines* (inquit) *Deus ex natura præscripto vitam agentes non deserat, neque sine Christianis sacris interire patiatur, tum aliàs sæpe, tum hac nostra memoria in quodam Turca mirum in modum apparuit. Petrus Aleona Societatis Iesu, Siculus Marco Cornelio Episcopo Patauino, mihique narrauit, olim Regis Hispaniarum classem ex Insula Sicilia in Africam soluisse eo consilio, ut afficeret eas regiones clade, se autem præda locupletaret; & classem quidem eò esse appulsam, & milites in terram egressos, sed neque esse ausos quemquam bello lacessere, neque captiuum in seruitutem abducere, extra unum Turcam annos natum propè nonaginta, quem naui impositum in Siciliam detulerunt, & rogatum, num vellet Christianus fieri, respondisse aiebat, nihil sibi longius videri, quam dum Christiana sacra perciperet. Itaque statim sacro regenerationis lauacro fuisse lustratum; tum eam illi Prouinciam traditam, ut pro eo Xenodochio, ubi alebatur, à populo stipem exigeret; postremò paucos post annos, ac menses egregiè eo munere functum, diem extremum obijsse. Sed cum quærerent, & inuestigarent, quibus prędìtus moribus in vita fuisset, inueniebant eumdem congruenter naturæ vixisse, & pauperum Christianorum inopiam pro opibus subleuasse; quamobrem palam factum est omnibus diuino consilio eam classem fuisse comparatam, & instructam, tantaque celeritate in Africæ litus impulsam, ut hominem unum exciperet, ac Christianis sacris imbutum, in æternæ salutis portum adueheret.* Et congruè; Hic enim vnus ouiculæ adinstar, quæ nonagesimum nonum in Euangelicis tabulis explebat numerum eius ad viuum vicem, ac partes contemplantibus exhibuit; quam Pastor amantissimus humeris impositam, & à periculis ereptam, intrà secretiora ouilis septa gestiens, ac summo cum gaudio reduxit.

Quidã Turca nonagenarius probè naturæ lumini respondens, à Deo ad fidem adducitur.

Vnus hic Hispanorũ classe in Africã traicienti pręda cædit, qui summopere Baptismum cupiebat.

Baptizatus non multo post moritur, & ideo ad baptismũ peruenit vir adeo senex, eo quod probè iuxta naturæ ductum viuens eleemosynas faceret in causa fuisse innotuit.

27. Quod vt alijs item exemplis comprobetur, prælaudati Auctoris verba repetenda hic sunt: *Hebræus quidam* (inquit) *quo tempore Octauius Bandinus, qui postea à Clemente VIII. in Collegium Cardinalium cooptatus est, Ciuitati Bononiæ cum imperio, & potestate pręerat, &c. manifestò in flagitio cum puero Christiano deprehensus, quod crimen cum inficiari non posset, Iudicum sententiã, damnatur ad mortem, qui statim cœpit summa vi petere, ut Sacro Baptismatis Fonte ablueretur, se enim nolle, nisi Christianum ex hac vita decedere. At ne existimarent homines Christianæ Religionis simulatione aliquod mortis effugium exquirere (nam Ecclesię mos est Iudęis, alijsque verę Religionis expertibus, si christiana sacra recipiant; quamlibet noxam quantumuis capitalem dimittere, eosdemque ex reis eximere) ne tale, inquam, aliquid de se homines suspicarentur, vetuit sibi ignosci, æquissimoque animo, mortis supplicio suis flagitijs debito caput obiecit: atque ęgrè impetratum est ab eo, ut nollet, sicuti decretum fuerat, suspendio sibi animam adimi, sed pateretur saltem se honestiori mortis genere affici. Itaque Baptismo ex ipsius voto lustratus, candidis, ità ut erat vestibus de more indutus, morti se obtulit, & cum antea non pauca pœnitentis animi, &*

Nicius vbi sup. exemp. 65

Iudæus patibulo ob crimen destinatus Baptismo se donari instantissime poscit.

Haud se à mortis pœna absolui vult, nè ideo Baptismum suscepisse credatur, quo se à mortis sententia redimeret.

Bbbb *diuini*

diuini amoris igne succensi signa dedisset, dulcissimum Iesu Christi nomen identidem inuocans, securi caput obiecit, atque animam ei, à quo redempta fuerat, reddidit. Sic fœlix in sanguine agni dealbatus reserata sibi per Baptismi lauacrum Cœlorum ianua, vitam finiuit.

Albis indutus vestibus capite plectitur.

28. Idem quoque suo post Iudæum hominem infidelis alter Turca Mahumeticæ legis sectator exemplo docuit, qui perennis lucrandæ vitæ desiderio adductus, & iam iam morti proximus, sacro se Baptismo ablui instantissimè poscens, haud votis frustratus est; adeoque vbi ipsum vita deficeret, nedum salutis viam, sed & ipsam immortalitatis vitã adinuenit diuinitus, vt Nicius his planè verbis rem tradit: *Narrat* (inquit) *Alexander Zambeccarius Bononiensis miles Hierosolymitanus, classem Melitensium aduersus prędones soluisse, ac proxima illi Insulæ Maria excurrentem in Turcarum triremes incidisse. Quamobrem fuisse necesse cum illis prælio contendere, in quo multum vtrinque fusum est sanguinis; verùm Dei beneficio nostros superiores discessisse; sed postea prælio confecto, cum saucij curarentur, animaduersum fuisse (inquit) vnum ex captiuis Turcam multis confectum vulneribus in vltima triremi iacentem, atque ad eum curandum Medicum quoque missum fuisse, sed proxima nocte excitatum à somno cœpisse illum clamare, ac Sacerdotem summa vi petere, à quo baptismatis lauacro ablueretur; nam velle se Christianam Fidem amplecti. Cumque concursus ad eum fierent, ac de eodem quæreretur, quæ noua illi res eam mentem iniecisset, respondisse, sibi visam esse in quiete mulierem egregia forma, ac veste indutam candida dicere, vt si saluus esse vellet, aliquem aduocaret, qui Christianis ipsum sacris imbueret. Quapropter se tanta fuisse Baptismi cupiditate inflammatum, vt eius desiderij æstum ferre non posset; Itaque cum statim sacro Fonte ablutum fuisse. Illud verò idem Zambeccarius de hoc homine nouum, & incredibile narrat, quod etiam suis se oculis accepisse testatur, quod simul ac ablutus est, ex atro, sædoque eam repente pulchritudinem, candoremque contraxisse, vt omnia in eo Angeli, quàm hominis similiora viderentur.* Hæc ille mira profectò, quæ per baptismum homini contigit nouitas, & supernæ item nouitatis gratia externis quoque, manifestisque in cutè signis affulsit.

Nicius vbi sup cimep. 65

Turca alter sub vitæ finẽ Baptismi Sacramento se initiari enixe postulat.

Confectus vulneribus, & iam iam mortuus in Christo renasci vult.

Media nocte à somno excitatus, pro Baptismo Sacerdotẽ accersit, & a speciosa muliere se de baptismo suscipiendo premonitum affirmat.

Baptizatus ex atro candidus, et Angelo ob pulchritudinem similis euadit.

29. Porrò quia nobis isthæc narrandi adhuc opportuna se offert occasio, hic quoque aptè in rem facit, quod alter nouissimi sæculi scriptor Dominicus Ottonellus Societatis Iesu Sacerdos in suis Moralibus Italico sermone paginis de Ethnico sub vitæ finem, Deo aspirante, ad Fidei veritatem traducto, ac baptismali fonte abluto, hunc in modum tradit: *Vir quidam* (inquit) *ætatis iam propè centenarius, qui in Gentilitatis adhuc errore permanens, pluriumque obscænarum mulierum amore abductus, res Christianæ fidei aniles prorsus nugas computabat. Huius lucrandi Sacerdos Societatis Iesu percupidus, ipsum ob impuros vitæ mores admonens, atque obiurgans, vt festinus à libidinis cæno pedem contraheret, & Christi fidem amplecteretur; iugiter admonens suadebat; sed alter salutis monita, monentemque simul contemnens, Vrbe excedens, in Villam vnà simul cum impudicis fœminis abijt. Porrò dum miser ibi degit, diabolus sub ementita amici larua, videndum se illi præbet, et vt ad Ciuitatem remeans, consuetis ibi pro libitu voluptatibus indulgeat, exhortatur. At ille amici mox dictis annuens, concito gradu in Ciuitatem redit. Re autem comperta vir Dei suis iterum eumdem leniter, salubriterque dictis, quò Christo lucrifaceret, præmonere non cessat. E contrà verò senex inueteratus dierum malorum, haud amplius se ab amico acriter reprehendi sustinens, in secretiorem quendam locum secessit, ita vt reperire illum nemo, nec Sacerdos alloqui posset. Quid igitur Vir Dei? haud animum despondens, quem verbis, monitisque amplius pulsare non poterat, validis pro eo precibus apud Deum instabat, adeoque pro salute ipsius deprecans, nouies pro detentis in Purgatorio animabus Missæ sacrificium, eius obtinenda salutis gratia, Deo obtulit. Quo præstito, lasciuus senex & deperdita spei, quem requirebat, innotuit, qui & Dei famulum pro negotio, vltrò, instanterque sollicitum comperit. Quid plura? Cum non multò post graui iterum morbo correptus, volens, libensque monitorem ad se Christi famulum*

Vir ethnicus propè centenarius, ac vitijs & libidinũ vitio irretitus, vt resipiscat, frustrà diù monetur.

Ex lit. annuis Societ. Iesu ex Paraquar. ann: 1635 & Ottonellus è Societ. Iesu de fugien. mul. consuetudine annot. 16 pag 336.

Diabolus hominem sub amici speciem in Villa agentem, vt in Vrbem rediens consuetis det voluptatibus operam, suadet.

Sacerdos vbi verba nil iuuant, præcipuus apud Deum instās hominem luctatur.

iam euocasset, seriò apud ipsum de salutis negotio agit, & admissas hactenus per totum vitæ decursum culpas intimo animi sensu execratus recogitando, turpium voluptatum illecebras dolens, et vel iam senex Christo renasci cupiens, salutaris Baptismi aquis instantissimè ablui petijt, quo præstito, et Christo tandem pænitens aggregatus, animam Deo reddidit, vt sic sibi, ac Mundo semel mortuus; Deo posthac, ac Cælum æternum viueret. Hæc Auctor, qui totius seriem historiæ illis planè verbis concludit: *Iudicia Dei abyssus multa.* Sed de his hactenus.

Baptismo tādem salutari ablutus, Christo iam senex renascitur.

30 Demùm cū sine fide impossibile sit placere Deo salutaris quoque Baptismi gratia nonnisi præcipuo Dei munere sub extrema quandoque vitæ momenta hominibus è Cœlo affulsit, vt ex his, quæ à Philippo Altouito Equite Hierosolymitano, Viro omni fide dignissimo accepimus, cuidam Mahumeticę sectæ superioribus annis, ac planè diuinitus contigit. Enimuerò cum anno redempti Orbis M. DC. LXII. triremes Pontificiæ, quæ vnà cum Melitensi maritima Hierosolymitanorum S. Ioannis Equitum classe, suis vtique armis, armatisque ad opportunum suppeditādum Venetis auxilium, retundendosque acriores Turcarum impetus, iunctis simul viribus, animisque prodierant, & tandem ex Oriente in suas regiones redirent, die 18. Augusti ad Calabriæ vulgò S. Marię Portum peruenere; Cum en tibi duas illinc Turcarum triremes, quæ prædandi causa mare excurrebant, à longè visu comperiunt. Talis autem, ac tantus Christiani nominis hostes timor inuasit, vt mox fugam, suis haud armis præfidentes, arriperent; Nostri verò magna adhibita celeritate, fugientes Turcarum rates insequuntur, ac triremis Hierosolymitanorum equitum, quæ vulgo S. Martini dicitur, cui Fr. Ioannes Baptista Ricasolus Florentinus præerat, primò alteram Turcarum nauim tormēti bellici ictu aggressa, dum valido ipsam impetu bombardis pulsat, casu hominem, nigrum marem dictum 30. circiter annorum, primis quidem bombardæ ictibus eiaculando aggressus ipsi coxam penitus abstulit. Hostes itaque, cum nostris vtpote viribus impares resistere non valerent, nostris vltrò se dedunt. Turca interim lethali saucius ictu, ad nauim Hierosolymitanorum curandi gratia delatus, sic miser à bombardæ ictu perculsus, & præ acerbo doloris sensu iam morti proximus, Deo desuper afflante, non tam corporis, quàm animæ salutem cogitando requirens, sponte, ac nemine prorsus è nostris suggerente diuinum Baptismi supplex lauacrum exposcit, illis planè vsus ad id verbis: *Quoniam* (inquiens) *Ioannes Baptista me, ac meorum nauim cœpit, ego quoque totus Ioannis ex nunc esse volo.* Christi vtique Baptismum se his verbis cupere, ac velle contestatus. Vix isthæc dixit, & ex intimo corde serio protulit, cum mox in conspectu omnium à Fr. Iosepho Sacerdote Melitēsi Turca sacro Baptismo initiatus est, cui ex more, & Christiano titu patrini munus adhibuit dictus Illustris. Fr. Philippus Altouitus eques Hierosolymitanus, qui magno repletus stupore simul, & gaudio, arcana Dei consilia in prædicto Mahumetano sub extremam vitæ periodum ad Christi fidem traducto demiratus, non potuit, quin vbi hominem post horę spatium à suscepto baptismate, tā breui, ac certo animæ lucro, feliciter hominem euolasse in Cœlum comperit, illis Deum vocibus extollens, exclamaret: *O altitudo diuitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt iudicia Dei.* Hæc ille, qui & nobis isthæc scribentibus opportunè voluit suggerenda, sed iam ad reliqua stylus recurrat.

Ps. 35. v. 7. Ad Hebreos cap. 11. v. 6.

Turcarum triremesque prædādi causa maria excurrebant, à Melitēsium equitum armis exagitatæ in ipsorū potestatem deueniunt.

Bombardæ primo quidē ictus turcæ coxā aufert.

Turca nō tā de corporis quā animæ salute sollicitus Baptismum quærit.

* Baptizatus post horę spatium animam exhalans in cœlum abit.

Apost. Rom. 11.

CAPVT VIII.

Peccatores compuncti, vt ritè, ac rectè ipsos pœniteat, Sacramentis ante obitum præmuniri volunt.

POenitentia, quæ suam maximè in virtutem prælio aduersus capitalem peccati malitiam, prauosque dæmones, Dei hostes malorum incentores perpetuò exercet, suam quoque, ac sub finem præcipuè in terris bellum à tartaro sustinet: *Fili accedens* (inquit Sapiens) *ad seruitutem Dei, sta in timore, & prepara animam tuam ad tentationem.* Pœnitentia itaq; sic suos in acie ad bellandum sectatores instruit, & ad certamen viriliter prouocat, vt tutos nunquã, ac securos dormire finat, sed vel post triumphos, noua suis bella iugiter comminetur: *Prepara* (inquit Sapiens) *animam tuam ad tentationem. Non enim* (ait Gregorius) *ad requiem, sed ad tentationem, quia hostis noster quanto magis nos sibi rebellare conspicit, tanto amplius expugnare contendit.* Quam autem obstinato pugnandi studio; & quo item mentis conatu, Diabolus in prælio instet, Iobus aliquando edisserens: *Absorbebit* (inquit) *fluuium, & non mirabitur, & habet fiduciam, quod Iordanis influat in os eius.* Iordanis quippè fluuius diuino Christi Baptismate sacratus, Sanctorum profectò Symbolum refert, in quos diabolus acriores pugnando impetus facit, vt suo illos tandem halitu absorbeat, adeoque præmemorata sic Gregorius verba exponit: *Illos* (inquit) *magnopere rapere nititur, quos despectis terrenis studijs, iungi iam cælestibus contemplatur.* Quod appositis insuper Hieronymus verbis inculcat: *Esca* (inquit) *eius, esca electa sunt: Iob subuertere cupit, & deuorato luda ad cribandos Apostolos expetit potestatem.* Maiora igitur malis grauioribus sunt adhibenda remedia, & validiora in hostes arma sunt admouẽda. Quapropter callido tartareus hostis ingenio, suoque assiduè tentandi studio pertinaciter instans sanctiores potius, quam probos, ac infimæ sortis homines, & acriter magis, magisq; oppugnat: *Victoria* (inquit) *est ei exoptata de Sanctis.* Et nonnisi electos de Christi grege rapere, eosque tandem suis artibus Orco lucrifacere, ac pœnitentiæ præsertim cultores pessundare cupit: *Intelligamus* (inquit S. Leo) *quanto studiosiores pro nostra salute fuerimus, tanto nos vehementius ab aduersariis impetendos.* Quod cuncti Christi fideles probè experimento edocti, armis sibi vtendum, & ad Sacramenta, quæ Deus humanæ congrua fragilitati è cœlo prouide contulit remedia, recurrendum sibi indixere: *Frustrà enim* (vt ille ait) *nititur, qui non innititur.* Adeoque diuino spiritalium Sacramentorum fonte mortalis hominum munienda infirmitas, atque omnis indè accersenda est fortitudinis virtus, vt disertè Concilij Tridentini Patres edocent: *Clementissimus* (inquiunt) *Redemptor noster, qui seruis suis quouis tempore voluit de salutaribus remediis aduersus omnia omnium hostium tela esse prospectum, quemadmodum auxilia maxima in Sacramentis aliis præparauit, Christiani conseruare se integros, dum viuerent, ab omni grauiore spiritus incommodo possint, &c.* Et congruè; quemadmodum enim naturæ auctor herbas quam multas curandis corporum morbis remedia opportunè constituit, sic sua pariter curandis animarum languoribus, qui plures, & longè his acerbiores sunt spiritualia Sacramentorum medicamenta deesse minimè passus est, quibus homines muniti, tutique Tartareos inter hostes transeundo, erepti è laqueis ad vitam peruenirent. Quo sanè à Concilii Tridentini Patribus summa Dei bonitas extollitur, dum *omnem gratiam amissam per Sacramenta reparari*, proculdubio affirmant. Sed iam noster ad recensenda pœnitentium exempla sermo deriuet.

2. Quoniam igitur diuina, quæ è Cœlo fluxere Ecclesiæ Sacramenta, vt præsentissima homini remedia suppetũt, atque vnicum contrà quæuis emergentia malorum incommoda munimentum sunt;

Ecclesiastici cap. 2.

Pœnitentia aduersus peccati malitiã, & diaboli fraudes pugnat.

Gregor lib 24 moral. c 33.

Homo cum ad Dei seruitutẽ accedit, tunc maximè à diabolo oppugnatur.

Iob. c. 40.

Gregor. moral lib. 33. c. 6.

Hieronym. ad Eustochium de castitate seruanda.

Diabolus nonnisi electos peruertendo lucra[illegible]

S. Hilarius in c. 4. Matthæi.

Illi nonnisi victoria est expetita de Sanctis ex Hilario.

S. Leo PP ser. 2. de quadragesima.

Homo vbi tentationibus pulsatur ipsi ad Sacramenta profugiendum.

Sacramenta vti salutaria spiritalibus morbis remedia Deus hominibus prouidit ex Concil. Tri.

Concil. Trid. sess. 14. in proœmio.

Suarez disp. 40 in 3. par.

Sicut Deus curæ corporum tã multas herbas, sic pariter morbis animæ diuina Sacramenta prouidit.

Baronius an. 602. n 15.

sunt; quibus scilicet nedum animæ, sed & corporis interdum salus iuuatur, ac ipsa inter pericula subsistit, vt res vltrò exemplis demonstretur, Philippicus Mauritij Imperatoris cognatus se ipso olim satis ostendit, qui tantum sibi in Sacramentis, & à diuino Eucharistiæ præsertim pabulo in maximis quibusq; periculis subsidii repromisit, vt euocatus à Mauritio, cui pridem ob primas nominis syllabas P H. (ille quippè ab homine, cuius nomen ab his notis inciperet, occidendum audierat) suspectus valdè esse cœperat, adeoque se ab ipso perimendum proculdubio existimans, viuifico Altaris Sacramento ad proximũ è vita exitum se ante præmuniri uoluerit, quo Dominici panis edulio toboratus, si non dum fatalem corporis, animæ saltem interitum Deo protegente euaderet.

Philippicus Mauritii Imperatoris cognatus, ab ipso ob suspicionem quãdam ad necẽ quæritur.

Cedrenus in Mauritio, Niceph. lib. 18. cap. 38.

A Mauritio euocatus Sacramento altaris se ipsũ, ac si moriturus armat.

Hæc autem Cedrenus de Mauritio: *Sic igitur (inquit) eodem anno vltimo Mauritii Imperatoris ipse ad se reuersus, recordatusq; apud Deũ nihil clam esse, eumq; pro meritis cuique suis siue bona, siue mala tribuere: tum quam grauiter peccasset, quod captiuos redimere noluit: expediens esse cogitauit, vt in hac vita temporaneas, & non in futura æternas pænas daret. Itaque libellos supplices scripsit ad omnes Patriarchas, & Monachos in omnia Monasteria etiam Hierosolymam misit, vt à Deo peterent, vt ipse de peccatis admissis in hac vita, non in futura pænas lueret. Quin & in Philippicum impegit sororis suæ maritum suspicatus ab eo cædem sibi parari ex vaticinio quodam, quo significatum esset ab P H. esse cauendum. Cæterum Philippicus innocens iuramentis modis omnibus apud eum se purgare non destitit.* Cum ergo vehementi Philippicus apud Mauritium suspicione laboraret, obiecto per noctẽ Principi visu, *Tum ipsum Iudicem* (inquit Cedrenus) *iubere Mauritium causam dicturum sisti. Sicque à satellitibus correptum, & in porphyretico vmbilico sibiposito constitutum, ab eodem Iesu Christo Domino interrogatum fuisse, vbinam sibi pænas rependi velit, in hac scilicet, vel futura vita. Ipsum autem Mauritium ità respondisse: Domine benignissime, iuste Iudex, hic malo potiùs, quàm in altera vita. Nec mora, statim iussum esse, vt cum vxore sua, & liberis, totaque familia Phoca militi trucidandus daretur. Expergefactus statim accubitorem suum misit, qui Philippicum ad se vocaret.* Potioribus verò Philippicus interim se ipsum armis, cœlestibus nimirum Sacramentis muniens, haud aliter morti, quæ suis ab Imperatore ceruicibus impendebat, occurrendum decreuit, vt sic Author prosequitur.

Mauritius se in hoc potius sęculo, quam in altero sua ob scel ra puniri vult.

Philippicus io dis omnibus, & si frustra se apud Impera orẽ urgat.

Cedren. vbi supr.

Mauritius ad Christi tribunal ductus malle se in hac vita, quam in altera pro culpis plecti respondens.

3. *Cum autem (inquit) vocari se nocte Philippicus cognouisset, qui iam antea se sciisset in suspicionem apud Imperatorem adductum, de se actum putauit. Quamobrem antequam ad ipsum Imperatorem accederet, Sacram Eucharistiæ Communionem accepit, & abijt, vxorem Gordiam nomine relinquens eiulantem, sacco, cinereque respersam, dolorem, quo angebatur, præferentem. Vt autem ad Imperatorem Philippicus venit, se se ad eius pedes stratus aduoluit. Sed Imperator accubitore foras exire iusso, ipse ad Philippici pedes accidit, dicens: Ignosce mihi frater, quas tibi innocenti calumnias tribui. Suspicabar quidem, te meę vitæ insidias moliri, sed iam te innocentem cognoui. Hortor autem, vt dicas mihi, si quem Phocam militem in exercitu nosti: Noui (ait ille) quemdam, qui pridem ab exercitu missus, cum tua Maiestate iurgauit. Quærenti autem Mauritio, quo ille præditus esset ingenio; respondit: hominem esse timidum, & crudelem. Tum Imperator: Si timidus est (inquit) homicida est; Narrauitque Philippico insomnium.* His profectò auditis, qui se pridem non nisi ad certam requiri necem putabat, diuinis mox Sacramentis, & viuifico Christi Corpore, omni solutus metu à morte propemodum reuixit, adeoque cunctas, quas prudens paulò ante timebat, euanuisse suspicionum, malorumque procellas ex insperato videns, diuinam Sacramentorum virtutem sua quasi manu, immortales Deo gratias agendo deprehendit.

Cedrenus vbi supr.

Philippicus noctè vocatus ab Imperatore, nõnisi certũ mortis nuncium cõputabat.

Imperator ob suspicionem, quã de ipso falso cõceperat dolens, compunctus ab eo veniã petit.

Quis nã sit iste Phocas, a quo perimendus sit, interrogat.

A morte quodammodo reuiuiscit, gratias Deo agens.

4. Tanto etenim Christi Fidelibus Sacramenta sub vitæ finem emolumento sunt, vt meritò tutum se quisque ab hostium insidijs reputet, si Sacramentis ritè munitus è vita decedat. Cuius rei Balduinus Comitis Tolosani frater virtute insignis, ac inuictus fidei propugnator, testis dignissimus adest, qui cum ipsius frater alioqui perfidæ heresis labe vitia-

Rainald. nu 1213. n. 63.

vitiatus,atque ob id infamis ab hostibus per dolos captus, ac triduò cibus, potusque ipsi denegatus fuisset, has ipse inter angustias deprehensus Confessionis Sacramentum, & Christi insuper Corpus sibi pro viatico intensius expetijt. Quod cum ab Aduersarijs minimè concederetur, vehemens, quo vir præferuidus flagrabat, desiderium illi pro Sacramento extitit,vt factis re ipsa ostēdit; hæc enim Petrus Vallisarnensis de Balduino: *Ex quo* (inquit) *mihi diuinis Sacramentis communicare non permittitur, ostendatur mihi saltem Eucharistia, videlicet salus mea, vt in vita ista videam Saluatorem meum, quæ à Cappellano leuata, & ostensa,Comes eam deuotissimè adorauit,etc.* Quibus narratis idem Auctor de ipso hunc in modum prosequitur: *Mox Fuxi* (inquit) *& filius eius à patris malitia non degenerans, & Bernardus de Portellis ligauerunt funem in collo viri nobilissimi, ipsum de voluntate,immò de præcepto Comitis Tolosani suspensuri; Quod videns Vir Christianissimus constanter, ac humiliter quæsiuit confessionem, & Viaticum, sed canes crudelissimi vtrumque ei penitus denegarunt, quibus miles Christi: Ex quo* (inquit) *non licet me ostendere Sacerdoti, testis est mihi Deus, quod prompta voluntate semper, & ardenti Christianitatem, & Dominum meum Comitem Monfortium colui, & pro hac, & in has defensione volo mori. Vix verba compleuerat: ecce tres prænotati traditores eleuantes eum à terra, ad nucis arborem suspenderunt.* Sed ipsius hìc Rainaldi verba subtexenda videtur: *Quis* (inquit) *non horreat tantam crudelitatem Comitem Tolosanum Caini instar in fratrem exercuisse.* Sic planè diuinorum Sacramentorum, & si non re, spe tamen, eorumdemque voto roboratus è mortali hac ad vitæ immortalitatem transijt.

Balduinus Comitis Tolosani pater Sacramēti Altaris sub finem suscipiendi cupidissimus.

Petrus Vallisarnensis [illegible]

Sacratissimā hostiam sibi demonstrari poscit, & supplex adorat.

Vehemens ipsi desiderium prouiatico defruit *Rainaldus vbi supra.*

Innocens ab iniquis arbori appēditur

5. Sacramentis itaque à Christo institutis ea vis diuinitus inest, vt nedum animæ, sed & corporis interdum curæ mirificè prosint, ac ipsorum virtute pariter certa vtriq; salus refundatur. Quod quidem Cæsarius prolato hæretici hominis exemplo testatur. *In Cameraco* (inquit) *Ciuitate Episcopali infra hoc quinquennium plures hæretici comprehensi sunt, qui omnes timore mortis suam perfidiam negauerunt. Missus est ab Episcopo Clericus, qui negantes per candens ferrum examinaret, adustos, hæreticos esse sententiaret. Examinati sunt omnes, & combusti sunt omnes, qui eum traherentur ad pœnam, vnus ex eis vir nobilis sanguine reseruatur à Clerico ad vitam, si fortè illum quoquomodo reducere posset ad pœnitentiā, cui sic dixit: Homo nobilis es, misereor tui, & compatior animæ tuæ; rogo, & moneo, vt adhuc de tanta perfidia resipiscas, & de errore ad veritatem redeas, ne per mortem temporalem mortem incurras æternam. Ad hæc ille respondit: Experimento didici, me errasse: si sera pœnitentia mihi prodesse posset, non renuerem confiteri: Cui cum ille diceret, pœnitentiam veram nunquam esse seram, vocauit Sacerdotem; confessus est homo suum errorem, ex toto corde Deo promittens, si vita concederetur, satisfactionem. Vt autem Pius Dominus vim ostenderet confessionis, mox vt pœnitens cæpit peccata sua confiteri, cæpit & ipsa combustura in manu confitentis paulatim minui, quæ in tantum eo aspiciente decreuit,inquātum confessio profecit. Medietate confessionis operante, media pars plagæ est sanata; vt autem confessionem totam compleuit, & virtus ipsa confessionis combusturam tā in dolore, quam in colore deleuit, et manus pristinam sanitatem recepit. Vocatus est vir à Iudice ad ignem, ad quem Clericus: Quare eum vocatis? Vt ardeat* (inquit) *eo quod in examinatione combustus sit. Tunc Clericus ostendens manum eius sanissimam, liberauit eum à pœnis.* Quibus narratis, & aliud quid simile de altero ex decem hæreticorum numero confessionis vi diuinitus ab ignis pœna vindicato, sed postmodum misere in hæresim relapso tradit, qui exustæ manus indicio agnitus, iusto flammarum incendio absumptus est, quod apud auctorem, vbi supra lector consulat.

Cæsarius lib. 3. c. 16.

Sacramentis ne dum animæ, sed & corpus iuuatur.

Hæretici cādenti ferro adusti mortis sententia perculsi.

Pœnitentia hæreticohominis damnato præstò est ad salutem:

Dum Confessionem Sacramentale instituit mox combustionis signa auolāt, & a morte liber euadit.

Cæsarius lib. 3. c. 17.

Hæreticus alter relapsus damnatur.

6. Ex quo fit, vt salutis haud in supremam vitæ horam remedia reijcienda, sint ab hominibus, immò potius dū mēte sanus quisque, ac sensibus viget, adhibenda, ne morte, haud pœnitentia præuentus, quod solo Dei amore agendum est, mortis duntaxat præuentus metu agatur, prout decantata apud probæ fidei scriptores exempla satis edocent; Quod & suo Episcopus docuit, de quo isthæc Cæsarius: *Sicut* (inquit) *didici à quodam*

Cæsarius lib. 3. cap. [illegible]

dam Abbate, nuper in Anglia defunctus est Episcopus Ordinis Præmonstratensis, Vir bonus, et magnæ Religionis: hic cum ageret in extremis, nec Confessorem requireret, dixerunt ei Clerici sui: Domine, debiles estis valdè, quare non facitis confessionem vestram? Respondit Episcopus: Non faciam: Illis verò verbum exhortationis repetentibus adiecit: Putatis stolidi, quod vsque ad hanc horam distulerim confessionem meam? Dixerunt ei iterum: Consilijs Regis interesse solebatis; quibus rursum respondit: Non aliter fui coram Rege, quã Christus coram Pilato. Hoc quidem dixit, et fecit Episcopus ille Sanctus pro exemplo sciens scriptum: Ante mortem confitere, à mortuo quasi nihil confessio: Confiteberis viuens, viuus, et sanus confiteberis, et laudabis Deum, et glorificaberis in miserationibus illius. Quotidie solitus fuit mundare conscientiam, nec differre confessionem suam de die in diem, sicut multi faciunt; Qui etiam post mortem miraculis claruit.

Episcopus Ord. Præmõstratensis in Anglia de Confessione sub vitæ finẽ admonitus: se iam præuenisse respondit.

Memor. scripturæ, quæ dicit ante mortem cõfitere, sanctus licet Cõfessionem præuenit.

Opportunè igitur, nec in suprema vitæ momenta diuinorum medela Sacramentorum est reijcienda, vt tuto quis dum viuit, sibi, & animæ consulat, culparum veniam, ac Dei gratiam obtinendo, certo animi prouentu opportunam malis medicinam adhibeat. Multos quippe Sacramentorum, ac pœnitentiæ dilatio, sua frustatos spe inter peccandum fefellit, & non tam spes, quàm consequendæ veniæ deceptos præsumptio æternum perdidit.

Innixa, non sub vitæ finẽ Sacramenta sunt adhibenda.

7. Et Sanctorum quidem patrocinio nonnulli (vt susceptæ narrationis propositum prosequamur) nonnisi magno Dei munere, Sacramentis Ecclesiæ ante vitæ finem muniri, vt sic securi decederent diuinitus impetrarunt. Inter quos vnus est ille Henricus Vock Beatæ Barbaræ obsequio singulari pietate addictus, de quo isthæc Brendembachius: *Hic (inquit) Diuam Virginem, ac Martyrem Barbaram quotidie consueuerat venerari: audierat namque, quisquis hanc in honore habuisset in vita, absque confessione, et Ecclesiæ Sacramentis non mori. Agebat vitæ suæ annum fermè septuagesimum, qui diuinæ Incarnationis erat millesimus quadringentesimus quadragesimus octauus, dum ex agro redeunti hæc accidit calamitas: siquidem in nocte, qua festum agitur D. Augustini, quando labore rurali fatigatus dormiebat, candela ardens in stramina, quorum tunc fortè ingens copia aderat, cecidit, vnde domus accensa illico tota flagrauit. Euigilarunt prædictus Henricus, & Andreas filius eius, & pariter territi vix incendium vel nudi euasere. Nam Andreas inter fugiendum ab igne circa genitalia læditur. Itaque signo Crucis se muniens, vbi in domum flammis relictam cucurrit, hic ante super corpus eius nudum corruit, quam ad conclaue, in quo pecunia recondita iacebat, perueniret. Hinc cum certè iam mors instaret, tametsi vrentibus flammis grauiter torqueretur, maiori tamen dolore afficiebatur, quod Sacramentis Ecclesiasticis non esset præmunitus. Ea propter desperata corporis salute, pro animæ duntaxat remedijs ad D. Barbaram, qua tunc potuit, deuotione se contulit. Orans igitur: Sancta (inquit) Barbara, quod per Sponsum tuum nunc potes succurrere misero, & in peccatis morienti. Fiant tuis precibus in me, quod olim pro Christo tibi morienti cælitus est promissum, &c. Nè de corpore meo egrediatur anima, nisi Confessionis Sacramento ante purgata, & saluifico Viatico præmunita. Vix orationem finierat, & ecce Virgo adstat decora Sanctissima Barbara eo scilicet schemate, quo in Templo picta cernebatur. Hac pallio suo mox igniumglobos restinguens, per flammineum rectum candida sua manu illum eduxit, atque tuto in loco statuens, sic illi loquuta est: Quia grata mihi sæpe numero deuotionis obsequia obtulisti, & modò diuinam misericordiam per meum patrocinium implorasti, meo scias interuentu tibi ad Auroram vsque vitam prorogatam, quo viuendi spatio Confessionis, Eucharistiæ, atque Extremæ Vnctionis Sacramenta recipias.* His dictis ad superna rediens Beata Barbara Virgo disparuit.

Tilman. Brẽdembachius colat. Sac. lib. 4. cap. 5. ann. 1448.

Henricus Vock D. Barbaræ patrocinio confessionis gratiã sub vitæ finem obtinet.

Abincendio mirabiliter liberatus cõfessus postmodũ obit.

Pro confessione apud Diuã precibus supplex instat.

[Brendembachius vbi sup.

Virgo Veneranda ipsius votis è cœlo adest.

8. Sed suis haud votis haud spe frustratus, Virginis opem expertus est, vt sic Auctor: *Saniebat interea ignis, & vicinas domos absorbere festinabat. Clamant vigiles, & pulsatis campanis ciues excitati accurrunt. Cæterum Henricus ille prædictus Sanctissimæ Barbaræ præsidio flammis ereptus, ab imo pedum vsque ad verticem capitis fuerat adustus, nec minus intus, quam extra in corpore torridus. Vnde assati cadaueris speciem magis, quam hominis prafe-*

Vir flãmis à vertice capitis vsq; ad pedes assatus confitendi spatiũ obtinet.

præferebat, &c. Quid multa recenseo? adeò fuit crematus, vt ossibus vix modica adhæreret caro tanquam Aetyopis nigra; nam prçter oculos, linguam, & cor, quæ per B. Barbaræ subuentionem ex diuina miseratione adhuc in suo vigore viuebant, nihil in eo manebat reliquum, &c. Itaque ad filia domum postquam aduenit, præmortuum eius corpus lecto impositum est; ipse verò nihil aliud, quam Sacramenta Ecclesiastica paulò post moriturus expetijt; omnibus interim manifestans, quanta sit Dei misericordia B. Barbaræ precibus, ac meritis in se collata. Quippe cuius mortuo, atque cremato corpori, nè Sacramentorum expers moreretur, vita seruabatur, &c. Hçc enim (inquit) vt cernitis nunc oculis vestris, honorantibus se, Sacramenta Confessionis, & Eucharistiæ ante mortem impetrat. Ad hæc miraculi huius in se facti narrans ordinem, atque modum replicat, addens illucescente Aurora quantocyus in testimonium veritatis, è sæculo se migraturum. His quidem rei probè euentus respondit; Sacramentis quippe ritè, vt dixerat, præoptabatque expiatus, *& cum omnium peccatorum* (vt Brendembachius tradit) *suorum ab infantia confessionem fecisset, & sumptis Sacramentis, ter adhuc confessionē repetijsset, è vita migrauit.* Narratis demum hæc, quæ Auctor subdit, consultò subtexenda hic sunt: *Caueant* (inquit) *qui sceleratè viuunt, ne eiusmodi exemplis semetipsos decipiant, quia tales traditiones non sunt perpetuæ, neque infallibiles, vt habetur in prima Synodo Prouinciæ Camerac. anno 1565.* Et hæc in pœnitentium, qui Sacramentis Ecclesiæ sub vitæ finem diuinitus donati sunt, gratiam opportunè hìc enarrasse voluimus.

Miseranda hominis species non tam viuentis, quã cadaueris assi formam exhibebat.

Miraculum proprio ore cunctis narrat, ac suæ horã mortis enunciat.

Brendembachius vbi sup.

9. Magno itaque diuinæ pietatis præstito interdum, tam animi, quam corporis curandis morbis argumento Selecti Christianorum Principes diuinorum vim Sacramentorum edocti, non absque præuio Sacramentali ipsius vitæ pabulo mortalem hanc vitam clausere. Inter quos Ferdinandus Hispaniarum, vtriusque Siciliæ, Sardiniæ, Africæ maritimi tractus, nouique insuper Orbis Rex, qui inter prosperos, sibique arridentes humanarum rerum decursus, diutino absumptus morbo, & cœlum tunc maximè, cum ipsum iam vita deficeret, cogitans, Sacramentis Ecclesiæ expiatus, mortem ipsam moriturus præuenit; Verùm dum vitæ protrahendæ causa, cunctisque suadentibus ex Medicorum consilio in nouum subinde solum migrat, in vico (cui nomen Matricalesium inditum est) testamento nuncupato, ac ritè sacris omnibus Christiano ex more procuratus, suarum à Deo culparum veniam sollicitè quærens, atque enixè exposcens, è vita discessit, de quo isthæc Gomesius: *His* (inquit) *atque alijs prudenter curatis, Rex se morti proximum intelligens, Sanctissimæ Eucharistiç Viatico suscepto, & Oleo sacro unctus, 14. Kalen. Februarij, antequam illuxisset Anno* M. CCCCC. XVI. *religiosissimæ vitæ cursum clausit, dignus qui inter Reges prçstantissimos adnumeretur; de quo in Scholasticorum frequenti consessu Circuelus Darocensis Theologus, vt illa ferebant tempora, memorabilis, in oratione funebri vnũ inter Reges Ferdinandum fuisse dixit, qui regnandi rationem posset instituere, & ob insignem prudentiam cum longa rerum experientia coniunctam, de recta Principum gubernatione non vulgaria prçcepta tradere.* Atquì ipsum vnanimi omnium planè consensu Christianos inter Principes palmã tulisse Volaterranus inculcat, quippe qui Granatensi Regno ipsius Christi cultum restituerit, suoq; sceptro Africæ oram domuerit, Maranos vi inde expulerit, Monachorum sodalitia purgari, ac tribunalia ad hæreses omnino propulsandas, exscindendasque erigi curauerit; Nouum insuper Orbem inuisum hactenus mortalibus patefaciẽs, quo ac constanti Christianam ibi Religionem zelo mirificè amplificauerit, & alia plura Deo in primis, ac se digna præstiterit, quæ ipsi apud Deum, & homines immortalitatis merito lauream peperere.

Ferdinandus Hispaniarũ Rex Sacramentis Ecclesiæ moriturus vult se expiari.

Rainaldus an. 1516. nu. 39.

Culparum à Deo veniã sub vitç finè instantissime poscit.

Gomesius lib. 5. de reb. gestis Card. Ximeny.

Ferdinandus Regno dignus optimã regnandi formã Principibus præstitit.

Volaterranus lib. 2.

Quot, & quãta immortalibus digna laudibus interregnandũ exhibuit.

10. Huius verò ortus à Religioso Carmelitani Ordinis Viro, eiusque sors adeò felix Alphonso Regi (vt Mariana docet) diuinitus olim prænunciata est; hæc enim ille: *Quo die* (inquit) *natus est Ferdinandus, sic affirmatum inuenio Alphonso Regi: Hodie* (inquit) *in Hispania citeriore puer sui generis est natus, cui cælum noua imperia pollicetur, ingentes opes, felicitatemque pio prç çeteris Religiosisque*

Ortus, & felix ipsius sors Religioso viro Carmelitani Ord. diuinitus innotescit.

Rainald. vbi sup.

nisque

nisque cultori, et amplificatori preclaro. In tantis virtutibus quædam vitia, vt nihil est in rebus humanis sincerum; sed auaritiam tamen calamitas vectigalium excusare potuit, seueritatem temporum, morumq; labes: callido ingenio fuisse, fidemque ex commodo nonnumquam mutasse, externi Auctores accusant: an ex fide, an inuidia gentis, non disputo; & solet hominum malitia virtutibus veris vicina vitiorum nomina affingere, sicut è contrario fallunt, atque laudantur vitia, quæ virtutes imitantur. At de pio Regis obitu, ac suas item quam religiosè apud Deum secretiores animi labes pœnitentia diluerit, hæc Auctor: *Peccata (inquit) Thomæ Mutiensi è Dominicanorum Ordine sibi ante à confessionibus aperuit, &c. proxima die Mercurij post mediam noctem vna amplius horâ animam placidè efflauit decimo Kalend. Februarij, auspicante salutis anno* M.D.XVI. *Princeps iustitiæ cultu, prudentiæ laude, animique præstantia excellentior omnibus, &c. Imperij modestia, Religionis amore, bonarum artium studio, formâ haud dubium iusti, mitis, benefici, ac verè Christiani Regis &c.* Quidquid igitur culpæ in amplissimo alioqui Regno administrando, vel sciens, vel ignorans admisit, intimo, acerboque sub vitæ finem contriti cordis sensu, ac dolore, sacraque exhomologesi, vt securus ad perennem transiret vitam, expiandum voluit. Cui Leo huius nominis X. accepto mortis nuncio suis idem lacrymis parentauit, sicut in suis ad Maximilianum litteris sic habet: *Equidem (inquit) satis commemorare non quimus, quantum nobis molestiæ, quantum mœroris tam grauis, tam prudentis, tam nostri, & Republicæ obseruantis, tam bello, et pace præclari, excellentisque Regis mors, atque interitus attulerit, existimantibus multum nobis, multum Romanæ rei, multum etiam Christianæ Reipublicæ, eo extincto Rege, tum præsidij, tum ornamenti esse sublatum, &c.* Quibus ille præmissis ipsius merita, ac laudes suo luculêter stylo prosequitur, ad quem nos Lectorem, cupidum amandamus. Cui alijsque supra recensitis ipsius hîc Chrysostomi egregiè sub finem verba pœnitentibus occinunt: *Pænitentia est (inquit) quæ peccatum miserente Deo remittit, et Paradisum reserat, quæ contritum sanat hominem, & tristem exhilarat, vitam ab interitu reuocat.* Sed hæc interim satis.

Mariana de rebus Hispa ni. lib. 25. cap 18.

Pium Regis in confitêdis culpis ob veniæ spem desiderium.

Digna virtutum ipsius elogia à scriptoribus decantata.

Extant apud Bembum lib 11. epist. 24.

Leo X. Summus Pont. sepulchralem illi suis laudibus lapidem aptat.

Chrysost. hõ. de pænit.

CAPVT IX.

Pœnitentes Sacramentalis Confessionis subsidio releuati, hilares decedunt.

1. Confessio (inquit Bernardus) *Peccatoris est vita, iusti gloria, Bonum animæ ornamentum confessio, quæ & peccatorem purgat, & iustum reddit purgatiorem. Absque confessione iustus iudicatur ingratus, & peccator mortuus*: Sacramentalis namque peccatorum Confessio, ac inter pœnitendum intimus animi dolor appositum cunctis abolendis mortalium culpis remedium est; Vbi è contra, qui latens intus peccati vulnus in confessione Sacerdoti aperire detrectat, dolor ipsi ne dum vlceri magis magisque dissimulando recrudescit, sed et acerbiora insuper suo quisque morbo sic agendo incrementa perquirit. Confessio quippe nonnisi præsentaneum latentibus plagis rubore salubriter curandis iusto Sapientis calculo pharmacum diuinitus præscribitur: *Qui abscondit (inquit) scelera sua non dirigetur; qui autem confessus fuerit, & reliquerit ea, misericordiam consequetur.* Ita planè absolutissima quibusuis delictorum expiandis, abolendisque noxis Confessioni vis inest, & ipsa dumtaxat post peccatum admissum, vulneris reuelatio cunctis omnimodam mortalium culpis diuinitus medelam confert. Hinc præsentaneum recolens abolendo peccato curandisque animi morbis, confessionis videlicet, qua pudor maximè, ac certo semper salutis prouentu exercetur, remedium stupensq; merito aliquãdo Hieronymus, vt suis mortalium functos verbis erigeret: *Vetus* (inquit) *scripturæ celebrata sententia est: esse pudorem quo gloria inueniatur, & gratia, & esse pudorem rursus, qui soleat parere peccatum.* Ab ipso etenim pio sic confitentis ore velox, atque exoptata peccato medicina

Confessionis elogia.

Bern. ep. 113. ad Sophiam Virg.

Sacramentalis confessio vnicũ mortalium culpis remedium.

Prouerb. 28.

Confessiõ prodest dum prodit.

prouenit. Quapropter suam Propheta, alijs documento futurus, non tam vitæ culpam, quam sui inofficiosum oris silentium meritò causatur: *Vamihi* (inquit) *quia tacui, quia vir pollutus labijs ego sum*. Sed paulò post suo aptum appositumque morbo, ac simul emergentibus item malis pœnitentis animi inter confitendū quasi digito remedium ostēdens: *Et volauit* (inquit) *ad me vnus de Seraphim, &c. & tetigit os meum, & dixit: Auferetur iniquitas tua, & peccatum tuum mundabitur*. Haud enim aliter emundari Prophetæ intus cor poterat, quam si dum latentem lingua culpam fatendo prodit, noxium Chrysostomo edifferente silentium solueret: *Tecum* (inquit) *reputa, quantum lucri resiliat ex confessione: se ipsum accusauit, & confestim expurgatus est*. Et siquidem humilis ac labiis verecūdis vsurpata confessio fatiscenti salutem dicto citius refundens, cuncta, quæ culpæ reatus peccanti abstulerat, bona diuinitus reddit. Quod sanè Nabuchodonosor Assyriorū Rex suo quondam exemplo admonuit, qui nonnisi a se ipso ob culpam degener, turpiter ex homine quodammodo in belluam desciuerat, dignus profectò, vt qui ferinū belluinis ingeniū moribus præferebat, cum belluis quoque domicilium ac parem cum ipsis sortiretur infelicitatem: *Ab hominibus* (inquit) *eÿcient te, & cum feris erit habitatio tua*. Enimuerò *nihil* (vt ipse inquit Theodoretus) *differt a bestia, qui viuit in impietate*. Vbi verò brutalis seipsum homo agnoscens suam supplex, ac humilis Deo confessus est culpam, mox pristinis vitæ officiis, ac primæuo item generis decori redditus est, vt cunctis ipsemet palam confitendo testatur: *In ipso* (inquit) *tempore sensus meus reuersus est ad me, & ad honorem regni mei, decoremque perueni*. Quis autem in hoc diuinam confessionis vim simul & gratiam non admirabundus agnoscit, qui horridam peccati faciem in regio pridè homine exhorrebat; Sincera itaque cordis confessio instaurando homini sic profuit, vt Deum ipsum ad miserum à malis releuandum clementer, ipsomet Tertulliano teste, inflexerit: *Quem enim* (inquit) *homines exhorrebant, Deus recipiebat*. Quapropter miram confessionis idem Tertullianus tum pro dignitate, & satis nunquam pro merito prærogatiuam extollens: *Peccator* (inquit) *restituendo sibi institutam à Domino exomologesin, sciens præteribit illam, quæ Babylonicum Regem in regna restituit*. Huic itaque insistens impiorum quisque exemplo ad propositum diuinitus sibi remedium confugiat, vt sit saluus, oportet.

Isaia c.6.n.5

Confessio hominis, tū labia, tū vitā expiat.

Isaię vbi sup n.6.7
Chrysostom. in verba Isaia.

Propheta dū se ipsum accusat, à labe expurgatus est.

Theodoret. vbi supra.

Danielis c. 4 n.33.

Nabuchodonosor Assyriorū Rex in belluā mutatus confitēdo peccatum mox pristino decori redditus.

Theodoret. vbi sup. qu.40.

Tertull. lib. de pænit. c.12

Confessio culpæ Nabuchodonosorem Deo cōciliauit, ac throno reddidit.

Tertullian. vbi supra.

2. Sanitas etenim, quæ sollicitè adeo doloribus plerumque, ac tormentis vltrò adhibitis corpori ab hominibus exquiritur, solius (quod ad animam spectat) Confessionis remedio procuratur: *Narra* (inquit Deus) *si quid habes, vt iustificeris*. Vel, vt septuaginta legunt: *Dic tu iniquitates tuas primus, vt iustificeris*; In ore igitur ipsius hominis peccati medela præsto est, vt probe Chrysostomus aliquando inculcat: *Ne expectes* (inquit) *te arguentem: nè præstoleris actorem. Ipse præueni, & rape sermonis principium, vt accusatoris linguam obmutescere facias*. Et magno quidem Dei munere delicti confessio à suo delinquētem reatu absoluit, cum alioqui apud hominem iudicem sola hominem morti irreparabiliter cōfessio adiudicet, vt idē Chrysostomus sic apte in rem prosequitur: *In mundanis* (inquit) *ac forensibus iudiciis post accusationem, & confessionem criminum restat mors; Cæterum apud diuinum tribunal post accusationem, & confessionem criminum datur corona*. Quod sanè cum plerique veraciter pœnitentium probè sciant, & quantum pura delictorum confessio fiduciæ afferat non ignorent, nil tam seriò, & sollicitè adeo præmittendum curarunt, quam vt suas sub vitæ finem in confessione Sacerdoti culpas detegendo, nec aliter quidquid patrarunt confitendo diluerent, quo ad Altissimi tribunal totius expertes labis venia sibi tandem diuinitus indulta tuti, ac hilares inter ipsa mortis pericula fierent. Quod vt exemplis interim constet.

Isaia c.43.n. 26

Confessio ad iustificandū hominem diuinitus vim obtinet.

Chrysost. hom 20. in Genes.

Confessio hominem à reatu apud Deū soluit, quæ apud hominem iudicem mortis reum constituit.

Chrysost. hom 3. tom. 1.

3. Mirum in primis est, quod Vir nobilis Diui Bernardi precibus ad culparum exemologesin instituendam excitus, suis inde præsentaneum malis, & tū animo, tum corpori leuamentum accepit, nonnisi demum sacramentaliter cōfessus

Confessione Sacramentali Christi fideles muniūtur.

fessus viuendi finem sortitus, vt in Sancti Bernardi gestis sic traditur: *Contigit (inquit) Virum nobilem, & ipsius quoque secundum carnem propinquum Iosbertum de Firmitate, quod est oppidum proximum Monasterio, grauiter infirmari. Qui subitò praeoccupatus amisit penitus intellectum pariter, & loquelam. Vnde & filius eius Iosbertus iunior, & omnes simul amici eo magis affligebantur dolore, quod sine Confessione, & Viatico Vir magnificus, & magnificè honoratus obiret. Cucurrit nuncius ad Abbatem, neque enim tunc in Monasterio erat. Venit, & inuenit eum iam triduo sic iacentem. Compassus autem homini, sed & motus lacrymis filij eius simul, et lugentium caeterorum, confessus est de misericordia Dei, & sermonem magnificum protulit, dicens eis: Notum vobis est, quod in pluribus homo iste granauit Ecclesias, oppressit pauperes, offendit Deum: Si mihi creditis, vt Ecclesiis restituantur ablata & vsurpate in grauamen pauperum consuetudines dimittantur, loquetur adhuc, & suorum confessionem faciet delictorum, diuina quoque suscipiet Sacramenta deuotus. Mirantur omnes, laetatur filius, familia omnis exultat: quidquid praecipit homo Dei, firmiter ei promittitur, & adimpletur. Caeterum frater eius Gerardus, & Galdricus auunculus, non parum territi, & turbati, seuerius eum super tali promissione conueniunt: durius arguunt, acriùs inuehuntur. Quibus breuiter, simpliciterque respondens: Facilè (inquit) facere potest Deus, quod difficilè credere vos potestis. Itaque post secretam orationem ad oblationem sacrificij immortalis accedit. Quo offerente, nuncius superuenit, qui indicaret praefatum Iosbertum liberè iam loquentem rogare obnixiùs, vt Vir Dei festinaret ad eum. Cui etiam post oblatum sacrificium venienti cum lacrymis, & gemitu peccata confessus, diuina Sacramenta suscepit; & duobus post hec, aut tribus diebus viuens, & loquens, & maximè, quę praeceperat Abbas Sanctus, constituit sine vlla retractatione seruari. Sed & disposuit domui suae, & eleemosynas dedit, & sic demum Christiano more in bona spe misericordiae Dei animam exhalauit.* Confessus igitur, qui priùs obmutuerat, culpas, & confessione releuatus, benedictionibus Dei praeuentus, viuendi finem fecit.

Gulielmus in vit. S. Bernardi Ab. lib. 1. c. 9.

Iosbertus de firmitate cō fessionis Sacramento à malis releuatus.

S. Bernardus infirmo opē laturus accurrens, nōnisi confessione ipsum releuat.

Loquelā, ac certe salutē Bernardus infirmo ad futurā dummodo is culpas sacerdoti aperiat, prophetice enunciat.

Pie post cōfessionem rè leuatus moritur.

4. Sed vt alijs quoque res comprobetur exemplis, Boleslaus Chobri dictus, Poloniae Rex, & Miseci primi Polonorum Ducis filius, pietate eximius Ecclesias redditibus auxit, & Vrbibus, pagisque locupletauit, quin multas in suo Regno Ecclesias construxit. Nec his contentus à suis turbarum procellas in Regno aduersus Ecclesiam excitatas totis animi neruis sedandas curauit. Igitur pijs intentus operibus, quidquid pridem deliquerat, paenitentiae sub vitae finem cultu, atque iterata exomologesi expiandum voluit, cui pro nobili elogio, & sepulchrali lapide ipsius Baronii verba inscribenda hic sunt: *Hoc (inquit) pariter anno die tertia mensis Aprilis Christianissimus Princeps, Religione praestans, potens armis, propagator, propugnator; & conseruator Christianae Religionis, & Regni dilatator eximius, Boleslaus Poloniae Rex, cognomento Chobri, hoc est, Vir altae, & heroicae virtutis, ex hac vita decessit anno quinquagesimo octauo aetatis suae, cum annos viginti sex regnasset, cum iam antea (quod decuit Christianum Principem) praemunisset se ad propinquum exitum, iterata saepe peccatorum confessione, & sumptione Sacratissimae Eucharistiae, pro Viatico, Propheticè praedixisse venturam Regni cladem, eiusdemque restitutionem in meliorem statum narrant, qui prosequuti sunt res Polonorum, praesertim verò Longinus Canonicus Cracouiensis, qui res ab eo praeclarè gestas enumerat. Successit autem in locum eius Miecelaus filius, sed parentis virtutibus longe impar.* Sic plane Princeps optimus humili peccatorum confessione se ad proximum è vita exitum, vt securus decederet, muniendum voluit. Atqui vxor ipsius Sanctissima Foemina anno Christi 1017. meritis clara, è vita migrauit, cuius item Baronius his verbis meminit: *Hoc eodem anno (inquit) Iudita Poloniae Regina Sanctissima Faemina, coniux Boleslai Regis, & adiutrix ad pietatem propagandam, ex hac vita summo omnium dolore decessit, cum superis in perpetuum regnatura. Haec de tempore Longinus, qui & res ab ea praeclarè gestas recenset.* Haec in foeminae pietate praestantis laudem Baronius.

Baron. ann. 1014. n. 6.

Boleslaus cognomento Chobri, Rex Poloniae moriturus confessionē culparū diligenter praemittit

Baronius vbi supr.

Ipsius elogium ex Baronio.

Non nisi Sacramentis Ecclesiae munitus è vita discedit.

Longinus in Polon. hist.

Iudita Poloniae Regina Boleslai meritis clara vxor decedit

Baronius an. 1017. n. 7. Longinus vbi supr.

5. Quantùm verò mortalibus Sacramentalis Confeſsio ſubſidij, & quã item ad Dei tribunal accedentibus fiduciam præſtet, his Petrus Damiani verbis teſtatur: *Hugo* (inquit) *Cluniacenſis Abbas, cum ad ſuum me Monaſterium perduxiſſet, frater quidam ſenex in infirmorum domo, ingraueſcente totius corporis tumore, languebat. Hic porrò cum Abbatis comperiſſet adeſſe præſentiam, lætus effectus, diuinam cæpit implorare clementiam: Domine (inquit) quem nullum latet occultum, quæſo, ſi quid reatus in me eſt, quod non ſum hucuſque confeſſus, tu mihi miſericorditer in memoriam reuoca, quatenus Abbati meo, dum præſens eſt, purè confitear, atque ab eo, qui ius hoc in me præ cæteris habet, iudicatus abſoluar. Hoc dicto, eiuſmodi vox auribus meis inſonuit: certè eſt, certè eſt aliquid in te, quod confeſſus adhuc non es. Cùmque ille vocem ſolam audiret, ſed à quo procederet non videret, orando ſubiunxit: Exprime Domine, manifeſtè quid hoc ſit, vt confeſſus corrigam, quod erraui. Porrò vox eadem peccatum quoddam, ſicut quærebat, ſignanter expreſſit, quod ille à ſe commiſſum recolens, & Abbati feſtinanter accito facta confeſsione purgauit, paucisque poſt diebus in ſancta pace quieuit.* Confeſſis igitur occultis Vir Dei piaculis aditum ſibi faciens ad vitam, magnam è contra Diabolo confuſionem, ac ſibi iam diſceſſuro fiduciã peperit.

Petrus Dam. epiſt. ad Deſiderium Ab. lib. 2. ep. 15.

Senex quidã Monachus languens, quantũ pro culparum confeſſione ſollicitus.

Aliquid ſibi quod confiteri debeat, adhuc ineſſe facta è Cœlo voce addiſcit.

Cõfeſſus poſtea feliciter obdormit.

6. Porrò vt ſuſcepta adhuc dictis narratio comprobetur, altero id ipſum exemplo è B. Franciſci geſtis à D. Bonauentura conſcriptis hunc in modum euincitur. *In Caſtro* (ait) *Montis Marani propè Beneuentum, mulier quædam S. Franciſco peculiari deuotione cohærens, viam vniuerſæ carnis intrauit. Conuenientibus autem Clericis ad exequias, & vigilias cum pſalterys decantandas, ſubitò cunctis cernentibus erexit ſe mulier ſuper lectum, & vnum de aſtantibus Sacerdotem, patruum videlicet ſuum aduocauit, dicens: Volo confiteri Pater: Ego enim duro eram carceri mancipanda; quoniam peccatum, quod tibi pandam, necdum confeſſa fueram. Sed orante (inquit) pro me S. Franciſco, cui, dum viuerem, deuota mente ſeruiui, redire nunc ad corpus indultum eſt mihi, vt illo reuelato peccato, vitam promerear ſempiternam. Et ecce vobis videntibus, poſtquam illud detexero, ad promiſſam requiem properabo. Trementer ergo trementi Sacerdoti confeſſa, poſt abſolutionem receptam quietè ſe in lectulo collegit, & in Domino feliciter obdormiuit.* Hæc ille in rem præſentem, quibus Sacramentalis Confeſſionis vim Chriſti fidelibus apprimè commendat.

S. Bonau. in vita S. Franciſci c. 5.

Mulier in feretro iacens, caput attollens cõfiteri ſe velle Sacerdoti indicat.

Ob S. Franciſci patrocinium confeſſione expiata iterum obdormit.

7. Quoniam verò ſemper homini, dum adhuc viuit ad Dei miſericordiam aditus paret, nec vlla quorumuis ſcelerum atrocitas ad Dei promerẽdam gratiam, Pœnitentiæ ſubſidio ſuffultos prohibet; hæc quidem in geſtis B. Catharinę Senenſis habentur: *Anno Chriſti* 1370. (inquit) *Senis erat Ciuis quidam Andreas Naddini* (de quo nos ſupra) *diues opum, ſed omnis virtutis inops, cunctis propè flagitys coopertus, teſſerarum ludo totus deditus, in Deum, & Sanctos eius eius perpetim blaſphemus, & deteſtabilis. Is anno ætatis ſuæ quadrageſimo graui correptus morbo, tendebat ad extrema. Venerunt autem ad eum multi nobiles, pij, & vtriuſque ſexus Cænobitæ, atque ante omnes eius Parochus; hortabanturque eum, vt ſua peccata confiteretur: Sed ille miſer, qui nec ſacras ędes inuiſere, nec ſacris initiatos vnquam honorare conſueuiſſet, admonitiones omnes reſpuit, ſeipſum planè deſperans. Audiuit hoc Frater Thomas Sanctæ Virginis* **Catharinæ** *Senenſis Confeſſarius, effecitque, vt ea Dominũ pro homine pereunte deprecaretur; & quidem feruentiſsimè, atque inſtantiſſimè. Sed Dominus illi reſpondit: Illius blaſphemi hominis flagitia ad Cęlos vſque pertingunt, qui præter alia ſcelera, etiam tabulã, in qua erat picta imago mea, & matris meæ, atque aliorum Sanctorum iactauit in ignem; dignus proindè, qui æternis gehennæ flammis exuratur. Verùm Sancta Virgo ſalutis animarum feruentiſſima, dolens vicem perditi hominis, non ceſſauit à lacrymis, & precibus; donec flexus Dominus Ieſus decumbenti Andreæ appareret, hortareturque, vt ſua peccata confiteretur, liberaliter ei, ſi id faceret, veniam pollicens. Et ecce ille ſaxo durior repentè molleſcit, magna voce poſtulat acciri Confeſſarium; dicit Chriſtum Ieſum ſe videre, qui ipſum de facienda confeſſione admo-*

Fr. Raymundus Capuan. in vit. S. Cathar. Senenſ. apud Surium 29. Aprilis num. 54.

Andreas Naddini Senenſis Confeſſionis vim ſub vitæ finẽ experitur.

Deſperatus & iam moriturus ſalutis monita reſpuit.

Quam atrocia blaſphemi hominis ſcelera.

Ob Catharinæ preces Chriſtus apparens ipſi hortatur ad confeſſionẽ, qua peracta feliciter obit.

nuerat

nuerat. *Lætantur omnes, curritur ad Sacerdotem, ille venit; Andreas cum magno cordis dolore integrè confitetur peccata sua, condit Testamentum, & feliciter migrat è vita.* Sic impius iste Sacramentali Cõfessione cunctas animi labes diluit, & nonnisi B.Virginis Catharinæ precibus, vt resipiscat,indultum sibi diuinitus intelligit.

R. inald. an. 1498. n 1,2.

8. Nec impari interdum supremæ pietatis erga homines portẽto in supremo vitæ constitutis, ac omni sensu orbatis sua apud Sacerdotem confitendi peccata facultas ipsius Dei munere è Cœlo affulsit. Cuius quidem rei testis in præsens testatissimus adest Carolus VIII.Francorum Rex,qui armis potens, cùm Neapolitanum redintegrare bellũ, ac priora nouis farcire rationibus damna seriò meditatur,& quod maius est in ipso ætatis flore; dum animi recreandi gratia pila ludentes lætus ipse vnà cum Regina coniuge circũspicit, subito apoplexiæ præuentus morbo, mente abalienatus,ac sensibus mox in terrã corruens, nulla ex se relicta prole, viuendi finem fecit. Hic itaque subito quamuis languore perculsus, haud imparatus tamen ac æternæ immemor salutis decessit:*cum bis ea hebdomada* (vt Corinæus ait) *suas Sacramento Pœnitentiæ noxas expiasset, ac postremam de nullo vnquam lethali committendo peccato vocem edidisset, atque recuperato vocis vsu in ea cum morte lucta se Deo, Deipara, Sanctisque Claudio, & Blasio humiliter commendasset.* De pio autem eiusdẽ obitu hæc aptè Ferronius tradit: *Tanta* (inquit) *indole Princeps repentè sublatus est;nam quodam die ex cubiculo vxoris prodiens, vnà cum ea in ambulacrum apud Ambasium substitit, vt qui in castro pila ludebant, simul spectarent, atque ibi orto sermone cum Ioanne Episcopo Andegauensi de prioris vitę erratis, ita sibi futurum propitium Deum obtestabatur si non speraret posthac futurum, vt Deum, neque culpa vlla piabili, neque inexpiabili quò ad eius fieri posset, offenderet. Hæc dicens,mox auersus corruit hora diei post meridiem secunda, iacuitque ad horam noctis vndecimam; qua cum vox eum defecisset, expirauit. Sed cùm ad se redire visus esset, extrema hec vox tertiò audita est, Deum, Sacramque Virginem implorantis. Vbi primùm corruit, in vicinum ambulacro cubiculum, quo nullum toto castro sordidius erat, perductus, vbi casu non culcitra, non thorus linteo ornatus, palearium tantùm aderat, linteis sordidis substratum, atque is,cui tot castra ornatissima, tot vrbes florentissimæ parebant; animam egit, magno sui desiderio apud omnes relicto, annũ agens vigesimum septimum (anno Christi M. CCCC. VIII.) cum regnasset annos quatuordecim, magnificèque ad Dionysij Parisiorum sepultus est, sepulchroque maiorum elatus.* Hæc ille, quo quidem mortalibus cunctis exemplo liquet:*Spernendum videlicet* (vt ait Corinæus) *humanũ fastum,nec res caducas tot anxijs curis ambiendas; cum non minùs sceptra, quàm ligones mors conculcet.* Rex igitur, ac si impendens sibi fatum præsagiret, Regno optimè administrando,& iusto Populorum regimini intendens, Ecclesiasticæ item rei in pristinum restituendæ nitorẽ totus iam seriò vacare cœperat,vt ipse Ferronius sic prosequitur.

Carolus VIII. Francorum Rex Confessionis virtutem expertus.

Corinæus lib. 1, cap 18.

Bis antequã apoplexia corriperetur confessione culpas expiat.

Ferronius in -8.

Pia ipsius cũ Ioanne Episcopo colloquia, priusquam subito morbo pulsaretur.

Postremis vocibus Deo, ac Virgini ipsum cõmendat.

In vili locatus strato moritur.

Corinæus vbi supra.

9. *Cœpit & ipsam* (inquit) *Galliam probatissimis institutis regere. Ipse bis hebdomadæ omnium querelis auditis ius dicebat, libero omnibus aditu ad auditoriũ dato. Nemo fuit, quantumuis abiectus, qui non ad Prætorium, vbi venisset, audiretur. Constituerat Magistratus Regios salarijs auctis ab omni quæstu auocare, iure illo etiam sportularum sublato, duodecies centum millia librarum Turonicarũ nomine tributi à Gallia tantùm quotannis exigere volebat ad alendas copias; ipse se, familiamque suam, omnes etiam Aulicos Magistratus ex fructibus, obuentionibusq; Regiorum prædiorum Canonis Regij, aliorumque iurium alere debebat: quem morem priscos Galliæ Reges conseruasse ferunt.* Et infra: *Magistratus nonnisi eruditissimis probatissimisque viris dedit, ac sæpe falsus ab aulicis,qui indè pecuniam extorquebant, ad Senatorium gradum neminem admisit, qui non ab ipso Senatu nominatus, lectusque esset, nec temerè nouam vllam sanctionem proposuit, quæ non à Galliæ Curijs prius probata, discussaque fuisset.* Belcarius insuper ob id illum maximè laudat, quod paulò ante mortem fræno sibi cõtinentiæ indicto, sacras Matrimoniales Tabulas, reiectis prauis, atque adulterinis amoribus ritè colere aggressus, iustitiæ

Ferronius vbi supra c. 18.

Publicæ rei ac si mortẽ è proximo præsagiret totus intendit.

Dignã ipsius in Regno administrando gesta.

Ferron vbi supra.

Cura ipsius in Magistratibus præficiendis.

Belcarius de cad lib. 7. nu. 41.

Apud cunctos continentia nec non iustitia laudabilis.

stitiæ administrandæ intentus singulis hebdomadis sui publicè copiam faceret; & ius cunctis, ac ipsis egentibus præsertim diceret, nec non æqui, bonique amantissimus Iudicès ob rapinas, aliosque Magistratu arcens amoueret; Pijs item à Diuo Francisco Paulano Institutis exculta, adeoque ipsi ob neglecta B. Viri aliquando monita, plura quidem aduersa contigisse tradunt.

Vit. S. Franc. de Paula auctor.

10. Quantum ergò ad pœnitentiæ subsidia profugienti nuda, ac sincera peccatorum Confessio prosit, haud vno, sed quàm multis Diuinarum Scripturarum testimonijs, ac Psalmistæ ipsius oraculo liquet: *Dixi* (inquit ille) *confitebor aduersum me iniustiam meam, & tu remisisti, &c.* Enimverò quæ homo homini detegit, Deus è contra tegit, & cum homo se ipsum celat, Deus è contra reuelat; cum reus item agnoscit, Deus clementer ignoscit. Quod sanè recentis eiusmodi memoriæ exemplo euincitur; quod Crombecius in suis paginis tradit: *Quidam* (inquit) *Vir potens peccatum commiserat, à cuius confessione ita abhorrebat, vt potius mortem, & damnationem eligeret, quam Confessionem. Interim conscientia continuè eum angebat. Quodam die cùm Antuerpiæ concionatorem audisset pronunciantem, non esse obligationem confitendi peccata oblita: omnia tentauit, vt illud obliuioni traderet. Ac primùm omni indulsit voluptati, vt peccatum illud suffocaret aliorum multitudine: At semper inter cætera primùm menti recurrebat. Deindè varias Prouincias peragrans, putauit nouitate rerum præteritorum memoriam sepelire, sed non poterat fugere semetipsum, nec sui reatus cruciatum. Tandem se se applicat studio Mathematicæ, & Perspectiuæ, putans vi attentionis requisita, malo suo remedium afferre; sed id etiam frustrà. Quid ageret? sperat pœnitentia sine Confessione illud posse abolere: cilicium, ieiunium, disciplinam, eleemosynam adhibet; sed vulnus potius augetur. Desperabundus ergò mortem sibi conscire parat suspendio, & vt in domo sua peragat, rhedam suam conscendit, vt proprios repetat lares. Occurrit ei quidam nouus Societatis Iesu Sacerdos, qui post salutationem rogatur ab eo, currum conscendat. Quo conscenso, de varijs agit, ita vt de Confessione tandem inciderit sermo, & casu*

Marcantius in Horto Pastor. tr. 5. de impedim. in Confess.

Quæ homo confitendo detegit Deus absoluendo abscondit, ac tegit.

Crombec. lib. 2. de studio perfect.

Quidam ob verecundiã magis mortem, & damnationem, quam Confessionem elegerat.

Acerbe ex culpæ silentio torquebatur.

Post culpam quibus vis modis conscientiã per culpæ silentium sedare haud potest.

retegit vlcus. Nobilis ille existimans hæc propter se dici, turbido vultu interrogat: cur talis ei modò sermo? respondit moris esse Religionis de rebus salutis cum quibuslibet agere; quod si ope sua egeat, paratam offert: Quid mihi (inquit) offers, cui nulla mens est confitendi? quod si sine confessione, auxilio potes esse, lubens acceptarem. Conijcit Sacerdos aliquid in Viro latere, cui obstetricantem manum ad educendum oportet adhibere. Loquitur ergò ad cor eius, & diuersa proponit media, quibus iuuari possit absque Confessione; ita vt tandem aperuerit illi se iam sibi suspendium decreuisse, eò quòd vltra cruciatum conscientiæ nequeat tolerare. Quod si sine confessione possit iuuari, paratum se offert quidlibet pati. Promittit Pater iste operam non inanem, si modò velit aliquot diebus obtemperare in his, quæ præscribet. Itaque cùm domum appulissent, iubet eum cum amicis animum relaxare, & post cœnam lætam somno quieto ea nocte indulgere: sequenti die mane præscribit certa meditationis puncta, quibus magna in eo fiducia erga Deum excitetur. Altero die dat examen conscientiæ, monens, vt notet peccata à se commissa non in ordine ad Confessionem, sed vt singulorum contritionem posset elicere. His peractis, ducit eum ad deambulationem solitariam in nemore, & interrogat an singula rectè examinarit? & vt melius (inquit) memineris, proponam ego tibi aliquot puncta. Proponens igitur grauissima peccata, incidit tandem in illud, quod Virum hunc angebat. Audiens verò ipse suũ nominari peccatum: Ecce ecce (inquit) maledictum scelus, quo angor. Dissimulat Sacerdos: Longè (inquit) grauiora libellus meus continet, ab his, & mille grauioribus absoluere te possum; & quidem illud iam confessus, cætera in memoriam ante redacta potes dicere. Sic ille prostratus, liberè conscientiam aperit, & absolutionem recipit: tanto verò cum gaudio, vt frequenter Patri huic postea repetierit: O Confessio quantã serenitatem, & lætitiam menti affers! O Pater mi, à quot me angoribus Confessio liberauit! Sic planè humilis peccatorũ Confessio à pœnis animã releuat, haud conscientiam prægrauat; medelam affert, vulnus infligit, vel certè magis exasperat.

Extra Confessionem Sacerdoti aperit se ob culpam suspendium decreuisse.

Sacerdos nõ nullas pias exercitationes illi, sed frustra iniungit.

Inter deambulandũ ipsum de grauissimis criminibus interrogans, ipsum, quod is admiserat interrogando deuenit.

Audito scelere si duntaxat de illo pœnitẽs doleat à se vitrò absoluendum repromittit. Quod cum alter fecisset omni molestia liber euasit.

11. Pœnitentia demùm (vt isthæc narran-

narrandi finem faciamus) ad ipsā vltrò sincera, ac humili peccatorum Confessione conuolantibus præsto est, nec vllā animi morbus, & cura moram patitur, vt suo egregiè Petrus Pœnitentium signifer olim exemplo ad pœnitentiam festinus, Chrysostomo teste, procurrens docuit: *Petrus ad pænitentiam* (ait) *non multorum spatia postulauit annorum; sed ipsa nocte, qua cecidit, ipsa quoque surrexit; ipsa nocte, qua meruit plagam, meruit & medelam; ipsa nocte, qua vulnus sensit, sensit & remedium sanitatis*. Quod quidem Cæsar Recupitus è Societate Iesu Sacerdos appositè eiuscemodi exemplo confirmat. *Facit huc* (inquit) *memorabile exemplum, quod à fide dignis accepi. Quidam vespere in lecto decumbens, cùm subductis conscientiæ calculis, se eo die in peccatum mortale incidisse animaduerteret, cæpit vrgeri, donec conscientiæ stimulis, vt statim ad Confessionem accurreret: Illinc pudore, & importunitate temporis, ob quod amentiæ notam incurreret. Vicit pudorem conscientiæ stimulus, & nulla mora interposita è lecto exiliens, ad Confessarium aduolat, noxam Confessione diluit. Ad lectum reuersus, ea nocte repentino morbo oppressus, mortuus repertus est manè: admirantibus, qui rem nouerant, eam pænitentiæ celeritatem: quæ & illi prædestinationis effectus fuit, & signum, impleto illo Nazaræorum præcepto, quo iubetur caput habens pollutum radere illicò in eadem die.* Hæc ille. Et sanè pia, ac celer adeò in culpis ab animo excutiendis, confitendisque deuotio, tutum homini ad æternitatem aditum fecit; perpetuò damnādus, si quam paulò post moriturus, moram innecteret. Vlterior etenim homini mox viuendi finem facturo, ad confitendum mora, mors non nisi certa demum Animæ fuisset. Sed de his hactenus.

Chrysost. hom. in Luc. 22.

Petrus eadē nocte, qua peccando cecidit, pœnitendo surrexit ex Chrysostomo.

Cæsar Recupitus lib. 2. de sign. prædest. cap. 3.

Quidam cū die peccasset nocte recogitās, obdolensque mox ad Confessionem properat, & manè repertus est mortuus.

Pœnitentiæ celeritas, prædestinationis fuit effectus ex Recupito.

CAPVT X.

Peccatores animæ salutem desperantes certam pœnitendo spem concipiunt.

QVoniam *omnes* (vt Apostolus ait) *qui volunt piè viuere in Christo Iesu persequutionem patientur*. Suas quoque, acerbasque in terris Pœnitentiæ virtus à carnis dira primùm tyrannide, & tum à Diabolo, tum etiam ab hominibus persequutionis quotidiè molestias sustinet. *Nunquam enim* (vt Magnus ait Leo) *deest tribulatio persequutionis, si nunquam desit obseruantia pietatis*. Quod & aptè in rem præsentem Hieronymus aliquando expendens, Iudæis ab Ægypto procul fugientibus sua, vt desperent, ipsius impulsu Diaboli instare pericula, nec non insurgentibus exaduerso hostibus prælia intentari intelligens: *Inde* (inquit) *me persequitur luxuria: inde auaritia conatur irrumpere. Indè venter meus vult mihi Deus esse pro Christo, & compellit libido, vt Spiritum Sanctum fugem, & Templum eius violem*. Haud sola namque persequutio est, cùm palàm tyrannus insurgit, cum vi tota instat satelles, & cum ipsemet carnifex ad idololatriæ scelus compellit; sed vel tunc maximè, cum praua ad peccandum cōcupiscentia suam in nobis vim exercendo sollicitat, stimulisque acrioribus, nō secus ac armis accincti vndique bellatores in præceps hominem vrgendo agunt; tunc etenim à tergo ex voluptatis fuga mœror, & tristitia lictoris ad instar exagitat, adeoque inter hostes, & prælia imbellis homo se omnino euadere posse desperet. Quod sanè Origenes aliquando animaduertens: *Non illam* (ait) *solam persequutionem putes, quando furore Gentilium ad immolandum Idolis cogeris: sed si fortè te voluntas carnis illiciat, si tibi libidinis alludat illecebra: hac tanquam persequutienem fuge.* Sic profectò praua, inolitaque peccandi cōsuetudo his, qui ex leges peccādo fiunt, atrox

Apost. ad Timoth 2. v. 12

S. Leo Papa ser. 9 in Quadrages.

Nunquam deest hominis persequutio si pietatis non deest occasio.

Hier. ep. 1.

Affectus prauī, & vitia hominē belluarum instar vrgendo exagitant.

Origenes in Genes. hom. 7.

Quam molesta sit vitiorum lucta & quātum intus hominem vexet.

atrox bellum indicit, & luctam omnium acerbissimam ob Dei amorem sub Crucis vexillo militantibus intentat. Quod & Regius Psaltes conceptis rem verbis edisserens: *Propter verba* (inquit) *labiorum tuorum ego custodiui vias duras*. Magnam itaq; suis Pœnitentiæ virtus mercedem, & larga item post superata certamina præmiorum bona reseruat. *Non coronabitur* (ait Apostolus) *nisi qui legitimè certauerit*.

Psal. 16.

Apost. 2. ad Timoth. 2. 5.

2. Enimverò cùm hostis exaduerso sæuiens magis, magisque impugnat, tunc palma victoriæ in ianuis adest. *Si tentaris* (inquit Ambrosius) *cognosce, quia corona paratur*. Pugna etenim non nisi manifestum promerendi Symbolum est, ac certa quodammodo initiandi triumphi, ac salutis tessera; cum quis videlicet haud prauis hostium, armorũq; machinis bellando cedit, & quamuis pugnã atque in se aduersariorum impetus sentit acriores. Suos itaque Deus electos, & si tentari, & carnis sentire molestias permittit, ipsis tamen tentationibus tribuit non consentire, dũ ipsi pugnam patiendo sentiunt; adeoque Bernardus: *Molesta* (ait) *est lucta, sed fructuosa; quia si habet pœnam, habebit & coronam, & non nocet sensus, vbi non est consensus: imò quod resistentem fatigat, vincentem coronat*. Christianis siquidem (vt Augustinus docet) ac pœnitẽtibus maximè certamen, ac pugna à Diabolo persequente, eoq; acrior est, quia sæuiorem homo patitur hostem, ac diuturniorem sustinet pugnando luctam: *Non* (inquit) *quia Diabolus modò per Reges non sæuit, ideò non Christiani persequutionem patiuntur; si mortuus est Diabolus, mortuę sunt persequutiones; si autem ille aduersarius noster viuit, vndè non tentationes suggerit? vndè non sæuit? Vnde non ruinas procurat, et scandala?* A tartareo igitur hoste, nec non à suis quisq; prauis animi motibus persequutionis molestiam, eòque acerbiorem sentit, quò pœnitens magis, magisque ijsdem, iuxta Climacum, ex aduerso resistit. *Nullum* (inquit) *certius argumentum est, quod Dęmones à nobis sunt victi, quàm si nos acerrimè impugnẽt; si enim illis omninò resistas fortissimè, oppugnabunt te acriter*. Suas quippè vbi virtus pœnitentiæ vires explicat, ibi suã

Ambros. in psal. 118.

Vbi quis tẽtatur, tunc corona, & triũphus in proximo est

Bernard. de interior. domo.

Molesta tẽtationũ lucta, sed fructuosa ex Bernardo.

August. in psal. 127.

Tentationũ pugna resistentem fatigat, sed vincentẽ coronat.

Climac. gradu 27.

Diabolus nunquam à tentãdo cessat, nec homo à resistendo desi-

Dœmon pugnando tyrannidem obstinatior exerit: *Diabolus* (vt Eutymius ait) *vbi diuitias congregatas videt, ibi aciem instruit*. Quapropter ad pœnitentiæ subsidia cautè profugiendum, & tuta potissimum spei anchora vnicuique arripienda est, vbi se post culpam à Dœmone in desperationis baratrum impelli experimento item animaduertit. Quod sanè quamplures arrepto fidei scuto, & pœnitentiæ lorica induti, post atrociora, quæque scelera, vt ex tam antiquis, quã recentis memoriæ monimentis liquet, laudabiliter, atque ob id Cœlo digni præstitere.

Eutymius in Matth.

Pœnitentiũ laudabiliter vnã cũ vitijs, ac dœmone pugnantium exempla.

3. Vt narrando autem initium fit, haud semel post diutinum in vitijs vitæ decursum ignominiosus vitæ finis homini ad beatam æternitatem aditum patefecit, adeo vt ipsi in vitam mors, ac vita in mortis patibulũ simul ac triũphũ verteretur, vt in S. Catharinæ Senensis gestis sic traditur: *Duo* (inquit) *insigniter flagitiosi latrones capti, & atrocissimis supplicijs addicti sunt propter facinorum immanitatem. Iam ducebantur ad mortem, & curribus impositi, ignitis fuscinulis discerpebantur. Nemo illos illa ratione permouere potuit, vt facerent suorum peccatorum confessionem, imò verò blaphemas voces in Deum, & Sanctos eius palam iactabant. Eo autem tempore erat Sancta Virgo apud Alexiam sociam, & discipulam suam, cuius ædes præteribant miserrimi isti. Vbi autem id sensit Alexia, celeriter indicat Sanctæ Virgini. Illa se totam confert ad deprecandam clementiam Saluatoris pro salute desperatorum; cum vidisset per fenestram ingentem Dæmonum turbam illos miserè exagitantium. Impetrat à Domino, vt possit spiritu illis se adiungere, & cum eis ad portam vsque proficisci. Vt autẽ eã viderũt Dæmones apud illos, palam clamabant: si non cessaueris, Dæmoniacam efficiemus: Illa contemnens minas procaces, persistit in precibus. Vbi ad portam Vrbis ventum est, ecce clementissimus Saluator apparet illis obstinatis totis vulneribus confectus, et Sanguine madidus, inuitat ad pœnitentiam, promittit veniam. Illi mox mutati, cũ multa instantia petunt Sacerdotem, peccata sua valdè dolenter confitentur, facta confessione, blasphemię mutantur in laudes Dei; dignos se etiam maioribus tormentis fatentur,*

Tristis atque ignominiosus vitæ finis haud semel homini aditum ad Dei Regnum fecit.

Latrones duo insignes ad patibulũ ducti desperatorum more mori volunt.

Dæmon ipsos suam vti prædam comitatur.

S. Catharina Senensis charitate permota, pro ipsis orans ad pænitendum adducit.

tur; stupent omnes repentinam conuersionem, carnifices quoque mitescunt, nec audent noua imprimere stigmata, dum vident tantam animarum deuotionem. Denique illi ad mortem, haud secus atque ad epulas festinant, spe bona fieri, se per supplicia momentanea citius venturos ad gaudia sempiterna. Sic quidem latronum desperatorum sors in securam æternæ Salutis spem pia Christi Virgine Deum exorante, mutata est.

Christus ipsis apparens sanguine respersus ad pænitendum emollit.

4. Quod & alter expertus est, qui ob capitale piaculum morti addictus & mox ad patibulum ducendus desperatorum more agebatur, sed Dei afflatus gratia extemplo resipuit. Hec enim in Beatæ Catharinæ gestis. *Simile fere* (inquit) *accidit in ipsa Ciuitate Senarum me præsente; Nicolaus enim Tuldi Perusy ciuis nobilissimus, vbi nonnulla verba statum Ciuitatis concernentia incaute prolata ab eo, capitalem sententiam incurrisset; et ex hoc per carcerem vti disperatus incederet: quamobrem Virgo illum visitauit; hortataque adeò est, vt quasi agnus corde lætissimo ad mortem procederet: cuius anima meritis, & orationibus eiusdem Virginis visibiliter volauit ad Coelum.* Super qua materia pulchram habemus epistolam fratri Raymundo à Capua suo Confessario directam ab eadem Virgine conscriptam eiusmodi. *In carcere* (inquit) *iuuenem hominem detentum, quem tu nosti, tantumque ex hoc suis ille supremis malis leuamentum accepit, vt mox sacramentalis Confessionis remedio expiatus, ad mortem, quæ ceruicibus impendebat, Christiano ex more obeundam probe se comparauerit. Dei quippe gratia præuentus, ac morti (vt par est) occurrere gestiens, enixis à me precibus petiit; vt ego sub extrema vitæ momenta morituro adessem. Quod ego illi promisi, ac subinde fideliter præstiti. Summo igitur mane antequam ære campanæ signum daretur, promissionis memor ipsum in carcere adii, meisque tum verbis, tum præsentia maxime releuatum ad sacrosanctum Missæ sacrificium vnà mecum deduxi. Diuini autem Corporis, quo nunquam refectus antea fuerat pabulo recreatus, tantum breui in Dei amore profecit, vt voluntas ipsius, diuinæ omnino voluntati concors effecta, haud quicquam repugnando contradiceret, sed perfectè ad ipsius nutum inter aduersa quæque ipsasque mortis angustias persisteret. Id tamen vnum homini, qui mortem iam non timebat, timendum adhuc supererat, ne videlicet sub vitæ finem, & ad mortis aspectum pallescens à preferuido mentis proposito deficeret; sed sic eius Deo aspirante animus in Dei amore, ac obsequio fixus ad vsque finē perstitit, vt non nisi de Deo iugiter cogitans, aut loquens, vel ad momentum esse absque Deo nequiret, illis ipsum fiduciariter verbis cōpellans: Sis tu mecum Deus, et nil trepidabo: Dominus tu mihi adiutor, & refugium, & bene mihi erit; Letus viuam, ac lætus pariter ipso protegente moriar. Hæc verò dicens mansuetus veluti agnus meum supra pectus, & iam cum morte colluctans, suam mox abscindendam ferro ceruicem reclinauerat. Quo viso, intus ego mirificè præ gaudio exultans, & ob sponsi amorem, zelo quoque animarum gestiens sic ipsum trepidantem conueni. Confide ac bono animo esto frater dulcissime; ad agni quippe nuptias, ipsiusque agni dealbatus sanguine cito peruenies; adeoque mellifluum Iesu nomen suo nunquam ex ore, ex corde nunquam excidat (Salutis etenim hoc ipsum nomen est) Ego itaque te ad nuptias properantem festina ad patibuli locum præueniens expectabo, vbi te Deus pariter tuoque ipsius manu inferenda capiti corona expectat. His ille auditis, omni deposito metu totus repente in Dei amorem exarsit totaque conuersa in gaudium mortis tristitia; præ amore gestiebat, ac moriturus spiritu exultabat in Deum viuum sic semetipsum viriliter alloquens: Vnde (aiebat) hoc mihi, vt immensa Dei bonitas, me in benedictionibus dulcedinis præueniens, quamuis indignum adeo in præsens consoletur, & me in loco sancto suo, in quo patibulum modo paratum est, peramanter, ac misericorditer capiti coronam daturus expectet? Letus igitur, ac festinus ad locum ibo, in quo Deus pro pœnis premia; & pro morte vitam largiturus expectat. Quid moror? Quid timeo? Dominus mihi adiutor, & non timebo.*

Conuersi tanquam agni ad mortem, & ad nuptialem thalamum properant,

Fr. Thomas de Senis in vit S. Catharina Senensis tom 1. pag. 179

Nicolaus Tuldi Perusinus carceri addictus, & corde ex obstinato, resipiscit.

Epist. S. Catharinæ Senensis in lib. epist. ad Fr. Raymundum de Capua, aliosque.

B. Catharina hominem carceri mancipatum & morti addictum inuisit, & ad mortē patienter subeundam hortatur.

Sacramentis Ecclesiæ munitus, nouos induit spiritus, suasque culpas agnoscens, pœnam læte amplectitur.

Cælesti refectus viatico in Dei amore fixus, & constans permanet, & aduersus mortē impauidus insurgit.

Dei Virgo mellifluus ipsum verbis leniti, & morienti adfutura eundem ad patibuli locum præit.

Mortis tristitia in gaudiū vertitur, & spiritu ad patibulū properans exultat;

5. Iuuenit itaque eo diuinitus lumine, ac feruore spiritus replebatur, vt ipsummet supplicii locūqui non nisi reorum sanguine redundat, Sanctum honoris gratia appellans Paradisum computaret, & non tam pœnas, quam delicias ibidem benigno Dei nutu sibi pa-

Locum patibuli Paradisum præ gaudiis appellās ac pœnas delicias reputans, moram mortis, plus quam ipsam ob mortem dolet,

paratas crederet, adeoque vel ad momentum mortis supplicium protrahi, & quamlibet interpositam in subeūdis pœnis morulā, nedum acerbam sibi pœnam, sed morte ipsa acerbiorem putaret. Quæ autem is tunc dicebat, non tam terreni hominis, quàm cælestis animum, ac verba inter loquendum sapiebant, resonabantque. Ego interim ad patibulum citò præcurrens, meumque Macheræ caput supponens vltrò me ipsam pro fratre libentissime obtuli, ac sponsum enixius, vt sua fatiscentem in ipso mortis conflictu gratia roboraret, precata, responsum haud mortis, sed vitæ pro iam morituro intus in corde habui; Vbi verò reus, qui à lictoribus ducebatur, tanquam agnus immolandus ad patibuli locum peruenit, ac me stantem à longè conspexit, ingentem, qua cor ipsius perfundebatur, subridendo lætitiam testatus, mea quidem manu sibi fronti Sanctissimæ Crucis signum imprimi voluit, cui ego isthæc: Bono sis animo ò tu frater: ad nuptias quippe agni properas, & citò mortali vita solutus, Cœlo receptus immortalem adibis. His ille roboratus magna confestim animi alacritate, ac seipso fortior sub patibulo membra locauit, & ego collum ipsius ferro, quo præcidendum erat, supponens, ad ictum excipiendum meis illud manibus, ipsiusque auribus diuinum Christi Iesu nomen, & sanguinem suauiter insonando aptaui. Quo facto iuuenis sacratissimum Christi, & Catharinę nomen ore iugiter repetens præciso manu Carnificis, quo ferrum erat appensum, fune mox rapido ferri ictu carne solutus est, meisque refectum caput manibus excepi &c. Ingenti demum ob felicem ipsius ad nuptias, & ad vitam transitum gaudio perfusa, ægrè admodum tuli, guttis sanguinis, quo mea respersa erant vestimenta, & quo is dato tanquam pretio immortalem sibi vitam emerat, pretiosis vti margaritis orbari, eiusque sortem admirans haud misereri, sed magis ipsi inuidere posthac cœpi, &c. Hæc aliaque in hanc planè sententiam Virgo, ipsius exitum describens, quæ (qui vult) epistolam consulat.

Tanquam amicis agnus iam immolādus sponso Virgini gaudium subridendo testatur, dum à Virgine diuinis verbis ad luctam roboratur.

Placidissimè ferro obtruncatus, Deo spiritum reddit, & caput Virginis manu, vt quid pretiosum ac venerabile exceptum.

6. Salus verò animarum adeo semper cordi viris sanctitate præcipuis fuit, vt ipsorum tum votis, tum precibus, tū consilio, tum opera, deperditi quique hominum vel sub extrema vitæ momenta pedem è Tartaro contrahentes mox, in Cœlum iter dirigerent, vt in fastis præsertim Senensibus, Thomæ Caffarini Prædicatorum Ordinis opera, B. Catharinæ Senensis precibus, contigisse traditur, hæc enim ibi: *Cum Andrea* (inquit) *Naddini de bellantibus perdita hominis nequitia supremis aliquando Thomas adesset, summaque (vt fit) niteretur ope, vt is ad pietatis, quam viuens penitus exuisset, studium extremo illo tempore, æternitatis in articulo redire vellet, mortemque Christiano homine dignam obire. Ne irriti (quod futurum videbatur) eius conatus euaderent, efficacibus ad Deum precibus eximia Virgo perfecit; quin ipse Christus Dominus visendam sua humanitatis imaginem oculis moribundi obtulisse dicitur quò adamantina eius durities ad salutarem pænitentiæ dolorem mollesceret, atque ab imminenti perpetuæ mortis periculo infelix anima sese eripi pateretur.* Sic profectò Vir alioqui perditus, Virgine Deum pro ipso orante serio, sub vitæ finem, resipiscens, & qui iam perierat, animæ lucrum fecit.

Sanctorum precibus grauibus irretiti culpis sub finem resipiscunt;

Fasti Senenses pag. 51.

Andreas Naddinus ad B. Catharinæ Senensis precibus cō sequitur.

7. Spes igitur, quæ inter sæculi procellas nauigantibus anchoræ adinstar præsto est, si quis ad vitæ portum saluus emergere cupit, haud vnquam è manibus dimittenda, imò priùs vita, quam immortalis vitæ spes deponenda. Quapropter diaboli potissimùm fraude hominibus sub vitæ finem desperationis intētari laqueū cōtigit, vt sic in Cęs. Cardinalis Baronij gestis traditur. *Nec prætermittendum* (ait) *hoc loco, quod Isabella Merula Carandina illustri fæminę apud eumdem Iulium Vrsinum ęgrotanti vsuenit: Annus erat iam, cum illa graui morbo detinebatur; cumque paulatim deficientibus viribus intelligere, et instare sibi supremum diem, nimiam quamdam fiduciam de Dei misericordia concepisse animo videbatur: Quamobrem qui erat ei à sacris confessionibus, veritus Dæmonis artes, quibus eo maximè tempore mortalium mētes oppugnare consueuit, obiecto timore gehennæ immoderatiorem illam spem cohibere, & tēperare studebat. Quare ęgrota (vera erat animo parùm firmo, pusilloque) ex nimia illa spe in tantam repentè desperationem delapsa est, vt omnem viam ad salutem interclusam esse pro certò haberet, pa-*

Spes in Deū haud vnquā peccatoribus intermittenda.

Hieronym. Barnab. in vi Cęs. Card. Baronij lib. 3. cap. 21.

Isabella Merula Carandina cum desperatione sub mortem tentatione pugnat.

lamque

lamquè prędicaret. Accurrit interea Cęsar & quibus potest verbis, eam consolatur: Cui illa: Desine plura Pater, ego enim æternis ignibus addicta iā sū. At Cęsar: caue filia ne posthac vnquam tale verbum ex te audiam: Nequaquam infernis ignibus damnata es, imò verò neque per ignem Purgatorium, Deo miserante, transibis. Siquidem istiusmodi ęgritudo tibi pro purgatoria pœna data est. Quamobrem cum primùm illuxerit dies Sabbati, ex hac vita migrabis in Coelum. Nec dicto fides abfuit; ea enim, qua ille prędixerat hora maxima cum spiritus exultatione, dulcissimum Iesu nomen ingeminans, expirauit; nonnulliquè Viri religiosi, sanctitate insignes, illius animam rectà in Cœlmm euolasse contestati sunt; in primisquè P. Angelus de Pas Ordinis Reformatorum S. Francisci Vir celebris Sanctimonię, id ipsum se vidisse affirmauit. Pœnitentię igitur Cœlum patet, eademquè suffulti, spem bonam arripientes, ipsis tum pœnis, tum calamitatibus expiati, tuti tandem ad Cœli præmia conuolant.

Validis à Barsamo verbis et Deo præfdat, & non frustra erigitur.

Hier. Bernabeus in vit. Berony vbi supra.

CAP. XI.

Pœnitentes Eucharistiæ Sacramento refecti pie, ac placidè se ad vitæ exitum comparant.

1 DIgnam planè præmiorum in Cœlo spem ac satis amplā ob diuini cultum obsequij repromissam sibi a Christo, qui deuote interim, ac fiducialiter viuifico Altaris pabulo vescuntur, mercedem deniquè obtinent: *si quis* (inquit) *manducauerit ex hoc pane, viuet in ęternum.* Quid enim mortalis homo magis, magisque, quam vitam viuendo expetit, & hanc haud mortis obnoxiam legibus instantissime exàbiendo perquirit; quid insuper è cōtra mortalis quisque plus timet, cunctisque præ vltæ malis in ipsa mortis regione amplius exhorret, quam mortem? Innata quippe homini est iugiter viuendi cupiditas. Quapropter Christus vt ad se homines adeò viuendi cupidos alliceret, pertraheretquè vehementiùs, sumendum ipsis vitæ pabulum in diuinissimo Altaris Sacramento proposuit: *Ego sum* (inquit) *Panis vitę*, adeoque omnis procul ab homine, qui diuinorum particeps fit mysteriorum, mortis metus abigitur; & secura ipsius spes vitæ, vnicuique Ambrosio teste refunditur: *Quomodo* (inquit *morietur, cui cibus vita est*? Christus namque in hoc Sacramento continetur, qui de se ipso ait: *Ego sum via veritas, et vita.* Hinc meritò Augustinus cunctos ad prægustandū vitæ pabulum inuitans, adhortans què salubriter: *Illud* (inquit) *bibere quid est, nisi viuere? Manduca vitam, bibe vitam.* Congruè igitur haud alio Christus in Euangelio, quàm vitæ ipsius vocabulo, quia immortalitatem vtpote sumentibus elargitur veraciter se ipsū appellat: *Ego sum* (ait) *panis viuus; ego sum panis vitæ.* Vitę namque immortalitas, vitalis cibi alimentum sumentibus repromittitur: *Et ego resuscitabo eum in nouissimo die.* Et apposite quidem huiusmodi facta promissio: Diuinum quippe Altaris epulum prægustantes, præcipuo quoque amoris titulo exoptatæ immortalitatis munere donantur: *Comedentes* (inquit ille doctissimus) *resuscitabit; impossibile namque est, vt mors, & interitus ab eo, qui naturaliter vita est non vincatur.* Ita plane.

Ioannis c.6.

Eucharistiæ Sacramento æterna mortalibus vita repromittitur.

Io.cap.14.

Homo nil magis cupit, quam vitam nil amplius timet, quam mortem.

Ambrosius psal. 118.

Christus cōgruè seipsum in hoc Sacramento proponit, vt hominis famem, ac desiderium expleat.

Io.14.

Sacramento Altaris à Christo vita donatur, & mors procul abijcitur.

Cyrillus Alexand lib. 3. in Ioann. c. 37 Suarez. 3. p.q.79. art.8. disp.64.

2. Meritò igitur viuus hic panis, supersubstantialeSacrosancti Altaris pabulum, & ipsa denique *Eucharistia* (vt Ignatius ait) *mortis antidotum, & pharmacum immortalitatis*, & à Concilij Patribus *resurrectionis item symbolum appellatur.* Quin & Ireneo Patribus adstipulante: *Per carnem* (inquit) *Christi homo deuenit ad incorruptelam.* Quin aptis, consonisquè Cyrillus item verbis Sacramentum Altaris extollens, non aliter quam *carnem viuificantem, et interitum penitus expellentem*, vocat. Et vt Damasceni hic aptè verbis vtamur: *Fit corpus* (inquit) *Christi ys, qui fide dignè sumunt, in remissionem peccatorum, in vitam æternam, et in custodiam animæ, et corporis.* Atqui Augustinus insuper de altaris Sacramento, sic loquens audiendus est: *Eos* (inquit) *à quibus sumitur, incorruptibiles facit, et immortales.* Quapropter non incongruè ab Hilario *vitę perennis esca*, & à Chrisologo item *salutis epulum*, dignissimè nuncupari meruit: Porrò si-

Ignatius martyr. epist. 14. de Eucharistia.

Eucharistia mortis antidotum immortalitatis pharmachū à S. Ignatio mart. appellatur.

Conc. 1. Nicænū cap. 10 Irenæus lib. Cyrillus lib. 4. in Ioann. cap. 14.

Damascenus de fid. orthod. lib. 4 c. 4 cap. 14.

Hilarius de Trinit. lib. 8. Chrys ser. 1.

Eucharistiā sumētes incorruptibiles, & immortales fieri ex Augustino.

Ignatius epist. ad Eph.

Tertullianus lib. de pudicit. cap. 18.

Conc. Trid. sess. 13. cap. 2.

quis Ignatium alibi de altaris Sacramēto loquentē consulat, *Eucharistia* profectò ab ipso dicitur *medicamentum vitia purgans, et omnia pellens mala*, & à Tertulliano subinde *Eucharistia medica*, ac demum à Concilij Tridentini Patribus vnoq; ore eodēq; totius Ecclesiæ *Pignus futuræ gloriæ, et perpetuæ felicitatis* aptissimè nuncupatur.

3. Congruè itaque feruidi pœnitentiæ cultores sapido Sacramenti istius alimento refici, ac iugiter muniri gestiūt, quia nimirum robur in primis animæ præbet, quod & ipsius olim Eliæ typo præsignatum est: *Et ambulauit in fortitudine cibi illius vsque ad montem Dei Horeb*. Quapropter B. Laurentius Iustinianus aptè eiusmodi vsus aliquando in rem symbolo: *Hoc Sacramentū* (inquit) *spirituale tibi præbebit robur, per quod vsque ad montem Dei gradiaris alacriter*. Cum ergo Christi fideles Altaris quotidie Sacramēto, apto vti viatico ab Ecclesia muniantur, nonnisi dulcis eosdē post pabulum, ac sub vitæ finem animæ sopor tandem consequitur: *Post insigne illud epulum* (inquit Nissenus) *somnus sponsam occupat*, adeoquè fideles, qui accepta demum Eucharistia moriuntur, tuti, suauiter in somno pacis obdormiūt, & idem ipsis quod, & Moysi olim cōtingit: *Mortuus est* (ait scriptura) *iubente Domino, et Moyses seruus domini*. Quod quidem nō tam verbis, quàm ipso Chrysostomus experimento verum comprobat, dum faustum, ac felicem permultorum è vita exitum recolens: *Quidam* (inquit) *mihi narrauit, dignus habitus, qui id vidisset ipse, et audisset, quod qui de hac vita emigraturi sunt, si mysteriorum huiusmodi cum pura, ac munda conscientia participes fuerint, spiritum efflaturi, ab Angelis eorum corpora satellitum more stipātibus propter assumptum illud Sacramentum hinc adducuntur in Cælum*. Sed ad ipsos nunc singillatim recensendos noster (si libet) breuiter sermo recurrat.

Laurentius Iustinian. ser. de Euchar.

Fortitudinem ac robur Christus in pane, quo Elias pastus est, typice impertitur.

Nissenus in c. 5. Canticor.

Deut. c. 34. n. 5.

Chrisost lib. 6. de sacerdo. D:

Viaticū est Altaris Sacramentum, quo fideles tuti è sęculo in Cœlum abeunt ex Chrysostomo.

4. Theodosius Mauritij Imperatoris filius, qui ad Cosdroen Persarum Regem auxilij petendi gratia directus à patre fuerat, à Phoca subinde, patri in Romano administrando Imperio à militibus suffecto, reliquis eius fratribus vnà cum Mauritio neci traditus, ipse qui iam fuerat in Imperij sortem patris calculo delectus, diligenter vndique perquisitus, inuentus tandem funeste, crudeliterquè peremptus est. Verùm antequam gladio feriretur, se Christiano ex more ad mortem fortiter, constanterquè ferendam accinxit, sacrisque mysterijs impertitus, cum immortales gratias Deo piè, ac deuotè persoluisset, rei pœnitentis instar pectus manu percutiēs, Deumquè cōceptis supplex sibi verbis sub vitę finem propitium implorās, iugulum carnifici præbuit. Sed Cedrenum isthæc enarrantem audire hic præstat: *Fama obtinet* (inquit) *Theodosium Mauritij filiū ad Cosdroen legatum missis à Phoca ministris, Niceæ captum, iussum necari, cum ad locum, cui nomen est Leucactæ, peruenisset. Theodosium porrò petijsse, vt priusquam necaretur, diuinis impertiri posset mysterijs. Quod postquam impetrauit, actis Deo gratijs, lapidem à terra sustulisse, eoque ter pectus suum percussisse, ita orantem: Domine Iesu Christe, tu scis, me nulli hominum iniuriam fecisse: nunc autem mihi euenit, vt tua iubet potentia. His dictis caput ei fuit amputatum*. Hæc de recolendo Augusti, & clari inter cœteros iuuenis obitu, qui Imperij pridem consortio fuerat à patre destinatus, qui & insuper, cum Phocæ iussu fatum, quod sibi impendebat, vitare neutiquam posset, constanti, inuictoquè animo in mortem imperterritus, ac se ipso fortior insurgens, diem Christiano planè ex more feliciter clausit.

Baronius an. 603. num. 10.

Theodosius Augustus, Mauritij filius post Mauritij & filiorum cladem neci à Phoca traditur.

Cedrenus in annal. Phocæ: an. 1.

Sacramento altaris, se ipsum antequam occidatur munit.

Moritura lapide pectus percutit Deumq; propitium sibi inuocat.

5. Atqui sub Principe barbaris adeo moribus prædito, & in omnem sæuiendi modum effuso, haud mirum cuiquam videatur, si cladem iuuenis omni dignus laude præter fas, imò per summum scelus incurrisse legatur. Phocas quippe moribus apprime ferus, ac omnimodis comiserando alienus, egregiè à Cedreno describitur, dum his inuisam barbari hominis imaginem coloribus velut in tabula ad viuum adumbrat: *Statura* (inquit) *fuit mediocri, deformis, terribilis aspectu, rubente capillo, supercilijs coeuntibus, mento raso, cicatrice in mala notatus, quæ ipso irascente denigrabatur; vinosus, mulierosus, sanguinarius, rigidus, in dicendo ferox, à miseratione alienus, moribus ferus, hæreticus. Vxor eius Leontia*

Baronius vbi supr.

Iuuenis omni alioqui dignus laude à barbaro homine iniustissimè cæsus.

Phocæ Imperium occupantis crudelitas, ac mores à Cedreno descripti.

ijsdem

ijsdem fuit moribus imbuta. Quibus sanè nonnisi tristia quæque, ac funesta Orbi, Romanoq; Imperio instabant. Verùmenimuerò Phocæ sub sceptro impunè adeò sæuientis imperialis mucro semel exertus haud quieuit, sed cunctos feraliter subinde perstrinxit, obtruncatis nimirum præcipuis, qui Constantinopoli reperti tunc fuerant, & qui iā aberant, vbiq; diligentissimè ad necem perquisitis. Inter quos Georgius Cappadox, æque Vir nobilis ac clarus, de quo Eleusius in gestis S. Theodori Siceotæ cuius ille discipulus fuit, dum ipsius portentorum signa recenset hic à S. Theodoro ad mortem fortiter, viriliterquè subeundam incitatus, iam vinctus ad Phocam à militibus rapitur, sacrisquè mysterijs impertiri cupit, militibus interim soluere recusantibus, Viri Dei precibus factum est, vt vinculis se ipsis repentè solutis, Diuino Altaris pabulo sit refectus; qui & vinculis iterum subinde constrictus, ad Phocam lagulandus adducitur. Sed Eleusium isthæc in S. Theodori gestis narrantem audiamus.

Georgius Cappadox ad mortem subeundam accurrit.

Eleusius in gestis S. Theodo. ri Siceotæ.

6. *Georgius* (inquit) *Cappadox cum magna militum manu catenis collo, manibusquè, ac pedibus iniectis vinctus traheretur ad Phocam Imperatorem, tanquam imminuta maiestatis criminibus obnoxius, cupiebat. S. Theodorum inuisere, & eius se precibus commendare: Eodem & custodes desiderio tenebantur. Quamobrem ad eum se contulerunt, & accepta eius benedictione, illum rogarunt, vt Georgium vinctum admoneret, vt animo sincerè se duci fineret, nec sibi nec ipsis insidias faceret, ne in capitis periculum apud Imperatorem incurrerent*; id fecit Sanctus Pater: *diuinarum enim scripturarum vtens testimonijs monebat eum, hæc inquiens: Fili, quæ sunt in hac vita, breuia, caducaquè sunt: quæ verò in altera vita nos manent, stabilia, & sempiterna. Caue igitur ne tibi mortem consciscens, in æternum supplicium incidas; Illudquè considera, fili, & tibi ipsi propone, vt sine hoc, sine alio crimine iure damnatus, capite plectaris, libenti animo supplicium subeas, vt in vita futura liber sis, & absoluaris. Quod si nullius es tibi criminis conscius, multò libentiùs, si condemneris suppliciū adi, vt coronam eamdem accipias, quam Sanctis omnes, qui iniuria interfecti sunt, perceperunt. Expedit enim vim iniustè patientem mori, quemadmodum et Sancto Abel, & innocenti contigit Zachariæ, & Sancto Ioanni Baptistæ, & Sanctis Apostolis, & Christi martyribus*. Sacrarum itaque scripturarum oraculis hominem sub ipsius mortis aspectu pallentem, trepidantemquè Dei famulus erigere vltrò conatus est, quibus miser inter suprema discrimina mortisq; angustias valide confirmatus, sacrosancti Dominici Corporis pabulo muniri ardentiori studio præoptauit. Verùm cum Vir Dei ad tempus hominem solui poposcisset, militesquè detrectarent suis incunctanter precibus, quem militum manus soluere recusabat vinclis exoluit, diuinisquè impertitum muneribus, hilarem, constantemque ad Phocam remisit, vt idem his verbis Auctor prosequitur:

Soluuntur eius vincula, vt Corpus Christi liber suscipiat, & subinde ligatur.

Quid Georgio S. Theodorus inter aduersa consuluit.

7. *His* (inquit) *& multis alijs Diuinarum scripturarum testimonijs Georgius animo confirmatus, vt diuinorum mysteriorum particeps fieret, petijt. Tum Beatus Theodorus ad custodes vir. Vereamini (inquit) filij mysterium Domini, & soluite hunc, dum illud accipit neque enim est, vt quisquam vinculis constrictus Christum suscipiat, qui pro nobis passus est, vt nos ab inferni vinculis liberaret. Cum autem illi excusarent se, dicerentquè id sibi non licere; Georgium enim esse Virum nobilem, ac strenuum, qui si solutus esset, & vellet ingratus esse, & aufugere, nullo modo comprehendi posset: Beatus Theodorus sumpto diuina communionis pabulo, vt id illi impertiret, suspirans ad Deum suspexit, & illicò vincula humana cum strepitu conciderunt; quamobrem cum milites tumultuarentur, & ad fores claudendas currerent, ne Georgius fugeret*: Nihil (inquit S. Theodorus) *timeatis: Ego enim gratum, & sincerum huius viri animum planè noui. Cum igitur diuina ei mysteria tribuisset, voluit etiam, vt simul cum custodibus apud se cibum caperet. Post autem vinculis rursus iniectis, discesserunt*. Hæc in B. Viri gestis; Quibus primum Vir pius pœnitentiæ armis, ac diuinis subindè Sacramentis roboratus omni metu superior, è vita decessisse fertur, cui inter ipsas mortis insuper angustias deprehenso, Sacrarum Vir Dei scripturarum elo-

Eleusius in S. Theodori gestis.

Precibus viri Dei vincula Eucharistiā sumpturo soluit.

eloquio diuinitus præsto fuit, adeoque & si vinctus corporis mortem Imperatoris iussu subijt, mortem tamen animæ Christi virtute, ac sacramentorum ipsius munimento liber euasit.

Ioannis cap.6

Baronius an. 255. nu. 8.

Eucharistiæ Sacramento persequutionis tempore christiani muniebatur.

8. Christiani namque cum diuinam Christi Sacramentorum virtutem ipsius Christi Verbis in Euangelio edocti recolerent: *Nisi manducaueritis carnem Filij Hominis, & biberitis eius sanguinem non habebitis vitam in vobis*. Eorum participes fieri, ijsdemque se maxime sub vitæ fugientis occasum præmunire cupientes, si quæ acerba aliquando persequutionū procella ingrueret, ad Altaris Sacramentum, *tanquā apes* (vt ille ait) *ad Alnearium conuolabant*. In quo et pia iugiter Pontificum, ac Pastorum Ecclesiæ sollicitudo institit. Quapropter Anno Christi 255. cum in Africa dira sub Gallieno, & Volusiano principibus persecutionis vis recrudesceret, Beati Cypriani Carthaginensis Episcopi, ipsorumq; orthodoxorum præsulum opera ad opem tum lapsis, tum in fide perstantibus Sacramentorum præsidio ferendam inuigilare non destitit. Hæc enim tunc Concilij patres: *At nunc* (inquiunt) *non infirmis, sed fortibus pax est necessaria nec morientibus, sed viuentibus communicatio à nobis danda est, vt quos excitamus, et hortamur ad prelium, non inermes, & nudos relinquamus, sed protectione corporis, & sanguinis Christi muniamus, & cum ad hoc fiat Eucharistia vt possit accipientibus esse tutela, quos tutos esse cōtra aduersarium volumus, munimento dominicæ saturitatis armemus, &c.* Et hæc infrà *Idoneus non potest esse ad martyrium, qui ab Ecclesia non armatur ad prælium, & mens deficit, quam non recepta Eucharistia erigit, & accendit*. Et infrà ijdem Concilij Patres: *Placuit nobis Spiritu sancto suggerente &c. colligere intra Castra milites Christi, & examinatis singulorum causis & lapsis dare, immò pugnaturis arma suggerere &c.* Hæc aptè in rem Cyprianus. Solemnis itaque cunctis Christi cultoribus mos semper fuit, vt Sacrosancto Dominici Corporis viatico refecti, ipsummet vitæ finem sollicitè præuenirent; Quippe qui probè scirent originarium gratiarum omniū fontem sumentibus Christi corpus diuinitus re-

Cyprianus epist.55.&91

Quid suis Cyprianus in Africa præstitit.

fundi, certamq; insuper aduersus tartari hostes in acie subindè pugnaturis victoriæ palmam repromitti: *Qui enim* (inquit Christus) *manducat hunc panem, viuet in æternum*. Quod sanè Viri principes suo haud semel exemplo comprobarūt, dum absq; viuifico pabulo vitā finire, ipsa acerbius morte computarēt. Quapropter Otho III. huius nominis Romanorum Imperator suam in hoc maximè discessus è vita pietatem posteris commendauit, de quo isthæc ex Vuidichindo Baronius: *Tertia* (inquit) *feria ante Pentecosten loco decessit, qui dicitur milleuū: proxima nocte iuxtà morem diluculo de lecto consurgēs, nocturnis, & matutinis laudibus intererat. Post hæc paululum requieuit. Missarum deinde officys celebratis, pauperibus iuxtà morem manum porrexit, paululum gustauit, iterumquè in lecto requieuit. Cum autem hora esset processit lætus, & hilaris, ad mensam resedit: peracto ministerio vespertinis laudibus interfuit; peracto cantico Euangely, æstuari, & fatigari iam cæpit. Quod cum intellexissent Principes circumstantes, sedili eum imposuerunt. Inclinantem autem caput, quasi iam defecisset, refocillauerunt: expetitoquè Sacramento Diuini corporis, et Sanguinis accepto sine gemitu cum magna tranquillitate vltimum spiritum cum Diuinis officys pietatis Creatori Omnium tradidit*. Et infra isthæc: *Itaque defunctus est Nonis May, quarta feria ante Pentecosten Imperator Romanorum, rex gentium, diuinarum, humanarumquè rerum religiosa seculis relinquens monimenta*. Suum quippe Christianissimus, vt securus ad Deum mortali tādem solutus vita abiret, diuinorum Sacramentorum subsidio muniri exitum voluit.

Ioannis cap.6

Otho III. Imperator moriturus sacramento altaris seipsum vult roborādum.

Baronius an. 973. num.3.

Vuidichin. lib.3.

Quanta pietate sacris mysterijs releuatus obit.

9. Idem planè præclarus alter Gallorum Rex ob eximiam ergà diuinissimum Altaris mysterium pietatem præ cunctis maximè laudandus præstitit, qui vt sibi decedenti præoptatam culparum à Deo veniam impetraret, pœnitentis in morem cinere, qui pœnitentiæ Symbolum est, respersus, mira ad diuinum Altaris epulum animi demissione accedens, haud vulgaria christianæ tum pietatis, tum humilitatis sub finem posteris documenta reliquit; de quo isthæc in Francorum tabulis auctor: *Ludouicus*

Robertus Gaguin. lib.5.

ijsdem

Ludouicus Crassus Rex Gallorum sacramento altaris moriturus reficitur.

(inquit) *Crassus cum mortem sibi imminere videret, compluribus accersitis Episcopis, postquam Confessionis Sacramento conscientiam emundasset, Sacram sibi Eucharistiam conferri postulauit. Post hęc pauimentum tapete sterni iussit, ac super eum Signum Crucis ex cinere fieri, vbi, & iaceret, & moreretur. Decumbens igitur in tapete Rex defunctus est.* Sic planè vitam intimè compunctus pijssimus Rex cum magna salutis spe, immortalitatem aditurus conclusit.

Ant. Dauroul. in catec. hist. cap. 5 tit. 13.

Dauid primus Scotorũ Rex Dauid Regis æmulator moriturus in Ecclesiam ad Christi corpus sumendum vult se deferri.

Hector Boetius lib. 12. hist. Scotic.

10 Nec minori insuper deuoti animi argumento Dauid primus Scotorum Rex, & Dauidis Israelitarum Regis æmulator, inter moriendum olim præfulsit, qui vel graui ex morbo decumbens, ac se, vt Christi Corpore reficeretur, indignum reputans, vt ad Regium, in quo iacebat, palatium Rex regum, & Deus maiestatis veniret, illa supplex Centurionis verba repetens: *Domine non sum dignus, &c.* ipse ad templum, alienis sustentatus manibus, processit, ibique Sacrosancto Altaris pabulo refectus, ad regiam subinde domum moriturus diuertit; de quo isthæc Hector Boethius: *Cum vitæ* (inquit) *finem adesse sentiret, indignum se reputãs, ad quem Corpus Christi deferretur, duob us Sacerdotibus innitens, ad templum venit, & peracta re diuina, sermonem ad suos habuit de pietate in Deum, quam beneficus, & salutaris ipsum colentibus esset. Mox in genua procidens, ardentibus precibus Christi Corpus integra fide suscepit. Indè in cubiculum reductus, conuocatis Primoribus, nepotes suos illis iam extremò commendauit, datoquè singulis osculo, vt publicam semper vtilitatem tuerentur, precatus est: deinde commendata Deo anima sua, expirauit Anno regni 29. sepultus &c.* Haud enim absque diuino vitæ pabulo pius adeo Princeps mortali vita excedere, Sacramentisque ieiunus in longinquam abire regionem sustinuit.

Indignum se vt Christus ad ipsum veniret, reputans, ipse ad Ecclesiam pergit.

Rainald. an. 1399 nu. 14.

11. Sed vt apposite alia hic nonnulla ex historiarum monumentis repetamus; in Prussia B. Dorotheæ miraculis, ac sanctitate illustri, cum iam iam è vita esset migratura, ac suprema è corde suspiria trahenti Sacerdos, qui Ecclesiæ impertiret sibi Sacramẽta deesset, Christus Dominus pijs fœminæ votis è Cœlo annuens, opportune adfuit, eiquè, ne sua spe frustraretur, Eucharistiam sumendam porrexit, vt Bernardus Maciciensius Cardinalis, & Genensis Archiepiscopus his verbis tradit: *Antequam* (inquit) *ex hac vita migraret, insigni priuilegio à Domino, cui toto corde seruierat, exornata est: nam cum morti proxima, sacrum Corpus dominicum suscipere ardentissimè desideraret, minusque animaduerterent ij, quibus eam tali Viatico muniendi cura incumbebat, profunda suspiria ex intimo cordis affectu trahenti ipsemet Saluator noster Iesus Christus cum Sanctissima sua Matre apparuit, eamquè per eamdem fenestram, per quam ipsum toties in Missæ Sacrificio sub speciebus panis, & vini latentem adorauerat, ipsemet proprio Corpore sub speciebus panis refecit, quo illa percepto, non multo post ad eumdem sponsum feliciter migrauit, die secunda Mensis septembris. Post mortem labia eius liquore mirabili, & odorifero sudare visa, corpus verò, licet macilentum, & liuidum, suauissimum ex se diffundebat odorem, cuius attactu, & odore plurimi debiles, et claudi fuere sanati, atque cæci visum receperunt. Sepulta est magno cum honore in eodem loco, in quo mortua est. Ad eius sepulchrũ multi obsessi à Dæmonibus liberati, plurimaque miracula ad eiusdem inuocationem patrata. Quibus permoti Generales Magistri Prussię cum Episcopis. et Capitulis circumuicinis nomine totius ordinis Cruciferorum à Bonifacio Papa IX. postularunt, vt eam Catalogo Sanctarum mulierum ascriberet.* Hęc in actis; ex quibus, vt pia præoptarat fœmina, Sacramentis Ecclesiæ, ac vitali Dominici Corporis alimẽto se pręmunire sollicita suis haud votis caruit, quinimo nouis cumulata fauoribus ab ipsiusmet Christi manibus Sacrosanctum immortalis vitæ pignus priusquam viuendi finem faceret cumulatius (quod perebat) accepit, & quod impensè adeo suspirabat, è Cœlo obtinuit.

Bernardus Archiepiscopus Genensis in eius gestis.

Beata Dorothea in Prussia à Christo sibi apparente communionis sacramento donatur.

Corporis ipsius post mortem dotes.

Miraculis à Deo illustrata.

Rainald. an. 1492. nu. 31.

Laurentius Medices sũme deuotus erga diuinũ altaris Sacramentum.

12. Quantum verò Virorum pręsertim principum erga Diuinum Christi Corpus in supremo vitæ discrimine ardor extiterit, Laurentius Medices publicę olim Florentinorum rei Princeps, & Leonis X. parens, testis est, qui tum patriæ, tum animæ, & tam Ciuium, quàm

quàm suorũ, ac sui pariter sollicitudinis curã maximè sub vitæ finem præ se tulit: vt ipso meritò Euangelicum aptè oraculũ occineret: *Medice cura te ipsum:* In semetipso autem Diuinis Ecclesiæ Sacramentis, procurando pridie quàm è vita migraret, ac morte pijs quibusque modis salubriter præuenienda totus fuit, Raphael sic docet: *Nihil* (inquit) *prius habuit, quàm vt animæ medicum accerseret, cui de contractis tota vita noxis, Christiano ritu confiteretur: quem ego hominem postea mirabundum sic prope audiui narrantem, nihil sibi vnquam, neque maius neque incredibilius visum, quàm quomodo Laurentius constans, paratusquè aduersus mortem, aut imperteritus, & preteritorum meminisset, et præsentia dispensasset, et de futuris item religiosissimè, prudentissimequè cauisset. Nocte dein media quiescenti, meditantiquè Sacerdos adesse cum Sacramento nunciatur, ibi verò excussus: Procul* (inquit) *à me hoc absit, patiar nè Iesum meum, qui me finxit, qui me redemit, ad vsque cubiculum hoc venire? Tollite hinc obsecro me quamprimum, tollite vt Domino occurram. Et cum dicto subleuans ipse se, quantum poterat, atque animo corporis imbecillitatem sustentans, inter familiarium manus obuiam Seniori ad aulam vsque procedit, cuius ad genua prorepens, supplexquè, ac lacrymans: Tu ne* (inquit) *mitissimè Iesu, tu nequissimum hunc seruum dignaris inuisere? At quod dixi seruum immò verò hostem potiùs ingratissimum, qui tanti abs te cumulatus beneficijs, nec tibi dicto vnquam audient fuerim, et tuam toties maiestatem læserim; Ego te per illam, qua genus humanum complecteris charitatem, quaquè ad nos in terram deduxit, nostrequè humanitatis induit inuolucris, quæ famem, quæ sitim, quæ frigus, æstus, labores, irrisum, contumelias, flagella, et verbera, quæ postremò etiam mortem, crucemquè subire te compulit: per hanc te, salutifer Iesu, quæso, obtestorquè, auertas faciem à peccatis meis vt cum ante Tribunal tuum constitero, quò me iamdudum vocari planè sentio, non mea fraus, non culpa plectatur, sed tuæ crucis meritis condonetur. Valeat in causa mea sanguis ille tuus. Iesu pretiosissimus, quem pro asserendis in libertatem hominibus in ara illa sublimi nostræ Redẽptionis effudisti.* His planè summæ Vir pietatis testatissimis vt pote contriti cordis suas deflendo culpas tum verbis, tum signis Sacramentum Dominici Corporis sibi à Sacerdote exhibitum attonitus accepit, sequè ad mortem Christiano ritu subeundam excitans se ipso maior intrepidus, constantiquè animo morti semper victurus occurrit, ac Deo spiritum placidissimè redidit Anno Redempti Orbis M. CCCC. XCII.

Volaterran. lib. 5. Politic.

Summa eius pietas.

Sacerdoti Christi corpus infirmo sibi deferenti humiliter supplex obuiat.

Preces ab ipso ante Sacramentum effusæ.

His verbis orat: *Valeat* (inquit) *in causa mea sanguis tuus.*

13. Atqui preterea, quæ ad diuinissimũ Corporis Christi mysteriũ, eiusque Sacramenti cultum spectant, & narrata hactenus à nobis sunt, omni planè admiratione dignum, quod nobili militi (qui hoc saluberrimo vitæ antidoto refectus) omni prorsus mortis metu solutus est, Cæsarius his planè verbis accidisse refert: *Miles* (ait) *nobilis terram habens, & castra apud Federicum Imperatorem à multis accusatus est, quod multos spoliaret; quem cum sæpius citasset, & non comparuisset, tandem proscripsit, mandans suis vt illum caperent. Qui cum lateret, non tamen minus rapinas exerceret, casu quodam ex officio captus, patibulo, secundum quod Imperator præceperat, appensus est. Tertia die miles quidam præteriens, cum vidisset illum, ait seruo suo: Deus quam pulcher homo erat iste. Respondente puero: Vir ille nobilis est consanguineus vester: accesserunt propiùs, vt depositum sepelirent. Ad quos ille de patibulo clamauit: Deponite me, adhuc enim viuo. Aestimantibus illis, quia phantasma esset, subiunxit: Nolite timere, quia homo Christianus sum. Depositus verò sic ait: Modicum obsequii ego peccator Deo impendi, propter quod misertus est mei, &c. Item vnam orationem, idest Pater noster, Corpori Christi, quod singulis diebus conficitur per vniuersum mundum, quatenùs in fine vitæ meę tanto muniri viatico mererer: quod et Dominus mihi sua misericordia præstabit. Vnde rogo, vt vocetis mihi Sacerdotem, à quo illud suscipiam. Qui cum venisset, confessione pręmissa, communicauit, moxque spiritum emittens, ad eum, cui incorporatus fuerat, feliciter migrauit, quem in cœmeterio sepelientes, tam grande miraculum diuulgarunt vbique.* Qui enim tam pio erga diuinum altaris sacramentum deuotionis affectu tenebatur, haud absque

Cæsarius lib. 9 cap. 49.

Miles ob piũ deuotumque Sacramenti cultum Christi corpore ante mortè refici obtinuit.

Feliciter Christi sumpto corpore in domino obdormit.

ipsius

ipsius munimento æternitatis iter aggredi debuit.

Ex litt. annuis societatis Iesu ann. 1585.

14. Quantum verò ad immortalem promerendam vitam Eucharistię Sacramentum deuotè sub vitæ finem sumentibus prosit, suo olim Indus adolescens exemplo palam fecit, de quo isthæc in annuis, Patrum Societatis Iesu literis: *Adolescens summo splendore generis inter Indos, vini abstinentissimus, & virginitatis stu diosus in primis, quæ duo inter hos homines si quandò reperiuntur, pro miraculo habentur, cum ex continenti, vt Christianorum ritus, Regionesquè cognosceret, aduenisset, earum captus amore, Christi miles efficitur. Is graui morbo oppressus, nullius vel familiaris sermones, ne pios quidem, ac commodos, priusquam delicta confiteretur, admisit. Quanquam autem ex quo se ad Christum adiunxit, præcipuo quodam ardore Sacrosancta Eucharistia mysteria semper coluit, numquàm tamē maiore, quàm supremo vitæ die, cum accepto salutari Viatico: Delectabat (inquit) hęc antea me vita: nunc autem, postquam Christus suo Corpore me famelicū pauit, cur moror in terris? aut quid causæ est, cur non his vinculis expeditus, cum Christo feror in Coelum? Atque his verbis è custodia, vinculisquè corporis missus est.* Diuinorum quippè Sacramentorum virtute interior homo sic proficit, ac sumentis anima sic spiritu roboratur; vt mox terrena cuncta fastidiens, totis ad immortalitatem neruis, velisquè contendat, quod Elias istius olim Sacramenti symbolo mitificè expertus est aliquando: *Et ambulauit (inquit) in fortitudine cibi illius vsque ad montem Dei Oreb.*

Indus adolescens, ac pius sumpto Christi corpore ęgrotans, vitæ à se desideriū abigit.

Cupit intentius mori, & esse cū Christo.

3. regum

15. Demum pios (vt narratis isthæc adyciamus) Altissimus homines, qui viuificum sacrosancti altaris panē spiritu esuriunt, & qui huic frequenter sumendo assueti, eodem maximè sub vitæ finē priuari nonnisi detrimentum ingens cōputant, suis haud frustrari votis permittit, vt anteacto proximè sæculo dum lues Mediolani sub ipsis S. Caroli Bortomæi Cardinalis Archiepiscopi temporibus sæuissimè grassaretur, cuidā ferè præmortuo, & reliquis cadaueribus aggregato imò cum ipsis tumulando contigit, de quo isthæc apud Giussianum in S. Caroli gestis habentur, ipsius quippè, & aliorum præcipuè in hoc tunc charitas effulsit: *Accidit (inquit) dum omnes eiusmodi charitatis, & Christianæ pietatis officijs incumberent, insigne quoddam, & memoratu dignum facinus; Cum enim summo mane Presbyter quidam Eucharistiam ad ægrotos suos afferens non longè à loco, in quem cadauera deportabantur, præteriret ex magno corporum aceruo, quæ proxima nocte illata fuerant, vnus se se attollere visus est, genibusquè consistere; qui simul voce, verbisque interruptis: Per Deum (inquit) obsecro Pater, mihi quoque. Cumquè à Sacerdote statim omni pietatis indicio Sacramentum accepisset eodem loco procumbens nullo præterea motu iacuit.* Pia hominis vota, adhibitaquè dum adhuc viueret ergà Eucharistiam Sacratissimam studia id homini, qui ad portas vsque mortis appropinquans iam vna cum mortuis deputabatur; id inquam singulariter contulit, vt non prius oculis mortem videret, quam ore, ac sinu vitam acciperet nec ante carnis huius orgastulo solueretur, quam Christi carnem, quam adeo suspirabat, in viuifico altaris diuinitus pane prægustaret.

Io: Giussanus in uit S. Caroli Borromei Card. & archiep.

Quidam Sacramēto corporis Christi lue grassante ante mortem reficitur.

Ioann. Seuseran lib. pret. tiit meret Iu florum pag. 124.

16. At longè alirer, vt à viris fide dignis accepimus, hac nostra ætate principi viro contigit, qui cum grauiter aliquando ex morbo decumberet, & de sumendo Dominici Corporis Sacramēto à Religiosis, & si frustra submoneretur: Ingrauescente postmodum morbo, & desperata à Medicis iam corporis sospitate Parochus apud ipsum pro Viatico (vt mos est) sumendo instaret, haud paruit, sed moras nectens, & rem in aliud tempus reijcebat; assiduis tamen cunctorum ad id præstandum pulsatus adhortionibus, precibusquè, & nonnisi inuitus tandem coactusquè, ac de vitæ periculo à suis certior iā factus Parocho suis efficaciter ad id verbis, alijsq; suadētibus non parum indignatus his planè dictis respondit: *Quid suadendo, quid exhortando mihi vltrò molesti estis? Quid miserum inter eiusmodi angustias tum morbo, tum animo laborantē vestra magis, magisq; importunitate affligitis. Afferatur proinde afferatur sacramentū, & sumam.* Quæ quidem verba, ac si nauseabundus, & vt se ab importunis (vt computabat) ipsorum se dictis, monitisquè eximeret, haud pio, ac de-

Ex relat. à vir. fid. dignis.

Infirmus grauiter de sumenda Eucharistia manitus protrahit.

ac deuoto (vt par erat) diuini sumendi Sacramenti desiderio permotus dixit. Quapropter nulla interposita mora, quia mors non tardabat, imò iam ferè erat in ianuis, Eucharistiæ Sacramentum ad ægrotum defertur; Vbi verò Parochus Cœlestem panem è pixide extrahens, ipsumet Christum Dominum sub illis speciebus adorandum, vt mos est, infirmo illis priusquam Communicaret, verbis obtulisset dicens: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*. Et illa item verba subtexeret: *Domine non sum dignus &c.* Vbi tertio isthæc repetens, Sacramento in Crucis formam infirmum signando, patulo ipsius ori admouisset, mox ille inter suorum manus, haud Sacramenti dignatus hospitio, imo vti indignus, ac morosus Christi hospes sub eius aspectu spiritum exhalat, ac si facto cunctis daretur intelligi, quod Christus Dominus ipsius qui se in Sacramento stomachabundus quodammodo recipiebat intrare cordis hospitium dedignaretur, nec sui, suorumque bonorum in Sacramento fieri participem vellet qui nonnisi intus, ac nolens diuino veniénti hospiti oris, ac cordis pariter ianuam aperuisset, vt euãgelicum illud Christi in isto adimpleretur: *Amen dico vobis, quia nemo virorum illorum gustabit cœnam meam*, dum illa potissimum repulsæ causa in hominibus pridem ad sacrũ epulum inuitatis agnoscitur: *Quia nolebant* (inquit) *venire*. Sed hic à beatissimo Christi reiectus epulo, ac vna simul hospitio, illa Cypriani cunctis verba altius cordi, atque auribus suggerit: *Quomodò* (inquit) *dabit Christus regnum suum ad quem venimus inuiti*. Sed de his hactenus.

> Dum diuinum pabulũ se inuitus, ac nolenter mu[n]ere ostendit vti indignus à sumendo reicitur.

> *Lucæ c. 14.*

> *Mat. 22. v. 3.*

> *Cyprianus ser.*

CAP. XII.

Extremæ Vnctionis oleo inuncti piè, alacriterquè pugnantes decedunt.

1. CVm ab antiquis iam temporibus illud inter luctandum in more positum sit vt nimirum *oleo* (Hieronymo teste) *ad agonem vngãtur Athletæ*. Hinc Christianus congruè pugil, extremam subiturus cum tartareo hoste aleam inter mortis agonem, sacro item vnctionis oleo, Diuino planè magisterio edoctus, ipsiusque illibato Ecclesiæ ritu pugnaturus iniungitur, quo valdè in supremo aduersus hostes incundo certamine roboretur. Enim verò etsi *Aduersarius occasiones* (vt Conc. Patres docẽt) *per omnem vitam quærat, & captet, vt animas deuorare quoquo modo possit, maximè tamen in id contendit, cum impendere nobis vitæ exitum perspicit*. Tunc enim omnem suã nocendi artem, ac dolos insuper adhibet, vt sua hominem, si qua possit supplãtando malitia vincat; Tunc quippè *Diabolus venit habens iram magnam, sciens, quia modicum tempus habet*. Quapropter tunc vehementiùs hostis *omnes* (vt Patres Concilij inquiunt) *omnes inquam suæ versutiæ neruos intendit ad perdendos nos penitus, & à fiducia etiam si possit, diuinæ misericordiæ turbandos*. Dæmonum verò tum dolos, ac fraudes, quibus pugnando præualere contendunt, & quas potissimum in supremo mortis, ac rerum momento aduersus hominem exerunt, diuinitus vires infringi, & quodam velut, iniecto bellantibus fræno retundi, Gregorius, alijquè Patrum disertis haud semel verbis affirmant. Sua etenim quibusuis hominum morbis, malisquè opportuna Deus remedia prouidit; adeoq; cuncta ferè bonorum commoda, quæ ipsumet corporeis languoribus oleũ præstat, eadem prorsus animæ sub extrema fatiscenti, sacra hęc salubriter Vnctio exhibet, vt sic probè Theophilactus edisserit: *Cùm oleum* (inquit) *ad labores vtile sit, lucis fomentum, & hilaritatis effectiuum; significetquè misericordiam Dei, & gratiã spiri-*

> *Hieronymus Osea cap. 14*

> Extrema vnctio in extrema cum hostibus lucta adhibetur.

> *Conc Colo niens. p. 7. c. 14.*

> *Concil. Trid. c. 14 in princ.*

> Oleo Sancto dæmonũ vires infringi Conc patres docẽt

> *S. Greg. hom. 99 in euang.*

> *Climac. grad. 7. & h. n. 1. ad Monach.*

> *Theophilac. in c. 6. Marc.*

spiritus, per quam à labore liberamur, & lucem, ac gaudium, hilaritatemquè spiritualem. Hæc namque sibi homo extremæ Vnctionis beneficio, ac Dei munere impendi sentit; adeò vt ægrotus & leuamē, & misericordiam, nec non gratiam, & lucem, gaudium insuper, ac spiritus hilaritatem, vnà simul vberrimè, suoquè velut è fonte, Sacramentali inūctus oleo accipiat. Quapropter aptè Concilij TridentiniPatres illis diuinam tum Vnctionis, tum Sacramenti vim verbis inculcāt: *Instituta est (*inquiunt*) sacra hæc Vnctio infirmorum, tanquam verè, & propriè Sacramentum noui Testamenti à Christo Domino nostro apud Marcum quidem insinuatū, per Iacobum autem Apostolum, & Domini fratrem fidelibus commendatum, ac promulgatum: Infirmatur quis in vobis, inducat Presbyteros Ecclesiæ, et orent super eum, vngentes eum oleo in nomine Domini, et oratio fidei saluabit infirmum, et si in peccatis est, remittentur ei, etc.* Potissimam verò subinde, cur eiusmodi Sacramentū sit à Christo Domino institutum, & vsu ab Ecclesia receptum rationem afferendo: *Nam vnctio* (inquiunt) *aptissimè Spiritus Sancti gratiam, qua inuisibiliter anima ægrotantis vngitur, repræsentat; formā verò esse: Per istam Sanctam Vnctionem, etc.*

Tot homini sacrum oleū bona præstat, quot vnctio infirmo corpori cōmoda.

Concil. Trid. can. 1. de extr. vnctione c. 1.

Marci cap.

Quid Tridentini Cōc Patres de oleo extremæ vnctionis.

Cornelius à lapide in ep. Iacobi v. 4.

2. Vngitur itaque sub vitæ finem hac Vnctione homo extremè laborans, & ad supremam cum Dæmone cum carne, & cū mundo pugnā fortiter ineundā opportune armatur; adeoque iure merito à Sacrosancti TridētiniConcilij Patribus Vnctio hæc Pœnitētiæ, ac totius vitæ consummatio dicitur, qua nimirum *Christus vitæ finem, tanquam firmissimo quodam* (vt aiunt) *præsidio muniuit contra Diabolum, qui tunc omnibus neruis ad perdendos nos penitus, et à Christi fiducia, diuinæquè misericordiæ deturbandos*; vehementius instat Sacramentum quippe istud saluberrimum nonnisi ad fouendū, confortandumquè hominem in mortis agone fatiscentem, à Christo Domino diuinitus est institutum, vt ille Theologorū Doctissimus probe admonet: *Vnctio* (inquit) *sanat, et confortat, tum quia per eam luctatores, et pugiles ad pugnam disponi solent.* Eiusmodi itaque spiritualis vitæ antidoto, quo sanitas infirmis à Deo postulatur, magna quoque homini salutis spes, ac robur refunditur; adeò vt sacro oleo inunctus possit veraciter dicere: *Sana animam meam, quia peccaui tibi.* Animæ namque, ac simul corpori sic congruum à Christo remedium curando adhibetur: *Si enim saluti animæ* (vt Concilij verba edocent) *expedierit, salus quoque corpori à Deo confertur;* Vi etenim diuini huius Sacramenti tum ægrotantis animam, tum corpus releuari haud dubijs Concilij Tridentini Patres verbis affirmant: *Ægroti quippè* (inquiunt) *animam alleuiat, et confirmat, magnam in eo diuinæ misericordiæ fiduciam excitando, qua infirmus subleuatus, et morbi incommoda, et labores leuius fert, etc.* Inde fit, vt & ipse leuior morbus appareat, faciliusquè ab homine toleretur, adeoquè in vtramque totius hominis portionem diuina Sacramenti virtus redundans, sic suam mirificè iuuando vim, ac potentiā ostendat.

Concil. Trid. sess. 14. in fine

Suarez in 3. disp. 41. n. 1.

Psal. 118.

Concil. Trid. can. 2.

Salus animæ, & simul corporis sacro oleo procuratur.

Suarez in 3. p. disp. 41. vbi supra.

3 Quanti igitur ad fouendos inter supremas mortis angustias, præmuniendosquè in spem Pœnitentium animos momenti sit extremæ Vnctionis Sacramētum, & si pluribus id argumentis patet, præseruida tamen hominum id vltrò sibi exposcentium vota preces, ipsorumquè satis, superquè in Deum fides ac in eiusmodi adhibēdo remedio fiducia satis superque demonstrant; & vt cœteros prætereamus, S. Malachias Hyberniæ Episcopus nil antiquius habuit, dum lectulo æger aliquando decumberet, quàm hoc Sacramento releuari; hæc enim S. Bernardus ipsius gesta describens: *Nec longè* (inquit) *aberat dies ipsa, cùm talia loqueretur Malachias. Intereà iubet se Sacro Oleo vngi. Exeunte Conuentum Fratrum, vt solemniter fieret, non tulit, vt ad se ascenderent, ipse descendit ad eos. Iacebat siquidem in solario domus superioris. Vngitur, et sumpto Viatico, Fratrum se orationibus, et Fratres commendans Deo, ad lectum reuertitur.* Qui enim morti promptus adeo, atque alacri animo vltroneus occurrere gestiebat, Sacramentis quoque, è sęculo discessurus, præmuniri se voluit. Porrò Vir Dei Malachias Sacræ vnctionis Oleum, infirmorum vtique languoribus opportunum maximè ac necessarium,

Quo studio S. Malachias Episcopus Hybern. Sacram vnctionē æger expetijt.

eò semper sibi, ac fidelibus in honore habendum voluit, vt ingentis piaculi ob infirmum quemdam absque eiusmodi Sacramentalis Olei Vnctione è vita præreptum, cùm ipse in mora fuisset, se ob id reum maximè proclamando incusaret; hęc enim Bernardus in eius gestis: *Habitabat (inquit) Vir nobilis in vicinia Benchorēsis Monastery, cuius vxor cum infirmaretur ad mortem, rogatur Malachias, vt descenderet, priusquam moreretur; infirmam vncturus oleo descendit, et intrauit ad eam. Quo viso exultat illa spe animata salutis. Et cum pararet vngere eam, visum est omnibus differendum potius vsque mane; erat enim vespera. Acquieuit Malachias, et data benedictione super agram, exiuit cum his, qui secum erant. At verò post modicum subitò clamor factus est, planctus, et strepitus multus per totam domum, siquidem insonuit, quod mortua esset. Accurrit Malachias tumultu audito, et sequuti sunt eum discipuli eius. Et accedens ad lectum, vt certò comperit expirasse, consternatus est animo sibi imputans, quod fraudata gratia Sacramenti obierit. Et eleuatis in Cœlum manibus: Obsecro Domine (inquit) insipienter egi: ego peccaui, qui distuli, non ista, quæ voluit: Hæc dicens, contestatus est in audientia omnium, nullam se recepturū consolationem, nullam daturum requiem Spiritui Sancto, nisi quam abstulerat, liceret restituere gratiam. Et stans super eam tota nocte laborabat in gemitu suo; & pro Oleo Sancto largo imbre lacrymarum perfundēs mortuam, vicem illi vnctionis, quam poterat, exhibebat. Ipse quidem sic: Ad suos autem: Vigilate (inquit) & orate. Itaque in psalmis illi, ille in lacrymis noctem duxerunt peruigilem. Et mane facto, exaudit Dominus seruum suum, quia Spiritus Domini postulans pro eo, qui postulat pro Sanctis gemitibus inenarrabilibus; quid plura? Aperit oculos, quæ fuerat mortua, et vt solent, qui de graui somno euigilant, fricant sibi manus, frontem, et tempora, super lectum se erigit, et agnito Malachia, inclinans deuotè, salutat eum. Et verso luctu in gaudium, stupor apprehendit omnes, et qui viderunt, et qui audierunt. Sed et Malachias gratias agens, benedixit Dominum. Et eam nihilominus, sciens in hoc Sacramento remitti peccata, et quod oratio fidei saluet infirmum. Post hac abijt ille, et illa conualuit, et viuens incolumis tempore aliquanto, vt gloria Dei manifestaretur in ea, peracta pænitentia, quam sibi Malachias iniunxerat, in bona Confessione iterum obdormiuit, et migrauit ad Dominum.* Hæc ille. Sciens quippè Vir Dei, ad luctam viriliter cum Diabolo ineundā decedentes, luctantium more inungi, acerbum vtique damnum salubri eiusmodi quemquam carere subsidio, nec leue ob id admissum à se piaculum reputabat.

Bernar. in vita S. Malachia Episc. vbi supra.

Idem se reū grauis piaculi ob fœminam absque Sacramento Vnctionis decedentem accusat.

Petr. de Natalibus lib. 10. c. 27.

Apud Surium die 5. Nou. c. 32.

Fœminam, vt inungi posset precibus à morte in vitam reuocat.

4. Verùm enimverò salutarem Sacri Olei vim Sancti tum Viri, tum Fœminæ sunt haud semel experti, qui hoc inuncti Oleo, Cœlum adiere; & quidē B.Maria Oegniacensis (vt Iacobus Cardinalis à Vitriaco tradit) *cùm iam præmoreretur, ac extremam Vnctionem susciperet, Apostoli omnes adfuere, & B.Petrus claues ostendens, pollicebatur, se illi Cæli ianuam patefacturum. Porrò Christus Crucis signum, vexillum victoriæ suæ ad pedes eius fixit. Cumque in diuersis locis vngeretur, in ipsa Sacramenti eius perceptione S.Spiritus operationem cum ingenti singulorum locorum illustratione persensit. Quidam enim amici, et noti eius, qui iam pridem obierant, eius consolandę causa, ad eā missi sunt.* Hæc Iacobus de mira Sacrę Vnctionis virtute, qui & illud omni dignum admiratione cæteris, dum sacro Oleo inungerentur, accidisse his verbis tradit: *Dum præsente* (inquit) *Maria Oegniacensi, Vnctionis extrema oleo ægroti perciperent, illa Christum cum Sanctorum multitudine adesse sentiebat, ægrotumque illum misericorditer corroborantem, Dæmones expellentem, animam purgantem, seque, dum membra eius vngerentur, quasi in lumine per totum eius diffundentem.* Hæc ille. Sed vt susceptæ narrationi insistentes, Sacræ vim Vnctionis prosequamur; Beata insuper Lyduina à Christo Domino, ac Deipara Virgine astante, omnibus Apostolis, multisque Angelis, & Sanctis, vt Surius tradit, omnibus mēbris inuncta est, quibus iam morituri solent inungi. Rogauit illa, vt se tot doloribus oneraret, quot ad redimendas Purgatorij pœnas sibi opus foret; cui Christus: *Ita (ait) fiet filia, vt petis: post biduum cantabit Alleluia cū alijs Virgini-*

Mulier Sacra accepta Vnctione conualescit.

Iacob. Card. à Vitriaco in vit. S. Mariæ lib. 2. c. 12.

Corn. à Lap. in ep. Iacobi pag. 172.

Maria Oegniacēsis in go quo ipse ritus fiemte moriens inuncta.

Mira Sacræ Vnctionis egrotis virtus.

Sur. in vit. B. Lyduinæ die 7. april. p. 1. c. 11.

B. Lyduina Virgo dire tissime inungitur.

ginibus in Regno Patris mei. Totius igitur sacra ipsi Vnctio causa lętitiæ, & perpetuæ insuper salutis fuit.

5. Quibus suo item Reginaldus mirificè exemplo adstipulatur, de quo isthæc in S. Dominici gestis: *Reginaldus* (inquit) *vnus è S. Dominici discipulis, cum moneretur, vt extrema vnctione se ad luctam eum Dæmone prępararet: Ego (inquit) hanc luctam minimè reformido, quin potius latus expecto. Iam enim dudum Mater misericordiæ me inunxit, in qua plurimùm confido, & ad quam cupidè proficiscor. Quod autem se prius ab ea ininunctū dicebat, id ità se habuerat. Cum ante annos multos grauissimè ægrotares, vigilanti de nocte apparuit Regina Cæli cum alijs duabus Virginibus, ipsaque ad eum accedens, iacentis oculos, aures, os, & manus vnguento, quod attulerat, proprys manibus liniuit, denique & pedes in præparationem Euangely, vt ipsamet quasi ex formula orans adiunxit*. Mira planè Diuinæ Vnctionis virtus, quæ tot homini bona, ac ipsi hilaritatem in primis spiritui in mortis agone fatiscenti Deo aspirante suppeditat.

In vita S. Dominici lib. 2 cap. 2.

Reginaldus Ord. Præd. Sacro moriturus Oleo præmunitur.

6. Quod quidem pari Christianæ pietatis, ac deuotionis exemplo Vuillelmus Roschildensis Abbas in Dania restatus est, qui Monasticæ olim disciplinæ illic instaurādæ ab Episcopo, magni tunc nominis euocatus, magno itē sub vitæ finem spiritus feruore ad Deū properans, sacro inungi Oleo cum Tartaro certamen initurus voluit, cuius item Baronius in suis Annalibus meminit; Hæc autem gestorum Scriptor, eiusdemque discipulus: *Die* (inquit) *quę Cœnam Domini proximè antecedit, cum esset in cubiculo cum quibusdam Fratribus, conquestus est Prior, se illum noctē habuisse longè omnium molestissimam; ille contra affirmabat, se nunquam potitum esse nocte leuiori, atque incundiori: Vidi enim (inquit) Dominum Iesum, cui duo alij aderant, & ego tertius accessi, & ineffabili sum delectamine affectus. Respondit Prior: Forsitan Pater Sancte, Dominus Iesus te accitum venit ad Regnum suum, sicut pollicitus est, priusquam in hoc Regnum te conferres; tum Abbas suspirans, & fletibus ora perfundens: Fiat mihi (inquit) secundum verbum tuū, &c.* Et infra: *Iam aurora rutilante, cum canerent in Ecclesia Dei fratres: vt venientes vngerent Iesum, Prior accitis aliquot fratribus, Chorum exijt, Sacrum Oleū secum ferens: Vir Sanctus illo veniente tendebat ad extrema, atque hoc solùm crebrò repetebat: citò, citò. Peracta indè Sancta Vnctione, depositus est super cinerem & cilicium: sic enim decere mori Christianum iam olim dixerat Beatissimus Martinus Turonum Episcopus; ibi tum feliciter emisit spiritum octauo Idus Aprilis, anno Christi M.CC.II. ætatis verò suę XC.VIII à suscepto verò Abbatis officio XI.* Hæc de Viro eximiæ Sanctitatis, qui totus pœnitentiæ diu operibus insuterat, iisdemque mortem præuenerat, meminisse Auctor voluit.

Rainald. an. 1202. n. 19.

Baronius an. 1161. nu. 17. 8.

Vuillelmus Abbas Sacrā Vnctionem sibi moriturus instātissimè poscit.

Abbas mortis præscius in Choro à fratribus inungitur valde pro ea sollicitus.

7. Ea igitur est Sacræ ad medendū Vnctionis vis, vt nedum animi, sed & corporis sospitati diuinitùs prosit; adeoque & ipsius animæ bono conducat, & corporis morbo, ac itē molestia fatiscentem releuet, vt Iacobus illis verbis innuit. *Et oratio* (inquit) *alleuiabit infirmum, & si in peccatis est, remittentur ei*. Quod sanè olim Romanorum Princeps suo, vt probæ fidei Scriptor narrat, experimento didicit, de quo isthæc Ioannes Nyderus: *Fuit* (ait) *nostro tempore Rex Romanorum Rupertus, &c. qui ante sui electionem re, & nomine clemens extitit, et post diutina, et sancta sua opera in lethali quadam infirmitate propè à Dæmone victus occubuit. Nam in infirmitatem quandam grauem incidit, et sumpto Eucharistiæ Sacramento se dietim ab Sanctę Vnctionis oleo callidè, ne reciperet, subtraxit. Hauserat enim, vbi nescio diabolicum hunc instinctum (vt videbatur) quo quidam superstitiosissimè credunt, se post huiusmodi Sacramenti susceptionem omninò migrare oportere. Distulit igitur Princeps recipere Sacramentum propter mortis periculum. Et doctores Diuini, et humani iuris, quos semper dilexit, verbis Virum hortabantur, et sibi suadebant, ne omninò desineret tam salubre animæ, et corporis antidotum. Obtinuerunt tamen tandem illi diuina arridente gratia intentum: Cumque præsētibus literatis Clericis inungeretur Princeps, et Orationes, quæ de sanitate sonant vtriusque hominis multiplicarentur; ait satis alacriter: Reuera si hoc Sacramentū sciuissem tantùm pro vtroque valuisse homine;*

Iacob. c. 5. 15

Ioannes Nyder. in Formicario lib. 4. c. 11. pag. 328

eò semper sibi, ac fidelibus in honore habendum voluit, vt ingentis piaculi ob infirmum quemdam absque eiusmodi Sacramentalis Olei Vnctione è vita præreptum, cùm ipse in mora fuisset, se ob id reum maximè proclamando incusaret; hęc enim Bernardus in eius gestis: *Habitabat* (inquit) *Vir nobilis in vicinia Benchorēsis Monasterij, cuius vxor cum infirmaretur ad mortem, rogatur Malachias, vt descenderet, priusquam moreretur; infirmam inuncturus oleo descendit, et intrauit ad eam. Quo viso exultat illa spe animata salutis. Et cum pararet vngere eam, visum est omnibus differendum potiùs vsque mane; erat enim vespera. Acquieuit Malachias, et data benedictione super ægram, exiuit cum his, qui secum erant. At verò post modicum subitò clamor factus est, planctus, et strepitus multus per totam domum, siquidem insonuit, quod mortua esset. Accurrit Malachias tumultu audito, et sequuti sunt eum discipuli eius. Et accedens ad lectum, vt certò comperit expirasse, consternatus est animo sibi imputans, quod fraudata gratia Sacramenti obierit. Et eleuatis in Cœlum manibus: Obsecro Domine* (inquit) *insipienter egi: ego peccaui, qui distuli, non ista, quæ voluit: Hæc dicens, contestatus est in audientia omnium, nullam se recepturū consolationem, nullam daturum requiem Spiritui Sancto, nisi quam abstulerat, liceret restituere gratiam. Et stans super eam tota nocte laborabat in gemitu suo; & pro Oleo Sancto largo imbre lacrymarum perfundēs mortuam, vicem illi vnctionis, quam poterat, exhibebat. Ipse quidem sic: Ad suos autem: Vigilate* (inquit) *& orate. Itaque in psalmis illi, ille in lacrymis noctem duxerunt peruigilem. Et mane facto, exaudit Dominus seruum suum, quia Spiritus Domini postulans pro eo, qui postulat pro Sanctis gemitibus inenarrabilibus; quid plura? Aperit oculos, quæ fuerat mortua, et vt solent, qui de graui somno euigilant, fricans sibi manus, frontem, et tempora, super lectum se erigit, et agnito Malachia, inclinans deuotè, salutat eum. Et verso luctu in gaudium, stupor apprehendit omnes, et qui viderunt, et qui audierunt. Sed et Malachias gratias agens, benedixit Dominum. Et eam nihilominus, sciens in hoc Sacramento remitti peccata, et quod oratio fidei saluet infirmum. Post hæc abijt ille, et illa conualuit, et viuens incolumis tempore aliquanto, vt gloria Dei manifestaretur in ea, peracta pœnitentia, quam sibi Malachias iniunxerat, in bona Confessione iterum obdormiuit, et migrauit ad Dominum.* Hæc ille. Sciens quippè Vir Dei, ad luctam viriliter cum Diabolo ineundā decedentes, luctantium more inungi, acerbum vtique damnum salubri eiusmodi quemquam carere subsidio, nec leue ob id admissum à se piaculum reputabat.

Bernar. in vita S. Malachiæ Episc. vbi suprà.

Idem se reū grauis piaculi ob fœminam absque Sacramento Vnctionis decedentem accusat.

Petr. de Natalibus lib. 10 c. 27.

Apud Surium die 5. Nou. c. 32.

Fœminam, vt inungi posset precibus à morte, vitam reuocat.

Mulier Sacra accepta Vnctione conualescit.

4. Verùm enimverò salutarem Sacri Olei vim Sancti tum Viri, tum Fœminæ sunt haud semel experti, qui hoc inuncti Oleo, Cœlum adiere; & quidē B. Maria Ogniacensis (vt Iacobus Cardinalis à Vitriaco tradit) *cùm iam præmoreretur, ac extremam Vnctionem susciperet, Apostoli omnes adfuere, & B. Petrus claues ostendens, pollicebatur, se illi Cæli ianuam patefacturum. Porrò Christus Crucis signum, vexillum victoriæ suæ ad pedes eius fixit. Cumque in diuersis locis vngeretur, in ipsa Sacramenti eius perceptione S. Spiritus operationem cum ingenti singulorum locorum illustratione persensit. Quidam enim amici, et noti eius, qui iam pridem obierant, eius consolandę causa, ad eā missi sunt.* Hæc Iacobus de mira Sacrę Vnctionis virtute, qui & illud omni dignum admiratione cæteris, dum sacro Oleo inungerentur, accidisse his verbis tradit: *Dum præsente* (inquit) *Maria Ogniacensi, Vnctionis extrema oleo ægroti perciperent, illa Christum cum Sanctorum multitudine adesse sentiebat, ægrotumque illum misericorditer corroborantem, Dæmones expellentem, animam purgantem, seque, dum membra eius vngerentur, quasi in lumine per totum eius diffundentem.* Hæc ille. Sed vt susceptæ narrationi insistentes, Sacræ vim Vnctionis prosequamur; Beata insuper Lyduina à Christo Domino, ac Deipara Virgine astante, omnibus Apostolis, multisque Angelis, & Sanctis, vt Surius tradit, omnibus mēbris inuncta est, quibus iam morituri solent inungi. Rogauit illa, vt se tot doloribus oneraret, quot ad redimendas Purgatorij pœnas sibi opus foret; cui Christus: *Ita* (ait) *fiet filia, vt petis: post biduum cantabit Alleluia cū alijs Virgini-*

Iacob. Card. à Vitriaco in vit. S. Mariæ lib. 2. c. 12.

Corn. à Lap. in ep. Iacobi pag. 171.

Maria Ogniacēsis virgo quo spiritus feruore moriens inuncta.

Mira Sacræ Vnctionis in ęgrotis virtus.

Sur. in vit. B. Lyduinæ die 7. April. pag. 6 11.

B. Lyduina Virgo deuotissime inungitur.

ginibus in Regno Patris mei. Totius igitur sacra ipsi Vnctio causa lętitiæ, & perpetuæ insuper salutis fuit.

5. Quibus suo item Reginaldus mirificè exemplo adstipulatur, de quo isthæc in S. Dominici gestis: *Reginaldus* (inquit) *vnus è S. Dominici discipulis, cum moneretur, vt extrema vnctione se ad luctam cum Dæmone prępararet: Ego (inquit) hanc luctam minimè reformido, quin potius lætus expecto. Iam enim dudum Mater misericordiæ me inunxit, in qua plurimùm confido, & ad quam cupide proficiscor. Quod autem se prius ab ea inunctū dicebat, id ità se habuerat. Cum ante annos multos grauissimè ęgrotaret, vigilanti de nocte apparuit Regina Cæli cum alijs duabus Virginibus, ipsaque ad eum accedens, iacentis oculos, aures, os, & manus vnguento, quod attulerat, proprijs manibus liniuit, denique & pedes in præparationem Euangelij, vt ipsamet quasi ex formula orans adiunxit*. Mira planè Diuinæ Vnctionis virtus, quæ tot homini bona, ac ipsi hilaritatem in primis spiritui in mortis agone fatiscenti Deo aspirante suppeditat.

In vita S. Dominici lib. 2 cap. 2.

Reginaldus Ord. Præd. Sacro moriturus Oleo præmunitur.

6. Quod quidem pari Christianæ pietatis, ac deuotionis exemplo Vvillelmus Roschildensis Abbas in Dania testatus est, qui Monasticæ olim disciplinæ illic instaurādæ ab Episcopo, magni tunc nominis euocatus, magno itē sub vitæ finem spiritus feruore ad Deū properans, sacro inungi Oleo cum Tartaro certamen initurus voluit, cuius item Baronius in suis Annalibus meminit; Hæc autem gestorum Scriptor, eiusdemque discipulus: *Die* (inquit) *quę Cœnam Domini proximè antecedit, cum esset in cubiculo cum quibusdam Fratribus, conquestus est Prior, se illam noctē habuisse longè omnium molestissimam; ille contra affirmabat, se nunquam potitum esse nocte leniori, atque iucundiori: Vidi enim (inquit) Dominum Iesum, cui duo alij aderant, & ego tertius accessi, & ineffabili sum delectamine affectus. Respondit Prior: Forsitan Pater Sancte, Dominus Iesus te accitum venit ad Regnum suum, sicut pollicitus est, priusquam in hoc Regnum te conferres; tum Abbas suspirans, & fletibus ora perfundens: Fiat mihi (inquit) secundum verbum tuū, &c.* Et infra: *Iam aurora rutilante, cum canerent in Ecclesia Dei fratres: vt venientes vngerent Iesum, Prior accitis aliquot fratribus, Chorum exijt, Sacrum Oleū secum ferens: Vir Sanctus illo veniente tendebat ad extrema, atque hoc solùm crebrò repetebat: citò, citò. Peracta indè Sancta Vnctione, depositus est super cinerem & cilicium: sic enim decere mori Christianum iam olim dixerat Beatissimus Martinus Turonum Episcopus; ibi tum feliciter emisit spiritum octauo Idus Aprilis, anno Christi M.CC.II. ætatis verò suę XC.VIII à suscepto verò Abbatis officio XI.* Hæc de Viro eximiæ Sanctitatis, qui totus pœnitentiæ diu operibus insuerat, iisdemque mortem præuenerat, meminisse Auctor voluit.

Rainald. an. 1202. n. 29.

Baronius an. 1161. nu. 17. 18.

Vuillelmus Abbas Sacrā Vnctionem sibi moriturus inflātissimè poscit.

Abbas mortis præsciu in Choro à fratribus inungitur valde pro ea sollicitus.

7. Ea igitur est Sacræ ad medendū Vnctionis vis, vt nedum animi, sed & corporis sospitati diuinitùs prosit; adeoque & ipsius animæ bono conducat, & corporis morbo, ac itē molestia fatiscentem releuet, vt Iacobus illis verbis innuit. *Et oratio* (inquit) *alleuiabit infirmum, & si in peccatis est, remittentur ei*. Quod sanè olim Romanorum Princeps suo, vt probæ fidei Scriptor narrat, experimento didicit, de quo isthæc Ioannes Nyderus: *Fuit* (ait) *nostro tempore Rex Romanorum Rupertus, &c. qui ante sui electionem re, & nomine clemens extitit, et post diutina, et sancta sua opera in lethali quadam infirmitate propè à Dæmone victus occubuit. Nam in infirmitatem quandam grauem incidit, et sumpto Eucharistiæ Sacramento se dietim ab Sanctę Vnctionis oleo callidè, ne reciperet, subtraxit. Hauserat enim, vbi nescio diabolicum hunc instinctum (vt videbatur) quo quidam superstitiosissimè credunt, se post huiusmodi Sacramenti susceptionem omninò migrare oportere. Distulit igitur Princeps recipere Sacramentum propter mortis periculum. Et doctores Diuini, et humani iuris, quos semper dilexit, verbis Virum hortabantur, et sibi suadebant, ne omninò desineret tam salubre animæ, et corporis antidotum. Obtinuerunt tamen tandem illi diuina arridente gratia intentum: Cumque præsētibus literatis Clericis inungeretur Princeps, et Orationes, quæ de sanitate sonant vtriusque hominis multiplicarentur; ait satis alacriter: Reuera si hoc Sacramentū sciuissem tantùm pro vtroque valuisse homine;*

Iacob. c. 5. 15

Ioannes Nyder. in Formicario lib. 4. c. 11. pag. 328

mine; quemadmodum iam audio, dudum ipsum deuotisʃimè postulaſſem. Fuit enim literatus ſatis, qui conualeſcens poſtmodū multis annis Romanum gubernauit Imperium, et tandem feliciter perſeuerans in bonis operibus vita functus eſt. Hæc ille. Ex quo priſtinæ hic ſoſpitati redditus, poſt longum vitæ decurſū nonniſi pio vitam exitu concluſit.

8. Verùm vt recentioris hìc memoriæ exempla in medium proferantur, quid in Auſtriaca Prouincia acciderit, gratis auribus accipiamus; hæc enim in annuis Societatis Ieſu litteris conſcripta habentur: *Vir quidam primarius Brunenſis Ciuitatis in Auſtria, cum non ſatis ex virtute, atque officio vitam degiſſet, admonitus graui morbo, nè vt corporis, ſic animi ſalutem in diſcrimen vocaret, ad obeundum ſupremum diem, noſtrorum adiutus ope, comparare ſe cepit; ergò actam ad id tempus ætatem in mentem reuocat, Sacerdotique quidquid apud Deum offenderat, dolenter explicat. Cum autem ingraueſceret morbus, ſalutare viaticum poſtulauit, et mox etiam, quod in his locis perranū eſt, Vnctionis vltimæ Sacramentum, ſemperque noſtros adeſſe voluit, qui ſe contra Diaboli fraudes ſuis ſermonibus confirmarent. Ita pio mortis genere minùs laudabilem vitam, id, quod rarò accidit, terminauit*. Vnctio quippè Sacri Olei ſic hominis animam ſub vitæ finem diuinitùs fouit, vt ritè, rectèque anteactæ vitæ errores retractando, ingentem ad beatæ vitæ portum perueniendi ſpem ſimul, ac robur præſtiterit.

Ex litt. annuis Societ. Ieſu an. 1585 ſub domo pro bat. Prouinc. Auſtriacæ.

Vir nobilis in Auſtria vitam male actam Sacra mentis expians Sacro Oleo ſe munit;

9. Quo denique animi feruore, & quo inſuper deſiderio iuxta Eccleſiæ ritum, quidā Sacro ſe Oleo, & adhuc ſano & vegeto corpore, ad mirificam participandam virtutis ipſius gratiam, non ſecus, ac impendentem ſibi è proximo mortem viderent, inungi expetierint, teſtis eſt Ioannes Franciſcus Salina è Societate Ieſu, qui in ſuis in Ionam Prophetam, notis iſthæc ſcitu digna recenſet: *Quæ* (inquit) *dum legerem, non lucris ſæcularibus dedisti, ſed miræ ſimplicitatis, et humilitatis Patris mei, cuius nomen, et cognomen gero, protinus memini. Hic integra valetudine ſenex pius Eccleſiam adyt, à Parocho poſt Pœnitentiæ Sacramentum Viaticum petit. Negat Parochus, ſe poſſe Viaticum præbere homini, quamuis ſeni, bonæ valetudinis, et in nullius infirmitatis periculo poſito. Inſtat bonus ſenex ante Altare ſupplex, orat Parochum, vt voti compos fiat. Ridet Parochus, et orationem, et inſtantiam; ſed cum mentis amentiam non poſſet ſuſpicari ob grauitatem, et prudentiā Viri, Euchariſtiam elargitur, non tanquā Viaticum morituro; ipſe verò lubens accepit Corpus Chriſti tanquam Viaticum, et proteſtabatur de vita deceſſum. Ex Eccleſia actis Deo gratijs, domum redit, et vertente die, antequam cubitum iret, à filys rogat, vt ſollicitè curent Sacramentum extremæ Vnctionis ſibi protinus elargiri iam iam morienti: ſed tamen filij, ne delirij argueretur, et publicè homo eximiæ prudētiæ, imperatis, et iuſsis parentis obſiſtunt; imò et impatienter ferunt, ſanum hominē ſe ſe iam moriturum atteſtari. Intempeſta autem noctis ſilentio poſtquam accubuiſſent omnes, et ipſe ſenex non dormiebat; ſurgit è lecto inuiſurus et benedicturus filios, quibus è ſomno expergefactis ait*: O *fily, benedictio Dei Omnipotentis Patris, et Fily, et Spiritus Sancti deſcendat ſuper vos, Amen, et parcat vobis, quod ego decedam ſine Sacramento Vnctionis extremæ. Ecce ego moriturus, benedictionem Dei, et meam vobis precor, et impertior: ipſe vos cuſtodiat; Amen. Valete. Quibus dictis, iterum in lectum ſe recepit, fily autem feſtini accurrunt ad Patrem, quem ſumma animi tranquillitate iam animam agentem inueniunt, et quamuis Vnctionis Sacramentum ſumma celeritate adducere curent, tamen antequam accederet Sacerdos, et Parochus, à quo Viaticum acceperat, qui Vnctionis extremæ Sacramentum deferebat, animam egit, vitaque functus, ab omnibus magno eſt habitus in honore ob vitā, et morum candorē, et ob mortis, quam diximus, prædictionem: fortè animæ eius naturalis ſubtilitas mortē futuram præuidebat, qui integra ſe valetudine Sacramentis Eccleſiæ ſanus moriens præmuniebat*. Hæc ille. Vir quippè pius valdè, ac deuotus, & qui totus Dei obſequio addictus vixit, occulto quodam mentis, vel certè Angeli impulſu ad ſe opportunè Sacramentis Eccleſiæ, & Sacro præſertim Oleo contra Diaboli luctam præmuniendum, etſi neſciens agebatur.

Io. Franc Salina in cap 1. pag. 29.

Frāciſcus Salina ſenex in tegrè ſanus Viaticum à Parocho petit, & petitio reijcitur.

Euchariſtiā deindè inſtanter petēti iam pro viatico miniſtrat.

Petit vngi Oleo Sancto & à filijs, nec acquieſcunt.

Subindè de nocte electo ſurgens benedicit filijs & priuſquā a Parocho inungatur, moritur.

10. Quid demum narratis hactenus

haud

haud absimile non multis ab hinc annis domi suæ in Vrbe contigisse Theodorus Buccapadulius Vir, æquè prudẽs, ac nobilis nobis retulit, cuius in præsens historiam subteximus. Enimverò cùm vxor ipsius mulier pia simul, ac dignæ prosapiæ post diutinum, grauemque morbum conualuisset, lecto tamen adhuc decumberet, omni iã periculo Medicorum iudicio soluta, Virum repentè pro Sancti Olei vnctione sibi adhibenda rogare instantius cœpit; Quod ille audiens, ac certus iam Medicorum iudicio redditus, nullum fœminæ vitæ periculum adesse, postulatis minimè acquieuit, probè sciens ex consueto Ecclesiæ more Sacramenrum Vnctionis extremæ, nonnisi graui, ac desperato laborantibus morbo adhibendum. Plura itaque ad solandam vxorem dixit, omnemque procul à se cogitationis eiusmodi scrupulum abijcere iussit: Mulier verò in suo adhuc proposito constans, & se votis frustratam videns, sic ipsum vltrò alloquitur: *Hoc ego Sacramentum sub vitæ finem summoperè mihi expety, sed quoniam iteratis illud precibus obtinere in præsens nequeo, summoperè tristor; nam veniet, veniet tempus, quando tu me inungi voles, sed faciendi id vltrò facultas deerit.* Conticuit igitur, ac sicut dixit, sic postmodum contigit. Enimverò dum Vir vnà cum filijs subindè mensæ accumbit, en ribi subitò mulier syptomate præuēta præter omnium spem animam exhalar; Maritus verò statim è mensa in cubiculum accurrens vxorem, quam sanã credidit, mortuam reperit, adeò vt Parochum aduocãdi nulla per tempus facultas fuerit. Quod videns quippè, qui vxorem lectissimam vnicè diligebat, pia ipsius animo verba recolens, & casum amarulenter dolens, quoad vixit queri non desijt, dixerat enim: *Modò non vultis, sed quando me à Sacerdote inungi volueritis, haud per tempus licebit.* Quod quidem perpetui doloris, ac tristitiæ homini in causa fuit. At his obiter narratis ad alia stylum conuertimus.

Ex narratis sibi a prad. Viro.

Pia, ac nobilis fœmina Sacro inungi Oleo cupiens, nec obtinens ex improuiso, vt dixerat, obit

CAP. XIII.

Peccatores Sanctorum precibus Contritionis donum obtinent.

1. Magna procul dubio hominibus ad Deũ post culpæ reatum per Pœnitentiam salubriter traducendis Contritionis vis, ac veniæ tandē obtinẽdę spes diuinitùs affulget, si Sanctorum præsertim ad id precibus, meritisq; inueniantur, ac eorundē ad Dei tribunal patrocinio roborentur: *Sunt* etenim ipsi (vt Cyprianus ait) *iam de propria salute securi, & de nostra adhuc solliciti.* Quemadmodũ ergò, qui Principis gratiam, ac fauorem exambiunt, amicos, ipsique gratos, Patronos sibi adhibent, ac requirunt; sic haud incongruè, qui Sanctos piè colunt, hos maximè in Cœlesti Regno, qui gratia apud Altissimum pollent, parrocinantes sibi, ac deprecatores adhibeant, oportet. Quod meritò conceptis Gregorius aliquando verbis inculcans: *Hos* (inquit) *Sanctos videlicet in causa vestri examinis, quàm cum districto Iudice habebitis, Patronos facite: hos in die tanti terroris defensores adhibete.* Sanctorum namque efficax præ cunctis patrocinium nonnisi pio à Christi fidelibus venerationis cultu, ac humillimis maximè precibus obtinetur. Ad ipsos quippè fiducialiter confugiendo exoptandum peccatoribus Pœnitentiæ donum è Cœlo refunditur: *Adsunt* (ait Gregorius) *defensores nostri Sancti Martyres, rogari volunt, atque, vt ita dixerim, quærunt, vt quærantur. Hos ergò adiutores vestris orationibus quærite, hos Protectores vestri reatus inuenite, quia ne punire peccatores debeat, rogari vult & ipse, qui iudicat.* Sancti igitur Viri pro his apud immortalem Deum patrocinandi simul, ac impetrandi, pro quibus rogãt, prærogatiuam sortiuntur: *Sicut milites enim* (inquit Chrysostomus) *vulnera sibi in prelys inflicta Regi monstrantes, fideliter loquuntur; ità & illi* (Martyres videlicet) *abscissa capita gestantes, & in medium afferentes, quæcunque voluerint apud Regem Cœlorum impetrare possunt.* Beati namque supernæ Hierusalẽ Ciues, apud Deum

Cyprian. in lib. de mortalitat. fine.

Sancti sunt de sua salute securi, & de nostra solliciti.

Gregor. hom. 32. in euang.

Gregor. vbi supra.

Sanctorum patrocinio & precibus Pœnitentiæ donum hominibus affulget.

Chrysost. de SS. Iuuentio & Maximo Martyr to. 3

Deum pro nobis suis viuunt iugiter meritis patrocinando, adeòque haud incõgruè *cõmunes humani generis custodes* diuino Basilij ore nuncupantur; suisque itẽ nobis præsertim sunt precibus adiumento, quia ipsi Deo, beatam ipsius intuentes faciem, perpetuò præsentes adsunt, adeoque nunc (vt Nazianzenus ait) *tantò magis proficiunt nobis precibus, quantò sunt Deo propinquiores*. Hinc & aptè insuper argumẽtum deducens Hilarius addit: *Non deesse* (inquit) *stare volentibus Sanctorum custodiam*.

Basilius orat. in 40. Mart. Nazianzen. orat. 14.

Nazianzen. orat. 14.

Hilarius in Psalm 124.

2. Sanctorum itaque præsertim innitendum meritis, ac nostra ipsorum precibus salus (vt Maximus docet) est impetranda: *Sancti* (inquit) *eos, quibuscum ijs familiaritas est, & in corpore viuentes custodiunt, & de corpore recedentes excipiunt*. Enimuerò immortalem Deũ hominum conuersione maximè delectari scientes, pro hominibus per pœnitentiã ad ipsum traducendis sollicitè in primis sunt. Christus quippè, dum homines ad pœnitendum vocat, ideò huc *venit* (iuxta Ambrosii verbum,) *vt faciat in terra salutem, in Cælo gaudiũ*; Quia *gaudium est in Cælo super vno peccatore pœnitentiam agente*. Quod vt exemplis in præsens innotescat. Carolus II. Siciliæ Rex cum regias in senectute infulas, laudesque optimi Principis, fœdo incontinentiæ, ac libidinis (vt Rainaldus in suis tradit Annalibus) vitio labefactasset; attamen Sanctissimi filij Ludouici Tolosani Episcopi, qui Regio abiecto fastu, proculcatoque sæculo, præcelsam Beatissimi Francisci Minoritarum Patris humilitatem sectatus, totum se Deo dicarat, patrocinio, ipsius tãdem precibus illud à Deo obtinuit, vt Pœnitentiæ suffultus remedijs sua lachrymis scelera salubriter expiaret, ac demũ, quod & credere nobis par est, salutem quoque animæ pœnitendo elucraretur. Cuius quidem è vita exitum Bernardus hunc in modum describit: *Anno* (inquit) *Domini M. CCC. IX. quinta die introitus Maij, obijt Carolus II. Rex Siciliæ, Comesque Prouinciæ, filius quondam primi Caroli Regis Siciliæ, Regni sui computando ab obitu Patris XXV.* Hæc ille; quibus vnanimes insuper Iordanus, Ioannes Villanus, & S. Antoninus adstipulantur, qui delira item sub extrema senectæ tempora ipsius consilia, ac intemperantis animi in præceps currentis fœditatem suis exactè in paginis describunt; At filij postmodum meritis, precibusque è profundo tandem luxuriæ cœno emersit, ac pœnitentiæ præsidio suffultum, expiatũque mortali è vita abire, Diuino planè illi beneficio præstitum est. Quod haud obscurè Apostolicæ Clementis Papæ V. literæ ad Mariam Reginam conscriptæ, paternis ipsam verbis super Mariti obitu solantis, ac pro defuncti Coniugis anima à pœnis Purgatorij ignis releuãdæ, testatissimam cunctis fidem faciunt. Enimuerò dum pia fœmina iuges pro salute ipsius ad Deum sollicita preces fundit, à Romano Pontifice, quò cuncti item Christi fideles defunctum Virum Christianæ pietatis officio, & charitate permoti, & spirituali item lucro illecti prosequerentur, Indulgentiarum ijsdem vltrò thesauros Apostolica liberalitate impertiendos curauit; quibus Pontifex, & paterno itẽ affectu adductus, his planè verbis vniuersos Christi cultores Apostolicis verbis cõueniens, nobile Carolo Regi pridem defuncto amoris, ac recolendæ item virtutis documentum dedit; hæc enim ille: *Cum claræ* (ait) *memoriæ Carolus Rex Siciliæ, qui dum viueret, fidelitatis constantiam, obsequendi promptitudinem, & deuotionis affectum impendere fideliter studuit, Ecclesiæ Matri suæ in terra morientium positus, & tuitis operibus fidei tenuerit salutiferum Sacramentum, et dormitationem accipiens, optimam repositã gratiam habere credatur, &c.* Qui tot igitur laudum præconiis à Christi in terris Vicario post mortẽ egregiè cumulatur, commendaturq; fidelibus, felici procul dubio vitam exitu, pœnitentiæ armis suffultus, clausisse dicendus absque dubio est.

S. Maximus serm. de Martyr.

Sanctorum precibus nostra apud Deum salus procuranda.

Ambrosius lib. de apol. Dauid c. 2.

Rainaldus ann. 1309. num. 17.

Carolus II. Siciliæ Rex Ludouici filij Sanctitatẽ côtritionis donum obtinet.

Bernardus Chron. Rom. Pont. & M.S. Vatic. Bibl. sign. n. 1960. num. 274.

Io. Villanus Iordan. lib. 8 c. 108. S. Antoninus in Chronico.

Ante mortem à malis resipiscit.

Pontifex indulgentiarũ thesauros pro Caroli anima procantibus impertitur.

Lib. 5. epist. com. 106.

Rainald. an. 1309. nu. 19.

3. Alter quoque illustris Vir, eodemque dictus nomine Carolus Calabriæ Dux, Roberti Siciliæ Regis filius, alienas magno sibi emolumento preces expertus est. Quippè qui parentibus, quia vnicus, apprimè charus, cum iuuenili ætate, ac licentia diffluens in obscœna quæque inter lasciuiendum verba prorumperet, & à S. Eleazario Ariani Comite, cui veluti Pedagogo ad optimos

Carolus Calabriæ Dux alienis precibus ad pœnitendum iuuatur.

Ab Eleazario Ariani Comite à colloquijs vitiosis abducitur.

mos hauriendos mores à Roberto Patre traditus fuerat, de prophano obscœnorũ verbotum vsu obiurgaretur, ipsius, paternaque menti monita insedere, adeò vt sibi in posterum, atque ori pudicitiæ frenum adhibens, haud à suis turpes post hac, impurisque de rebus coram se, nec absque magna cunctorum admiratione sermones vsurpari permitteret. Eleazario interim adeò charus, vt quia ipsum vnicè diligebat, pro digna deligenda ipsi vxore, ipsemet in Gallias Legationẽ obierit. Et siquidem cum plura domi, forisque clarus præstaret, & ad maiora in dies obeunda manus, animumque protenderet, lethali inter venandum morbo perculsus est, nullisque masculis liberis ex se relictis, Christiano more, ac ritu se ad vitæ exitum probè comparans, supremum Neapoli diem clausit, & in Monasterio S. Claræ 14. Nouembris anno post Christum 1328. sepultus est. Porrò Robertus Pater vehementius ob filij obitum dolens, amarulentis illis vsus est verbis: *Cecidit corona capitis nostri*. Quem Ioannes XXII. Romanus Pontifex dolentem amantissimis solatus est verbis; piam cum benedictione filij memoriam frequentandam asserens, hęc enim illi: *Scimus* (inquit) *fili charissime transitũ benedicti tui Vnigeniti*, Cui insuper blandè ipsũ ex paterna charitate releuando, certam sperandæ illius salutis spem ingerit; hæc enim subdit: *Spe* (inquit) *tenemus firmissima, quod ipsum Pater cęlestis de valle miseria mundi huius eduxerit tanquam sibi dilectum, et placitũ ad illam cęlestem Ierusalem delaturus. Adhuc quæ causa dolendi, si isti Viro inclyto charo nostro miseriarum finis, angustiarũ terminus, laboris exitus sunt concessi, & de labore ad requiem, de periculo peruenit ad securitatem, et pacem?* Quibus sanè verbis Pontifex hominem à terrenis, miserandisq; huius sæculi angustijs præreptũ ad Superos migrasse, satis apertè affirmare videtur.

Rainal. ann. 1324.

Ioa. Villan. lib. 10 c. 3.

S. Antoni. 3. par. tit. 21. c. 6.

Tom. 7. par. 2 epist. secret. pag. 145.

Pontifex ipsius patrem paternis officijs solatur ob filij obitum.

Caroli corpus integrũ ibarumq; multos post annos adinuentum.

4. Verùm haud obscurum fausto Caroli decessui è Cœlo testimoniũ defuit, cùm ipsius corpus multos post annos integrum, incorruptumque adinueniri contigit. Cum enim sepulchrum, vt vxoris illuc corpus inferretur, reseratum fuisset; cadauer, quod diù ante tumulatũ fuerat, non secus ac natiuæ, cõmunisque mortalium post mortem conditionis expers apparuit: Qua super re ipse Ioannes XXII. Pontifex gratulabundas ad Siciliæ Reginã epistolas dedit, in quibus conceptis portentũ eiusmodi verbis admirabundus celebrat: *Nunquid* (inquit) *plenum lætitia, corpus Ducis præfati integrum post tanti temporis spatium reperisse? Vtique & hoc vnicuique fideli consolationis, & gaudij materiã subministrat. Gloria sit illi, qui Ducissam de huiusmodi miseria ad suam vocauit gloriam, corpusque Ducis integrum tamdiù voluit conseruare*. Hæc Pontifex, dum Viro ad Gloriæ Regum feliciter prouecto, ipsiusque corporis iam demortui, & illibati in sepulchro sic adhuc permanentis testimonio adductus meritò gratulatur.

Tom. 8. par. 2. epist. secr. pag 248.

Pontifex ob id per literas gratulatur.

5. Quantùm verò piæ aliorum preces perditis, quibusque interdum Viris ad salutem proficiant, testatissimus nobis testis adest Dionysius Lusitaniæ Rex, Elisabethæ fœminæ omnium Sanctissimæ, ac miraculorum signis conspicuæ Vir, qui etsi regali more multa tum in Deum, tum in Ecclesiam peccauit, ob quæ Diuini Numinis exacerbando clementiam, iustas ipsius iras promeruisse visus est; suum tandem postea errorem agnoscens, opportunè retractando pœnituit. Ob iura quippè Ecclesiæ, ob Clericos nõnullos inopia in carceribus enectos violata, censuris meritò mulctandus fuit; quin & censuris insuper licet meritò exagitatus subditos, qui Alphõsi eiusdem filii partibus fauebant, & se ab ipsius imperio subtraxerant, Apostolicæ Romani Pontificis censuræ gladio feriendos curauit. Ipse verò non absque scandalorum offendiculo, impurisque diù implicitus amoribus, funestas demum Regno dissidiorum turbas peperit. Alphonsus quippè filius sceptri legitimus hæres, cùm (vt Rainaldus in suis paginis tradit) Sanctiũ spurium impuris exortum natalibus, nimia apud Patrem in Regno administrando authoritate pollentem videret, iniquè id ferens, ac nonnisi manifestã sui iniuriam ratus, primò ei bellum indixit, ipsi item eam suspicionis labē inurens, quod & se abdicãdi animo consilia agitasset,

Rainald. an. 1325. nu. 25.

Dionysius Lusitaniæ Rex ob vxoris Sanctissimę preces resipiscit.

Rainal ann. 1317 nu. 42.

Ioa 22. epist. 323.

Rainal. vbi supra.

Alphonsus filius ipsi bellum indicit.

atque à legitimo in spurium sceptra Lusitanorum Regni traducere pertentasset. Quapropter proceribus inuicem dissentientibus, altercantibusque, nec non Conimbriæ portubus ab Alphonso occupatis, ingens cunctis bellorũ procella ingruere visa est. At Dionysius ad Apostolicam Sedem supplex, Ioannis XXII. sibi gratiam conciliare studuit, qui anathematis censura omnes, qui publicam rem perturbarent, ac illi negotiũ facesserent Apostolica auctoritate desixit. Verùm Pontifex funesta bellorum initia prænoscens, datis ad Dionysium literis, ipsum ad anteactę vitæ scelera lachrymis diluenda, Deumque sibi placandum adhortari non destitit. Quo præstito, certam illi, atque exoptatam, quam cupiebat, ex hostibus victoriæ palmam repromisit, cum prius scilicet armis pœnitentiæ suffultus, cuncta, que olim admiserat scelera; contriti cordis suspirio deleuisset.

Rainald. ubi supra.

Supplex apud Ioannē 22. pro auxiliari manu iultat.

6. Verùm quæ lubricæ ætatis æstu abductus, ac in væsanos factus amores præceps, quæue insuper proculcatis Ecclesiæ iuribus per scelus patrarat, sanctissimę Coniugis adiutus precibus affulgente desuper Dei gratia, intimo pietatis sensu, atque vberrimis ante obitum lacrymis visus est diluisse, vt Ioannes 22. in consolatoriis ad Reginam lectissimam ipsius Coniugem literis habet, dum cunctis ipsum Ecclesiæ Sacramentis procuratum, nec non ingenti consequendæ in altero sæculo immortalitatis spe suffultum migrasse, inter cætera hunc in modum tradit: *Felix* (inquit) *ipsius Regis transitus, qui deuotione ad Deum, & Sanctam Ecclesiam clarens præcipua, & zelo fidei Orthodoxæ accensus, deuotè receptis Sacramentis Dominicis, de morte transisse ad vitam, & in excelsis cum amicis, & electis Dei obtinuisse mansionem perpetuam creditur, nobis in partem magna consolationis accessit &c.* Hæc Pontifex. Ingentem itaque de se bene sperandi, ac de felici vitę exitu spem dereliquit, cui adeo nobile Christi Vicarius Apostolicis verbis testimonium dedit; quod quidem nonnisi præferuidis Elisabethæ precibus tribuendum cordatus nemo est, ac sapiens, qui non videat. Porrò eiusdem obitus his à Mariana notis consignatur. *Anno* (inquit) *millesimo trecentesimo vigesimo quinto, septimo nonas Ianuarij Dionysius Lusitaniæ Rex Scalabri decessit, diuturno Regno, anno quadragesimo quinto, nouem mensium, dierum quinque, excelsa animi magnitudine, & perpetua felicitate inter Principes ea ætate inclytus. Domestica dissidia, implacabileque inter patrem, & filium odium ad aliquam iniuriam extrema ætate accesserunt. Corpus in Cistercienfe Monasterium illatum, quod eius impensa ab Vlyssippone sex passuum millibus ab imo totum erat extructum: pietatis id argumentum est, Liberalitatem verò, magnificentiamque animi multa Oppida constituta, alia perpetua manium corona, aut aliis operibus munita indicant.* Quibus pio Regi pœnitentium in morem digne, ac laudabiliter vita perfuncto parentasse sufficiat.

Io. 22. tom. 5. p. 2. epist. secret pag. 29.

Ingenti salutis spe pœnitendo suffultus è vita migrat.

Coniugis apud Deum precibus pœnitendi gratiam consequitur.

Rainald. an. 1325. n. 15. Ioannes Mariana lib. 15. c. 18.

7. Inter cætera verò propositi nobis argumenti, & quæ rem euincunt exempla (plura quippe non desunt) Fr. Raymundus Capuanus, Sacri Prædicatorũ Ordinis Magister, qui in Religiosorum hominum disciplina instauranda præferuidus extitit, bonis, sanctisque diues operibus, & Beatæ Catharinæ Senensis, cui pridem ille fuerat à Confessionibus: ipsius inquam precibus, miro contritionis sensu, ac peccatorum dolore perfusus, longè antequam è vita decederet, suum miro intimi doloris affectu, vt hinc tutus abiret, vitæ finem præuenit. Is igitur tali dono liberaliter auctus, in his potissimum, quæ ad Virginem spectabant, nec absque Dei consilio, se quid humani antea perpessum, ac insuper tentarum vehementius, sic narrat: *Scire* (inquit) *te volo, ò lector dilecte, quod in principio, cum audito eius præconio, cæpi familiariter cum ea conuersari, multifariè, multisque modis de incredulitate, Deo permittente, pro meliori tentatus fui; Quærebam enim per omnem modum, & viam, quibus inuestigare possem, si facta eius erāt à Domino, aut aliunde, si erant vera, aut ficta, &c. Sic in biuio quodammodo positus, ad neutram partem firmiter declinare, nutansque in mente anxiè, dirigi cuperem ab illo, qui nec falli potest, nec fallere. Subitò menti occurrit, quod si posset mihi constare, quod precibus eius obtinerem à Domino vnam magnam, & insolitam contritionem omnium*

Fr. Raymundus Capuanus B. Catharinæ precibus donū contritionis accipit.

Rainald. an. 1399. n. 22. S. Antonin. 3. p. tit. 23. c. 3. §. 3. Fr. Raymund. Capuan. in vit. S. Catar. Sen. p. 1. c. 9.

Experimento Virginis sanctitatē comprobare cupit.

omnium peccatorum meorum vltra communem omnium consuetudinem meam, hoc esset mihi perfectum signum, quod à Spiritu Sancto procederent omnia facta eius: nullus enim potest hanc contritionem habere, nisi à Spiritu Sancto, & quamuis nemo scit, an gratia, odio, vel amore sit dignus, magnum tamen signum Dei est cordialis contritio peccatorum: nec cogitationem hanc vsque ad linguam, seu vocem duxi; sed totaliter tacitus accessi ad eam, & petiui ab ea instanter, quod vellet pro me efficaciter Dominum deprecari, vt indulgere mihi dignaretur peccata mea. Quæ cum ex suæ plenitudine charitatis lætanter respondisset, quod libētissimè faceret, replicaui ego, quod hoc desiderium meum non quietaretur, nisi de hac indulgentia more Ecclesiæ Romanę Bullam haberem; qua subridente, ac petente, qualem Bullam vellem de hoc habere, respondi, me loco Bullæ pro signo petere vnam magnam, et insolitam contritionem peccatorum meorum: quæ mox annuit, se hoc indubitanter facturam, visumque est mihi tunc, quod omnes cogitationes meas intellexisset, sicque abscessi ab ea hora diei, si non fallor, penultima, &c. At cum Raymundus subinde morbo correptus, lecto decumberet, dilecta Christi Virgo licet malè se tunc haberet, suo mox è strato surgens, sorore eiusdem Ordinis sibi comite, ad ægrotantem se contulit: Sed quæ subindè acciderint, ipsemet Raymundus præsentem Virginem alloquens, sic narrat.

Contritionis donum, vt Virgo sibi à Deo obtineat, precatur.

8. *Vt quid* (inquit) *Domina huc venistis? peius est vobis, quam mihi; ipsa verò incipiente iuxtà morem suum loqui de Deo, & de ingratitudine nostra, qui tantum benefactorem offendimus, quasi confortatus simul, & propter honestatem coactus, de lecto surrexi, non tamen memor in aliquo promissionis quam in præcedenti Vespere fecerat mihi, & posui me ad sedendum in alio lectulo ibi propinquo. Sed ipsa inceptum sermonem continuè prosequente, superuenit menti meæ quædam insolita consideratio peccatorum meorum tam clara, quod absque velamine aliquo cernebam me ipsum in iudicio iusti Iudicis positum, ac indubitantissimè reum mortis in similitudinem eorum, qui propter malefacta per Iudices huius seculi quotidie condemnantur. Videbam etiam benignitatem eiusdem Iudicis, & clementiam, qui propriis demeritis me deputatum morti iustissimè, non solùm liberabat à morte, sed suis vestibus induens nudum, suaque in domo cubans, ac confouens, ac suo seruitio deputās, mortem in vitam, timorem in spem, dolorem in gaudium, ignominiam in honorem suę infinitę bonitatis sola gratia conuertebat. His considerationibus, immo vt magis propriè loquar, clarissimis mentis visionibus rupta sunt cataracta durissimi cordis mei, & apparuerunt fontes aquarum, releuata fuerunt fundamenta culparum mearum, in tantumque fletum, & rugitum prorupi, quod verecundè dico, quod verisimiliter timui, ne pectus, & cor pariter finderentur. At illa prudentissimè, quę ad hunc finem tantum venerat, mox, vt hęc vidit, conticuit, & permisit, me lacrymis satiari, & singultibus: post aliquam autem moram admiranti mihi de insolita nouitate, inter fletus occurrit petitio mea, quam præcedenti die feceram, & promissio eius, statimque me ad ipsam conuertens, dixi: Estne Bulla hęc, quam heri petiui? Illa respondit: hęc est; & mox surgens, si non fallor, tetigit humeros meos retrò dicens: Sitis memor donorum Dei, statimque abscessit, & ego cum socio remansi ædificatus similiter, et lętificatus. Hæc coram Domino, quia non mentior.* Sic felix accepto ante obitum indultæ peccatorum sibi veniæ dono, dum sic expiatus ad mortē, lętusque properat, haud posthac mortē timuit, sed in ipsam vltrò libenterque insurgens, dum Senis lues acrius serperet, ipse quoque fatali iuuandarum animarum causa morbo correptus, iam se credidit moriturum, inuisente ipsum Virgine, precibusque adiuuante statim, morbo solutus, ac pristinæ redditus sanitati, hæc ipsam sibi dicentem audiit: *Vadatis* (inquit) *ad laborem pro salute animarum, gratiasque referatis Altissimo, qui vos de præsenti periculo liberauit.* Sicque (inquit) *accessi ad onera consueta, magnificans Dominum, qui talem potestatem dedit huic honori virginali.* Compunctio itaque cordis omnem ab homine mortis metum aufert; adeoque Vir pius, ac religiosus, qui contriti cordis dono Virginis patrocinio insignitus, culparum

In gestis S. Catharin. Virg. vbi sup

Virgo infirmum inuisens de obtenta contritione certū reddit.

Insitatus fulto Raymūdi in Deū affectus, & lacrymæ.

Ipsum Virgo alloquēs de obtenta venia confirmat.

Fr Raymundus Capuan. vbi sup.

Eumdem peste tactum à mortis periculo liberat.

à Deo indulgentiam obtinuit, haud pestem posthac corporis extimuit, sed tutus subinde, ac pœnitentiæ clypeo suffultus, æternitatem adiuit.

9. Demum magno haud semel Dei beneficio Pœnitentiæ, & compunctionis donum aliorum precibus à Deo obtineri; etsi palam è SS. monumentis liquet, attamen ex conscriptis item alterius B. Rosæ Virginis videlicet Peruanæ gestis certa complurium testium fide proditur; hæc enim ibi: *P. Fr. Nicolaus de Aguero in sua encyclica ad totam Ordinis Prædicatorum Prouinciam Peruanam scripta die primo Septembris, 1617. dum admirabilem Rosæ vitam, obitum, prodigia strictim suis denunciat, inter alia refert, ad solum virginei corpusculi in feretro contactum quam plurimos repentino compunctionis stimulo ità fuisse perculsos, vt statim ibidem coram vniuersa multitudine cœperint claris vocibus detestari sua scelera, deplorare vitam anteactam, resolui in gemitus, ac singultus, humiliari coram Altissimo in lacrymosam criminum confessionem, audiente, spectante, mirante innumera circumstantium turba. Nonnulli (vt fit) liberioris vitæ solo curiositatis spiritu adducti, vt defunctam pulcherrimam Virginem propiùs cum aliis contuerentur in sandapila, ad ictum primi intuitus exarserunt in subitum, intimumque dolorem peccatorum, rigarunt ora lacrymis, protestantes alio, quam venerant, spiritu se iam recedere, posthac emendationi vitæ, ac emundationi morum se operam daturos efficacem. Forsitan idcirco prouiderat Deus Pater misericordiarum, quod toto ferè biduo palam prostaret in tumulo inhumatum Rosæ suæ corpusculum, vt eius spina tam multis fierent in salutem; Nam iuxtà mellifluum Bernardum felicint nunquam pungeris, quàm vbi compungeris, etc.* Hæc ibi: Diuino quippe dilectæ; Deo Virginis afflatu subitus in peccatorum corde spiritus compunctionis, & in quã multis item deuoti mox animi, qui extinctus iam videbatur, sensus reuixit; vt Rosæ ipsiusmet genitrix sic de quibusdam narrans meminit: *Ita* (inquit) *singuli profitebantur, hac ratione se meram gratitudinis tributa pendere Virgini Rosæ, cuius intercessionibus vitæ suæ optimam se mutationem debere sciebant, læti nunc alios esse ab eo, quod fuerant: eoque felicitatis non nisi post imploratum Rosæ in Cœlesti Curia interuentum se pertigisse asserebant. Certè operosius, & fortè rarius miraculum est, languidum, ac tepentem in Dei obsequio spiritum repente ad seria religiosæ perfectionis studia erigi, valideque succendi, quam criminosum ab enormitate sceleris ad qualemcumque frugem reuocari. Siquidem hic plerumque nouit periculum suum, ille, inertiæ, et securitati altius indormiscit.* Miro quippe, ac virgineo Rosæ cœlestis odore mortales afflati, christianos probè mores, & alij subitum præferuidæ charitatis redolere Deo aspirante spiritum cœpere.

Ex gestis B. Rosæ Limensis Ord. Prædic. c. 2. pag. 373.

B. Rosæ Limensis patrocinio plures compunctionis donũ obtinent.

Nonnulli solo Virginis in feretro iacentis aspectu cõpuncti

In actis B. Rosæ vb. sup.

Peccatores subito pænitentes, ac tepidè subito feruentes euadunt.

10. Quod autem de mira ipsius, hic in adducendis ad Deum per pœnitentiam hominibus traditur, solemne adeò floridæ Paradisi Rosulæ extitit, vt P. Martinez pro certo asserat, & vel vt vnanimi plurimorum Confessorum testimonio, assertisque constans liquido affirmet: *Post imploratum videlicet Rosæ in Cœlis auxilium, innumeros tum Limæ, tum in vniuerso Regno ex infima scelerum abysso emersisse in portum veræ pœnitentiæ, sinceraque confessione, & lacrymis animam expiasse &c.* Hæc ille, diuinam planè in pœnitentium excitandis ad Deum animis virtutẽ in Christi Virgine erga multos expertus; sed vt rem prosequamur, hæc aptè ex ipsius actis subtexenda videntur: *Consonat his* (inquit) *per omnia P. Fr. Petrus de Loysa, additque duo notatu digna; Primum esse paucis à Virginis obitu diebus tantam fuisse eiusce modi conuersionum frequentiam, quod Limæ in publicis officinis, vbicumque tortilia disciplinarum flagella, setarum cingula, & varia fortis cilicia vendebantur, subitò defecerint hæ mortificationis, ac pœnitentiæ instrumenta ob emptorum multitudinem. Alterum, quod ex plurimis ad seriam pœnitentiam tunc conuersis duas nouerat insignes peccatrices, quas probrosæ vitæ deuia nodosis inferni retibus tenacissimè implicuerant, sed ambæ ad odoriferam Rosæ famam compunctæ, eiusque validis coram Altissimi Throno precibus commendatæ, nodos impuritatis feliciter exuerunt, & in valle virtutis constantem fixere pedem etc.* Hæc ibi. Quantum verò in hominibus ad pœnitentiam

In gestis B. Rosæ vbi sup.

Testatissima res apud religiosos viros fides.

In actis B. Rosæ vb. sup.

Peccatores B. Rosæ precibus ad pœnitentiam traducti.

In gestis B. Rosæ Peruanæ vbi sup. pag 376.

rentiam diuinitus trahendis, excitandisque ad bonam frugem Beatæ huius Virgunculæ apud Deum preces inualuerint, his Auctor verbis prosequitur: *Denique* (inquit) *tam publicè notum, tamque populariter crebrum fuit hoc prodigiū, vt prænominatus Martinez Vir grauissimus, & Religionis, pietatisque fama inter eximios clarus, neutiquam dicto in Tribunali dubitarit iuratus asserere, videri sibi, quod à tempore, quo Peruuia nostris detecta patuit, nullus vnquam claruerit prædicator, qui tot, ac tantis stimulis gentes illas ad virtutem impulerit, tamque vniuersalem pœnitentiæ spiritum, tam luculentum deuotionis incendium excitarit. Mira res, tantum valuisse vnius Rosæ salutiferos aculeos ad tantorum compunctionem.* Ita planè nonnisi alienis precibus tribuendam tot numero homines cordis, quam insolitam sibi plane refundi diuinitus senserē compunctionem, pro certo a cunctis habetur, qui & ex intimo cordis sapore præsentem Omnipotentis Dei vim experimento didicere. Supernam quippe spiritus, quæ superuenit gratia, ipsum hominis cor penitus immutat, eiusq; aduentum, & ex hoc plane Bernardus est aliquando expertus: *Ex motu* (inquit) *cordis mei intellexi præsentiam eius, & ex fuga vitiorum, carnaliumque compressione affectuum aduerti potentiā virtutis eius. etc.* Qui & demum mira super se infundentis gratiæ signa ad viuum illis profectò verbis adumbrando concludit: *Ex quantulacumque emendatione morum meorum expertus sum bonitatem mansuetudinis eius, & renouationem spiritus mei, &c.* Compunctionis namque spiritus, diuini proculdubio Spiritus, ac hospitis donum præ cunctis est. Sed de his hactenus.

Quam multi ipsius patrocinio miro deuotionis spiritu succensi in Peruanis regionibus.

Ber ser. 17. in Cant.

CAPVT XIV.

Pœnitentes sub vitæ finem de condonatis sibi culpis certiores fiunt.

1. NOn est oblectamentum (vt Sapientum Sapientissimus inquit) *super cordis gaudium*. Cui Regius quoque psaltes suo probè experimēto edoctus: *Dedisti* (aiebat) *lætitiam in corde meo. Et bene siquidem* (vt Chrysostomus docet) *lætitiam in corde meo: ostendens non esse in exteris rebus lætitiam.* Quod sanè mortalium cunctis, qui inter blandas sæculi delicias turpiter diffluendo, suum ibi gaudium quærunt, vbi non est, ac vbi veraciter non oportet inquiri, illis aptè Bernardus verbis inculcans: *Illud verum* (inquit) *& solum est gaudium, quod non de creatura, sed de Creatore concipitur, & quod cum possederis, nemo tollet à te: Cui comparata omnis aliunde iucunditas, mæror est, omnis suauitas, dolor est, omne dulce amarum, omne decorū fœdum, omne postremo quodcumque aliud delectare posset, molestum.* Ita planè. Mortalibus namque nonnisi Deo tandem fruēdo destinatis, nil meritò præter Deū ipsum eorundem palato sapit, & nil itē post deperditam ipsius peccando gratiā, ac violata amicitiæ iura, gratum magis, quam recuperata ipsius gratia condonatis arridet; vt sic appositè Tertullianus aliquando meminit. *Quid enim* (inquit) *iucundius, quam veritatis reuelatio, quam Dei Patris reconciliatio, quam veritatis reuelatio, quam errorum recognitio, quam tantorum retro criminum venia.* Pœnitendo itaq; quam quis peccando amisit, mox redit lætitia, & pœnitentium diuinitus cordi illabitur. Quapropter quod pridem suas turpiter Dauid, inter carnis blanditias diffluendo semel, & quo ante perfruebatur solido cōscientiæ testimonio gaudium lamentapœnitentiæ sibi, & iuges lacrymas a Deo reddi, suisque tandem auribus miseren-

Ecclesiastic. c. 30. 1. psal. 4. u. 7. Chrysost. in Ps. 4. Ber. ep. 115.

Ps. 50. v. 31. Tertullianus de spectac. c. 29. Augustin. in psal. 50.

Dauid quā peccando amiserat, pœnitēdo reddi lætitiam poscit.

Tertullianus.

ferentis Dei, ac veniam insuper donantis illabi vocem cupiens poscebat totus in ipsum fiducia erectus, altius in Cœlum clamando: *Auditui meo dabis gaudium, & lætitiam, & exultabunt ossa humiliata*. Enimverò nisi quod admiserat peccatum, Dei vltrò benignitate indultum, abolitumque sentiret, nil sanè, quod cordi saperet, & gratū foret, acceptumq; dolentis cordi, Augustino teste, suppetebat: *Gaudebo* (inquit) *audiendo te, non loquendo contra te*. Haud aliter enim, quam se agnoscendo, & fatendo insuper culpam, Deitum gratiā, tum cordis redire lætitiam procuIdubio sciebat. Res siquidē plena lætitię, vbi desuper gratia Dei miserentis aspirat, ac indulgentis pariter optatissima cunctis præsto est benignitas, adeoque quis post amarulentas cordis lacrymas, tranquillum fieri animæ sinum, sibique ipsum intus Deum cordis aure loquentem percipit, dicentemque illud ipsum, quod olim Magdalenæ Christus edixit: *Remittuntur tibi peccata tua, vade in pace*. Enimverò ipsa primum donandæ gratis indulgentiæ, quæ compunctis corde promittitur spes, gratus profectò, acceptusque in primis nuncius pænitentium auribus arridet, vbi prædicantium olim vox, ac vnà simul Euangelij lex supremo Dei Imperio, Augustino teste, in corde percrebuit: *Dubium quippe* (inquit) *non est, quia vox prædicantis remissionem gaudium præstet peccatoribus. Quis enim est, qui non lætetur, cum indulgentiam audit?*

Psal. 50. v. 37

Aug. in Ps. 50

Per pœnitentiam operata cordis lætitia redit

Luca cap. 7.

Augustin. ho. 49. 113 in verb. ps. 50

2. Meritò igitur pænitentium quisque gaudio replebitur, cùm dimissas sibi culpas Dei ipsius oraculo, & conscientiæ insuper testimonio certior factus intelligit? Tunc profectò bene sibi quilibet conscius, & de reddita Numinis gratia haud dubius, illis meritò sibi vocibus gratulatur: *Risum* (inquiens) *fecit mihi Dominus*, tantumque sibi intus in cordе erumpere gaudium sentit, vt vel sit capiēdo impar. Hoc certè gaudium est, quod intimè ipsam omnimodis perfundit animam, & terrenarum omnium, quibus pridem peccando gaudere consueuerat, rerum fastidium, ac vna pariter obliuionem inducit. Pænitentibus quippe, quorū palato Mundus ac terrena cuncta haud sapiunt, illa aptè S. Prosperi verba occinunt:

Lætitia ob recuperatā Dei gratiā dici haud potest.

Bernard. in sentent.

Bernard. in sent. vbi sup.

> *Felices verò faciunt, semperque beatos,*
> *De vero, & summo gaudia nata bono.*

S. Prosper in carmin.

Quod igitur pœnitentium animo diuinitus illabitur gaudium, à mortalibus sentiri facilius, quam verbis exprimi valet: & dulcedo insuper ea est, vt aliam omnem longe superans, intimo cordis gustui ipsam totiusq; Mundi, quæ adeò mortalium plerisque sapit (vt diserte Augustinus docet) dulcedinem vltrò reddat insipidam: *Est gaudium* (inquit) *quod non datur impijs, sed eis, qui te gratis colunt Domine, quorum gaudium tu ipse es, & ipsa est beata vita gaudere ad te, de te, propter te; ipsa est, & non altera*. Hoc itaque superni fontis gaudio, vbi pænitentium corda Dei iustitiam, & sapidum eius amorem prægustant, sic mirificè intus replentur, vt ipsis Dauidicum illud solemne verbum occinat: *Vox exultationis, & salutis in tabernaculis iustorum*. Sed iam res adducendis infra exemplis est comprobanda.

Pœnitentiū lætitia ex Deo solo, eiusq; gratia deriuat.

August. lib. Confession.

Terrena dulcedo haud pænitentibus sapit, quin immo amara est.

Ps. 117. v. 15.

3. Pænitentia igitur, qua mortaliū culpæ diuinitus relaxantur, Dei quoque munere refundendo gratiam, præoptatam ob dimissa peccata animæ vna cum lætitia pacis tranquillitatem affert, vt Anastasius sic rem exemplo, cuius & alibi meminimus, opportunè testatur: *Vir* (inquit) *vnus ex ijs, qui Monachali insigniti sunt schemate, cum negligentissimè per summum otium vitam suam omnem egisset, ea, qua esset ad mortem infirmitate cæpit infirmari, cumque iam vltimum spiritum duceret, suam ipsius mortem nequaquam perhorrescens, summa voluntate, magnaque cum gratiarum actione exolutus vinculis excedebat. Ad quem assidentium Patrum vnus: Frater* (inquit) *persuasum tibi habeto, & putasse nos, & vidisse summā negligentiā, animique remissione vixisse te vtique vsque ad hoc tempus; & vnde hæc tibi nunc tanta securitas? id verò omnes nescimus. Cui respondit Frater: Est ita omnino Patres, vitam per summam negligentiam duxi, sed Angeli Dei eadem*

Baronius an. 599. n. 13.

Monachus post neglegentiarum obtentam à Deo veniam lætus moritur.

Anastasius Synaita in ...

eadem hac ipsa hora peccatorum meorum ad me chirographum attulerunt, cumque ea, quæ fecissem, postquam sæculo renunciassem, peccata legissent, numquid agnoscerem, rogauerunt. Quibus ego, maximè verò (inquam) agnosco: Sed idem, ex quo renunciaui sæculo, uitamque institui Monasticam, nec indicaui quemquam, nec ab ullo mihi factam iniuriam meminisse uolui. Igitur Domini quoque ad me uerba pertinere opto, & oro, qui dixit: Nolite iudicare, & non iudicabimini; dimittite, et dimittetur uobis. Quæ postquam Angelis dixi, chirographum peccatorum meorum consciderunt; & ideò nunc cum summa lætitia, & securitate proficiscor ad Dominũ. Hæc ubi Frater ille narrauit Patribus, Domino in pace spiritum reddidit, magnaque astantibus ædificationis, utilitatisque causa, et auctor extitit, etc. Culpis quippe liberaliter à Deo condonatæ, quę in altero sæculo manebat pœna, ob gratiarum magnitudinem summæ pariter lætitiæ in causa est.

Indulta pænitenti venia lætitiam parit.

4. Pænitentibus itaque indulta diuinitus venia, iustam, condignamq; pro dimissis vltro peccatis homini gaudendi facultatem tribuit, a leò vt illud Dauidis adimpleri oraculum videatur: *Cor meum* (inquit) *et caro mea exultauerũt in Deum uiuum, &c.* Quę sanè lætitia, *manat, exuberat affluenter.* Quod quidẽ Deus haud semel è Cælo hominibus, qui dignè ad amplexandam pænitẽtiam procurrunt, misericorditer præstitit, vt Sophronius prę cæteris sic tradit: *Erat* (inquit) *senex quidam, qui ante modicũ tempus defunctus est, Pardus nomine, genere Romanus. Hic dum esset iunior, mulio fuerat. Die quadam igitur abijt Ierico cum mulis, & cum esset in Xenodochio, inuentus est illic puer paruulus, quem agente diabolo, mulus calce percussit, & occidit, ignorante hoc Abbate Pardo. Afflictus verò multum super hoc Abbas Pardus, abijt in Arnonem, & effectus est Anachoreta lugens semper, dicens: Ego feci homicidium, & ut homicida in iudicio damnatus sum. Erat autem illic propè torrentem Leo, diebusque singulis ibat Abbas Pardus ad cubile Leonis, stimulans, & prouocans Leonem, ut exurgeret, & deuoraret eum: Leo autem nihil omninò eum lędebat. Videns autem senex, quia nihil proficeret, ait in se ipso: Dormiam in via, per quam Leo pergit ad fluuium; nam cum transibit, ut eat ad bibendum, deuorabit me. Cum ergò iaceret, ecce Leo post paululum venit, & quasi ratione prędítus esset, cum omni quiete transiliuit senem; neque omnino eum tetigit. Tunc senior certior factus, quod Deus remisisset illi peccatum, & veniens rursus in Monasterium suum, vixit in magna cõtinentia, ædificans omnes vita suę exemplo usque ad diem obitus sui.* Haud obscuris itaq; signis è cœlo senex minimè se homicidij reum, sed si quod fuerat, culpæ ipsius, condonatam sibi noxam edoctus, in magna posthac animi tranquillitate vitæ diem clausit extremum.

Ps. 83. v. 3. Cyprianus ep. ad Donatum Sophronius prat. spirit. c. 101.

Pardus senex Monachus, pueri casu à mulo percussi necem amarissime lugens, solitarius vixit.

Senex homicidij reum leoni deuorandũ offerens, illæsus præteritur.

5. Narratis verò egregiè consonat, quod S. Gregorius Victorino accidisse refert. Dum enim olim ob graue quoddam piaculum, pœnitentiam ageret, dimissam ipsi diuinitus culpam innotuit; hæc namq; in suis ille Dialogis narrat: *Nostris modò* (inquit) *temporibus Victorinus quidam extitit, qui alio quoque nomine Aemilianus appellatus est, non inopis substantię iuxtà mediocritatem vitę. Sed quia plerumque regnans in rerum opulentia, carnis culpa in quodam facinore lapsus est, quod debuisset valdè pertimescere, ac de sua mortis immanitate cogitare. Reatus ergò sui consideratione compunctus, erexit se contra se, Mundi huius omnia reliquit, Monasterium petijt. In quo nimirum Monasterio tantę humilitatis, tantęque sibi districtionis extitit, ut cuncti fratres, qui illic ad amorem diuinitatis excreuerant, suam cogerentur vitam despicere, dum illius pænitentiam viderent. Studuit namque toto mentis adnisu cruciare carnem, voluntates proprias frangere, furtiuas orationes quærere, quotidianis se lacrymis lauare, despectum sui appetere, oblatam à Fratribus venerationem timere. Hinc itaque nocturnas Fratrum vigilias præuenire consueuerat, &c. Quadam verò nocte Abbas Monasterij vigilans, hunc latenter egredientem lento foras pede, sequutus est; quem cum in secreto montis latere cerneret in oratione prostratum, expectare voluit, quãdò surgeret, ut ipsam quoque longanimitatem orationis eius exploraret, cum subitò lux emissa super eum fusa, qui in oratione prostratus iacebat, tantaque se illo in loco claritas sparsit, ut tota pars regionis illius*

S. Gregorius hom. 14. in Euang.

Victorinus pęnitentiam pro culpis agens de venia fit certior.

ex ea-

ex eadem luce candesceret; quam Abbas vt vidit, intremuit, & fugit. Cumque post longum horæ spatium idem Frater ad Monasterium redijsset, Abbas eius, vt disceret, an super eum effusionem tãti luminis agnouisset, requirere eum studuit, dicens: vbi fuisti Frater? &c. At ille videns se esse deprehensum, hoc quoque, quod Abbatem latebat, aperuit, adiungens: Quando super me vidisti lucem descendere, vox etiam pariter venit, dicens: Dimissum est tibi peccatum tuum: *Et quidem Omnipotens Deus peccatum eius potuit tacẽdo laxare, sed loquendo per vocem, radiando per lumen exemplo suæ misericordiæ nostra ad pœnitentiam voluit corda conuertere. Miramur Fratres charissimi, quòd persequutorem suũ Saulum Dominus de Cœlo prostrauit, de Cœlo allocutus est; Ecce nostris quoque temporibus peccator, & pœnitens vocem de cœlestibus audiuit; Illi dictum est: quid me persequeris? iste verò audire meruit: Dimissum est tibi peccatum tuum, &c. Habete ergò fiduciam Fratres mei de misericordia Conditoris nostri; cogitate, quid facitis, recogitate quid fecistis. Largitorem supernæ pietatis aspicite, & ad misericordem Iudicem dum adhuc expectat, cum lachrymis venite, &c.* Victorinus itaque victor culpas pœnitentia vicit, dum annuntiatum sibi salutis verbum miro perfusus gaudio; magna item cordis tranquillitate percepit, quo tutus subindè post lachrymas ad Cœli gaudia transiret.

Effusa super ipsum lux, Deo gratũ, acceptumq; renunciat.

Super iustũ, & super peccatorẽ vox Dei diuersè è Cœlo insonat.

6. Verùm enimverò quam pio pœnitentium cordi conferat munifica Dei in indulgendo bonitas lætitiã ex eo, quod in B. Guidonis Confessoris gestis traditur, satis elucet; hæc enim ibi: *Cum (inquit) Bertholdus tardè admodum animã efflaret, conscientiaque stimulis pungeretur, benignitate Dei, & precibus S. Guidonis sibi redditus est. Rogantibus autem Fratribus, quid sub ijs tam diuturnis mortis angoribus vidisset: Vidi (inquit) Dæmones aduersum me fæuientes, & peccatum quoddam mihi obijcientes. Cum enim in seculo degerem, nonnisi vnam didici incantationem, qua vsus fui, sed ea iam ex animo exciderat. Hanc solam illi mihi procaces spiritus horrendum in modum obiecerunt, sed virtute Christi, atque orationibus Sanctiss. Patris Guidonis, vestrisque profligati tristes abscesserunt; & deindè accepta pœnitentia in pace perpetua illicò quieuit.* Hæc ibi de condonatis homini culpis, & magna ob id tum salutis spe, tũ lætitia ex hac vita prærepto.

In vita S. Guidon. Cof. apud Suriũ die 31. Mart.

Bertholdus sub vitæ finem antea . . . ctæ vitæ culpas deflens, obtenta venia hilarescit.

7. At illud haud silentio prætereũdum hic est, quod alteri post donatam sibi culparum veniam, ac præ gaudio mirum in modũ gestienti contigit, & his à B. Gregorio traditur: *Quidam mecum (ait) in Monasterio Frater Antonius nomine viuebat, qui multis quotidianis lachrymis ad gaudia Patriæ Cœlestis anhelabat. Cùmque studiosissimè, & magno feruoris desiderio sacra eloquia meditaretur, non in eis verba scientiæ, sed fletum compunctionis inquirebat, quatenus per hæc exaltata mens eius inardesceret, & ima deserens, ad Regionem Cœlestis Patriæ per contemplationem volaret. Huic per visionem nocturnam dictum est: Paratus estò, quia Dominus iussit migrare te. Cumque ille non habere sumptus ad migrandum diceret, responsum protinus audiuit dicens: si de peccatis imis agitur, dimissa sunt: Quod eum semel audisset, & magno adhuc metu trepidaret; nocte quoque alia eisdem verbis est admonitus. Tunc post quinque dies febre correptus, cunctis fratribus orantibus, flentibusque defunctus est.* Potissima quippè gaudendi causa suppetit, vbi quis se omni apud Deum, tum culpæ, tum pœnæ reatu liberum sentit.

S. Greg. Dialoger. lib. 4. c. 4.

Antonius in Monasterio S. Gregorij Monachus mortis è Cœlo nuncium accipit.

De peccatorum venia confirmatus oraculo lætus obit.

8. Vt susceptæ autem narrationis proposito noster adhuc sermo insistat; Galla quoque Consulis Romani filia, cũ defuncto marito, & vix primo à nuptijs anno, ad nuptias vrgeretur, sæculari mox vnà cum sæculo abiecta veste, pœnitentium more in Monasterio iuxtà Ecclesiam S Petri, se totam Dei obsequio mancipauit, & multis in arrepto Sanctæ Vitæ, mẽtisque proposito annis permanens, mirabiliter vixit. Cumque optatam Deus mulieri laborum mercedem reddere decreuisset, lethalis cancri vlcere in mammilla percussa, ingens planè cunctis patientiæ documentum præbuit; ei dignas, qui exoptatum sibi mortis nuncium detulit, gratias referendo; hæc enim S. Gregorius: *Apparuit (inquit) ei B. Petrus nocte inter lampades, quẽ agnoscens, cum fiducia interrogat: Quid est Domine mi? Dimissa nè mihi peccata mea? Cui benigno vultu annuit dicens: Dimissa*

Ex Dial. S. Greg. lib. 4. cap. 13.

Galla Consulis filia post mariti obitum pœnitentiũ vitam sectatur.

missa veni. *At illa quamdam Sanctimonialem ibidem diligens subiunxit*: *Rogo*, *vt Soror Benedicta mecum veniat.Respondit ipse*: *Non, sed talis veniat*; *hæc verò*, *quam petis, die trigesima est sequutura*. His expletis, acciuit matrem *Congregationis*,*&* *& cuncta ei Indicat*. *Tertia ergò die cum sorore altera est defuncta, & trigesimo post die Soror Benedicta*. Immortalis ergò obtinendæ vitæ felix pœnitens, ac præferuida mulier in Monasterio, reddita prius de peccatis sibi à Deo dimissis certior tota spiritu exultans nuncium accepit.

De dimissis sibi culpis, à S. Petro vt certior.

9. Verùm quia non tam de terrenis, quàm de cœlestium bonorum, quibus homo verè ditescit, thesauris vel minimum nobis quid inuitis tartareus hostis auferre valet, hinc maximè vnicuique gaudendum procul dubio, gratulandumque est: Iterum (inquit Christus) *videbo vos,& gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tollet à vobis*. Idem suo olim exemplo satis monuit Arnulphus Episcopus Metensis, Vir pietate in Deum, ac pauperes conspicuus, qui tandem sub vitæ finem ad Dei tribunal sistendus, non parum animo angi, imò sũmoperè visus est simul expauisse; adeòque aliorum sibi preces humillimè exposcẽs, S. Romarico Monacho adstanti isthæc edixit: *Iam adest* (inquit) *dies*, *in quo Iudici meo præsentabor*: *Quid faciã? nihil equidem gessi in hoc sæculo*: *omnibus sceleribus*, *& peccatis vallatus coarctor*, *quorum vt veniam merear*, *quæso Dominum pro me depreceris*. *Sic Vir Sanctus animam reddidit*. Verùm homini bona inter opera adeò timenti, immensa Dei bonitas non defuit; Nam dum hic pœnitentiæ operibus, ad faciendum Deo satis pro suis culpis intensiùs vacat, indultæ sibi veniæ certior diuinitùs fieri meruit,vt his planè verbis traditur: *Cùm pœnitentiam* (ait) *pro aliquibus excessibus ageret, contigit*, *vt per Mosellæ fluminis pontem transiret*; *cumque subterfluentium aquarum profundos gurgites cerneret*, *extractum digito annulum in illam aquarum profunditatem proiecit*: *Tunc* (*inquiens*) *me putabo culparum nexibus absolutum*, *quando istum, quem proÿcio, recepero annulum*. *Post aliquot verò annos Episcopus factus, affertur ei piscis, quẽ ille sibi* (*quia à carnibus abstinebat*) *ad refectionem vespertinam iussit præparari*. *Cumque minister eum exenterasset*, *eumdem annulum intrà ipsius piscis intestina reperit*, *& factum admirans*, *B. Arnulpho detulit*, *quem ille videns recognouit*, *ac Deo Omnipotenti iam de remissione peccatorum fidens gratias egit*. Sic dum Vir Dei totus pœnitentiæ intendit, peccata sibi à Deo dimissa præstito sibi omnem preter spem, atque expectationem, haud obscurè diuinitùs signo intellexit.

Bar an. 640. num. 4.

Io. cap. 16.

Arnulphus Metensis Episcopus, pietate in Deũ, & charitate in pauperes insignis.

Seueran. in lib. pretiosa mort. Iustor. v. 51 pag. 75.

certior redditur de peccatorum indulgentia.

10. Demùm quod ad dimissum quandoque à Deo, tum culpæ, tum pœnæ reatum spectat, Dei profectò amor, vbi humano cordi sese benignè desuper infundit, adeò animam expiando purificat, vt eamdem nedum à culpis immunem prorsus, sed etiam ab acerbioribus Purgatorij, quibus cęteri obnoxij sunt, pœnis, & quas iustè subire timet, momento absoluat, sicut in B. Rosæ Virginis Peruanæ gestis traditur, cuius & opportuna alibi mentio incidit, de qua isthęc: *Doctor* (inquit) *Ioannes Castillus aliquando inter alia sciscitabatur ex Virgine, an prædestinationis suæ certam notitiam cęlitus reuelatam accepisset? Rudis iuuencula hæsit ad prædestinationis scholasticum vocabulum*, *cuius propriam vim*, *ac etymon, haud satis assequebatur*, *nec de illo aliud audierat*, *quam significari mysterium impenetrabile*, *nec temere vlli mortalium perscrutandum*. *Itaque simplex*, *ac timida negauit tandem quidpiam sibi innotuisse de prædestinationis subtilissima notione*. *Verùm vbi prudens examinator per idoneas periphrases dilucidiùs, quid sciscitaretur, explicuit*; *Rosa diffiteri amplius nec debuit*, *nec potuit*, *superna illustratione admodum tempestiuè se didicisse*, *quod ab æterno electa erat ad cęlestem gloriam*, *idque miro Dei beneficio se tanta certitudine tenere*, *vt limpidiorem huius reuelationem nequeat desiderare*. *Manifestiùs hæc patuere in vltimo Rosæ moribunda decubitu, siquidem felicissimi sui transitus ad beatam requiem adeò certa erat*; *vt etiã præscierit ab omni Purgatorÿ mora immunem se fore*. *Cumque non nemo præsentium dixisset, prægrandem*, *et omninò rarissimam esse hanc gratiam*, *sat prosperè agi cũ animabus hinc migrantibus*, *dum pro residua mortalis vita scoria detergenda ad purga-*

Amor Dei animam ab omni quandoque tum culpæ, tum pęnæ reatu expiat.

In gestis B. Rosæ Peruanæ cap. 13. pag. 259.

Beata Rosa Peruana se de prædestinatorum numero esse per reuelationem didicit.

Certa sit insuper se ab omni purgatorij pœna liberam fore.

tiuas flammas mittuntur, se sibi id optare animitùs: *statim Virgo præ ingentis fiduciæ claritate se ipsa robustior animosè respondit; ego verò sponsum habeo, qui pergrandia & rara dare potest, neque pusilla, aut mediocria duntaxat per diffidentiam ab illo speranda sunt. Hinc vicinam mortem non aliter, ac certam Paradisi ianitricem, læta aspexit. Nam vt primum Rosæ denunciarunt Medici, naturam succubuisse morbo, nec aliud restare præter decretorium diem, impauida, nihilùque turbata respondit oppidò se lætari tam grato nuncio, solùm mirari se, cur metuerint citiùs expectanti indicare*. Grata quippe in primis Deo virguncula, acceptaque ob eximia, quibus præfulgebat, virtutum merita sponsa præfidens, haud vllam sibi iam certo ad sponsi thalamum properanti futuram moram ore suo iustissimè repromittebat. *Tanta enim* (vt Chrysostomus ait) *Charitatis vis est, vt Cælo latiorem animam faciat*, sed de his satis.

Summo pere accepto mortis nuncio vti ad sponsi thalamum ituræ gaudet.

Chrysost hom 44. in actus Apostolor.

CAPVT XV.

Pij homines, ac Foeminæ poenitentium more in sæculo humiliter abiectéque viuentes feliciter decedunt.

1 PEccator profectò, ac Pœnitens, quippè qui contrarijs omninò à se moribus distant, contrarijs quoque animi studijs ac vitæ ab inuicem actibus discriminantur. Enimuerò cùm ad sua tem deriuando initia, ad Ciuitates longè dissimiles vti ciues pertineant, haud ijsdem ambo moribus viunt ijsdemque haud legibus vtuntur, Vnus namque Hierusalem, Babylonem alter suam vti Patriam de facie agnoscit. Quòd, & optimè Augustinus aliquando inculcans; *Duas istas* (inquit) *Ciuitates faciunt duo amores: Hierusalem facit amor Dei, Babylonem facit amor sæculi. Interroget se quisque, quid amet, et inueniet, vnde sit ciuis*. Quapropter superbiæ fastus peccatores, humilitatis verò gratia compunctos, ac poenitentes ab inuicem inter se discernit; adeoque hi delicijs gaudent, isti poenis apprimè delectantur: Illi oculos in faciem hominum, isti è contra non nisi priuatim angulos, contemptum, ac latebras exambiendo cupiunt vt sic idem Augustinus: *Hi duo* (inquit) *amores, quorum alter Sanctus est, alter immundus, alter socialis, alter priuatus, alter acceptus Deo, alter æmulus, alter tranquillus, alter turbulentus, alter veritatem laudibus præferens, alter gloriæ auidus*. Sic planè varia, ac dissimilis protsus viuendi vtrorumque lex, suo quasi ambos digito seiungens discernit; at humilitas præsertim, quæ vnica est electorum tessera, poenitentiæ cultores cunctis palam proculdubiò contemplandos proponit.

Peccator, & pœnitens longe moribus inter se dissimiles.

Augustinus in psal. 64.

Hierusalem facit amor Dei, Babylonem amor sæculi ex Augustino, Augustinus supra.

2 Enimuerò qui suas post culpas placere Altissimo per poenitentiam cupiunt, esse potius quam videri humiles appetunt, adeoquè carnè quidē (vt Gregorius ait) *despecti sunt, sed mente sublimes, foris contemptibiles apparere appetunt, sed agere mirabilia non desistunt*. Quapropter sinceri poenitentiæ sectatores, qui semel, at seriò hanc præ cunctis virtutem sunt amplexi, in suis viles oculis, & apud cunctos mortalium abiecti in hac vita haberi minime refugiunt, & sub vmbra latere potius, quam in publica luce apparere, ac vel semel quinam sint, agnosci præoptant, Luciferi ipsius satis exemplo admoniti; qui dum ascendere infelix, ac lucere in omnium oculis cupit, meridianam lucē amittens, ipsasque sub Dei oculis tenebras in Cælo offendens, infeliciter lucis occasū vidit, illis meritò à Bernardo verbis haud obscure signatus: *Non iam* (ait) *Lucifer, sed noctifer, aut etiam mortifer*; *Quæ insania fuit, vt malles miserè præesse, quā feliciter subesse, etc.* Poenitentes vero, vt noster ad ipsos redeat sermo, suæ infirmitatis post lapsum conscij, ac soli præfidentes Deo, nil sibi per arrogantiam tribuere audent, sed totum Deo acceptum referunt, adeoquè ipsi soli duntaxat gloriam tribuunt, sibi vero non nisi confusionem vel hac vna re digni, Altissimo autem eiusque immortali gloriæ, honorē. Quod sanè olim præcīctis Nepotianus egregiè Hieronymo teste præstitit, qui dum omnem à se procul terreni honoris fastum

Gregorius in moral.

Humiles sunt poenitentes, superbi autem peccatores ex Gregorio.

Bernardus de gradibus humilit.

procul

Hieronym epist. ad Heliodorum.

Nepocianus humilitate sublimis, & honoris contemptu conspicuus.

procul abijcit, immortalē sibi apud Dominum coronam Coelo promeruit: *Quanto magis* (inquit) *repugnabat, tanto magis in se studia omnium concitabat, & merebatur negando, quod esse nolebat, eoquè dignior erat, quò magis se clamabat indignum*. Id ipsum illa pariter Romanas olim inter fœminas apprimè clara exhibuit, quæ Hieronymo teste, *cum esset omnium Domina, omnium se putabat ancillam, & fugiendo* (vt idem ait) *gloriam, gloriā merebatur*. Contemnendo quippe illā promeruit, quā appetitores sui desérens appetit contēptores. Pari ergo beata mulier viuens in terris, tum pœnitentiæ, tum paupertatis amore tenebatur, id vnum semper in votis habens; *vt moriens in aliena Sindone inuolueretur*. Ita planè.

Hieronym epist. ad Eustochium.

Paula Matrona ob humilitatem commendata.

3 Porrò ipse Niniuitarum Rex olim Regio deposito cultu, sacco indutus, immutatoque habitu dignum de se pœnitentis animi, ac humilitatis insuper argumentū dedit, ad enunciantis Ionæ vocem, ad Deum confugiens, ac vna cum suis iam vitæ austerioris ieiunio satis rigide formam auspicando, vt scriptura docet: *Rex ipse* (inquit) *surrexit de solio, abiecit vestimentum suum à se, indutus est sacco, & sedit in cinere, & clamauit &c. & Homines, & iumenta, & boues, & pecora non gustent quidquam, &c.* Sacco quippe Pœnitentium Vir cordatissimus purpuram longè posthabuit. Quod Ambrosius item Virgini post lapsum apposite aliquando suggerens, ac vehemētius inculcans: *Lugubris* (inquit) *tibi assumenda est vestis, ac membra singula digna castigatione punienda*. Vilioribus itaque indumentis, & quæ tum fastoso humilitatem spiritui, tum delicatulo austeritatem corpori conciliant, non secus ac exulta Pœnitentiæ virtus gaudet, ac se Chrysostomo teste, tum Deo, tum hominibus maximè speciosam ostendit: *Sola est compunctio* (inquit) *quæ facit hominem horrescere purpuram, desiderare cilicium, amare lacrymas, fugere risum*: Humilitas itaquè sic indiuidua Pœnitentiæ comes adiungitur, vt qui Deum per scelus aliquando offenderant, ad pœnitentiam quantocyus conuolando, nil præ cunctis antiquius habuerint, quam mentis fastum ob Christi amorem deponere, ac

Iona cap. 3. vers. 6.

Ambrosius ad virginem lapsam cap 8

Niniuitarum Rex austeriori se pœnitentiæ deuouet.

Chrysostom lib. de compunct. cordis.

vitæ, vestiumque mollem, à se procul abijcendo cultū, humilem posthac omni abiecto ornatu vitam trāsigere, vt probe vnicuique ipsorum Psalmistæ verbum videretur occinere: *Elegi abiectus esse in Domo Dei mei magis, quam habitare in tabernaculis Peccatorum*. Quod sane adducendis infra exemplis luce clarius edisserendo patebit.

Psal. 83.11.

4 *Humilitas* igitur quia (vt Augustinus ait) *propria est Christianorum disciplina*, eius ipsemet Christus in Mundum veniens annunciandæ gentibus magisterium exhibuit: *Discite* (inquit) *à me, quia mitis sum, & humilis corde*. Nil Christianis sub ipsa fidei primordia cordi magis semper fuit, quam pœnitentium in morem sæculi fastum contemnere, ac vili proinde, abiectoquè viuendi more contentos, nonnisi manifesto tandem sui contemptu vel in terris inter homines degentes mori. Quod quidem Gallicanus olim, Vir consularis, domi forisquè clarus, & Constantino Magno Imperatori charissimus egregiè præstitit, qui perarduo, ac difficili aduersus Sauromatas bello feliciter gesto, *secundum* (vt Baronius ait) *Consulatum meruit; post quem sæculo renuncians, humillimum vitæ genus ob Christi amorem sectatus est Orbe toto mirante*. Hæc ille: sed nōnisi è Cœlo ipsi postmodum in acie militanti nobilis victoriæ palma contigit, vt idem, qui supra Baronius. Enimuerò homini ad arripienda primū arma nutanti, & ad bellandum postea erectò, suppeditatam diuinitus ingentem, quo vinceret, bellatorum copiam, nemo est, qui nesciat; adeò vt nuncupato inter præliandū Deo Cœli voto, præter spem victor euaserit. Vbi autem nobili præter expectationem auctus triumpho rediit, sacro Christi Baptismatis fonte ablutus, mox omnem sæculi fastum, & terrenarum rerum à se vnà cū sæculo curam abdicans, seruilem Christianorum vitam delegit, meritoque illud in ipso, vt supra dictum est, Dauidis adimpleri verbum contigit: *Elegi* (inquit) *abiectus esse in Domo Dei magis, quàm habitare in tabernaculis peccatorum*. Hæc enim de ipso in eiusdem actis: *Cum autem* (inquit) *vellet priuatus abscedere, rogatus ab Augustis; Consul processit, & in fascibus positus quinque* mil-

August. lib. de doct. Christiana.

Humilitatis virtus Christianorum propria.

Matthæi c. 11

Baronius an. 330. n. 50. & an. 352. num. 17.

Gallicanus Romanorum clarissimus, humilitatis christianæ eximius cultor.

Baronius in not. ad martyrolog. die 25. Iunij & an. 330. n. 50.

Apud Surium Rainald. an. 1366. num. 27.

millia seruorum libertate donauit, et Ciues Romanos fecit, prædia quoque, et domos eis largitus est: omnesquè facultates suas, ijs exceptis, quæ filiarum erant, distrahi, et pauperibus erogari iussit manensquè in Vrbe Ostiensi Sancto Viro Hilarino se adiunxit, eiusquè ædes auxit ad suscipiendos peregrinos, quos multos reciepiebat. Adhæserunt autem ei multi ex seruis suis, quos manu miserat: diuulgataquè est fama eius per totum Orbem; ita vt ab Oriente, et Occidente venientes viderent Virum, ex Patritio, et Consule, qui esset Augusti amicissimus, lauantem pedes, ponentem mensam, aquam manibus effundentem, languentibus sollicitè ministrantem, et cætera Sancta seruitutis officia exhibentem. Hæc haud obscura pœnitentis animi, & Christianæ humilitatis Gallicanus ad Christum traductus documenta cunctis exhibuit, quæ ipsum vti dignum toti terrarũ Orbi spectaculum, cunctisque suspiciendum dedere; Nequid verò miræ ipsius gloriæ deesset; martyrij quoque sub impio Iuliano Apostata donatus palma præfulsit, vt Martyrologij tabulæ his verbis testantur: *Alexandriæ S. Gallicani Martyris, Viri Consularis; qui triumphalibus infulis sublimatus, et Constantino Augusto charus, à SS. Ioanne, et Paulo ad fidem Christi conuersus est: qua suscepta cum Sancto Hilarino ad ostia Tyberina secedens, hospitalitati, et infirmorum seruitio totum se dedit: cuius rei fama in toto Orbe diuulgata, multi vndique illuc venientes, videbant Virum ex Patritio, et Consule lauantem pauperum pedes, ponentem mensam, aquam manibus effundentem, languentibus sollicitè ministrantem, & cætera pietatis afficio exhibentem. Qui postmodum sub Iuliano Apostata inde expulsus, Alexādriam perrexit; vbi cum à Randiano Iudice sacrificare cogeretur, et contemneret, percussus gladio, Christi Martyr effectus est.* His planè præconiorum titulis, pretiosis veluti margaritis, ac gemmarum sertis Gallicani memoria in Ecclesia illustris adhuc viget. Cuius quidem Viri in bellis inuicti & in vilioribus pietatis Christinæ exercendis munijs, suis plusquàm triumphis clari brachium nostra Vallicellana Ecclesia se meritò possidere congaudet. Et hæc de ipso vel obiter narrasse voluimus.

Quam munificus erga suos, vbi ad Christum conuersus.

Quanta humilitate pauperibus inseruiendo fulgeret.

Rom. Martyr die 26 Iuny.

Martyrio insuper sub Iuliano illustris.

Nobilis ipsius memoria in martyrologio Romano.

5 Sed vt ab vno ad alterum insignioris famæ Virum orationis stylus recurrat, Paulinus quoque Romanus V.C. antiquæ nobilitatis decus, & præfectura Vrbis, mirisquè clarus virtutibus, inde se ipso, ac Mundo maior affulsit; quia præcelsam Christi humilitatem sectatus, vilem, abiectamque magis, quàm splendidam vitæ normam selegerit, haud magnus coram hominibus apparere volēs: Demũ quod raro virturis exemplo, pro redimendo viduæ filio se ipsum pretio distraxerit ac vili destinatus ministerio villicũ apud Barbaros, Christi æmulādi ambitiosissimus egerit; sed Paulinũ cōdignis à Baronio præconijs laudatũ, audire hic præstat: *Hoc (ait) eodē anno Paulinus Romanus V.C. antiqua nobilitatis decus vnà cum Therasia coniuge amplissimo patrimonio in pauperes erogato, Monastica vita institutum arripiens, Vrbe admirante in Nolanum agrum secessit, &c.* His ille nouum humillimæ arreptæ à Paulino vitæ exemplar inculcat. Porrò tanti ad Deum digna viri conuersio, & felix ad Religiosæ vitæ Instituta ad pœnitentię videlicet, ac humilitatis sectandæ stud[illegible] transitus, mirum vniuerso Christiano Orbi spectaculum præbuit; abiectę etenim vitæ genus æmulando cunctis (vt Ambrosius docet) admirationi simul, & exemplo fuit; de quo isthæc in sua illę ad Sabinum Episcopum epistola, cui his verbis dicendi initium facit: *Paulinum (inquit) splendore generis in partibus Aquitania nulli secundum, venditis facultatibus, tam suis, quam etiam coniugalibus, in hos se induisse cultus ad fidem comperi, vt ea in pauperes conferas, quæ redegit in pecuniam: et ipse pauper ex diuite factus, tanquam oneratus graui sarcina, domui, patriæ cognationi quoque vale dicat, quo impensius Deo seruiat. Elegisse autem secretum Nolanæ Vrbis, vbi tumultum fugiens, æuum exigat. Matrona quoque virtuti, ac studio eius proximè accedit, neque à proposito Viri discrepat. Denique transcriptis in aliorum iura suis prędijs, Virum sequitur, et exiguo illic coniugis contenta cæspite solabitur se Religionis, et charitatis diuitijs. Soboles eis nulla, et ideò meritorum posteritas desiderata. Hæc vbi audierint Proceres Viri, quæ loquentur? Ex illa familia, illa prosapia, illa indole, tanta præditum eloquentia,*

Baronius an. 394 num. 72.

Paulinus vir consularis, prosapia, & humilitate clarus.

Digna ipsius elogia apud Baronium. Ambrosius de Paulini laudibus epi. 36 ad Sabinum Piacent Episcopum.

Dignè vit tatus ab Ambrosio laudatus.

eloquentia, migrasse à Senatu interceptam familiæ nobilis successionem ferri hoc non posse. Et cum ipse capita, et supercilia sua radant, si quando Isidis suscipiunt sacra. Quibus consultò isthæc subtexit: *Si forte Christianus Vir attentior sacrosanctę religioni vestem mutauerit, indignum facinus appellant. Equidem doleo tantam esse in mendacio obseruantiam, in veritate negligentiam, vt confundantur plerique attentiores ad Sacrosanctam Religionem videri, non considerantes vocem dicentis: Qui me confessus fuerit coram hominibus, confundam et ego eum coram Patre meo, qui in Cælis est etc.* Sic profectò beati simul conconiuges ab omnibus laudandi tum mēte, tum, veste & tam vita quā moribus, pœnitentiæ, cui se totos deuouerant, exempla mirificè in sæculo, immò ipsum extra sæculum sectati sunt, vt Baronius sic sermonem concludit: *Quibus (inquit) vides Paulinum, atque Therasiam habitum mutasse, cum vitam monasticam vnà pariter auspicati sunt; quam quidem innouationem meritò idem Paulinus nouum natale suum appellat, dum se hoc anno genitum secundū interioris hominis renouationē scriptis ad Augustin. literis profitetur.* Hęc ille.

Ipse & vxor ob humiles vitæ genus à sæcularibus reprehensi.

Baronius vbi supra num. 74.

6. Vt à Viris itaque illustribus narrandi initium facientes rem prosequamur: Paula item æque nobilis, & omnium Sanctissima sic suam Christianis diues virtutibus vitam excoluit, vt se præ cunctis deijcens, ac vili superinducto habitu, vilis mallet in Dei domo esse, quàm illustris in sæculo haberi, quo & ipsa inops ex diuite, solisque ditescens virtutibus vivendi denique finem faceret. Cuius foeminæ Christiana adeò humilitate sublimis, sic planè Hieronymus laudes concelebrat: *Quę (ait) prima Christianorum laus est, tanta se humilitate deiecit, vt qui eam non vidisset, & pro celebritate nominis videre gestisset, ipsam esse non crederet, sed ancillularum vltimam: Et cum frequentibus choris Virginum cingeretur, & veste, & voce, & habitu, et incessu minima omnium erat.* Ipsius itē meritorum elogia, illis planè verbis concludit: *Nobilis (ait) genere sed multo nobilior Sanctitate: potens quidem diuitijs, sed nunc Christi paupertate insignior, &c.* Mirà Demum foeminæ in sectāda paupertate vota subtexens, ipsius sic verbis loquitur: *Testem (inquit) inuocans Deum, se pro illius nomine cuncta facere, & hoc habere voti, vt mendicans ipsa moreretur, vt vnum nummum filiæ non dimitteret, & in funere suo aliena sindone inuolueretur.* His planè digna præ cunctis foemina, Christianę tum pietati, tum poenitentiæ addicta commendari laudibus meruit.

Baronius ann. 404. num. 133.

Paula Romanarum nobilissima, humilitate præcellit.

Hieronym Epist. ad Eustochium de Paulæ Epitaphio.

Hieronym vbi supra.

Dignè à Hieronymo laudata.

7 Ab hac verò Melania iunior (cuius, & alibi mentio incidit) Romanas inter foeminas illustris, & Piniani vxor se disiungi non patitur, quæ sæculi pompis, fastuquè abiecto, vili subinde veste, Poenitentiæ causa sic se totum Dei obsequio dicauit, vt non tam humilis videri quàm vilis (quod vnicum est veræ humilitatis indicium) reputari gauderet; adeoquè Volusianus eiusdem patruus iam tum Vrbis Romæ Præfectus, ægrotans, vbi ad se Constantinopolim sub vitæ finem accersitam, ipsam venientem excepit, inculto subinde habitu accinctam videns, summoperè non mirari posset: Hæc enim in Melaniæ (vt hic vel obiter meminerimus) apud Metaphrastem actis. *Inuenit (inquit) suum quoque patruum Volusianum graui morbo oppressum: qui eius habitum admiratus, formaquè & vestitus incredibili, & inopinata stupefactus mutatione (extenuatus enim admodum erat vultus eius exercitatione magna) voce magna exclamauit: O qualem ex quali te video, melania charissima. Illa verò ex eius sermone sumpta occasione: à me quoque (inquit) disce ò beate patrue, & accipe indicium futurorum bonorum. Nam nec ego tantam despicatui gloriam habuissem, nec pecuniam, nec abiecissem ipsius corporis, nisi persuasum haberem, me his propediem longè maiora accepturam.* Tantum verò suis ipsa tum dictis, tum gestis, & fastus, ac humanæ gloriæ contemptu apud patruum Deo aspirante profecit, vt satis mulier suadendo efficax ipsum ad fidem, & ad suscipiendum sub vitæ finem Christi Baptismum miro compunctionis adauctum spiritu, demum traduxerit, vt alibi ostendimus.

Baronius annal. 434. num. 10.

Melania quoque humilitatis studio commēdatur;

Acta Melaniæ apud Metaphrasten die vlt. Ianuarij, & Surius tom 1.

Volusianus incultum Melaniæ habitū miratur.

Ipsius exemplo ad Christum traductus.

8. Atqui memoratis hucusque dignissimis fœminis, vt sua quoque viris sit laus, religiosus Vir diuinis virtutibus, & Christiana præsertim sublimis humilitate accedit; Petrus nimirum Thomas

Car-

Carmelita, Episcopus Pactensis, idemq; Constantinopolitanus postmodum Patriarcha, Apostolicæ item sedis ad Stephanum Rasciæ Regem, vt eum, ac populum ad Ecclesiæ sinum traduceret, legatus; re tamen infecta, à schismatico Rege dimissus; ad Venetos subinde Ludouico Vngariæ Regi conciliandos destinatur, qui amplissima quoq; ad Orientalis Ecclesiæ populos, Romanæ Ecclesiæ aggregãdos legatione perfunctus est. Verùm dignus proinde vir, ac optimè de Ecclesia meritus, Cortonensis renunciatus Episcopus, ad feros, barbarosque irrumpentium Turcarum impetus coercendos legatus iterum proficisci iubetur cui prouehendæ item Crucesignatorum militiæ prouincia iniuncta, varijs tunc quidem temporis signorum portẽtis mira ipsius Sanctitas effulsit, & Alti loci insuper principem Turcam Ecclesię vectigalem fecit. Cum itaque, vt suo satis muneri faceret, multa constans, intrepidusque pericula subiret, quàm plures à schismate ad Ecclesiæ sinum traduxit.

Petrus Thomas Constãtinopolit. Patriarcha de Ecclesia optimè meritus

Qui demum varijs pro publica Christianorum re, muneribus feliciter adeò numine aspirante perfunctus, diram quoq; procul à Cyprijs pestilentiam Dei virtute fugauit, sæuisquè exęstuans mare procellis Sacrosancto Crucis adhibito signo mirifice compescuit. Verùm vt Italia insuper admirandam viri operam experimento probaret, ipsiusquè foret beneficijs deuincta, ad sedandas bellorum ciuilium turbas Apostolici illuc insignitus Legati munere dirigitur, qui se ipso inter pericula maior, imperteritoquè iugiter animo ab ipsis circumuentus Sicarijs, ipsos haud imperio, ac vi, sed solo duntaxat vocis imperio in fugam egit. Sacræ demum expeditioni in Orientem cogendę intentus, dum Constantinopolitanæ Ecclesiæ præest, Rhodum valida pugnatorum manu expugnaturus, milites spiritualibus primum armis, diuino scilicet Eucharistiæ Sacramento præmunire satagit, adeoq; iter in Aegyptum dirigens vna cum Cyprio Rege, & armatorum classe Dominicæ Crucis in puppis summitate nostris pugnantibus vexillum præferens, præferuidus adeò in Saracenos extitit, vt optata præliantibus è cœlo, non tam armis, quàm precibus nobilis victoriæ palma affulserit.

Muneribus, ac portentis clarus.

Rainaldus ubi supra.

Crucis vexillo victoriæ palmam obtinet.

Demum pijs, innumerisquè pro Christi fide exanthlatis laboribus, pœnitentium in morem, ipsius lectuli mollitie abiecta, ac deliciarũ omninò pertæsus, non iam in strato, sed in cinere, ac cilicio recubans mori voluit, vt fasciculi temporum Auctor res ab eo præclarè gestas prosequitur, ipsius obitum his planè verbis describens: *S. Petrus Thomæ* (ait) *ex Carmelita Pactensis Episcopus, et Patriarcha Constantinopolitanus, doctorque percelebris, summique Regis signifer bellicosus post innumeras, quas habuit, nedum cum spiritualibus, sed et corporalibus Crucis inimicis victorias, post quamplures conscriptos libros, ac patrata miracula, in Famagusta Regni Cypri Ciuitate corpus exuit in festo Epiphaniæ.* Porrò de rebus præclarè ab eo gestis quamplures quidem commentarios scripsere, ac inter recentiores Lucas Vvadingus doctissimus hac nostra ætate vir dignam ipsius historiam typis edidit; necnon Ioannes Baptista Lezana Carmelita, laudatissimus item Theologiæ in publico Vrbis gymnasio Magister, qui sui Ordinis Annales in lucem edidit: Et Philippus è Mazeriis, qui beato viro adhuc viuenti arctissime semper inhæsit, hæc apud Ioannem Bolandum Societatis Iesu, virum planè dignum, ac de antiquis præsertim Sanctorum actibus optimè meritum (cuius nos item alibi opportunè meminimus) hæc inquam de felici ipsius ad Deum transitu, in suis paginis tradit, qui insuper de eo, ac piis eiusdem laboribus verba facturus, isthæc prælūdii adinstar præmittit: *Deus laborem* (inquit) *patris mei legati pie respexit, qui velut alter Paulus nomen suum coram Regibus, et Principibus strenue portauit Crucem sanctam, et Ecclesiam suam multiplicando exaltauit: Nam peccatis nostris imminentibus, et gratias Dei non cognoscentibus, patrem nostrum à nobis leuauit.* Verùm quam multis de eximia Apostolici viri pietate narratis, assiduis ipsum laboribus, ac iugi præsertim macerando corporis studio confectum, morbo demum contracto, pie se ad mortem viriliter obeundam comparasse his verbis tradit.

Philippus Mazer. c. 8 Ferrarius in nouo SS. Cathalogo 6. Ianuar, & alij.

Laudam ipsius præco. nia à multis celebrata.

Lucas Vuadingus in annal. Min. Io Baptista Lezana in suis item annal:

Philippus Mazerius c. 18. apud Io. Bolandum to. 1. die 29. Ianuarij.

9 *Familiariter* (inquit) *mihi dixit frater*

Maxerius vbi sup. Felix ipsius è vita ad immortalitatē transitus.

frater mi, ego sum peccator magnus; sed habeo bonum Iudicem, pium, et misericordem Dominum meum, ad quem recurro, et de venia non despero. Et infrà supremos ipsius totis animi neruis ad Deum anhelantis conatus, compunctique cordis mirandam planè vim, & quæ insuper sibi humiliter, abiectèque è vita decedenti ornamenta quæsiuit, hunc in modum exponit: *Sermone*(inquit)*ad familiam omnibus flentibus completo, iussit apportari vnum saccum vilem, & abominabilem, et cum clara voce dixit: ista est vestis candida, et iucunda, cum qua Christiani sepeliri debent, saccum quasi iocale super caput eius ponens, tantę mirabilia deuotionis, et contritionis dicendo, quod omnes inundatione lacrymarū fluerent; et tunc ipse pietate humana coactus fortissimè fleuit. Deinde coram omnibus fecit afferri vnam cordam, et eam posuit ad collum suum, ligandum, et stringendo cordam per os eius cum magna contritione dicendo: Non sufficit ista corda tali peccatori, sicut ego sum: parua est enim ad castigandum talem peccatorem: O quoties, ait, cum lingua mea falsa offendi Deum meum! Tum iussit se ipsum deponi in terram, et in terra iacens familiæ suæ alium fecit sermonem, mirabiliter semper concludendo, quod cum Deo bene essent; quod si hoc facerent, Deus eos bene prouideret, dulciter eis promittebat. Tunc ad lignum Crucis se conuertit, adorando, osculando, et mirabilia dicendo: et manibus iunctis veniam deuotissimè petijt omnibus familiaribus suis*. Certè ex his quàm demissè religiosissimus vir de se inter suprema vitæ momenta intus in corde sentiret, & quo mentis ardore pœnitentiam in finem vsq; vitę sectandi apprime ambitiosus vel inter moriēdum foret, probe vnusquisque intelligit. Sed quæ insuper miro in sacramentis suscipiendis pietatis studio præstitit, videamus.

Maxerius vbi sup. Archiepiscopus abiectè mori cupiēs sacco vult induι.

Cordam collo vt reo in humilitatis signum apponit.

10. *Tunc iussit sibi* (inquit) *afferri sacratissimum Corpus Domini; quod erat super altare coram ipso, per Confessorem suum, et manibus iunctis coram Sacramento istam orationem legit. Deus propitius esto mihi peccatori. Et deuotissimè dixit postea articulos fidei singillatim, mature, et cum quadam magna reuerentia alte confessus est cum contritione ardenti, et flenti dicendo, quod si in aliquibus dogmatizasset, vel aliquam quæstionem, siue dicta aliqua contra fidem catholicam proposuisset, præcepta Sanctę Ecclesiæ disputando, loquendo, conferendo, vel alio quocunque modo causa vanitatis, vel simplicitatis, coram Deo suo toto corde reuocabat, quibus dictis ait: Domine non sum dignus, etc. quæ omnia cum magna deuotione dixit, et reuerenter, et deuotissime in fide non ficta communicauit*. Verùm quàm feruidus in pœnitentiæ cultu sectando sub vitæ finem extiterit, quæ sequuntur, cunctis palam ostendunt; cordam quippe illi è collo pendulam auferre volētibus hæc inquit: *Absit, absit* (inquam) *non leueris eam. Ista non est condigna retributio peccatis meis. Si non timerem Deum meum, bene facerem aliud cadaueri meo, quod tantum peccauit contra Deum suum*. Sed quid de sepultura corpori suo post mortem exhibēda vir christianę humilitati sic addictus præceperit, haud ingrato obuoluendum silentio hic est. *Ille* (inquit) *qui ab omnibus Christianis Orientalibus velut Papa, (si fas est dicere) quia locum eius tenens, propter sanctam suam conuersationem reputabatur, et quasi adorabatur, humilis semper in vita, humilitatem non modicam in fine ostendit pomposam sepulturam abominando, dicens: Sepelite me in introitu chori, vt omnes homines cadauer meum calcare possint, et debeant, et etiam, si possibile esset, capreæ, et canes*. Et infrà: *O quoties verbum B. Martini dixerat: Domine, si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso laborem: O quoties cum multis consolationibus, à Spiritu Sancto confortatus, et mortem corporalem parui pendēs dicebat: Eadem est mihi Mors, et vita, etc.* Deinde rudi, quod sibi parari fecerat, coopertus sacco, se humi locatum, sancto infirmorum oleo inungi voluit, quo præstito, & ab Episcopo, vt lectulo decumberet, monitus haud dictis patiendi cupidus acquieuit, sed maiori spiritus feruore succensus, humi, haud in pluma recumbens iacere gestiebat; hęc enim in ipsius gestis.

Philipp. Maxer. vbi sup. Quàm piè sacramenta Ecclesię suscipit.

Cordam sibi è collo pendentem tolli haud patitur. *Maxerius vbi sup.*

De sepultura sibi exhibenda statuit.

11. *Tunc* (refert ipse) *Episcopus cū lacrymis non modicis patrem meum exhortatus est, vt supra lectum portari se iuberet; qui respondit alta voce, & quasi cantando dicens:*

Philip. Maxer. vbi sup.

Humi iacēs ait: Non decet Christianum hominem nisi in cinere, & cilicio mori.

dicens: Non decet hominem christianum mori, nisi in cinere, & cilicio, & hoc bis dixit: Postea dixit Episcopo: Recedatis, quia consolatus sum, & bene sto, leuanitque oculos suos sursum, & signum cum manu fecit, & dixit: O vos alij maledicti, modò non habetis potestatem mecum, quia nunc bene sto cum Creatore meo Iesu Christo. Demum cum sacrarissimam patientis Christi coram se historiam legi iussisset, astanti cuidam sibi dilecto dixit: *Christus vocat me: ego vado ad Christum, nè doleas.* Cum verò Philippus Mazerius, cuius ille aduentum summopere expetierat, vt supremam suam illi parefaceret voluntatem, aduenisset, coram eo placidissimè spiritum Deo reddidit, hæc enim de eo præmemoratus Scriptor: *Me* (ait) *coram eo astante tradidit spiritum ad Deū, qui fecit illū, anno Natiuitatis eiusdem Domini M. CCC. LXVI. mensis Ianuarij die 6.* Et hæc sunt Apostolici viri, & vel sub extremam vitæ periodum christianæ pœnitentiæ præ cæteris excolendæ studiosissimi digna planè historiarum paginis, ac posterorum memoria, haud silentio prætereunda monimenta, quæ consultò integra hic, haud ex parte mutila lectori delibanda voluimus.

Mazer. vbi sup.

12. Ab huius item consortio alter virtutum haud impar, patiendi desiderio, ac sui sub vitæ finem exemplo spectatissimus, seiungendus minimè est, cuius & digna hic mentio incurrit, Ioannes videlicet Brylintoriensis in Anglia Canonicus, qui in suo iugiter, & quibusuis præsertim modis pœnisque affiictando corpusculo, ingenti mortalium documento præfulsit. Hic vero meritis, ac sanctitate conspicuus, cœlo denique terram, ac ipsa mortem vita commutauit, qui vt Harpsfeldius à Ioanne Capgrauio, illius socio acceptum refert, tanto in fundendis Deo precibus animi ardore, suumq; iuxta morem intendebat, vt ingenti sanè feruoris, ac meritorum prodigio, mirus ex orantis capite vapor prodire, ac sursum haud semel attolli cerneretur. Sed miranda ipsius gesta, ac ingens, inuictamque in subeundis, tolerandisque pœnis patientiam, ac in exercendis pœnitentiæ operibus constantiā his Harpsfeldius verbis designat: *Cùm lætitia* (inquit) *affluebat, statimque abruptis alijs omnibus properè in templum, quasi à vinculis quibusdam molestis expeditus contendebat: neque vlla ratione committere voluit, vt à statis illis orationibus, diurnis, nocturnisque abesset, quibus & sacrosancto præsertim Missæ sacrificio, ità animum totum deuonebat, atque affigebat, vt sæpè in missæ mysterys à se obeundis à copiosa lacrymarum profusione, suspirys, & singultu se cohibere pro pietatis feruore, & magnitudine non posset: cumque tenui admodum vestitu summa hyeme, & in asperrimo gelu in Missæ mysterijs celebrandis vti soleret, vapor tamen quidam, & exhalatio è summo capitis vertice, quasi ab aqua tepefacta, & ebullienti emittebatur, qui à calesti illo feruore, quo pectus hominis velut aqua feruenti perfundebatur, vt credibile est, excitabatur, qui non poterat contineri, quin in corpus ipsum irrumperet, & ab eo foras etiam erumperet. Cælestibus certè meditationibus, ita sæpe erat affixus, vt hominem planè exuisse videretur.* Hæc vir pietati, & pœnitentiæ supra modum addictus christianarum præbuit exempla virtutum, quibus tum vitam, tum vitæ exitum mirificè, signorum à Deo cumulatus portentis illustrauit; Ipsius verò obitum Vgo in eius gestis sic describit.

Rainald. an. 1379. nu. 55.

Ioannes Brylintoriensis in Anglia Canonicus pœnitentiæ sectandæ cultu præcipuus

Nicolaus Harpsfeld in hist. eccl. Angl. 6.31.

Quo spiritus feruore missam, & cætera pia opera obiret

Ex cordis ipsius flamma vapor sursum tolli cernitur.

13. *Sacramentis* (ait) *Eucharistiæ, & extremæ Vnctionis deuotè receptis vsque ad horam mortis suæ, quam præsciuit, & prædixit, plenam habuit intelligentiam, fidem certam, spem firmam, charitatem perfectam & integram memoriam, sicut vnquam in sua sanitate habebat, talique benignitate & honestate per ipsum tempus in omnibus, & erga omnes tanquam spiritus Dei bonus se gerebat, ac si nullam infirmitatem haberet. Portabatur etiam quotidie in vno lectulo de camera sua ad quamdam capellam, vbi missam audiebat, qua deuotissimè audita, antequam reportaretur ad Cameră eleuans oculos suos, sanctam Crucem, & imaginem Saluatoris Domini nostri Crucifixi cum tam magna reuerentia aspiciebat, recolendo passionem Iesu Christi, & tam dulcia verba protulit, quod non erat aliquis circumstantium, qui non ad maximā deuotionem, & compunctionem moueretur. Denique sciens ipse vir sanctus, & deuotus homo horam suę mortis appropinquare, quam antea prædixit, congregatis vniuersis*

M. S. Codex Vallic. Bibl. Sign. lit. D. n. 96. sub fin.

Surius to. 5 die 10. Octob

Infirmus quotidie sacrificio Missæ vult adesse.

sis canonicis fratribus suis, & coram eo astantibus, & orantibus, eleuatis oculis suis versus Cælum, cum pollice dexteræ manus suæ sibimet signum Crucis in fronte, super os, et super pectus suum fecit, sicque manus tenens extensas in Cælum, atque hæc vltima verba proferens: In manus tuas Domine commendo spiritum meum, quasi dormiens, et nil sentiens, suauissimè spiritum Domino reddidit 6. Idus Octobris anno Domini M. CCC. LXX. IX. Felix profectò hominis, qui pœnitentiæ exercendis operibus, ac intermisso nunquam pietatis studio, Deo in primis diligendo institerat, ad vitæ immortalitatem transitus; quem Deus post mortem miraculis insuper illustrauit, quæ qui vult, apud Surium consulat.

Orans, et spiritũ Deo commendãs suauiter moritur.

14. Atqui christianæ præsertim humilitatis ipsa pœnitentiæ virtus gaudet consortio; adeo vt nescias plerumque cui ex his palma sit deferenda, quod in multis quidem, sed in homine quondam illustri, ac solitario, mirificè affulsit, de quo isthæc in Senensium fastis: *Bonauentura* (inquit) *Theate nobili loco natus Senensem ditionem quadraginta amplius annorum domicilio illustrans, non tam Ciuitatis iure donari meruit, quàm Ciuitatem sui iure donauit. Septennis Horatius (hoc enim illi nomen, antequam solitaria pietas alterum auspicatius induceret) asperiori vita proludere visus est, dum ieiuniis subindè corpusculum affligere, & nudis asseribus incubans, somni voluptatem castigare gaudebat. Ferè decennis patria domo in eremum aufugiens, &c.* Illud verò in hoc mirandum, quo rudes pauperum, abiectasque tum vestes, tum pœnas pari spiritus feruore, ac æmulandi studio exambiret, adeoque quantumuis, nobili ortus prosapia, & parentibus in sæculo claris non nisi abiectum pœnitentiæ habitum circũferret; hæc enim de genitrice ipsius sordida, abiectaque ipsius vestimenta exhorrente: *At mater (ait) vbi aduentantis os, habitumque resciuit, per minorem natu filium Bonauenturæ exponi iussit, vt sacco, & squallore tantisper posito, nobiles vestes indueret: neque enim ferebat animus sub istiusmodi sordibus suã prolem amplecti: Tunc enim verò Bonauentura erubescens diuini famulatus erubescere insignia, & impium ratus parenti sic esse pium, è vestigio iterum fugit. At verò Cęlum perspicuo ostento firmauit id genus contumacia nequaquam ingratum superis accidisse, &c.* Hæc ille clara satis demissi animi, ipsiusque vitæ contemptus prodidit argumenta. Verùm post insignia virtutis, ac pœnitentiæ, quæ de se Cœlo dignus præbuit exempla, hæc subdit: *Atque vt ex animo humilitatem suam professum esse intelligas, crebrò alta voce per vicinam syluam humi repetebat: En Domine vermem terræ vilissimum (inquient) Hunc tamen vermem digniùs quem tot splendida monstra ad astra sua, quia longè suprà Cælum assumpsit. Septuagesimo demum suę ætatis anno mortalitatem exuit, postquam quæsitissimis à Parocho precibus exorauit, nè suum corpus intrà Ecclesiam condi sineret, quod sacri loci honore, aliorumque in Domino dormientium consortio ex altissimę humilitatis sensu indignũ se iudicaret. Quod tamen obseruatum postea non est, prohibente Episcopo eam ignominiam à reliquiis, non communi tantum christiani hominis tumulo, sed etiam altarium cultu dignissimis. Et sequuta postea memorantur sanctissimum virum signa, atque prodigia: quibus hæc de eius virtute persuasio in hominum animis mirificè est propagata. Eius præconia vi superorum arcana coacti ipsi dæmones ex obsessis corporibus celebrarunt:* Hæc ibi. Quantum verò vel solo ipsius quisque aspectu proficeret, his verbis traditur: *Vitę rauo tam admirabilis quàm plurimos ad se vndecunque spectatores acciuit; primum non paucis emergendi è peccatorum veterno grauissimis auctor extitit.* Ità planè sordidis, abiectisque vt lateret homines tum viuens, tum moriens vestibus contegi voluit: quem columnæ igneæ portenta desuper à mortalibus visa hominem haud terris, sed ipso dignum Cœlo præsignabant.

In fastis Senens. pa. 100. Bonauentura v. nobilis pœnitens deiolicarius?

In fastis Senens. vbi sup. Abiectis vestitur vestimentis ad matris vsque odiorem.

In fastis Senens. vbi sup. Septuagenarius pœnitẽs meritus dies in Cęlũ euolat, signisq; clarus.

Ipsius quo plures ex impio ad pœnitendum traducti.

15. Nostra verò ætate haud pia virorum, ac fœminarum exempla desunt, quæ sæculi delicias, exhorrendo pertæsæ cum viuerent, affligendo corpori, & christianæ insuper sectandæ humilitati intentæ, morientes postmodum ijsdem se se nuncium remisisse nonnisi pauperes mori cupientes ostendunt, mollę quippe abiecta culcitra, nudam super humum hæ suum, vt ibidem pauperum in more

Ex notis ipsi auctori.

ſpiritum Deo redderent, reclinari corpuſculum voluere. Inter has igitur pœnitentiæ ſectandę apprime vltrò cupidas nobiles in primis, ac delicatiores fœminæ ſe præ vitis ambitioſas magis teſtatæ aliquando ſunt. Vna etenim ex his nobilis æque, ac diues, & pulchritudine cæteris longè præſtans (cuius conſultò nomen tacetur) cum B. Mariæ Magdalenæ, quæ pœnitentium dux, & magiſtra ſimul extitit, præferuido deuotionis cultui ſummopere eſſet addicta, & iuges de ipſa conſultò miſceret ſermones, eiuſque prægrandem pictā apud ſe in tabula imaginem, ipſam, quæ inter deſerta loca ſe flagellis cædentem, ad viuum exhibebat, in ſuo ſecretiori cubiculo aſſiduè contemplandam ob oculos haberet, vbi ad vitæ finem, putrida febri correpta deuenit, ante ſuprema vitæ momenta ſuum ab aſtantibus fœminis corpus nuda ſuper humo locari cupiens ſūmis enixiſq; precibus popoſcit. Quod cum illæ vltrò facere negarent, nè ipſam denique amplius contriſtarent, ſupra puluinar humi ſtratum iamiam morituram vt ſic læta decederet, collocant. Quid plura? feſtiuo iam B. Marię Magdalenę die ad occaſum vergente, ipſa quoque ſic dignè ipſius æmulando pœnitentiam ſupremum vitæ diem non abſque magna ſalutis ſpe pœnitendo feliciter clauſit: Cum verò poſt mortem pro muliebri mundo piaculares in ſcrinio funiculos in flagelli morem apud ipſam, & catenulas ferreas, quas pluſquam gemmarum ſerta, ac margaritas faciebat, reconditas, ac pœnarum, quas adeò exambiebat indices maritus, & propinqui reperiſſent, vel ex hoc pia delicatioris fœminæ in ſuo excruciando corpore, vel dum adhuc viueret, ſtudia coniectantes, quod ſuauis anteactæ ipſius vitæ adeò pœnis, ac patiendi deſiderio excultæ reſponderet mors, abſque ambigendi ſcrupulo intellexere.

Mulieris in ſæculo patiendi ardor

B. Magdalenæ veſtigia æmulari cupit.

Feſto die ipſius feliciter obit.

16. Alterius quoque illuſtris, ac recolendæ item Romanas inter fœminas proſapiæ, diuitijs æquè, ac forma, & cæteris quibuſuis tum corporis, tum animi dotibus præcipuæ ob oculos exemplum ſuppetit, quæ in ipſo ætatis flore ſexus, ac ſæculi deliciarum pertæſa, ac terrena generosè cuncta faſtidiens, muliebrem in primis mundum exhorruit; Quapropter precibus, diuiniſque virtutibus, ac pijs iugiter exercitationibus dedita, cum prole careret, mundo quoque ſe penitus abdicare cupiebat, adeoque maritum æquè pium ad id quotidie inuitans, poteſtate ſibi tandem facta, ambo pari inuicem ſtudio, & ipſa in primis tota in ſancto eiuſmodi adimplendo propoſito fixa, & ſacrum monialium auſterioris obſeruantiæ clauſtrum intrare decreuerat. At propinqui cum mulieris propoſitum ægrè admodum ferrent, moras pro re prudēter magis agēda, cōſulendo dictis ſuaderent: res tunc ad Innocentium X. fe: me: defertur, qui fœminæ pietatem probè ſibi, cunctiſque fere in Vrbe notam admiratus pia iſthæc ipſius vota commendans, rem vltrò maturius expendendam edixit. Verum illa Pōtificij accepto reſponſi oraculo, ſe vel inuitam adhuc in ſæculo retineri videns, vtpote quæ ad Deum vocantem non tam ire, quam currere percuperet, iam intus in animo non triſtari, non obdolere vehementer non potuit. Quapropter id quod ſibi à propinquis negabatur, à Deo, vt creditur, mox impetrauit. Nam breui æticæ morbo correpta, & de diuinis rebus ferè ſemper loquens, aut cogitans miro affecta pœnitentiæ ſtudio morbum patientiſſimè ferens, & plus quàm gemmis exculta pijs tandem operibus diem feliciter clauſit; At nè ſuis vel poſt mortem votis fruſtraretur, ſuum poſtmodum cadauer humi, rudique monialium veſte coopertum, vnà cum Crucifixi imagine locari, eoque habitu tumulo in Eccleſia S. Ignatij Loyolæ de Vrbe demandari præcepit, & dotales pecunias in pios monaſterij expendi v ſus voluit. Fuit hęc Portia de Lācellottis miris exculta virtutibus fęmina Mario de Gabriellis Viro nupta pio æquè, ac nobili in Vrbe, cuius memoria in benedictione eſt. Angelicis planè moribus fœmina, ſed pœnitentiæ in primis cultui ſemper addicta, cuius animam mira luce fulgentem Soror Franciſca de Farneſijs, quæ monialium vulgò Conceptionis auſterioris obſeruantiæ in Vrbe auctrix, clara meritis tandem obijt, in Cœlum conſcendere vidit, cum Portiæ item adhuc viuentis faciem Sanctorū ſplen-

Mulier quæ ſunt mundi faſtidiens ſe totam Deo dicare cupit

Patiendi in plus quam gaudendi in ſæculo ambitioſa.

Portia Lancellotta à Gabriellis raræ pietatis

Felix mors, apud Deum ſors.

splendoribus fulgentem,erumpentesq; ex oculis quosdã lucis radios ipsa,& nõnulli se vidisse affirmẽt.Et hęc vel obiter hic narrasse voluimus de fœmina, cui dignum illud iuxta ipsius nomen, psalmistæ elogium occinit: *Portio mea Dominus in terra viuentium*. Et hæc satis.

Ps. 141.

17. Opportuna quoque nobis scribentibus in pręsens mentio se offert pręclaræ tum virtute, tum prosapia fœminæ, Romanas inter Matronas, quæ his ferè diebus, raro sui relicto cunctis exẽplo diem in Vrbe feliciter clausit,Marchionissa videlicet Elena Sanctacrucia, Valerij Sanctacrucij, Castri Petræfortis Marchionis, Viri dignissimi vxor, quæ suo congruo nomini vitam omni virtutum laude in sæculo, sed longè à sæculi moribus, & fœminarum cultu, alienam ducẽs,vel ipsis in claustro degẽtibus sub arctiori disciplina, fœminis inuidiam, quodamodo visa est peperisse.Virtutibus quippe, plusquam diuitijs, & meritis, plusquam gemmis dignum sibi ornatum quærens, immortalitatem, quam mortalis adhuc perpetuo cogitabat, cũ Deo semper futura adiuit. Porrò, vt paucis fœminæ laudes perstringamus; Eleemosynis quidem ipsa suam in proximos charitatem; pijs verò operibus, ac deuotis assiduè precibus suam erga Deum pietatem ostendit, adeoque diuini officii quotidie laudes deuotissimè claustralium instar persoluere consueuit, ad quod item Virum pari secum pietatis cultu præstandum, sic Diuam Birgittam Suecam vel in hoc æmulata laudabiliter induxit, suas item orationi quotidie horas præfixas habuit, quas domesticis posthabitis curis, Deo, ac sibi vacando explebat. Eo autem pro Christo patiendi, ac pœnitentiæ amore tenebatur, vt infirma licet corporis valetudine, assiduisque pulsata morbis, spiritu tamen seipsa, ac sexu fortior, cruciando, ac pœnis affligendo corpori minimè parceret. Quapropter Beatæ Cæciliæ Romanas inter Virgines, ac martyres lectissimæ vestigiis inhærens, cilicio membra domabat, & ferream quoque catenulam lumbis fortiter excruciandis iniecerat, quam præ auro sibi caram, & plusquam pretiosa monilium,ac gemmarum serta computãs, certis statisq; ornamẽti adinstar diebus adhibebat,vt ferro magis quam auro (quod reliquæ haud solent mulieres) Christo deuincta placeret,quã item nonnisi secretiori è scrinio post mortem in lucem è tenebris condigno ipsius elogio prodire contigit, ac si pia virilis animi fœmina, quia se totam Dei captiuare obsequio cupiebat, vel ferro vsque in vitæ finem Deo religata haud absque catena viuere,haud absque catena mori tandem vellet. Nec verò fœmina in cunctos mitissima; mitis in seipsam dici, aut videri aliquando potuit. Nec ferri quippe contenta vinculis; ter in hebdomada, haud aerem verberans. Sed corpus flagellis verberando acerbissimè cædebat. Eo autem patiendi desiderio, Christi patientis memor flagrabat, vt sibi omnis ob eius amorem pœna dulcesceret, & quæ carnis palato sapiunt, & blanda sunt, ipsi penitus amarescerent. Quamobrem, singulis recurrentibus sextis ferijs, quibus pœnarum Christi memoria colitur, quo sibi mundus cum suis delicijs cordis palato amaresceret, amarissima absyntij folia iugiter ore mandens ruminabat, omnemque acerbiorem, quæ sibi occurreret, pœnam solo mulier Christi amore sapiens dulcorabat. His itaque, alijsque pia,ac nobilis mulier vitam excolens,suum præmunire exitum voluit, ac tandem ad Cęli iugiter prœmia aspirans, breui præuenta morbo Sacramentis Ecclesiæ susceptis, & diuina iugiter tum corde, tum ore Deo plena eructans, & vel cum Deo, vel de Deo loquens inter Sacerdotum sibi adstantium, quibus se maximè commendarat,preces,ac psallentium choros anno salutis 1670. plena dierum, ac meritorum placidissimè in Domino obdormiuit. Cui illud ipsi pro elogio sit, quod in ipsa cæteris pro miraculo fuit, quod illustris nimirum in sœculo fœmina non secus,ac in claustro bonis intenta operibus pœnitentis, & obseruantioris vitæ rigorem dissimulando,Deo, ac sibi vixerit, cui, & Sapientis item iure meritò arridet oraculũ: *Et ridebit in die nouissimo*. Sed hæc satis.

Elena Marchionissa Sãtacrucia Valerij vxor, pietate in Vrbe conspicua.

Eleemosynis, ac pijs operibus, plusquam gemmis pręfulget.

Diuini officij iuxta ritum Romani Breuiarij laudes quotidie persoluit.

Cilicio, & ferrea catenula corpus excruciat.

Flagellis corpus suum statis diebus cædit.

Ob Christi amorem pœnas delicias computans absynthij folia feria sexta suauiter mandit.

Placidissimè pia mulier in domino quiescit.

Prouer. c. 31.

18. Et pari siquidem virtutis studio, ac meritorum consortio ipsi tum viri, tum fœminæ in sæculo sanguinis

ſpiritum Deo redderent, reclinari corpuſculum voluere. Inter has igitur pœnitentiæ ſectandę apprime vltrò cupidas nobiles in primis, ac delicatiores fœminæ ſe præ viris ambitioſas magis teſtatæ aliquando ſunt. Vna etenim ex his nobilis æque, ac diues, & pulchritudine cæteris longè præſtans (cuius conſultò nomen tacetur) cum B. Mariæ Magdalenæ, quæ pœnitentium dux, & magiſtra ſimul extitit, præferuido deuotionis cultui ſummopere eſſet addicta, & iuges de ipſa conſultò miſceret ſermones, eiuſque prægrandem pictã apud ſe in tabula imaginem, ipſam, quæ inter deſerta loca ſe flagellis cædentem, ad viuum exhibebat, in ſuo ſecretiori cubiculo aſſiduè contemplandam ob oculos haberet, vbi ad vitæ finem, putrida febri correpta deuenit, ante ſuprema vitæ momenta ſuum ab aſtantibus fœminis corpus nuda ſuper humo locari cupiens ſũmis enixiſq; precibus popoſcit. Quod cum illæ vltrò tacere negarent, nè ipſam denique amplius contriſtarent, ſupra puluinar humi ſtratum iamiam moriturã vt ſic læta decederet, colloeant. Quid plura? feſtiuo iam B. Mariç Magdalenç die ad occaſum vergente, ipſa quoque ſic dignè ipſius æmulando pœnitentiam ſupremum vitæ diem non abſque magna ſalutis ſpe pœnitendo feliciter clauſit: Cum verò poſt mortem pro muliebri mundo piaculares in ſcrinio funiculos in flagelli morem apud ipſam, & catenulas ferreas, quas pluſquam gemmarum ſerta, ac margaritas faciebat, reconditas; ac pœnarum, quas adeò exambiebat indices maritus, & propinqui reperiſſent, vel ex hoc pia delicatioris fœminæ in ſuo excruciando corpore, vel dum adhuc viueret, ſtudia coniectantes, quod ſuauis anteactæ ipſius vitæ adeò pœnis, ac patiendi deſiderio excultæ reſponderet mors, abſque ambigendi ſcrupulo intellexere.

Mulieris in ſæculo patiendi ardor

B. Magdalenæ veſtigia æmulari cupit.

Feſto die ipſius feliciter obit.

16. Alterius quoque illuſtris, ac recolendæ item Romanas inter fœminas proſapiæ, diuitijs æquè, ac forma, & cæteris quibuſuis tum corporis, tum animi dotibus præcipuæ ob oculos exemplum ſuppetit, quæ in ipſo ætatis flore ſexus, ac ſæculi deliciarum pertæſa, ac terrena generosè cuncta faſtidiens, muliebrem in primis mundum exhorruit: Quapropter precibus, diuiniſque virtutibus, ac pijs iugiter exercitationibus dedita, cum prole careret, mundo quoque ſe penitus abdicare cupiebat, adeoque maritum æquè pium ad id quotidie inuitans, poteſtate ſibi tandem factà, ambo pari inuicem ſtudio, & ipſa in primis tota in ſancto eiuſmodi adimplendo propoſito fixa, & ſacrum monialium auſterioris obſeruantiæ clauſtrum intrare decreuerat. At propinqui cum mulieris propoſitum ægrè admodum ferrent, moras pro re prudẽter magis agẽda, cõſulendo dictis ſuaderent: res tunc ad Innocentium X. ſe: me: defertur, qui fœminæ pietatem probè ſibi, cunctiſque fere in Vrbe notam admiratus pia iſthæc ipſius vota commendans, rem vltrò maturius expendendam edixit. Verum illa Pontificij accepto reſponſi oraculo, ſe vel inuitam adhuc in ſæculo retineri videns, vtpote quæ ad Deum vocantem non tam ire, quam currere percuperet, iam intus in animo non triſtari, non obdolere vehementer non potuit. Quapropter id quod ſibi à propinquis negabatur, à Deo, vt creditur, mox impetrauit. Nam breui æticæ morbo correpta, & de diuinis rebus ferè ſemper loquens, aut cogitans miro affectà pœnitentiæ ſtudio morbum patientiſſimè ferens, & plus quàm gemmis exculta pijs tandem operibus diem feliciter clauſit; At nè ſuis vel poſt mortem votis fruſtraretur, ſuum poſtmodum cadauer humi, rudique monialium veſte coopertum, vnà cum Crucifixi imagine locari, eoque habitu tumulo in Eccleſia S. Ignatij Loyolæ de Vrbe demandari præcepit, & dotales pecunias in pios monaſterij expendi v ſus voluit. Fuit hęc Portia de Lãcellottis miris exculta virtutibus fęmina Mario de Gabriellis Viro nupta pio æquè, ac nobili in Vrbe, cuius memoria in benedictione eſt. Angelicis planè moribus fœmina, ſed pœnitentiæ in primis cultui ſemper addicta, cuius animam mira luce fulgentem Soror Franciſca de Farneſijs, quæ monialium vulgò Conceptionis auſterioris obſeruantiæ in Vrbe auctrix, clara meritis tandem obijt, in Cœlum conſcendere vidit, cum Portiæ item adhuc viuentis faciem Sanctorũ ſplen-

Mulier quæ ſunt mundi faſtidiens ſe totam Deo dicare cupit.

Patiendi amplius quam gaudendi in ſæculo ambitioſa.

Portia Lancellotta de Gabriellis raræ pietatis

Felix ipſius mors, & apud Deum ſors.

splendoribus fulgentem, erumpentesq; ex oculis quosdã lucis radios ipsa, & nõnulli se vidisse affirmẽt. Et hęc vel obiter hic narrasse voluimus de fœmina, cui dignum illud iuxta ipsius nomen, psalmistæ elogium occinit: *Portio mea Dominus in terra viuentium*. Et hæc satis.

Ps. 142.

17. Opportuna quoque nobis scribentibus in pręsens mentio se offert pręclaræ tum virtute, tum prosapia fœminæ, Romanas inter Matronas, quæ his ferè diebus, raro sui relicto cunctis exẽplo diem in Vrbe feliciter clausit, Marchionissa videlicet Elena Sanctacrucia, Valerij Sanctacrucij, Castri Petræfortis Marchionis, Viri dignissimi vxor, quæ suo congruo nomini vitam omni virtutum laude in sæculo, sed longè à sæculi moribus, & fœminarum cultu, alienam ducẽs, vel ipsis in claustro degẽtibus sub arctiori disciplina, fœminis inuidiam quodamodo visa est peperisse. Virtutibus quippe, plusquam diuitijs, & meritis, plusquam gemmis dignum sibi ornatum quærens, immortalitatem, quam mortalis adhuc perpetuo cogitabat, cũ Deo semper futura adiuit. Porrò, vt paucis fœminæ laudes perstringamus; Eleemosynis quidem ipsa suam in proximos charitatem; pijs verò operibus, ac deuotis assiduè precibus suam erga Deum pietatem ostendit, adeoque diuini officii quotidie laudes deuotissimè claustralium instar persoluere consueuit, ad quod item Virum pari secum pietatis cultu præstandum, sic Diuam Birgittam Suecam vel in hoc æmulata laudabiliter induxit, suas item orationi quotidie horas præfixas habuit, quas domesticis posthabitis curis, Deo, ac sibi vacando explebat. Eo autem pro Christo patiendi, ac pœnitentiæ amore tenebatur, vt infirma licet corporis valetudine, assiduisque pulsata morbis, spiritu tamen seipsa, ac sexu fortior, cruciando, ac pœnis affligendo corpori minimè parceret. Quapropter Beatæ Cæciliæ Romanas inter Virgines, ac martyres lectissimæ vestigiis inhærens, cilicio membra domabat, & ferream quoque catenulam lumbis fortiter excruciandis iniecerat, quam præ auro sibi caram, & plusquam pretiosa monilium, ac gemmarum serta computãs, certis statisq; ornamẽti

Elena Marchionissa Sãctacrucia Valerij vxor, pietate in Vrbe conspicua.

Eleemosynis, ac pijs operibus, plusquam gemmis pręfulget.

Diuini officij iuxta ritum Romani Breuiarij laudes quotidie persoluit.

Cilicio, & ferrea catenula corpus excruciat.

adinstar diebus adhibebat, vt ferro magis quam auro (quod reliquæ haud solent mulieres) Christo deuincta placeret, quã item nonnisi secretiori è scrinio post mortem in lucem è tenebris condigno ipsius elogio prodire contigit, ac si pia virilis animi fœmina, quia se totam Dei captiuare obsequio cupiebat, vel ferro vsque in vitæ finem Deo religata haud absque catena viuere, haud absque catena mori tandem vellet. Nec verò fœmina in cunctos mitissima; mitis in seipsam dici, aut videri aliquando potuit. Nec ferri quippe contenta vinculis; ter in hebdomada, haud aerem verberans. Sed corpus flagellis verberando acerbissimè cædebat. Eo autem patiendi desiderio, Christi patientis memor flagrabat, vt sibi omnis ob eius amorem pœna dulcesceret, & quæ carnis palato sapiunt, & blanda sunt, ipsi pœnitus amarescerent. Quamobrem singulis recurrentibus sextis ferijs, quibus pœnarum Christi memoria colitur, quo sibi mundus cum suis delicijs cordis palato amaresceret, amarissima absyntij folia iugiter ore mandens ruminabat, omnemque acerbiorem, quæ sibi occurreret, pœnam solo mulier Christi amore sapiens dulcorabat. His itaque, alijsque pia, ac nobilis mulier vitam excolens, suum præmunire exitum voluit, ac tandem ad Cęli iugiter prœmia aspirans, breui præuenta morbo Sacramentis Ecclesiæ susceptis, & diuina iugiter tum corde, tum ore Deo plena eructans, & vel cum Deo, vel de Deo loquens inter Sacerdotum sibi adstantium, quibus se maximè commendarat, preces, ac psallentium choros anno salutis 1670. plena dierum, ac meritorum placidissimè in Domino obdormiuit. Cui illud ipsi pro elogio sit, quod in ipsa cæteris pro miraculo fuit, quod illustris nimirum in sœculo fœmina non secus, ac in claustro bonis intenta operibus pœnitentis, & obseruantioris vitæ rigorem dissimulando, Deo, ac sibi vixerit, cui, & Sapientis item iure meritò arridet oraculũ: *Et ridebit in die nouissimo*. Sed hæc satis.

Flagellis corpus suum statis diebus cædit.

Ob Christi amorem pœnas delicias computans absynthij sola feria sexta suauiter mandit.

Placidissimè pia mulier in domino quiescit.

Prouer. c. 31.

18. Et pari siquidem virtutis studio, ac meritorum consortio ipsi tum viri, tum fœminæ in sæculo sanguinis

Hieronymus, siue Paulin. epist. ad Celantiam.

Viri, & fœminæ illustres, honorum item, & diuitiarũ contemptu clari.

splendore illustres sapida Hieronymi verba recolentes; *Quia summa (inquit) nobilitas apud Deum est, clarum esse virtutibus*, haud profectò honorum ambitu, ac diuitiarum lucro, immo magis honorum, bonorumque huius mundi contemptu, humilitatis duntaxat sibi apud Altissimum gratiam visæ sunt exābisse, & vt Dei se probarent oculis, mortalium interim oculos latendo fallere, ab omni procul honoris fastu, incultam, abiectamque pariter in sæculo, seipsis, ac sæculo, maiores vitam traducere in votis maximè, & nonnisi cuncta pro ludo habuere. Ex quo planè digno, ac laudabili numero hac nostra ætate Sapientum calculo fuit Constantia Magalotta, dignissima olim vxor Caroli Barberini, germani fratris Vrbani Octaui fe: me: eidemque Pontifici suas ob virtutes apprime chara, ipsiusque haud semel ore laudata, quæ ob præclaras animi dotes, piasque exercitationes tum quotidianis vacando precibus, tum diuinas item laudes ecclesiasticorum hominum more, ac flexis insuper genibus persoluendo, & ob singularem præsertim humilitatem, cunctis in Vrbe sui condignam merito admirationē peperit, adeoq; vt magis fœminam ob eximium animi cultum, ac virtutes, quibus præcellebat, quam ob cōnubij cum germano Pontificis fratre nexūm, ac digna filiorum Eminentiss. merita, & purpuram venerabundi suspicerent, cui nimirum præcellens cunctis in Vrbe gradus, nec tam honorum splendor, ipsiusque fortunæ amplitudo, vel minimum attulisse fastum, quam mundi indixisse contemptum, ac omnimodam sui conciliasse despicientiam videbatur; ipsismet quippe Hester Reginæ verbis inter Vrbis, ac sæculi blandientis voces, Deum sic alloquens dicere potuit: *Tu scis* (ait) *necessitatem meam, quod abominer signum superbiæ & gloriæ meæ, & quod nunquam lætata sit ancilla tua &c. vsque in præsentem diem nisi in te Domine*. Quapropter religiosa planè sub laycali veste mulier ac profusæ in pauperes liberalitatis ipsa merito religiosorum hominum, quorum palato sola duntaxat virtus sapit, ore nonnisi altera Romanas inter fœminas Paula dignissimè est nuncupata, quæ

Constantia Magalotta Caroli Barberini olim vxor, miris in sæculo virtutibus conspicua.

In M.S. paginis Reuerend. Io. Bapt. Scannarolus Sydon. Episc.

Ipsa Vrbi, & cunctis admirationi

Hester ca. 14. num. 16.

Altera Paula suas ob virtutes credita, & nuncupata.

sæculi pompam proculcans, ac se ob Christi amorem deprimens, cunctisque subijciens, omnem à se corporis cultum, corpore, seipsa, ac sæculo maior respuens inculto prorsus habitu amicta, *munditiam corporis* (Hieronymo teste) *atque vestium animæ esse immunditiam* dicebat. In suis autem ædibus ab omni procul pomparum fastu, ac non paruum vel sic stuporem accedentibus ingerens, religiosam potius quàm primariam, ac sæculi in Vrbe fœminam in cunctis exhibebat, adeoque vt Francisco inter Columnensium proceres, ac Prænestinorum olim Principi modestiam ipsius, & quod tam abiectè mulier in sæculo potens, supremos inter honores se ipsam gereret, aliquando miranti, in hac planè verba responderit. *Sibi profectò hospitium magis, quàm mansionem in sæculo quærendam cum singuli huius mundi hospites simus, & aduenæ; & nonnisi conductitiam hic quisque domum inhabitet*. Quo sanè virilis, ac sapiens fœmina, quàm sublime de sæculi rebus saperet, paucis admodum altius philosophando edixit. At quod verbis, idipsum factis exhibuit, subesse cunctis potius, quam vel vni præesse gaudens. Humilitatis etenim studio ipsa cunctis anteire præoptans, tunc maximè potiri votis videbatur, cum se vilem, abiectamque præ cunctis, vt Christo placeret, veracissimè ostenderet. Quantum verò cunctis, ac religiosis præsertim tum viris, tum fœminis deferret, illud argumento est, quod quoties Discalceatarum S. Theresiæ ad Deiparæ Virginis de Monte Carmelo cœnobium intraret, statim à Monialium Præfecta genu humi flexo ab ea se benedici humillimè exposceret, & sacrum subindè chorum adiens, ibi se precibus continuò daret. In choro autem vna cum cæteris, ad Dei laudes aliquando conueniens, haud vnquam primum (vt par erat) tenere locum acquieuit, sed vel proximum post præfectam respuens, statim è loco exiliens, vltima omnium, & sub ipsismet conuersis se flexis vtique genibus mulierum humillima locabat euangelici memor verbi: *Vade; et recumbe in nouissimo loco*, Reliquas interim Christi sponsas sibi, quæ hominis vxor esset, iure merito anteferendas edicens.

Hieronymus in ep. Paulæ.

Quam altè de sæculi rebus sentiret

Sapiens, ac dignum fœminæ de mundi contemptu responsum.

Insignis animi vel inter honores demissio.

Nouissimi sibi locum inter virgines deligit.

Lucæ ca. 14.

Por-

19. Porrò cum integrum aliquando vnà cum Monialibus diem transigens, ac locum reficiendo corpori destinatum ingrediens, Monialem ad ostij limen humi toto prouolutam corpore, vt ab intrantibus proculcaretur, offendisset, ipsa ac si humilitatis coronam alteri manu præripere gestiens, mox ingressa iacentis virginis plantas humillimè est osculata. Quàm verò humiliter de se ipsa sentiret, & cunctis Virginibus ob Christi amorem deferret, vel tunc re ipsa ostendit; cum adolescentulam virginem, quæ Monasterium subitura, nuptialem solemni illuc ex more ingressu parabat, gemmis, ac pretiosis monilibus exornarent, ipsa quoque (vt suam Christi sponsæ obsequio manum, & operam deuotè impenderet) fixis humi genibus, deseruire quam humiliter voluit; *se prorsus* (inquiens) *indignam, quæ Christi Sponsæ, vel in vilioribus quibusque obsequijs deseruiret, ac se nonnisi abiectam vtpote sæculi fœminam esse contestans.* Sed vt factis insuper quod affirmabat, comprobaret, vetulæ cuidam fœminæ ex ancillarum numero ægrotanti, quæ ob alui profluuium, quo laborabat, adstantibus stomachum mouebat, auidissimè ipsa deseruiens, à vilioribus fœminis enixè petebat, vt vnà cum ipsis in fœminæ pariter illius obsequio consors fieret; Quod tunc Religiosus Vir videns, ac eximiam fœminæ se humiliter adeò deprimentis virtutem contemplatus, non parum obstupuit, quod & suismet oculis cernebat. Idem planè nobili humilitatis exemplo sæpe, ac sæpius præstitit, cum ægrotas fœminas in publicis Nosocomijs de more inuiseret; Cuidam enim lepra respersæ, & quæ alijs erat horrori, ipsa vltrò inseruire, ac ministrare delegit; magnum vtique lucrum computans vilioribus sic deseruire. Tandem nonnullis ante obitum annis, vt abiectè, quod optabat, & vitam omninò à sæculo procul traduceret, in Carmelitarum Virginum Monasterium, vulgò Incarnationis se recepit, at filiabus ibi suis se ipsam aggregans (quarum præsertim Soror Innocentia angelicis planè moribus virtute cunctis mirificè anteibat) ipsis vti sociam, ac discipulam se præbuit, ibique summa animi demissione, & pari patiendi desiderio se totam Christo dicans, incredibili omnium admiratione, Religiosarū instar, sanctè, ac perhumiliter vixit; Quin immò paulò ante mortem sacrum quoque velamen accipiens, ac tribus se votis Deo religans, ipso Assumptæ Virginis, & exaltatæ die, cui apprimè deuota semper extitit, Sacramentis Ecclesiæ præmunita, læto Cœlum vultu aspiciens, viuendi in terris finem fecit; propinquę etenim mortis nuncio releuata, vultu ad risum composito, quæ pœnitētis in morem diù flens seipsam in virtutum stadio exercuerat, ridens denique vitam feliciter absoluens, Paulæ Romanarum nobilissimæ, quàm sollicitè æmulari studuerat, sortem visa est quodammodò attigisse, *Quę* (vt Hieronymus ait) *fleuit, vt semper rideret*. Et vel ipso suas nomine, in bono semper firmiter constans laudes præ se tulit.

Raro humilitatis exemplo alteri prę manu coronam rapere exoptat.

Quantū Christi Virginibus honoris deferat.

Vilioribus fęminis seruire gestit.

In Monasterium vulgo Incarnationis ante vitæ finem se recipit.

Quam sanctè ibi vitam instituit, & ante mortem sacrum velum suscipit, & piè moritur.

Hieron. in epitap. Paulę.

20. Demùm vt selecta piarum, ac illustrium fœminarum exempla recensendo, humilitatis se ipsa virtus magis elucescat, nec sua nuper dictis fides ad rē aptè comprobandam desit; his ferè diebus quando isthæc scribimus, fœmina item in primis clara, ac stirpe Romanas inter Matronas nobilissima (cuius consultò nomen à nobis tacetur, cælo vt potè dignum, ibique meritò in vitæ libro exscribendum, & si alioquì fama satis illud vel silens iā prædicet) Fœmina inquam, dum in terris virtute magis, quā sanguine & meritis potiùs, quàm titulis præstare contendit, *& in sæculo nobilis, apud Deum* (vt Ambrosius ait) *cupit esse nobilior*, extra mundum quodammodo fieri præoptans, ac nobile repudium sęculo indicens, è suis splendidis exiliens ædibus ad religiosam pauperum Christi, ac humilium Virginum sub Seraphicæ Teresiæ vexillo domum, & tanquā discipula ad nobile quoddā virtutū gymnasium festino gradu conuolās, humilis, & abiecta elegit esse in Domo Dei magis, quam habitare in superbis mundanorum Principum tectis; Sæculi itaque reiectis pompis, ac multarum spontè dimisso ancillarum obsequio, quasi extrà mundum iam mente fieret cunctisque stupentibus in Dei amore, ac sæculi contemptu fixa, firmatoque proposito stabilis, ibidem non secus, ac ad pe-

Mulier tum genere, tum virtute illustris, vt abiectè viuat à sęculo ad claustrum fugit.

Ambrosius de laud. Virg.

Cunctis se delicijs abdicat, vt Christo humiliter deseruiat.

ad pedes Christi Domini cum Maria perpetuò mansura cucurrit, vt *quæ erat omnium Domina* (vt Hieronymus ait) *ibi se omnium probaret ancillam*, ac vnius pauperis cōtenta cellulæ angustiis, Cœli latitudine potiretur. Verùm Cœlo digna præcelsi inter hæc animi mulier intuentium oculis affulsit, dum quod aliàs difficillimum est, quod & Hieronymus olim stupebat in Virgine, id in prouectioris iam ætatis vidua vnusquisque cernit impleri: *Incredibilis* (ait ille) *animi fortitudo, inter gemmas, & sericum, inter puellarum cateruas, & ministeria familiæ perstrepentis, & exquisitas epulas, quas ampla domus præbebat abundantia, appetere eam laborem ieiuniorum, asperitatem vestium, victus continentiam*. Ita planè hęc à sæculo ad Claustrum læta profugiens, vna profectò ex illarū numero fuisse videtur, quæ in laudatissimo olim apud Gallos, & vulgo Marciani Cœnobio, in quo regij splendoris fœminæ demorantes, vt Petrus Venerabilis ipsarum virtutes admiratus, ac verborum pennicillo adumbrans: *Spernunt* (inquit) *diuitias, honores contemnunt, calcant superbiam, luxuriam subigunt*. Pretiosus quippè animi cultus omnem corporis cultum negligit.

Hier. vbi sup. ep ist. ad Celan.

Monialium olim Marciani in Gallijs illustrium sāguine gloria.

Petr. Venet. vbb. Cluniac.

21. At virilis animi mulier maiore fastu, ac spiritu se ipsam ambitioso virtutum, ac humilitatis præsertim studio vincere cupiens, fastumque omnem penitus mundi calcare didicit, quam Deo præ cunctis virtutibus gratissimam esse sciebat: *Nihil enim* (Hieronymo teste) *Christus habuit humilitate præstantius, nihil amabilius. Hac est enim præcipua conseruatrix, & quasi custos quædam virtutū omnium, nilque est, quod nos ita, & hominibus gratos, et Deo faciat, quam si vita merito magni, humilitate infimi simus: propter quod Scriptura dicit: Quantò maior es humilia te in omnibus, et coram Deo inuenies gratiam*. Ab humilitatis igitur prærogatiua cunctis Dei fauor, & gratia virtutibus conciliatur, & Deus ipse nonnisi in abiectis, & contemptibilibus plerumque sibi in primis complacet, vt idem Hieronymus habet: *Elegit namque Deus ignobilia, et contemptibilia huius mundi, vt potentiores, et nobiles ad humilitatem faciliùs adduceret*. Meritò itaque

Humilitatis prærogatiua singularis.

Hieron. epist. ad Celentiam.

Virtutibus ipsis ab humilitate virtus, & valor accrescit.

Hier. vbi sup.

Paulæ olim ob cōtemptū mundi præconia.

huic, quæ & Paulæ olim Romanarum lectissimæ, verba pro elogio concinunt. *Qua enim* (inquit Hieronymus) *vnius Vrbis contempsit gloriam, totius Orbis opinione celebratur, in ipsa enim quis in Sāctis locis, quibus præter ipsam, quòd plus inter homines miraretur, inuenit? cunctorum virtutes, et potentias sua humilitate superanit, minimaque fuit inter omnes, vt omniū maior esset, et quanto se plus deijciebat, tantò magis à Christo sublenabatur; latebat, et non latebat, fugiendo gloriam, gloriam merebatur, qua virtutem quasi vmbra sequitur, et appetitores sui deserens, appetit contemptores*. Hæc planè ipsius Hieronymi ore præconia lectissimæ huic, & inter Romanas nostræ ætatis fœminas nouissimæ veraciter Paulæ, ac nouam obseruantioris vitæ Virginibus domum paranti occinunt, sed quam suas ob virtutes, ac eleemosynas meritò tota Vrbs prædicando miratur, vt eiusdem summatim Diuino Sapientis ore laudes perstringamus: *Laudent eam in portis opera eius*. Suis quippè miris virtutibus in sęculo piè, ac laudabiliter viuendo, ignorasse potius visa est sæculum, quàm reliquisse.

Hieron. in epitaph. Paulæ pag. 341.

Fugiēdo gloriam, gloriam merebatur.

Prouerb. c. 31

22. Denique (vt narrandi sit finis) haud semel tum in fœminis, tum in hominibus Deo pœnitentium more inseruientibus, eiusque obsequio, in sæculo addictis Charitas simul, atque Humilitas pari, ac digno meritorum consortio harum vna suum ex altera mirificè decorem auxit, nouis antiquas meritis laudes cumulando: *Charitas quippè* (vt Apostolus refert) *patiens est, omnia suffert; Charitas, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa*. Adeoq; præcelsa hæc animi virtus haud alta inter operādum sapere, sed ipsismet, pro quibus operando laborat, abiectis licet, & humilibus semper humiliter didicit consentire. Quod certè Abrahamus pio apud Deū charitatis obsequio præ cunctis clarus, sic suis excipiendis olim hospitibus intendit, vt dubium posteris (Hieronymo teste) reliquerit, an pio in opere palmam Charitas, an verò Humilitas coronam ferret, de quo isthæc: *Nec bonum* (ait) *quod exercebat, per alios minuit, sed quasi præda reperta humanitati solus incubuit, ipse pedes lauit, ipse vitulum porta-*

1. ad Cor. 13

Charitatis, & humilitatis quæ sint merita.

Chrysost. hom. 41. in Gen.

portauit, etc. Nè Charitas quippè, & hospitalitatis sine humilitate virtus alijs ipsum adiuuantibus fraudem pateretur, sed integra sibi,& illibata maneret, auatum, se in hoc duntaxat, & in cæteris alioqui liberalem ostendit,vt sibi soli humilitatem charitati iunctam reseruans *nollet* (vt Chrysostomus ait)*hospitum venationem cuiquam familiarium cōmittere*. Charitas namque humilitatis dignata consortio,illis egregiè Chrysologi verbis ad viuum emicans proditur: *Abraham*, (inquit) *hospitem hospes semper ipse suscepit, extorris patria, domicilij nescius ipse, et domus omnium fuit, et patria*. In quo sanè haud impari charitatis, & humilitatis laude hac nostra ætate Marcus Antonius Odescalchus Nouocomensis, vir pius æquè, ac nobilis ,& maximè propter Eminentissimi Benedicti Cardinalis dignissimi gentilis sui merita nuper sub omnium oculis in Vrbe præfulsit:Diuitijs quippè in sæculo affluens, & mox ex diuite(vt de Paulino Nolano Augustinus affirmat) voluntate pauperrimus,cunctis, tum rebus tum pompis, tum delicijs paternæ domus, ac illustris prosapiæ oblectamentis spontè reiectis, elegit abiectus esse in domo Dei potius, quàm in sęculo fulgens in amplis, splendidisq;residere palatijs,quin immò seruilem vnà cum miseris, mendicisque vitam peragendo cōgruam sibi famulorum vltrò stipantium turbam,atque obsequia item respuendo deesse sustinuit ; seruilē itaque vnà cum ipsis vltrò,libenterque pro Christi amore vitam amplexus diuina planè B.Virginis, ac Mart. Agathę verba visus est meminisse: *Quia multò præstantior est Christiana humilitas, et seruitus Regum opibus, et superbia*. Quamobrem humillimus Vir,æquè ac feruidus primò in Vrbe Orbis terrarum Principe pedem figens, publicam debilium pauperum, ac miserandorum obsequio hospitalem, Abrahami ad instar domum aperuit,vbi suam longo annorum decursu, ipsismet inseruiendo, miro planè sollicitudinis studio, velut in nobili charitatis palestra operam dicans, suamet ipsis manu seruiuit, vt Dominis, ministrauit, vt miseris, ipsisque vt Deo præstans obsequium, fouendis, solandis, reficiendisque iugiter tum lingua, tum manu, & tam cibo, quàm opere, diù immobilis perstitit; Quin ijsdem conuiuens vitam planè pauperum, omnium ipse affectu pauperrimus transegit, vno, eodemque tecto simul, ac mensa cū ipsis ad totius vsque stuporem Vrbis mendicis hospitibus vtebatur, & sua ipsis manu deseruiendo pariter cibum, ipsiusque Abrahami adinstar ministrabat. *Fuitque* (Chrysologo teste) *non conuiua hospiti, sed minister*, sua sibi profectò grandis, & quæ Deo grata in primis est, humilitate vilescens.

Hieronymus epist.26.
Chrysostomus hom. 41. in Gen.
Chrysol. ser. 12. de Abrahā

Marcus Antonius Odescalchus pauperū, ac debilium hospitio addictus.

Augustinus ep. ad Amat.

Ps.83.11.

Mendicis suam operā impendens cū ipsis viuit

Lect. Romani Breuiary in festo S. Agathæ V.M. die 5 Febr.

Multos annos ipsis abiectè viuēdo deseruit.

Dignus in hoc Patriarchæ Sanctissimi æmulator.

24. Ea igitur vir maximè pius, virtute præditus affulsit, vt tanquam verus humilis,iuxta solemne Bernardi dictum, *non humilis dici, sed vilis reputari gestiens, vnum se haberet* (quod de Turonēsi Martino legitur)*quem cōtemneret, vnum, quem non amaret*; Cùm alioqui charitate præstans veluti seruus amaret omnes, omnes piè vti dominos coleret, nullaq;ipsi maior, quàm de pauperū vtilitate,ac de ipsorū item cōsortio gloria ac de sua item vilitate voluptas. Tātus profectò Vir fuit humillimus sui contemptu magis,quàm quiuis de summo honorum ambitu, ac sęculi splendore contentus. Cum igitur alijs donaret omnia, ac molestis item, omnia condonaret,nil habuit,quod Dei causa largiēdo non libens daret cunctas magnanimus diuitias sæculi negligens, nisi quas prærogabat in pauperes. Verùm haud miseros pecunia duntaxat, sed & suo itē pauperes obsequio semper iuuit; ipsam manus eleemosynam fuimet (quod maius est)vilitate commendans;haud vnus eorum ex numero,ad quos Hieronymus alludens: *Scimus*(ait)*plerosq;dedisse eleemosynam, sed de proprio corpore nihil dedisse*. Secus quippè Vir iste, ita mendicos Christi hospitio excepit,ita suis inopes pijs elargitionibus fouit; vt ipsis sedulò ministrans, & ipse vnus in primis è pauperum numero in pauperum domo esset, & ne sua melior, quàm aliorum fortunæ conditio foret, sic ipsis miserando miseris est aggregatus; Alienis namq; calamitatibus cōmunicando vti præmortuus viuens, aliorum nunquam oblitus, sui verò sæpe non memor, & vsurpare sibi non appetens, nisi omniū cala-

Ber in serm.

Aloysius Iuglaris elog. de S. Martino Tur. pag.158

Pecuniā, & pauperum eleemosynis seipsum pauperum obsequio impendit.

Hier. ep 26.

Aloysius Iuglaris elog. de S.Paulino Nolano pag. 154.

calamitates. Si quis enim Virū adeo humilem sic abiectè in illo pauperum tugurio magis, quam domo conuersantem, ac vili opertum pallio, rudique indutum tunica aliquando vidisset, profectò Petri Cluniacensis verba, Petri Abailardi sic extollentis humilitatem, mox illi in mentem veniebāt *Non recolo (inquit) vidisse me illi in humilitatis habitu, et gestu similem in tantum, vt nec Germanus abiectior, nec ipse Martinus benè discernenti pauperior appareat*. Cuius item pium in sui contemptu studium condignis prosequens laudibus: *Mirabar sæpè (ait) ac penè stupebam, etc. Simplici veste contentus nil vltrà quærebat; hoc, et in cibo, hoc et in potu, hoc et in omni cura corporis sui seruabat, et non dico superflua, sed et cuncta, nisi valdè necessaria, tàm in se, quàm in omnibus verbo pariter, et exemplo damnat, etc. Cum enim in magno illo fratrum grege, me compellente gradum superiorem teneret, vltimus omniū vestitu incultissimo videbatur, etc.* Quæ sanè Odescalcho ad vnguē inter plebē abiectissimæ gentis cōmoranti egregiè quadrant; dum & pro ingenti miraculo in Vrbe à singulis suspiceretur, suique vilitate, & contemptu mirificè intuentiū oculis, quo cunctis vilior grandesceret. Demum Vir Cœlo dignus, ex diutinis incommodis, ac loci squallore, tabe tandem confectus, vultu tamen semper læto, ac spiritu gestiens anno 48. ætatis plenus meritis æthicæ morbo, incommodisque absumptus, iisque patientissimè toleratis, Sacramentis Ecclesiæ præmunitus, ad præmia euolauit in Cœlum, & qui pauper adeò inter pauperes vixit, pauper quoque, ac ipsos inter pauperes mori omnium pauperrimus voluisset, ni pia Eminentissimi Benedicti Cardinalis Odescalchi, gentilis sui charitas in suas proximas ædes ægrotantem deferri, & ne cura corporis destitueretur, lecto decumbere, & omni à medicis studio curandum auctoritas præcepisset; obiit die 29. Maii anno 1670. & in Ecclesia B. Mariæ, vulgo in Campitello, apud Patres Congregationis Nationis Lucensis, quos in spiritu directores habuit, sepulturæ sibi locum viuens adinue delegit. Cuius autem abiectè viuendo corpus malè ab ipso hactenus habitum fuerat, eiusdem Cardinalis iussu pretiosis Sacerdotalibus vestibus iuxta morem satis honorificè indutum, ibi ad diem nouissimā depositum iacet; cuius anima in benedictione est. Sed iā reliqua prosequatur oratio.

Petr. Cluniacensis lib. 5. ep. 20. ad Heloysam.

Baronius an. 1140. nu. 11.

Quæ fuerint tum charitatis tum humilitatis ipsius documenta.

Meritis plenus, & tabe confectus ob charitatem moritur.

In templo B. Mariæ in Campitello tumulatus.

CAPVT XVI.

Pœnitentium animæ Deiparæ Virginis, ac Sanctorum ad Dei tribunal precibus iuuantur.

1. Deipara Virgo, *per quam* (vt Cyrillus ait) *cœlum exultat, & homo ipse ad cœlum reuocatur: Et qua adiutrice gentes ad Pœnitentiam veniunt*; cuius diuino item ministerio optata primùm terris post Adæ naufragium hominibus salus affulsit, ita patrocinando cunctis præsto est, vt vel sola ipsius tutelaris subinde vmbra ne dū salubris, sed & cunctis maximè necessaria mortalibus; soli è contrà tristis diabolo, ac funesta, Deo prænunciante extiterit: *Ipsa* (inquit) *conteret caput tuum*. Adeoquè ipsi illud iure in Sacrarum scripturarum tabulis occinit: *Qui me inuenierit, inueniet vitam, & hauriet salutem à Domino*. Meritoquè Deipara præclaro honoris titulo, *salutis tessera* dignissimè à patribus nuncupatur. *Quin desperantium* (vt Ephrem ait) *portus naufragorum, destitutorum vna adiutrix*. Nec non veracissimo item laudum præconio, mellifluo Bernardi ore *mediatrix ad mediatorē Deipara dicitur*. Quin, & iuxta Hieronymi oraculum. *Thesaurus est omnis lætitiæ, origo nostræ felicitatis custos æterna vitæ, Paradisus cælestis æternæ Patriæ*. Quasi verò cuncta isthæc laudum præconia parum sint, illis congruè Virgo, appositèque à Damasceno titulis decoratur, dum *inexhaustum gaudy pelagus, & vnica erroris obliteratio*, vocatur; suis quippè ipsa gratiarum prodiga cultoribus, nonnisi certam sperandæ salutis fiduciam affert. Enimverò sicut olim columba oliuæ ramum

S. Cyrillus Episcopus Alexandrinus contr. Nestorium.

Genesis c. 3. v. 15.

Salus mundo per Deiparā post Adæ lapsum adfuit.

Binettus de vir.

S. Ephrem de Deip. Virg.

Ber. de laud. Virg.

Hier. & Damasc. orat. de Assūpt. Virg.

Prærogatiua patrocinantis Virginis eo variā à Sāctis ipsius deferūtur elogia.

Nocmo,

Noemo ad vesperam portans salutem è proximo exoptatam nunciauit. Sic Virgo pariter suis misericordiæ sub vitæ occasum non defuturum munus ipsius Bonauenturæ testimonio designat. *Velut altera* (inquit) *Columba ramum oliuæ, quę symbolum est etiam misericordiæ, viventibus folÿs portat*. Quis enim est, qui Virginem in arca olim egregiè (vt Bernardus docet) adumbratam ignoret? *Arca Noe* (inquit) *significauit excellentiam Mariæ; sicut enim per illam omnes euaserunt diluuium: sic per istam peccati naufragium. Illam Noe, vt diluuium euaderet, fabricauit; Istam Christus, vt humanum genus redimeret, præparauit; Per illam octo tantum animæ saluantur: per istam omnes ad æternam vitam vocantur*. Magna siquidem è præpotenti Deiparæ patrocinio hominibus gratiarum dona è Cœlo deriuant, adeoquè tum iustus, tum peccator ipsius opem, nec absque magno gratiarum fœnore implorandi fiduciam sortitur: *Mariam sequens* (inquit Bernardus) *non denias: ipsam rogans non desperas: ipsam cogitans non erras: ipsam tenens non corruis: ipsa protegente non metuis: ipsa duce non fatigaris: ipsa propitia peruenis*. Nemo etenim post culpam pœnitens, ipsiusquè patrocinio præfidens, repulsam à Deo patitur aliquando.

S. Bonauent. in spec. c. 8.

Arca Noe Virg. figurā petulis.

Bernar. supr. Missus est.

Secura per Virginem à Deo impetrandi fiducia.

2. Quapropter iure Epiphanius cōdignis extollendo præconijs reorum asylum, spem salutis, peccatorum denique confugium, ipsam supplex, ac venerabundus agnoscit: *Aue* (inquit) *peccatorum refugium, & hospitium in Hierosolymis, ad quam confugere possunt omnes peccatores*. *Est quippè Virgo* (vt Damascenus ait) *vnica Ciuitas refugÿ omnibus confugientibus ad illam*. Et congruè: Quod enim in Deipara Virgine, ac suis quisq; opportunum malis remedium non adinuenit? *Inueniunt* (inquit Bernardus) *in Maria captiuus redemptionem, æger curationem, tristis consolationem, iustus gratiam, peccator veniam*. Cunctis itaque gratiarum ipsa largitate redundans, liberaliter vltrò præsto est ad saluandum: *Maria* (inquit Bernardus) *omnibus misericordiæ sinū aperit, & de plenitudine eius accipiunt vniuersi*. Et miseris quidem semper Deipara implorantibus adest; nec fieri potest, vt certa mortalibus inuocato ipsius nomine salus nō affulgeat iuxta ipsius Anselmi oraculum: *Necesse est* (inquit) *vt ÿs, ad quos Maria pro eis aduocans conuertit oculos, iustificentur, & glorificentur*. Ea namque suprema vis, atque potestas Mariæ diuinitus patrocinanti defertur, vt omnimoda ferè obtinendæ à Deo æternæ spes incolumitatis Augustino edisserente inuocantibus adsit: *Tu es* (inquit. Augustinus) *spes vnica peccatorum, in te nostrorū est expectatio præmiorum*. Ità planè. Tanti igitur momenti est Deiparæ humiliter implorata clementia, vt sicut Epiphanio teste pijs procul dubio eiusdem cultoribus vitæ immortalitas promittitur, sic non nisi certa, ac iusta insuper ipsius aspernantes cultum diuino Anselmi calculo reprobatio maneat: *Omnis ab ea* (inquit) *auersus necesse est vt intereat, & omnis ab ea respectus impossibile est, vt pereat*. Quibus sanè Virginis laudes satis visus est perorasse.

Epiphanius or. de laud. Deipara.

Miris Epiphanius Deiparam titulis celebrat, & Damasc.

S. Damasc. & Epiphan. orat. 2. de dor mit. Virg.

Ber. ser. signum magnū opar.

Elogia item plus ex Bernardo.

Anselmus c. 5. de Assump.

August. ser. de annuntiat domin.

Anselmus apud Bonau. in specul. Virg. cap. 5.

Spes certa dignè ipsam inuocātibus salutis adest.

3. Quoniam vero mira meritorum Virginis prærogatiua est, efficax ipsius impetrando auxilium. *Deus namque* (vt aptè ait Bernardus) *nihil nos habere voluit, quod per manus Mariæ non transiret & cum illi* (vt Damianus subdit) *data sit omnis potestas in Cœlo, & in terra, nihil illi impossibile, cui possibile est releuare in salutis spē desperantes*. Cūctis magna proinde spes sub tutelari Virginis auxilio refunditur: Singulis quippè mortalibus nedum præsens, sed & prçsentissima insuper iuuando est misericordiæ mater: *Adiuuat enim* (inquit ille) *in vita præsenti tam bonos, quàm malos, bonos in gratia conseruando, malos ad misericordiam reducendo, &c. Adiuuat etiam in morte ab insidÿs diaboli protegendo. Adiuuat post mortem animas suscipiendo*. Quod quidem ipsius apud Deum patrocinantis auxilium sibi supplex præoptans Ecclesia implorat iugiter dicens: *Ora pro nobis peccatoribus nunc & in hora mortis nostræ*. Quapropter præpotētem Virginis opem tantæ haud Deum efficaciæ peccatori ipsam ritè inuocanti Bernardus minimè aliquando defuturam inculcans. *Tu* (inquit) *peccatorem toti mundo despectum materno affectu amplecteris, foues, nec deseris, quousque horrendo Iudici miserum reconcilies*. Ipsa etenim hominem quā-

Bernardi ubi supr.

Petr. Dam. ser. 1. de natiu. Domini.

Idiota de lau Virgin.

Cunctis Dei para Virgo in vita, in morte, & post mortem patrocinatur

Bernar. apud Bonauent. in cap. 5.

Virgo nunquam patrocināndo deest.

tumuis reum ad tribunal Iudicis patrocinando releuat, adeoquè *Aeternū væ* (vt Damianus inquit) *non sentiet, pro quo semel orauerit Maria*. Quisquis igitur de culpis admissis olim obdolens, ac de futuris præcauens, ad ipsam supplex pœnitendo confugit certam proculdubio impetrandæ à Deo indulgentiæ fiduciā consequitur. Compunctos quippè, ac intimo cordis dolore affectos ipsa benignè suscipit, ac protegit; adeoquè optimè (vt Greg Pont. huius nominis Septimus ait) *Mater Domini quantò altior, & Sanctior est omni matre, tanto circa peccatores conuersos clementior*. Nec verò, ac ferè innumeri desunt, qui tum in vita, tum sub vitæ finem opportunam Deiparæ opem experti, salutem à Deo ipsius precibus sunt consequuti. Et congruè. *Cum per ipsam* (vt Cyrillus ait) *gentes, & infideles ad pœnitentiam veniāt*; adeoque nisi salus patrocinantis meritò affulgeat.

Petrus Damiani vbi sup.

Gregorius PP. 7. lib. epist. 47 ad Martatildem.

Circà peccatores conuersos Deipara clementior.

Cyrillus hom. aduersus Nestorium.

4. Ipsum verò Mariæ nomen tanti apud Deum honoris, ac tanti apud ipsum pro nobis momenti ob maternitatis prærogatiuam est, vt vel perditis spē, optatamquè indignis quandoquè hominibus gratiam refundat: *Omnis quippè* (vt Anselmus inquit) *conuersus ad Mariam, impossibile est, vt pereat*. Sed ad assertionis confirmandum propositum deperditæ spei adolescens occurrit; de quo isthæc in S. Birgittæ reuelationibus habentur: *Fuit B. Birgittæ filius, cuius nomen Carolus, iuuenis ætate, ac moribus, militiç deditus, qui ea in ætate mortuus est. Anxia erat Birgitta de filij æterna salute, quam hac visione Christus Dominus consolatus est. Vidit tribunal Iudicis, & in eo Christum sedentem, ad cuius dexteram Maria mater erat. Accessit dæmon ad iudicium, & ait: Iuste Iudex, adeò iustus tu es, vt sperem me à te obtenturum, quod iustè petiero, etiamsi contra Matrem tuam petam ego inimicus tuus. Iniustè mecum illa egit in morte Caroli in duobus, quorum illud primum fuit, quod die vltima vitæ illius illa cubiculum eius ingressa est, eiquè adfuit in extremis laboranti, mequè illa die indè expulit, nec vllo modo passa est eo me ingredi, vt tentare Carolum possem; qua in re manifestè vim intulit mihi; ius enim mihi à te concessum est homines tentandi, maximè tamen postrema die, qua vniuersum hominis negotium conficitur. Iube ergò animam illius in corpus redire, & per diē mihi concedatur, vt tentem eum. Quod si euaserit, mihiquè viriliter restiterit, saluus sit: nunc verò iste salutem consequutus iam est, sed iniustè. Secundò verò mihi à matre tua irrogata iniuria hæc fuit, quod cum ego tanquam apparitor debeam animas in Iudicio præsentare, & accusare, Mater tua animam Caroli corpus exutam inter brachia recepit, ad Iudicium tuum detulit, mequè iudicium intrare prohibuit, & eum accusare, Iudiciumquè sine parte actum est, quod contrà omne ius. Respondit Maria, licet dæmon pater esset mendacij, ibi tamen vera dixisse, quia coram veritate prima ageret, eamquè præstitisse ea animæ Caroli beneficia præclara, eò, quod ille in vita sua eam summè dilexisset, omniquè die se illi commendasset; & insuper summè eum lætatum de bonis Mariæ, & pro ea vitam fundere paratissimum; cumquè ille tanto ergà eam affectu fuisset, debuit illa in morte illi adesse, & hęc in eum beneficia conferre. Respondit iustissimus Mariæ filius: Mater mea in Regno meo Principatum, non vt alij electi, sed tanquam Mater, Regina, ac Domina, & proinde potest dispensare in legibus à me latis, cum iusta intercesserit causa; iustissima verò fuit causa, vt cum anima Caroli dispensaret; Sic enim honorandus erat, qui matrem meam tanto dilexisset affectu, & ea erat morte donandus. Quare super hac causa perpetuum silentium dæmoni indictum est. Qua reuelatione intellexit B. Birgitta, filium suum in Cœlesti regno commorari, adiutrice Maria, propter ipsius in illam eximiam deuotionem, &c.* Hæc in præmemoratis reuelationibus descripta habentur.

Anselmus vbi supra de laudib. Virginis.

Ex Reuelat. S. Birgittæ examinatis in Conc. Constātiensi per Turrecrēmatam.

Io. Osorius tom. 4. Conc.

Carolus S. Birgittę filius per Virginem à perditione liberatur.

Deipara perdito Adolescenti morti præsto est.

Diabolus à Virgine, ne Carolū impugnet, præpeditus.

Carolus eximiæ Virgini deuotus.

5. Verùm quam nobilis, quam filialis, ac fiducialis insuper Caroli ergà Deiparam Virginem amor extiterit, qui adductus post obitum ad Dei tribunal, & à Dæmonibus sua ob scelera accusatus, à Dei matre acerrimè in iudicio propugnatus est, ac tandem inter cœlites ascitus, ipsa, quæ tutrix illi fuit Virgo digna item meritorū ipsius præconia extitit; his enim illius apud Deum causam perorasse legitur: *Dum eius* (inquit) *anima in corpore erat, magnam charitatem habuit ad me; reuoluens hoc sæpius in corde suo,*

Cæsar Ro... tus de ... prad. ...

de suo, quod me Deus suam matrem dignatus est facere, & quod super omnia creata me sublimiter voluit exaltare, & ex hoc tanta charitate cœpit Deum diligere, quod in corde suo dicebat sic: In tantum ego gaudeo, quod Deus Virginem Mariam matrem suam habet super omnia charissimam, vt nulla corporalis delectatio sit in Mundo, quam ego in permutationem huius gaudy reciperem: immò illud gaudium omnibus terrenis delectationibus præferrem. Etsi possibile esset, quod ipsa in vno puncto minimo à dignitate, in qua est, à Deo remotior fieri posset, ego magis mihi in permutationem eligerem in profundo Inferni æternaliter cruciari. Idcircò sit Deo pro gratia, & gloria, quam dedit Matri suæ dignissimè, infinita gratiarum actio. Carolo igitur sub fido Virginis patrocinio res prosperè contigit, vt illud Anselmi optimè tum ipsi, tum cæteris Deiparæ Virginis obsequio addictis occineret: Tantummodo (ait) velis salutem nostram, & verè nequaquam salui esse non poterimus.

Dum Virgo vult efficaciter hominis salutē nō Potest non saluus fieri.

Anselmus de laudibus Virginis.

6 Quod quidem Sacerdos societatis Iesu, Virginis obsequio apprime deditus, probè intelligens, ac Deiparæ potissimum patrocinanti suæ velut anchoræ præfidens, hoc potissimum supremis sub vitæ finem labris suam (vt Recupitus tradit) mirificè spem releuabat: Affui (inquit ille) cuidam Patri nostræ societatis morti proximo, qui cum in procuranda animarum salute fuisset valdè sollicitus, ità Virginem moriens est alloquutus: Ego effeci pro meo modulo, vt tibi sæpius genua flecterent plurimi, tu semel genuflecte pro me, & saluus ero. His profectò suam religiosus vir apud Virginem & per ipsam apud Deum, Virginis patrocinio suffultus efficaciter causam perorabat.

Cæsar Recupitus lib. de signis de prædest. p. 281.

Religiosus vir moriturus Virginē compellat.

7. Et merito quidem Deiparæ Virgini, quæ misericordiæ vno Christianorum omnium ore Mater dicitur, singularis miserendi prærogatiua arridet, adeoque ipsam illis Bernardus verbis alloquens, omnesque ad ipsius implorandam spem validissimè excitans: Sileat (ait) misericordiam tuam, qui te in suis aliquando necessitatibus inuocatam meminit defuisse. Enimuerò quæ omnium mater est, vna suam pro cunctis sollicita cunctis pietatem impendit, adeoque Deus olim mortalium culpis ad iracundiam prouocatus cunctos disperdere, cunctisque supremum intentare exitium decreuerat, ni Deipara apud Altissimum patrocinando, pro cunctis Deo pœnitentiam spondens, Beatos Dominicum, & Franciscum pœnitentiæ futuros terrarum orbi præcones, instauratoresque, irati numinis conspectui offerendo efficacius ipsa, quam olim Regina Hester pro suis exorando præsto fuisset, vt Iordanus in suis historiarum paginis sic tradit: More suo (inquit) nocte in Ecclesia orans Seruus Dei sedentem ad Patris dexteram filium surgere vidit iratum, vt interficeret omnes peccatores terræ, & disperderet omnes operantes iniquitatem. Stabat autem in æthere aspectu terribilis contra Mundum in maligno positum tres lanceas vibrabat; vnam, quæ superborum erectas ceruices trayceret, alteram, qua cupidorum viscera configeret, tertiam, qua carnalibus voluptatibus deditos confoderet. Cumque eius iræ nemo posset resistere, occurrit clementissima mater eius, & pedes illius complectens rogabat, vt parceret eis, quos suo sanguine redemisset, & iustitiam misericordia temperaret. Cui filius. An non vides (inquit) quanta mihi irrogentur iniuriæ? Iustitia mea tot mala amplius non patitur impunita. Contra Mater: Tu, qui omnia (inquit) nosti, bene perspectum habes viam, per quam illas ad te reducturus es. Habeo seruum fidelem, quem mittes in mundum, vt verba tua annunciet eis, sicque conuertetur ad te omnium Saluatorem: Habeo etiam alium seruum, quem ei adhibebo adiutorem, vt similiter operetur: Filius dixit: ecce placatus suscepi faciem tuam, attamen velim videre eos, quos tanto muneri designasti. Obtulit ergo Mater filio B. Dominicum, & ait Dominus: Benè; & accuratè is faciet quod dixisti. Porrò B. Dominicus socium suum in hac visione contēplatus ad id vsque tempus ignotum sibi, postera die in Ecclesia inuentum agnouit: Ruens in sancta oscula, & sinceros amplexus ait: Tu es socius meus; Tu mecum pariter curres: stemus simul, & nullus aduersarius vincet nos. Sic planè Deipara mundo iam vnà cum hominibus, sua ob scelera periclitanti ipsa, quæ vitam peperit; Binis hisce fidelibus seruis ad instaurandos hominum mores directis a-

Bernardus de laudibus Virginis.

Quam efficax Virginis patrocinium ex Bernardo

Rainaldus an. 216. n. 48

Iordanus M. S. bibl. Vat. Theodorus lib. 2. c. 11. apud Surium to. 4. die 4. Augusti.

Visa Beata Dei Mater irato filio pro peccatoribus supplicare.

Deipara Christo SS. Dominicum & Franciscū ad pœnitentiam annunciandam offert.

diutrix fuisse legitur.

Rainaldus an.1400.n.24

8. Quoniam igitur Dei mater, cui omnium salus innititur, & ad saluandũ pariter nulli vnquam deest, ipsos quoque tam Deo, quam sibi, & nedum verbis, sed & factis insuper contumeliosos, vbi verè compunctos, ac pœnitentes videt, benignè in sui tutelam recipit, vt Sigonius isthæc narrando testatur: *Miles quidam* (inquit) *amissa lusu pecunia dolens, cum fortè imaginem ipsius (nimirum Deiparæ) in gradibus S. Petronij statutam preterijsset, vasana ira impetu raptus, ferrum in eam cum verbis contumeliosissimis strinxit, ac sanctum puerum in gremio considentem percussit. Quarè subitò quasi neruis ex sectis debilitatus procubuit. Hoc vbi audyt Prætor, ipsum statim vt nefarium hominem proripi, ac damnatum extemplo suspendio affici iussit. Cuius sententia atrocitate miles exanimatus; flere, eiulare, ac lacrymis opem gloriosæ Dei genitricis implorare, ac se si tantum periculum euasisset, ipsi per quadriennium operam praestiturum promittere: Quo nuncupato voto, repentè sanitatem recuperauit. Prætor autem, vt placatum cæleste numen cognouit, nè sibi quidem in eum vltrà putauit esse progrediendum. Miles verò duplicis voti compos factut, simulachrum illud in primum Basilicæ sacellum traduxit, atque vna cum vxore, & liberis per quadriennium cilicio tectus promissum obsequium prebuit. Hæc in hunc vsque diem imago propterea religione eximia colitur, ac pacis Domina nuncupatur.* Et congruè Virgo; quæ suo perditos, & auersos à Deo homines (vt pœniteant) patrocinio fouet, conuersos quoque, & ampliori cumulatos beneficio tum corporis, tum animæ vita donare consueuit.

Sigonius l.3. ep.Bon.in Co.

Miles perditus Virginis opem experitur.

Pœnitens Virginis obsequio seipsum deuouet

9. Opportunè autem ipsius Deiparę peccatorum spes vbi ad pœnitentiam profugit (vt egregiè Augustinus docet) patrocinio innititur: *Tu es enim* (ait) *spes vnica peccatorum, & in te nostrorum est expectatio præmiorum.* Quod paribus item Bernardus verbis inculcans: *Hæc* (inquit) *Peccatorum scala: hæc maxima mea fiducia; hæc tota ratio spei meę.* Quapropter iure meritò ex suprema Virginis potestate homini ad ipsam fiducialiter confugienti bene sperandum est, vt Petrus Damiani egregiè inculcat: *Data illi est* (ait) *potestas in Cœlo, et in terra? Nihil illi impossibile est releuare in salutis spem desperantes.* Sed vt exemplis res magis, magisque comprobetur, ipsa interim Scriptoris verba pro mille argumentis deseruiant: hæc enim habet *Plura (inquit) de his exempla suppetunt Carolus* (de quo & nos supra) *Birgittæ filius ereptus est è Dæmonum faucibus, quia gaudere solebat de bono Mariæ plusquam de suo, vt supra notatum est n.277. Alius quoque Princeps cum totam vitam in flagitijs traduxisset, propè mortem ter à Sacerdote admonitus, tandem peccata magno animi dolore confessus, saluatus est: quia (vt Christus reuelauit Sanctæ Birgittæ lib. 6.c.97.) consuetudo illius fuit compati dolori matris meæ, quoties considerabat, et nominari audiebat: ideo compendium salutis inuenit, et saluatus est, etc.* Hæc ille.

August. ser.2 de Annunc.

Virgo vnica peccatorum spes, ex Bernardo,

Bernardus sup.missus est

Petr. Dam. sermo. de natiuit.

Recupitus de sign.prædest. de. 4. vbi sup. Petr. Damianus vbi sup.

Exemplis mortuorum erga Virginem spes exigitur.

10. Sed vt illud diuinum ipsius Damiani ore cunctis innotescat oraculum: *Aeternum* (ait) *væ non sentiet, pro quo semel orauerit Maria.* Plures quidem in peccatorum numero insignes, & ob peccatorum atrocitatem decantatissimi, corde tamẽ cõpuncti, ad Deũ profugientes, mox ipsius patrocinio veniam, ac salutem denique sunt adepti, & vt Scriptoris perstrictim hic verba in medium proferantur, hęc quidem Cæsar Recupitus Soc. Iesu Sacerdos: *Talis* (inquit) *fuit conuersio Theophili, qui cum Sathanæ operæ Christo, et Matri renunciasset, ad Deum confugiens, non veniam modò post quadraginta dierum lacrymas impetrauit, sed etiã chirographo, quo se diabolo deuouerat, Deiparæ opera restituto, publicè coram Episcopo, et populo crimen confessus, percepta Eucharistia, facie instar Solis coram omnibus collucente, paulò post inter Deiparæ laudes animam Deo reddidit. Cuius facta meminit Petrus Damiani serm.1. de Natiu. Virg. S. Bernardus in deprecat. ad Virg. S. Antonin.3.p. sum. tit. 31.c.4. §. vlt. & aly.* Hæc ille.

Recupitus vbi supra,

Recupit. vbi supra: 285:

Theophilus in Deum blasphemus ac noen desertor per Virginẽ veniã obtinet:

Petr. Dam. ser 1. de nat. Virg.

11. Atqui hominum fidem, ac expectationem longè superat, quod latroni atrocissimis peccatis irretito, & sic morte præuento, & in lucem postmodũ rediuiuo, præter communem legem pœnitendi tempus, ipsius patrocinio Virginis affulsit, vt Cantipratanus his verbis tradit: *Quemdam (ait) in Normannia*

Cantipra. lib. 2. Apum cap. 29. p.10.

nia partibus virum flagitiosum valdè, & impium fuisse audiuimus suis temporibus, rapinis, & cædibus hominum debacchantem, quem inimici sui in decliuo Montis cuiusdam apprehendentes, amputato capite peremerunt. Cuius caput abscissum; trunco corporis in loco manente, in vallem subiacentem deuolutum est, clamans horribiliter per hæc verba: Virgo Sancta Maria da veram confessionem. Hoc non paucis horis incessanter capite clamante, vnus inimicorum pro Sacerdote cucurrit in villam. Venit ille, sed appropinquare non audebat, nisi relatum caput suo corpori compaginaretur. Quod vbi factum est, aduenit Presbyter, sedit, et loquente capite compaginato, confessionem illius audiuit. In fine ergo Confessionis Presbyter inquirit dicens: Miror in miraculo de te facto super omne miraculum: Et ille: Causa (inquit) miraculi hæc est. Audiui adhuc iuuenis, quod quicunque quartam feriam, aut Sabbathum in honorem Virginis Mariæ ieiunaret, veram confessionem, antequam ab hac vita discederet, multis à Christo precibus obtineret. Hoc vt audiui, in omni scelestissima vita mea dictum ieiunium obseruaui; alterius verò boni nihil aliud feci. Hoc sacerdos audito, miratus est, et statim vbi hoc dicentem, et confitentem absoluit, spiritum defunctus afflauit. Nota ergo lector, me non credere necessariam super hoc esse regulam, vt Virgo Maria hoc omnibus impetret, qui prædictis feryis velint ieiunare: quanquam gloriosa Virgo in illo peccatore tale voluerit miraculum demonstrare, vt sedulos dilectores suos iuuandos à se, et honorandos altius comprobaret. Hæc Cantipratanus, qui sapido narratis à se fideliter additamento, ne spectando quis præsumat, sic sermonem concludit.

Latro in peccatis morte præuentus, Deiparæ patrocinio saluatur.

Abscisso capite Sacerdoti confitetur peccata, & absoluitur.

12. Sed mirum planè est, quod idē Cantipratanus B. Virginis ope religioso cuidam post grauioris notæ piaculum misericorditer indultum pœnitentiæ donum his verbis tradit: *Vir quidam (inquit) longo tempore deuotus Deo, ordinem Cistercienſem intrauit, in quo etsi diu sanctè vixit, tamen tandem Diabolo tentante deuictus, in peccatum cecidit, et multis ex hoc occasionem scandali dedit. Pro quo, vt in illo ordine constitutum est, grauissimè tribulatus est. Ad cor tamen cum amarissima pœnitentia rediit, et se ad gloriosam Christi matrem in precibus, et lacrymis contulit. In magno igitur luctu per tempus non modicum positus, tandem die quadam orauit, et raptus in excessum mentis, gloriosam Virginem vidit, et in brachio eius quasi iacentem puerum paruulum; super omnem pulchritudinem speciosum. Cumque videret pro se matrem filio supplicantem instabat ille, se à peccato, et tribulatione liberari rogitans, et ad gratiam prioris vitæ restitui. Sed cum puer quasi renitens vultum auerteret, et mater è contra puerum in alteram brachij partem transferret, vt commodius vultui eius vultum sua benignitatis ingereret: illeque iterum vultum auerteret: et aduersum mater frequentiùs regyraret, atque rogaret, tandem post miram, et piam supplicationem euicit Mater in filio, et vultum eius ad piaculum serenauit, vt peccatum homini ad indulgentiam, et statum prioris vitæ ad gratiam condonaret.* Hæc ille; quibus præpotentem Deiparæ apud Deum patrocinantis & tum condonando hominibus culpam, tum gratiam refundendo, præ cunctis opem probè vnusquisque intelligit.

Thomas Cantipr. l. 2. Apū c. 29. par. 25

Religiosus post grauem culpam Virginis patrocinio resipiscens saluus fit.

Suis Virgo precibus Deum peccatori tandē propitium reddit.

13. Qui igitur misericordiarum pater est, dum Virginem sibi in matrem elegit, ipsi quoque, vt misericordiæ Mater sit, & sic ab omnibus dicatur, ingenti planè meritorum præconio contulit; adeoque condignis (vt Ephrem docet) titulis *spes desperantium, naufragantium portus, et vnica auxilio destitutorum adiutrix*, merito nuncupatur, quod & exemplo recentioris memoriæ, B. Virginis patrocinium, in rem præsentem à Bencio comprobatur: *Romæ* (ait) *Henricus ab Hailidem Canonicus Treuirensis cum ab extrema pueritia septem annos in Collegio Germanico egisset, instanter requisitus à suis, reditum parabat in patriam; sed veram illi patriam Deo destinante, incidit in febrim, quæ octauo die attulit mortem. Monitus à Sacerdote de necessitate vltima (iam ante se generali confessione præmunieras) ad Apostoli Andreæ corpus, quod Melphi colitur, pro valetudine peregrinationem vouet, certam dein pecuniam ad Crucem argenteam ponendam in æde S. Apollinaris (is est Collegij patronus) itemque ad pallium, quo altare operiretur Beatissimæ Deiparæ Virginis, in cuius erat sodalitio, reliquit. His rebus ita dispositis, eum somnus*

S. Ephrem vbi sup. de laud Virg.

Virgo præcipuis ob patrocinandi prærogatiuā titulis decoratur.

Franciscus Bencius in annal. Societ. Iesu in hist. Colleg. Germanic. Romæ an. 1586. Ioannes Bonifac. in hist. Virgo lib. 4. c. 18.

nus multis presentibus oppressit. Post paulò euigilans, accersito Sacerdoti, qui erat ei à confessionibus: O Pater, Pater (inquit) quę ego vidi? quę? interrogat ille. Quę nec oculis, nec auribus, sed nec vllo sensu percipi possunt. Tum cum mouisset expectationem, et iungerentur omnium preces, *subiecit inter attonitum, letumque, sed læto propior: Salus mea fuit in angusto, at benignitas B. Marię Virginis, SS. Andreæ, et Apollinaris, et martyrum nostrorum tutelarium in tempore mihi succurrit. A dæmone sum ductus ad Iudicem: magna vis, cum solus essem, circumstetit accusantium turba varia crimina obiectantium;iam iamque exactor supplicij me pertrahebat ad gehennam, et cum abesset prope nihil, quin essem miserrimus, astitit misericordiæ parens, ad illos conuersa: Quo vos istum,aut quid vobis cum illo, qui tot annos mihi in mea Congregatione seruiuit? Consequutus deinde S. Andreas idem indignum titulum obtendebat mei patrocinij, quam vouerarn ad eius tumulum peregrinationem. Sanctus postremò Apollinaris cum ceteris martyribus, quorum sacrosanctę reliquię sunt in ęde nostra, vim inhibuit aduersariorum, memorans crucem, quam proximè mandaui faciendam. Ideo, quę Deo est gratia, periculo simul, somnoque solutus sum. Hæc cum dixisset exultans, quarta ferè post hora animam reddit.* Sic promptum, expeditumque Deiparæ patrocinium pio homini ad Dei tribunal præsto fuit, ac certa denique salus eiusdem meritis, precibusque, vt re ipsa se matrem ostenderet, non defuit.

Henricus Canonicus ad Dei tribunal Deiparæ accusatus patrocinio defenditur.

A Gehenna Virginis ope liberatur.

14. Quam verò auxiliando præ cūctis potens, atque ad impetrandā à Deo veniam Deiparæ sit patrocinium peccatoribus efficax, his Bernardus Virginem verbis alloquendo testatur: *Tu peccatorem (inquit) toti mundo despectum, materno affectu amplecteris, foues, nec deseris, quousque horrendo iudici miserum reconcilies.* Quod sanè ita experimento euincitur, vt ambigendi locus non sit. Sed quid Iulius Cæsar Recupitus narret, audiamus: *Non omittam (ait) recentissimum exemplum, quod mihi tanquam sibi compertum narrauit Episcopus spectatissimæ fidei de quodam Duce latronum, cui cum paucis ante annis prope Vrbem Italiæ celeberrimam in ditione pontificia grassaretur, adducta est à sodalibus egregiæ formæ adolescentula. Hæc ab illo supplex petijt ne circa eam impurum aliquid attentaret, idque postulauit enixè, ob amorem Mariæ. Vicit ardorem libidinis quidam in latrone erga Mariam religiosus igniculus: neque solùm intactam dimisit, sed etiam, ne ab alijs vllam subiret iniuriam, ad certos vsque fines duxit incolumem,illudque dimitteret,rogans, vt se illi cōmendaret Mariæ, cui tantopere esset addicta. Nocte proxima per quietem apparuit illi augustissimo vultu Regina, quæ benignis intuens eum oculis, & comiter alloquens, placuisse sibi dicebat id, quod ipse pridie in sui gratiam gesserat: seque illius opportunè, & in loco recordaturam. Euanuit mox somnus ab oculis, somnium è mente, quod ille inane, & fortuitum existimauit. Paulò post captus, atque in carcerem coniectus est. Nocte, quæ antecessit supplicium, iterum Regina eadem se in somnis exhibens, interrogauit, an eam agnosceret? Respondenti, meminisse se aliquando eam imaginem sibi obuersatam, reuocauit in mentem, quæ anteà dixerat: aperuitque illi, se Mariam esse Cæli, ac terrę Reginam, in cuius obsequium ab adolescentulæ sui studiosæ contactu religiosè abstinuerat. Aduenisse se, vt operi præmium redderet, nempe post supplicium æternam gloriam. Excussit rei magnitudo somnum ex oculis, & iam diuino ille instinctu factus certior, & Reginam sibi Cęlorum apparuisse, & æternam salutem esse pollicitam, præ lætitia exiliens vrgebat, vt quàmprimum duceretur ad suspendium, ac trabem, quam nouerat euasuram sibi esse pontem ad vitam. Mirari omnes in eo mixtum summo dolori par gaudium: cum, & incredibilem pœnitudinem exhiberet de culpis, & non imparem alacritatem afferret ad pœnam. Duci ad necem crederet non latronem, sed martyrem,commutato in triumphum supplicio. Detexit ille Confessario causam insoliti, tum doloris, tum gaudij, potestate facta, vt rem omnibus aperiret. Quod mox ille è scalis præstitit, summa populi gratulatione effusi in lætitiæ lacrymas, ac summam Deiparæ misericordiam acclamantis: cum intereà cadauer conspiceretur, è trabe vultu quodam augustiore, ac beatitudinem spirante;* Hæc ille; quibus item, coronidis instar, verba isthæc subtexit: *Hæc (inquit) & his simi-*

Bernardus apud Bonauentur. in speculo c.5.

Iulius Cæsar Recupitus de sign. prædest. c. vlt. p. 28 2.

Latronum Dux ab Inferni faucibus Virginis auxilio vindicatus.

Latro in Virginis obsequium, Virginem captā à stupro seruat.

Virgo nocte apparens haud ipsum irremuneratum fore denunciat.

Salutis à Virgine sibi repromissæ nū cio releuatus,quamprimum mori cupit.

Signa in latronis facie foris adeptæ per Virginem manifesta.

similia sæpissimè Virgo præstitisse legitur peccatoribus, & præsertim latronibus, qui eximio aliquo eam affectu sunt prosequuti, vt narrant Anselmus in lib. mirac. Thomas Cantiprat. lib. 2. Apum cap. 29. par. 18. & Belbartus in Stellario Virginis lib. 2. par. 2. cap. 29. Ex quo Spinellus lib. de B. Virgine cap. 34. num. 24. Certa igitur salutis spes peccatoribus, Deiparæ patrocinio præsidentibus adest, quæ latrones ipsos, ac deperditæ spei homines, benignè pro ipsis ad Deum patrocinando, non deserit, iuxta illud, quod supra meminimus, solemne Anselmi verbum: *Sicut* (inquit) *omnis à te auersus, & à te despectus, necesse est, vt intereat; ita omnis ad te conuersus, & à te respectus impossibile est, vt pereat.* Ita prorsus haud enim vno, nec semel eiusmodi rem comprobata experimento contigit.

> Mira Virginis in latrones portenta.

> Deiparę patrocinium nulli ipsā fideliter inuocanti deest.

> *Ansel. apud Bonau. in spec. Virg. c. 5.*

15. Porrò vt à latrone, ad lupas, ac ad meretrices videlicet impudicas fœminas opportunè sermo deriuet, recentioris quoque memoriæ exemplis cultus B. Virgini delatus magno spiritalium bonorum fœnore suis plerumque cultoribus stetit, adeoque ipsis publicè peccantibus pœnitentiæ donum, ipsius diuinitùs patrocinio affulsit, vt Tursellinus in suis Lauretanæ historiæ paginis sic tradit: *Sicula* (inquit) *puella, cuius nomen silentio traditur, meliore fortuna, quàm fama Venetias perducta, multos ibi annos vulgato corpore quæstum fecerat. Iam satis rem auxerat familiarem, cum ista patria desiderio, domum aliquando redire decreuit. Ergò bonis omnibus in pecuniam redactis, familiari quodā suo comite, Lauretum petit ea mente, vt deterſis ibi Confessione superioris vitæ sordibus, ac Lauretana Virgine salutata, indè lętior in Siciliā pergeret. Ventum erat ad Rauennatem syluam, cum bonus ille familiaris, postea quàm omnia circa tuta vidisset, prædæ spe stimulante, stricto ferro inuadit incautam, nec tamen eam penitus fefellit. Mulier infesto mucrone se peti cernens, Virginem Lauretanam inuocat. At latro (differente B. Maria auxilium, quò esset illustrius) puellam gladio transfuerberatam è iumento, quo vehebatur, deijcit: deiectam insequitur, conciditque plagis, B. Mariæ subindè præsidium implorantem. Ad vltimum, ne qua sit reliqua vitæ spes, seminecem iugulat fœdum in modum: auroque, ac gemmis ablatis, muliere insuper vulneribus confossa, recedit. Illa in suo natans sanguine, iam moribunda luctantem animam B. Virgini commendabat; eum in ipso articulo haud dubiam Patronę suę experta est opem. Repentè ei B. Maria in veste candida se offert, cœlesti emicans luce: et bono animo esse iussam benignè complectitur; moribundamque gremio fouens, simul vulnera corporis tactu sanat, simul ęgrum animum cœlesti perfundit animo. Deindè castæ vitæ admonitam relinquens, ex oculis elabitur. Ibi tunc mulier, velut è profundo excita somno, corpus suum perlustrans oculis, recentium vulnerum cicatrices iam obductas videt: mortiferam iuguli plagam persanatam sentit, explorans manu. Itaque tam insigni Dei, ac Deiparæ beneficio admodum læta, submissis genibus maximas secundum Deum certissimę Patronæ suæ grates agit. Vnum erat, quod liquidam turbabat lętitiā in subucula eruenta, ac lacera à latrone illo relicta fuerat in sylua. Cæterùm haud segnius nudæ mulieris pudori Deipara Virgo consuluit, quàm cæsæ consuluerat saluti. Ecce tibi illa mixtas laudibus grates B. Mariæ impensius agente præsto fuere muliones, qui illac fortè transibant. Hi cruentæ puellæ, peregrineque Lauretum (id ex ipsā cognouerant) petentis speciem, nuditatemque miserati, illicò feminudam centone contegunt: muloque impositam deuehunt Anconam, Lauretanæ Virginis Religioni fauentes. Ibi illa viliore vestitu emendicato, protinus Lauretum lætabunda contendit. Post abstersas Confessione vniuersas vitæ labes, Virgini vota persoluit, passimque expertam eius prædicat opē, cuius haud dubiè post Deum beneficio viuebat, ex media morte ad vitam vtique reuocata. Ad faciendam rei fidem recentē mortiferæ plagæ cicatricem ostentabat in iugulo. Et acceſſerat diuinitùs tanti miraculi haud obscurum indicium. Circa collum cicatrix aurea monilis in modum fulgebat, vt facilè Diuina B. Mariæ manu plagam illam tactam, sanatamque sentiret. Id verò cunctis, qui aspexerunt (ex quorum numero fuit Raphael Riera, qui rem memoriæ tradidit) ingens nō modò miraculi monumentum, sed etiam miraculum fuit. Porrò mulier siue Lauretanæ domus dulcedine capta, siue Deiparæ optimè de se merita gratiam rela-*

> *Tursellinus Lauret. hist. lib. 3. c. 28.*

> Meretrices Virginis patrocinio ad pœnitendū adductæ.

> Sicula fœmina post meretriciū ad Lauretanam adorādam Virginem properat.

> Iugulatur in via, & semimortua à prædone relinquitur, sed à B. Virgine seruatur.

> Deducitur à mulionibus Anconā & indè Lauretū petit.

> Cicatricem, quæ in iugulo remanserat, miraculi testem ostendit.

> Perpetuò se Lauretanæ Virg. obsequio dicat.

relatura, Lauretum prætulit patriæ; quippè annos complures ità inibi vixit, vt Diuinis itidem expiata Mysteriys, Lauretanam inuiseret Virginem, plures incolarum ad Dei, Deiparæque obsequium excitans singulari innocentia, ac pietatis exemplo. Sic duplici portento Deipara Virgo fœminæ tum animo, tum corporę sua ipsam ab interitu ope vindicando subuenit.

16. Demum Sanctissima Virgo satis amplam è Cœlo, vel ob minimum sibi honoris Sabbati die cultum à turpi, obscœnaque fœmina impensum ipsi è Cœlo mercedem, simul & gratiam, pœnitendi donum largiendo rependit, dũ ex obscęna pudicam reddidit, & è lupanari ad Pœnitentium Claustra, imò ad salutis portum diuinitus adduxit: sed Augustinum Mannum isthæc narrantem audire hic præstat: *Quædam* (inquit) *mulier satis formosa, vitam meretriciam in Vrbe viuebat, quæ cum singulis diebus peccare non vereretur, Sabbathi tamen diē propter B. Virginis amorem nunquam se violaturam fornicando proposuerat. Quod cum diù inuiolabiliter obseruasset, & multis procaciter sollicitantibus semper constantiùs restitisset, B. Virgo misericordiæ mater inter media mulieris peccata, illius qualemcumque animi deuotionem non contempsit, sed illi odium peccandi à Deo impetrauit. Vndè mulier nec Sabbato, nec aliquo die peccare posset, Monasteriū Conuersarum Meretricum ingredi deliberauit, & cum dotem, quæ Monasterio dari ab ingredientibus cōsueuerat, non haberet, ingressum retardabat. Interim ingreditur ad eam vir natione Anglus, qui cum illam rogaret, vt libidini eius obsequeretur, & esset Sabbati dies, negauit illa se vnquam die illa peccaturam; immò se, vt nullo tempore Deum offenderet, constituisse Religiosam Vitam in Monasterio Conuersarum acturam, sed plurimum tristari, id se quàm primùm facere non posse, cum satis dotis non haberet. Quod cum ille audiuisset, quanquam libidine ferueus, pietate motus, mulieris animum laudans spopondit, se quidquid ei deesset, libenter daturum, si propositum adimplere vellet. Accepit illa viri fidem, & obtinens ab eo aureos, quotquot habebat necessarios, Religionis habitum, & professionem suscepit anno 1601. mense Iuny*. Ob impensum itaque Virgini Deiparæ obsequiū è lupanari prophana mulier in salutis portū ipsius patrocinio emersit, & amplam cunctis mira Dei, ac Virginis opera narrandi, admirandique materiam præbuit.

Augustinus Mannus lib. select. hist. c. 80.

Deipara Virgo impurā fęminam deuotē sabbathi diem obseruātem ad Deum traducit.

Virgo impetrat fęminæ compunctionis spiritum.

Anglus, qui vt contempta mulieris proposito adpeccādum sollicitabat, eius cōstātia motus, eius cōuersioni pecuniam subministrat.

CAPVT XVII.

Pœnitentium animæ etsi grauioribus culpis obnoxiæ, magna contritionis vi expiatæ in Cœlum auolant.

1. Contritio, quæ Pœnitentium cordi Deo aspirante, & nonnisi præcipuo ipsius munere illabitur, intimusque animi dolor, qui ad quoduis sanandum atrocioris culpæ vulnus ipsis vltrò delinquentibus suppetit, voluptati, qua primum homo à Dei lege præuaricando recessit, ac per ipsiusmet Altissimi contemptum malè sibi peccando indulsit, præsentaneum procul dubio remediū est, vt in rem aptè Gregorius aliquando inculcat: *Dum mens* (inquit) *flendo compungitur, necesse est etiam, vt caro, quæ delectationibus subiacuit, affligatur*. Enimverò peccator sic iustè in se ipsum pœnitendo insurgens, dignam profectò, ac salubriter aduersus peccatum pro Deo vltionem, suis antiquas pœnis culpas compensando exercet: *Pœnitentia* quippè (vt Augustinus docet) *est quędam dolentis vindicta, puniens in se, quod commisisse dolet*. Offenso igitur Deo, & ad iracundiam iustissimè concitato, haud vlla dignior pro culparum piaculis vltio, nec grata magis, & ad placandum idonea, victimæ adinstar, præ manibus suppetit oblatio, quàm ipsemet pœnitens animus dolore saucius, & caro item multipliciter pœnis afflicta. Quod probè quidem Cæsarius Arelatēsis aliquādo edisserens: *De contritione* (inquit) *animi redimuntur crimina voluptatum, & per diræ Crucis exercitia, decepta dudum carnis gaudia puniuntur: ac sic mortificatione præsenti futura mortis sententia præuenitur*: Et congruè siquidem mens, & caro sibi inuicem iunctæ ad seriò pęnitendum homini

Contritio præsentaneū homini, post peccatum à Deo remedium præsto est.

Gregor. in Euang.

August. lib. vera, & falsa pœnitēn.

Cæsarius Arelat. hom. de contrit. animi.

Cōtritionis munus, eiusque prærogatiua ex Cæsario Arelatensi.

mini præsto sunt, at suo item ad faciendum Deo satis, miro vtraque obsequio deseruit. Quemadmodum enim ipsa in malo dux peccando præit anima, ac rebellis subindè caro Dei legibus obluctando, velut pedissequa animi audacter imperium sequitur; Illa videlicet vti rerum arbitra iubendo, blandisque spontè propositis sibi ad peccandum irritamentis assentiẽdo; hæc verò quidquid sibi ab altera iubetur mox adimplendo, ac suã ad vetiti vsque pomi edulium, noxiasq; vitiorum, ac voluptatum illecebras velociter manum protendendo conspirans; sic pariter in arripiendo, ac prosequendo pœnitẽtiæ ipsius cultu, velut mutuo quodam piæ æmulationis in obsequio contingit, vt rebellem videlicet præuaricantis animi sensum amarulenta carnis molestia, nec non pœnalis blandè reatum culpæ afflictio consequatur: *Oppositorum quippè* (vt Philosophus ait) *eadem est disciplina*; adeoque iusta impurum hominis aberrantis affectum pœna, & nonnisi par tãdem post amorem doloris modus, ac mensura item compensat. Quod sanè Gregorius iure meritò in his maximè deflendum existimat, qui compunctionis inter pœnitendum sectandam sibi legem proponunt, sed facilè acceptam subindè temerè abijciunt, & post compunctionis lamenta, ad ipsas, quas dimiserant culpas, reuertuntur: *Quia per compunctionem* (inquit Gregorius) *Dei respectum percipiunt, sed tentationis tempore hoc ipsum, quod compuncti fuerant, obliuiscuntur, sicque ad perpetranda peccata redeunt, ac si minimè planxissent*. Quo sanè nil homini deterius contingit.

Anima, & caro pœnitentiæ dignè ac iustè inseruiunt.

1. Topic. c. 8.

Amor, & dolor pœnitentia compensatur.

Greg. hom. 35 in euang.

2. Aptus itaque dolendi modus, & satis Deo pro culpis faciendi ea lex est, vt *quàm magna*, Cypriano teste, *deliquimus, tam granditer defleamus*. Quod & Augustinus pœnitentibus seriò inculcãs: *Non sufficit* (inquit) *mores in melius commutare, nisi etiam de his, quæ facta sunt, satisfiat Deo per pænitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis sacrificium*. Cordis quippè compunctio iustas semper, vltròneasque in ipsum, qui deliquit, pœnas accersit, vti egregiè illa olim peccatrix fœmina, sed pœnitentiũ postea dux suo probè cunctos exempli magisterio edocuit: *Quæ quot* (vt Gregorius ait) *in se habuit oblectamenta, tot de se inuenit holocausta. Conuertit ad virtutum numerum, numerum criminum, vt totum seruiret Deo in pænitentia, quidquid ex se Deum contempserat in culpa*. Ita planè intimus contriti cordis dolor dignum de se in fœmina Deo obtulit holocaustum. Haud enim aliter Dei compensatur iniuria, ac debitis vel serò pœnis culpa tandem capitalis exoluitur, dũ vnum æqua semper alteri adhibita mensura ipsius Ambrosij calculo respondet: *Grandi* (inquit) *plaga alta, & prolixa opus est medicina. Grande scelus grandem habet necessariam satisfactionem*. Mensura namque doloris congrua, prauis ipsius culpæ oblectamentis debetur, vt læsa tandem Dei maiestas homini cõcilietur. Quod certè vti formam diluendis hominum culpis Emissenus aliquando præscribens: *Non leui* (inquit) *agendum est contritione, vt debita illa redimantur, quibus mors æterna debetur, nec transitoria opus est satisfactione pro illis, propter quæ paratus est ignis æternus*. Enimuerò culpam, quæ nulla pœnarum diuturnitate dilui potest, vel vnico interdum præferuidi in Deum amoris, ac intensi item doloris sensu, momento temporis penitus aboleri contingit. His quippè iusta, ac vera mortalibus ab Augustino pęnitendi forma proponitur: *Pænitentiam* (inquit) *certam non faciunt nisi odium peccati, & amor Dei*. Expiatorij namque ignis ad instar est ipsemet profundæ charitatis ardor, qui cunctas extemplò animæ, necnõ reatus maculas tollens, diuinitus hominem expiando innouat. Quod vt appositè comprobetur exemplis.

Cypr. ser. 10.

Aug. lib. 50. hom.

Pœnitentiæ lex est, vt qui magna deliquit, granditer fleat ex Cypriano.

Greg. hom. 33 in euang. Lucæ c. 38.

Magdalena olim peccatrix, pęnitentiæ magisterio pręest

Ambros. ep. ad Virginem lapsam.

Euseb. Emissen. hom. ad Monachos.

Pœna semper ex æquo culpæ respõdere debet iuxta Ambrosium, & Emissenum.

August. ser. de natiu. Domini.

3. Thaisis famosa olim in Aegypto meretrix, quæ Abbatis Paphnutij opera ad Christum feliciter traducta, ac Dei cuncta cernentis præsentia, eiusque futuri Iudicij metu extimulata à peccando resilijt, vel suo miram Contritionis vim exemplo prodidit: Hæc quippè in Vitis Patrum de ipsa habentur: *Quod* (inquit) *cum Thaisis vidisset, prouoluta ad pedes Paphnutij, cum lacrymis exorabat dicens: Pænitentiam iniunge Pater: confido enim remissionem te orante sortiri; horarũ tantum trium inducias peto, & post hoc, quocunque iusseris, veniam, et quodcumque præceperis, faciam. Cumque locum illi Ab-*

Thaisis famosa in Aegypto meretrix vim cõtritionis ostendit.

bas Paphnutius constituisset, quò venire deberet, illa discedens, collectis omnibus, quæcumque ex peccato susceperat, prolatisque in media Ciuitate, populo spectante, igni supposuit clamans: Venite omnes, qui peccastis mecum, et videte, quomodo ea, quæ mihi cōtulistis exuram. Erat autem pretium librarum quadraginta. Hæc illi intimus animi dolor facienda præscripsit, vt ipsi aptè Apostoli verba occinerent: *Quæ mihi fuerunt lucra, hæc propter Christum arbitrata sunt detrimenta*; sed vt rem prosequamur:

Cuncta mulier, quæ peccando lucrata fuit igni in medio foro cōburēda tradit.

Ad Philip. 3. 4. 7.

4. *Quæ cum omnia consumpsisset, in locum, quem Abbas constituit ei, perrexit, quā ille reperto Virginali Monasterio in cellula parua ducens, ostium cellulæ plumbo signauit, paruamque reliquit fenestrellam, per quam ei victus modicus inferretur, &c. Cum ergò tribus annis ita fuisset inclusa, condoluit Abbas Paphnutius, & mox profectus est ad Abbatem Antonium, vt ab eo requireret, si peccata eius remisisset ei Dominus, an non. Cum ergò peruenisset, & tantam illi causam subtiliter narrasset, conuocatis discipulis suis Abbas Antonius, præcepit eis, vt illa nocte omnes vigilarent, & in oratione singillatim persisterēt, quatenus alicui ex eis declaret Deus causam, pro qua Abbas Paphnutius venerat. Itaque cū singuli secessissent, & incessanter orarent, Abbas Paulus maior discipulus S. Antonij vidit subitò in Cęlo lectum pretiosis vestibus adornatum, quem tres Virgines clara facie fulgentes custodiebant. Cum ergò ipse Paulus diceret: Non est largitio hæc alterius, nisi Patris mei Antonij, vox ad eum facta est: Non est Patris tui Antonij; sed Thaisis meretricis est. Quod cum manifestè Abbas Paulus retulisset, cognita Dei voluntate, Abbas Paphnutius discessit, & reuersus ad Monasterium, in quo fuerat inclusa, ostium quod obstruxerat, dissipauit. Illa verò, ut adhuc ita permaneret inclusa, postulabat. Cum verò aperuisset ostium, dixit ei: Egredere, quoniam remisit tibi Deus peccata tua. Illa respondit: Testor Deum, quia ex quo huc ingressa sum, omnia peccata mea velut sarcinam statui ante oculos meos, & non discesserunt peccata mea ab oculis meis, sed flebam semper illa conspiciens. Cui Abbas Paphnutius ait: Non propter pœnitentiā tuam remisit tibi Deus, sed quia horum cogitationem semper habuisti in animo, & cum indè eduxisset, quindecim tantùm diebus Thaisis vixit, & sic pausauit in pace.* Sic maxima quæque fœminæ huius peccata non tam pœnitens eius vita, quàm ingens, & mira planè contritionis, quæ cordi ipsius insedit, vis tantam expiandi vim habuit, vt altissimum ipsi inter Beatos gloriæ thronū pro mercede contulerit. Ipsi quippè illud Psalmistæ meritò occinebat: *Et dolor meus in conspectu meo semper.* Compuncta namque, ac de peccato iugiter dolēs, vitam ob Dei amorem perpetuò cū dolore transegit, illud in se ipsa Augustini ad viuum exhibens: *Doleat semper, ac de dolore gaudeat.*

In vitis SS. Patrum c. 3.

Tribus annis Monasterio clausa ac pœnitens demum, an ipsi dimissa sint à Deo peccata quærit.

S. Antonius cunctis ob id preces indicit, & per visum felix diuinitus fœminæ sors ac donum innotescit.

Post quindecim dies facto Thais præ uēta cœlum conscendit.

Aug. in ferì

5. Quod suo item insignis olim in Anglia peccatrix, ac postmodum egregiè pœnitens exemplo, quantum scilicet in primis contritio ad enormia quæque abolenda peccata virium habeat, palam cunctis fecit. Tantùm quippè ob turpes anteactæ vitæ culpas dolorem animo cōcepit, vt præ magnitudine illius deficiēs, onus peccati ferre non sustinens vel vnico momento temporis anima pœnitens culpis omnibus, ac pœnis vnà simul soluta feliciter sit. De qua Vualsinghamus, & alij hæc habent: *Mulier quadam (inquit) Ioanna coram populo à iuuentute sua corpus suum libidini, & obscænitati fuisse expositum, ac alia facinora lachrymabiliter confessa est inaudita, obnixè flagitans pænitētiam à Sacerdote prædicto sibi imponi salutarem: Sacerdos quoque de Diuina misericordia cōfidens, post Sacra Scriptura nominata exempla ne desperaret, sed in Domino peccatores ad pænitentiam misericorditer expectante spem poneret, sex dierum ieiunium in pane, & aqua in suorum remissionem indixit delictorum. Illa quoque pænitentiam talem suorum respectu facinorum parum fore, seu nihil asserente, pœnitentiam qualemcunque agere posset, sibi iniungi suppliciter exorauit. Ille verò diebus postea tribus, in petitione muliere perseuerante, in expiationem omnium peccaminum suorum indixit ieiuniū. Prostrata verò illa coram imaginibus Ecclesiæ, flens, & eiulans, ac preces ad Deum deuotè fundens, pronamque in terram se prosternens, in Corporis Christi eleuatione exanimis, & albissima reperta est.* Quo videlicet illud fœminæ, quæ suā dolens in Agni

Dolor contritionis si magnus, omnem culpam delet, ac pœnam.

Vualsinghamus in Hist. Anglorum in Eduardo 3.

Ioanna peccatrix dū vehemēter sui doiet peccata, moriens plenā à Deo indulgētiā obtinet.

in Agni sanguine stolam dealbarat, verbum Sapientis cõgrueret: *Fortis vt mors dilectio*, quæ profectò cunctis dignè expiatam culpis è corpore animam non tam soluens, quàm absoluens Cœlo (vt credere par est) Beatorum choris perpetuò adiunxit.

Sap. c. 8.

6. Mira item contritionis vis elucet ex his, quæ Cantipratanus in suis paginis narrat; Hæc enim ille: *Quod nostro* (ait) *tempore in Gallia partibus accidit, fidelissima relatione traditum non silebo. Ad illum venerabilem Virum Magnum Magistrum Petrum de Corboel Senonensem Archiepiscopum quidam peccator, qui propriam filiam violenter oppresserat, Confessionis gratia venit. Confessus igitur in maxima, & mirabili contritione, & lacrymis quæsiuit, si vnquam posset vllo dolore, vel pœna à Domino veniam impetrare. Cui Præsul: Ita (inquit) indubitanter, si tanti mali pœnitentiam subire volueris; at ille vehementer exclamans: Volo (inquit) etiamsi mille mortes me sustinere volueris. Collacrymatus ergò infelici, immò iam felicissimo peccatori: Et ego (inquit) septennem tantùm tibi pænitentiæ penã iniungo. Tunc ille: Quid est ait, quod pœnitentiam mihi flagitiosissimo septennem tantùm iniungis? qui si viuerem vsque ad finem mundi tantum facinus pœnis innumerabilibus diluere non valerem? Cui Præsul: Vade (inquit) & tres dies tantùm in pane, et aqua ieiuna. Tum amplius ille plorans, et contundens se, rogabat, vt pœnitentiam iniungeret salutarem. Supra modum ergo admiratus, et exhilaratus Antistes, tandem definitiuè præcepit homini, vt abiret, & vnum tantùm Pater noster diceret, sciretque pro certo peccatum sibi esse remissum. Nec mora, dirum illẽ emittens eiulatum, & in terram procidens, expirauit. Nec dubia fides, sicut Deo dignus Episcopus postea prædicauit, quin idẽ penitens sine vlla Purgatorii pena, validissima tantùm contritione purgatus ad gloriã euolauerit.* Sic quippè in homine subita contritionis vi è vita prærepto euangelicum adimpleri Oraculum contigit; quo dicitur, *quia Regnum Cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.*

Thom. Cantiprat. lib. 2. de vniuerso c. 5. p. 7.

Peccator, qui propriã filiam oppressit, pęnitens se quibusuis pęnis subeundis offert.

Episcopus leuem illi pro grandi piaculo pœnitentiã imponit.

Absque vlla Purgatorij pęna in Cęlũ contritus euolat.

Matt. 11. 12.

7. Quantæ verò apud Deum ad atrociora quæque peccata, virtutis, & efficaciæ in primis contritio sit, illustri quidem ex antiquarum historiarum monumentis argumento proditur, & ex his præsertim, quæ à Iacobo Cardinali de Vitriaco Mazarinus accepta in hunc modum exscribit: *Pro horum* (inquit) *confirmatione Iacobus de Vitriaco affert memorabile exemplum cuiusdam puellæ, cui pater eius commiscuerat sese, cuius sceleris acriter correpta à matre, decreuit firmiter eam veneno tollere è medio; quo peracto, audita nonnulla sceleris sua fama, pater eam increpare, et acriùs obiurgare cœpit. At illa patrem quoque iugulare meditabatur. Voti tandem compos, collectis vasis, & sarcinis, ocyùs indè excedens, incerta huc, illuc vagabatur. Accidit autem, vt post aliquod tempus in Ecclesiasten incideret casu pro concione disserentem de misericordia Dei, & multitudinem miserationum eius exaggerãtem, vt tam sceleratus peccator reperiri nequeat, qui non meritò speret in ea. Finita concione accersit Ecclesiasten, si vera essent, quę dixerat, quæsiuit; nimirum Dei misericordiam blandè complexari, & suscipere etiam maximos peccatores conuersos. Quæ esse verissima asserenti ait: Peccata mea Sacramentaliter excipe, eorum mihi largire remissionem, & tantæ misericordiæ minister sedulus esto. Perceptis peccatis substitit aliquantisper concionator, secum deliberans, qua Sacramentali pœnitentia expiaret ea; quam moram percipiens illa ait: An de salute mea actum putas? Minimè (ait Religiosus) sed pro maiori bono te aliàs huc redire volo concioni interfuturam, eritque tibi hæc pro Sacramentali penitentia. Ast illa non recessit à templo, sed iugiter peccata sua in amaritudine animę suæ recogitãs, tam copiosè fudit lacrymas, tantoque cępit mœrore angi, vt intensi, vehementisque doloris amplius non ferre valens impetum, occluderentur precordia eius, corque medium scinderetur. Re comperta, eam precibus Monachorum commẽdauit Venerabilis Pater, qui orationi dum insisterent attentiùs, audierunt vocem ad se singillatim delabi in hæc verba dicentem: Non est opus, vt oretis pro ea, ipsa magis orat pro vobis.* His planè mulieris ob doloris vehementiam extinctæ notis, signisq; pœnitentia haud dubijs è cœlo comprobari meruit; dum absque Purgatorio igne, charitatis igne expiata ad salutis portum appulit, sibi-

Iulius Mazarin. conc. 11. in ps. 50. Iacob. Card. de Vitriaco in suis ser.

Puella post stuprum cũ patre admissum, matrẽ, & patrem ipsum occidens tãdem pęnitet.

Concionatorem de Dei misericordia interrogat.

Confitetur peccata, & vt iterũ ad concionem redeat, illi pro pęnitẽtia iniungit.

Vox indulta absolutionis è Cęlo resonat.

que post enormia scelera à Deo, tum gratiam, tum gloriam fuisse adeptam diuinitus enunciatum est.

8. Demum contritio, quæ ipsi olim latroni è cruce pendenti Paradisum reserauit, alteri quoque eiusdem farinæ, ac improbitatis, homini Cœlorum ianuam mox patefecit, de quo isthæc scriptis traduntur: *Quidam Latro* (inquit) *qui per multos annos homines spoliauerat, & latrocinia perpetrauerat, facta confessione, nullam recipere voluit pœnitentiam, nisi valdè breuem. Tandem Eremita iniunxit ei, vt quoties in via aliquam crucem videret, flexis genibus Dominicam orationem diceret, & ille latro dixit hanc libenter accipiam. Et cùm hanc pœnitentiam suscepisset, et paululum à cella Eremitæ discessisset, tunc vidit hostes suos eum insequentes, quorum consanguineos iugulauerat, & videns eos, cępit immediatè fugere. Qui fugiens statim vidit crucem in via erectam, & sic flexis genibus cępit Orationem Dominicam dicere, & cũ effugere potuisset mori maluit, quàm pœnitentiam sibi iniunctam præterire, et sic obtulit vitam suam Deo, et recommendauit ei animam suam; vt illam pœnitentiã pro omnibus peccatis suis acceptaret, et cùm sic in loco ab inimicis suis occisus fuisset, tunc Eremita vidit, quod Angeli Dei animam latronis susciperent, et cum magno gaudio immediatè ad Cęlum deduxerunt.* Mirus planè, ac felix latronis è vita exitus, qui pœnitentia expiatus, contriti duntaxat cordis vehementia, ac meritò suffultus suis, non tam pęnis, quàm votis, ac intimè ob culpas dolens Paradisum penitendo rapuit, & vel vnico temporis, ac doloris momento expiatus compendiario ad Sanctorum consortium itinere Deo aspirante peruenit.

Ex serm. Discipuli ser. in die Parasceues.

Latro insignis sua cõfessus crimina sibi pænitentiam imponi non vult.

Latro fugiens Crucis aspectu compũctus, vel cum vitæ periculo ab hostibus orat.

Adeo corde compũctus, vt mox cælum conscenderit.

CAPVT XVIII.

Pœnitentium animæ post mortem suis pro culpis rigidè in Purgatorio plectuntur.

1. Qvisquis leuioribus culpis obnoxius ex hac mortali vita decedit Purgatorio igne priùs, quàm Cęlo pedem inferat, iuxta inuiolabile æternæ legis præscriptum, ipsiusq; Apostoli ore mortalibus denunciatum probãdus, expiandusque procul dubio est: *Saluus erit* (ait) *quasi per ignem, et vniuscuiusque opus quale sit, ignis probabit.* Quod manifestiùs insuper verbis inculcans: *Si quis* (inquit) *superædificat fundamentum hoc aurum, argentum, lapides pretiosos, lignum fenum, et stipulam, vniuscuiusque opus manifestum erit; dies enim Domini declarabit, quia in igne reuelabitur, et vniuscuiusque opus quale sit, ignis probabit: si cuius opus manserit, quod superædificatur, mercedem accipiet, si cuius opus arserit, detrimentum patietur. Ipse autem saluus erit, sic tamen quasi per ignem.* Quibus sanè mortalium quosdam nonnisi leues post culpas per ignem saluari contingit; Quædam enim mortalium crimina, haud æterna, sed tẽporaria duntaxat digna sunt animaduersionis pœna, adeoque Purgatorio probari igne ad sui expiationem oportet. Quæ quidem opera quibusdam aptè, appositèque nominibus *per lignum videlicet, fenum, et stipulam*, haud obscurè cunctis designantur. Quod item Apostolus de leuioribus culpis Purgatorio igne, antequàm saluus Cęlum vnusquisque conscendat, expiandis intelligens, ad Purgatorium profectò ignem, qui haud permanet, sed transitorius est, allusisse procul dubio videtur; *Saluabitur quippè* (inquit) *non igne, sed per ignem.* Quod item Tertullianus vnico alibi verbo exponẽs: *Merces* (inquit) *illi per ignem rependetur.* Huc quoque Cypriani verba faciunt, qui de expiandis salubriter igne hominibus loquens: *Herum* (inquit) *pro peccatis longo de-*

1. ad Corint. 3.

Purgatorii pęna leuioribus quibusque culpis à Deo statuitur.

Iuxta Apostoli verbũ nemo ab ignis pęna liber.

Suarez in 3. part. q. 4. 5. sect. 1

Per lignum fænum, ac stipulã, culparum varietas notatur.

Tertul. lib. 4. contra Marcionem c. 6.

Antiquorũ de Purgatorij igne Patrum sententia.

Cyprianus epist. 2. ad Antonium.

go dolore cruciatus emendari , & purgari diù igne. Sed vnus præ cunctis Origenes ignis expiatorij vim efficacem , ipsiquè à Deo insitam exponens: *Idcirco* (inquit) *qui saluus fit , per ignem saluus fit , vt si quid plumbi habuerit admixtum , id ignis decoquat , & resoluat, vt efficiantur omnes aurum bonum* . Hæc ille ; & si longè alio isthæc sensu dixerit , cum omnem futuræ vitæ ignem temporaliter expiatorium constituat , nullasquè æternas (vt Augustinus docet) *pœnas agnoscens, omnes putet aliquando futuros aurum bonum* . His verò Hieronymus opportunè visus est occurrisse , dum *Christianorum quorum* (inquit) *opera per ignem probanda sunt atque purganda, moderatam, ac mixtam Clementiæ esse Sententiam Iudicis*. Quia nimirum ad temporalem homines pœnam , non ad æternam, ob leuiores culpas damnantur . Si quis verò , hac de re Basilium consulat, is Purgatorij igne fidelium , qui minimis tenentur culpis , animas expiandas docet: *Et erit* (inquit) *Populus ab igne deustus* (vt ipse legit) siuè, vt vulgata habet editio. *Qualis esca ignis. Non omnimodam* (inquit) *interitionem, & exterminium comminatur , sed innuit expurgationem iuxtà Apostolum* . Leuiores itaque animi labeculæ, quæ Purgatorij igne expiandæ supersunt , per lignum , fœnum , & stipulam ; grauiores autem , vtpote quæ mortales dicuntur , plumbi profectò , æris , aut ferri apte vocabulo designantur , ipso in dialogis Gregorio Teste , vti & frequens vocabulorum eiusmodi apud Sanctos mentio plerumque vsurpatur .

Origene hom. 6. in Exodũ.

Origines in futuro fæculo poenas ignis temporales, haud æternas agnoscens.

Augustinus lib. 21. de Ciuit Dei ca. 15. 17.

Hieronymus Isaia cap. 2. in fin.

Quid Augustinus quid Hieronimus feruiant , quid Basilius.

2. Porrò culparum quantumuis leuium , quæ in Purgatorio igne fit, non nisi acerbis expiationem pœnis contingere suis Hilarius aliquando verbis inculcans : *Purgatorium indefessum ignem appellat, in quo grauia sustinentur supplicia , per quę anima à peccatis expiantur* . Assertis autẽ inter Beda Scriptores venerabilis subscribens, Purgatorium esse ignẽ docet, quo Iustorũ quoque leuioris momenti culpæ purgantur , ac de ipso illa Psalmistæ verba interpretatur : *Nec in ira tua corripias me*, illam vtique vereri se in altero sæculo , quæ grauior cunctis est huius vitæ pœnis , correptionem affirmat . Petrus quoque Damiani

Hilarius in Psal. 118.

Quid Hilarius de ipsis Purgatorij poenis.

Beda in psal. 37.

quidquid de pœnitentiæ fructibus nobis in hac vita desu erit , in Purgatorij tandem ignibus perficiendum testatur . Et congruè iustos acerba , sed iusta , si leuioribus tenentur culpis , in Purgatorio pœna expetit, quia , vt rectè B. Laurentius Iustinianus edisserit : *Peccatum* (inquit) *mortale priuat gloria, veniale à gloria retardat*. Et quoniam nihil coinquinatum transibit in Coelestem Hierusalem , quæuis in igne Purgatorij culparum , quæ animam retardant , maculæ iusto, ac prouido Dei nutu ibi expiatur, & vbi poena , tum damni (vt Theologi docent) tum sensus temporia est , cruciantur , iuxtà illud Augustini: *Cur enim* (inquit) *non dicamus , quamuis miris, tamen veris modis etiam spiritus incorporeos posse pœna corporali ignis affligi* . Ignis quippe suam in animam exercẽdo vim , intime ipsam cruciabit; Quod & palam Gregorius tradit : *Ex igne* (inquit) *visibili ardor , atque dolor inuisibilis trahitur, & per ignem corporeum, etiam incorporea flamma cruciatur* . Quæ quidem assertio ipsi item Euangelio optimè consonat , vbi Epulonis anima præ ignis cruciatu dolens inducit ur : *Quia crucior* (inquit) *in hac flamma* . Dolor itaque Purgatorij igne conceptus, & si temporalis, acerbus tamen adeò est , vt nullæ huius vitæ poenę quamtumuis acerbæ , ipsi , Augustino teste possint æquari : *Et si æternus* (inquit) *non sit* (vtique quoad punitionem) *miro tamen modo grauis est , exceditquè omnes poenas , quasquas aliquis in hac vita passus est* . Vnde illud meritò Psalmistæ : *Domine ne in furore tuo arguas me* . Damnatorum etenim animæ Dei furorem, quæ autem in Purgatorio sunt animæ iram duntaxat plectentis Dei sustinent. Piacularis autem ignis Bernardus atrocitatem inculcans : *Grauior est* (inquit) *ille ignis , quam quiquid homo pati potest in hac vita* . Ipsiusquè ignis idem serio cruciatus expendens: *De quibus* (ait) *minimum maius est, quàm maximum , quod in hac vita excogitari potest*. Quibus sane Purgatorij ignis acerbitas à Sanctis Patribus probè expeditur. Sed ne gratis id asseri videatur , orationis nunc stylus ad exempla recurrat .

Petrus Damianus ser. 2. de S. Andrea.

Poena Purgatorij , & poena Inferni in quo differant .

B Laurent. Iustinian de perfect gra. gradu cap. 4.

In Purgatorio poena tum damni tum sensus temporaria.

Augustinus vbi supra .

Ignis corporeus in animam cruciatorij vim exercet .

Greg. in luca ver. c 16.

August de cura pro mortuis agenda capite 18.

Psalm. 37

Ipsius in cruciando acerbitas ex Bernardo

Bernardus Serm. de obitu .

Humiliati Ber. in elucidat.

3. Quam rigide autem (vt hinc narrandi initium sit) post vitam hanc ad Dei

Tribunal

Tribunal mortalium culpæ, ſeuera iudicij trutina penſentur, quibuſuè in Purgatorio pœnitentium animæ tormẽtis mulctentur, & ſi complura in rem præſentem argumenta non deſunt, id tamen Vir olim Princeps omnium præſtãtiſſimus experimento viſus eſt comprobaſſe; qui & ſi poſt culpas pœnitens è vita deceſſit, acerbis tamen, diuiniſque antiquas cruciatibus culpas exoluit, Ludouicus videlicet II. huius nominis Romanorum Imperator, qui Romæ à Sergio II. Romano Pontifice imperiali corona inſignitus, condigniſquè honoribus ab eo auctus, cumulatuſquè, infenſus tamen tum Romæ, tum Pontifici ingratus, non leuem intulit ſuburbijs vaſtitatem. Verùm illuc ſubindè ſub Nicolao notæ ſanctitatis Pontifice regreſſus, eundem in primis reueritus adeò coluit, vt ipſi per Vrbẽ equitanti, vicẽ famuli gerens, fræno equum; deduceret, & longè alium ab eo, qui pridem fuerat, totus à ſe ipſo immutatus exhibens, vbi antea in Romano inaugurando Pontifice temerario ſe ſe auſu immiſcuit, adeoquè impium Anaſtaſium adhibita in Pontificium Thronum vi intrudendum curauit, ſuum Romano poſtmodum Põtifici obſequium humillimè detulit, debitumquè Epiſcopis honorem ſeruans Romanum Pontificẽ, Chriſti Vicarium, Epiſcoporũ Principem cunctis vltrò eſt proſequutus officijs. Quapropter Rauennatem Epiſcopum, qui ipſius ſibi opem implorabat Apoſtolico anathemate perculſum, eiuſmodi reſpõſo Romani ipſum Põtificis imperio ſubdi coegit; illis plane vſus iuxta Anaſtaſium verbis. *Vadat* (inquit) *& faſtu elationis depoſito, tanto humiliès ſe Pontifici, cui, & nos, & omnis Eccleſiæ generalitas inclinatur, & obedientiæ, & ſuaiectionis colla ſubmittat, quia quæ cupit aliter, minimè conſequi poterit:* Tantum ſuis verò (vt ſubdit Auctor) Imperator dictis profecit, vt Archiepiſcopus audito Imperatoris reſponſo, & ipſius Summi Pontificis imperio ſibi per Archiepiſcopum renunciato; *nimirum, vt coram veniens, de ſe pleniſſimam ſatiſfactionem oſtenderet, & quæ preuaricatus fuerat, ſatius emendaret. Quod Archiepiſcopus per ter audiens, & ſe à nemine adiuuari poſſe conſpiciens, in anguſtia lamenta, & nimię tribulationis ſe contulit intus, & quos poterat, cum lacrymis implorabat dicens: Miſeremini mei, miſeremini mei, & clementiam ſummi Præſulis pro me, vt mei miſereatur, expoſcite.* Mox itaque Pontificijs aduolutus pedibus, qui faſtu adeò ſuperbierat, arrogantiæ ſupercilium deponens, parere coactus, haud poſthac obluctari didicit. Quo ſanè pia Ludouici opera, & pius, deuotuſque ergà Romanum Pontificem cultus affulſit. Cum multa demum Chriſtiano Principe digna egregiè præſtitiſſet, ac miro ſuas pœnitẽtiæ exẽplo culpas expiaſſet, anno Chriſti 875. piè, &, vt Chriſtiano Principe par eſt, Mediolaniè vita deceſſit, eiuſquè ſepulchrum hoc nobili titulo inſcriptum eſt.

Baronius an. 74. num. 1.

Ludouicus Secund. Imperator Romanorum rigidas diù Purgatorij pœnas ſubiit.

Bar. an. 858. num. 12.

Baronius vbi ſupra.

Ludouici Imperatoris tum laudes, tum notæ.

Baron. an. 861. n. 60. & 61.

Anaſtas. Bibliothec. in Nicolao Papa IV.

Sapida Ludouici in Romani Põtificis obſequium verba.

Anaſtaſius vbi ſupra.

Epiſcopus Rauennæ ſe Pontifici ſubadit.

Baronius an. 875. num. 1.

> *Hic cubat æterni Ludouicus Cæſar honoris,*
> *Aequiparat cuius nulla Thalia decus, &c.*

Reliqua verò qui vult, apud Baronium conſulat; ibique Reginonem in Ludouici laudem iſthæc fuſius perorantem comperiet: *Fuit* (inquit) *iſte Princeps pius, & miſericors, iuſtitię deditus, ſimplicitate purus Eccleſiarum defenſor, Orphanorum, & pupillorum Pater, eleemoſynarum largus largitor, Seruorum Dei humilis ſeruitor, vt iuſtitia eius maneret in ſæculum ſæculi, & cornu eius exaltaretur in gloria.* Hæc ille.

Ludouicus pœnitens decedit, & Mediolani nobili ſepulchro deponitur.

Regino in Ludouico.

Baron. an. 875. n. 1.

4. Illud verò non paruum hic cunctis metum pariter, & admirationem contemplantibus affert, quod Vir tantus, tot, tantiſquè virtutum inſulis clarus nec non pœnitentiæ exemplis Chriſtianos inter Principes meritò ſuſpiciendus, longas tamen in altero ſæculo in Purgatorio igne moras trahens, acerbis illic ad expiandas anteactæ vitæ culpas per triginta annorum curriculum pœnis ſit excruciatus adeoque Ludouico filio ſub Chriſti Annum 874. ſe videndum exhibens, pijs precum ſuffragijs iuuari ab eo popoſcerit; cuius rei gratia filius conſcripta ad cunctos Regni ſui Monachos Epiſtola ſupplices eorundem ad Deum precationes adhibuerit, quod veteres Francorum Annales de Ludouico his verbis tradunt: *Diebus Quadrageſimæ cum negotijs Sæcularium rerum diſpoſitis Orationi vacaret, vidit quadam nocte in ſomnis*

Ipſius Elogium ex Reginone.

Acerbis Purgatorii pœnis, & ſi pœnitens deceſſit triginta annis cruciatur.

Baronius an. 874 num. 1.

Phitbeus in annal. Francorum.

somnis Genitorem suum Ludouicum Imperatorem in angustijs constitutum, qui eum hoc modo latino affatus est sermone: Adiuro te per Dominum nostrum Iesum Christum, vt me eripias ab his tormentis, in quibus detineor, vt tandem aliquando vitam ego possim habere æternam. *Hac ergò Visione perterritus, Epistolas per cuncta Regni sui Monasteria destinauit, enixè postulans; vt pro Anima in tormentis posita (post annos triginta, & amplius ab obitu ipsius) suis apud Deum precibus interuenirent. Vndè datur intelligi, quod quamuis memoratus Imperator multa laudabilia, & Deo placita fecisset, plurima tamen Dei Legi contraria in Regno suo fieri permisit. Si enim (vt cætera omittam) heresi Nicolaitarum firmiter, & viriliter restitisset, & monita Gabrielis Archangeli (de quibus dictum superiori tomo) quæ Einardus Abbas duodecim Capitulis cōprehensa ei obtulit legenda, obseruare curasset, forsitan talia non pateretur: sed quia (vt scriptum est) Deus nullum peccatum remittit impunitum, & iuxtà Apostolum: Non solum qui faciunt, sed qui consentiunt facientibus digni sunt morte, meritò poenas luere visus est, qui dum potuit sibi commissorum errata vel admonitus corrigere noluit.* Hæc sui temporis rerum Scriptor de ipso tradit. Ex quibus quàm seuerè Principes qui dum Populorum regimini præsunt, obortis tamen scandalis quantocyus è medio tollendis, vel per socordiam instare negligunt, à Deo in altero sæculo, puniantur, sapiens quisque alieno probe exemplo intelligit.

Apparet Ludouico filio & preces ab eo auxilia res poscit.

Ob quæ Ludouicus tandiù sit in Purgatorio detentus.

5. Deus itaque seuerum in puniendis mortalium in altero sæculo culpis se ipsum exibet adeo, vt in leuiores quoque culpas seuerissimè animaduertat, quem admodū Blosius his verbis docet: *Cum Virgo* (ait) *quędam Monasterij B. Gertrudis post iuuenilem ætatem in virtutibus Sanctæ Religionis exactam defuncta esset, vidit eam ipsam Gertrudis in magna luce, & vario ornatu astare Iesu Christo; quæ tamen tanquam Sponsa verecunda vultum dimittens, nitebatur se subducere, non ausa leuare oculos ad gloriam Diuinæ Maiestatis. Hinc Gertrudis zelo pietatis ducta, dixit ad Dominum: Eia benignissime Deus, quare hanc filiam tuam non suscipis inter suaues amplexus tuos; sed eam tanquam alienam tibi astare permittis. Ad quę verba Dominus videbatur blandissima serenitate extendere dexteram suam, tanquam amplexaturus animam. At illa cum delicata quadam reuerentia subtrahebat se. Quod multum admirans Gertrudis, ait anima: Quare subducis te amplexibus Sponsi tam amabilis? Cui illa: Quia nondum purgata sum sed adhuc maculæ aliquæ me incompositam reddunt. Etiam si omninò liber ad Cælum accessus mihi pateret; ego tamen, dictante iustitia, memet ipsam spontè subtraherem, cum sciam, me tam glorioso Sponso nondum conuenire. Tum Gertrudis; & tamen videris iam quasi glorificata. Ad quod anima: Illam (inquit) Beatitudinis gloriam, quam Sancti ex Visione, & fruitione Diuinitatis cum plena remuneratione obtinent, nulla anima meretur accipere, donec ab omni macula perfectè purgata intret in gaudium Domini sui.* Exiguarum quippe culparum maculis sua tum damni, tum ignis piacularis in Purgatorio pœna debetur, adeo, vt non nisi omnimodis iam expiatæ pœnitentium animæ ad optatum Beatitudinis sinum pertingant. *Non intrabit* (quppè) *in eam aliquid coinquinatum, aut abominationem faciens.* vt Ioannes Cœlestis olim Hierusalem perscrutator affirmat.

Ludouicus Blosius in Monil. Spirit. cap. 13.

Monialis ob leuiores culpas in altera vita Christi priuatur amplexibus.

Dei visione nisi vel minimis sit quisque culpis expiatus haud frui potest.

Apocalyp. cap. 21. 27.

6. Et minimus siquidem, quem animæ a Purgatorio igne tolerant, cruciatus, maximas quasque mortalis vitę pœnas longe proculdubio transcēdit, adeò que ipsę illic detētę viuentium pro se iugiter apud Deum suffragia illis verbis exposcunt: *Miseremini mei, miseremini mei saltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me.* Quod narrandis infra & à Monacho Cistercensis Ordinis à se acceptis Cæsarius confirmat. *Adolescens quidam* (inquit) *nobilis ad Claramuallem veniens, receptus est in Conuersum: qui non alta sapiens, sed humilibus consentiens, ad quamdam Grangiam missus, factus est ibi opilio ouium. Qui cum die quadam oues sibi commissas in agro pasceret, apparuit ei quidam suus Consobrinus in adolescentia sua defunctus; de cuius inopinato aduentu dum admiraretur, & diceret: Vndè tam citò aduenis, & quid quęris? Respondit ille: mortuus sum, & pœnis maximis crucior. Et Conuersus ait: Poteris iuuari, nec ne? respon-*

Iob. cap. 19.

Cæsarius lib. 12. c. 33.

Mortuus Monacho apparens, Purgatorii ignis acerbitatem reuelat.

Tribus Sacrificiis ad altare vel adiunctus, e Purgatorio eximitur.

respondit: si potero habere missas in ordine vestro, liberabor. Audiens hoc Conuersus, cum licentia Magistri sui ad Claramuallē festinauit, & quid viderit, vel audierit, Priori reuelans, tres Missas iam dicto impendi Defuncto eius gratia supplicauit. Cui Prior gratanter annuens, respondit: Ego vnam celebrabo, alias duobus Sacerdotibus iniungam. Dictis verò missis, mortuus iterum Conuerso apparens in prędicto agro gratias egit, & dixit: Beneficio trium Missarum, quæ pro me dictæ sunt; ab omnibus pœnis meis liberatus sum. Nec mirari debes, si tantum valet Dominici Corporis immolatio, cum quibusdam animabus prosit breuis absolutio. Sic pœnarum iste in altero sæculo acerbitatem contestatus, ad opem exposcendam apparuit.

7. Defunctorum igitur, quæ in Purgatorio igne cruciantur, animæ suas ad viuum pœnas implorando suffragia nō nullis interdum palam fecere, vt S. Nicolai Tolētinatis gesta hunc in modum exhibent: *S. Nicolaus (inquit) Ordinis Eremitarum S. Augustini Religiosus, sacerdotio initatus, ad eremum Vallimauensem, quę est iuxtà Pisas, transmittitur. Vbi eximia pietate, & deuotione promptus, & sollicitus mane quotidie Missam celebrabat. Cum verò nocte Dominicæ proximè sequentis, quo die pro Hebdomadario erat sumūm sacrificium oblaturus, in lecto parū per abdormysset, spiritus quidam voce magna, & magno eiulatu vocat eum ità dicens: Fr. Nicolae Vir Dei respice in me. Ille respiciens in eum, & quia viuentem nouerat, agnoscere eum studens, sed non valens, ocyus percunctatur, quisnam sit? respondit spiritus: Ego sum anima Peregrini Auximensis, quem viuentem nouisti seruum tuum, cruciorquè in hac flamma. Deus enim non despiciens contritionem meam, non pœnis sempiternis, quas vt homo fragilis commerueram, sed locis Purgatoryis pro sua misericordia me addixit. Te igitur impensius oro, vt pro mortuis Missam celebres, vt me eripiat ex his flammis. Vir Beatus ait: Adiuuet te Saluator meus, cuius Sanguine redemptus es; ego enim, qui ad summum Sacrificium solemniter faciendum hoc præsertim Dominico die, cuius officium mutare non licet, deputatus sum, Missam pro Defunctis dicere non possum. Tum ille: Veni (inquit) venerande Pater, & vide, num te deceat precibus tantæ, tamquè miseræ multitudinis, à qua missus sum, assensum negare, meque miserum tam inhumaniter repellere. Duxit ergò eum ad alteram Eremi partem, paruamquè illam apud Pisas planitiem ei ostendit: & ecce vi det promiscus sexus diuersæ ætatis, & Ordinis innumeram multitudinem hunc in modum ipsum deprecantem: Miserere Pater, miserere turbæ tuū Auxilium expectantis; si enim pro nobis dignatus fueris Missas celebrare, maxima pars nostrum ex his tormentis atrocissimis eripietur. Euigilans Vir sanctus, magna commiseratione permotus, cum multis lacrymis pro illis omnibus Saluatorem hominum deprecabatur. Manè verò coram Priore Loci illius prostratus, reuerenter, vt iactantiam vitaret, non rem totam, vt viderat, sed illorum importunas preces exposuit, orans, vt ipsius bona venia liceret ei tota hebdomada pro Mortuis Missas celebrare. Victus Prior importunis eius precibus alium loco eius substituit. Ita ille tota hebdomada, & Sacrificium obtulit pro Defunctis, & die, ac nocte pro multitudine, quam viderat, cum lacrymis instantissimè Dominum rogauit. Itaque hebdomada transacta rursus ei apparet Spiritus Peregrini supradicti, & pro impetrata misericordia gratias agit, asserens bonam illius multitudinis partem cum ipso Diuina Misericordia, & ipsius Sacrificys, precibusquè, ac lacrymis à pœnis acerbissimis liberatam, in Cœlum feliciter euolasse.* Cognoue igitur pœnarum, quibus animæ in Purgatorio cruciantur, acerbitas diuinitus quandoque ostenditur, vt pia pro ipsis Deo precum suffragia offerantur.

In vit. S. Nicol. Tolent. cap. 4. t. 5. die. dec. 7. Decembr.

Defunctus S. Nicolao Tolentinati apparens Sacrificii ab eo pro se oblationem poscit.

A Viro Dei innumera Iominum multitudo, quæ pœnis cruciatur, Altaris Sacrificium supplex postulat.

8. Verùm enimuerò quàm acerbis suas in Purgatorij Pœnis Defunctorum animæ culpas exoluant, haud semel experimento comprobatum est; sed præsertim ex his, quæ Antoninus Senensis Ordinis Prædicatorum sic tradit: *In Conuentu (inquit) Carnotensis fuit Religiosus pius, & deuotus, necessitudinis iunctus vinculo cum quodam Religioso Minorita, qui ambo cum aliquando adinnicem amicabilia miscerent colloquia, sibi inuicē polliciti sūt, quod qui eorum prius vita fungeretur (si Dominus illis permitteret) inde rediret ad eum, qui in viuis maneret, vt eum sui status admonitum redde-*

Anton. Senens. in chr. Prædic.

Peregrini anima apparet Viro Dei & gratias agens se vna cum multis liberatum posse affirmat.

Religiosus Minorita defunctus alteri cũ quo pactum inierat Purgatorij pęnas exponẽs, ignis signa exhibet.

ret. Obijt itaque primò Religiosus Minorita, & post dies aliquot, dum nostri Ordinis Religiosus in Refectorio foret, ibi comparuit Minorita defunctus, & aliquãdiu fuerunt confabulati, & nonnulla illi retulit miranda de futura vita, ac demum, quomodo in pœnis ageret Purgatorij, & cruciatibus miris, & in veritatis comprobationem illius, quod narrabat, manum super vnam Refectorij tabulam posuit, & mox illic mansit manus igneę impressum vestigium. Quod hodiè adhuc ibi inuisitur, & hoc pacto disparuit præfatus defunctus. Quibus sanè impressa tabulæ, ostẽsaque illic ignis ad viuum signa, pœnarum acerbitatem haud obscurè oculis intuentium indicant.

9. Quod item ex his, quæ in Capuccinorum Chronicis habentur, satis superque euincitur, vbi Bouerius isthæc: *In Bononiensi* (inquit) *Prouincia Fr. Petrus Paludanus ita podagra affectus erat, vt perpetuò in lecto iaceret, quem cum frequẽter Fratres inuiserent, varios, ac ridiculos apud eum plerumque sermones miscebant; ita vt confabulationis potius, quàm piæ visitationis locus esse videretur. Post aliquot annos Petrus morti debitum exoluit: cuius cum alterius vitæ statum Fr. Bernardinus Sacerdos eiusdem gentilis nosse optaret: En Petrus propria forma præditus apparet; mox Bernardinus ab eo, quonam apud Deum vitæ statu fruatur, studiosè quærit. Cui ille: se ex Dei quidem misericordia salutem æternam consequutum aperit; at acerbas in Purgatorio ob inanium verborũ colloquia, quæ ab alijs in Cella fieri consenserat, eatenus pœnas luisse affirmat. Hinc seriùs vnicuique apud se colligendum reliquit, si qui in vanas aliorum tantùm confabulationes consentiunt, tam asperè à Deo pœna plectũtur, qualia ij, qui auidè scurrilitatibus, & vaniloquentijs incumbunt, supplicia sint laturi.* Huc quidem illa Bernardi verba opportunè faciunt, dum de verbo otiosè prolato exactam Deo rationem reddendam inculcans: *Si de otioso* (ait) *verbo, quid de vitioso?* Hæc ille.

Fr. Zacchar. Bouerius an. 1579. nu. 24.

Bernardinus Capuccinorum Ordinis lacerabas Purgatorij pœnas socio apparens iaculcat.

Ob leuiores colloquiorũ culpas seuere cruciatus

Bern. in ser.

10. Quod seuera igitur sub vitæ finem animæ ad Dei Tribunal in iudiciũ post mortem adductæ trutina expetantur, ex narratis hactenus ambigendi profectò locus non est; hæc enim in ijsdem Capuccinorum Chronicis: *Saona* (inquit) *in Liguria hoc tempore diem supremum obijt Fr. Bernardinus Iauuensis Sacerdos, qui cum in extremo ipso mortis articulo cum Dæmone conflictaretur, ab eo tanquàm violatę paupertatis crimine accusatus fuit, quod plus licni cerati, quàm necessitas foret, noctu consumpsisset. Hoc in conflictu dum Fratres pro eo genuflexi Sanctorum Litanias persoluunt, is per singulas Sãctorum inuocationes, id tantùm stupidus respondebat*: Tam modicum, tam modicum. *Ignorabant Fratres, quid tam insolita hominis voces præseferrent. Verùm paulò post, cùm ab excessu redijsset, percontantibus ijs, quidnam verba illa insolita significare vellent, respondit: Fratres mei, nulla vos rei admiratio teneat: Ad Dei iudicium stabam, in quo Satan, cum ex omnibus licni cerati frustulis, quæ minus necessario consumpseram, simul collectis ingens volumen composuisset, illud mihi, tanquam graue temerata paupertatis scelus obiecit. Cui ego admirabundus, quòd tam leuia in Dei iudicio tam accuratè exquirerentur, respondebam*: Tam modicum, tam modicum. *Id verò à Domino factum fuisse constat, vt negligentiores à somno excitarentur, neque leue illud altissima paupertatis cultores crimen esse iudicarent, quo res alioqui leues præter necessitatem assumuntur.* Sic profectò exacta Dœmonum inquirendo, & ad Dei Tribunal hominẽ, vel de minimis quibusque rebus accusando malignitas, illud Hieronymi solemne cunctis verbum procul dubio inculcat: *Quia non leue* (inquit) *est, Deum vel in minimis offendere.* Sed de his hactenus.

Bouer. in Capuccin. chronic. an. 1581 n. 72.

Bernardinus Iauuen. Capucinnorum Ord. ad Dei tribunal accusatus respondet: *Tã modicum, tã modicum.*

Non leue putandum Deum in minimis offendere.

Hieron. in epist.

CAP. XIX.

Pœnitentium animæ pijs Christi Fidelium precibus, atque operibus, à Purgatorij pœnis eruuntur.

1. Haud cunctis profectò, qui è defunctorum numero sunt, sed his solis dũtaxat, qui Deo amicitiæ glutino iuncti, mortali è vita decedunt, suasque ob culpas ad faciendum Deo satis Purgatorio igne cruciantur, nec ijs, qui Cęlo iam recepti post mortẽ, Dei fruuntur aspectu, nec illis demum, qui Inferorum perpetuò addicti pęnis torquentur, piè viuentium preces, ac suffragia prosunt, vt optimè Augustinus, cum tres potissimùm mortuorũ ordines recenset, disertis sic vltrò verbis affirmat: *Quidam enim* (inquit) *sunt valdè mali, alij valdè boni, alij in statu medio.* In primo itaque, ac secundo, vt diximus, gradu constitutis oblata tum sacrificia, tum suffragia precum nil prosunt, sed pro his tantùm, qui in medio consistunt isthæc offerenda Diuinus Doctor inculcat, & Theologorum omnium, vna, eademque sententia est. Eorum quippè nomine, qui ab Augustino valdè boni dicuntur, Beati procul dubio veniunt, qui vtpotè cũ Christo regnantes, haud in terris hominum suffragijs indigent; Qui verò valdè mali nuncupantur è præscitorum quidem numero sunt, quos profectò nil prorsus suffragia hominum iuuant, quippè qui in statu extremæ infelicitatis constituti, bonorum omnium perpetuò inopiam sustinent, & (quod summa malorum est) malis sũt deniq; omnibus cumulati. Cum pro damnatis igitur Altaris sacrificium offerri nequeat, indè fit, vt his duntaxat, qui in tertio gradu meritò recensentur, & quorum animæ in Purgatorio, quia ipsis quidpiam expiandũ adhuc remanet, retentæ sunt, adeòque mediocriter boni dicuntur, sacrificiorum, aliorumque bonorum operum suffragia, pro ijsdẽ oblata, ipsis præsto sint ad auxiliãdum. Quapropter meritò Clemens dignissimus Apostolicarum traditionum assertor, & præco, vbi mortuorum mentionem ingerit, piaque in ipsos viuentiũ charitatis officia recolit, exequias, ac defunctorum suffragia, quibus ritè Dei Ecclesia vtitur, suosque post mortem benignè prosequi cõsueuit, appositis vltrò verbis commendat, solisque isthæc iustis hominibus, qui Dei charitate potiuntur, haud impijs verò exhibenda sic loquens admonet: *Sed hęc* (inquit) *de pijs dicimus: impios enim, tametsi omnia bona externa pro ijs largiaris, neque iuuare queas. Cui enim viuo inimicus fuit Deus, haud dubium, quin sit etiam defuncto; non enim est iniustitia apud Deum.* Hinc meritò Augustinus suffragia haud quibusuis prodesse mortuis testatur. Quod item à Triburiensi Concilio de homine, qui in actuali detentus peccato interficitur, *vt nullus videlicet pro eo orare præsumat*, sancitum olim est, statimq; eiusmodi res digno ipsiusmet August. calculo confirmatur: *Nemo* (ait) *te post mortem tuam fideliter redimit; quia tu te redimere noluisti.* Quod & insuper Diuinarum Scripturarum Oraculo appositè comprobatur: *Mortuo* (inquit Sap.) *homini impio nulla erit vltrà spes, & expectatio sollicitorum peribit.*

Precum suffragia, nonnisi animabus in Purgatorio detentis prosunt.

August. in Enchiridion. cap. 109.

Suarez. in 3. p. q. 48. a. 10

Triplex defunctorum status ex Augustino.

S. Clemens quo pacto defunctos Ecclesia iuuet, ostendit

Aug. lib. de cura pro mortuis agen. cap. 18.

Quibus mortuis exequiæ prosint.

Prou. c. 11.

2. Damnatis itaque haud precum, piorumque operum suffragia ad minimum quid mitigandum, remittendũ, aut certè intermittendũ cruciatum æternæ, quæ illis ob culpã iustè debetur, pœnæ proficiunt; quibus videlicet nulla vnquã sperãda pro culpis venia, nulla pro pęnis remissio, itemq; post tormẽta requies superest: *Fumus quippè* (vt Ioannes ait) *tormentorum eorum ascendit in secula seculorum, neque habent requiem die, ac nocte.* Solis itaque iustorum expiandis in Purgatorio animabus, & ad pœnas, quas tolerant mitigandas, vel ad easdẽ ex integro relaxandas pœnitentium opera, & multipliciter quidem suffragia, vt sacri docent Canones, aliquando proficiunt; hæc enim habent: *Animæ defunctorum quatuor modis soluuntur, aut oblationibus Sacerdotum, aut precibus Sanctorum, aut Christianorum eleemosynis, aut ieiunio cognatorum.* Quæ quidem aptè, appositèque Angelicus Doctor verba expẽdens, ac militantis, triumphantisque simul Ecclesiæ

Apocal. c. 14.

Damnatis nulla post mortem, & post tormenta requies.

c. Animæ 13. quæst. 2.

clesiæ suffragia distinguens: *Suffragia* (inquit) *Ecclesiæ sunt pro defunctis quadā satisfactiones viuentium vice mortuorum, & secundùm hoc mortuos à pœnā absoluunt, quam non soluerunt; sed Sancti, qui sunt in Patria, non sunt in statu satisfaciendi, & ideò non est simile de eorum orationibus, & suffragijs Ecclesiæ.* Porrò illud inter preces, tum viuentiū, tum Beatorum discrimen Angelicus Doctor agnoscit; quia preces nimirum militantis Ecclesiæ, suffragia procul dubio sunt, quæ se ipsis ad pœnas animabus relaxandas sufficiunt; Sanctorum verò orationes eiusmodi nō sunt. Cum piæ igitur orationes Ecclesiæ, Diuinæ iustitiæ faciendi satis vim habeant, hinc meritò pro alijs ad soluendum præsto sunt, quod haud Sanctorum orationibus competit; adeoque Purgatorij pœnas nonnisi per modum solutionis, & satisfactionis remitti idem Sapiētissimus Doctor rem vti certam affirmare videtur.

S. Tho. disp. 45. q. 3. art. 3. ad 6.

Quid suffragia animabus Purgatorii præstent.

In quo suffragia viuorum, & Sanctorum pro animabus preces differant.

3. Congruè igitur, & ex narratis hactenus, vbi præcipua suffragiorum genera numerantur, scilicet, *Oblationes Sacerdotum*, idest sacrificia, *preces Sanctorum*, quod non tantùm de Sanctis Beatis, sed etiam de viatoribus intelligitur; *Christianorum verò eleemosynę, & ieiunia cognatorum, etc.* In duobus verò postremis suffragiorum generibus non ideò cognati, & amici numerātur, quia illi solùm pijs eiusmodi oblatis defūctos iuuare operibus queāt, sed quia ipsi hoc præ alijs frequēter, pia erga suos charitate permoti facere consueuerunt; adeoq; appositè hìc prçter Sacrificiorū oblationē, tria potissimum suffragiorum genera, quibus defunctorum releuantur animæ, conceptis in rem verbis describūtur. Quod & plures ex antiquis Sanctis Patribus vno ore confirmant. Chrysostomus quippè preces pro defunctis, & eleemosynas, & alibi maximè sacrificia commendat. Hęc item tria Augustinus consultò meminit, quibus & Beda ieiunium insuper, adijcit; etsi Patres frequēter magis sacrificia, & orationes, vt S. Clemens suprà docet, cōsultò meminerint. Sed nūc assertionis propositum nō tam verbis, quàm exemplis à nobis in præsens comprobandum est.

Quomodo Defunctorū in Purgatorio animæ iuuētur iuxta Patrum sententiam.

4. Et certè Monica olim mulierum Sanctissima, & digna Augustini mater nil antiquius habuit, quàm pro se à suis post mortem deuotas Christi fidelium preces, ipsorumq; pias vltrò apud Deū oblationes Sacrificiorū exposcere. Sciebat quippè, quantùm isthæc animæ ad impetrandum prosint, adeòque hæc de ipsa Augustinus narrat: *Cum ægrotaret* (inquit) *quodam die defectum animæ passa est, & paulùlum subtracta à prçsentibus, nos concurrimus, sed citò reddita est sensui, & aspexit astantes me, & fratrem meum; & ait nobis quasi quærenti similis, vbi erā? Deindè nos intuens mœrore attonitos: ponetis hìc (inquit) matrem vestram, ego silebam, & fletum frenabā, frater autem meus quiddam locutus est, quo eam non peregrè, sed in patria defungi tanquā felicius optaret: Quo audito illa vultu anxio reuerberans eum oculis, quod talia saperet, atque indè me intuens: Vide, ait, quid dicit: & mox ambobus: ponite (inquit) hoc corpus vbicunque, nihil vos eius cura conturbet; tantùm illud vos rogo, vt ad Domini Altare memineritis mei, vbi fueritis; cùmque hanc sententiam verbis, quibus poterat, explicasset, conticuit, &c.* Precum itaque, Sacrarumque oblationum ad Altare suffragia mulier Sanctissima se maximè præ cunctis exoptare ostendit.

Aug. lib. Cōfess. 9. c. 11.

S. Monica pro se, post mortem Altaris sacrificia exposcit.

5. Pœnitentiū igitur animæ, quod pijs fidelium precibus, bonisque item operibus inter Purgatorij pœnas maximè iuuentur, vel ex eo liquet, quod prçmemorato Ludou. Germaniæ Regi olim in visu contigit, vt ex probæ fidei historiarum monumentis Baronius, vt supra meminimus, hunc in modum tradit: *Diebus* (ait) *Quadragesimę, cum negotijs sæcularium rerum dispositis Ludouicus orationi vacaret, vidit quadam nocte in somnis genitorem suum Ludouicum Imperatorem in angustijs constitutum, qui eum hoc modo latino affatus est sermone: Adiuro te per Dominum nostrum Iesum Christum, vt me eripias ab his tormentis, in quibus detineor, vt tandem aliquando vitam possim habere ęternam. Hac ergo visione perterritus, epistolas per cuncta Regni sui Monasteria destinauit, enixè postulans, vt pro anima in tormentis posita post annos triginta, & amplius ab obitu ipsius, suis apud Deum precibus interuenirent &c.* Hæc ille. Sic pius Princeps inter Purgatorij ignis pœ-

Bar. an. 874. nu. 1.

Ludouici Imper. anima cum precibus, tum sacrificiorū oblationibus iuuatur.

Triginta annis in Purgatorio cruciatur.

nas Christi fidelium preces, & suffragia, vt ab ignis cruciatu solueretur, instantissimè sibi poposcit.

6. Assertionis verò propositum ex his, quæ mox ex Trithemio accepta narrabimus, omni dignum fide euincitur; hæc enim ille: *Circa annum* (ait) *Domini* 1078. *non longè à Vormantia multis diebus, ac noctibus maxima multitudo armatorum equitum, & peditum apparuit, tanquā ad placiti colloquium, seu bellum processura, et nunc huc, nunc illuc quasi per turmas discurrentes, circa nonam horam noctis ad vicinum montem, ex quo prodire consueuerant, reuertebantur. Tandem nocte quadā Monachus quidam Luthurgensis Cœnoby non procul à monte distantis, de quo exire solebant, assumptis secum quibusdam alys ad locum montis accessit, muniensque se signaculo Sanctæ Crucis, exeuntes de monte, qui essent, per virtutem Sanctæ, & indiuiduæ Trinitatis, vt dicerent, fortiter adiurauit. Cui vnus ex turma respondit: Non sumus phantasma, nec militum viuentium turba; sed animæ hominum quondam in hoc mundo Principum terrenorum militantiū, non ante multos annos in hoc loco interfectorum. Arma, habitus, & equi, quæ nobis, dum viueremus, inseruirent, erant peccata, etiam nunc post mortem in nobis sunt quædam indicia tormenti. Omne, quod iam cernitis circa nos, totum ignitum est nobis, quanquam vos ignem nostrum minimè videatis. Cumque Monachus, vtrum iuuari ab hominibus possent, inquireret, spiritus respondit: Ieiunys, et orationibus, et maximè oblatione corporis, et sanguinis Christi adiuuari possumus, et rogamus. His dictis omnis illa multitudo spirituum quasi vna voce clamabat trina vice: Orate pro nobis, orate pro nobis, orate pro nobis. Mox omnes in ignem resolutæ videbantur, sed et mons ipse, quasi arderet, ignem, et maximum fragorem arborum, et stipitum emisit.* Pœnitentium namque, armatorum animæ haud armis, sed gratis Deo bonorū operum subsidijs releuādæ, se ipsas quoquo modo videndas, vti alienæ opis indigentes, ipsius haud semel Dei nutu præbuere.

Trithem. chron. an. 1078.

Ma[illegible] multitudo [illegible] [illegible] [illegible]ap[illegible] pare[illegible] ali[illegible] [illegible] preces, & suffragia poposcit.

Ieiuniis, orationibus, & sacrificii oblatione se iuuari posse affirmant.

7. Porrò quanti vita iam functis auxiliares Christi fidelium preces Deo pro ipsis oblatæ, cū ipsas instanter adeo expetant, emolumenti sint, haud semel ipsi apparētes alijs testati sunt, hæc enim in conscriptis S. Catharinæ Suedicæ gestis habentur: *Cum ipsa aliquando Romæ oraret ante aram S. Ioannis Euangelistæ in æde maiori S. Petri, apparuit illi fœmina peregrina, alba induta veste, præcincta baltheo, album ferens in capite velamen, et pallio atro operta. Accessit autem celeriter ad illam, salutansque eam nominatim, supplex rogauit, vt oraret pro anima Norica. Sciscitante autem Catharina, cuias esset, respondit, se Suedam esse, vxoremque fratris eius Caroli obysse. Tum illa rogauit, vt veniret ad ædes matris suæ. Illa verò ait, id sibi non licere. Porrò breui ipsas habituras non parum subsidy è Patria: Nam Noricam legasse eis auream capitis sui coronam, iterumq; repetebat, vt fideliter precarentur pro anima illius, sicque disparuit. Admirans autem Catharina, rogabat ancillas, quo nam abysset matrona illa: responderunt illæ, se quidem audisse vocem cum ipsa loquentis, sed neminem vidisse. Stupens igitur indicauit matri suæ, cui oranti reuelatum fuit migrasse è corpore Gidham vxorem Caroli, eiusque animam petendæ opis causa filiæ apparuisse. Non multò post venit è Suedia Ingenaldus Amundsson familiaris Catharinæ, qui et obitum indicauit Gidhæ, et coronam attulit auream, quā pro more patriæ in capite ferre solebat. Erat enim ex nobiliori Noricorū stemmate orta.* Defuncta quippè mulier sic post mortem videndam se præbens, probè norat, quāti denotæ pœnitentium fœminarum momenti apud Deum preces forent, à quibus enixè adeò, ac supplex pia sibi suffragia requirebat.

Surius in vita S. Cathar. Sued. c. 70. & 22. Marty.

Fœmina defuncta sub peregrinæ habitu anima apparēs opē apud Deum pro se postulat.

Precibus adhibitis, & oblationibus à pœna soluitur.

8. Hinc haud semel pio fideles charitatis zelo adducti ad releuandas suis quandoque precibus animas, de ipsarū statu fieri ab ipsis certiores diuinitus cōtigit, vt de Clerico præsertim è Capuccinorū familia in S. Francisci Chronicis traditur, qui cum quadam olim animi indignatione permotus, tum etiam ipsius Guardiani suasione, Fratris cuiusdā crimen ad Cœnobij Præfectū detulisset, grauibus post mortem in Purgatorio pœnis culpæ reatum exoluit; vt idem Bouerius sic narrat: *Contigit* (ait) *vt elapso aliquot dierum spatio Clericus ad mortem ægrotauerit, quo tempore Fr. Sebastianus Barensis, qui cum in eo Conuentu Guardiani mu-*

Bouer. in cappuccinorum Chron. an. 1563. n. 1.

Clericus è Capuccinorum Ordine apparēspreces poscit.

ni munus gereret, Iustinum ad denunciandum crimen impulerat: ab eo iam supremo morbo laborante postulat, vt quatenus Deo beneplacitum fuerit, suum illi post obitum alterius vitæ statum renunciet. Spondet Iustinus, mortique paulò post debito persoluto, post mensem Sebastiano in pomario deambulanti improuisus adstat. Horruit primo aspectu Guardianus, dum Iustinū consueto habitu ad se venientem conspicit, animo tamen sibi addito, ad eum pergit, & vt omnē sibi dubitationis ansam præscindat, ab eo, quinam sit, inquirit. At ille: Iustinus, ait, ego sum, qui cum meam tibi post obitum præsentiam pollicitus fuerim, eam à Domino prohibitus, citiùs exhibere non potui. Sat citò (inquit Guardianus) si sat benè tibi fuerit: Qualem te habemus frater? saluum quidem ex Dei misericordia (ait defunctus) at non sine maximo damnationis periculo ob illum accusationis articulum, quem à me in fratrem N. apud Prouincialem Vicariū delatum nosti. At qui id fieri potest? inquit Guadianus; an non is verus fuit? et ab omni falsi suspicione alienus? Verus equidem (subdit ille) at amarulento quodam animo aduersum fratrem prolatus, atque ob tui gratiam ad superiorem delatus: quæ res apud Deum tam grauis, ac criminosa iudicata fuit, vt vix ob eam damnationem effugerim; summa verò Dei clementia, quæ æternam mihi pœnam condonauit, triginta annorum in Purgatorio igne mihi supplicium exoluendum præscripsit. Quo dicto, statim ex illius oculis abscessit. Guardianus verò cum rem altius secum perpenderet, atque hominum facta, et consilia quæ interdum leuissima videntur, tam seuerè à Deo examinari, ac iudicari didicisset, animum ab huiusmodi periculis auocatum, mox ad tutiorem vitæ rationem transfert. Culpa igitur, quæ leuis putabatur, iusto Dei calculo grauis adeò computata est, vt triginta acerbis in Purgatorio fuerit annorum pœnis compensanda.

Iustinus apparens se ob culpam quādam triginta annis Purgatorio igni mulctatū refert.

Summus, & iustus Dei iudicantis rigor.

9. Atqui preces Deo à fidelibus oblatæ maximo animabus in Purgatorio detentis leuamento, nec exiguo itē ad emergendū è pœnis subsidio sunt, vt in gestis S. Philippi Nerij Ioanni Baptistæ Animuccio accidisse Baccius hunc in modum tradit: *Obierat (inquit) Ioannes Animuccius Musicis in Vaticano Præfectus, qui ad Oratorium quotidiè accedens, completis ad populum sermonibus, musicum instituebat concentum (erat enim in arte insignis) tantæ puritatis, & castimoniæ Vir, vt postquam* Philippo *duce Christo inseruire cœpit, non aliter, et ac si cum sorore, cū vxore vixerit: idque à Deo consequutus est, vt qui viuens scrupulorum molestijs maximoperè angebatur, morti proximus liber omnino euaserit. Accidit ergò, vt is tribus ante annis è viuis sublatus, die quodam solitis expletis concionibus, Alphonso cuidam Lusitano apparuerit, atque inter eundum sic illum interrogauerit: Iam ne Oratorium dimisisti? Dimisum respondit Alphonsus. Iterat ille: Meis quæso verbis* Philippum *roga, vt pro me apud Dominum orationibus instet; hisque dictis euanuit. Tum Alphonsus secum reputans Ioannem Animuccium iam dudum vita perfunctum, reuocat gradum, vt hominem reuisat, inuentoque nemine pauidus, ac tremens Philippum adit, eique rem omnem enarrat; qui præcipit, vt die postero facti seriem in Oratorio ipse adamussim edisseras. Deindè mandat, vt Missas in diuersis Vrbis Ecclesijs pro defuncto celebrandas curent. His omnibus peractis, cunctis palam Philippus edixit; Animuccius noster iam peruenit, significans è Purgatorio ad Cœleste Regnum euolasse.* Preces igitur à Philippo humiliter implorando, se eatumdem suffragio à pœnis Deo miserante releuandum ostendit.

Petr. Iacobus Baccius in vita S. Philippi Nerij lib. 2. c. 2. n. 11.

Io. Baptista Animuccius post mortē suffragia petiturus apparet.

Apparens S. Philippi precibus commendatū se vult.

Post preces, & Altaris sacrificii oblationē è Purgatorio liberatus.

10. Demum vt narrandi isthæc finis sit, optimè, appositèq; in rem præsentem facit, quod in B. Rosæ Virginis Peruanæ, vulgo à Sancta Maria, gestis de quodam Religioso Viro nimium timido, & in extremis iam laborante traditur, qui Rosa, suarum ipsi precum suffragia offerente metu solutus earundē subsidio in Cœlū peruenit. Hæc enim in eo habentur; *Intimè* (inquit) *fauciabant cor Virginis prōpto compassionis affectu tā flexile, tam morigerum; vndè actutum iniunxit Petro, infirmum adiret, suoque ex nomine iuberet fidentiùs sperare de immensa optimi, & benignissimi Numinis misericordia; siquidem precaturam pro felici ipsius transitu, ac simul ex nunc offerre se de suorum piorum exercitiorum qualicunque censu, quidquid moribundo ad supplendam meritorum vacuitatem opus sit; immò totum id sibi vendicet, & si quid bonum opus à Rosa vnquam per*

In gestis B. Rosæ Peruanæ c. 23 Fr. Leonar. Hāsen Ordinis Præd.

B. Rosa Peruana Religioso decedenti precū meritorum suorum suffragia illi apud Deum offert.

per totam illius vitam hactenus prodierat, integrè se in ægrum dono liberrimo translatum velle, hoc ipsum velut suum Iudici exhibeat, desinatque interim abiectè, & humiliter sentire de magnifica liberalitate Altissimi: His ad plenitudinem solatij adiecit, velle se (modò Deus permiserit) ab obitu conueniri à defuncti anima; vt si fortè vlterioribus suffragijs eguerit, statim adiuuetur. Fideliter vniuersa ad infirmum retulit Petrus, &c. sicque munitus demum salutaribus Sacramentis, conceptaque ingenti salutis fiducia, tranquillum, placidum, serenum spiritum reddidit Creatori, pactus ante cum Petro, quod tam ipsum, quam Rosam à morte inuiseret, si eam sibi facultatem Dominus indulgeret. Verùm post Fratris decessum non leuis cura momordit Petrum, quid esset, quod iuxta condictum defuncti anima non comparebat, sed exemit sollicitudinem Petro secura Rosa, dixitque cum defuncti anima feliciter, ac benè agi, iam illam Regioni lucis adscriptam frui perenni refrigerio, vt ei nequaquam opus fuerit redire ad alterutrum pro stipe suffragiorum emendicanda. Sic profectò spontè sibi oblato precum, meritorumque piæ Virginis cumulo defuncti anima pęnis soluta, in Cęlum pertigit, vt ad redimendas vitæ culpas quid isthæc valeant palam cunctis ostenderet.

Vult insuper ab ipso de suo statu post mortè certa fieri.

Rosa subindè de felici ipsius sorte certior fit.

CAPVT XX.

Pœnitentium lachrymis, bonisque operibus defunctorum animæ iuuantur.

Suffragia pro animabus in Purgatorio detentis oblata, ipsis maximè, & offerentibus prosunt.

Machabæor lib. 2. 12.

1. QVantum piæ defunctorũ Christi fidelium animabus Deo oblatæ à viuentibus preces, ac bonorum item operum suffragia prosint, & cuius insuper isthæc offerentibus emolumenti sint, disertis, manifestisque in Machabæorum historia verbis euincitur; *Sancta ergo, et salubris est cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur.* Magnum siquidem prouido Dei consilio inter vtriusque sæculi ciues cõmercium adest, dum vtrique eorum sibi inuicem, tũ subsidio tũ leuamẽto sunt, ac mutuo qui iuuat, & qui iuuatur grande sibi vicissim beneficium præstat. Per hoc etenim, quæ digniora sunt, altius Charitatis, & misericordiæ opera mortalibus commẽdari, & non absque ingenti bonorum lucro salubriter exerceri contingit: Nam, quæ hic interim corporibus prosunt, animabus illic maximè præsto esse noscuntur. Enimuerò si esurientes hic pascere, sitientes potare, nudos vestire, manu, ac præsentia ægrotos fouere, ac detentos in carcere, peregrinos excipere, captiuos redimere, ac mortuos demum sepeliendos curare, quæ præcipua inter corporalis misericordiæ opera enumerantur, Deo summoperè grata esse, acceptaque constat, isthæc altiori ratiocinandi principio Charitatis erga defunctos opera à fidelibus exercentur; qui ne dum esurientes, ac sitientes, nudi item, ac ægroti veraciter sunt, sed & pro peregrinis, imò captiuis, & mortuis insuper re ipsa computantur, adeoque cuncta misericordiæ opera, defunctos fouendo, iisdemque patrocinando, grata vtpotè in primis Deo ipsius August. probè calculo arridente; *Defunctorum* (inquit ille) *animæ pietate viuentium releuantur.* Quis enim nescit, quod his, qui in Purgatorio cruciantur Charitas fructuosè magis impenditur, in quos cunctæ alioqui pœnæ, ac malorum incommoda, quæ in homines passim in hac vita deriuant, ad cruciandum conferto velut agmine cumulantur; *Grauior quippe* (inquit Augustinus) *est ille ignis, quàm quodlibet, quod pati potest homo in hac vita.* Adeoque duplici pęna, damni videlicet, & ignis miseri, qui in Purgatorio detinentur, diuinitus plectuntur; quo hic ad Deũ pro ipsis suffragando, cum duplici item miseria, releuentur, à nobis interim, nostro vtpotè auxilio indigentes, iuuari se instantissimè cupiunt. Ex quo fit, vt quoniam præstantior est gloria, quàm gratia, proindè à nobis maius beneficium impenditur; cùm defunctorũ animas in supremo illo gloriæ, ac supernæ fælicitatis statu collocandas quis curat, quam dum hic adhuc viuentes ad tempus in Dei amicitiã euocãtur, vel certè in exoptato gratiæ statu repositos post hac stabiliri contingit.

Charitas erga defunctos, charitatem erga viuentes antecellit ex Augustino.

Augustin. ep. 1. ad Dulcitium.

August. vbi supra.

Maior defunctorum necessitas, & per consequens maior subueniendi charitas.

2. Meri-

2. Meritò igitur defunctorum animæ, quæ se ipsis omninò inopes, nec ad quid boni promerendum sufficiunt, alienæ scilicet opis indigendo precum suppliciter à nobis, mendicantium instar suffragia exposcunt, vt gratæ postmodū, acceptique memores beneficij vicem apud Deum beneficis amplam in Cœlo rependant. Efficaciter quippè pro alijs optimè de se meritis Deo immortali supplicant, vt hi, quorum ipsæ ad immortalem gloriam auxilijs deniquè sunt receptæ, ad eiusdem pariter beatitudinis consortium perueniant; Optimos igitur quisq; actores sortitur, & ad patrocinandum sibi apud Altissimum in altero sæculo patronos habet, qui pia interim sua bonorū ijsdem operū auxilia impendit. Cuius sanè rei veritas probatissimos sui assertores obtinet, qui animas in Purgatorio detentas, ac in optimo gratiæ statu obfirmatas, pro alijs subinde supplicantes à Deo proculdubio exaudiri minimè ambigunt. Quod apertis siquidem reuelationibus innotescit, quibus defunctorum animas iuuare, dū ab alijs iuuantur, & vel dum beneficium accipiunt alijs pariter beneficium rependendo sollicitas videre est, vt satis ex Gregorij dialogis, ipsiusquè Petri Damiani testimonio comprobatur.

Animæ, quæ fuot in Purgatorio post modum gratæ sunt, pro ipsis nūc precantibus.

Bellarminus um. 2. c. 15.

Exaudiuntur à Deo in Cœlis dum pro beneficis orant.

Gregorius dialog. lib. 4. cap. 40.

3. Pijs itaque Pœnitentium in hac vita operibus defunctorum animas maximè in pœnarum acerbitate releuari, ex antiquis historiarum monumentis euincitur, vt sic Cantipratanus docet: *In villa* (inquit) *propè Louanium oppidum Brabantiæ iuuenis quidam dissolutus, & leuis languore decubuit. Rogatu ergò matris Lambertus Presbyter leprosorum & vir pius, & zelator maximus animarum venit ad iuuenem, & eum ad confessionem peccatorum, & pænitentiam sedulus inuitauit, quo mox in multa valdè contritione confesso, & non multò post mortuo, mater pro eo continuauit interpolare ieiunia, & vsque ad quinque annos quasi irremediabilibus lacrymis protelauit. Ergò vt ipsum tempus expletum est, die quadam Dominica dictus Lambertus presbyter mortuus est, & sepultus. Sequenti autem quinta feria prædictus iuuenis manifestè apparuit matri suæ dicens: Ecce nunc mater charissima adiutorio tuo ad requiem transeo de grauissimis pœnis, quas pertuli pro peccatis, & mecum Dominus Lambertus presbyter, qui me ad cognitionem, & confessionem peccatorum meorum salubriter prouocauit, pro quo, & alijs multis, quos ad pœnitentiam salutis adduxit, multa mercede cumulabitur præmiorum. Vide ergò lector, quantæ mercedis sit docere inscios, viam salutis ostendere, & ad confessionem, & pænitentiam trahere peccatores. Nec hoc quoque sine grandi mercede viuentes compati mortuis, & eos quomodocūque in orationibus, vel ieiunijs adiuuare.* Hæc ille.

Petr. Dam. epist. de miracul. sus temp.

Thomas Cantiprat. lib. 2.

Iuuenis mortuus pijs à Matre suffragijs quinquennio iuuatur.

Matri tandem apparēs saluū se esse renuntiat.

4. Huc item facit, quod de Gundesindo Episcopo pijs matris eius operibus ad supernam requiē prouecto Ioannes Vasæus in chronico hunc in modum narrat: *Sinando* (inquit) *quarto Episcopo Compostellano successit Gundesindus Comitis cuiusdam filius: qui dum mundo magis, quàm Deo deditus esset, vitam non satis pio fine clausisse dicitur. De qua re mater eius matrona pia, graui confecta dolore, & de anima filij vehementer sollicita, ante Aram B. Iacobi Apostoli diuinam misericordiam dies, noctesquè non destitit implorare, & fletibus, precationibus, ieiunijs, eleemosynis sibi demereri, interposito Diui Iacobi patrocinio, donec quadam nocte in templo eiusdem Apostoli vocem hanc audiuit: Scias filium tuum hac nocte ad electorum societatem admissum fuisse.* Hæc ille suffragiorum, quæ hic pro mortuis Deo à viuentibus offeruntur, virtutem inculcans.

Ioannes Vasæus in chronic. an. 9..

Gundesindus Episcopus precum matris, & eleemosinarū suffragio è Purgatorio erutus.

5. Maximè igitur virorum pœnitentium pœnæ, ipsis defunctorum animabus in Purgatorio detentis prosunt, vt luce clarius in B. Virginis Christinæ gestis ostenditur, vbi Thomas Cantipratanus hæc habet: *Ludouicus* (inquit) *Comes Lossensis nobilissimus inter Theutonicos erat, vir sagax ingenio, & armis exercitatus, ac strennus. Hinc Virginem Christi Christinam mero complectebatur affectu. Qui cum inextremis ageret, Christinam ad se vocari fecit, & in conclaui secum secedentibus omnibus remanet. Nec mora, Comes virtute, qua potuit, erexit se, & supplex ante pedes Christinæ toto corpore prostratus, ei omnia peccata sua cum lacrymis recitauit, & hoc non pro indulgentia, quam dare non potest, sed vt magis ad orandum pro se talis piaculo moueretur, hoc fecit.* Mor-

Ludouicus Comes Losfensis precibus a Purgatorij pœnis releuantur.

A beata Christina, cuius se cōmendaret precibus iuuatur.

Mortuus ergò Comes eidem Christinæ manifestè apparuit, & se traditum acerbissimis in Purgatorio tormentis ostendit. Cui pia mulier non modicum miserata respondit: Age nunc, & vade hinc, & secundum Diuinam misericordiam pœnas pro peccatis exolue; ego verò in meo corpore exacturа supplicia, dimidiam purgatorij tui partem excipio. His itaque gestis, videres Christinam multo post tempore certis horis secundū quod anima Comitis alternis doloribus torquebatur, flammeis vaporibus, interdum verò frigorum algoribus cruciari; loca verò, in quibus Comes peccare, vel insanijs falsis gaudere solebat, lacrymis irremediabilibus irrigabat. Longo igitur post tempore ante mortem suam idem Comes ei apparuit, & gratias agens illi ea contemplanti ad superna transiuit. Preces quippè, ieiunia, ac vltroneæ Vitorum Sanctorum pœnitentium, quas hi pro alijs charitate adducti spontè subeunt, pœnæ animabus in Purgatorio detentis, promeritisq; ipsorum mitigandis, expiandisquè apud Deum pro culparum reatu tormentis maximè prosunt.

Christina se pro ipso ad faciendū Deo satis pœnas acerbissimas subit.

Rainaldus an. 1493. nu.

9. Et sanè testatissimus assertionis propositæ nobis hic testis accedit Ioannes Picus Mirandulæ Dux (cuius, & alibi mentio incidit) qui quidquid impuris amoribus, obscenatumquè voluptatum illecebris in sæculo iuuenis adhuc deliquerat, mira præstantis ingenij, qua munificè Deus ipsū donauerat, perspicacitate abusus, acerbis quidem post vitam in Purgatorio, pœnis exoluit, à quibus aliorum subinde instanter precibus subleuari poposcit. Enimuerò de ipso Ioannes Franciscus nepos isthæc habet: *Priùs* (inquit) *& gloriæ cupidus, & amore vano succensus, muliebribusquè illecebris commotus fuerat; fœminarum quippè plurimæ ob venustatem corporis, orisque gratiam, cui doctrina, amplaquè diuitiæ, & generis nobilitas accedebat, in eius amorem exarserūt, ab quarum studio non abhorrens, parumper via vitæ posthabita, in delicias defluxerat: Verùm simultate illa experrectus, diffluentem luxu animum recudit, & conuertit ad Christum, atque fœminea blandimenta in supremæ patriæ gaudia commutauit, neglectaque aura gloriæ, quam affectauerat, Dei gloriam, & Ecclesiæ vtilitatem tota cæpit mente perquirere; adeoquè mores componere, vt post hac vel inimico Iudice comprobari posset.* His planè Picus vitijs abductus à recto supinus calle deflexerat, sed subinde compunctus digna se, ac nobili quem gerebat, animi indole præstitit, hæc enim Rainaldus. *Macerasse* (inquit) *ipsum carnem flagellis, ac libros quinque, quibus elegiaco carmine amores suos luserat, nec non rytmis etruscis conscripta, religionis causa exussisse, atque ad ipsum venientes optimis, & sanctissimis præceptis instruxisse, ac illud S. Francisci verbū: Tantum scit homo, quātum operatur; in ore frequentissimum habuisse;* Quibus narratis isthæc appendicis instar subtexit: *Dum is* (inquit) *differebat pium consilium ad exitum perducere, proximo anno M. CCCC. XCIV. ætatis trigesimo secundo Florentiæ, cum priùs vouisset Prædicatorum familiam ingredi, pÿssimè obijt. Fertur què post mortem ignibus vallatum apparuisse, quod in Purgatorio pœnas daret ob ingrati animi vitium, quod ingentes naturę dotes penitus Christo non consecrasset, seque piorum precibus commendasse.* Ità planè pœnitens quisque si suis debitas culpis in hac vita pœnas spontè subire refugit, dignas vel serò tādem, acerbasquè in Purgatorio subire compellitur.

Iannes Picus Dux Mirandulę collatis sibi à Deo naturæ bonis malè vsus, in Purgatorio plectitur.

Ioannes Picus Mirandulanus.

Rainaldus an. 1493. n.

Pœnis viuēs ad redimendas culpas se ipsum excruciat.

Ingredi Prędicatorum Ordinem votis habuit, quod mortis piaculum haud præstitit.

7. Bonis itaque operibus defunctorum in altero sæculo animas vel ipsas inter pœnas iuuari, & quandoquè, dum se videndas sub corporea specie exhibent, piè vltrò à mortalibus exegisse, aut suis certè facienda iniunxisse haud semel experimento comprobatur, vt à Reuerendissimo Fratre Nicolao Riccardio Sacr. Præd. Ordinis, & Sacri olim Palatij Magistro narrante nos ipsi accepimus, & Ianus Nicius Erithæus in suis sic paginis recenset: *Erat Matriti* (inquit) *vir quidam summè nobilis, & Marchionis etiam titulo clarus. Hic cum nocte quadam animi causa (vt fit) domo egressus, eius Oppidi vias obiret, in quadam domus cuiusdam versura, capite obuoluto, hominem ibi stantem offendit, ac suspicione offensus, fortasse insidias metuens, interrogauit, quisnam esset, sed responsum nullum accepit. Quamobrem maiorem in modum commotus, iussit eum gladium educere, atque in certamen cum ipso venire; qui in eodem silentio perseuerauerit, ac* nihilo

Ianus Nicius Erith. lib. vit. & vnter. exim. 151. pag. 182.

Quidam mercator defunctus occisori ad petendum suffragia appret.

nihilo se magis commouit, quam si lapis, ac stirps esset: cum ille iracundia elatus, districto in eum eum gladio impetum fecit, ac bis punctim verberatum, ad terram affixit, ac statim deinde domum se recepit. Sed cum aliquot dies interpositi propemodum eius facti memoriam subduxissent, & nocte quadam otiosus domi cœnaret, euocatur ab ostio ab homine ignoto, cui cum famuli respondissent, paulò eum ante cœnam iniisse, nec posse euidam operam dare; Ille maiore vi orare eos cœpit, vt nunciarent Domino, vt prodiret; ea enim se afferre, quæ ad ipsum maximè pertinerent; tum illi odio victi, nunciant Domino hominem stare ad ianuam quemdam ipsis ignotum, qui eum magnopere euocaret; quo audito surrexit ille; ac prodijt, & quemdam videt, à quo interrogatur, si eum nosset; cui ille: Non equidem (inquit) neque te ante hunc vidi diem, quod cum is, qui rogauerat mirari videretur: Nonne, ait, meministi te tali nocte quemdam obuoluto capite in via stantem transfuerberasse, ac statim neci dedisse? Is ego sum, qui quidem multas ex India merces aduexeram, eratque in animo ex pecunia, quam ex eis redegissem, celebre in hoc oppido Nosocomium *extruere; sed quoniam tua mihi sæuitia eius rei facultas adempta est, propterea, quę mea fuerant partes, eas scitò ad te redijsse, cape has claues, & quidquid duabus promptuarijs in cellis mercium inueneris, vendito, tum quidquid ex collybisticis istis symbolis mihi debetur, exigito, ex eaque pecunia, quę cogitaueram, tu ipse perficito.* Nec plura *loquutus, è conspectu euanuit. Hoc viso, tanto vir ille nobilis horrore perfusus est, vt propemodum à sensibus destitutus, vix animam retinuerit, ac suorum manibus delatus in lectum, agrè, ac multis medicamentis adhibitis, effectum est, vt ad se ipsum rediret. Verùm ita retentus est in vita, vt cum esset formosissimus, perpetuam in facie, atque in omnibus membris maciem, palloremque seruauerit.* Hæc ille; quibus nimirum defunctorum animas pro piis, quibus iuuari queunt, exoptantq; operibus, sollicitas, hæc iuste à mortalibus interdum exigendo instare innotescit.

Nesciens ab ignoto sibi homine ad colloquendũ euocatur.

Spectro, se ab illo pridẽ occisum audit, & plura in Dei, & proximi obsequium præstanda iniũgit.

Attonitus rei nouitate totus horrore cõcutitur.

CAPVT XXI.

Pœnitentium animæ Indulgentiarum subsidio à Purgatorij pœnis vindicantur.

1 SAcras profectò, quarum pius, recolendusque in Christi Ecclesia vsus, ac potestas viget, indulgentias Sacrosancti Tridentini Concilij Patres suis mirificè dictis extollunt, & vt diuinam earumdem virtutem, ac summam excellentiæ prærogatiuam edisserendo, Christi fidelibus quoquo modo adumbrent, condigno ipsas titulo donantes cœli thesauros veracissimè nuncupant, quin insuper fidelibus pio ipsarum lucro pœnarum, quæ ipsis in Purgatorio ob culpas in hac vita admissas debentur, mulctam quoque relaxari diuinitus affirmant. Ad id verò haud gratis asserendum ex eo maxime adnituntur, quod ipsummet Christum supremum, ac eiusce modi Thesaurorum dominum, ac elargitorem Ecclesiæ, cui subinde dispensandi suppetit nonnisi ex gratuito ipsius munere facultas, veracissimè agnoscant: *Cum potestas* (aiunt) *conferendi Indulgentias à Christo Domino Ecclesiæ concessa sit*; adeoque anathematis iaculo iustissimè feriendos volunt: *Qui Indulgentias* (inquiunt) *aut inutiles esse asserunt, vel eas concedendi in Ecclesia potestatem esse negant*. Ipsius igitur Christi in terris Vicario, cui Cœlorum Regni claues diuinitus traditæ sunt, suprema quoque thesauros eiusmodi elargiendi potestas tradita est; ipsi etenim dictum est: *Quodcunque solueris super terram, erit solutum & in Cælo*. Hinc meritò verba, quæ Christus Dominus Petro edixit: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam; & tibi dabo claues Regni Cęlorum*, Sic planè fidelium auribus insonant, vt singularem vna simul Petri, eiusque potestatis excellentiam palam cunctis, Ambrosio teste designent: *Ad dispensandas nimirum* (inquit) *immortalitatis diuitias*. Quod

Conc Triden. sess. 21. c. 9. de reform.

Cõcilii Tridentini Patres indulgentias Cęli thesauros nũcupant.

Conc. Trid. sess. 25. de ind.

Indulgentias concedendi à Christo Ecclesię cõcessa potestas

Conc. Trid. v. bi sup.

Matthaei. c. 16

Ambr. ser. 66

Quæ Sancti Patres vnanimes de indulgẽtiis affirment.

disertis item Maximus verbis affirmat. Enimuerò quod hic primum indulgētias Christifidelibus cōcedendi mos in Ecclesia sub ipsismet fidei primordijs, & Apostolorum temporibus inoleuerit, sitque ipso subinde apud omnes vsu receptus, illis Apostolus conceptis aliquando verbis inculcat, dum ait: *Nam et ego quod donaui, si quid donaui; propter vos in persona Christi*. Quibus sanè temporarias, & culpis debitas fidelium pęnas relaxando liberaliter interdum indulgēte, ijsdem consueuit. Quod item antiquorum decreta Pontificum debitas culpis fidelium pœnas indulgendo, & condonando demonstrant. Apostolus igitur, qui allatis supra verbis incestuoso homini, quem acerbiore prius mulcta affecerat, pœnarum indulgentiam, veruntamen nonnisi alicuius, quo ad pęnam spectat partis, & quemadmodum ipsius verba innuunt, haud totam, plenamque pęnitenti remisit: *Nam, et ego* (inquit) *quod donaui si quid donaui propter vos in persona Christi*.

1. ad Chor. 2.

Apostolus indulgentiarum vsum palam inculcat.

2. ad Chor. 2.

Suarez. disp. 49 in 3 part. sect. pag. 618.

2. Cōgruè igitur vt Chrysostomus, Theophilactus, Theodoretus, Ambrosius, & alij egregiè adnotant, donandi Apostolus inter loquendum vsus est verbo, vt liberalem vtique dimittendi, & condonandi, quam ipsi tunc indulgebat, gratiam designaret. Incestuosus quippe etsi nondum plenè, satisque pro suo (vt par erat) delicto fecisset, ipsi nihilominus ad miserendum permotus Christi Apostolus vlterioris liberaliter pęnæ indulgentiam contulit: *Nè fortè* (vt ipse ait) *abundantiori tristitia pœnitens absorberetur*. Id sanè in Chorinthiorum pro ipso enixè tunc deprecantium gratiam præstitit, vt aptè verbi, quo vsus est, formula, *propter vos* contemplantibus indicat. Ipsam verò indulgendi gratiam, veram proculdubio pęnarum condonādo mulctam, relaxationem intelligi, per potestatem videlicet sibi à Christo traditam idem Paulus haud obscurè inter loquendum designat, dum ait: *In persona Christi*. Pius namque Indulgentias elargiendi mos suum nonnisi à Christo initium habuit, adeoque multiplices olim in Ecclesia Tertulliano teste, ab Episcopis pęnæ, ac satisfactiones singulis quibusque delictis præscriptæ, nonnisi martyrū præcipuè; & Confessorū Christi, interueniente precum suffragio relaxabantur; Quæ quidem Indulgentia consultò pacis interdū nomine peculiariter ab ipso nuncupatur. Congruè igitur sūmatim indulgentia sic (vt ille ait) describitur: *Indulgentia est ecclesiastica relaxatio pœnæ pro peccato debita, quę extra Sacramentum fit*. Quibus sanè indulgentiarum tam vsus, quam efficacia suis aptè pro meritis, eleganterque satis exponitur.

2. ad Chor 2.

Quotuplex indulgentiarum in Ecclesia modus atque vsus.

Tertull. lib. ad Martyres cap 1. Cypr. ep. 11. & l 3. ep. 15. & lib. de lap. Clement VI. vbi sup. Clem. VI ex. trau. Vnig. de pæn. & re. miss. Sotus dist 13 q. 1 art. 1.

Qua ratione & quorum precibus indulgentiæ olim concedebantur.

3. Atquì Christus primum à se profusi ob redemptionem sanguinis pretio, suæ Indulgentiarum Ecclesiæ thesaurum commendans reliquit, vt Clemens VI. Romanus Pontifex in Extrauag. de pęnitentia, &c. *Thesaurum* (inquit) *militanti Ecclesię acquisiuit, etc. quem quidem thesaurum non in sudario repositum, non in agro absconditum, sed per B. Petrum cęli clauigerum, eiusque successores suos in terris Vicarios commisit fidelibus salubriter dispensandum*. Thesaurum itaq; à Christo Domino acquisitum, ac sibi traditum præcipuo Ecclesia iure, ac munere possidet, vt sic idem Pontifex rem aptè concludit: *Vt sic* (ait) *sit infinitus thesaurus hominibus. Adeoque Indulgentiæ sunt abundantes illæ diuitię gratię, quas Deus in bonitate super nos ostendit in Christo Iesu*. Quarum item Apostolus ad Ephesios scribendo meminit, dum eas *inuestigabiles Christi diuitias* appellat, & *dispensationem Sacramenti à sęculis in Deo*. Quibus egregie per ipsius subinde thesauri nomen, ac typum ipsemet Ecclesiæ thesaurus commode importari videtur. Enimuerò ipsius Christi, & Sanctorū meritis amplius iste in Ecclesia thesaurus abunde cumulatur, qui cunctis subinde tum in hoc, tum in alio sæculo mirifice præsto est fidelibus. Et thesauro siquidem mortalium inopiam releuando supleri Apostolus suis apte verbis à temporali thesauro similitudinem deriuando innuit: *In præsenti* (inquit) *opere vestra abundantia illorum inopiam suppleat, vt et illorum abundantia vestræ inopiæ sit supplementum*. Ex abundantia suorum quippe meritorūm Christus opportuna indigentibus subsidia deesse non patitur; dū Ecclesia iugiter pro suis sic id ipsum postulat: *Dimitte nobis debita nostra*. Redundans

Clemens VI. vbi sup.

Cur indulgentię thesaurus Ecclesię dicantur.

Suarez. dis. 51 sect. 1 pag. 649.

Apost. ad Ephes. cap. 3.

Quid indulgentiarum thesaurus importet.

Ad Eph. vbi sup.

Suarez. vbi sup. disput. 5 sect. 3 pag. 1.

dans itaque Indulgentiarum thesaurus fideles tum viuos, tum mortuos misera releuandos inopia respicit, eiusque pari vtrique beneficio pro suis exoluendis culparum debitis apud Deum iuuantur: Per indulgentias quippe (ait Leo X.) *thesaurus dispensatur, vel per modum absolutionis indulgentiam conferendo, vel per modum suffragij in alios transferendo.* Qua potissimùm ratione ex pio fidelium vsu defunctis indulgentia suffragatur, vt vna eademque Theologorum omnium sententia est.

Leo PP. X. in suo decreto ad Caiet.

Indulgentiæ tum viuis, tum mortuis prosunt.

4. Quantum verò (vt hinc narrandi initium sit) pœnitentium animæ Indulgẽtiarum apud Deum thesauris ad soluendum ditescant, & quanti item apud Deum momenti isthæc sint, satis superque in B. Birgittæ reuelationibus traditur; hæc enim ibi: *Domina quadam* (inquit) *de Suetia cum longo tempore Romæ infirmaretur, dixit quasi subridendo sponsa audiente: Fama (inquit) est, quod in hoc loco est absolutio à culpa, & à pœna; sed Deo nihil est impossibile; pœnam enim experior ego. Tunc subsequente mane sponsa audiuit in spiritu vocem dicentem sibi: Filia, hæc mulier grata est mihi, & quia deuotè vixerat in se, & quia filias suas enutriuit, sed tantam adhuc contritionem non habuit in pœnis, quantam delectationem habuit, & habuisset in peccatis, nisi charitate mea refrænata fuisset. Ergo quia ego Deus vnicuique prouideo in sanitate, & in infirmitate, sicut vnicuique expedire video. Ideò nec in minimis verbis ab aliquo irritari, aut iudicari debeo, sed vbique timeri, ac venerari. Dic etiam ei, quod indulgentiæ Ecclesiarum Vrbis Romæ maiores sunt apud Deum, quam sonant, quia hi, qui perfectо corde veniunt ad istas indulgentias, non solùm remissionem peccatorum habebunt, sed etiam gloriam æternam. Nam homo etsi millies se occideret pro Deo, non esset condignus minima gloria, qua datur Sanctis. Et licet homo non sufficit viuere ad tot millia annorum, tamen quia pro infinitis peccatis infinita debentur supplicia, quæ homini impossibile est satisfacere, & implere in hac vita, ideo propter indulgentias relaxatur multa, grauissima pœna, & longissima mutatur in minimam. Et hi, qui habitis indulgentijs cum charitate perfecta, & contritione vera decedunt de hoc Mundo, soluuntur non solùm à peccatis, sed etiam à pœnis, quia ego Deus non solum dabo Sãctis, & electis meis, quæ petunt, sed & duplicabo, & centuplicabo propter charitatẽ. Ideò moneas istam infirmam ad pœnitentiã, & stabilitatem, quia ego faciam ei, quod vtilius sibi est ad salutem. Huius Dominæ animam vidit Sancta Birgitta ascendentem sicut igneam, cui occurrerunt plures æthiopes, à quorum conspectu anima quasi perterrita facta est, & statim videbatur quasi Virgo pulcherrima venire ei in auxiliũ, quæ dixit Aethiopibus: Quid vobis cum anima ista, quæ est de familia veræ sponsæ filij mei, & statim Aethiopes fugientes sequebantur à longè. Cumque anima venisset ad iudicium, dixit Iudex: Quis respondet pro anima ista? et quis aduocatus eius? Et statim videbatur B. Iacobus adesse, dicens: Ego Domine teneor respondere pro ea, nam bis in magnis laboribus fuit ad memoriam meam: O Domine miserere ei, quia voluit, & non potuit. Cui iudex: Voluit (inquit) seruire sibi toto corde, sed non valuit, quia infirmitate retenta infirmabatur. Tunc Iudex ait ad animam: Vade, quia fides tua, & voluntas saluabit te. Et statim anima egressa est à conspectu Iudicis exultans, & quasi stella splendens omnibus astantibus dicentibus: Benedictus sis tu Deus, qui es, & eras, & eris: qui non amoues misericordiam tuam à sperantibus in te.* Sic profectò pœnitentium animæ indulgentiarum thesauris cumulatæ, & à pœnis solutæ ad supernam demum requiem pertingunt.

Ex reu. S. Birgittæ c. 102 Cathech. hist. c. 5. tit. 43. de Indul. p. 153.

Indulgentiarum valor & necessitas in reuelationibus B. Birgittæ exponitur.

Indulgentiarum Romæ Christus ipse testis, & præco.

Quid boni indulgentiæ præstent.

Anima ad Dei tribunal præsentata Indulgentiarum virtute releuatur.

5. Porrò vt rem (cuius mentio hic est) ab altiori principio repetamus, sacris quidem indulgentiarum thesauris antiquis temporibus pro satis ampla operis mercede, & pro digna laborum mercede, ac fructu à Romanis Pontificibus, armis accincti, & in Terræ Sanctæ subsidium proficiscentes donabantur; Quippe qui probe scirent christianos haud alio opportunè magis diurni operis præmio, quam remissionis videlicet pœnarum in altero sæculo luendarum ob videndi Christi desiderium lucro gaudere. Quapropter Vrbanus huius nominis II. anno Christi 1095. in Claramontensi Concilio his, alijsque Christifideles ad Hierosolymitanam expeditionem præmijs incitare, ac huius potissimum lucri gra-

Indulgentiæ olim in Terræ Sanctæ subsidiũ proficiscentibus donabantur.

gratia alacriter in opus vrgere non destitit, hæc enim Baronius: *Pro stipendio* (inquit) *erat indulgentia peccatorum proposita, atque vt Petrus Diaconus ait: Erat pro militari signo signum Sanctissimæ Crucis, de qua (inquit) ad huius rei euidens indicium communi consilio signum Sanctæ Crucis super scapulam dexteram impressere vestibus*. Indulgentiarum itaque oblatis ex ipsius Ecclesiæ promptuario stipendijs cunctos præferuidè ad arma aduersus barbaros fidei hostes eapienda compulit. Et vt ob redimenda peccata alactiores in bello ficrent, plane his ad mortē ipsam nō timendam verbis viriliter roborando præmonuit: *Pulchrum* (inquit) *sit vobis in illa Ciuitate mori pro Christo, in qua pro vobis Christus mortuus est. Cæterum si vos antea mori contigerit, id ipsum autumate mori in via, si tamē Christus in sua vos inuenerit militia. Deus enim denarij retributor est prima, & hora sexta. Horrendum est, fratres, horrendum est vos in Christianos rapacem manum extendere: In Saracenos gladium vibrare, singulare bonū est, quia & charitas est pro fratribus animas deponere. Nec verò de crastinis euentibus solliciti sitis; sciatis, quia timentibus Deum nihil deest, nec ijs, qui eum diligunt in veritate. Facultates etiam hostium nostrorum vestræ erunt, quoniam & illorum thesauros expoliabitis, vt vel victoriosi ad propria remeabitis, vel sanguine vestro purpurati, perenne brauium adipiscemini. Tali Imperatori militare debetis, cui panis deesse non potest, cui, quæ rependant, nulla desunt stipendia. Via breuis, labor permodicus est, qui tamen immarcescibilem vobis rependat coronam. Iam nunc ergo auctoritate loquamur prophetica: Accingere homo vnusquisque gladio tuo super femur tuum potentissimè. Accingimini (inquam) & estote filij potentes, quoniam melius est vobis mori in bello, quā videre mala gentis nostrę, et Sanctorum; Non vos demulceant illecebrosa blādimenta mulierum, rerumque vestrarum, quin eatis, nec vos deterreant perferendi labores, quatenus remaneatis, etc.* Isthæc Vrbanus, dum larga spiritualium thesaurorum elargitione ad transmarinā Christifideles profectionem inuitat. Quos sanè multum ipso adhortante profecisse Domnizo in Mathuldis vita his versibus tradit.

Baronius an. 1095. n. 43.

Petr. Diac chron. Cassin. lib. 4. c. 11.

Vrbanus II. indulgentijs Christianos ad arma aduersus Christi hostes capienda excitat.

Petrus Diacon. vbi sup. Vrbanus II. ser. in Conc.

Pontificis ad bellatores ad arma excitando verba.

Ps. 44.

I. Machab. 3

Domnizo in vita Mathildis

Vrbani Galli Papæ Petri quasi Sancti,
Dicta receperunt, et ei bona multa dederunt:
Verba salutis dabat hic pastor vice Petri;
Nam docuit Summus Pater illos ire sepulchrum
Ad Domini Nostri, locus vt purgetur, et hostis
Inde repellatur populus Paganus amarus.

Vrget ipsos, & præmiorum spe ad bellandum excitat.

Proposito itaque Indulgentiarum lucro Vrbanus in adhortando salubriter Christifideles præferuidus inualuit.

6. Atqui Eugenius quoque III. anno Christi 1145. Edessa subinde capta, Antiochia, & Hierosolyma in discrimen adductis, opportuno de Occidentalium expeditione in Palestinæ ditionē mouenda consilio egit. Quapropter legatis mox ad viros Principes directis, conscriptisque primum ad Ludouicum Gallorum Regem, & ad alios vbique terrarum principes literis, in hoc maximè institit, ad quod item efficacius pronehendum, prædecessoris sectatus vestigia sacrarum indulgentiarum stipēdia Christianis ad arma progressuris Apostolica liberalitate benignè offerens, sic cunctos ad Christi accipiendam crucem adhortando perurget: *Peccatorum* (inquit) *remissionem: et absolutionem iuxta præfati prædecessoris nostri institutionem, Omnipotentis Dei, et B. Petri Apostolorum Principis auctoritate à Deo nobis concessa talem concedimus, vt qui tam Sanctum iter deuotè inceperit, et perfecerit, siue ibidem mortuus fuerit, dè omnibus peccatis suis, de quibus corde contrito. et humiliato confessionem susceperit, absolutionem obtineat, et sempiterna retributionis fructum ab omnium remuneratore percipiat.* Hæc ille appositè Christifidelibus excitandis inculeat.

Baronius an. 1145. nu. 30.

Eugenius III. oblatis indulgentiarum thesauris christianos ad bellandū inuitat.

Litteræ Eugenij III. Baronius vbi sup. num. 31.

7. Indulgentiarum quoque thesauros Bernardus Clareuallensis Abbas, Christifidelibus in eiusmodi eluerandos prælio proponens, & classicum aduersus barbaros canens, cunctosque ad salutis spem populos sic salubriter scribendo inuitat: *Intuemini* (inquit) *pietatis abyssum, et redite in spem peccatores.*

Baronius an. 1146. nu. 16.

Bern. ep. 322.

Non

Perditis qui busque vbiqi terrarum, arma pro fide arripientibus veniæ à Deo obtinendæ spes certa proponitur.

Non vult mortem peccatoris, sed vt magis conuertamini, et viuatis, qui sic quærit occasionem non aduersum vos, sed pro vobis. Quid est enim nisi exquisita prorsus, et inuentibilis soli Deo saluationis occasio, quod homicidas, raptores, adulteros, et periuros, cæterisque obligatos criminibus, quasi gentem, quæ iustitiam fecerit, de seruitio suo submonere dignatur Omnipotens. Confidite peccatores, quia benignus est, etsi vellet punire vos, seruitium vestrum non tantummodo non expeteret, sed nè susciperet quidem. Teneri vult debitor, vt sibi militantibus stipendia reddat veniã peccatorum, et gloriam sempiternam. Sacra planè, et fructuosa militia, vbi sit, et victoria gloriosa, et mors ipsa felicior. Beatam dixerim generationem, quam apprehendit tam vberis indulgentiæ tempus, superstitem inuenit verè iubilæus hic annus, placabilis Domino, etc. Sic profectò indulgentiarum lucro beatæ immortalitatis spe ad ipsius vitæ spõte, libenterque sarcinam deponendam quique mortalium alacriter tunc in Dei prælium incitabantur. Verum etsi res subinde sinistrum sortita sit exitum, qui tamen gladio, aut incommodis in sacri belli conflictu cecidere, indulta sibi peccatorum venia, æternam animæ salutem adepti, acerbasque Purgatorij pœnas redimendo, in Cœlum denique auolarunt, vt Casemarij Abbas ad Bernardum subinde ipsum consolando, & de renunciaris sibi è Cœlo à SS. Ioanne, & Paulo martyribus loquens hæc habet: *Dicebans (inquit) multitudinem Angelorum, qui ceciderant, de illis, qui ibi mortui sunt restauratam.* Indulgentiæ quippe beneficio à culpis, pœnisque soluti, ibidem in prælio mortui, Sanctorum pro mercede consortia sunt assequti.

Peccatorum indulgentia, bellantibus merces.

Baronius an. 1149. nu. 11.

In bello cęsi, indulgentiarum thesauris, & pœnitentiæ virtute expiati Cœlo aggregati.

8. Et sanè (vt noster susceptæ adhuc narrationi sermo insistat) recurrente anno Christi 1300. sub Bonifacio VIII. Romano Pontifice ad elucrandos indulgentiarum thesauros ingens in Vrbem gentium, ac peregrinorum multitudo ex cunctis orbis terrarum regionibus venit; Centesimo namque anno accedentibus magna in Vrbe indulgentiarum lucra Christifidelibus diuinitus concedi constãs vbique apud omnes fama increbuerat, vt ex M.S. bibliothecæ nostræ Vallicellanæ his verbis traditur: *Iis (inquit) initijs in dies ciuium, externorumque fides, et peregrinatio augeri cæpit, quibusdam prima centesimi die omnium culparum sordes deleri asserentibus, cæteris annorum centum indulgentiam fore, etc.* Et post multa hæc subdit: *Nec viuus præteritorum defuit testis, qui peregrinationis suæ centum, et septem asseuerans annos, multis etiam eodem Præsule coram ob id ipsum ascitis adstrueret meminisse, patrem alio centesimo Romæ, quousque quem secum detulit agricola, suffecit victus, ob indulgentiam moratum, seque admonuisse, vt si quod non putarat, aduenisset futuro centesimo Romæ nequaquam puer adesse pigritaret, nobisque idem sciscitantibus intulit, quin quaque eiusdem anni die illic centum annorum indulgentiam lucrifieri posse, ob quam peregrinaturus accesserat. Ast Romæ plenissimè dilui culpas apud Gallos vulgatum, etc. tanti aui duos adhuc Diocæsis Beluacensis, pluresque alios Italici soli superesse, qui meminissent nobis assertum, etc.* Quibus Pontifex permotus de sacris Iubilęi anno centesimo solemnijs indicendis, indulgendisque pijs thesaurorum muneribus edito Apostolicę auctoritatis diplomate sanxit. Cuius quidem rei Iacobus Cardinalis Diaconus S. Georgii ad velum aureum assertor in suis carminibus sic fideliter meminit.

Rainald. an. 1300. num. 3.

M.S. bibliot. Vallicel.

Centesimo quoque anno Indulgẽtiarum causa ingens in Vrbem confluere populorum numerus consueuit.

Iacobus Card. S. Georgij in carmine

> *Aurea centeno consurgunt sæcula Phœbo, etc.*
> *Quæ sedes Romana sequens, suffultaque tantis*
> *Auxilijs iubilans, centeno Solis in ortu*
> *Diluit omne nefas plenè: quin plenius omne*
> *Diluit, et veniam culpis vberrima confert*
> *Gratia, etc.*

Carmina Iacobi Cardinalis de indulgentiis ist hæc affirmãt

Porrò talis, ac tanta gentium vndique è Galliis, Hispania, Anglia, Germania, & Vngaria in Vrbem tunc tempõris multitudo confluxit, vt annalium Colmariensiũ auctor hæc scriptis mandarit: *Bonifacius Papa (inquit) ratione Iubilęi omnibus venientibus Romam tanta absolutionis beneficia contulit, quod tantus factus fuit concursus Romam, vt sæpius vno die sint egressi triginta millia hominum, pa-*

Dominicus in Colmarien. Chronicis.

Ingens ad Vrbem pro lucrandis indulgentiis cõcursus an. Iubilæi.

pariter ingressi, vt communiter pauperes retulerunt. Hæc ille.

9. Quo autem deuotionis studio, & quã salubri insuper ob lucrãdos Indulgentiarum thesauros, tum animæ, tum corporis prouentu concursus huiusmodi fierent, sic ex M.S. Baronius: *Innumerabiles* (inquit) *populi multitudo ad obtinendam omnium peccatorum remissionem plenissimam, Apostolorum limina visitarunt, etc.* Et hæc infra: *Insuper anno prædicto in Apostolorum basilicis diuersis languoribus sunt curati quamplures: Exibant autem dæmonia à multis clamantia, et dicentia, quod non solum Apostoli Petrus, et Paulus eos eyciebant de corporibus, quæ inuaserant, sed multitudinem animarum populi Christiani, qui eorum facientibus peccatis, laqueis diabolicæ fraudis se tradiderant, impetrauerant à Iesu Christo ab eorum faucibus liberari, et plusquam publicè clamabant, quod dictorum Apostolorũ meritis omnes animę è Purgatorio non solum à pœnis liberatæ fuerint, sed etiam gloriam æternam meruerint obtinere*. His Baronius diuinam sacrarum virtutem indulgentiarum ipsorum dæmonum ore, & animarum è Purgatorio eductarum testimonio assertã, nec non, & dictis vim planè diuinam confirmat; cum & præstenso Deiparæ insuper Virginis visu res tanta mortalibus commendari è Cœlo meruit; Enimuerò cum Clericus Ecclesiæ S. Georgii Sanctissimam Virginem filium in vlnis gestantem supplex, quemadmodum sibi videbatur, adoraret, hęc, vt prædictus Iacobus Cardinalis tradit, Virginis ore accepit: *Omnibus* (inquit Virgo) *miserans indulsit Deus. Ad quam ille: num mihi? subticuit mater; duriusque post morulam* (inquit:) *omnibus miserans, indulsit Deus, viuis, et mortuis. Ita nimirum, vt par est, ad diuinam gratiam comparandam substratus iterũ: Num mihi? Cui nec iam responso dato, nè forsan grauiꝫ aliqua peccati labe fœdaretur, trepidanti subiunxit: Indulsit omnibus mortuis, et viuis miserans Deus, tibique*. Sic profectò sacris indulgentiarum thesauris, tum viuos, tum mortuos apud Deum iuuari, ac plenissimè, ne peccata præpediant, releuari constat.

Baronius ex M.S. vbi sup.

M.S. Bibliot. Vallic. sign. lit. C nu. 15. & 75.

Reinald. vbi sup. n. 7.

Infirmi, & languentes in Apostolorum Basilicis curati, & dæmones è corporibus eiecti.

Animæ è purgatorio peregrinorũ suffragiis liberatæ.

Iac. Card. S. Georgÿ c. 10.

Clericus à B. Virgine indulgentiæ vim discit.

10. Maximi itaq; sacræ ad relaxandas peccatorum pœnas Indulgentiæ momenti sunt, vt probæ fidei Scriptores passim, & Cantipratanus præsertim his verbis testatur: *De indulgentia* (inquit) *quæ Crucem suscipientibus prædicatur, nullus fidelium dubitare permittitur, quin integraliter verè pœnitentes, et confessi indulgentiam recipiant omnium peccatorum, et in ea desiderÿ voluntate, qua pro fide si se obtulerit locus, mori gestiunt, totaliter à pœna simul absoluantur, et culpa. Certa ergo mihi fides de his omnibus est, et nihil hæsito de hoc, quod Summus Pontifex noster per Legatos auctoritatis suę mandauerit faciendum*. His planè testatissimis veluti notis diuinus indulgentiarum valor cunctis meritò admirandus, recolendusque proponitur.

Thom. Cant. apul. 2. c. 3.

Pontificia in donandis indulgentiis in Ecclesia potestas.

11. Sacrarum denique indulgẽtiarum thesauri, quod mirificè animabus ad mitigandas, auferendasque pœnas in Purgatorio existentibus prosint, Frãciscani præsertim Ordinis annales legẽtibus produnt; Ibi enim traditur, quod cum ingẽs hominum è Sclauoniæ partibus, multitudo ad ven. B. Mariæ de Portiuncula ædem sacras ibidem Indulgentias lucrandi gratia, ante eius proximè festum, Anconam appulisset, en quamdam illic inter eundum ingressi Ecclesiã de Portiunculæ indulgentiis interrogantes, his primum verbis ab æditno à suscepti itineris proposito sunt retardati: *O miseri* (ait) *& infelices, magna isthęc vestra stoliditas tot vos, tantisque obÿcere laboribus, atque periculis nullo vestro emolumento. Indulgentia enim, quę ibi fertur, nulla est; Nam nè vnius quidem, è Pontificibus concessionis illius bulla apparet; Non ego vestram suggillo profectionem pietatis, ac venerationis gratia susceptam ad sacram ædem B. Virginis, hoc tantum dico, si ad indulgentiam attenditis, irritam illam esse, ac vanam, &c. His stimulis ita perculsi sunt peregrinantium animi, vt vlterius non progredi planè decreuerint, etc.* Sed omnis postmodum qui peregrinantium menti obrepserat dubitandi scrupulus, fœmina rei cunctos veritatem edocente euanuit. Hæc enim ibi: *In ÿs verò fœmina quadam religiosissima erat, qua cæteris in suscepto itinere constantia præluceba: Quid* (inquit) *Domini mei? Miror vos vnius sententia, & opinione tam facile à suscepto desi-*

Ex annal. Franc. Ordin. to. 2. tom. 1. c. 5

Indulgentia Ecclesiæ B. Virg. de Portiuncula insignibus signis comprobata.

Ex Annal. Frãc. vbi sup.

desistere: vultisnè sic laborum præmium, quos in tanto itinere subijstis, prorsus deperdere? ego quidem erubescerem, & puderet me, &c. Mihi quidem certè fixum est in proposito perstare, etiamsi nulla ibi esset indulgentia: quidquid sit, visitabo sacram B. Mariæ de Angelis ædem, ac votum meum complebo, speroque B. Virgini gratum fore, &c. Sola itaque discedit. Verùm ne sola peregrinaretur, Deus permisit eam à recta via aberrare, quod ei anxietatem magnam peperit: Ignorabat enim, quomodo ad amissam semitam redire posset. Itaque ei sic anxiæ augustus quidam senex veneranda canitie, religiosa veste amictus, adest, & ait. Ne timeas filia: tibi enim sanctè denuncio, tutam te pro salute animæ tuæ inuenisse viam, amissosque socios illicò adfuturos, à tuo enim ab ipsis recessu sententiam mutarunt. Ipsa ergò retrò aspiciens, eos ingenti animi gaudio perfusa aduenientes animaduertit. Omnibus in vnum collectis senex dixit, optimè factum esse, quod iter incæptum prosequuti fuissent: veras enim ibi esse indulgentias, seque eas confirmanti Pontifici Honorio testem adstitisse oculatum: scire insuper eas ipsius Dei ore concessas: ea propter alacres, fidentesque pergerent, &c. Contigit autem dictam fœminam solam remansisse morbo distentam, quo etiam naturæ debitum exoluit. Demortua comitibus suis iam mare nauigantibus videndam se præbuit: Nihil (inquiens) metuite; ego enim illa sum vestri itineris comes, quæ Assisij defuncta sum. A B. Virgine ad vos mittor, vt de indulgentia illa plenaria, qua nunc fruor, certiores sitis. Quod cum dixisset, ex oculis eorũ euanuit. Multi ex ijs peregrinis, qui feminam illam in naui conspexerant, postmodum sæpius iter illud indulgentiarum gratia feruentiores repetierunt, quæ sibi accidissent, enarrantes, imò & sociæ sibi factam apparitionem, &c. Quibus sanè demorruæ mulieris animam indulgentiarum lucro apprime diuitem, culpis, pœnisque solutam, Cœlum intrasse, & subinde ad socios de spiritualibus thesauris, quo in pretio habendi sint, salubriter instruendos directam fuisse innotescit.

Fœmina cõstauter sacrarum indulgentiarum vim aliis prędicans, & miro visu confirmatur.

A Viro diuinitus apparente peregrini indulgentiarũ vim ac veritatẽ edocti.

Mortua fœmina socios in fide olim indulgentiarum nutantes confirmat

12. Quantum denique sibi apud Deum in sacrarum indulgentiarum thesauris, pijsque fidelium precibus subsidij S. Ludouicus Rex Galliarum reponeret, atque ab ijs quid sibi post hanc vitam emolumenti speraret, expectaretque sic in conscripris testamenti sui tabulis Philippum filium interpellãdo testatur: quemadmodum in eius vitæ gestis auctor tradit: *In fine* (inquit) *obsecro te, si decedam ante te, quod tu fideliter animam meam iuuari facias in Missis, & orationibus, & mittas per Sanctas Congregationes Regni nostri ad orationum suffragia impetranda pro me, & quod in omnibus bonis, quæ facturus es, participationem habeam specialem, &c.* His quippe Sanctissimus Rex tum precum tum indulgentiarum sibi post mortem à filio humiliter ad Deum suffragia exhibenda poposcit.

…Ludouicus …ex Galliæ …recum, & …ndulgentiarum suffra…a sibi à fi…o poscit.

Gaufridus in vit. S. Ludouici cap. 15. Nangius de reb. gestis S. Ludou. Regi Franc. apud Surium die 25. Augusti.

13. Porrò sanctissimi quique in Ecclesia viri pto defunctorum animabus à pœnarum cruciatu releuandis sollicitè, haud tum sua, tum aliorum opera defuere, adeoque precum suffragia instantissimè à fidelibus exigendo, ac cunctos fraternæ iugiter charitatis admonendo miseris purgatorij remitti pœnas præoptarunt; cuius tei præ alijs Indiarũ Ap. S. Franciscus Xauerius è Societate Iesu testis adest, qui Apostolicum munus hoc nobili charitatis genere cumulatissimè illustrauit, & inter iuges, asperrimosque itinerum labores pro religione susceptos Apostolici memor verbi *quis infirmatur, & ego non infirmor, quis scandalizatur, & ego non vror*, ac si piaculares animarum purgatorij pœnas, plusquam corporis sui tum cruciatus, & ærumnas sentiret, sic pro ipsis releuandis tũ apud Deum, tum apud homines supplex quotidie accessit, & hominum preces, ac Dei gratiam efficaciter procurando; suã quippe in primis operi manum adhibẽs pij monitor apud cunctos officij, vel in hoc maxime sibi Dei gratiam, ac miseris misericordiam promeruit, de quo isthæc Tursellinus: *Malacæ (ait) cum esset; quod est nobile Indiarum emporium, post solis occasum Vrbem obiens, incolas tintinnabulo excitatos solemni carmine, siue cantu admonebat, vt pro exeruciatis purgatorio igne animis, proque hominibus in peccato mortali existentibus diuinam implorarent clementiam. Illo abeunte ad alias Insulas Indiarum promulgandi Euangelij causa ciuitas Malacensis instituti, desiderij-*

Hor. Tursell. lib. 3. c. 7. in vit. S. Franc. Xauerij.

S. Franciscus Xauerius pro Purgatorii animabus sollicitus.

Ipsemet Malacæ vias noctu excurrit ad preces exhortando.

Charitas erga defunctes pro lege in Oriente iam viget.

que

que Sancti viri memor, certum constituit hominem qui altera manu laternam, altera tintinnabulum gerens, id ipsum primis tenebris faceret. Quod institutum ab Vrbe Malaca in India Moluci, vltimique Orientis vrbes, atque oppida manauit. Hodieque viget, magno mortuorum, viuorumque bono. Hæc ille. Vir quippe Dei magna Apostolici pectoris nedum Orientis, sed totius Orbis charitate, quin & ipsas alterius sæculi, animas complexus ipsis lumen è Cœlo gentilibus, quin & piis pariter in Purgatorio animabus piaculares restingui flammas cupiebat.

Sodalitium suffragii in vrbe erectū.

14. Pia igitur erga defunctos charitas, sic olim christianorum cordibus insedit, nostrisque præsertim temporibus adeo apud omnes ferè in orbe inualuit, vt animarum, quæ purgatorii igne expiantur frequens admodum fit, vbique locorum, ac ferè semper in ore hominū ipsarum mentio, ipsisque pauperibus inter emendicandum sibi eleemosynarum subsidia vbertim pia earumdem inuocando suffragia suppetant. Quin imo celebre non multis ab hinc annis in Vrbe sodalitium indicto suffragii nomine pro Purgatorii animabus laudabiliter est institutum, cuius cuncta fere bonorum operum munia, ac deuotæ insuper exercitationes non nisi ad iuuandos in purgatorii pęnis detentos ex primæuo sodalitii instituto præsto sunt. Adeoque singulis præsertim mensibus certa quadam Dominica die, solemnique ritu Eucharistiæ Sacramēto in ipsorum ad viam Iuliam Ecclesia publice exposito Cōfratres, & alii passim Christifideles ad lucrandos indulgentiarum thesauros Sūmorum Pontificum, liberalitate indultos, ingenti tum numero, tum pietate ad pia isthæc, & recolenda suffragia confluunt. Demum quia opportunus adhuc de indulgentiarum, quibus defunctorum animæ pęnis obnoxiæ in altero sæculo releuantur, thesauris sermo hic est, haud suas item pia æque, ac illustris, & claræ me: fęmina Constantia Barberina (cuius & supra fuit mentio) præteriri laudes patitur. Enimuerò præcipuo hęc vna charitatis ardore, & commiserandi affectu defunctos complexa, assiduis tū precibus tum Missarum suffragiis, iuuādis iugiter fidelium animabus intenta suam omnem earumdem beneficio salubriter quoad vixit, visa est in primis operam impendisse, nec his contenta, alios quoque ad eiusmodi christianum, ac pium opus incitari cupiens, supplex ab Vrbano VIII. ex thesauro Ecclesiæ secunda recurrēte cuiuslibet hebdomadæ feria plenariam indulgentiam rite ac deuote accedentibus, suasque pro animabus ante diuinissimum Eucharistiæ sacramentū in nobili Barberinorum sacello tunc ibi publicæ venerationi propositum preces in templo S. Andreæ Apostoli vulgo de Valle, quod magnificentissimi quidem operis à religiosissimis Patribus Clericis Regularibus singularis tum obseruantiæ, ac exempli, tum etiam pietatis, ac doctrinæ sub crucis, & B. Caietani Thienei Fundatoris vexillo militantibus magno animarum fructu diuinis officiis excolitur: ipsis inquam perpetuo concedendam curauit. Porrò pium, ac laudabile institutum, quod ingenti primum plausu cępit, summo postea tam viuorum, quam defunctorum spiritali prouentu mirifice in dies ditescit: Ipsa verò pia, ac nobilis fęmina, quę adiutricem operi manum præbuit, sed & deuotis insuper in prædicta Ecclesia precibus, vel prima omniū fere sēper singulis hebdomadis interfuit, dignā denique sui tum operis, tum operæ à Deo mercedem accepit; Anno quippe salutis M.DC.XXXXIV. ipsa festiua Assumptæ in Cęlum Virginis recurrente die (quæ tunc in feriam. 2. incidit) ad pręmia in Cęlum pro deuotis in Deiparam obsequiis, piisque in defunctos officiis muneranda feliciter euolauit. Sed de his hactenus.

Cuncta sodalitii opera pio animarū suffragio destinata.

Constantia Barberina in templo S. Andreæ de Valle feria 2. pro defunctis iuuandis pium opus instituendū curat.

Vrbanus VIII. indulgentiam plenariam accedentibus ritè concedit.

Mercede pi operis mulier pia haud frustratur.

CAP.

CAPVT XXII.

Poenitentium animæ Missæ potissimum Sacrificio è Purgatorij Poenis soluuntur.

1. SAcrosãcta Diuini, atque incruenti Sacrificij, quod pro mortalium cunctorum salute à Christo Domino clementer institutum, ac semel pro nobis in ara Crucis exhibitum est, quotidie in Altari offertur oblatio, cunctis ad Salutem hominibus, velut hostia Deo omnium acceptissima prodest; Ibi enim Christi Sanguis Deo Patri pro innumeris totius Mundi culpis ad ipsum placandum offertur, qui nullam à Deo ob sui excellentiam patitur aliquãdo repulsam; *& qui* (vt ipsemet Christus ait) *pro vobis, & pro multis effunditur in remissionem peccatorum*. Sanguis nimirum Agni immaculati, qui non vltionẽ vt olim Sanguis Abel clamabat, sed pro hominibus gratiam vltro, ac indulgentiam postulat; adeoquè *super Altare* (inquit Augustinus) *Corpus Domini offertur, nec immerito illic* (*idest sub Altari*) *vindictam Sanguinis postulabat, vbi & pro peccatoribus Christi Sanguis effunditur.* Sacramentalis nãque Diuinę huius hostiæ oblatio à Deo veniam, ac totius tum culpæ, tum poenæ efficaciter pro hominibus remissionem poscit, adeoquè à tanti neminem beneficij participatione excludens, viuis æquè, ac mortuis & præsentaneum quibusuis eorundem malis remedium affert, vt his merito Alexander Papa eiusmodi rem appositè verbis expendens: *Crimina* (inquit) *atque peccata oblatis his Domino Sacrificijs delentur*; & infra subdit: *Talibus hostijs delectabitur, & placabitur Dominus, et peccata dimittet ingentia*. Qua propter assertis quoque vno, eodemque ore Sacrosãcti Tridentini Cõcilij Patres adstipulãtur, dum de Altaris Sacrificio hæc habent. *Huius quippe* (inquiunt) *oblatione placatus Dominus, gratiam, & donum pænitentiæ concedens, crimina, et peccata etiam ingentia dimittit*. Quod verò Sacrosãcta Altaris oblatio suam in poenitentibus quoque vim, ac virtutem exerceat; si de peccatis tamen, dum compuncti accedunt corde doleant, illud certè idem Patres vnanimes constanter asseuerant. *Per hoc videlicet* (aiunt) *Sacrificium fiet, vt si vero corde, ac recta fide, cum metu, et reuerentia contriti, ac pænitentes ad Deum accedamus, misericordiam consequamur, et gratiam inueniamus in Auxilio opportuno*; Imperfectus namque pro culpis animi dolor ad promerendam aliquando veniam piè, ac deuote accedentibus sufficit, vt ijdem alibi Patres edocent. Cyprianus vèro illibati huius præ cæteris Sacrificij excellentiam condignis verbis extollens: *Calix* (inquit) *solemni benedictione sacratus, ad totius hominis vitam, salutemquè proficit, &c.* Quod item Martialis pari verborum pondere inculcans: *Quod Iudei* (ait) *per inuidiam immolauerunt, nos in ara Sanctificata proponimus, scientes hoc remedio nobis vitam præstandam, & mortem effugandam*. Sed ad rem dignè, suoquè pro merito exponendã, sic appositè Gregorius loqui visus est aliquando: *Hæc* (inquit) *victima ab interitu æterno animam saluat*. Et infra prosequitur: *Hinc ergo pensemus, quale sit pro nobis hoc Sacrificium, quod pro absolutione nostra passionem vnigeniti Filij semper imitatur*: Quid verò potissimum Salutaris hæc in hominibus Hostia prærequirit ipsemet opportune edisserens: *Nosmet ipsos* (ait) *Deo in cordis contritione mactemus; tunc ergò verè pro nobis hostia erit Deo, cum nos ipsos hostiam fecerimus*. Assertis demum Damascenus egregie quidem subscribit: *Hęc pura* (ait) *Hostia, et incruenta omnis nocumenti est reparatio, omnis sordis purgatio*. Quibus Sacra Altaris oblatio, eiusque dignitas innotescit.

2. Christus itaque Salutis Auctor incruento Altaris Sacrificio, quod semel in Ara Crucis obtulit, idem se ipso iugiter offert, ac sui probè Sacerdotij, ac Sacerdotis item plenissimè munus adimpleat. Ad quod Apostolus alludens: *Vt offerat* (ait) *dona et sacrificia pro peccatis*. Hinc aptè, appositequè Ambrosius docet. *Christum hic offerri, et se ipsum offerre, vt nostra peccata dimittat.* Cui concinne eleganterque Hieronymus ad Da-

Altaris Oblatio omnium acceptissima Deo.

Augustinus ser. de M M. Innocētibus.

Pro viuis, at mortuis, vt cunctis prosit, Sacrificium offertur.

Alexander Papa epist. 1. decretal. c. 4.

Quid Altaris Oblatio mirabiliter operatur.

Concilium Tridentinum sess. 22. c. 2

Delet culpas, si quis vere compũctus accedit.

Concilium Tridentinum vbi supra.

Concilium Tridentinum sess. 24. c. 4.

Oblatio Dominici Corporis vitam affert, et mortem fugat.

Cyprianus Serm. de Cœna Domini. Martialis epist. ad Burdegalēs c. 3. Gregorius lib. 4. Dialogorum.

Damascen lib. 4. de Fide cap. 14.

Variæ ac aptæ SS. Patrum senten tiæ.

Epist. ad Hebreos cap. 5. Ambrosius lib. officiorum cap. 48.

masum scribendo consonat, dum *Christum esse vitulum Saginatum, qui ad poenitentium immolatur salutem*, asserit: Quapropter diuinũ eiusmodi, Sacrificium quod Christus Sacerdos secundũ ordinẽ Melchisedech obtulit absolutissimo quidem pro vniuersis mortalium culpis offerendi ritu, ac forma, & quoad poenã quoad culpam quotidie in Dei Ecclesia dignissime exhibetur. Verùm quia plerique hominum poenis quidem ob sua singuli vitæ crimina sunt obnoxij, suam quoque Diuina Altaris oblatio in relaxãdis poenis virtutem, meritumque ostẽdit pro quibus Altissimum ad impetrandam ab ipso veniam Ecclesia iugiter exorat, dum salutarem non pro viuis tantum, sed & pro Defunctis Hostiam offerendo in terris supplicat, adeoque dum solemniter ipsi ab Ecclesia Sacerdotes instituuntur, id potissimum pro munere ipsis iniungitur: *Accipite potestatem offerendi Sacrificium pro viuis, et defunctis*. Quoniam verò defunctorum animabus nulla se ipsis Deo satis faciendi facultas post hanc vitam suppetit, per huius maximè Sacrificij oblationem liberalis à Deo poenarum ipsis debitarum relaxatio instantissimè poscitur, & cum omnimodã impetrandi Sacrificium vim habeat, à Deo quoque, quod petitur, efficacissimè obtinet. Hinc meritò olim subueniendum Defunctis Tobias admonens: *Panem tuum*(inquit) *& vinum tuum super sepulturam iusti cõstitue, & noli ex eo manducare, & bibere cum peccatoribus*. Sacra igitur eleemosynarum, & Sacrificiorum pariter oblatio, Diuinarũ proditur scripturarũ oraculo, adeoquè pius ac salubris eiusmodi mos apud antiquos præsertim Christianos vsu receptus inoleuit, vt Tertullianus his planè verbis aliquando meminit: *Oblationes* (inquit) *pro defunctis, & natalitijs annua die facimus*. Quod & Tridentini subinde Concilij Patres satis inculcant: *Animas* videlicet *in Purgatorio detentas fidelium suffragijs, potissimum verò acceptabili Altaris Sacrificio iuuari*. Quod item Concilij Florentini Patres, Græci pariter, ac Latini affirmant, dum iustorum animas, quæ in Purgatorij poenis detinentur, post mortem expiari, ijsdemque insuper releuari, nec non diuina in primis Missarum sacrificia prodesse disertis vltro verbis pronuntiant. Verum haud diutius hic immorandum, sed prolatis ex historiarum promptuario exemplis susceptæ in præsens narrationis propositum est confirmandum.

Sacrificium pro culpis, et pro poenis item relaxãdis offertur.

Hieronymus epist. 10. ad Damas. de filio Prodigo.

In Pontificali Romano.

Sacerdotibus offerendi munus imponitur.

Tobiæ cap. 4.

Oblatio pro defunctis haud semel in scripturis asseritur cõmendaturq;

Tertullianus lib. de coron. Militum c. 3.

Concilium Triden. sess. 25. decret. e.

A Tridentini Concil. & Florẽtini Patribus Altaris Oblatio efficax maxime asserta.

Concilium Floren. in litera vnionis.

3 Vt præcipuos autem, qui incruenti, quod in sacro quotidie Altari offertur, Sacrificij post mortem salubriter sunt vim experti, recenseamus; solemne illud est quod Monacho olim ob violatas sanctissimas institutorum Leges, acerbisque propterea in Purgatorio poenis mulctato, sed his Diuina Altaris oblatione soluto magni Gregorij testimonio contigit. Hũc igitur, qui præter nuncupatum Deo votum, ac Religiosæ obseruantiæ instituta tres furtim aureos acceptos in Monasterio seruabat absõditos, sub vitæ finẽ à monachis derelictum, sic planè, vt miser resipisceret, expiandumque salubriter Gregorius voluit; Enimuero cum is execrabilẽ se cũctis, inuisumquè in monasterio ob sacrilegum facinus intelligeret, præ confusione miser corde compunctus indoluit, & pro se sollicitus celeri culpam poenitentia diluit, sic tamen, vt Purgatorij poenas carne solutus igne expiandus subiret quibus Sacrosancti demum Altaris oblatione liber euasit, de quo & si alibi mentio rem Gregorius his plane verbis narrat: *Neque hoc* (inquit) *silendum puto, quod actum in meo Monasterio ante hoc triennium reminiscor. Quidam namque Monachus, Iustus nomine, medicinali arte fuerat imbutus, qui mihi in eodem Monasterio constituto sedulè obsequi, atque in assiduis ægritudinibus meis excubare consueuerat. Hic itaque languore correptus ad extremum deductus est. Cui in ipsa sua molestia Frater germanus nomine Copiosus seruiebat, qui ipse quoque nunc in hac Vrbe per eamdem medicinæ artem temporalis vitæ stipendia sectatur. Sed praedictus Iustus, cum iam se ad extremum perueniisse cognouisset, eidem Copioso Fratri suo, quia occultatos tres aureos haberet, innotuit, &c.* Auaritiæ igitur magis quã corporis morbo miser laborãs, ad vitæ finem veniens, opportuno vt animæ salutem reciperet; curandus pharmaco videbatur, sed quonam, à sapienti medico sit releuatus remedio, videamus

Baronius an. 590. num. 9. & 10

Monachus, qui denarios præter monasticas leges apud se habebat Sacrificij oblatione à Purgatorio liberatur.

Gregorius lib. 4. Dialogor. cap. 55.

Gregorius vbi supra.

S. Gregorius opportune Monachum sub vitæ finem curat.

Remedium vni ad curationem reliquis ad exemplum adhibitum.

videamus, hæc enim ibi Gregorius: *Cum in morte* (inquit) *constitutus Fratres exquisierit, ei suus carnalis Frater dicat: Quia propter aureos, quos occultatos habuit, à cunctis Fratribus abominatus sit, vt saltem in morte de culpa sua mentem ipsius amaritudo transfuerberet, atque à peccato, quod perpetrauit, purget. Cum verò mortuus fuerit, corpus illius cum Fratrum corporibus non deponatur, sed quolibet in sterquilinio fossum facite, & in ea corpus eius proycite, ibiquè super eum tres aureos, quos reliquit, iactate, omnes simul clamantes: Pecunia tua tecum sit in perditionem, & sic eum terra operite. In quibus vtrisque rebus vnam morienti, alteram vero voluit prodesse Fratribus viuentibus, vt & illum amaritudo mortis à culpa solubilem faceret, & istos auaritiæ tanta damnatio terreret.* Sic Pœna profectò ad vnum, metus ad omnes peruenit, & rigida vnius mulcta, cunctis causa salutis extitit. Sed salutaris hostiæ oblatione anima à pœnis post triginta dies releuata est, vt idem Gregorius sic rem narrando prosequitur.

Sepultura ipsi post mortem inter fratres denegata.

Gregorius vbi supra. Dial. cap. 55.

4 *Cum vero* (inquit) *post mortem eius triginta iam essent dies euoluti, cœpit animus meus defuncto Fratri compati, eiusque cum dolore graui supplicia pensare, & si quod esset ereptionis eius remedium quærere. Tunc euocato ad me eodem Pretioso Monasterii mei Præposito, tristis dixi: Diù est, quod frater ille, qui defunctus est, in igne cruciatur; debemus ei aliquid charitatis impendere, et eum, in quantum possumus, vt eripiatur, adiuuare. Vade itaque ab hodierna die, diebus triginta continuis offerri pro eo Sacrificium stude, vt nullus omnino prætermittatur dies, quo pro absolutione istius hostia salutaris non offeratur. Qui protinus abscessit, & dictis paruit. Nobis autem alia curantibus, atque dies euolutos non numerantibus idem frater, qui defunctus fuerat, nocte quadam fratri suo Germano Copioso per visionem apparuit. Quem ille cum vidisset, per inquisitionem inquisiuit dicens: Quid est frater? quomodo est? Cui respondit: Nunc vsque malè fui; sed iam modo bene sum, quia hodie communionem recepi. Quod idem Copiosus pergens protinus indicauit Fratribus in eodem Monasterio: Fratres verò sollicitè computauerunt dies, & ipse dies*

Triginta diebus Altaris pro defuncti Anima Deo offertur Sacrificium.

extiterat, quo pro eo trigesima oblatio fuerat impleta. Cumquè & Copiosus nesciret, quid pro eo fratres agerent, & fratres igno rassent, quid de isto Copiosus vidisset, vno eodemque tempore, dum cognoscit ille, quid isti egerant, atque isti agnoscunt, quid ille viderat; concordante simul visione, & Sacrificio, res apertè claruit, quia Frater, qui defunctus fuerat, per salutarem Hostiam euasit supplicium. Dominici quippe Corporis, & Sanguinis Deo immortali oblata pro defuncti piaculo Hostia, omni ipsum, quam in Purgatorio igne sustinebat, a pœnæ reatu absoluit.

Ipsa trig esima die e qua Sacrificio tū numerus adimpletur, Anima pœnis Purgatorii soluta gratias agit.

5. Quantum itaque Diuina incruentę oblationis Hostia defunctis in alio sæculo ad leuamentum ipsa, quæ viuentibus bona Diuinitus præstitit, palam cunctis faciunt; adeoque isthæc de sacro, quod pro homine, qui iam mortuus credebatur, à Sacerdote peragebatur, idē Gregorius in Dialogis tradit: *Agathus* (inquit) *Panhormitanus Episcopus* (*sicut fideles mihi, ac religiosi Viri multi testati sunt, atque testantur*) *cum beatę Memoriæ antecessoris mei tempore iussus esset, vt Romam veniret, vim nimiæ tempestatis pertulit, ità vt se ex tanto vndarum periculo euadere posse diffideret. Nauta verò illius Baraca nomine, qui nunc eiusdem Ecclesiæ Clericatus munere fungitur, post nauem carabum regebat: ruptoque fune cum eodem carabo, quem regebat, inter vndarum cumulos disparuit. Nauis autem, cui Episcopus præerat, tandem post multa pericula ad Vsticam insulam fluctibus quassata peruenit. Cumquè die tertio Episcopus nautam, qui ab eo correptus in carabo fuerat, in nulla nauis parte videret apparere, vehementer afflictus mortuum credidit: sed per obsequium charitatis viuo vnum, quod mortuò debebat, impendit, & omnipotenti Deo pro absolutione eius animæ offerri Sacrificium victima Salutaris iubet. Quo oblato, restaurata naue, perrexit ad Italiam. Cumquè ad Romanum Portum venisset, illic nautam reperit, quem mortuum putabat. Tunc inopinata exultatione gauisus est, & eum, qualiter tot diebus in illo tanto maris periculo viuere potuisset, inquisiuit. Qui videlicet indicauit, quoties in illius tempestatis fluctibus cum eodem, quē regebat, fuisset carabo versatus qualiter cum illo vndis pleno natauerat, & quoties*

Baronius an 589. num. 39

Altaris pro se Oblato Sacrificio qui mortuus credebatur a periculis liber emergit.

eo à superiori parte deorsum verso, ipse carina eius supersederet, adiungens: Cum diebus, ac noctibus hoc incessanter faceret, iamque eius virtus funditus ex fame simul, & labore decidisset, quo eum ordine Diuina Misericordia seruauerit, indicauit. Etenim quod etiam nunc vsque testatur dicẽs: laborans in fluctibus, atque deficiens, subitò mentis pondere sum grauatus, ità vt neque vigilare me crederem, neque depressus somno essem: & ecce iam in eodem medio mari me posito quidam apparuit, qui mihi panem ad refectionem detulit, quem mox vt comedi, vires recepi. Nec longè post nauis transiens affuit, qua me ab illo vndarum periculo suscepit, atque ad terram deduxit. Quod scilicet Episcopus audiens, requisiuit diem, atque illum fuisse diem reperit, quo pro eo Presbyter in Vstica Insula Deo omnipotenti Hostiam sacra oblationis immolauit. Hæc Gregorius illibati Altaris Sacrificium cunctis altius virtutem inculcando tradit. Quod enim talia Diuinitus portenta hominem inter maris vndas ab interitu vindicando præstitit, quid in releuandis à Purgatorij pœna pœnitentium animabus, ipsos inter ignes non magis salubriter præstet?

Oblato sibi, dum tẽpestate in mari iactatur pane Dominici panis vi & Sacrificio Altaris se iuuatum sensit.

6. Atqui Machabæorum dux ille pius æque, ac strenuus non nisi oblatis precũ & Sacrificiorũ suffragijs iuuandas interfectorum in Bello animas sapienter cogitabat: *Sancta* (inquit) *& salubris est cogitatio pro defunctis orare, vt à peccatis soluantur.* Quod, & pio item Christianorum more ità vsurpatum est, vt hos Missarum potissimum oblationibus post mortem releuare non destiterint: sic profecto miram Sacrificiorum virtutem palam cunctis faciendo. Quapropter rẽ omni admiratione Leontius dignã, & in sua Patria gestam in S. Ioannis eleemosynarij actis hunc in modum narrat: *Dicebat* (inquit) *quod à Persis quidam abductus captiuus in custodia, qua appellatur Lethe, asseruabatur vinctus. Lex autem erat apud Persas, vt qui coniecti erant in eam custodiam, nunquam reuocarentur, & & ea ratione consentaneum est eam fuisse vocatam Lethen, idest obliuionem: Illinc autem cum quidam potuissent aufugere, & in Cyprum venire, affirmarunt parentibus adolescentis, eum esse mortuum in custodia. Illi vero tres quot annis synaxes celebrabant, tanquam eo mortuo. Quatuor anni præterierant, cum filius illinc aufugiens, redit domum. Quem, cum parentes non tanquam qui fugisset è custodia, sed tanquam qui surrexisset è mortuis cum magno stupore aspexissent, & fuissent ineffabili voluptate repleti, & alia faciebant, & dicebant, quæ anima, quæ talem vidisset, faceret, & diceret; et quemadmodum ei tanquam mortuo fecerant iusta, quę fiunt mortuis, et cum eum docuissent, quinam essent y dies, nempe dies Sanctorum Theophaniorum, & dies Salutaris Paschę, et dies Pentecostes. Hæc cum ille audisset, et in memoriam reuocasset, parentibus affirmabat, quod ys ipsis diebus relaxabatur à à vinculis aduentu cuiusdam, qui gestabat lampadem, et fruebatur omni securitate; diebus autem sequentibus tenebatur vinculis sicut prius.* Hæc Leontius, quibus sanè incruenti Sacrificij Hostia, quæ pro Defunctis in Altari offertur, quantum ipsis apud Deum prosit, cum adeò viuenti & in custodia detento profuerit, per se vnusquisque argumentum deriuando intelligit.

Machabæor. lib. 2. c. 12.

Dux Macabęorum precibus, & Sacrificiis suos interfectos in bello iuuat.

Baronius an. 614 num. 39. Leontius in vit S. Ioannis eleemosynarij.

Diuina Sacrificiorum Oblatio corporibus nedum animabus prodest.

Captiuus apud Persas certis diebus vinculis soluitur, quo tempore Sacrificium offerebatur.

7. Digna itaque Sacrosancti Altaris Victima, eiusque Deo gratissima oblatio suam in cunctis Christi fidelibus, sed in quodam præsertim S. Bernardi Abbatis Clareuallensis discipulo Diuinitus olim vim ostendit, dum ipsũ à pœnalibus Purgatorij cruciatibus mirabiliter expiando absoluit, vt in eiusdem Bernardi gestis Gulielmus sic tradit: *Frater quidam* (inquit) *bonæ intentionis, sed durioris ergà cæteros Fratres conuersationis, et minus compatiens, quam deberet, in Monasterio defunctus est. Post paucos autem dies Viro Dei apparuit vultu lugubri, et habitu miserabili, significans non ad votum sibi cuncta succedere. Interrogatus autem, quid sibi esset, quatuor dilaceratis se se traditum querebatur. Ad quod verbum continuò impulsus est, et quasi præcipitanter expulsus à facie Viri Dei. Qui grauius ingemiscens, post tergum eius clamauit: Præcipio tibi in nomine Domini, vt qualiter tecum agatur, in proximo mihi iterum innotescas. Et conuersus ad orationem pro eo, et oblationem Hostiæ Salutaris; aliquot etiam fratrum, quorum ampliorem nouerat Sanctitatem, eidem similiter subuenire monebat. Nec vero destitit, donec*

Gulielmus Abbas in vita Sancti Bernardi Clareuallẽs. Abbat. lib. 1 c. 10.

Quidam S. Bernardi Abbat. Discipulus Missarum pro se Oblato Sacrificio à poenis eruitur.

post

post, sicut praeceperat, per aliam revelationem cognita eius liberatione meruit consolari. Ob Altaris itaque Hostiam, quam pro ipso Christi famulus obtulit, Deum sibi propitiantem, placatumque sensit, & à pœnis iam se omnino liberum vidit.

Petrus Cluniacensis l. 1. Miraculor. cap. ult.

Augustinus Mannus lib. Select. hist.

8. Quapropter animæ Defunctorum quæ ob culpæ reatum Purgatorio igne cruciantur, corporali nonnunquam specie se viuentibus ad petenda ab ipsis bonorum quoque operum suffragia videndas exhibent, vt Petrus Cluniacensis his verbis tradit: *Tempore (ait) quo Rex Aragonensis Alphonsus Regnum maioris Alphonsi Hispaniarum Regis iam mortui obtinebat, contigit, vt vbi contra quosdam, qui in Regione, quæ Castella dicitur, ei repugnabant, Exercitum commoueret, et vt de singulis regni sui Domibus singuli illuc pedites, vel equites dirigerentur edicto sanciret. Eo precepto coactus vnum ex mercenarijs mercede mihi seruientibus destinaui; Paucis post diebus decursis, omnibusque, qui expeditioni illi interfuerant, ad propria redeuntibus, ipse quoque domum reuersus est. Non longo deinceps tempore elapso, more humano morbo correptus, nec diù cum morbo luctatus, defunctus est. Inde post quatuor ferè menses, ex quo è vita recessit, dictus Sancius circa mediam noctem mihi adhuc vigilanti apparuit, etc. Quem cum vidissem, quis, inquam, es tu? at ille humili voce: Ego sum (inquit) Sancius famulus tuus. Quid (inqua n) hic agis? Vado (inquit) Castellam, iterque mecum multus exercitus comitatur, vt vbi deliquimus, ibi et delictis pœnas debitas exoluamus. Et cur (inquam) huc diuertisti? Est (inquit) mihi spes veniæ, et si misereri volueris, celeriorem mihi requiem cōparare potes. Quomodo (inquā)? Quādo inquit, nuper expeditioni, quam nosti, interfui, hostili inuitatus licentia, Ecclesiam quandam cum quibusdam socijs inuasi; quæ intus inuenta sunt, diripui; vestimenta insuper Sacerdotalia mecum rediens asportaui. Pro quo specialiter diris pœnis subactus affligor, et remedium a te, sicut à Domino meo, quantis possum precibus imploro: Nam poteris mihi subuenire, si beneficijs spiritualibus me studueris adiuuare, etc. Rogo insuper, vt Dominam meam, vxorem tuam, ex mea parte, mea functus vice depreceris, ne octo solidos, quos pro seruitio meo mercenario iure mihi debebat, reddere iam moretur; et quod necessitatibus carnis, si adhuc viuerem, reddidisset, animæ mea longè amplius hic egenti, erogando eos pauperibus largiatur, &c.* Sic ille defunctum velut à Domino suo viuente pia pro se è pœnis liberando suffragia poscentem inducit, qui, & de alijs defunctorum animabus in Purgatorio, & in Inferno demorantibus certior subinde factus, hæc de præmortui Alphonsi Regis anima quondam sibi Diuinitus apparente, & ab ea isthæc interrogando edoctus narrat.

Sancius post mortem Domino apparès se, sacris oblationibus iuuari exposcit.

Bonis præsertim operibus relaxari efuctorum pœnas docet.

Petrus Cluniacensis vbi supra.

9. *Et tu (inquam) quis es? Ego (inquit) huius, quem aspicis, socius sum, et Castellam cum isto, et multis alijs proficiscor; et tu (inquam) de Rege Alphonso, vbi dicebas, aliquid nosti? Noui, inquam, vbi modo sit, nescio. Nam aliquando tormentis acribus inter reos excruciatus, post modum a Cluniacensibus Monachis inde sublatus est; exinde verò quid de eo factum sit, prorsus ignoro, etc.* Et post multa hæc subdit: *Ad hanc vocem Sancius surrexit, et flebili voce, quod prius rogauerat, ingeminans: Rogo (inquit) Domine, ne mei obliuiscaris, et vt Dominam meam, coniugem tuam, quatenus quod corpori debebat, miseræ animæ meæ restituat, oro, sollicitus exhorteris. His dictis, statim vterque disparuit, etc. Facto mane octo illos solidos à coniuge accipiens, et de meo, quod congruum visum est, addens, pro eius, qui apparuerat, Salute pauperibus distribui, et Sacrarum Missarum adiutoria ei à Sacerdotibus, mea prece, et studio impensa ad pleniorem peccatorum eius remissionem adauxi. Hanc tam claram, et commendabilem visionem, velut verbum è verbo exprimens, ad ædificationem fidei, et morum, tam modernis, quam posteris fideli scripto transmisi, et quanta cautela mortalibus necessaria sit, mortuorum ipsorum testimonio declaraui. Non parum autem, immo maximè veritati huius visionis attestatur, quod à mortuo dictum est, Alphonsum Regem à Cluniacensibus Monachis sublatum, et a tormentis consimilium reorum ereptū. Nam quod omnibus pœnè Hispanis, et Gallis populis notum est, idem Rex Cluniacensi Ecclesiæ magnus amicus, et Benefactor extitit, etc. Obtemperauit benignus Regis æterni precepto*

Alphonsus Castilæ Rex Cluniacensium suffragiis è Purgatorio liberatus.

Sacrificii altaris Oblatio pro defuncto, ipsi requiem attulit.

Missarum quam Deo grata pro defunctis oblatio.

pto, faciens sibi amicos de mammona iniquitatis, à quibus amicis, finita Regni villicatione, secundum iam dictæ visionis tenorem, et a poenis ereptus, et in æterna tabernacula susceptus est. Hæc Petrus; Quibus sane quid pia poenitentium opera, eleemosynarum videlicet elargitiones, & Missarū præsertim oblationes defunctorū animabus prosint, vnicuique satis, superque isthæc legendo innotescit.

S. Bernardus in vit. Sancti Malachiæ Episc. cap. 6. apud Surium die 5. 9bris.

10. Quod item magis, magisque ex his, quæ in B. Malachiæ gestis a D. Bernardo hunc in modum narrantur, apteque in rem comprobatur: *Mortua est* (inquit) *Malachiæ soror; nec prætereunda visiones, quas vidit de ea. Huius quidem sanctus Vir carnalem exhorruerat vitam, et tanto zelo, vt se deuouerit, non visurum eam in carne viuentem. At illa carne soluta, solutum est vinculum, et cœpit videre in spiritu, quam in carne noluit. Quadam nocte audiuit per somnium vocem sibi dicentis, sororem eius stare foris in Atrio, et escæ per totos triginta dies nihil gustasse. Qui euigilans citò intellexit, cuius escæ inedia marceret, et diligenter discusso numero dierum, quem audierat, ipsum esse reperit, et quo pro ea panem de Cœlo viuum non obtulisset. Tunc ille, qui sororis non animam oderat, sed peccatum, beneficentiam, quam intermiserat, rursum adoritur. Neque id frustrà. Non multò post visa est illi peruenisse ad limen Ecclesiæ, nec dum tamen posse intrare; apparere etiam in veste pulla. Cumque ille perseueraret, curans, ne quo die solita stipe frustraretur, secundò vidit eam in veste candida. En quantum valeat deprecatio iusti assidua. Verè Regnum Cælorum uim patitur, et violenti rapiunt illud. Sanè Malachiæ oratio vicem quodammodo effractoris exhibuisse videtur Cælestibus Portis, quando peccatrix Mulier fraternis obtinuit armis, quod suis meritis negabatur.* Hæc Bernardus, quibus miram Diuinorum mysteriorum ad animas è Purgatorio liberandas vim cunctis palam ostendit.

Soror Sancti Malachiæ post mortem ab ipso Sacrificiorum auxilia poscit.

Tandem è poenis ad requiem transit.

11. Diuina quippe Altaris, omnium vt pote efficacissima oblatio, qua Purgatorij Animæ in primis iuuantur, ab ipsis vltrò, enixeque expetitur; adeoque pœnarum Purgatorij acerbitas haud dubijs aliquando argumentis per visum mortalium ob oculos repræsentari visa est, vt Theodoricus in S. Dominici gestis sic tradit: *Frater Bertrādus (ait) Ordinis S. Dominici Vir sanctus, et primus Prouinciæ Prouincialis Prior solebat ferè quotidiè Missam pro peccatis celebrare. Suscitante autem ex eo Fratre Benedicto Viro prudente, cur rarò pro defunctis, frequētissimè pro peccatis celebraret? Ille spondit: Vita defuncti, de sua Salute certi sunt; nos in periculis fluctuamus: At illi Frater Benedictus; si sint duo Mendici, alter membris sanis, alter iis carens: vtri potissimùm opitulaberis? respondit: illi sanè, qui se minùs iuuare potest. Tum Benedictus: Nimirum (inquit) ij sunt defuncti, quibus nec os est ad confitendum, nec manus ad operandum, sed nostram opem postulant. Viui autem peccatores, et os et manus habent, et possunt ijs sibi consulere: Sed cum à sententia sua non deduceretur Bertrandus, sequenti nocte quidam terribilis defunctus apparuit ei, et fasce lignorum mirè eum compressit; atque decies, et eo amplius eum ea nocte excitans perterruit, et vexauit. Igitur prodeunte aurora Fratrem Benedictum ad se vocat; narrat totius noctis historiam; inde religiosè, lacrymabundus ad aram accedens, pro defunctis Sacrificium obtulit, idemquè deinceps sæpius fecit.* Sic planè tam verbis, quam factis defunctorum, qui in pœnis alioqui acerbissimis sunt, & magno quidem fructu semel causa prerorata est.

Theodoricus in vit. Dominici lib. 2. c. 1. apud Surium 4. Augusti.

Frater Bernardus Prædic. Ordin. cur raro pro defunctis offeret, ob aliquo interrogatur.

Quid ipsi interroganti respondit.

A defuncto Virgis valide percussus pro defunctis solicitus fit.

12. Sacrosancta igitur Dominici Corporis Hostia, quæ in Altari offertur, defunctorum animas releuari, & pœnis item atrocioribus solui, reuelationibus quàm multis euincitur, vt ex D. Antonini Chronico, & ex Chronicis item Fratrum Ordinis Minorum videre est; hæc enim ibi: *Cum Ioannes* (inquit) *de Alucrna Franciscanus celebraret Missam in commemorationem omnium defunctorum, obtulit cum tanto charitatis affectu, & compassione pietatis illud altissimum Sacramentum, cuius efficaciam super omnia suffragia desiderant animæ defunctorum, quod liquefiebat totus in dulcedine pietatis, & melliflua dilectione superna. Cum ergò in Missa Corpus Domini Sanctissimum leuaret, offerens illud Deo Patri, vt amore illius, qui in Cruce pependit, animas illas ab ipso creatas, & redemptas de carcere misericorditer liberaret, vidit quasi infinitas animas de Purgatorio*

Chronic. S. Antonini 3 part. tit. 24 cap. 8. §. 15.

Ex Chronicis Fratr. Minorum Ordinis.

Catech. hist. cap. 1. tit. 31 de Indulgen. num. 235.

torio egredi, ceù multitudinem scintillarum de ignita fornace prodeuntium, & vidit illas ad Cœlestem Patriam aduolantes propter merita Christi, qui pro humana salute in Cruce pependit. Dei itaque misericordiā Diuinorum mysteriorum subsidio animabus in igne luentibus refundi, ac debitam insuper culpis pœnā dimitti, haud dubijs vltrò historiarum monumentis constat.

Petrus Ranzon. in vita S. Vincentij Ferrer. lib. 3. apud Surium die 5. April

13. Quod quidem Virorum Sanctissimus ille, Vincentius Ferrerius Prędicatorum Ordinis probè sciens, pro vno è socijs in Purgatorij pœnis detento, nonnisi Diuinum, illibatumque Missæ offerri olim Sacrificium poposcit, vt Scriptor in eiusdem gestis sic narrat: *Toto* (inquit) *biennio, quo B. Vincentius, cognomēto Ferrerius, professione Dominicanus fuit in Britannijs, quemdam ex eius socijs vexauit febris. Petijt is benedici, & cruce signari à Sancto Viro, vt posset eo morbo liberari. Et manus quidem suas B. Vincentius imposuit, sed mox eum intuens: Noueris (ait) fili frustrà te expetere sanitatem: namque post dies octo hora prima Dominicæ diei morieris. Consule igitur saluti animæ tuę. Ille paruit Viro Beato, & eadem hora, qua prædictum erat, vita functus est. Ad eius exequias multi conuenere Sacerdotes, à quibus Vir Sanctus petijt, vt singuli pro illius anima ter Missas celebrarent, dicens, reuelatione Diuina se didicisse, triduo illum Purgatorij pęnas luiturum: Offeruntur ab illis Missarum Sacrificia, & à Vincentio gratiæ eis aguntur, indicaturq; Missarum, & precum suffragijs animam à pœnis ereptam ad Cœlos euolasse.* Sacra quippè ne dum Altaris oblatio Deū placat, sed & Cęlum insuper ipsius Christi meritorum virtute fidelibus reserat.

. Vincentius Ferrerius pro defuncto è pœnis eruendo Missæ Sacrificium offerri præcipit.

14 Vt magis verò susceptæ narrationis propositum elucescat: cum Philippus Rex Francorum mortali è vita migrasset, & in Purgatorij pœnis ad expiandas anteactæ vitæ labes detineretur, Honorium Pontificem, vt incruentam pro se Altaris Hostiam offerret, idque S. Dionysio curante admonendū voluit, vti Guillelmus Brito in suis historiarum paginis testatur; & Rainaldus de ipso in suis annalibus isthæc meminit: *Pergit* (inquit) *Guillelmus inculta quidem, & agresti musa, sed veritatis amantissima enarrare, Virum prænobilem Iacobum nomine Pontificij Penitentiarij hospitem in ancipiti mortis discrimine extrema Sacra Vnctione delibutum, cum fugientis vitæ vltima suspiria penè traheret, obiecto cælesti viso fuisse recreatum, in quo S. Dionysius purpurea veste decorus, atque ingenti circumfusus splendore, cui praibant Angeli albo amictu, sequebatur verò Regis Philippi anima veste ignea induta, se obtulit, cumque illi significasset, se Dionysium esse, illum verò Philippum Regem, qui è viuis discesserat atque in Purgatorijs flāmis ad crimina expianda versabatur, adiecit, adiret Pontificem, moneretque, vt pro Regis anima incruentum Missa Sacrificium offerret. Expauescenti ad iussa, respondentique agere in extremo mortis confinio vires, nec animum suppetere, vt ea Pontifici referret, atque etiam insanum habitum iri: Diuum Dionysium omnem ex illius animo metum blandis verbis depulisse, & repentè pristina valetudini restituisse. At ægrum confirmatis viribus, morboque liberum exilijsse è lecto, & Pontifici visa retulisse, fidemque accepta diuinitus valetudinis argumento fecisse.* Mirus planè sacrificij, quod instanter adeò pro Philippi anima è pęnis soluenda expetebatur, valor, ac dignitas, quæ S. Dionysium assertorem habuit; Quo item sollicita habenda pro mortuis cura, summoperè commendari mortalibus meruit.

Rainald. an. 123. n. 38.

S. Dionysius pro Philippo Francorum Rege incruentam offerri hostiam, vt à pœnis soluatur apparendo postulat.

Sanus repētè fit, qui iā moriebatur, vt signo res comprobetur.

15. Piè igitur, ac salubriter impensa, tum mortuis, tum ipsis etiam viuentibus precum suffragia, & Diuini in primis (quod consueuit Ecclesia) Sacrificij oblatio, valdè vt exemplis constat, & haud semel defunctorum animæ apparēdo testatæ sunt, profuisse noscitur. Nonnullos etenim de piaculari sacro pro ipsis peragendo sollicitos, maximis à Deo haud semel gratiarum donis cumulatos legitur, vt Nicius Erithræus in suis paginis his verbis tradit: *P. Io: Franciscus Carrettonius Soc. Iesu cum ad sodales B. Mariæ Virginis Assumptæ in domo professa Societatis Iesu circiter annum M. DC. XX. verba faceret de cura pro mortuis agenda, me audiente, atque admirante narrauit, etiā tum viuere, qui ab ineunte ætate multis flagitijs inquinauerat; verùm incredibili quodam studio animas defunctorum iuuandi semper exarserat, vt etiam sæpissimè piacula-*

Ianus Nicius Aerithræus lib. virt. ac ac vit. exem. 3.

culare aliquod sacrum pro eis faciendum curaret. Erant huic inimicitiæ graues, & acerbæ cum popularibus quibusdam suis, à quibus vitæ, capitique ipsius insidiæ perpetuò comparabantur. Cum igitur nocte quadam vitandi æstus causa, equo vectus Tibur, si rectè memini deferretur; illac iter fecit, vbi ad ingentem quercum insignis cuiusdam latronis scissi membra suspensa pendebant, quæ membra (horrendum dictū) visa sunt inter se coniungi, atque in vnum corpus coalescere. Quod cum se demisisset in terrā, equum illi detractum conscendit, imperauitque, vt tantisper ibi consisteret, quoad rediret. Cui ille, qui totus præ timore obriguerat, neque hiscere audebat, dicto audiens fuit. Sed vix cadauer illud equo vectum sexaginta ab eo loco progressum est passibus, cum ab hominibus quatuor inuaditur, & sclopis in ipsum emissis de equo deturbatur, ac deijcitur; sed paulò post inimicis ab oculis fuga sublatis, ad eum, qui hæc spectauerat redijt, atque: Hæ tibi (inquit) *insidiæ comparabantur, nisi me* Dei *iussu in eas coniecissem. Idque eximiæ tuæ in mortuos pietati tributum ab eo est. Contine igitur te in hoc perenni studio, & simul mores emenda, eosque ad* Diuinæ *legis rationem, præscriptumque compone.* His *dictis cadauer illud quatuor in partes distractum, ac suspensum in quercu illa visum est vt antea pendere; qui verò tam manifesto mortis periculo diuinitus illo miraculo ereptus fuerat, non solùm pietatem, & sollicitudinem suam efficacius, quàm antea defunctorum animis præstitit, sed extemplo omnibus alijs rebus posthabitis, arctiorem* Religiosorum *hominum amplexus est vitam.* Sic profectò pijs operibus, ac sacrificij præsertim oblatione iuuari defunctorum animas, & viuentes pariter, qui id faciendum sollicitè curant, eorum apud Deum precibus, vt resipiscant, munitos ad salutem proficere sic manifestum proculdubio redditur.

Sacrum pro Purgatorii animabus oblatū à præsentaneo vitæ periculo eum, qui offerri curabat, eximit.

Defunctus paratas homini insidias ipso illæso relicto, ac spectante subit.

Cadauer è quercu pendens post erutum è periculo hominem, vt prius pendere visum est.

16. Atquì defunctorum animæ piacularibus, quæ pro ipsis Deo offeruntur, Sacris quoquo modo per scelus priuari, & à viuentibus fraudē pati iniquè adeò ferunt, vt apparentes interdum in somnis ipsosmet acriter per visum, fraudis auctores superadditis minis moneant, vt Nicius his planè verbis tradit: *Amplius* (ait) *sunt viginti anni, quo somnium mulieri cuidam viduæ obiectum est. Erat huic mater, quæ octauo quoque die plura piacularia sacra pro expiatione animarū, quæ Purgatorio igne detinentur, facienda curabat, atque eleemosynam priuigno eius viduæ filię suæ, vt diximus, Sacerdotibus deferendam tradebat, qui nunquam totam persoluebat, sed semper partem eius aliquam auertebat; neque id vnquam mulieri subolere potuerat. Verùm vidua illa visa est videre, atque audire in somnis, qui diceret priuignum suum eleemosynam ad sacra faciēda tributam defraudare, proindè matrem admoneret, vt alium fideliorem eligeret. Quod somniū cum filia matri suę narrasset, illa primò contempsit; post venit illi in mentem filiæ somnio aures dare, nec rem illam inquisitam dimittere. Itaque Aedituum eius Ecclesię adit, percontatur ex eo, quot à puero illo iulios octauo quoque die ad Sacra facienda perciperet. Ille sumit codicem, in quem eleemosynarum ratio referebatur, inspicit, ac puerum inuenit, ex singulis eleemosynis singulos nimirum iulios solere detrahere, sibique habere. Qua re comperit filiæ somnium à veritate non discrepare, sed cum eam mirè congruere, atque in eam opinionem adducta est, vt pro certo existimaret,* Dei *permissu aliquam earum animarum, quarum ea Sacra fieri plurimum intererat, secundùm quietem filiæ indicasse, fraudari eam pecuniam, quæ erat ad earum expiationem attributa.* Fraudulenter quippè pio eleemosynarum per hominem pretio, quod pro faciendo Sacro destinatum erat, sublato; suis quoque defunctorum animas, quæ in Purgatorio igne expiantur, Fidelium frustratas subsidijs, optatis apud Deum carere suffragijs, adeoque in Purgatorij pœnis moras diutiùs trahere, haud paruo ipsarum detrimento contingit.

Nicius vbi sup. lib. virt. & vit. exem. 148.

Defunctorū animæ tacitæ se oblationibus fraudātes apparendo exterrēt.

Quod mulier de huiusmodi fraude ab alio vt caueat, in somnis monetur.

17. Demùm quia viuifico, atque incruento Sacrosancti Altaris Sacrificio, quo nil præstantius, & quod Omnipotenti Deo tam pro viuis, quàm pro mortuis perpetuò in Ecclesia offertur, & tū iustis ad gratiam, tum pœnitentibus ad veniā singulariter prodest, iā nostro huic Operi finis imponitur, opportunè hìc nobis ad immortales Deo gratias pro absoluto feliciter suscepti laboris penso referendas, Diuina Altaris Hostia prouido Dei nutu ad manus, nec incongruè (vt

Congruè sacrum opus Sacrosancti Altaris oblatione concluditur.

nobis

nobis arbitrari fas est) suppetit. Christus quippè, qui auctor est, & in Altaris maximè Sacramento ineffabili modo continetur, cum ipse sit *Alpha*, & *Omega*, principium, & finis par itidem est, vt ab ipso primùm, ac demum in ipso nostra quælibet actio suum tam initium, quàm finem sortiatur. Quapropter non absque peculiari altissimarum, ac futurarum rerum mysterio Regius Psaltes in illis pręsertim Psalmis, quos (vt ille habet) in *Finem* inscripsit, Christum profectò, qui est Sacerdos, & victima, principium, & finis, ac omnes denique figuras veracissimè complet; adeoque cunctas hostiarũ oblationes, hac vna visus est designasse, dum specioso ipsum eiusmodi titulo, ac præcipuo item appellandum nomine exornandumque denunciat. Ad ipsum quippè (vt egregiè Ambrosius docet) ea, quæ sunt mortalium, vt Deo immortali sint grata, meritamque ab ipso mercedem accipiant, velut in vltimum denique finem, dirigenda salubriter sunt, ac ordinanda fideliter. *Quia ipse* (inquit) *finis est spei nostrę, ad ipsum studia nostra dirigimus: ad ipsum vota nostra conferimus; quia ipse est plenitudo, ipse consummatio vniuersorum, ipse omnium summa virtutum.* Adeoque ipsi iure merito hæc nostra, quæ ipso primùm aspirante cœperunt, nunc nostris ipso pariter votis benedicente absoluimus. Res igitur ipsa id nobis vltrò suadet, condignas videlicet Deo supremo bonorũ omnium auctori gratias exoluẽdas, & grati vtiq; memores officij admonet; Eucharistia siquidem nonnisi gratiarum actio mortalium auribus insonat, eo quòd in Sacrosanctæ Missæ Sacrificio, in quo Christus verè, ac realiter pręsentissimus adest, cunctisq; longè hæc vna præstat hostiarum oblationibus, ac sacrificijs: *Nunc enim carnalium* (vt Magnus ait Leo) *sacrificiorum varietate cessante, omnes differentias hostiarũ vna Corporis, & Sanguinis Domini simplex oblatio.* Quapropter nunc solemnes Deo pro acceptis ab ipso ingẽti bonorũ cumulo beneficijs, immortalesque pro gratijs gratias persoluimus. *Regi itaque* (vt Apostolus ait) *immortali, & inuisibili soli Deo honor, & gloria.*

[Margin notes: ...40. — ...rosteus ...in... ...40. — Christus principium, & finis, omnisq; hominis actio principium, ab ipso, & finem per ipsum sortitur. — S. Leo Ps. ser. 8. de Passione Domini. — Debitę Deo pro completo Opere gratiæ sub finem redduntur. — Ad Timoth. cap. 1.]

F I N I S.

IN SELECTAS POENITENTIVM MORTES.

IN
ALBO POENITENTIVM
Sub immortalis Vitæ auſpicijs,
Ac Triumphi titulo,
Tu quis es?
Lege mortalium poſt mortem viuentium,
Dealbatorum in Agni ſanguine Mortes.

Apocal. 7. v. 14.

Hi ſunt,
Qui mundo ſemel, ſibi, ac peccato mortui,
Nunc ſemper Deo viuunt.
Horum, ſi quæris nomina, Cœlo digna,
Digito Dei viui,
Scripta ſunt in libro Vitæ.

Apocal. 17. 8. & 21. 27.

Felix clauſula, beatus finis, fauſtum momentum,
Ex quo pendet Æternitas.
Mors haud mors, potius beata ſors,
Vita potius, quàm mors.
Qua homo ita finit, vt hominis vita
Nunquam finiatur.
Cui illa è Cœlo ad viuum pro elogio vox,
Ne quis hic mortuos lugeat,
Mortalibus inhibens lacrymas occinit:
Beati mortui, qui in Domino moriuntur.

Apocal. c. 14. v. 13.

Momentaneus Pœnitentiæ dolor,
Perpetua Pœnitentium lætitia.
Qui enim hic feriò ſe ipſos, ac peccata lugent,
Perpetuò illic cum Deo gaudent, tripudiant;
Verè beata ſors, felix Pœnitentium mors.

Ingens

Ingens lucrum, mori ſemel, vt ſemper viuas.
Pœnitentia quippè Naufragantium Tabula,
Mors tutus poſt naufragium Portus.
Quid moraris Peccator?
Feſtinus ergò arripe ſalutis Tabulam
Qua ſecurum tibi ad Vitam eſt iter.
Vis noſſe,
Quid perdito Pœnitentia homini præſtet?
In Operis diſce titulo;
Peccator mortuus erat, & reuixit,
Petierat, & inuentus eſt.

Lucæ cap. 15.

Lege itaque in titulo, & in Pœnitentium mortibus
Vitæ immortalis compendium.
Et poſt quam legeris, dicito:
O quàm longe Peccator, & Pœnitens,
Vnus, idemque à ſe inuicem diſtant.
Peccator namque ita ſemel riſit, vt ſemper poſtea fleret;
Pœnitens ita ſemel fleuit in vita,
Vt ſemper rideret in morte.

Prouerb. cap. 31.

Ergò
A morte vita, à vita mors
A momento Æternitas.
Tu modò elige;
Viuere, perire ſemel,
Viuere, perire æternum eſt.

AVCTORIS
PROTESTATIO.

IN aliquibus Virorum , ac Mulierum illuſtrium pietate inſignium geſtis in hoc Opere noſtro narrandis , nullam nos niſi priuatam dumtaxat dictis , aſſertiſque fidem , haud publicam conciliare auctoritatem intendimus ; adeoque Sanctæ Romanæ Eccleſiæ iudicio cuncta remittimus iuxtà Decretum Sanctiſſimi Vrbani VIII. fel. recor. in Sacroſanctæ vniuerſalis Inquiſitionis Tribunali, Anno ſalutis 1631. cui & nos omninò dicta , aſſerta quoque noſtra humillimè ſubijcimus .

INDEX RERVM,

Quæ in hoc volumine continentur:

A

B

C

Clau-

dum se accusat, quam si cuncti mortalium laudibus ipsum extollerent. ibid. In Confessione, & lacrymis digna apud Deum corona, & laus. ibid. Presbyter diutino morbo conualescens, vt ad Confessionis remedia confugiat, non prius moritur, quam culpam sacerdoti reuelet. ibid. n. 5. Ioannes Presbyter libidine turpiter vitiatus, nisi suam humiliter in confessione culpam diluisset, proculdubio perierat. p. 281. n. 6. Otho II. Romanorum Imperator suos supplex coram Pontifice, & cæteris fateri errores vitæ non erubescit. p. 282. num. 8. Ernestus Alemanniæ Dux sua lethaliter saucius, compunctusque peccata reuelat. p. 283. n. 12. Et quia sacerdoti confiteri non potuit, suis commilitibus ob Contritionis spiritum publice se ipsum accusat. p. 284. ibid. Quid de confessione facta layco dicendum ex Baronio, ibid. Ludouicus Crassus pœnitentiæ, & Confessionis laude præcipuus. ibid. n. 14. Richardus Henrici II. *Anglorum Regis filius corde compunctus ad Episcoporum pedes suas vitæ culpas prodit p. 365. n. 16. Philippus Comes Namurcensis quæ peccauit confitendo coram quatuor Abbatibus aperit, tot, tantisque lacrymis, vt talis nunquam contritio sit visa. p. 286. n. 19. Lutheranus minister Verbi, Compunctus ad Pontificis pedes lacrymis, ac singultibus, suos publicè errores detestando accedit. p. 287. n. 2.*

Confessio *culpę idoneum ad digne summendum Christi Corpus hominem reddit. pag. 259. nu. 4. Confessionem præmittens Dacco Francorum Regis patruus interficiendus Sacerdoti suas in confessione animi labes narrat p. 10. n. 15. Pius apud Christianos Sacramentaliter confitendi vsus. ibid. Dignus Confessionis post lapsum fructus. pag. 335. n. 1. Deo in primis ex peccatorum Confessione laus, & gloria, homini salus prouenit. ibid. Solemnis in Christi Ecclesia confitendi mos, adeoque Eduardus primus Anglorum Rex languore oppressus, dolensque, cunctas vitæ noxas fatetur. pag. 16. num. 28. Quod egregie item Guillelmus primus Angliæ Rex præstat, qui compunctus, & iam moriturus publicè confiteri vult p. 134. nu. 15. Suo idem exemplo cunctos docuit Episcopus Ord. Præmonstratensis, in Anglia, qui de Confessione à suis sub vitę finem admonitus, se id præuenisse serio respondit. pag. 567. n. 6. Memor quippe scripturæ, quæ dicit:* Ante mortem confitere, *& sanctioris licet vitæ confessionem præuenit. ibid.*

Confessio. *Famosus Vir sexagenarius sacramentalem penitus Confessionem nesciebat. pag. 122. num. 5. Confessionis diuinam plane virtutem palam cunctis olim Hæreticus ostendit, qui ad ignem damnatus, dum Sacramentalem Confessionem instituit, cuncta combustionis signa mox auolant, adeoque à morte liber euadit. pag. 566. n. 5. Confessio magni apud Deum meriti, adeoque Henricus iunior Angliæ Rex Cilicio indutus, & fune collo iniecta culpas confiteri vult. pag. 195. n. 19. Henricus Vo.* K. D. *Barbaræ patrocinio confessionis gratiam sub vitæ finem obtinet. pag. 567. n. 7. Ab incendio mirabiliter liberatus, confessus postmodum obit. ibid. Pro Confessione apud diuam precibus supplex instat. ibid. Virgo veneranda ipsius votis è Cælo adest. ibid. Vir flammis à vertice capitis vsque ad pedes assatus confitendi spatium obtinet. ibid. num. 8. Miseranda hominis species, qui non tam viuentis, quã cadaueris assi formam exhibet. p. 568. ibid. Miraculum proprio ore cunctis narrat, ac mortis horam enunciat. ibid.*

Confessio. *Humilis peccatorum confessio, sanctis hominibus sub vitæ exitum vsu frequens. pag. 10. n. 15. Haud protrahenda in morbis; Indus item lethali infirmitate præuentus Confessionem Sacramentalem refugit. pag. 38. num. 9. Christus Dominus noctu illi apparens ad Confessionem inuitat, ipsi animæ salutem repromittens. ibid. Confessio. Magnæ fiduciæ, ideoque Ioanna impura mulier in Anglia suas coram Sacerdote, ac omni populo turpitudines reuelat. pag. 137. num. 22. Nec non Iobertus confessionis Sacramento à malis mirifice releuatur. pag. 571. n. 3. Alter vero pariter Iuuenis culpas, quas præ dolore confiteri non poterat, diuinitus lacrymarum vi deletas intelligit. pag. 162. num. 8. Miles septemnalem peccatorum Confessionem apud Sacerdotem instituens ingentem cordis dolorem lacrymis prodit. ibid. num. 9. Maximilianus Augustus Imperator moriturus peccatorum exhomologesi conscientiam expiat, & se Viatico munit. pag. 65. n. 22. Confessio ipsius Dei munus, adeoque Mulier in feretro iacens, caput attollens confiteri se velle Sacerdoti indicat. pag.* Rrrr 572.

 simi-

De-

E

Ob

F

pag.

Ful-

G

pri-

H

I

Infe-

 mor-

K

L

M

INDEX

Mors

N

Nico-

P

deuo-

Qui

R

Quia

S

Sisber-

T

Theodo-

V

FINIS

Errata Corrige.

Primus numerus paginam, secundus numerum, tertius columnam denotat.

Pag.	N.	C.	Errata, Corrige.
5	3	2	Valentiani, Valentiniani
10	15	2	tantum, tantam
11	16	1	corruunt.corruentes
18	10	1	ratio, oratio
22	7	2	conficere, configere
23	9	2	quod, quot
25	12	1	videns, videas
Ibid.	14	2	imitationes, Imitatione
26	17	1	Crues, ciuis
27	19	1	peritæ, peritæ
Ibid.	21	2	Cannonum, canonum
32	29	1	In se ipsos, se ipsos
33	30	2	blandaret, blanda, &
36	3	2	Dei, Deo
48	19	2	Cœmenterium, Cœmeterio
Ibidem			His, Hinc
53	11	2	renunciatus, renunciatas
55	12	1	sacrificium, sacrificio
Ibid.			Hominis, Homine
60	13	1	tunc, eum
61	15	2	Iaque. Itaque
ibid.	16	2	molliquædam, molli quodã
62	16	1	Viri de, Viri Dei
ibid.	16	1	reuiuiscerunt, reuiuiscerent
ibid.	43	2	funeris, funereas
65	23	2	placeant, placeat
67	28	2	precuisso, præcelso
ibid.			munere, funera
73	2	1	surreais, surrexeris
76	10	1	Qui quippe. quippe qui
83	8	2	Inmolestis, In molestus
Ibid:			in specie, in specu
86	3	2	triste, tristi
87	4	2	talis, tabis
ibid.			effigientes, efficientes
92	4	1	In refrigerio, in refrigerium
105	18	1	Gernia, Hernia
106	19	1	Heschanicus, Haschenius
Ibid.			se studijs, de studijs
115	9	1	felitate, felicitate
116	5	2	se alectis, de allectis
121	5	2	Vanus. vnus
133	24	2	abruendam, obruendam
139	2	2	affluente, affluentes
141	8	1	adicens, edicens
152	9	2	de liso, deliros
158	1	1	pœniuentia, pœnitentiæ
162	7	2	superaret, superarat
164	3	1	aderret, offerret
167	9	1	conclansis, conclusis
173	6	2	dimitteret eã, dimitteret ea
Ibid.			errores dogmatum, errorum dogmata.
180	22	2	gonsilio, consilio
ibid.	23		è magno, è magna
ibid.			Suenus, Sueuus
184	5	2	Vttium, vitium
190	25	1	ipse, ipsæ
195	25	1	Anim, animi
197	2	2	Atqu. Atqui
199	5	1	femum, fœnum
209	24	1	fortuna, fortunam
Ibid.			encusandum, excusandam
218	8	1	coronam, corona
222	12	2	humilitaei, humiliari
226	19	1	ineit de *dele* de
229	4	2	veruati, virtuti
230	3	2	renunciasse. renunciassem
241	6	2	inter scri-, inter scribedum
246	3	1	pœnitentiam, pœnitentium
249	7	1	cados, cauendos
Ibid.	2		interpretandam, impetrandam.
251	12	2	ægrotamam, ægrotantem
254	14	2	Apostoli, Apostolici
259	4	2	vtrius, vnius
259	5	2	nio sette, Baronio teste
265	1	2	facis, facies
273	14		miseteretur, misereretur
274	16	1	isam, idem
280	3	1	Sed hos, sed has
Ibid.	4	2	inas duas *dele* duas
Ibid.	4	2	vt super, vt semper
282	8	2	Ecclesiæ, Ecclesia
283	9	1	perdisset, perdidisset
285	16	2	sordus, sordes
290	5	1	dolentes, dolantes
292	10	2	Et fridum, Elfridum
295	18	1	opposita, apposita
299	5	1	separantur, reparabantur
301	10	1	anima, animam
304	18	1	ad viginti enim millia, ad viginti enim & plura millia
317	29	2	Incederat, Incenderat
322	7	1	mortuus, mortuum
327	2	1	dignum, dignam
328	14	2	sic magis, sic magnis
331	10	1	tenebrari, terebrari
ibid.			e luias, clauis
334	1	1	protus, prorsus
345	22	1	ad ipsum, id ipsum
ibid.	23	2	ipectet, spectat
350	9	2	in seruiture, in seruitutem
376	1	2	veriam, veniam
379	8	1	nimira. mira
385	8	2	delinquisset, deliquisset
391	16	1	conquerentur, conquererentur
393	23	2	esse factum, esse factum
401	18	1	pœnitenciam, pœnitentia
402	22	1	statuneque, statuantque.
Ibid.			celebrantem, celebrando
403	1	1	recesenda, recensenda
404	3	1	ipsum, ipsam
Ibid.	4	2	vt borealis, & boreales
406	9	1	Grega, Græce
410	2	2	illi bonam, illibatam
411	2	1	relites, lites
411	22	2	Cæsar Augustus, Cæsar Augustanus
418	12	2	lnxuriens, luxurians
422	28	1	admonitum, admonitus
423	12	2	in cœlum, in cœlo
426	5	1	parui, paruit
432	2	1	amorum, armorum
441	5	2	perstitionem, superstitionem
443	9	2	sociatis, sciatis
448	6	2	facto, à facta.
454	8	1	feeili, fecisti
ibid.	4	1	bitrio, arbitrio
462	16	2	reipsas, reipsa
463	18	1	redentes, redeuntes
467	2	1	designatus, designans
472	21	1	celebrari, celebratus
478	10	1	honore, honorem
479	12	2	Messanos, Vasanos
482	16	2	attentatione, attentione
ibid.	21	2	quid scilicet, quod scilicet
485	23	1	præeminent, præeminet
486	33	1	terrestrius. terrestris
ibid	27		æstu in, æstu
488	23	2	exarendis. exercendis
491	2	2	aditum tibi, aditum sibi
495	10	1	venerarent, venerantur
496	12	2	Aurelia, Ardeatina
501	20	1	charitate, charitatem
ibid.	2		ne tu, næ tu
507	49	2	varia, in varia
512	10	1	signiaci, significi
513	23	1	lacrymas, lacrymans
515	18	2	ac benignatate, in benignitate
520	22	2	suscipiebat, suspiciebat
519	22	2	lucrandi, lucrari
520	22	1	paruo cum, non paruo cum
521	2	5	alari socij, clauis socij
522	8	2	praua, parua
524	5	1	pensemas, pensemus
528	11	1	aliquid verum, aliquid verò
539	3	1	calida, callida
Ibid.	4	2	excoluisse, exoleuisse
541	8	1	inhonorandum, inhonoratū
544	3	1	largitas, largitus
546	18	2	foris, foris
553	6	1	quibus modis, quibusuis modis
560	22	2	idolatra, idolatriæ
562	29	2	societate, societatis
Ibid.			fide, fidei
563	29	1	cœlum, cœlo
564	1	1	virtutem prælio, prælio virtutem
567	6	2	clerici sui, clerici sui
569	1	2	sapienus, sapientis
570	1	1	ensus, sensus
Ibid.	2		vulnus, non vulnus
575	1	2	futera, furore
577	3	1	feri, fieri
Ibid.	4		Pensij, Perusij
ibid.		2	ægnus, agnus
ibid.			ni, omni
ibid		2	suo, tuo
584		1	vitari, vocari
585	14	2	summanais, sumentis
ibid.	15		panam, panem
586	16	1	intus, intuitus
ibid.		2	versultæ, versutiæ
588	3	2	Inuixerant, inuixerat
595	2	2	occinis, occinat
ibid.	4		opportuno, opportune
601	2	1	illa, illam
605	7	2	corporis *adde* curam
609	14	2	occiuls, accitis
ibid.	16		molle, mollis
616	24	1	vaniebat, veniebant
ibid.	1	2	portas, portus
617	2	1	manus, munus
ibid.			viuencibus, virentibus
621	12	1	spectando, sperando
624	15	1	tum corpore, tum corpore
629	2	2	inter Beda, Beda inter
ibid.			plectenti dei, plectentis Dei
ibid.			suntioen, sustinens
ibid.			Biacularis, piacularis
630	3	1	diuitusque, diuitiasque
636	8	1	& ab ignes, vt ab ignis
643	5	2	thesauri, thesauris
649	1	2	promararandam, promerendā
ibid.	2	2	afferat, offerat